



LOCI COMMVNES sacræ Theologiæ, iam recens recogniti & emendati.

PER VVOLFGANGVM MVSCVLVM DVSANVM.

Adiectus est etiam rerum & uerborum memorabilium, multo quàm antea copiosior Index.

Leonardus Hüebsch. 1667.

BASILEAE, PER IOANNEM HERuagium, Anno M. D. LXIIII.

VVOLFGANGVS MVSCVLVS.

SCIMVS nullam cuiuscunque operis editionem tam posse castigatè prodire in publicum, quin multa sit diligens Lector inuenturus, quæ emendationem requirant. Hoc cum in Locis quoq; hisce nostris deprehenderemus, operæ precium fore iudicauimus, si mea ipsius recognitione castigarentur, præsertim cum Typographus D. IOANNES HERVAGIVS, charissimis noster amicus, secundum hanc editionem moliretur. Recognouimus itaque, & emendauimus omnia, quanta licuit cum diligentia: ac simul quæ obseruanda ueniunt, in margine accuratius aliquanto annotauimus, quo & auctiori Indici uiam pararemus, & simul molestiam legentium releuaremus. Etenim consultius esse iudicauimus, ut semel fastidium hoc, quæ acta sunt, agendi denuò subiremus, quàm ut Lectori offendicula, in quæ frequenter impingeret, relinqueremus.

SEQVITVR CATALOGVS LOCORVM, QVI EX ORDINE tractantur.

1	De Deo.	1	35	De missa Papistica.	384
2	De diuinitate Christi.	8	36	De uero cultu Dei.	406
3	De diuinitate spiritus sancti.	ibidem	37	De cultu angelorum.	411
4	De operibus Dei.	10	38	Quare difficile sit à falsis discedere cultib.	412
5	De creatione in genere.	11	39	De noua doctrina.	415
6	De lapsu angelorum.	13	40	De traditionibus humanis.	418
7	De creatione hominis.	ibid.	41	De nomine Dei.	423
8	De lapsu hominis.	16	42	De natura Dei.	428
9	De libero arbitrio.	22	43	De sufficientia Dei.	434
10	De peccato.	25	44	De omnipotentia Dei.	437
11	De legibus.	34	45	De uoluntate Dei.	444
12	De præceptis Decalogi.	41	46	De ueritate Dei.	452
13	De abrogatione legis.	139	47	De bonitate Dei.	458
14	De fœdere ac testamento Dei.	141	48	De philanthropia Dei.	463
15	De discrimine ueteris & noui Testamenti.	146	49	De misericordia Dei.	473
16	De gratia Dei.	147	50	De potestate ac dominio Dei.	479
17	De redemptione generis humani.	151	51	De iustitia Dei.	483
18	De incarnatione uerbi.	156	52	De prouidentia Dei.	487
19	De dispensatione gratiæ Dei ac salutis humanæ.	164	53	De præsentia Dei.	498
			54	De ira Dei.	501
20	De Euangelio.	166	55	De iudicijs Dei.	509
21	De sacris Scripturis.	173	56	De cognitione Dei.	517
22	De ministris uerbi.	192	57	De spe.	522
23	De fide.	231	58	De desperatione.	527
24	De electione ac reprobatione.	246	59	De dilectione Dei, proximi ac fratrum.	530
25	De pœnitentia.	254	60	De timore Dei.	538
26	De iustificatione.	262	61	De obedientia Dei.	548
27	De bonis operibus.	274	62	De oratione.	552
28	De meritis erga Deum.	276	63	De uotis.	568
29	De remissione peccatorum.	281	64	De afflictionibus.	579
30	De sacerdotio noui Testamenti.	291	65	De persequutionibus.	589
31	De ecclesia.	297	66	De patientia.	593
32	De signis sacramentalibus in genere.	316	67	De hæresi.	602
33	De baptismate.	327	68	De schismate.	618
34	De cœna Domini.	343	69	De magistratibus.	622

ILLVSTRISSIMO CLA-

RISSIMO QVE PRINCIPI AC DOMINO D. FRIDERICHO COMITI PALATINO AD RENVM, utriusque Bauarię duci, ac sacri Romani Imperij Dapifero & Electori, Domino ac principi suo clementissimo, Vuolfgangus Musculus Dusanus, gratiam & pacem à Deo ac patre Domini nostri Iesu Christi optat ex animo.

Quoties de statu ecclesiarum Christi, illustrissime Princeps Elector, qualis nã ille hac nostra sit ætate cogito (cogito autem frequenter, tanquam homo iam senex, & in præsenti religionis nostræ causa annos propè quadraginta uersatus) nequeo non inter alia hoc quoq; Germaniæ, communi nostræ patriæ, gratulari, quòd singulari quodam beneficio Dei nacta fuit primùm pios ac doctos uiros, quorum laboribus Euangelij Dei ueritas uelut ex densissimis grauissimorum errorum tenebris in lucem proferri propagariq; cœpit: è quorum numero in hunc usq; diem aliqui in uiuis agunt, ac cygneam doctrinæ sanctæ suauitatem, priusquam ex hac uita emigrent, modulantur. Deinde quòd Principes haud paucos, uerè Christianos, & Euangelicæ ueritatis studiosos adepta est, sub quorũ alis in lucem producta ueritas contra tenebrarum potestatem foueri, quorumq; authoritate ecclesiæ Christi non paucæ ad normam uerbi Dei reformari, & aduersus improbam Pontificum uiolentiã defendi cœperunt. Sic quippe diuinæ est prouidentiæ uisum, ut duro nodo cuneus æquè fortis ac durus imponeretur: & unde nata fuit inter Christianos ecclesiasticorum potentia, inde illa quoq; iustissimo iudicio infirmaretur. Scimus ueritatem Dei per se esse inuictam, & ad reuincendos aduersarios adeò potenter instructam, ut nullis opus habeat humanis uiribus, per quas subsistat, uictrixq; euadat. Nam ut de cælo ad nos descendit, ita cælesti quoq; est uirtute insuperabiliter munita, & aduersarios quosuis lucis suæ splendore adobruit & confundit. Interea tamen simul agnoscendum est, utrunq; hoc incomparabile beneficium Dei, quo & insignia organa illustrandæ ueritatis data sunt, & Christiani principes tyrannidi Pontificum oppositi: nec agnoscendum tantùm, sed & pro dignitate deprædicandum. Nemo cordatus ignorat, quanto cum bono ecclesiarum Dei aliquot principum mentes, haud sine cælesti numine, luce sunt Euangelij Dei illustratæ, & dexteræ eorum ad reprimendam uim aduersariam corroboratæ: qua omnino in re opus dexteræ Dei declaratum est. quemadmodum ipsissimum opus satanæ in eo expressum est, quòd tam illustrium uirorum ac potentum mentes, unà cum plebe, catholica fuerunt tot seculorũ caligine obtenebratæ, & ecclesiasticorum imposturis expositæ. Ubi principes sapiunt, non suo tantùm ipsorum bono sapiunt: sed cum primis eorũ, quibus regendis à Deo sunt præpositi. Sapientia & intelligentia principis felicitas est populi. Princeps sapiens, Dei quodammodo imaginem refert in terris. Notum est illud, licet ab homine gentili, haud tamen

inscitè dictum: ἀρχων, εἰκὼν θεοῦ, τὸ πᾶν τὸ κοσμοῦντος. Cuius autem imago est Princeps seductus & errans? Princeps caput est populi. Capitis sanitas, sanitas est corporis. Principis integritas, integritas est populi. Tot errores, impostura & seductiones haudquaquam obtinuissent in ecclesijs, nisi primùm inuentæ fuissent impostura, quibus regibus ac principibus fucus fieret. Hoc consilio satan primùm illectamentis hypocriseos mentes principum induxit: deinde iniquissimis etiam excommunicationis comminationibus impulit, ut mysterio iniquitatis incognito, Antichristi pedibus nō spectandis tantùm, sed & (quod amplius est) osculandis etiam, prouoluerentur, imò calcandi subijcerentur. In tam enormi & prorsus Persica seruitute, quis nam potuit esse liberæ ueritati in ecclesijs Christi locus? Hæc Romana & pontificia iniquitas non principes modò, sed & ipsos Imperatores molestauit, fatigauit, & non semel ab imperij fastigijs deposuit & oppressit. Quo loco potuit esse salus populi Christiani, quum sub eiusmodi tyrannide ipsa illius capita suprema, media & infima ingemiscere cogebantur: & tamen nulla spes apparebat, fieri posse, ut tam improbo, inferendo, & impudenti malo occurreretur? Tandem per insperatam Seruatoris nostri gratiam data lux est, quæ tenebras hasce discuteret: dati sunt uiri eximij, qui animas suas pro ueritate Dei, & salute ecclesiarum contra Romanam nequiciam detegendam, conuincendam & condemnandam multis & grauibus periculis toleratis exponerent: dati sunt principes in hac nostra Germania, qui detecto malo, sese principali authoritate ac potestate opponerent, ecclesias ad lucem uerbi Dei reformarent, omnes eidolomanias, imposturas & superstitiones eliminarent, in'que locum illarum ueram doctrinam ac pietatem inducerent: & hæc facientes in comitijs Imperialibus ad reddendam instituti sui rationem liberè se ac palàm offerrent, & ad Christianum ac liberum Concilium appellarent. Et hoc pacto consilia mouendi in Germania belli tantisper remorati sunt, donec uisum est Deo probare corda nostra, quàm simus in confessione ueritatis constantes ac firmi. Hæc itaque considerantes, consideramus luculenta consilia Dei, deprehendimusq; quanto cum bono amplexi sint principes aliquot Euangelij Christi ueritatem. Probandi non sunt, qui singularem hanc gratiam Dei floccifaciunt. Iubebantur fideles Christi ab Apostolo orare pro regibus & principibus, qui tum erant, non Christiani, sed prorsus ethnici: ut liceret ipsis piam ac tranquillam in hoc seculo ducere uitam, quòd id sit bonum, & coram Deo acceptum. Quomodo igitur non conuenit Christianis, ut ubi principes adepti sunt uere Christianos, per quos securè & palàm secundum uerbum Dei uiuere queant, leuatis in cælum manibus, gratias agant bonorum omnium largitori Deo, tamq; insigni dono reuerenter & salubriter utantur? Nec est ut Hieronymi mihi sententia obijciatur, qui in uita Malchi captiui monachi, mox initiò, ecclesiam, postquam ad Christianos principes uenit, potentia quidem & diuitijs maiorem, sed uirtutibus minorem factam esse conqueritur. Nam hæc dicens, non culpat donum Dei, quod bene collocari potuit: sed socordiam ecclesiarum, quæ deteriores ex eo factæ sunt, unde in uera pietate securius ac tranquillius uiuere poterant: quemadmodum non laudat persequutiones fidelium, dum ecclesia per illas creuisse dicit. Quàm felices autem essemus, si quotquot sunt Germaniæ nostræ

principes,

principes, seriò tandem de reformandis ecclesijs cogitarent, & hoc tam necessarium officium primùm Christo seruatori nostro, deinde & communi nostræ patriæ impenderent: id quod reuera post Imper. maiestatem proximè ad illustrissimos sacri Imperij Electores pertinet. Neq; enim audiendi sunt, qui curam ecclesiarum in humeros Pontificum, imò oues Dominicas in uentres grauissimorũ luporum, & omnem ecclesiarum substantiã in loculos prorsus inexplebiles Romani Simonis et harpyiarũ illius reijciendã esse censent. Regibus & principibus diuino ac prophetico oraculo præcipitur, ut intelligentes sint Dei, erudiantur, ac seruiant Domino in timore & tremore. Existimarunt olim nonnulli, optimum esse, si uel reges philosophentur, uel philosophi moderandis rebus adhibeantur. Multo esset Germaniæ nostræ consultius, si principes illius euangelizarent: hoc est, curam propagandi inter subditos Euangelij Christi in se susciperent, de fidis uerbi Dei ministris ecclesijs præficiendis cogitarent, quales uidelicet eligi debeant, quamq; diligenter in uitã ac doctrinam illorũ animaduertendum, quandoquidem ex corruptione illorum corruptio ecclesiarũ nasci solet, & quàm sit necessitatibus illorum sufficienter prospiciendum: ne si negligatur hæc cura, sordidis artibus quæstum faciant, uel liberos suos in ludibrium Christianæ religionis mendicitate exponere cogantur: deinde eos qui lucubrationibus suis sacras Scripturas elucidant, & aduersarijs ueritatis resistunt, in sacrosancto ipsorum ocio fouerent, scholarum rationem haberent, in quibus non modò eruditionem iuuentus, sed & Christianæ religionis pietatem imbibat. Fuit aliquando hic apud ueteres collegiorum usus, ut in illis ad ecclesiarum ministeria, si qui apti essent, instituerentur: quæ postea degenerare cœperunt, partim in cucullatorum, partim in irregularium Cenonicorum βοσκοτήριαι, ocio, luxu, uoluptatibus & opibus corruptissima, quæ in pristinum usum haud inutiliter restitui possent: deniq;, contentiosis hominibus ad dissidia uel serenda, uel alenda natis modum ac frenum imponerent, dissidentes inter se ecclesias interuentu suo conciliarent, sub Romana adhuc seruitute constitutas ad amplectendum salutis doctrinam inuitarent: propter Christum proscriptos, profugos & exules pro Christiana commiseratione benignè susciperent, pro uinctis Christi haud grauatim intercederent, suas ipsorum curias & aulas cum primis pietati, sobrietati & honestati consecrarent, & omnis generis corruptelas uulgò inualescentes, pijs legibus & competenti seueritate reprimerent. Hæc demum esset uerè Christiana philosophia, cœlestis uidelicet sapientiæ studium, Christiano principe dignum, unde ad subditos commoda prouenirent prorsus incomparabilia. Verùm hisce de rebus haud ideo mentionem facio, ut quicquam celsitudini tuæ, Princeps illustrissime, præscribam: sed amore Germaniæ nostræ accensus, opto ut sub Euangelio Dei omnibus optimè liceat uiuere Christi fidelibus, & ut omnes in uniuersum illius Principes concordi spiritu ac pede ad ueritatem Dei amplectendam, fouendam propagandamq; accedant. De celsitudine uerò tua sic mihi omnia Christiana ac pia polliceor, ut sperem eam alioqui non ad ea tantùm, quæ obiter recensui, sed & ad multa alia consimilia, quæ nõ attigi, iã olim animũ adijcere cœpisse: ad quorũ executionẽ scio illam habere in aula sua generosos Comites ab Erpach, Georgium in Palatinatu tuo uicarium & affinem, in cuius humeros partem gubernationis diuidas: & Eberhardum magnũ curiæ tuæ magistrum, utrosq; Christianissimos

nissimos pariter & cordatissimos, quorum tibi sedulitas & agendarum rerum dexteritas ad quæuis pietatis peragenda negocia pulchrè commodare possunt: ut locum hic habeat aptissimũ illud Homeri, βελτίω μὲν πρῶτον μεγαθύμων κε γεράντων: ad quos accedit pius pariter & eruditus Michael Dillerus, quem C. T. à sacris concionibus habet, cuius mihi pro Euangelio Dei studium primùm Spiræ, anno 1540. exilium uerò postea Basileæ anno quadragesimooctauo innotuit. Hanc uerò felicitatem, quam Germaniæ nostræ generaliter opto, Celsitudinis tuæ principatui singulari quodam affectu gratulor: idq; haud præter rationem. Etenim sub Palatinatu tuo uixi ab anno ætatis meæ quintodecimo usq; ad triceſimum, sic ut illi debeam quicquid est libertatis, qua adolescens ac iuuenis in primordijs renascentis Euangelicæ ueritatis ueluti sub alis illius, studio ac protectione præfecti à Litzelstein, Reinhardi uidelicet à Rotenburg, potitus fui: quo me tempore Mentensis episcopatus harpyiæ prorsus, propter recens emergentis ueritatis Dei studium, quò rapiebar, deuorassent, nisi manum in iurisdictionẽ Palatinatus tui mittere formidassent. Huius itaq; tam insignis beneficij memor, quo aliqua officij declaratione qualemcunq; grati animi significationem, priusquam ex hac uita discedam, uel in hac senecta mea ostendam: uisum est opus hoc Locorum communium Celsitudini tuæ, Princeps illustrissime, nuncupare, ac clarissimo nomini tuo dedicare: in quo, quicquid ad ueram nostram religionem scitu necessarium esse conuenit, diligentius ac fusius, quàm in Commentarijs sacrarum Scripturarũ, quos in Genesim, Psalterium Dauidis, Ieshaiam prophetam, Matthæum & Ioannem Euangelistas, & in epistolas Pauli ad Romanos, & ad Corinthios ambas edidi, fieri potuit: & sic per gratiam Domini tractaui, ut sperem habituros pios homines, unde in uera pietate intelligenda promoueant: præsertim eos, quibus est docendi munus concreditum. Neq; enim in hoc opere quicquam properanter ac temerè effusum est, sed omnia, qua fieri potuit diligentia et circumspectione toto decennio tractata: nec datus est ullus mordacitati locus, cuius uicium ut peculiare est iuuenum, ita à sedato ac tranquillo senum ingenio remotum esse solet: sed simpliciter & sine dente, quæ sacris uidentur esse Scripturis consona, in medium sunt adducta, iudicioq; legentium proposita. Offero igitur labores hosce meos, C. T. Princeps illustrissime: oroq; reuerenter, ut eos pro agnata tibi ac Christiano principe digna beneuolentia placidis oculis aspicias, benigneq; suscipias, ac nominis tui præstantia ac patrocinio foueas: meq; tanquam Palatinatus tui alumnum, clementi fauore prosequaris.

Precor omnipotentem Deum ac patrem Domini nostri Iesu Christi, ut quemadmodum in uotis habes, ita largiatur etiam consilia, uires & efficaciam ad succurrendum ecclesijs Germaniæ, cùm reformandis, tum pacandis: simulq; donet Celsitudini tuæ uitæ longæuitatem, & in omni principatu tuo ueram pietatem, cum solida ac diuturna pace coniunctam. Bernæ Eluetiorum, Anno ab incarnatione Seruatoris nostri, Millesimo quingentesimo & sexagesimo.

Præfatio

O C O S hoſce communes, Lector in Domino chariſsime, ante decennium, anno uidelicet 1549. parturire cœpimus: quare non eſt ut quicquam in illis præcipitantius effuſum putetur. Vtinam tarditas parturitionis illorũ per omnia cauerit, ne quid natum ſit, quod à ſacrę Scripturę ſcopo aberret. Nolim enim ſcriptis meis cuipiam errori, quantumuis minuto, ſcienter patrocinari. Quòd autem tam tardè promouimus, ex eo factum eſt, quòd ſecundum Scholæ noſtræ ſtatuta ſemel duntaxat ſingulis ſeptimanis aliquid ex illis tractare, ac collegij noſtri alumnis dictare licuit. Verùm nihil ex tarditate editionis huius periculi eſſe uideo. Damus enim hæc ſat citò, ſi bene ſat.

Quòd poſt tã multos doctos ſcribimus, non eſſe temeritati dandum.

Scimus multos doctos homines de S. religionis noſtræ locis ſcripſiſſe, ut temerarium ac iuxtà ſuperfluum uideri poſsit, quòd poſt illos ſcribere uoluerimus: quum ſperari nequeat, quòd quæ in medium adferimus, ſcripta illorum adæquẽt, nedum ſuperent. Agnoſcimus planè, non eſſe contemnendos eorum labores, qui ante nos ſcripſerunt, imò nec eorum qui poſt nos tale quid ſunt molituri. Etenim etiamſi in ſcriptis eorum, qui in opere Domini uerſantur, deſideretur aliquid: conatus tamen in ſe non malus diligendus eſt, non reſpuendus. Sic nos de aliorum ſcriptis ſentimus, nec iniquum eſſe putamus, ſi fore ſperamus, ut conſimili modo de noſtris ab alijs quoq; ſentiatur. Quemadmodum uarias ſacrarũ literarum uerſiones ob id probat Auguſtinus, quòd diligenti lectori utiles eſſe poſſunt: ita quid uetat, quo minus idem tractãdorum Locorum labor à quàm pluribus in eccleſia Dei, modò religioſe præſtitus, ad rerum ſacrarum intelligentiam fidelibus hominibus plurimum utilitatis adferre queat? Sic enim fit, ut quę in noſtris ſcriptis deſiderantur, legantur apud alios: & rurſus, quæ alij non attigerunt, per nos annotata legantur. Cordati hominis non eſt, omnia quæ uel à nobis, uel ab alijs ſcribuntur, indiſcriminatim abſq; iudicio amplecti. Quamuis enim bonus ac laudabilis ſit conatus, quoniam tamen homines ſumus, & nec omnia, nec perfectè, ſed pauca quædam, & uelut in ænigmate obſcurius tenemus: non ſolũ fieri poteſt, ſed fit etiam, ut nemo ſit ex omnibus ſcriptoribus (ſolis Canonicis exceptis) qui nõ alicubi hallucinetur, & ſæpenumerò ueroſimilia magis quàm uera, ac quæ opinatur magis quàm quæ certò ſciat, ſcribendo tradat: & ſi temerarius ſit, aſſerat etiam, & uera eſſe contendat. Quapropter, quamuis nullius ſcriptoris labores prorſus contemni debere cenſeamus, cautione tamẽ in legendis Locis cõmunibus opus eſſe iudicamus. Ea uerò eſt, ut eũcta ueluti Lydio lapidi, normæ ſacrarum Scripturarũ adhibeantur ac probentur: & quæ illis ſunt conſentanea, cum gratiarum actione retineantur: quæ diuerſa uel ſunt, uel eſſe uidentur, ſine calumnia prætereantur.

Cautè legendi ſunt Loci communes.

Quo conſilio Locos communes tractauerimus.

Aggreſsi ſumus autem hoc genus laborum non noſtro ipſorũ conſilio, ſed eorum qui Scholæ pariter & eccleſiæ præſunt: quibus ob id libentius obtemperauimus, quòd iam tum abundè compertũ habebamus, quantum hinc ſit detrimentũ ædificationi eccleſiaſticæ, quòd plerique concionatores omnium rariſsimè ad locũ aliquem religionis noſtræ populo fidelium explicandum ſeſe accommodant: ſed ſatis eſſe putant, ſi textum Scripturę, quem exponendum ſuſcipiũt, utcunq; & poſtillariter, ut loquuntur, tractent: imò, quod adhuc peius eſt, ubi in locum communem aliquem uel ſtudio, uel per occaſionem incidunt, ſic illũ tractant confuſe, indigeſtè & impertinenter, ut ſatius ſit non attingere prorſus, quàm tanta confuſione rem liquidò in uſus fidelium explicandam deturpare & obſcurare. Horum uſibus Locos iſtos deputamus, quibus etiam, meo iudicio, prodeſſe poterũt, ſi aſſueuerint methodo, ſine qua nihil poterit diſcutiè tractari. Qui peritiores ſunt, pro ſua diligentia locos habẽt ex multijuga lectione collectos, ac ſimul ualent methodo, cuius ſibi uſum crebris exercitijs cõpararunt. His noſtro labore haudquaquã

opus

opus est, in quo si quid desiderauerint, meminerint illũ ad se non pertinere: ideoq; boni consulant, quòd absq; ulla molestia, quæ imperitioribus destinata sunt, intacta relinquere possunt. Cæterùm quod ordinem Locorum concernit, alij alio sunt usi. Res in se simplex est, & natura sua optimè dispositа. Verùm singularum ætatum cõtentiones, ut in religionẽ nostram noua subinde dogmata inuexerunt, & causam simplicem multiuarijs quæstionibus inuoluerunt, intricatioremq; reddiderunt: ita & circa ordinem Locorum uariãdi causam pepererunt, quam nemo prudens religionis nostræ assertor prorsus effugere conabitur. Nostrum institutũ est, liberè incedere, nec ullo præcedẽtium scriptorum præiudicio impediri in hac causa: & quo ad eius fieri potest, rationem habere ordinis, quem & ipsa partim materia ultrò offerre, & nostrorum temporum controuersiæ exigere uidebuntur.

Ordo Locorũ.

Ordimur autẽ ab eo, qui quamuis illocalis sit ipse, nullo loco comprehensibilis: communis tamen omnium quodammodo locus existit, à quo uidelicet sunt omnia, in quo mouentur & continentur omnia, & in quẽ omnia desinunt: quẽ suppliciter & ex corde oramus, ut quicquid hic laboris Ecclesiæ ipsius destinauimus, ad fidelium ac piorum hominum utilitatẽ dispensare dignetur. Ad hunc enim scopũ collimare debemus omnes, quotquot in uinea Domini siue prædicando, siue scribẽdo operamur. Poterant hi Loci nostri multo uenustiore dictione & accuratiore tractatu sic explicari, ut delicatioribus quoq; ingenijs aliquousq; probari possent: uerùm mediocritate nostra cõtenti, quæ uera sunt & aperta, simplici & facili dictione in medium adferimus, magis spectantes, ut Locos hosce utiliter expediamus, quàm ut uenustati dictionis inseruiamus. Vale Lector charissime, Dominumq; pro me ora, ubi laboribus meis bene cœperis uti.

DE DEO.

DILANE noui, animalem hominem, ſecundum Apoſtoli ſententiam, non intelligere ea quę Dei ſunt, nedum ipſum Deum: imò confidenter dico, ne ſpiritualem quidem, clara & aperta cognitiõe tenere, quę diuinam Maieſtatem concernunt, quę luce inacceſsibili ſic eſt amicta, ut ad illam mentis noſtrę acumen haud quaquam pertingere queat. Et tamẽ ea eſt noſtra cõditio, qui homines ſumus, ut nihil ſit quod maiori cum periculo ignoremus quàm Deum noſtrum, à quo conditi, & ad cœleſtẽ gratiam ad hoc uocati ſumus, ut ipſum cognoſcamus, agnoſcamus & colamus, niſi in ſempiternũ perire uelimus. Arctamur itaq;, illinc Maieſtate diuinitatis, immenſa illa & inſcrutabili, iſthinc neceſsitate ſalutis. Quapropter omnino luctandũ eſt, ut quoniam ad cognitionem & gloriam Dei conditi ſumus, ne conditioni ac ſaluti noſtræ deſimus, opem illius inuocemus, qui nos condidit, petamusq; ut quod ex nobis fieri non poteſt, ipſe ſuo in nobis ſpiritu operetur, mẽteſq; noſtras hactenus illuminet, ut quæ de ſe cognoſci uult & intelligi, ſi non perfectè, ſaltem per ſpeculum & in ænigmate uideamus, donec ad perfectionis tempus & gloriam perueniamus. 1. Cor. 2.

Nihil cũ maiori periculo ignoramus quã Deum noſtrũ.

Infinita ſunt, quæ de Deo quęri poſſunt, magis quàm inueniri & explicari. Et humana ſcrupuloſitas ſic eſt cõparata, ut citius plura, quàm ſufficientia, incerta quàm certa, inutilia quàm neceſſaria de Deo quærat. Quare admoneo adoleſcentes pietati candidatos, ut nunquam de Deo ſine ingenti reuerentia & religione cogitent, nedum diſſerere ac cõtendere tentent. Per petuò occurrat primùm quanta ſit, & quàm inſcrutabilis omnipotentis Dei Maieſtas, quidq; illi reuerentię ac timoris debeatur: deinde quàm abiecta & uilis ſit noſtra conditio, quàm imbecillis & euanida intelligendi uis, imò ut uerius dicam, corruptum ac peruerſum iudicium, præſertim de rebus diuinis ac cœleſtibus, ut haud minus perſpicuè res humanas intelligere poſsit animal ratione deſtitutum, quàm res cœleſtes ac diuinas cognoſcere hõmo totus quãtus quantus eſt, terrenus ac carnalis.

Nunquam de Deo ſine religioſa reuerentia cogitandũ.

Quare opus eſt ſi uſpiam, hac maximè in cauſa, animo & religioſo pariter & cauto. Religioſo, ne manibus illotis ad conſiderationẽ diuinæ Maieſtatis temerè & impiè prorũpamus: cauto, uel noſtris uel aliorũ cogitationibus innitamur, ſed de Deo ex ipſo uerbo Dei inueſtigemus, nec modũ excedẽtes, ea quęramus, quæ curioſitati magis, q̃ pietati & neceſsitati ſalutis ſeruiãt, ſed ea dũtaxat, quę ſine diſcrimine ſalutis ignorari nõ poſſunt, pia ac ſedula religioſæ mentis intentione inueſtigemus, inueſtigata retineamus, & ad gloriã Dei bene collocemus.

Opus eſſe animo religioſo & cauto.

I. SIT NE DEVS.

NOn poteſt ordine prior eſſe de Deo quæſtio, quàm qua quæritur, ſit ne Deus. Huius nulla eſſet cauſa, niſi impietas iſta cor humanum tentaret, & ad negationem Dei abducere conaretur: cuius rei teſtimonium tam è Gentilium literis, quàm ſacris ſcripturis peti poteſt. Notus eſt locus Ciceronis de Protagora, Diagora Melio, & Theodoro Cyrenaico: quorum prior, eſſet ne Deus, uel ſecus dubitabat, reliqui duo prorſus eſſe negabãt. Deinde & de illis, qui totam de Dijs immortalibus opinionem ab hominibus ſapientibus R. P. cauſa fictam eſſe dicebant, ut quos ratio non poſſet, eos ad officium religio duceret. Hæ fuerunt cogitationes ethnicæ ſapientiæ. Et in ſacris ſcripturis clamat propheta Dauid, impietatem iſtam notans ac dicens: ~~Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.~~ Quis autem non uidet, quàm omnia religionis noſtræ myſteria prorſus ſint inania, & ueluti aniles quædam fabulæ, niſi priore loco nobis indubitatò conſtet, eſſe Deum? Quisnam animo certo & firmo colet eum, quem eſſe uel negat uel dubitat? Quare conſultiſsimè dixit Apoſtolus Ebr. 11. Qui accedit ad Deum, hunc credere oportet, eſſe Deum: ac tum ſubiecit, & eſſe eum remuneratorem quærentibus ſe. Rectè priore loco neceſsitatem huius fidei poſuit, qua Deus eſſe creditur, ac tum demum ſubiecit, qualis credi debeat.

Ratio quæſtionis huius.

Cic. de natura Deorum lib. 1.

Pſal. 14.

Ebr. 11.

Hac ratione & Apoſtoli authoritate, quæſtionem hanc, ſit ne Deus, priore loco poſuimus, ut admoneamus Theologiæ ſtudioſos, quid non ſolum ipſi tanquam primum religionis noſtræ caput, firmo animo tenere, ſed & alijs tanquam indubitatum, & ſine quo nullus ad pietatem gradus eſſe poteſt, fideliter inculcare debeant, nempe eſſe Deum. Neq; enim ſecurum eſſe iudico & firmum, ſi quis hanc fidem, quòd Deus ſit, omnium mortalium mentibus ſic inditam eſſe putat, ut nemo ſit uſpiam, qui dubitet in corde ſuo eſſe Deum, uel ſaltem aſtu Satanæ ad hanc dubitationem ſollicitetur.

Quare quæſtio hæc priore loco ſit poſita.

Quod ſi quis quærat, quomodo ſenſus noſtri tantopere corrupti & obcæcati ad hanc cognitionem Dei peruenire queant, ut certò ſtatuamus, eſſe Deum, & illius ruditati parumper inſeruiendũ eſſe iudico. Quanquam plus eſſe uidetur rationis ad quærẽdum, quomodo fieri poſsit,

Quomodo ad cognitionem Dei, quòd ſit, perueniatur.

posit,ut homo ad imaginem Dei conditus,& rationis luce,tanquam cœlesti quodam iubare
Act.17. illustratus,eum non cognoscat,à quo non solùm est creatus,sed cuius etiam genus existit,& quem in se habet,in quo etiam uiuit & mouetur,qui non longè est ab unoquoq;,sic ut nõ cognosci modò,sed & palpari quodammodo,ut sic cum apostolo dicam,queat. Verùm,ut dixi, etiam hoc uideamus propter rudiores,quibus rationibus Deum esse deprehendi possit.

Triplici modo declaratur esse Deum.

Quod præsentem considerationem attinet,triplex ratio occurrit, qua sese Deus mortaliũ mentibus manifestat. Prima est omniũ generalissima,quæ perficitur operando. Secunda specialis est,qua se loquendo declarat. Tertia specialissima est,quæ fit spirando secretius. Prima itaq; constat operando,qua se diuina maiestas in operibus suis toto orbe tá cœlesti quàm terrestri spectandum proponit. Hanc uoco generalissimam,propterea quòd cunctis omniũ nationum mortalibus sic est proposita,ut nemo sit qui de ignorantia Dei excusari possit. Habet quidem mens nostra acumen intelligentiæ & uim rationis,quasi oculos quosdam,quibus in operibus Dei ipsum agnoscat opificem: uerùm nisi tantus esset operum Dei splẽdor, ut maiestatem opificis toto terrarum orbe spectandam proponerent, non haberet ratio nostra,quo Deum esse intelligere posset. Itaq; prima ratio cognoscendi Dei luci ac splendori operũ Dei
Rom.1. datur,qua Philosophi quoq; maiestatem Dei inuisibilis teste Apostolo agnouerunt.

Quomodo philosophi Deum ex operibus illius cognouerint.

Obseruarunt enim primùm in operibus Dei amplissimam maiestatem, infinitam multitudinem,admirabilem uarietatem,constãtissimum ordinem,pulcherrimam harmoniam, indefinentem perpetuitatem, iucundissimam alternantium rerum uicissitudinem, & in summa, tam stupendam conditionis ac dispositionis sapientiam,& conseruationis potentiam, ut uniuersum hoc rerum tam terrestrium quàm cœlestium opificium nulli naturæ nisi soli diuinæ adscribere potuerint. Deinde experiebantur reipsa diuinam beneficentiam, ex infinitis commodis,cùm cœlo desuper,tum tellure infernè proueniẽtibus,quam & Apostolus Act.14.cõmemorat,dicens: Et quidem non reliquit semetipsum sine testimonio, benefaciens de cœlo, dans pluuias,& tempora fructifera,replens cibo & lætitia corda eorum. Tertiò sentiebãt terrorem quendam non uulgarem ex fulminibus,terræmotibus,peste,telluris hiatibus,portentis cœlestibus, in sole, luna, stellis, & cometis magnarum cladium prænuncijs. Accedit & illud,quòd uaticinia de rebus futuris,qualia fuerunt Sibyllina & prophetica,tam certa & uera cia,ut humanæ præscientiæ modulos perspicuè excederent,diuinitatem numinis,res humanas moderantis, arguebant.

De illis qui nihil esse putant nisi quod oculis uidetur.

Qui crassiores sunt,quàm ut intellectũ, & infideliores quàm ut fidem rebus inuisibilibus accommodare possint,sic sunt plerunq; animati,ut nec cœlestem uitam,felicitatẽ &gloriam, nec angelos,nec spiritum,nec Diabolum,nec inferos esse credant, eo quòd nihil ultra ea esse putant,quæ oculis uidentur. Illi hac ratione nec Deũ esse agnoscũt in corde,propterea quòd non uidetur. Non animaduertunt & alia quædam esse ex inuisibilibus,quæ tamen esse negare non possunt,licet illa non uideant. Quis unquam uidit uocem? Quis uidit uẽtum? Quis uidit odorem? Sunt ista inuisibilia quidem,uerùm nemo sensatus est,qui ea esse neget. Vnde autem esse iudicantur,nisi ex sensu efficaciæ & operationis illorum? Vox non uidetur, auditur autem. Ventus non uidetur, sed tactu sentitur,& operatio illius & impetus etiam in eo quod perficit,uidetur. Odor non uidetur, sed efficacissimè olfactu sentitur. Animam suam quis uidet? Et tamèn nemo sic desipit,ut animam sibi inesse neget,unde uiuere se sentit,unde uisum habet,auditum,olfactum,tactum & gustum,unde de loco ad locum mouetur. Mentem suam quis uidet? Et adeò ne excors quispiam esse poterit, ut mentem habere se neget, quia illam non uidet,per quam cogitat,intelligit & iudicat, & à brutis discernitur? Animum suum nemo uidet,nemo tamen est qui non sentiat se habere animum per quem amat,odit,appetit, fugit,tristatur,lætatur,& uel bonus est uel malus. Quare non eadem ratione & de Deo iudicatur? Inuisibilis quidem est essentia,uerùm operatione,uirtute & bonitate,sic seipsum declarat,ut intellectus hominis,nisi prorsus excæcatus, facilè ex operibus diuinis agnoscere possit,esse Deum quendã,à quo sint ista omnia cõdita,& à quo uniuersum hoc regatur. Da itaq; hominem intelligentem: ille fatebitur se Deum in operibus ipsius non solũ intelligere mente,sed & oculis uidere,auribus audire,olfactu percipere, tactu sentire. Da fidelem,ille gustu quoq; Deum experietur. Gustate,inquit propheta, & uidete,quàm suauis est Dominus. Nisi gustetur mel,quàm dulce sit,agnosci non potest: sic nisi gustetur Deus,quàm suauis sit,ignorabitur. Suauitatis eius gustus,sensus est bonitatis illius fide perceptus. Hæc de prima ratione dicta sunto,qua Deus esse cognosci potest. Sunt & alia multa,quorum consideratione sapientes huius mundi Deum esse agnoscunt: uerùm ista obiter attigisse suffecerit.

Inuisibilis essẽtia Dei operatione illius declaratur.

Verbo quoque innotescit deus

Secundam rationem qua mortalibus innotescit Deus, dixi constare uerbo. Sic se manifestauit patribus loquendo inde ab initio mundi usq; ad noui testamẽti tempora. qua de re Apostolus Ebræorum 1.loquitur, dicens: Multifariam multisq; modis loquutus est patribus Deus per prophetas,nouissimè uerò loquutus est nobis per filiũ. Ratio hæc specialis est,propterea quòd non cuiuis nationi contigit,sicuti speciali gratia contigit Israelitis. Qui annunciat uerbum suum Iacob,inquit,iustitias & iudicia sua Israel: Non fecit taliter omni nationi,

&c.

&c. Psal. 147. Hoc tamen uerbum, unà cum Christo unigenito Dei, & uniuersa salutis humanæ dispensatione postremis temporibus interuentu diuinæ misericordiæ ad Gentes quoq; peruenit, ne & hac gratia destitutum se mundus queri possit.

Spirando manifestatur deus electis.

Tertia ratio perficitur spirando, hoc est, secretius per spiritum sanctum reuelando. Et hanc dixi esse specialissimam, ut eam à duabus prioribus discernerem, quæ communiter bonis & malis proponuntur, & solis electis deputarem, qui non solùm ex operum splendore uerbiq; declaratione, sed etiam ex interna illa uiua, & efficaci spiritus sancti adspiratione ac reuelatione certissimam omnium cognitionem Dei, imò experientiam & sensum, cõsequuntur. Priores duæ rationes hactenus efficaces sunt, ut humana ratio prorsus omni excusatiõe priuetur. Vt uerò animi mortalium ad uerum cultum Dei, quem esse intelligunt, efficaciter conuertantur, non est nisi tertiæ rationis opus, solis electis deputatum.

Operũ Dei cõsiderationẽ electi nõ abijciũt.

Inde tamen nemo ex electis adeò desipit, ut operum ac uerbi Dei considerationem & auditũ, quasi ad se non pertinentẽ, abijciat. Absit. Nemo mortalium ardentius opera Dei contemplatur, & aures suas ad auditũ loquentis Dei arrigit, quàm hi ipsi, qui interna spiritus sancti reuelatione potiũtur, cuius rei clarissima testimonia in Dauide relucent. Ista paucis propter rudiores delibare, occasionẽq; præbere uolui, ut in lectione sacrarum scripturarum diligenter obseruent, quomodo tribus hisce rationibus Deus operando, loquendo, ac spirando mortalibus innotescat.

II. QVIS SIT DEVS.

Ratio quæstionis huius.

SEcundo loco uidetur & hæc quæstio mortalium animos sollicitasse, quis nam sit Deus ille, quem omnino tam luculentis diuinorum operum testimonijs esse constat. Etenim periculum est, ne pro uero Deo statuatur fictitius, & honos uero Deo competẽs ad falsum aliquem transferatur. Sicut enim agnoscendum quidem cum primis est, esse in regno regem aliquem, simul tamen scire oportet regni subditos, quis nam rex ipsorum uerus ac legitimus existat, ne in alienum incidant, ac uero regi honorem suum negent: ita uidetur non esse satis, si Deum esse sciamus, nisi etiam quis nam ille sit cognoscamus. Et sanè hac quoquè in re plurimum est hallucinata uetustas. Dum enim curiosè quærerent quis nam Deus esset, euanuerũt in suis cogitationibus, sic ut alij solem, alij lunam, alij stellas, alij ignem, alij citatum aerem, alij inexhaustam illam uim aquæ, Deum esse putarint: denique inuenti sint qui honorem diuinitatis etiam ad homines non mortales adhuc, sed mortuos planè detulerint. de quibus omnibus legatur Sapient. 13.

Nõ rectè quæri de Deo quis sit

Verùm ad hanc quæstionem paucis uidetur esse respondendum: non rectè quæri de Deo, quis sit, cum ea quæstio locum non habeat, nisi inter eos ac de illis, qui cum plures sint, uel natura, uel conditione, uel similitudine inter se sic communicant, ut periculum sit, ne alius pro alio per errorem accipiatur: de Deo uero non ita, qui & unus est, & similẽ nec natura nec conditione quenquam habet alium extra se. sic Esa. 45. dicit, Ego Dominus, & non est amplius: Extra me non est alius Deus.

Vnde sit quòd ethnici pro uero Deo coluerint falsos.

Quod autem ethnici ad eũm sunt errorem delapsi, ut pro uero Deo amplexi sint falsos, non est ex eo factum, quòd similitudine & conformitate diuinitatis decepti sint, uel obscuritate uerè Dei à certa ipsius cognitione impediti, sed quòd obscura est humana mens & intelligentia, quæ perinde atq; uespertiliones ad solis splendorem, sic ad manifestissimam ueræ diuinitatis lucem cæcutit.

Magis posse statui quis nõ sit, quã quis sit Deus.

Quapropter, meo iudicio, illud est hoc loco diligenter obseruandum, magis posse statui quis non sit Deus, quàm quis sit: uel ut plenius dicam, non posse meliori compendio cognosci quis sit Deus, quàm si caueatur primũ, ne quid ex omnibus creatis, siue terrenis siue cœlestibus, siue corporalibus siue spiritualib. pro Deo accipiatur: deinde pia cogitatione religiosus animus creata uniuersa tam inuisibilia quàm uisibilia transcendens, ad illius contemplationem contendat, quod & esse omniũ manifestissimè conuincitur, & tamen tale est, ut in ordinem creaturarum, siue corruptarum siue incorruptarum referri non possit.

Nõ potest Deus proprio nomine appellari

Neque sic tamen ad id perfectè peruenire potest, ut certò cognoscatur quis sit Deus, possitque ille proprio aliquo nomine appellari. Est enim nomen eius admirabile, & prorsus inenarrabile.

De Iacobo Gen. 32. legimus, quòd posteaquam cum angelo luctatus esset noctu, audissetq; ab illo, Non erit Iacob nomen tuum, sed Israel. Etenim cum fortiter egeris cum Deo, & contra homines prævalebis. & ex hisce uerbis intelligeret, luctatum se esse cum Deo, ductus sciẽdi cupiditate, quis nam esset, interrogarit dicens: Quod est nomen tuum? Verùm audiebat uicissim: Quare queris de nomine meo? ubi uetus trãslatio habet, Quod est mirabile, id qd in Ebræo non legitur. tale quid & Iudicũ 13. legitur. Quid quæso aliud hic innuitur, quàm nõ esse quærendum de Deo quod sit nomen eius, hoc est, quis nam sit?

Et Moses Exod. 3. cum mitteretur à Deo ad filios Israel in Ægyptum, ut eos illinc educeret, audissetque ab illo: Ego sum Deus patrum uestrorum, Deus Abrahæ, Isaac & Iacob, quoniam sciebat eam specificationem nominis non esse propriam, ac talem, unde cõstaret, à quo nam Deo mitteretur, interrogabat dicens: Ecce ego uado ad filios Israel, & dico eis: Deus patrum

trum uestrorum misit me ad uos. Si dixerint mihi, Quod est nomen eius? quid dicam eis? Hac interrogatione Moses omnino à Deo quærebat, quisnam esset, & quo proprio nomine à reliquis dijs, qui eo tempore Gentilium colebantur, distingueretur. Verùm ne illi quidem declaratur quis sit Deus, nec proprium Dei nomen assignatur, nisi quòd sit Existens. Nam sic illi Deus respondit, Ego sum qui sum. uel ut alij, Ego ero qui ero. Sic dices filijs Israel: Qui est, misit me ad uos. Significabatur illi, essentiam dei sic esse comparatã, ut proprio nomine appellari nec possit, nec debeat etiam. Deinde præteritis temporibus abundè innotuisse patribus Abrahæ, Isaac & Iacob, ipsius ueri Dei experientiam: ut satis sit dicere ad filios Israel, Deus patrum uestrorum, Deus Abrahæ, Isaac & Iacob mittit ad uos, &c. Declarat se Deus quis sit, nimirũ uerus ac uiuus, non nomine aliquo proprio, sed uiua ac tali efficacia & operatione, quæ non nisi uero Deo tribui possit, ut nihil sit necesse de eo percontari quis sit.

Ne Mosi quidẽ declaratur quis sit deus.

Quomodo declaret se Deus quis sit.

III. QVIS SIT DEVS.

Ratio quæstionis huius.

ETHic quoque humana scrupulositas arctatur, dum necessarium esse iudicat, ut sciatur quid sit Deus. Etenim ut periculũ est, ne deum quærendo, incidamus in falsum & fictitiũ, ita periculũ esse putat, ne uerũ Deum non ritè colamus, nisi sciamus quid sit Deus. Qua propter operæprecium esse iudico, ut & hanc quæstionem parumper inspiciamus.

Quæstio hæc tripliciter cõsiderari potest.

Potest autem illa tripliciter considerari. 1 Primũ, quòd ipsam uocem Deus attinet. Si de illa quæritur, manifestum est, sumptam esse Latinis à Græca dictione θεὸς, quæ idem est atque penetrãs ac percurrens: à uerbo θέειν, quod percurrere ac penetrare significat. Ratio illius est, quòd Deus totum hoc uniuersum & quæ in illo sunt omnia, præsentia & uirtute sua indesinẽter percurrit, mouet ac gubernat.

De uoce.

De essentia.

2 Deinde, quod essentiam dei concernit. Si de hac quæritur, quando, quid sit Deus, quæritur. Consentiunt ferè omnes, quotquot cùm ex gentibus tum ex nostris de Deo scripserunt, nullo pacto posse cogitari, nedum enarrari, quid sit deus. Plato iudicat haudquaquã esse quærendam definitionem dei. Thomistæ dicunt deum nullam habere definitionem. Et Cicero libro primo de natura Deorum sic scribit, Roges me, quid sit, aut qualis sit deus? authore utar Simonide, qui cum quæsisset hoc idem Tyrannus Hiero, ad deliberandum sibi unum diem postulauit. Cum idem ex eo postridie quæreret, biduum petiuit. Cum sæpius duplicaret numerum dierum, admiransq; Hiero quæreret, cur ita faceret: Quia quanto, inquit, diutius cõsidero, tanto mihi res uidetur obscurior. Nec abs re accidit hoc Simonidi. Etenim quomodo hominis finiti finita cogitatio infinitam illam & incomprehensibilem infiniti dei essentiam cõprehenderet? Haberet hic locum definitio, si de re finita moueretur quæstio. Iam cum sit infinitus deus, impossibile est ut ulla ratione definiatur. Quapropter admonendi sumus, ut hac maximè in re curiositatem illam mortalium mentibus ex primæua corruptione insitam refringamus: nec quæramus quod nec inueniri, nec exprimi potest. Legimus quidem dixisse Christum Ioannis 4. deum esse spiritum. Verùm non erat mens Christi, exprimere quid sit deus: sed magis admonebat mulierculam, non delectari deum corporali cultu, sed spirituali, eo quòd corporeus non sit. Magis hac sententia quid non sit deus, quàm quid sit expressit. Etenim Spiritus dictio ad eum modum de naturis illis sumitur, quæ non sunt terrestres & crassæ, qualis est nostra & bestiarum, & uolucrum, & piscium, & plantarũ, &cætera, ut discretionis gratia spiritus uocentur. Sic angeli, sic uenti, sic anima, tam hominis quàm bestiæ, spiritus appellantur. Hoc etiam ili uoluerunt, qui deum dixerunt esse animum, & mentem: ut Pythagoras, Cato, & Vergilius.

Definitionem Dei non esse quærendam.

Quod finitum est, infinitũ cõprehendere nõ potest.

Deus spiritus est.

De officio dei.

3 Tertio loco, si non de essentia, sed de officio, ut ita dicam, & opere dei quæritur, dum quid sit Deus interrogatur, censendum est hactenus quæstionẽ hanc esse piam, & nihil habere curiositatis, nec difficile quoq; esse, ad illam respondere. Etenim plurimum facit ad ueram cognitionem dei ac studium pietatis, scire quid sit Deus: perinde atque ad obseruantiam regis multum cõducit, si scias quid sit rex, hoc est, quod sit regis opus, institutum, משפט & officiũ. Est autem officium & opus dei, esse creatorem & conseruatorem omnium, idq; talem ut sine illo nec esse quicquam, nec consistere queat. Hæc uidelicet de Deo in sacris scripturis prædicantur. Et fides nostra uocat eum creatorem cœli & terræ. Et Apostolus 1. Timoth. 4. uocat eum Seruatorem omnium, maximè fidelium. Et ipse Deus utraq; ista de se prædicat Esa. 46. dicens: Ego feci, ego fero ego porto & seruo. Cum dicit, Ego feci, creatorem se: cum subdit, Ego fero, ego porto & seruo, seruatorem omnium esse admonet. Istud uerò prædicatum de Deo, quòd sit conseruator omnium, includit & gubernationem omnium, qua cum iudicio & iustitia cuncta moderatur, puniens reprobos, & remunerans pios.

Quod sit officium dei.

Qui prouidentiã Dei negat, Deum negat.

Itaque qui prouidentiam hanc Dei cuncta conseruantem ac gubernantem negant, rectè deum negare dicuntur, id quod Cicero libro primo de natura Deorũ Epicuro tribuit, dicens illum nomine quidem statuisse, reipsa uerò negasse deos, eo quòd prouidentiã dei negasset. Consimili modo de illis omnibus sentiẽdum est, qui dicũt in corde suo, Nec uidet Deus, nec intelligit,

intelligit, quorum dementiam propheta Dauid Psalmo 94. magno serio redarguit.

Qui nouit igitur de deo, quòd sit creator, conseruator, ac gubernator omnium, quo nomine illum philosophi animam mundi, mentem uniuersi, spiritum omniscium, cuncta regentẽ ac disponentem uocãt, is eam definitionem dei tenet, quæ quantum ad pietatis profectum conducit, satis exprimit quid sit Deus. Et hanc cognitionem sui Deus ipse requirit à nobis, cum Hiere. 9. dicit: In hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me, quòd ego sum dominus, faciens misericordiam, iudicium & iustitiam in terra. Nõ hoc exigit, ut sciamus quæ sit ipsius essentia, & quæ alia ipsi insunt inscrutabilia. Et Apostolus Ebræorum 11. cum dicit: Oportet autem accedentem ad Deum credere quòd Deus sit, & quòd remunerator sit omnibus querentibus se. simpliciter hæc duo requirit, unum ut credamus esse Deum: alterum, ut officium & opus illius intelligamus. Qui hanc cognitionem dei non habet, planè ignorat, quid sit Deus, etiamsi essentiæ illius scientiam, quæ prorsus inscrutabilis est, teneat, nec potest uti scientia dei, ad ea quæ necessaria existunt, & non nisi à Deo exhibentur. Etenim uerissimum est, quod Augustinus de Ciuitate Dei lib. 4. ca. 22. ex Varrone adducit: Quomodo nihil prodest homini alicuius medici nomen formamq; nosse, & quòd sit medicus ignorare: ita nihil prodest si scias esse Deum, nomenque & essentiam illius non ignores, si nescias eum esse conditorem, conseruatorem, & gubernatorem omnium, atq; ita ignores, cur ei debeas supplicare. Hæc uolui propter simpliciores de hac quæstione, quid sit Deus, paucis annotare, ut intelligant quatenus usus illius prodesse possit illis, qui scientiam & cognitionem dei ad studium ueræ pietatis, non ad curiositatem, accommodare cupiunt.

Qui sufficienter sciunt, quid sit Deus.

IIII. QVALIS SIT DEVS.

NIhil uspiam in rerum natura tam cœlestium quàm terrenarum existit, quod nõ habeat aliquid, uel natura agnatum, uel occasione quadam, aut studio & exercitio acquisitũ, iuxta quod de illo quale sit prædicari possit. Qualitates quidem illæ quæ corporibus aut innascuntur, aut per occasionem accidunt, utpote quòd certis sunt formis figurata, ac mẽbris disposita & articulata, & uel frigida uel calida, uel nigra, uel alba uel fusca, &c. & quæ alia sunt huiusmodi, locum in Deo non habent, qui non corporeus, sed spiritus est. quare damnabilis est Anthropomorphitarum error, qui Deo corpus humana figura formatum, & mẽbris articulatum tribuerunt. Manifestum tamen est, esse in Deo quædam, quorum respectu, etsi non perfectè, aliquo tamen usque qualis sit, cognosci poterit: utpote, qualis sit essentia, hypostasi, & natura. Sunt quidem ista in se inscrutabilia in Deo, uerùm quædam illis insunt, quę & necessaria sunt cognitu, & per spiritum reuelationis in sacris scripturis exprimuntur, quorũ considerationem ad præsentem hunc locum pertinere iudico.

Qualitas ineſt omnibus.

Qualitates corporum in Deo non ſunt.

Qualitas Dei in quibus.

V. QVALIS SIT DEVS CONsideratione essentiæ.

DE essentia Dei ultra id quod fons est & origo omnium eorum quæ sunt, primùm illud prędicatur quòd sit unica, similem nec in cœlo habens, nec in terra: ideoq; Deum unũ duntaxat cõstituens, ac pluralitatem illam deorum, qua deceptæ sunt gentes, prorsus excludens. Huc pertinent quæ in sacris scripturis de unitate Dei leguntur, utpote Deuteronomij sexto: Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est. Et Esaiæ quadragesimoquarto & 45. Præter me, inquit, non est alius Deus. Et 1. Corinth. 8. Scimus quòd nihil est idolum in mundo, & quòd nullus est alius Deus nisi unus. Et Ephes. 4. Vnus Deus & pater omnium, qui super omnes est, & per omnia.

Quid prædicetur de essentia Dei.

De unitate essentiæ Dei.

Vnitatem hanc Dei agnouerunt & philosophi & poetæ gentium. Plato monarchiam Dei manifestè asserit. Aristoteles unam mentem mundo præesse testatur. Et Cicero Platonem sequutus, multis in locis unum Deum confitetur. Ex poetis Vergilius sic de Deo cecinit:

- Deum nanq; ire per omnes
Terrasq; tractusq; maris, cœlumq; profundum.
Hinc pecudes, armenta, uiros, genus omne ferarum.
Quenq; sibi tenues nascentem accersere uitas.

Philosophi & poetæ unitatẽ Dei agnouerunt.

Et Ouidius initio Transformationum disertè totius uniuersi opificium uni Deo tribuit. Viderunt uiri sapientes mundum hunc nec condi potuisse, nec posteaquam conditus est, gubernari posse à multis, propter inenarrabilem illam & constantissimam harmoniam omnium, quæ irrefragabiliter ueri Dei unitatem conuincit, quæ planè periclitaretur, si gubernacula rerum dijs multis tribuerentur, ut non frustra pugnæ & dissidia deorum Gentilium inducta sint ab Homero.

Ratio sapiẽtũ.

Stultitia eorũ qui plures deos statuunt.

Quapropter admodum ridiculi sunt, qui propter amplitudinem rerum conditarum putant

tant mundum hunc ab uno Deo regi non posse, quasi non sufficiat unus tantæ rerum moli sustinendæ, ut opus sit multis.

Creator maior est opere quod fecit.

1 Primùm illi in hoc delinquunt, quòd opificij amplitudinem uel solam, uel magis quàm opificis maiestatem ac potentiam considerant: atq; ita opus uires opificis excellere iudicant, quasi non sit creator maior ac potentior opere quod fecit.

Maiestas Dei nec accessione nec diminutionem recipit.

2 Deinde & in eo delirant, quòd putant perinde à pluribus dijs melius quàm ab unico mũdum hunc regi posse, atque in rebus humanis accidere solet, ut duo uideant acutius uno solo, & plures maiora perficere queant, quàm unus. Scilicet non considerant quid sit Deus, & quanta sit diuina maiestas, quę planè diuina non est, si imperfecta est: imperfecta autem est, si accessione multorum auctior, uel unitate diminutior reddi potest. Nec animaduertunt plus impedimenti esse ex pluralitate imperfectorum deorum, quàm defectus ex unitate perfecti, ut necesse sit non multos imperfectos, sed unum esse Deum uerum & perfectum, cui possibilia sint omnia, & qui potentia sua & sapientia infinita, totum uniuersum quasi corpus quoddam penetret, conseruet ac regat.

Nemo adeò desipit, ut unicum illum solem toti mundo illuminando & fouendo non sufficere, sed adhuc consimilibus alijs solibus opus esse dicat. Experimur ipsi, animam unam sic uni sufficere corpori uiuificando & gubernando, ut plus impedimenti futurum sit ex plurib. animabus, quàm detrimenti ex una. Potest igitur sol unus toti mundo illuminando, & anima una toti corpori gubernando sufficere, quum tamen nec sol mundum, nec anima corpus cõtinderit, & Deus unus non poterit sufficere operi suo regendo & conseruando, quod tanta cũ sapientia & potentia condidit unus? Sed agnouerunt ista quidam ex gentibus, qui dixerunt pluralitatem esse malam: opus itaq; esse, ut sit unus princeps.

Simile solis.
Simile animæ.

Verùm quod prudenter intellexerunt, propter catholicam errantium consuetudinem, & receptam multorum deorum opinionem nec sequi, nec defendere sunt ausi.

Quæ præterea de essentia Dei prædicentur.

Primùm igitur de essentia Dei rectissimè prædicatur, quòd sit unica, unum Deum constituens, consequenter uidendum, quę præterea de illa prędicare conueniat. Sunt quidem multa & alia, uerùm pauca in præsenti recensenda uidentur: utpote quòd non est composita, sed simplex ac pura. Simplicitati competit, quòd spiritus: puritati uerò, quòd lux uocatur, in qua nullæ sunt tenebræ. Deniq; quòd incorporea, inuisibilis, illocalis, incõprehensibilis, immutabilis, indiuisibilis, impassibilis, incorruptibilis, immortalis, inenarrabilis, perfecta ac sempiterna existit, quæ omnia pertinent ad considerandam diuinæ essentiæ qualitatem: quorũ singula explicare nec est præsentis instituti, nec meæ tenuitatis.

VI. QVALIS SIT DEVS HYPOSTASI.

Differentia usiæ & hypostasis.

DVæ istæ dictiones οὐσία & ὑπόστασις, Græcis Theologis usitatissimæ fuerunt, quarũ prior essentiam, posterior subsistentiam uel substantiam significat. De essentia diximus obiter, restat ut de hypostasi dicamus. Principiò, ne quis per errorem eodem significatu utranq; uocem usurpet, arbitreturq; nihil inter eas esse discriminis: atq; ideo sicut unã essentiam in Deo dicimus, ita & hypostasim unam in illo statuat, uel sicut trinam asserimus in diui nitate hypostasim, ita & trinam essentiam ponat: operæprecium est hoc loco admonere pau cis quę sit harum uocum οὐσίας & ὑποστάσεως differentia, & quomodo utrisq; usi sint ueteres. Voce essentiæ id expresserunt, quod commune est in sacra Triade: per hypostasim uerò, quod unicuique personæ proprium in illa est, significarunt. Vocarunt autem id commune in Deo, quod non solùm patri, sed & filio & spiritui sancto competit. Proprium, quod unicuique personæ sic competit, ut reliquis duabus tribui nequeat. Commune est (exempli gratia) homo, quæ uox de singulis mortalibus ex æquo prædicatur, & communem omnium naturam & essentiam exprimit: nullum uerò certum hominem notat, qui ueluti proprio nomine determinetur. Proprium uerò est, Petrus, Andreas, Iacobus, &c. Nullum enim horum nominum ad communem hominum essentiam & naturam exprimendam usurpatur, sed usus eorum est, ut aliquod humanæ naturæ indiuiduum significetur, quod illi quasi subiectum sit, ac determinatam subsistentiam habeat. Et eam ob causam, id quod proprium in re aliqua est, hypostasim: quod uerò cum multis alijs numero differentibus commune, οὐσίαν, id est, essentiam appellarunt. Sic in Deo quæcunque communia sunt tribus illis sacræ Triadis personis, ad essentiæ communionem retulerunt, eo quòd de singulis prædicari possunt, qualia sunt, quæ de qualitate essentiæ Dei obiter recensuimus. Quæ uerò communia non sunt, sed unicuique personæ propria ac peculiaria, illa ad cuiusque hypostasim retulerunt: utpote esse patrem, nõ potest tribui reliquis duab. personis, sed soli patri: esse filiũ, nec patri cõuenit, nec spiritui sancto, sed soli uerbo, unigenito dei. Itẽ esse ingenitũ, non filio, sed patri ac spiritui sancto: ꝓgredi uerò, nec patri, nec filio, sed soli spiritui sancto datur, q̃ à patre ac filio ꝓcedit. Sic hypostasis, id est, ꝓpriũ patris est, quòd ingenitus est & pater: hypostasis filij est, quòd unigenitus filius est hypostasis spiritus sancti: sub hac uoce spiritus cõprehenditur, & ꝓ processum exprimitur.

Cõmunia personis S. Triadis
Proprium uni uscuiusq; personæ.

Tres

Tres istas hypostaſes ueteris Testamenti ſcripturæ hiſce uocib. cõprehendunt יחוח דבר ורוח, id est, existens, uerbum & ſpiritus, ut in Psal. 33. Verbo Domini cœli firmati sunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum. Et 2. Sam. 23. Spiritus domini lòquutus est per me, & sermo eius per linguam meã dixit. Posteriores Græci uocarunt eas πρόσωπα, id est aſpectus & facies, Latini uerò personas: quibus uocibus proprietatẽ hypostaſeon in Deo exprimere uoluerũt, quòd per illas singulæ quaſi ſpectandæ ac cognoſcendæ proponantur, ac certò ſiſtantur.

De nominibus trium hypoſtaſium.
יחוח
דבר
ורוח
πρόσωπα, νοῦς, λόγος, πνεῦμα.

Est itaq; Deus eſſentia unus, quẽadmodum & natura & diuinitate, hypostaſi uerò trinus: quã Triadẽ non solùm ſacræ ſcripturæ tradunt, ſed & philoſophorũ aliquot literæ, & Sibyllina carmina. Agnouerũt Platonici in Deo νοῦν, λόγον, & πνεῦμα: id est, mentem, uerbũ & ſpiritũ.

Hæc tamen cognitio ſacræ Triadis ſubobſcura fuit uſque ad reuelationem incarnati uerbi, & ſingularem ſpiritus ſancti operationem. Hic palàm promulgatum est à Chriſto myſterium hoc Triadis in Deo, quum dixit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris & filij & ſpiritus ſancti. Potuiſſet dicere, Baptizantes eos in nomen Dei: uerùm quoniam unitas quidem Dei ſatis innotuerat ei populo, ſacra uerò Trias nõ ita, ut manifeſta fieret gratię illius atteſtatio, qua tum myſterium ſacræ Triadis orbi patefieri cœperat, uoluit, ut qui in illam initiarentur, ex profeſſo in nomen patris, filij & ſpiritus ſancti ſacramento initiationis conſecrarentur: ut ſcirent & agnoſcerent, credendum ſibi eſſe in eum, in cuius nomen eſſent baptizati, illiq; indiuulſe tanquam unico & uero Deo adhærendum. Animaduertit hoc Baſilius, ideoq; ad hunc modum ſcripſit: δεῖ γὰρ ἡμᾶς βαπτίζεσθαι μεν ὡς παρελάβομεν, πιστεύειν δὲ ὡς βαπτιζόμεθα, δοξάζειν δὲ ὡς πεπιστεύκαμεν, πατρὶ, καὶ υἱῷ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι.

Reuelatio ſacræ Triadis per Chriſtum. Matth. ult.

Locus Baſilij. Summa harum rerum.

1 Hæc ſunt manifeſta, & ſimpliciter ſincera fide tenenda: Deũ uidelicet eſſe unum eſſentia, natura, diuinitate, ſentẽtia, motione & operatione: trinum uerò tribus perſonis, quarum ſingulis ſua eſt hypoſtaſis & proprietas: quæ tamen ſic in Deo ſunt, ut eſſentia, natura, diuinitate, maieſtate, operatione, uoluntate, potẽtia, honore & æternitate inter ſe cõmunicent, ſintq; coeſſentiales & coæternæ. 2 Deinde tres illas perſonas in ſacris ſcripturis appellari Deum, uerbum, ſpiritum: à Chriſto uerò reuelatius, patrem, filium & ſpiritum ſanctum.

1. Deũ eſſe unum & trinũ.
2. Appellationes perſonarũ

3 Tertiò, per fidem huius ſanctæ Triadis, non conſtitui tres deos, ſed unius ueri dei inſcrutabiles hypoſtaſes, propter Chriſti unigeniti illius cognitionem & gloriam prõpagandam ſecundum menſuram reuelationis ipſius exprimi. Etenim ſi duæ diuerſæ naturæ in homine in unum coniunctæ, non conſtituunt duos homines, ſed unitatem retinent unius perſonæ, ut maneat unus homo, ex anima & corpore compoſitus: quomodo nõ intelligetur, tres illas hypoſtaſes in deo nec eſſentia, nec natura diuerſas, ſed omnino pares, multo minus impedire, quo minus unitas dei illibata maneat, nec cogere nos, ut tres deos eſſe credamus? Quis adeò deſipit, ut quoniam in ſole tria hæc reperiuntur: primùm indefinens ille lucis fons, deinde ſplendor ex illo natus, tertiò calor ex utroque procedens ac ſpirans, tres ſoles eſſe dicat, quũ ſit non niſi unicus? Quis adeò demens eſt, ut homini propterea tres ſpiritus adſcribat, quòd tres illius uelut diſtinctæ hypoſtaſes eſſe reperiũtur, quas uocare licet ψυχὴν, νοῦν & θυμόν id est, animam, mentem, & animum. animam, qua uiuit & mouetur homo: mentem, qua intelligit, iudicat & diſcriminat: animum, quo uult, non uult, odit, diligit, triſtatur, lætatur, & uel bonus eſt uel reprobus? Hæc reperiuntur in nobis ipſis, quibus quaſi manuduci poſſumus, ad cognoſcendam in uno ac uero deo ſacram hanc perſonarum Trinitatem, ac in Trinitate indibatam diuinitatis unitatem.

Non conſtitui tres deos. Simile.

Simile ſolis.

Simile hominis

Quomodo autem pater ab æterno ac ſemper gignat filium, & ſpiritus ſanctus ab utroque non naſcatur, ſed procedat ac ueluti ſpiret, ut rectè peculiariter ſpiritus uocetur, quum tamẽ de deo Chriſtus in uniuerſum & cõmuniter prædicet, quòd ſit ſpiritus, abſtruſius eſt, quàm ut à quopiam mortalium mente concipi, nedum explicari queat. Neq; conuenit etiam, ut ſecretum hoc domini Dei noſtri ſcrutemur. Etenim ſi temerarium eſt, ſi ſeruus de natalibus dòmini ſui diſputet, quanta nobis cum reuerentia Dei ab huiuſmodi eſt abſtinendum curioſitate? Non poſſum intelligere, quomodo anima gignat mentem, & animus ab utraq; progrediatur, & quomodo diuinam uerbi dei natiuitatem, & ſpiritus ſancti progreſſum intelligere potero? præſertim quum ea cognitio nec ſit ad ſalutem neceſſaria, nec uerbo dei declaretur.

Quæ ſecretiora ſunt in S. Triade, nõ eſſe ſcrutanda.

Illud uerò neceſſarium præterea eſt, ut quoniam ſecundum initiationis noſtræ ſacramentum non in patrem duntaxat, ſed & in filium & ſpiritum ſanctum credimus, huius noſtræ fidei firmamentum ex ſacris ſcripturis petamus, ac immotum retineamus, ne nõ in Deum tantum, ſed & creaturas credere uideamur. Quapropter habẽda ſunt in promptu ſacrarum ſcripturarum teſtimonia, de diuinitate uerbi ac ſpiritus ſancti: ne in laqueos hęreticorum utriuſq; diuinitatem negantium incidamus, & à ſinceritate fidei, quæ in Chriſtum eſt, ſeducamur.

Teſtimonia ſacræ ſcripturæ neceſſaria.

DE DIVINITATE CHRISTI,
TESTIMONIA SACRAE *scripturæ.*

1 *Christus uerbum Dei.*

PRIMVM prædicant de Christo sacræ scripturæ, quòd sit uerbum dei, sempiternum illud, quo condita sunt omnia. Sic Ioannis primo: In principio, inquit, erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, &c. Hisce uerbis Euangelista disertè diuinitatem Christo tanquam uerbo Dei adscribit, dum de illo prædicat, non quòd factus sit, sed quod fuerit in principio: nec fuerit simpliciter, sed apud deum, id est, in diuinitate: & quòd Deus fuerit, & per illum condita sint omnia. Huc respexit Apostolus, cum Colos. 1. de Christi diuinitate scriberet ad hunc modum: Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Quoniam in ipso condita sunt uniuersa in cœlis & in terra, uisibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, &c. Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso cõstant. Non possunt ista ulli creaturæ adscribi: ergo omnino diuinitatis habent argumenta.

Christus filius dei unigenitus

2 Deinde testificantur de Christo sacræ scripturæ, quòd sit filius dei: utpote Psalmo 2. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Matth. 3. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Matth. 16. Tu es Christus filius dei uiui. Idem habetur & Ioannis sexto. Et multa sunt testimonia, quibus Christus ipse dei se filium esse testatur: de quibus in Euangelista Ioanne. Ne uerò putetur adoptitius esse, quales nos sumus, quotquot electi sumus, testatur Ioânes euangelista, esse eum unigenitum dei, capite primo dicẽs: Et uidimus gloriam eius, gloriam tanquam unigeniti à patre. Et, deum nemo uidit unquam: unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Et capite tertio: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Dum unigenitus dei uocatur, separatur ab adoptiuis, tanquam naturalis filius. Idem innuit Apostolus Rom. 8. cùm dicit: Qui proprio filio suo non pepercit, admonens esse Christum non adoptiuum, sed natutalem dei filium. Sicut autẽ naturalis filius hominis natura homo est, & patri homousius: ita & naturalis filius dei natura deus est, & eiusdem cum patre essentiæ.

Christus deus.

3 Tertiò expresse etiam deum nominant Christum sacræ scripturæ: ut Ioannis 1. Et deus erat uerbum. Ioannis 20. dicebat Thomas ad Christum: Dominus meus, & deus meus. Romanorum nono: Qui est super omnia deus benedictus. Actorũ 20. In quo uos posuit spiritus sanctus ad regendũ ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo, &c. Actorum 22. Deus patrum nostrorum præparauit te, &c. & audires uocem ex ore eius. Audierat autem Christum: ergo Christus deus est patrum Israelitarum. 1. Ioannis ultim. Sumus in uero, in filio eius Iesu Christo. Hic est uerus deus, & uita æterna. Et ex ueteri Testamento possunt testimonia citari: ut

Ex ueteri Testamento scripturæ.

Hieremiæ 23. Et hoc est nomen quod uocabunt eum, Dominus iustus noster. Est aũt in Hebræo יהוה צדקנו, quæ uox soli deo conuenit. Esaiæ 7. Vocabitur nomen eius עמנואל: id est, nobiscum deus. Et cap. 9. Vocabitur nomen eius admirabilis, cõsiliarius, Deus fortis, &c. Et Psal. 44. Et concupiscet rex decorem tuũ, quoniam ipse est deus tuus. Hæc uaticinia palàm Christo diuinitatem tribuunt.

Opera diuinitatis sibiipse adscribit Christus.

4 Quartò, huc etiam pertinet, quòd quædam Christus ipse sibi uindicat, quæ soli diuinæ naturæ conueniunt. Vt quod Ioan. 5. dicit: Sicut pater excitat mortuos, ita & filius quos uult uiuificat. Et, Quæcũq; ille facit, hæc filius similiter facit. Et Ioan. 6. Qui credit in me, habet uitam æternam. Et cap. 10. Ego do uitam æternam. Et capite 14. Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Et capite 16. Spiritus sanctus de meo accipiet. Et 15. Sine me nihil potestis facere. Et capite octauo: Antequam Abraham esset, ego sum. Et capite 17. Glorifica me pater apud te ea gloria, quam habui ante mundum apud te. Multa sunt & alia huiusmodi testimonia, quæ diligens lector ipse poterit inter legendum obseruare: quo non suam tantum, sed & aliorum fidem in Christum aduersus Arianorum, Turcorum & Iudæorum perfidiam confirmet.

DE DIVINITATE SPIRITVS
SANCTI, TESTIMONIA SA- *cræ scripturæ.*

Matth. ult.

PRIMVM hoc uel unum sufficeret ad comprobandam spiritus sancti diuinitatẽ, quòd Christus ipse unigenitus Dei patri illũ ac sibi in sacramento initiationis ac obsignationis cõiunxit, dicẽs: Baptizantes eos in nomẽ patris, & filij, & spiritus sancti. Etenim nec cõuenit, ut per hęc tria nomina, tres deos intelligamus, quibus unus duntaxat uerus Deus exprimitur: nec fieri potest, ut deus ille unicus & simplicissimus

compos

compositus sit ex diuersis naturis. Esset autem talis, si spiritus sanctus patri & filio non esset homousius,& eiusdem naturæ diuinæ.

Huc etiam facit illud prophetæ: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. His uerbis spiritus Dei palàm in eo coniungitur Deo ac uerbo eius, quod omnino diuinitatem concernit. Datur enim illi,quòd sit uirtus Dei, continens omnia. *Psal.33.*

Et primæ Corint.duodecimo dicit Apostolus: Omnia hæc efficit unus & idem spiritus.

Et 1.Ioannis 5.Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo:Pater,uerbum & spiritus: & hi tresunum sunt. Et Ioan.14.Ille uos docebit omnia. At hoc solius dei est. Et patres,eo quòd Apostolus credentes uocat templum spiritus sancti,ad cõprobandum illius diuinitatẽ usi sunt.Templũ siquidem non conuenit nisi deo.Rectè ergo nõ solùm in patrẽ & filiũ, sed & in spiritum sanctum baptizamur,baptizati credimus,credẽtes honoramus,inuocamus,adoramus & colimus in unitate diuinitatis Triadem,& in Triade unitatẽ,cui sit gloria in secula.

VII. QVALIS SIT DEVS CONSIDERATIONE NATVRÆ.

HActenus pro Christiana modestia ac sobrietate expendimus qualis sit deus essentia & hypostasi,iam consequenter uidendum est, qualis sit natura. Vtimur autẽ dictione naturæ cõmuni loquendi modo,quandoquidem quod hoc loco de deo sentiendum est, aliter exprimere nõ possumus: ut natura sit id quod unicuiq; existenti rei ex natiuitate inhæret,& naturales illi uel affectus, uel motus, uel uires, uel industriam quandam singularem & propriam indit,redditq; uel bonã uel malam,uel rationalem uel irrationalem,uel mitem uel ferocem: quæ omnia dictione naturæ ab illis separantur,quæ studio,labore, exercitio,usu ac disciplinis acquiruntur. Quamuis autem quæ Deo insunt propria & peculiaria, nõ prouenerint illi ex natiuitate,quum sit ingenitus,& si propriè dicendum sit,quicquid ex natura habetur,aliunde habeatur:ab eo uidelicet,qui omnia condidit,& naturarum diuersitatem creaturis suis dispensauit:hactenus tamen non inconuenienter dictione naturæ de Deo loquentes utimur,quatenus quę illi insunt,nec labore,nec studio,nec diligẽtia,nec usu & exercitio,nec disciplina aliqua sunt acquisita, sed illi ueluti naturaliter inhærent:utpote quod in scripturis sacris, 1 Primùm de illo passim prædicatur, quòd sit bonus. Nemo bonus, inquit Christus,nisi solus Deus:& propheta, Bonitate Domini plena est terra. *Quõ dictione naturæ in Deo utamur.* *Quæ prædicẽtur de Deo.* *Marci 10.*

2 Deinde quòd sit φιλάνθρωπος & placidus.Vtrunq; de illo prædicat Apostolus Tit.3. quum dicit, ἔτι γὰρ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία ἐπεφάνη τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ ἀπιφάνη.

3 Tertiò,quòd sit clemẽs & misericors,sic ut peccata, scelera & iniquitatem remittat. Vide Exod.34. 4 Quartò,quòd sit fidelis. Prædicat hoc de illo Apostolus, 1.Cor.10. 1.Ioan.1. 5 Quintò,quòd sit uerax.Qui nõ mentitur,inquit Apostolus.Item, Deus uerax,omnis homo mendax.Et Num.23.Non est Deus ut homo,ut mentiatur. 6 Sextò,quòd sit æquus, non acceptor personarum,Act.10. 7 Septimò,quòd sit iustus,odiens iniquitatem, ac diligens iustitiam. Psalm.10.33.119.144. 8 Octauo, quòd superbos detestetur, & humiles complectatur,1.Petri 5. 9 Nonò,quòd sit patiens,& tardus ad iram,Psal.144. 10 Decimo,quòd sit sapiens ac prudens.Soli sapienti Deo,inquit Apostolus Rom.16.Rom.11. Oh altitudo diuitiarum,sapientiæ & scientiæ Dei.

Hæc & alia plurima,quæ Deo tribuuntur in scripturis,qualis sit natura docent:nempe bonus,placidus,clemens,misericors,fidelis,uerax, æquus, iustus, gaudens humilibus, & detestans superbos,tardus ad uindictam,sapiens ac prudens.

Talis autem quũ non sit aliunde,nec accidentaliter,sed à seipso & naturaliter,consequens est, ut huiusmodi illi natura in sempiternum & immutabiliter inhæreat:id quod fidelibus incredibilem adfert consolationem. Quod si aliquando diuersum in illo uidetur, sciendum est id singulari dispensatione,& ad tempus fieri:& tamen interea naturæ illius qualitatem haud quaquam esse mutatam.Peruertitur quidem aliquando,ut est in Psal.18.uerùm cum peruersis,& ad perditionẽ peruersorum:interea tamen qualis natura est, talem inueniunt eum boni.Videbatur ignis ille Babylonicus naturam suam amisisse, quum tres pueros in caminum proiectos illæsos seruaret:uerùm naturæ suæ uim in eos interim exercebat, qui caminum incendebant. Hoc pacto & de Deo sentiendum est,& perpetuò obseruandum,quid ab illo per dispensationem propter impiorum malitiam, & quid secundum naturæ illius qualitatẽ fiat. *Naturalia in Deo sempiterna sunt.* *Quando Deus à seipso diuersus apparet.* *Simile.*

VIII. QVANTVS SIT DEVS.

NOn quæritur hic de quantitate aliqua corporea, sed de maiestate diuina.Est enim Deus magnus,nõ mole corporis,quã non habet,sed maiestate diuina,quæ in bonitate,sapientia,potentia, gloria,& æternitate eius relucet.Quantitas autem diuinę maiestatis sic est cõparata,ut nequeat exprimi, etiamsi dicas bonitatem illius esse maximam, potẽtiam, sapientiam & gloriam maximam.Nam huiusmodi superlatiuæ uoces,quoniam collationem quan- *Quõ de quãtitate dei quæratur.* *Quõ cõparata sit quãtitas dei.*

quandam aliorum bonorum, ſapientum ac potentum includunt, hominibus magis conueniunt, quàm Deo: cui ſine detrimento diuinæ maieſtatis & excellentię tribui nō poſſunt: præſertim cùm ſit ſolus bonus, ſolus ſapiens, ac ſolus potens. Quapropter ubi de quātitate bonitatis, ſapientiæ, potentiæ, gloriæ ac diuturnitatis dei conſiderandum eſt, abſtinendum eſt ab huiuſmodi collatione, & agnoſcēdum eſſe bonitatem, ſapientiam, amplitudinem, maieſtatē, potentiam & gloriam eius incomparabilem & immenſam, ac diuturnitatem infinitā. Et hæc infinita excellentia diuinæ bonitatis obſeruanda nobis eſt & adoranda in creatione, diſpenſatione ac prouidentia, qua cuncta cōdidit, diſponit & moderatur optimè: præſertim autem in philanthropia illa, qua filium ſuum ſalutis noſtræ gratia in mundum hunc miſit: Excellentia potentiæ eius relucet in uerbo eius, quo cœlum, terram, & omnia condidit ex nihilo.

In quibus conſiderāda ſit excellentia diuinæ bonitatis.

Infinita illius ſapientia, tam in creatione, quàm mirabili omnium diſpoſitione conſideranda uenit. Hæc obiter delibaſſe ſufficiat, quæ huc faciant, ut qui ſacras ſcripturas legunt, huiuſmodi aliqua methodo ad obſeruanda ea utantur, quæ de Deo traduntur.

DE OPERIBVS DEI.

POST ea quę de eſſentia, hypoſtaſibus & natura dei breuiter annotauimus, cō ſequēs eſt, ut de operationibus illius uideamus. Nam ex illius operibus potiſſimum relucet, quod ſit, quid ſit, qualis ſit, & quātus. Quapropter ſummo ſtudio huc incumbet religioſus animus, ut opera dei oculis fidei indefinēter inſpiciat, ut ex illis certò diſcat, quid de illo ſentire debeat. Certitudinē hanc diuinę cognitionis plurimum hæc duo iuuant. Vnum, quòd ocioſus nequit eſſe Deus: alterum, quòd nō niſi ſecundum naturæ ſuę qualitatem operari poteſt. Ocioſus eſſe nequit, quia deus uiuens eſt, & ipſiſſima energia, cui nihil minus competere poteſt, quàm ocium. Etenim, ut ille ait, Quicquid non operatur, omnino non eſſe uidetur. Ocium eſt nō uiuentium, ſed mortuorum: uel eſt ignauię, aut impotentię argumentū. Nihil autem horū Deo competit. Operatur igitur indefinēter. Pater meus, inquit Chriſtus, operatur hucuſq; : Ioā. 5.

Deus ocioſus eſſe nequit.

Non poteſt autem operari, niſi ſecundum naturæ ſuæ qualitatem. Nam qualis quiſq; eſt, inquit ille, talia dicit & facit; quod licet de hominibus dictum ſit, tale tamē eſt, ut uerius Deo competat quàm hominibus. Eſt enim homo ingenio ſic peruerſo, ut ſimulādo ac diſſimulando fallat, dum aliud in corde celat, & aliud foris dicit & facit. Vnde illud prophetæ eſt: Prauū eſt cor hominis, & quis cognoſcet illud? Hier. 17. Huiuſmodi peruerſitas & hypocriſis deo tribui non poteſt. Itaq; dum operatur, naturę ſuę qualitatem operando declarat: ut opera illius certiſſima ſint teſtimonia, quibus fidelium mentibus de natura ipſius, bonitate ac uoluntate perſuadeatur. Licet enim aliquando opus à ſe alienum faciat, ad hoc tamen facit, ut ad ſuum perueniat, Eſa. 28. Et hoc demū uerè eſt operari, qualitatē naturę, & teſtimoniū uel bonæ uel malę uoluntatis de ſeipſo, aut uerbis aut operibus, quaſi quibuſdā fructibus in lucē proferre.

Non poteſt operari deus, niſi ſecundū naturæ ſuæ qualitatem.

Quintuplex eſt operationis genus.

1 Eſt autem quintuplex operationis genus. Vnum eorum quæ ſecundum naturæ ſuæ uim abſq; ulla intelligētiæ ac uoluntatis moderatione operantur. qualis eſt operatio ignis, aquę, herbarum medicarum, lapidum precioſorum, & quæ alia ſunt huiuſmodi: quorum operatio ubi ratione ac uoluntate dirigitur, nō ipſorum, ſed aliena ſiue diuina, ſiue humana dirigitur.

2 Secūdum eſt eorum, quæ quidem & ipſa naturæ ductum operando ſequuntur: uerū non ſine propria ipſorū uolūtate, licet rationis magiſterium deſit. Sic tamē comparata eſt ipſorū operatio, ut aliquādo contra ipſorum uoluntatē extorqueatur. Sic operātur animātia bruta.

3 Tertium eſt hominum, qui & ipſi ſecundum naturæ ſuæ qualitatem operantur: & magiſterium quidem uel rationis, uel uoluntatis accommodant, uerùm deprauatum & corruptum: deinde & maiori poteſtati ſiue humanæ, ſiue ſpirituali, ſiue diuinæ ſubiectum & obnoxium: quò & malorum ſpirituum referenda eſt operatio.

4 Quartum eſt ſpirituum bonorū, quos angelos uocamus. Operantur & illi ſecundū ſuam naturam, idq; cum intelligentia & uoluntate, ſine tamē deprauatione, in quo diſſimiles ſunt & hominibus, & malis ſpiritibus: in eo uerò haud diſſimiles, quòd & ipſi ſuperiori ſunt poteſtati ſubiecti, à qua operationes ipſorum diriguntur.

5 Quintum & ſupremum operationis genus eſt, quod & ipſum quidem fit ſecūdum operātis naturam, cum intelligētia & uoluntate, eaq; ſincera & incorrupta: uerùm nulli eſt ſuperioris alicuius uel ſapientiæ, uel uoluntati ſubiectum, ſed omnium liberrimū, ſapiētiſſimum, potentiſſimum, optimum, prorſus infinitum, ac tale, ut ab illo depēdeant omnia. Hæc eſt unius ueri Dei operatio, principium, propagatio, cōſeruatio, reparatio, moderatio & finis omniū: optima, liberrima, uolūtaria, infinita, ſempiterna, perfecta, nullius alienæ opis indiga, nec operanti, ſed ipſis operibus neceſſaria & cōmoda: cuius modos incomprehenſibiles, multitudinem infinitam, rationem inſcrutabilem inquirere poteſt nemo: bonitatem, ſapientiam, potentiam, maieſtatem & gloriam ſuſpicere ac adorare debent omnes & angeli & homines.

OPERA-

OPERATIONVM DEI GENERA.

QVamuis infinita sit & incomprehensibilis operum dei multitudo, uarietas, maiestas & excellentia, ut nec numerus, nec ratio illorum aliqua possit humana cogitatione & industria cõprehendi: ac rectè dicat Eccl. cap. 8. Intellexi quòd omniũ operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorũ quæ fiunt sub sole (quãto minus eorũ quæ fiunt supra solem in cœlis?) Et quanto plus laborauerit ad quærendũ, tanto minus inueniet. Etiam si dixerit sapiens se nosse, nõ poterit tamen reperire: potest tamen homini pio aliqua esse illorũ consideratio, qua, etsi non rationes omnium, primùm tamen ex parte quid fiat: deinde & aliquam illorum discriminationem obseruet, ad quá referat ea quæ aliquousq; secundum mensuram donationis Dei contemplari, & contemplando admirari poterit. Vult nos Deus spectatores, admiratores & præcones esse operum ac gloriæ suæ. Quapropter etiam electis suis tantum ad hoc intelligentiæ largitur, quantum ad confirmandum in ipsis diuinæ prouidentiæ bonitatis ac potentiæ fidem requiri poterit.

Quousque homo opera Dei considerare queat.

Vt autem studia adolescẽtum in sacris literis uersantium, etiam hac in re diuisione aliqua methodica dirigantur, constituamus certa quædam operationum Dei genera, quibus opera illius, quatenus illa intellectu nostro percipi possunt, comprehendantur: utpote,

1 Creationis,	2 Propagationis,
3 Conseruationis,	4 Reparationis,
5 Gubernationis,	6 Perfectionis.

1 Creationis opera sunt, quæ in Gen. cap. 1. sex diebus perfecta leguntur. 2 Propagationis opus est, quo condita à Deo adhibito increméto prouehuntur ac multiplicátur. 3 Conseruationis sunt, quæcunq; ad hoc faciunt, ut quę creata sunt, & propagantur quotidie, cõseruentur ne statim intereant. 4 Reparationis sunt, quibus ea quæ corrũpuntur (ut omnia sunt corruptioni obnoxia) reparantur. 5 Gubernationis ea sunt, quibus omnia cùm in cœlo, tum in terra secundum iustitiam, sapiẽtiam, æquitatem & bonitatem Dei dispensantur ac reguntur. 6 Postremò, sub genere perfectionis comprehenditur uniuersale illud ac finale iudicium, quo omnia ad finem inde ab æterno destinatum perducuntur ac perficiũtur. Et hæc operationum genera usque adeò diuina sunt, ut soli Deo sint possibilia. Neq; enim ullius est creaturæ, uel creare, uel creata propagare, conseruare, reparare, gubernare, & ad destinatum finem perducere ac consummare.

DE CREATIONE.

INTER omnia opera Dei rectè primũ locũ obtinent ea, quæ creationis illius gloriã concernunt. Neq; enim licet, ut de operib. illis cõsideremus, quę patris sunt erga filiũ, filij erga patrem, utrjusq; erga spiritum sanctum, spiritus sancti erga utrũq;, quæ nec scrutabilia sunt, nec cognitu necessaria: sed abundè satis est, si creatura creatoris sui ut creatoris, propagatoris, conseruatoris, reparatoris, gubernatoris ac consummatoris opus agnoscat, suspiciat ac glorificet.

Inter opera dei primum est opus creationis.

Sunt aũt hic ista consideranda. Primùm quid, deinde ex quo, tertiò quomodo, quartò quando, quintò ad quẽ finem crearit. 1 Principiò, nõ potest breuius determinari quid crearit deus, quàm ut dicamus omnia esse ab illo creata, solo ipso dẽpto creatore & opifice, cœlũ, terrã, mare, & quę in illis sunt omnia. Sic Apostoli Act. 4. Domine, inquiunt, qui fecisti cœlũ, terrã, mare, & omnia quę in eis sunt. Et cap. 13. Annunciantes, inquiũt, uobis ab his uanis conuerti ad Deum uiuũ, qui fecit cœlum, terrã, mare & omnia quæ in eis sunt. Cùm aũt dicimus solum ipsum opificem deum eximi, ne inter creata numeretur, nõ sic intelligẽdi sumus, quasi solam patris personã eximamus: filium uerò & spiritũ sanctum includamus, & cum creaturis coniungamus: id quod Ariani fecerũt, qui uerbũ Dei factum à deo dixerũt: & Macedoniani, qui spiritũ sanctum inter creaturas Dei numerarũt. Nam opera sacrę Triadis sunt inseparabilia. Cùm pater omnia creasse dicitur, non debet excludi uerbũ, per quod nec spiritus sanctus, cũ quo condita sunt omnia. Cùm dicimus solẽ fouere & illustrare terrã (ut similitudinis gratia dicam) nec calorẽ illius, nec splendorẽ excludimus, sine quibus ille opus suũ non perficit. Deinde cùm dicimus omnia esse à Deo creata, nõ includimus ea quę mala sunt, ut mala sunt. Nam illa à Deo nõ sunt, sed ex satana, malorũ omniũ parẽte. Execrabilis est error Manicheorum, qui malum ex Deo esse cõtendunt, quos B. Augustinus admodũ fortiter repressit. Et spiritus mali, licet à Deo sint, ut spiritus, ab illo tamẽ non sunt, ut mali spiritus. Nam uidit Deus quæ fecit omnia, & erant ualde bona: Gen. 1. Quod aũt Esa. 45. legimus: Ego Dominus, & nõ est alius, formans lucẽ, & creans tenebras, faciens pacẽ, & creans malũ, nõ est de malo iniquitatis & impietatis, sed de malo aduersitatis & calamitatis intelligendũ: sicut & illud Amos 3. Si est malũ in ciuitate, quod ego non faciã. Sic dies mali dicũtur, in quibus calamitate aliqua & tribulatione premimur: qui loquẽdi modus cõmunis est & uulgaris, quo & Christus usus est,

Quid crearit Deus.

Quõ intelligẽdũ sit quòd solum Deum opificem inter creata non numerari dicimus.

Quomodo omnia à Deo creata esse dicamus

Vnde crearit Deus

est, dicēs: Sufficit diei malicia sua, Matth. 6. Deinde si quæratur, unde crearit Deus omnia: respondēdum est, alia ex nihilo, alia ex terra, alia ex aquis, alia ex carne. Ex nihilo creauit cœlū, terrā, mare. His adiungendos puto cœlestes quoq; spiritus: uerùm citra cuiusquā prejudiciū. Nolim enim de re incerta & obscura contendere cum quoquam. Ex terra formauit hominē primum nostrum parentē. Creauit etiam ex terra bestias, & omnis generis plantas & herbas. Ex aquis creauit pisces & uolucres. Ex carne cōdidit Euam primam generis nostri matrem.

Quō crearit.

3 Tertiò cōsiderandum est, quomodo crearit omnia. Nā & inde gloria opificis Dei relucet. Creauit omnia nec laborando difficulter, quomodo homines operari solent, nec operam alicuius adhibendo ministerialiter, sed solo uerbo. Dixit, inquit propheta, & facta sunt: mandauit, & creata sunt. Et alio in loco: Verbo Domini cœli firmati sunt, &c. Et historia creationis nullū alium creandi modū, quàm eundē hunc exprimit. Et hinc est, quod Apostolus Col. 1. & Ebr. 1. gloriam istam creationis Christo tribuit. Nam ille uerbum illud est, per quod facta sunt omnia: Ioan. 1.

Quando crearit.

4 Quartò, si quæratur quādo creauit deus omnia, nō potest aliud respōderi, quàm in principio temporū. Nam & Moses sic orditur creationis historiam: In principio creauit Deus cœlum & terram. & non potest quæstio de tempore ibi locum habere, ubi nondū tempus erat. Nondum autem erat tempus, cùm nulla dum essent creata, quibus temporum spacia seruirēt. Sunt tamen etiam distincta tempora in scripturis assignata, quibus ex ordine mundus hic est conditus, cum omnibus quę in illo existunt. Sic legimus de sex diebus & illorū operibus, Gen. 1. de quib. iuuādæ memoriæ gratia, adolescētes tetrastichon hoc annotēt:

Prima dies lucem, cœlum altera, tertia terram,
Sydera quarta, sequens piscem habet & uolucrem,
Sexta animal quoduis, hominemq; ex puluere terræ
Protulit: at sabathum septima lux tenuit.

Ad quē finem crearit.

5 Quintò, potest etiā quæri ad quem finē crearit omnia Deus. Præcipuus finis est, ut essent qui diuina bonitate reipsa cognita fruerentur, & maiestatē Dei in sempiternum glorificarēt. Hoc fine creati sunt & angeli & homines. Secundarius est, ut reliqua creata simul gloriā Dei illustrarent, & usibus hominum seruirēt. Horum finium consideratio nihil habet ambiguitatis, & plurimū facit ad alendā in nobis diuinæ bonitatis & prouidentię fidem. Et reuera magnum est, quòd propter hominē condita sunt omnia: omniū uerò maximū ac prorsus stupendum est, quòd uerbū illud, per quod facta sunt omnia, incarnatū, atq; ita Deus ipse homo ad hoc factus est, ut homo ad creationis suę finē perduceretur, & diuinę naturę consortiū sempiterna cum felicitate coniunctū consequeretur. Locus ille Pro. 16. quo Salomō dicit: Omnia operatur Dominus propter semetipsum, & impium quoq; ad diem malū, nō est ad hanc creationis operationē adducendus. Loquitur enim Salomō illic nō de creatione, licet omnia propter semetipsum Deus ipse principiū & finis omniū condiderit: sed de prouidentia & gubernatione illius, qua omnia sic gubernat, etiam impiorum animos, ut ad gloriam suam faciant. Cauēdum igitur est, ne quis ex Salomonis uerbis malè intellectis & applicatis, colligat cōdidisse Deū impiū, ut impium. Nā impius ut impius nō est ex deo, sed ex patre diabolo: Ioan. 8.

DE CREATIONE ANGELORVM.

Nihil affirmādum sine sacris scripturis.

DEcet Christianum hominē ea modestia & cautio, ut nihil affirmet, nec si quis alius affirmauerit, incōsideratè recipiat, quod nō certo ueritatis testimonio è sacris literis desumpto cōfirmari queat. Sacræ scripturæ aūt de angelis nō tradūt ea quę scitu necessaria nō sunt, & magis ad curiositatē quàm pietatē faciunt. Tradunt autē ista. 1 Primùm esse angelos. De illo multa sunt testimonia, quæ quia passim occurrunt, non est necesse ut hic adferantur. Quapropter rectè dānantur Sadducæi, q negabāt esse angelos & spiritus: Act. 23.

Esse angelos. Angelos esse natura spiritus, officio angelos.

2 Deinde esse illos nātura spiritus, officio angelos, id est, nuncios. Aug. Psal. 103. Spiritus aūt angeli sunt: & cū spiritus sunt, nō sunt angeli. Cùm mittuntur, fiūt angeli. Angelus enim officij nomen est, non naturæ. Ex eo quod est, spiritus est: ex eo quod agit, angelus est. Qui facit angelos suos spiritus, inquit Propheta: hoc est, qui ex spiritibus facit nuncios suos. Et Ebr. 1. Omnes sunt administratorij spiritus, missi ad salutem electorum, &c.

Angelos esse nō ex Deo genitos, sed à deo creatos.

3 Tertiò, esse illos non ex Deo genitos, sicuti Christus unigenitus Dei, sed creatos à Deo ac factos, perinde atq; reliquæ creaturæ. Non esse eos genitos ex Deo sicut Christus, testatur Apostolus Ebr. 1. cùm dicit: Cui enim angelorum dixit aliquando, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. Quòd autem Iob 1. & 38. uocantur angeli filij Dei, non est intelligendum, quòd sint naturales filij dei, sicut Christus, qui solus naturalis est filius, ideoq; & unigenitus: sed quòd sint filij gratiæ & adoptionis, sicut omnes electi.

Esse autem eos creatos ac factos, testatur Propheta Psal. 148. dicens: Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes uirtutes eius. Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellę & lumen. Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ quæ supra cœlos sunt laudent nomē domini. Quia ipse dixit, & facta sunt: mādauit, & creata sunt. Postrema hac particula cū rationē reddit, quare dominū ea quę recēsuit, laudare debeāt, propterea uidelicet, quòd ab illo sunt

creata

creata & facta, satis declarat esse & angelos à Deo creatos & factos.

Quando autē creati sint, nusquam in sacris literis memoratur. creatos iam fuisse, cùm fundamenta terræ iacerentur, poterit ex eo quisquam suspicari, quod Iob 38. legitur ad hunc modum: Vbi eras quando ponebā fundamenta terræ? Indica mihi si habes intelligentiā. Quis posuit mensuras eius si nosti? uel, quis tetēdit super eam funiculum, super quo bases eius solidatæ sunt? Aut quis demisit lapidem angularem eius, cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? Verùm ex eo nondum satis conspicuū est, quando determinatè sint creati: sicuti nec illud traditur, unde sint, & quomodo conditi. Non est autem quod anxiè quisquā ista scrutetur, sed abundè satis est, quod hanc causam cōcernit, scire quòd sint creaturæ cœlestes & inuisibiles, natura spiritus, officiò angeli à Deo creati, ad hoc ut sint ministri electorum, & quòd de salute nostra gaudeant, Lucæ 15. animasq; beatorum transferāt, Lucæ 16. sintq; in die iudicij electos congregaturi, ac reprobos igni traditurī, Matth. 24. & 13. Athanasius in quæstionibus ad Antiochū, dicit Mosen studio noluisse de creatione angelorū in Genesi quicquam cōmemorare, διὰ τὸ φιλάλληλον καὶ πολυθέατον τῶν ἀνθρώπων, καὶ μάλιστα τῶν ἰουδαίων

Quādo creati sint angeli.

DE LAPSV ANGELORVM.

ESSE quosdam ex ordine angelico prolapsos, & ex bonis spiritib. malos effectos, non est ut quisquam ambigat. Nam præterquam quòd id per experientiam tot seculorum uerissimum esse patet, etiam Christus de capite illorum diabolo testatur, quòd in ueritate non perstiterit, Ioan. 8. Deinde hunc illorū lapsum per peccatum aliquod esse factum, ex uerbis Apostoli 2. Pet. 2. cōstat, ubi dicit: Si enim Deus angelis peccantib. non pepercit. Peccatū illorum nō transiit originaliter in eos, qui unà cum capite prolapsorum à Deo defecerūt, sicut Adæ peccatum totū mortalium genus infecit: sed quenq; illorum propria malicia perdidit, quotquot ex illo ordine perierunt. Quod autem sit illorum peccatum, nō exprimitur. Cōmuniter ac cusatur illorum superbia, quod aduersus Deum sese erexerint. Modus nō declaratur. Et illud Apostoli 1. Tim. 3. cùm dicit: Ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli. huc spectare uidetur, quòd iudicium diaboli, quo cœlitus deiectus est, superbię illius debeatur. Locus ille Esa. 14. ubi sic legitur: Detracta est ad inferos superbia tua, &c. Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui manè oriebaris, ac dicebas: In cœlū ascendam, supra astra dei exaltabo solium meū, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinē nubiū, similis ero altissimo: ueruntamē ad inferos detraheris, &c. absq; ulla cōtradictione uaticiniū habet de superbissimi Babyloniæ regis casu, qui tum futurus erat, quāuis de lapsu satanę exponatur à nōnullis. Non est aūt præter rationē, quòd sacra scriptura peccatū satanæ & reliquorū malorum spirituum, per quod à Deo defecerūt haud clarè ac perspicuè exprimit, sicut hominis peccatum & lapsum expressit. Quoniam enim nulla resipiscētia, nulla cōuersio, adeoq; & nulla salutis spes est angelis istis defectoribus ac reprobis, non erat ratio, ut peccatum illorum declararetur, sicut hominis expressum est peccatum, cui confestim non solùm pœna inflicta, sed simul & remedij proposita est promissio Et eò uidetur Apostolo respexisse, cū Ebr. 2. dicit, quòd nō angelos, sed semen Abrahæ in se susceperit Christus. Venit enim non angelos qui ceciderant, sed homines seruaturus: imò angelos illos malos perditurus. unde & clamabant Marci 1. Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti ante tempus perdere nos. Quòd autem nunquam sint saluandi, satis patet ex uerbis Christi, Matth. 25. cùm dicit: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.

Prolapsos esse quosdā ex ordine angelorū Peccato prolapsi sunt angeli.

Quod sit peccatū angelorū.

Lucifer ad inferos detractus.

Quare peccatum angelorū non sit expressum in scripturis.

Reprobi angeli nunquā saluandi.

DE CREATIONE HOMINIS.

IAM consequenter recto ordine ad opus Dei in creatione hominis considerandum progredimur: quæ cōsideratio post ea quæ de Deo cōditore omniū annotauimus, nō solùm proxima esse, sed & propriè ad hominem pertinere censeri debet. Quid enim magis propriè cōpetit homini, q̄ ut post creatorē suum seipsum cognoscat? Ad hanc cognitionem non solum id nos inuitat, quod ut Lactātius alicubi dicit: Magna uis est hominis, magna ratio, magnū sacramentū, ut non immeritò Plato naturæ gratias egerit, quòd homo natus esset, imò quòd post deū nihil homine sublimius, nihil excellētius conditum est: sed quòd nō modica portio salutis nostræ hoc requirit, ut nos ipsos cognoscamus, in quo etiam maximam sapientiæ partem sitam esse admonuerūt, qui illud γνῶθι σεαυτὸν, id est, cognosce teipsum, tanquā cœlitus delapsum passim inculcarunt. Quis autem ignorat ad cognitionem hominis cū primis requiri, ut humani generis originem & conditionem non ignoremus? Et spiritus sanctus singulari studio creationem hominis in sacris scripturis, ac diligētius quā cęterarū creaturarū expressit, dubio procul eam ob causam, ut uel ex origine generis nostri admoneremur uoluisse deū

Post cognitionem Dei rectè sequitur cognitio hominis.

Ad cognitionē hominis cū primis requiritur originis ipsius cognitio.

cùm hominem conderet, ſingulare quoddam opificium conſtituere, quod reliquis creatis lõgè præſtantius eſſet, & ad gloriam diuinitatis ſuæ longè propius accederet: deinde quòd originis noſtræ cognitio plurimum ad diuinæ ſapientiæ, bonitatis & potentiæ conſiderationẽ faceret, & quaſi principia quædam cœleſtis philoſophiæ contineret.

Seruãdus modus Vnde ſtatuendũ ſit de creatione hominis.

Arbitror autem & hoc loco requiri modum aliquem cognitionis, ne conſiderationẽ extendamus ultra ea quæ ad pietatis Chriſtianæ profectũ facere poſſunt. Quid de creatione hominis ſentiendum ſit homini pio, non poteſt melius ſtatui quàm ex inſtructione ſpiritus S. quam nobis ſacræ literæ proponunt. Sic enim excęcata eſt mens hominis, ut nec de cõditore ſuo, nec de ſeipſo rectè iudicare poſsit. Quapropter curandum eſt, ut quæ homini tã de ſeipſo, quàm de Deo creatore ſuo cognoſcenda ſunt, & indubitatò tenenda, ex ſacris ſcripturis potius quàm ex cogitationibus humanis petantur.

Philoſophorũ quidam humanum genus ab æterno fuiſſe putarunt.

Sunt autem ea quæ in ſacris ſcripturis tradũtur omni curioſitate reiecta ſic comparata, ut & captui noſtro & commoditati conueniant. Modica ſunt, ſed ſolida, ſed certa, ſed utilia, neceſſaria & conuenientia. De hominis itaq; creatione Gen. 1. & 2. iſta paucis traduntur. Primùm quòd factura ſit homo, perinde atq; reliqua creata. Factus eſt in tempore, non fuit ante tempus. Imò ſi originis noſtræ tempus conſideremus, quod & ipſum ſacra ſcriptura manifeſtat, quæuis creatura antiquior eſt homine. Quicquid autem factum eſt, ex ſeipſo nõ conſtat, ſed aliunde: & ut ex ſeipſo non eſt, ita quicquid habet, ex ſeipſo non habet, ſed ex eo à quo eſt factũ: nec cum fieret, efficere potuit ut aliud fieret uel deterius, uel melius, quàm quod eſt ſecundum factoris ſui uoluntatem factum: imò ne ad hoc quidẽ aliquid contulit, ut hoc ipſum quod eſt factum, fieret. Ita de homine quoq; ſentiendum eſt, quandoquidem & ille perinde atq; reliqua creata factus eſt, & totum quicquid eſt, & quicquid habet, in uoluntate, ſapientia & potentia factoris ſui ſitum fuit.

Homofactura.

Homo Dei factura.

Deinde, quoniam ipſa facti conſideratio confeſtim ad ipſum factorem cognoſcendũ progreditur, proximum eſt, ut de factore ac creatore hominis quęratur. Hunc ſacræ literę eundẽ aſsignant, à quo & reliqua omnia ſunt condita. Creauit Deus, inquit, hominem. Fabulantur gẽtilium literæ de Prometheo quodam, Deucalionis patre, quòd primus hominem finxerit. Finxerat ille non hominem, ſed hominis imaginem è luto: unde & author eſt plaſtices. Nos agnoſcimus generis noſtri conditorem Deum illum unicum & uerum, qui cœlum fecit & terram, & omnia quæ in illis ſunt uiſibilia & inuiſibilia, atq; ita confitemur ab illo eſſe quicquid ſumus & quicquid habemus: deinde rectè requiri, ut ab illo uno tãquam creatura à creatore ſuo in omnibus pendeamus. Iſraeli opprobratur in literis Moſaicis & propheticis, quòd factorem ſuum dereliquerit. Et Deus ipſe clamat, dicens; Ego uos feci qua in re ſatis declaratur quàm ſit cor hominis peruerſum, uſqueadeò ut à Deo factore ſuo deficiat.

Deucalion nõ hominem, ſed imaginem hominis finxit.

Deinde admonemur hac cognitione, ut quoniam eundem creatorem & factorem Deũ habemus omnes, ne quis opus illius uel in ſeipſo, uel in alijs calumnietur, dicẽs: Quare fecit ad hunc modum? Eſa. 45. ſic legimus: Væ qui contradicit factori ſuo teſta de Samijs terræ. Nunquid dicet lutum figulo ſuo, quid facis? Et Prouer. 14. Qui calumniatur egẽtem, exprobrat factori eius. Itaq; fides iſta, qua nos à Deo creatos eſſe credimus, hæc tria in cordibus noſtris operabitur. Primùm, ut à Deo creatore noſtro toto pectore pendeamus in omnibus. Secundùm, ut quiſq; ea ſit conditione contentus, imò illam cum gratiarum actione complectatur, ad quam eſt à creatore Deo conditus. Tertium, ut nemo proximi ſui conditionem quamuis uilem & humilem contemnat, ne cõmunem in illo creatorem ignominia afficiat.

Fides creatiõis quid operetur in nobis.

Vnde ſit homo factus.

Tertiò, nec hoc ſacræ ſcripturæ tacẽt, unde ſit factus homo. Gene. 2. ſic legimus: Formauit igitur dominus Deus hominẽ, puluerẽ de tellure uel humo. Ebraicè eſt עפר מן האדמה. Ecce materiam unde factus eſt homo. Quid autem uilius, quid leuius & inſtabilius puluere de humo, unde ne lateres quidem cõmodè fieri poſſent? Saltẽ è ſolida tellure conditus eſſet. Hic ortus generis noſtri monet nos omnes, ut illius reſpectu ſeruemus modeſtiam, ne dicatur nobis, Quid ſuperbis terra & cinis? Quid enim aliud eſt q̃ puluis cenſendum, quod factũ eſt ex puluere? Poterat ſpiritus S. dicere: Formauit dominus Deus hominẽ de tellure, uel de puluere: uerũ ut originis noſtræ uilitatẽ inculcet, uocat hominẽ è puluere factũ, puluerẽ de humo. Et Adę dicebat deꝰ: Puluis es, & in puluerẽ reuerteris. Nõ ſimpliciter dicebat, Ex puluere es, ſed puluis es. ne caro dicat, Quid igitur qđ ex puluere ſũ? Vndecũq; ſim, iã homo ſum, puluis nõ ſum, occurrit ſentẽtia dei cõditoris, dicẽs: Et è puluere es, & puluis etiãnũ es, et in puluerẽ reuerteris. pinde ac ſi ad glaciẽ ſupbientẽ dicas, Et aqua eras, & aqua es, & in aquã reſolueris.

Homo puluis de humo.

Quartò, & modus in ſacris literis legitur, quo factus eſt primus homo. Sic Gen. 2. legimus: Formauit igitur dominus Deus hominẽ, puluerem de humo, & inſpirauit in nares eius ſpiraculum uitæ, & factus eſt homo in animã uiuentem. Verbo formandi ſingularem diligentiam creandi hominis exprimit ſpiritus ſanctus. Deinde, ut exprimatur quam materiam formarit Deus, cum hominem conderet, ſubijcit: Puluerem de humo. Tertiò addit, Et inſpirauit in nares eius ſpiraculũ uitæ: quibus uerbis docet, quomodo forma corporis humani primũ è puluere formata, & adhuc inanimis, animata ac uiua ſit facta. Infudit illi opifex ſpiritũ ac flatum

Quomodo factus ſit homo.

(nam

(nam Ebr. est נשמת חיים) unde uiueret, atq; ita factus est in animam uiuentem, hoc est, cœpit uiuere homo iam animatus, qui antea puluis erat inanimis. Hęc de Adamo primo homine. Quomodo autem Heuah formata sit, eodem cap. consequenter ad hunc modum legitur: Immisit Dominus Deus soporem in Adam. Cumq; obdormiuisset, tulit unam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitq; Adam, Hoc nunc est os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc uocabitur uirago, quoniam de uiro sumpta est. Hæc ibi. Vtrobiq; satis innuitur, singulari consilio ac studio usum esse Deum in creãdo homine. Et iuxtà tamen uidere licet, quomodo spiritus sanctus admirabilem fingendi hominis modum, quo corpus unà cum membris suis tam externis quàm internis ossibus, uenis, neruis, cartilaginibus, uertebris, musculis, iuncturis & articulis, omnium conuenientissimè formatum, compactum, ornatum, & per animæ infusionem uiuificatũ est, tribus uerbis exprimat, cum dicit, Formauit, ædificauit, inspirauit: atque ita curiositatem nostram coerceat, quæ singula horum, quomodo, qua industria, qua uirtute, & quanto temporis spacio perfecta sint, cognoscere gestit, admonens nos, ut ea quæ paucis traduntur, debita cum religione teneamus, & factorem nostrum Deum agnoscamus & obseruemus.

Heuah

Formauit, ædificauit, inspirauit.

Quintò, & illud in sacris literis traditur, qualis factus sit homo. Quod attinet corporis figuram utriusq;, maris & fœminæ, staturam quoq;, & compositionem corporis & animæ, per se manifestum est, quales simus conditi. Quod uerò hominis naturam & dignitatem concernit, quoniam utraq; corrupta est, & primordiali qualitate priuata, qualis utraq; in primo homine fuerit, scire non possumus, nisi admonente nos ac docente spiritu sancto.

Qualis sit homo factus.

Qualis natura & dignitas hominis initio primi hominis fuerit, scirenõ possumus.

Naturæ aũt qualitatem hoc loco non intelligo corporales necessitates & affectus, quibus etiamnum obnoxij sumus, sed qualitatem illam originalis rectitudinis, quam primo homini Deus Eccl. 7. indidisse legitur. Sic enim dicit Ecclesiast. Solũ hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem ישר id est rectum. quod non est de corporis, sed animi rectitudine intelligendum, quam originalem iustitiam uocant, quæ in se complectitur cognitionem Dei creatoris, obedientiam, fidem & dilectionem, cùm Dei tum proximi, & libertatem rectę uoluntatis, unà cũ cæteris eius generis ornamentis.

Talis itaq; cum esset primus homo natura conditus, rectus uidelicet nõ corpore tantum, sed & animo, libero sic potiebatur arbitrio, ut Deo obedire posset, si uoluisset: ac rursus si noluisset peccare posset. Quamuis enim rectus & ad bonum liber esset cõditus, simul tamen in eo differebat ab angelis, quòd inordinatis potuit affectibus ad peccandum tentari, illisq; cõsentire, & à rectitudine originalis iustitiæ abduci: id quod in angelis locum non habet, qui post reproborum spirituum casum in ueritate Dei permanserunt.

Liberũ hominis arbitriũ.

De dignitate quoq; primi hominis testantur sacræ literæ, cum illum ad similitudinem & imaginem Dei factum esse tradunt. Faciamus, inquit Deus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & uolatilibus cœli, & bestijs uniuersæq; terræ, omniq; reptili quod mouetur in terra. Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum. & quæ illic sequuntur: Genes. 1.

De dignitate primi hominis

Hanc hominis dignitatem plerique ueterum ac recentiorum quoq;, de naturæ rectitudine, cuius mentionem fecimus, exponũt, ut imago Dei in homine fuerit, quòd à bestijs separatus ratione & interni hominis integritate ad diuinam naturam, sapientiam & iustitiam propius accesit. Verũ licet ista expositio non sit prorsus abijcienda, manifestum tamẽ est ex ipsis uerbis sacrę scripturæ sic esse hominem ad imaginem Dei conditũ, ut instar Dei in terris esset, & omnia pedib. suis subiecta haberet. Quid enim aliud est quod dicit, Et creauit Deus hominẽ ad imaginem & similitudinem suã, quàm quod sequitur, Ad imaginem Dei creauit illum? In Ebręo est בצלם אלהים Ad imaginem autem Dei creatum esse, est instar Dei cuiusdam esse cõstitutum. Vnde magistratus ac principes אלהים id est, dij ac potẽtes in scripturis uocãtur. Et hæc imago Dei homini concessa non excludit interni hominis rectitudinem, quę ad hanc retinendã sic est necessaria, ut sine illa homo Princeps nihil differat à truculẽta bestia, nisi quòd forsan ad perficiendam tyrannidis suæ malitiam plus adfert astutiæ ac uersutię. Expositionẽ hanc dignitatis humanæ, secundum quam ad imaginem Dei conditus est, manifestè posuit Chrysostomus super Genes. cap. 1. & Augustinus alicubi contra Manichæos disputans.

Tertullianus alicubi imaginem Dei intelligit de libero hominis arbitrio.

De Genesi contra Manich. li. 1. cap. 17.

Et Apostolus 1. Cor. 11. cum dicit: Vir quidem non debet uelare caput suum, quoniam imago & gloria Dei est, mulier autem gloria uiri est: manifestè inter uirum & mulierem sic distinguit, ut uirum quidem conditum esse dicat ad imaginem dei, mulierem uerò ad gloriam uiri: id quod non potest de interni hominis rectitudine & iustitia tãtum intelligi, cuius mulier in Domino unà cum uiro particeps esse dignoscitur, sed omnino intelligendum est de dominij dignitate, quam uiro concessam statim initiò, mulieri uerò negatam esse constat.

Ad hanc dignitatem imaginis Dei pertinebat & illud, quòd Adam postquã conditus esset in paradisum uoluptatis, locum uidelicet præ omnib. alijs totius terræ mansionibus, eximiũ ac præstantiorem collocatus legitur, & quòd omnibus animantibus, uolucrib. ac bestijs ter-

rę nomina imposuit. Quid enim ista aliud arguunt, quàm dominum ac principẽ totius terręꝰ?

Epilogus præsentis loci.

Disputatur de multis alijs ad statum pertinentibus, quem primi parentes in paradiso habuerint, & nisi peccassent, habituri fuissent: uerùm ista sacrarum literarum candidatis & certiora sunt & conducibiliora, ut breuiter teneant, factum esse hominem, deinde à deo factum, tertiò è puluere terræ factum, quartò singulari studio dei conditum, quintò, & natura & dignitate cunctis reliquis creatis præstantiorem, & ad imaginem dei esse creatum ac sublimatum, quę si rectè considerentur, amplissimam habẽt Christianæ philosophiæ materiam, & ad hoc conducent, ut originis nostræ considerațione modesti reddamur, & cognita primorum parentum rectitudine ac dignitate penitius intelligamus quid in illis amiserimus, & in Christo secundo Adamo regenerationis nostrę authore non sine grandi lucro recuperauerimus.

DE ANIMA.

VIderi poterit ipse hoc tractatus nostri ordo requirere, ut & de anima considerationem aliquam subijciamus. Verùm meo iudicio satius est abstinere ab eius rei inquisitione, in qua propter obscuritatẽ, infinitæ quæstiones moueri solent: utpote, 1 Quid sit anima hominis. Substantia ne, uel harmonia quædam, uel quatuor humorum temperies, uel numerus ex atomis conflatus, uel entelechia Aristotelica. Et si substantia sit, corporea ne sit uel incorporea, spiritus ne uel sanguis. 2 Deinde unde sit. Ex creatione ne uel trãsfusione, uel ex substãtia dei, aut ex nihilo uel substantia aliqua spirituali. 3 Deniq; quãdo creata sit, an olim simul omnes, uel an infundendo creetur. 4 Itẽ plures ne sint in uno corpore, uel una tantum. 5 Ad hæc simplex ne sit uel cõposita. Quæ illius partes, quæ uires, qui gradus operationum. 6 Vbi sedem habeat in corpore, & quomodo nulla parte corporis contineatur, & tamẽ sit in omnibus. 7 Quomodo unita sit corpori. An inquinationẽ accipiat ex corpore, uel corpus ex ipsa. 8 An morte corporis intereat, uel minus. 9 Et quales sint post mortem, quidq; operentur, & quò migrent, in cœlos ne uel paradisum, uel an mutentur in dęmones, aut migrẽt in alia corpora: & num sentiant res uiuentiũ, possintq; illis adesse & succurrere, & quæ alia sunt huiusmodi, de quibus magna curiositate, inextricabili obscuritate, & confusissima uarietate disputatur. Quid autẽm discriminis sit inter animã, mentem, & spiritum, alibi aliquoties annotauimus. Nobis cõuenit etiam hac in re nihil sapere ultra ea, quę traduntur in sacris & canonicis scripturis. Quapropter relicta hac inquisitione ad lapsum hominis considerandum progrediamur.

DE LAPSV HOMINIS.

Corruptio naturæ nostræ genus humanum prolapsum esse testatur.

QVEMADMODVM creationi angelorũ de lapsu reproborũ spirituũ subiecimus, ita consequẽs uidetur hoc loco, ut post hominis creationẽ de casu quoque illius uideamus. Esse enim illum prolapsum, & originali iustitia pariter & dignitate priuatũ, imò in ærumnas innumeras coniectum, ipsa naturæ humanæ malitia, corruptio ac deprauatio de seipsa manifestissimè testatur. Nemo autem cordatus dicturus est, quòd talem cõdiderit deus hominem, qualem se quisq;, nisi per hypocrisim mentiri uelit, reperit, & esse cognoscit. Et quoniam ista corruptio non est quorundam tantum mortalium, sed cõmuniter omnium, & sic uniuersalis, ut ipsa generis nostri natura infecta deprehendatur, necesse est originem illius esse ex primo homine, unde & reliqua naturæ nostræ cognata cõtinua propagatione promanant. Quapropter indubitatò conuincitur, primos parentes nostros lapsu aliquo naturæ humanæ puritatem, integritatem, rectitudinem, firmitatem & dignitatem amisisse, & hanc deprauationem & corruptionem, cui obnoxij sumus omnes illorum posteri, contraxisse.

Quare considerãdus sit hominis lapsus.

Itaq; quoniam omnino constat, prolapsum esse genus humanum in ipso suo exordio, nec fieri potest, ut reparatio illius quæ per Christũ est, rectè intelligatur & pro dignitate æstimetur, nisi lapsus ille, qui præcesit, ritè cognoscatur, operæprecium est, ut illum aliquatenus saltem inspiciamus. Videbimus aũt ista ex ordine: 1 Quis nam fuerit ille lapsus. 2 Quę sit illius uis & operatio, & pœna. 3 Cui imputetur. 4 Quo consilio Dei ad eum modum prolapsus sit homo.

I. QVIS FVERIT PRIMI *hominis lapsus.*

Historia originalis peccati.

LApsum primi hominis sacra scriptura clarè ac perspicuè commemorat, ut gloria gratiæ dei in reparatione illius elucescat. Legimus historiã illius Gen. 2. & 3. cap. Secundo cap. ad hunc modum: Tulit ergo dominus deus hominem, & posuit eum in paradisum uoluptatis, ut operaretur & custodiret illum. Præcepitq; ei dicẽs: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientię bõni & mali ne comedas. In quacunq; enim die comederis ex eo,

morte

morte morieris. Tertio capite ſtatim initiò iſta ſequuntur: Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit uobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradiſi? Cui reſpondet mulier: De fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo ueſcimur, de fructu uerò ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tãgeremus illud, ne fortè moriamur. Dixit autem ſerpens ad mulierem, Nequaquã morte moriemini. Scit enim Deus, quòd quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi ueſtri, & eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum. Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad ueſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditq; uiro ſuo, qui comedit, &c.

Hiſtoriæ huius duæ ſunt partes.

Hæc eſt hiſtoria prolapſi generis humani, cuius duę ſunt partes. Vna præceptum Dei, altera præcepti tranſgreſsionem complectens, unde conſtat lapſum primi hominis eſſe tranſgreſſionem mandati diuini. Quæ hoc minus habet excuſationis, quo mandatum Dei plus habet facilitatis & indulgentiæ. Etenim, quis non uidet omnium fuiſſe facillimum in tanta totius paradiſi fructuum copia, ab unius arboris abſtinere contactu? Erat enim illis omniũ reliquorum fructuum uſus expreſſe conceſſus, dicẽte domino, Ex omni ligno paradiſi comede. Erat locus ille in quo manebant, hortus uoluptatis, tam aberat, ut neceſsitati naturæ non ſufficeret. Et ipſa arbor uitæ non erat prohibita. Magna ſcilicet indulgentia Dei, magna etiam ſeruandi præcepti facilitas, præſertim homini nondum concupiſcentiarum ſeruo, ſed adhuc libero & integro. Iam præterea expende & modum tranſgreſsionis, qui & ipſe peccatum inobediẽtiæ aggrauat. 1 Primũ, fatetur mulier, licere ipſis, ut de quauis arbore paradiſi ueſcantur, una illa dempta, quæ erat uetita. De fructu lignorũ, id eſt arborũ, inquit, quæ ſunt in paradiſo, ueſcimur. Ecce indulgentiam creatoris. 2 Deinde & præceptũ Dei nouit & recitat. De fructu uerò, inquit, arboris, quę eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus. 3 Tertiò & cõminationem pœnæ non uulgaris & contemnendæ, ſed ſingularis, & ipſi naturę horrendæ non ignorat, nec diſsimulat etiam, ſed diſertè fatetur & edicit: Ne fortè moriamur, inquit. Vbi uocula Fortè obſeruanda eſt animum prodens, de diuinæ comminationis certitudine nõnihil hæſitantem, quæ hæſitatio tentationi Serpentis uiam aperuit, & audaciam uerbo Dei contradicendi, & Deum malæ fidei accuſandi confirmauit, unde & confidenter regeſsit ſerpens, Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quòd quacunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi ueſtri, & eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum. 4 Quartò & illud accedit, quod dicit: Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad ueſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit. Nulla hic famis, nulla neceſsitatis mẽtio. Delectatio guſtus, & oculorum illecebræ, animum inconſtantem in obedientia Dei, & uerbis Serpentis magis quàm comminationi Dei credentem ad præcepti diuini tranſgreſsionem non dico impulerunt, ſed ultro propendentem illexerunt. 5 Quintò, neque poſt commiſſum peccatum in ſe reuerſa, quid deliquerit agnouit ac doluit, ſed etiam Adæ uiro ſuo uetitum fructum exhibuit, & peccatum commiſſum auxit. 6 Sextò. Et ipſe Adam, cui maior competebat cautio, cuius animus in fide & obedientia uerbi Dei confirmatior eſſe debebat, uerbis uxoris inductus, & mandati diuini oblitus, accepit & comedit.

Modus tranſgreſsionis.

Hæc deſcriptio peccati primorum noſtrorum parentum, & circumſtantiarum conſideratio, quid quæſo excuſationis admittit, quo diuini præcepti tranſgreſsio uel aliquouſq; extenuari queat? Quis non uidet illius omnia ſic eſſe comparata, ut omnibus modis & iuſticiam Dei commendare, & peccatum parentum noſtrorum condemnare cogamur?

II. QVAE SIT VIS, OPERATIO ET PŒNA PECCATI PRIMORUM NOSTRORUM PARENTUM.

Diſtinguendũ eſſe inter efficaciam & pœnã peccati originalis.

SI tranſgreſsio illa diuini mandati, qua generis noſtri parentes aduerſus Deum ſtatim initiò peccauerunt, ipſo actu tranſiſſet, non eſſet niſi de pœna dicendum, quam propter illã diuinitus inflictam eſſe legimus. Iam uerò, quoniã non ſic tranſijt actu, ut nihil detrimenti naturæ humanæ intulerit, perſpicuum eſt, operationem ac uim mali huius diſtinguendam eſſe à pœna, quam & ſeorſum in ſcripturis expreſſam uidemus. Quamuis nolim anxiè aduerſum eos diſceptare, qui etiam ea quę uis mali huius in humana natura operatur, pœnam peccati uocant. Attamen meo iudicio, ſatius eſt ut diſtinctionem eorum malorum retineamus, quæ propter tranſgreſsionem illam genus humanũ in primis noſtris maioribus contraxit.

Quid dãni intulerit hoc peccatum Adæ.

Nemo autem putet malitiã huius peccati adeò eſſe operatione & efficacia ſua tenuem ac modicam, ut cogitationibus noſtris cõprehendi queat. Eſt enim abyſſus huius malitiæ prorſus inſcrutabilis. Quapropter nõ niſi de manifeſtioribus loquemur, uidebimuſq; quid boni peccatum hoc Adæ ademerit, & quid mali intulerit.

Innocentiæ bonum amiſſum.

1 Principiò, erat Adę ſtatus innocentię talis, ut de nuditate ſua, utpote nulli turpitudini obnoxia, haudquaquam ante peccatum erubeſceret: quale eſt quod in paruulis uidemus. Id bo

ni amisit, mox atq; de uetitæ scientiæ fructu comedisset. Sic scriptura dicit: Qui comedit, & aperti sunt oculi amborum. Cumq; cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Et ad Deum respondebat Adam dicens: Vocem tuam audiui, & timui, eo quòd nudus essem, & abscondi me. Hũc pudorem intulit peccatum, fecitq; ut turpe uideretur, quod antea nihil turpitudinis habuerat. Sic uiolatum est magnum illud innocentię bonum, & primordia iacta innumerarum calamitatũ & miseriarum: cuius rei exemplum quotidie in paruulis cernimus, qui nunquam sunt feliciores, quàm dum quasi in paradiso uersantes, & curis omnibus liberi, de nuditate sua nullo pudore tanguntur: quib. mox ubi rationis luce crescente, perinde ac si de pomo uetito comedissent, oculi ad erubescendum aperiũtur, omnis generis molestiæ cateruatim accurrunt: ut uerum sit & hic illud Salomonis dictum: Qui addit scientiam, addit & laborem. Itaq; quid hic amiserit Adam, quis satis expenderit?

Syncerę cõscientię bonũ amissum, & timor à facie Dei inflictus.

2 Deinde ante peccatum uersabatur Adam pura & illibata conscientia coram Deo, nec sibi à uoce Dei timebat, cui iam erat absq; ullo pauore assuetus. Hanc illi conscientiæ synceritatem, & intrepidam diuinæ uocis familiaritatẽ transgressio mandati ademit, & uicissim morsum conscientiæ, & timorem ac pauorem à facie Dei inflixit. Ideo cum uocem Dei in paradiso deambulantis audisset, abscondit se in medio ligni, quod erat in paradiso, & uocanti Domino, ac dicenti, Vbi es Adam? respondit: Vocem tuam domine audiui in paradiso, & timui. Quantum autem sit bonæ conscientiæ, & intrepidæ familiaritatis cum Deo bonum, utinam reipsa experiamur omnes. Quantum mali & molestiæ adferat morsus & pauor conscientiæ pravæ, nec illud norunt, nisi qui reipsa experiuntur.

Integritas animi corrupta.

3 Tertiò, animus Adæ ante peccatum erat ישר id est, rectus & integer, amans boni, recti & æqui: uerùm post peccatum integritatem illam mentis amisit, & factus est hypocrita, idq; cõfestim etiam erga deum declarauit. Quid enim aliud agebat quàm hypocritam, cum diceret, Audiui uocem tuam in paradiso, & timui, eo quòd nudus essem? Quare nõ dicebat, Eo quòd mandatum tuum transgressus sum, & comedi de pomo uetito? Deinde cum transgressionis à Domino accusatus, culpam à se in uxorem transferens diceret: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi: utiq; hypocritam agebat, & à rectitudine & æquitate syncerę mentis discedebat. Quare non potius dicebat: Peccaui Domine, ignosce? Consimiliter & Eua peccatum transferebat in serpentem, & ipsa à simplicitate ac rectitudine pristinę mentis abducta.

Liberum arbitriũ amissum.

4 Quartò, erat Adam antequã peccasset, arbitrio libero, nulli uiolẽtiæ nec Satanæ nec peccati obnoxius. Poterat alienus manere à contagione peccati, & animi sui rectitudinẽ illęsam conseruare, & iusticiam, quam naturaliter insitam habebat, illibatam cõstanter retinere, si rationem illius habere uoluisset: uerùm ubi peccauit, libertatem illam recti & ordinati arbitrij amisit, & iuxta Seruatoris dictum, factus est peccati seruus, ac subiectus omnis generis pravis & illicitis concupiscentijs: ut rectè dicat August. in Enchiridio suo ad Laurentium cap. 30. Libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit & ipsum, scilicet liberum arbitrium.

DE POENA PECCATI TRANSGRESSORI Adæ inflicta.

HActenus quædam obiter recensui, quę operationem & uim peccati Adæ concernunt, iam uidendum est de pœna à deo expresse inflicta, quæ in scripturis Gen. 3. declaratur.

Maledictio tellus in opere hominis.

1 Principiò, Maledicta sit inquit, terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea, cunctis diebus uitæ tuæ spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore uultus tui uescęris pane tuo. Ergo ante peccatum absq; ullo labore & molestia potuit uiuere Adam. Et cultui respondura erat terra cum benedictione, à Domino accepta: post peccatũ uero, subiecta est terra maledictioni, ut quantumuis cum labore colatur, spinas tamen & tribulos proferat, & uiuendum erat Adæ ex laboribus & sudore.

Dignitas primi hominis amissa.

2 Deinde, potestas illa & dignitas, qua supra cuncta quæ in terra & in mari sunt, exaltatus fuerat, post peccatum est amissa. Nam ut ipse inobediens factus erat diuinæ uoluntati, ita & iusto iudicio Dei factum est, ut amitteret eorum obedientiam, quę ipsi fuerant subiecta, & loco dignitatis, paradiso uidelicet, simul excluderetur. Quicquid adhuc reliquum est obedientiæ in creaturis inferioribus, uel est coactum, uel studio & arte acquisitum.

Corruptio & mors inflicta.

3 Tertiò, ante peccatum patebat aditus ad lignum uitę, & erat corpus Adę, nec morbis nec corruptioni, nec morti subiectum: post uerò, factum est corruptioni, morbis & morti obnoxium. Donec reuertaris in terram, inquit, de qua sumptus es. Quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Illa reuersio ad terrã & pulucrem, corruptione & morte perficitur. Et aditus ligni uitæ sic est occlusus, ut necesse fuerit transgressorem morte succumbere.

Natura ipsorum infecta, & perdita.

Hæc omnia euenerunt primis nostris parentibus: primùm ex operatione & uiolentia peccati, deinde ex pœna diuinitus inflicta. His accessit, quòd mala ista non solum illis adhæserunt qui peccarunt, sed & naturam illorum sic infecerunt, ut uelut ex infecta radice, in omnes

illorum

illorum posteros ad finem usq; mundi sint transmissa & propagata. Vnde & factum est, ut sicut omnis caro ex Adamo descendens peccati est contagione naturaliter infecta: ita sit etiam mortis subiecta sententiæ & corruptioni, cum omnis generis miserijs ac molestijs obnoxia, sic ut etiam unius diei infans & peccato huic & morti subiectus existat.

Testimonia sacræ scripturæ.

De hac naturali infectione & corruptione generis nostri testantur sacræ scripturæ. Genesis octauo: Cuncta cogitatio cordis humani ad malum tantum propendet à pueritia. Et Apostolus: Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt, & nec potest quidem. Item: Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum, & legi non subijcitur. Et: Sentio legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Et Hierem. decimoseptimo: Prauum est cor hominis, & inscrutabile. Et Dauid Psalmo quinquagesimo primo: Ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea. Huic corruptioni carnem generis nostri inficienti cohæret & mortis sententia, & ira Dei. Hac de re testatur Apostolus Romanorum quinto: Vnius delicto, inquit, omnes moriuntur. Et mors peruasit in omnes, quia omnes peccauerunt. Per unum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors, &cætera. Et Ephes. 2. Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. Excluſit nos ista naturæ contagio & corruptio à gratia & communicatione Dei. Vnde est quod Christus dicit Ioannis tertio, Nisi quis renatus fuerit è supernis, non potest uidere regnum Dei: quibus uerbis satis indicat, primam natiuitatem, quæ ex Adamo est, esse sic corruptam ac deprauatam, ut nisi regeneretur homo cœlitus, regni Dei particeps esse nequeat.

Epilogus huius loci.

Tanta est igitur peccati malicia, uis & operatio, ut totum genus humanum in ipsa illius origine, & naturæ primordijs, synceritate bonæ cõscientiæ, fiducia erga Deũ, rectitudine iustitiæ, libertate arbitrij ad bonum, tranquillitate uitæ, dignitate imaginis Dei & dominij, naturæ quoque incorruptione & immortalitate priuauerit, & hypocrisi infectum, prauũ, ad quæuis mala pronum, ac peccati seruum, iræ Dei, corruptioni, innumeris molestijs, & morti non corporis tantum, sed & æternæ obnoxium reddiderit. Itaque Apuleius ille Platonicus, cum hominem describeret, oculos in istam generis nostri corruptionem intendisse uidetur, licet originem illius ignorauerit. Homines, inquit, ratione plaudentes, oratione pollentes, immortalibus animis, moribundis membris, leuibus & anxijs mentibus, brutis & obnoxijs corporibus, dissimilibus moribus, similibus erroribus, peruicaci audacia, pertinaci spe, casso labore, fortuna caduca, singillatim mortales, cuncti tamen in uniuerso genere perpetui, uicissim sufficienda prole mutabiles, uolucri tempore, tarda sapientia, cita morte, querula uita, terras incolunt. Hæc ille.

Vide Augu. de Ciuit. Dei lib. 9. cap. 8.

III. CVI IMPVTETVR HVmani generis lapsus.

COnsiderationem hanc nemo putet esse superfluã & curiosam. Est enim ad hoc necessaria, ut origo mali perspicua reddatur. Et aliquot sacrarum scripturarũ loci requirũt, ut hæc quoque quæstio inuestigetur.

1 Expendamus igitur quæ hic concurrant. Historia lapsus huius meminit serpentis, Euæ, Adæ. Serpens suasit, Eua suasu serpentis circumuenta, prima peccauit, deinde & Adę marito peccandi occasionem subministrauit. Quæritur ergo, cui nam ex tribus istis humani generis corruptio ac perditio imputari debeat. Sapientiæ 2. locus est, qui uidetur hoc malum imputare Satanæ, cuius organum fuit serpens. Nam illic sic legimus: Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Et ne excusemus non esse huic libro authoritatẽ canonis, occurrit locus Ioannis in priore Epistola cap. 3. ubi sic legimus: Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniã ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, ut dissoluat opera Diaboli. Duobus hisce locis uidetur Diabolus author peccati & mortis, adeoq; & perditionis generis nostri constitui.

2 Deinde Ecclesiastici 25. sic legimus: A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur. Vnde & Tertullianus de habitu muliebri, mulierem uocat primã diuinæ legis desertricem, uetitæ arboris resignatricem, ac Diaboli ianuam. Et Apostolus primæ Timoth. 2. Adam, inquit, non est seductus, sed mulier seducta in præuaricatione fuit. Hi duo loci scripturæ imputant mulieri perditionis nostræ primordia.

3 Tertio, 1. Corinth. 15. cum Apostolus dicit, Sicut in Adam omnes moriuntur, &c. Et Rom. 5. Regnauit mors ab Adam usq; ad Mosen, &c. significari uidetur principium, originẽ & causam mali huius esse ex Adamo. Videndum igitur, quid ex hisce locis sacrarum scripturarũ certò statui possit, & quomodo intelligendi sint, ne à se inuicem discrepare uideantur.

Principiũ peccati ex Diabolo.

Sunt hac in re duo consideranda. Principium uidelicet peccati, & propagatio. Si de principio quæratur in genere, unde peccatum cœperit: hoc est, quæ creatura omnino prima peccarit, & alijs peccandi occasionẽ subministrauerit, rectè Ioannes dicit, peccatũ esse ex Diabolo, & illũ ab initio peccasse. Nã & ante hominẽ peccauit, unde & proiectus à Deo est, & homini

Quis hominũ primus peccauerit.

postea per ministerium serpentis peccandi occasionem obiecit. Si uerò quæratur de eo, quis hominũ primus peccauerit, non potest assignari nisi Euah. Nam illa à serpente seducta est, & prima fuit in præuaricatione, sicut Apostolus meminit: ut rectè Sapiens dicat, A muliere initium factũ est peccati, & per illã omnes morimur. Ob id uidelicet, quòd non solũ prima peccauit, sed & Adæ persuasit, ut ipse quoq; peccaret. Hæc de principio peccati.

Propagatio peccati ex Adamo.

Deinde si quæratur de propagatione peccati, per quam malum hoc totum genus humanũ peruasit, infecit, corrupit, & morti obnoxium reddidit, audiendus est Apostolus, qui propagationem hanc, nec Diabolo, nec mulieri, sed Adamo deputat. Nec diabolus in Euam, nec Eua in Adamum, peccatum propagatione generis trãsmisit, sed persuasione. Nam serpens mulierem, mulier uirum suadendo corrupit. At uir peccato corruptus, uenenum illius naturali propagatione in omnem à se descendentem posteritatem trãstudit. Licet igitur initium peccati factum sit à Diabolo, & ab illo Euah seducta ante Adamum peccarit, haudquaquã tamen ipsa humani generis natura peccato illo sic infecta fuisset, ut malum cum ipsa carnis propagatione posteritatem omnem corrumperet, peccatoq; ac morti obnoxiam redderet, si Adam non peccasset. Nam ad uirum, nõ ad mulierem pertinet posteritatis successio ac propagatio, quam causam & Origenes in hac quæstione assignat. Et ipsa circumcisio præputij hanc sententiam luculenter confirmat, admonens humani generis corruptionem ac deprauationem, quę carnis successione & natiuitate propagatur in omnes posteros, esse ex semine uiri. Vnde & Christum, ne peccati particeps nasceretur, non ex semine uiri, sed operante spiritu sancto in utero uirginis concipi & nasci oportuit.

Ad hunc modum, opinor, satis est manifestum, lapsum humani generis licet in culpa illius communicent & serpens & Euah & Adam: rectè tamen, quod propagationẽ peccati & mortis attinet, nec serpenti, nec mulieri, sed Adæ imputari: cui etiam dicebat Deus, Quoniam audisti uocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, &c. in terram reuerteris. quam mortis sententiam non protulisset, nisi Adam peccatum à muliere cœptum, tanquam caput mulieris, absoluisset. Quod autem Apostolus dicit, Adam non est deceptus, sed mulier seducta est, &c. nõ sic est intelligendum, quòd Adam non peccarit, sed quòd uerbis serpentis non sit seductus, sicuti mulier. Interea tamen licet non esset per serpentem deceptus, quoniam mulieris uocẽ audiuit, & comedit: factus est mandati diuini transgressor, peccati à muliere cœpti consummator, ac totius huius mali propagator, cuius propagationis argumentum omnium manifestissimum in primogenito eius Cain exhibitum est.

Quomodo Adam non sit seductus.

IIII. QVO CONSILIO DEI PROLAPSVM *sit genus humanum in Adamo.*

1 Præsciuit Deus lapsurũ hominem.

NOn sunt uiæ Dei similes uijs hominum, ut putandum sit illi accidisse, quod nobis quotidie usuuenit, quibus consilia & facta subinde longè aliter cadunt, quàm institueramus. Condidit hominem ad imaginem suam, rectum & integrum. Huic quid per serpentis esset suadelam euenturum, quis adeò excors est, qui dicat ipsum haud præuidisse? Rectè ergo communiter omnes in eo consentiunt, peccatum Adæ fuisse Deo ab æterno præuisum ac præscitum. Ergo lapsus iste generis humani non sic accidit, ut esset præter mẽtem ac sententiam conditoris: hoc est, ut falsus sit conditor in opere suo, quasi illud aliter ceciderit, quàm constituerit: & ut ille ait, cum amphoram instituisset, currente rota exierit urceus, sicut mortalibus nobis usuuenit, propter ignorantiam rerum futurarum, qua fit ut pater de filio suo ignarus sit, qualis nam sit futurus, & quamuis bene speret, summaq; illum diligentia rectè instituat, frequenter tamen accidat, ut præter opinionem in illo experiatur admodũ contraria probitati. Nihil tale accidisse Deo constituendum est ante omnia.

Præscientia Dei nõ fuit sine certo consilio.

2 Deinde, ut ulterius progrediamur, arbitror & illud citra ullam esse hæsitationem statuendum, præscientiam illam Dei de futuro hominis lapsu non fuisse sine certo consilio. Etenim cum constet illum præuidisse quid futurum esset humano generi, proximum est, ut illud quoque statuamus, potuerit ne lapsum hunc impedire, uel secus. Nemo dicturus est quòd nõ potuerit. Potuit conatus Satanæ reprimere, ne hominem tentaret. Potuit animum hominis sic formare, ut peccare non posset: qualis est ea gratia, qua post lapsum angelorum reliqui cœlestes spiritus sic sunt confirmati, ut peccare non possint, & quales nos quoq; post hanc uitam in cœlestibus futuri sumus. Potuit inquam ista, uerùm nihil illorum fecit. Permisit Satanæ ut tentaret, & homini libertatem hanc permisit, ut utrum uellet, sibine uel serpenti obedire, id faceret. 3 Iam consequenter, quoniam non impediuit, cum posset, arbitror & de eo nihil esse ambigendum, quòd ideo non impediuerit, quòd impedire nollet. Etenim si uoluisset, cũ posset, quid rationis fuisset, quo minus impediuisset? 4 Si de eo constat, quòd cum posset, noluerit, omnino cõsequitur, quod nõ sine causa noluerit. Etenim in Deo nec uelle nec nolle ociosum est, sed summa cũ sapiẽtia, & omniũ iustissima ratione coniunctũ. 5 Si causa aliqua fuit, bona fuerit oportet. Ergo boni alicuius respectu lapsum hũc generis nostri impedire nõ luit.

Potuit Deus lapsum hominis impedire.

Ideo non impediuit, quia noluit.

Non sine causa noluit.

Bonam ob causam noluit.

luit. 6 Vltrà quæritur ergo, bonum hoc an non alicuius consilio & prædestinatione antea constitutum ac quæsitũ: uel, an sine ullius cõsilio & studio ueluti casu quodam ex rerum circumstantijs euenturum, & quod sic euenturum esset, à Deo fuerit præuisum. Opinor neminem cordatum dicturum, quòd fortuitò, sine ullius consilio ac destinato futurum fuerit.

Bonũ illud, cuius respectu homine prolabi permisit, fuerit ne studio alicuius quæsitũ, uel fortuitum.

7 Cuius igitur consilium hoc, studium ac destinatum fuit? Serpentis utique non fuit, nec Satanæ, à quo ille impellebatur. Nec dicendum est quòd uel Euæ fuerit uel Adæ, qui nihil huius intellexerunt. Fuit ergo Dei.

Quo consilio Deus hominẽ peccare permiserit.

8 Nascitur itaque quæstio, quomodo Deus, cum omnium sit iustissimus, non sic ex destinato consilio ac studio disposuerit humanæ naturæ primordia, ne peccato & morti fierent obnoxia. Ad id sic respondendum arbitror: Generis nostri primordia sic à Deo rectè & integrè sunt constituta, ut nihil in illis fuerit, quod malum esset & iniquum. Fecit hominem rectum, dedit illi liberum arbitrium, ut bonum facere, malum uitare posset, modò uellet. Collocauit eum in locum amœnissimum, constituit dominum omniũ quæ in terra sunt & in mari. Adiecit mandatum. Nihil iniqui erat, creatorem præcipere creaturæ suæ, & quid uitare deberet præscribere. Deinde mandatum erat non arduum & impossibile, sed præstitu possibile, imò & facile. Prædixit disertè quid futurum esset, si mandati legem transgrederetur. Quod igitur homo rectè conditus, & singulari dignitate cohonestatus acceptum à Deo mandatum, quòd facillimè seruare poterat, tam est leui motu transgressus, nihil planè in se habet, quod aliquam Deo possit impingere culpam: sed tale est, ut magis hominis leuitatem ac uanitatem condemnet. Deniq; quod peccatum admissum genus humanum tanta corruptione, deprauatione ac morte perdidit, neq; ipsum tale est, quod Deo imputari debeat, sed magis sic est cõparatum, ut in illo iustitia Dei reluceat.

Quod homo peccauit, & genus humanum perdidit, sine culpa Dei factum est.

Quòd autem ista sine ulla sua culpa ad hunc modum disposuit, ut ad bonum aliquẽ finem tenderent, quis adeò insanus est, ut id uitio uertat creatori omnium sapientissimo & iustissimo? Absit igitur, ut dicamus ista citra præscientiam & consilium Dei euenisse. Absit, ut dicamus illi non licuisse in opere ipsius, quod figulo licet in suo.

Quod nã fuerit illud bonũ, cuius prospectu de humani generis lapsum sic disposuit.

Hactenus facilis est & certa præsentis loci consideratio. Id uerò quęstionem habet admodum arduam & obscuram, quodnam fuerit illud bonum, cuius prospectu Deus humani generis lapsum cum posset, non impedierit. Id facilè intelligimus, non sine singulari ratione factum esse, quòd præcipua illa duo & suprema creaturarum genera, angelorũ uidelicet & hominum, de statu rectitudinis prolapsa sunt, cum inferioris ordinis creata in ordine suo permanserint: deinde, nec illud præter rationem esse factum, quòd peccatum angelorum in sola imitatione constitit, & non totum ordinem propagatione angelicæ naturę, quæ angelis non est imposita, infecit, sed partem duntaxat illius deiecit: hominis uerò peccatum, non imitatione aliquam tantum humani generis partem, sed propagatione uniuersam illius naturam corrupit ac perdidit. Inscrutabilia quidem sunt iudicia dei omnibus illis, quibus ea nulla reuelatione manifestantur: uerùm qui in Christo sunt, & per spiritum Christi illuminantur, illi sanè etsi non omnia, aliqua tamen iuxta cognitionem Christi, qua sunt imbuti, uidere possunt: è quibus est Apostolus selectus ille secretorum dei mystes. Huius uox est Roman. undecimo: Conclusit Deus omnes sub incredulitatem, ut omnium misereatur. Et Galat. 3. Conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi detur credentibus. Et Ephes. 1. dicit nos esse in Christo Iesu electos à Deo, ante constitutionem mundi, idq; secundum propositum uoluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ. Et capite 3. tribuit Christo dispensationem mysterij absconditi à seculo in Deo, qui omnia creauit. Ex hisce & alijs consimilibus locis, opinor, aperitur, quod consilium ac propositum dei fuerit ab æterno. primùm ex uniuerso genere humano, quos uellet per gratiam suam eligere, & ad uitam ueram, felicem, cœlestẽ ac sempiternam in filio suo per fidem saluandos destinare: deinde temporibus certis à se constitutis, filium suum in hunc mundum mittere, & mysterium hoc propositi & consilij sui orbi promulgare, & quæ alia dispensationi Christi cohærent, perficere. Cum igitur consilium hoc & propositum, quod in Christo nouissimis est temporibus per Euangelij prædicationẽ & operationem spiritus sancti manifestatum, non demum post hominis lapsum natum sit in Deo, sed antequam homo peccasset, imò antequam conditus esset, ante mundi constitutionem, ab æterno fuerit in illo absconditum: satis puto liquet, noluisse deum hominis felicitatem & salutem in primam illius conditionem & constitutionem, qualis qualis illa fuerit, sed in illius reparationem in Christo filio prædestinatam collocare, & sic dispensare, ut nec sua ipsius scientia (unde & prohibebat, ne de arbore scientiæ boni & mali uesceretur) nec propriæ iustitiæ dignitate & meritis, sed sola liberæ electionis suæ gratia & misericordia, alioqui periturus, interuentu filij sui redimeretur & seruaretur. Huic electionis gratiæ illustrandæ seruiuit uniuersalis iste humani generis lapsus, quo Adam, antequam ullam prolem consequutus esset, in peccatum est prolapsus: factumque est, ut nemo mortalium seruari queat, nisi per misericordiam dei. deinde & miseria illa, corruptio ac perditio quæ lapsum hunc primorum nostrorum parentum consequuta totum genus humanum occupat, diuinæ prouidentiæ po-

Imitatio peccati in angelis, propagatio uerò in hominib. locum inuenit.

Salus hominis nõ in primam conditionem, sed in illius reparationẽ destinata est.

tiæ potentiam & uirtutem multo reddit illustriorem, dum per Christum felicius reparamur post lapsum, quàm conditi fueramus antequá prolapsi sumus: sicut in die resurrectionis, quo é puluere terræ excitabimur, & corruptibile incorruptionem, ac mortale immortalitatem induet, multo præclarius uirtus potentiæ Dei declarabitur, quàm si in hac uita corruptionis & mortis expertes perpetuò uiueremus.

Hæc uolui breuiter ac simpliciter, spretis inutilib. quæstionibus quæ moueri solēt in hac causa, de lapsu generis humani considerandā proponere, quòd uideantur esse & certa, & ad gloriam Christi reparatoris ac seruatoris nostri facientia. Quod si quis plura & acutiora desiderat, quærat apud alios. Meo consilio si quis utitur, meminerit retinendum esse modum aliquem in rerum diuinarum inspectione, & restringendam luxuriantis ingenij curiositatem, ne limites pietatis & ædificationis excedamus. Arbitror autem pijs mentibus abundè, quod hanc causam concernit, ad ædificationem sufficere, si quæ de lapsu generis nostri breuiter annotauimus, religiosè expendant.

DE LIBERO ARBITRIO.

QVAMVIS expræcedentibus, quibus humani generis lapsum aliquousq; considerauimus, homini non contentioso satis patet, quid de libero arbitrio & peccato sentiri debeat: ne tamen hosce locos studio transire uideamur, & de illis instruendi sunt sacrarum literarum candidati, qua debeant moderatione considerandis iliis animum intendere.

In homine est, ut affectus dilectionis & odij, ita & uoluntas

Principiò, sic esse conditum à Deo hominem, & sic comparatum, non solum ante, sed & post lapsum, ut sicut diligendi & odiendi, ita & uolendi & nolendi prędītus sit affectibus, nemo, opinor, inficias ibit. Habet homo cum brutis animantibus infernè, & angelis supernè communem hanc constitutionem, ut alia diligat & uelit, alia odiat & nolit. Hac de re nulla est controuersia.

Volũtas hominis sit ne libera uel serua.

Deinde prōgrediendum est ad considerationem libertatis, uidendumque qualis sit hominis uoluntas, liberāne uel serua. Nam hic ortæ sunt doctorum hominum disceptationes, quorum alij hominis uoluntatem esse liberam asserunt, alij negant. Illud autem cum primis præmoneo, non esse euagandum in hac causa ad ea, quæ humanam uitam & conuersationem attinent, sed consistendum in termino obedientiæ, quam mandatis Dei debemus omnes. Quid enim attinet de eo rixari, sitné homini arbitrium liberum hactenus, ut possit uel loqui uel tacere, domum exire, uel domi manere, edere uel non edere, & quæ alia sunt huiusmodi aut facere aut omittere? Sunt quidem etiam ista talia, ut aliqua ratione ad cognitionem hominis, & simul prouidentiæ Dei considerationem faciant, si citra contentionem moderatè inspiciantur: uerùm homini pio seriora quæruntur, cuius animus ad id est intentus, ut sese iussis Dei conformet. Et hactenus profuerit illi, si causam hanc sobriè ac religiosè inspiciat, quo intelligat, quomodo sit ad obediendum diuinæ uoluntati paratus & instructus.

Libertas arbitrij trifariam considerāda.

Sciendum itaque, libertatem hanc arbitrij de qua controuertitur, trifariam esse considerādam. Primùm genus libertatis est, quo quis ita liber est, ut nemini sit ex debito obnoxius, sed sui iuris existens, pro suo ipsius arbitrio liberè eligat quod uel faciat uel facere detrectet, nec peccet in quenquam, quicquid faciat.

Secundum libertatis genus est, quo uoluntas redditur libera: hoc est, quo facultas illa uolendi ac nolendi sic est libera, ut possit homo pro libero suo arbitrio ea uelle quæ Deus uult, & nolle quæ ipsi displicent: uel econtrario, nolle quæ illi placent, & uelle quæ displicent.

Tertium genus est, quod uoluntati liberæ additur etiam facultas libera ad faciendum ea, quæ Deus præcipit, ut possit ea homo liberè & expeditè uel perficere uel omittere, atque ita potentia & facultas ad faciendum liberæ uoluntati correspondeat.

De primo libertatis genere.

Quæramus itaq; de primo libertatis genere, uidelicet de libertate iuris, sitne mortalium aliquis, uel angelorum quoque, sic libero arbitrij sui iure prædītus, ut nullius sit imperio obnoxius. Nemo talis, opinor, dabitur, nec angelorum nec hominum, ne Adam quidem ante lapsum in paradiso constitutus: sed est ista libertas solius Dei, qui sic est iure & arbitrio liber, ut nullius sit imperio subiectus.

Solius Dei liberum hoc est arbitrium.

Cæterùm uniuersi tam angeli quàm mortales hactenus non sunt liberi, sed serui: serui eius à quo sunt conditi. Quare cum illis iussa Dei proponuntur, non habet locum in eis ista libertas, quę si Adæ fuisset, omni illum culpa uiolati diuini mādati liberasset. Quomodo enim peccasset non obediendo iussis Dei, si liberi arbitrij pariter ac iuris extitisset? Nemo peccat non obediendo ei, cui nulla est in re ad obediēdum obstrictus. Deo autem obnoxia est non solum humana, sed & uniuersa reliqua creatura. Quapropter cũ illud Ecclesiastici decimoquinto legitur: Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illũ in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta, apposuit aquam & ignem, ad quod uolueris, por-

ris porrige manum,&c.nõ ſic eſt intelligendũ,quòd cõſtituerit hominẽ hactenus liberum,ut ad obediendũ iuſsis ipſius non aſtringeretur,ſed ſine culpa liberè illis poſſet uel obedire,uel non obedire. Abſit iſta impietas. Verùm de loci huius intellectu dicemus infrà. Non eſt autẽ ut huic libertatis generi explicando diutius immoremur. Nemo ſiquidem eſt, qui hactenus homini liberum tribuat arbitrium,ut non ſit ſeruituti Dei ſubiectus.

De ſecundo libertatis genere

Conſequenter & de ſecundo ac tertio libertatis genere uideamus. Secundo genere liberi ſunt,quibus libera uoluntas eſt,ut queant liberè uelle. Ea libertas gemina eſt, ſic ut poſsit homo utrunq; & bonum & malum libera uoluntate appetere. Libera dico uoluntate, ut excludam utraſq; coactionis & impeditionis remoras. Coactionis,qua uis infertur, ut coactus uelis quod bonum eſt. Impeditionis, qua uiolenter retraheris, ne quod malum eſt appetas. Hæc gemina libertas non poteſt ulli mortalium dari, niſi primis noſtris parentibus antequã peccaſſent. Illi ſic erant conditi,ut poſſent uelle bonum, & reprobare malum: ac rurſus reprobare bonum, & eligere malum.

De tertio libertatis genere.

Tertio libertatis genere prædíti ſunt, qui non ſolum libera ſunt uoluntate, ſed & faciendi facultate. Voco autem liberam faciendi facultatem, quæ nec ad id cogitur,quod alienum eſt à libera uoluntate, nec ab eo uiolenter impeditur, quod libera uoluntas appetit: ut qui hac præditus eſt,id quod uult,uel bonum uel malum liberè facere queat. Nec iſta facultatis libertas cuipiam creaturæ competit,niſi primis noſtris parentibus,ante lapſum: quod & de ſpiritibus ſentiri poteſt antequam prolaberentur.

Et huc pertinet illud,quod ſuprà ex Eccleſiaſtico cap.15. adduxi, quem locum etiam Auguſtinus de Nouo cantico cap.8. de Adamo primo homine exponit. Illũ Deus reliquerat in manu conſilij ipſius: hoc eſt, conſtituerat eum liberum & conſilio & facultate conſilij, ut poſſet pro ſuo ipſius arbitrio tam eligere bonum & reprobare malum, quàm reprobare bonum, & eligere malum. Quòd malum eligere potuerit,& bonum reprobare,ex eo ſatis patet,quòd utrunq; peccando commiſit. Quòd bonũ eligere & malum repudiare potuiſſet,modò uoluiſſet,ex eo probatur,quòd propter trãſgreſsionẽ ſancti mandati tanquã culpabilis & peccator diuinitus eſt cõdemnatus: id quod nullo potuiſſet iuſto fieri iudicio, niſi libera,fuiſſet & uoluntate & facultate præditus. Rectè ergo Auguſtinus libro de Correptione & gratia,ca.11. ſic dicit: Potuiſſet perſeuerare ſi uoluiſſet,quod ut nollet,de libero deſcendit arbitrio, quod tũc ita liberum erat,ut bene uelle poſſet & malè.

Libertas poſt lapſum primi hominis amiſſa.

Poſt lapſum uerò primi hominis, per quem factus eſt peccati ſeruus, utraq; & uoluntatis & facultatis eſt amiſſa libertas: non ut malũ iam uelle & facere nequeamus,ad quod nimium liberi relicti ſumus,ſed ut quod à Deo bonum præcipitur,nec uelle liberè nec præſtare poſsimus. Non eſt itaq; negandum eſſe in homine liberum arbitrium,ſiue liberam uoluntatẽ,quãuis ſeruituti & peccati & Satanæ ſit obnoxius. Sic enim corrupto eſt & peruerſo ingenio,ut malum quod ſeruiliter facit,haudquaquã coacta & repugnante,ſed liberrima uolũtate & cupidiſsimè faciat. Loquor autem de homine nondum per gratiam Chriſti regenerato,& ad ueram libertatem aſſerto,ſed adhuc generali corruptioni obnoxio. Non habet hic locum illud Apoſtoli, Bonum quod uolo,non facio: & malum quod odi,hoc facio. Loquitur enim Apoſtolus illic tanquam homo regeneratus, non tanquam adhuc peccati planè ſeruus. Et hæc eſt egregia illa arbitrij noſtri libertas,quam pleriq; tantopere prædicant, ut conuincant non eſſe hominem truncum aut ſaxum,ſed mente & uoluntate libera præditum. Adducunt ſcripturas, quibus rem per ſe ſatis notam probent, utpote Eccleſiaſt. 31. Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus: facere mala,& non fecit. Tranſgredi poſſe & mala facere,omnium eſt filiorum Adæ. Non tranſgredi cum queas, gratiæ Dei opus eſt, non humanæ corruptionis. Et Hierem.3. Ecce loquuta es,& feciſti mala,&potuiſti. Et Matth.23. Hieruſalem Hieruſalem, quoties uolui congregare filios tuos,&c. & noluiſti. Hiſce & alijs conſimilibus ſcripturæ locis nihil aliud aſtrui poteſt, quàm eſſe quidem homini poſt originalẽ corruptionem reliquã adhuc uoluntatis ac facultatis libertatem,ſed ad malum duntaxat: cuius rei experientia tanta eſt,ut nullis ſcripturæ teſtimonijs egeat.

Libertas ad malum.

Rom.7.

Nemo malus inuitus quod malũ eſt facit.

Nemo malus quod malum eſt facit. Qui ſcortatur,ſponte ſua ſcortatur: qui furatur, propria uoluntate furatur: qui prodit,facit hoc ex animi ſententia. Ipſe Iudas Chriſtum prodidit non coacta,ſed libera ac propenſa uoluntate, licet ad id facinus à Diabolo inſtigaretur. Nemo malus iraſcitur,nemo ſuperbit,nemo inuidet,nemo obloquitur proximo coactus & inuitus. Liberam hanc in malo uoluntatem non extinguit ſeruitus illa,qua & peccato & Satanæ obſtricti ſunt mali,ſed prouehit potius & confirmat. Seruiunt enim in illis,quæ carni corruptæ admodum placent. Nemo autem inuitus id facit, cuius opere faciendo delectatur. Quapropter quod Apoſtolus de incredulis ſecundæ Timoth. 2. ſcribit, quòd laqueis Diaboli ad ipſius uoluntatem captiui teneantur: non ſic intelligendũ eſt,quòd Diabolo ſeruiant inuiti,ſed quòd partim per ignorantiam & inſipientiam, partim per malitiam corrupti ingenij excæcati in errore & ſeruitute peccati teneantur: idque non præter ipſorum uoluntatem, ſed uoluntariè & cum delectatione. Vnde & illic addit, An ſortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcen-

Seruitus Satanæ non extinguit libertatẽ uoluntatis in malo.

gnoſcendam ueritatem, ut reſipiſcant à Diaboli laqueis. Cũ dicit, An fortè det illis Deus pœnitentiam ut reſipiſcant: ſatis indicat, ſeruire eos non coactè, ſed uoluntariè. Habet enim pœnitentia & reſipiſcentia mutationem animi, mentis, ſententiæ & uoluntatis, ut iam diſpliceat, quod placuit antea: quæ mutatio locum in illis non habet, qui præter animi ſententiam coacti & inuiti quod malum eſt faciunt.

Laquei Diaboli.

Laquei autem Diaboli, quibus captiui tenentur ad ipſius uoluntatem, ſunt cæcitas mentis, cuius Apoſtolus 2. Corinth. 4. meminit, cũ dicit: Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, & corrupti ingenij malitia, originaliter ex Adamo contracta. Sic Sap. 2. legitur, Excæcauit eos malicia eorum. Sunt autem multæ ſpecies malitiæ. Alius captiuatur ira, alius inuidia, alius ſuperbia, alius libidine praua, &c. Hiſce laqueis captiui tenentur homines mali ac reprobi, ut quod bonum eſt nec agnoſcant nec appetant, ſed ſeruitute peccati delectentur.

In illis qui non dum regenerati ſunt, arbitriũ eſt & ſeruũ & liberũ.

Eſt itaq; uetus Adam in quocunq; homine extra gratiam Dei conſtituto, ſic comparatus, ut arbitrium habeat & ſeruum & liberum, ſed in malo. ſeruum propterea quòd concupiſcentijs corruptæ carnis, & uoluntati Satanę ad peccandum eſt uenundatus: liberum ob id, quòd nõ inuitus, ſed ſponte ſua & uoluntariè peccat, & ſtudio mali ac ſeruitute peccati delectatur. Quomodo enim non eſt libero arbitrio præditus in malo, qui & concupiſcit, & ſtudioſe ſectatur, & cum delectatione perficit, quod malum eſt & uoluntati Dei contrarium? utique non coacta, ſed libera uoluntas eſt in concupiſcentia præcedente, in ſtudio ſubſequente, & tandem in operis delectatione. Arbitror igitur perſpicuum eſſe, quod attinet uoluntatem & facultatem hominis mali ad peccandum, eſſe utramque plus æquo liberam ac ſpontaneam, nec damnari quenquam illorum præter meritum, ſed eſſe iudicium Dei iuſtum in omnes impios, malos ac reprobos.

An homini animali & carnali ſit liberũ arbitrium ad bonum.

Reſtat ut de eo quoq; uideamus, an ſicut homini animali, carnali, & adhuc filio Adæ ineſt liberum arbitrium ad peccandum, ita inſint illi ad bene quoq; & rectè agendum, hoc eſt, ad obediendum ac ſeruiendum præceptis Dei, libera uoluntas parite. & facultas. Significãter dico, homini animali, carnali, & adhuc filio Adæ. Intelligo autem omnem eum hominem, qui nulla ſpeciali gratia & operatione ſpiritus ſancti ducitur ac dirigitur, ſed quantus quãtus eſt, mẽtis cęcitati, & cordis corruptioni, ex Adamo cõtractæ, obnoxius uiuit. Si de illo quęratur, poſsit ne, quod bonum eſt, & à Deo præceptum, ut bonũ eſt, & ſicut à Deo præceptum eſt, libera uoluntate appetere, & libera facultate perficere: non poſſumus competentius reſpondere, quàm ſecundum Chriſti ſeruatoris noſtri ſententiam, qua Matth. 7. dicit, non poſſe fieri, ut mala arbor bonos fructus ferat. Et cap. 12. Quomodo poteſtis bona loqui cum ſitis mali? Et Apoſtolus 1. Cor. 2. Animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt. Stultitia enim eſt illi, & nõ poteſt intelligere. Et Chriſtus Ioann. 3. Niſi quis regeneratus fuerit è ſupernis, non poteſt uidere regnum Dei. Hiſce & conſimilibus alijs teſtimonijs ſatis cõuincitur nõ ſic eſſe ueterem hominẽ, animalẽ illum, carnalẽ, & tam mente excæcatum, quàm corde corruptũ, ad ea quæ Deus præcipit, ſicut ad ea, quæ caro, peccatum & Satã requirunt, libero præditũ arbitrio. Eſt itaq; firmiter ſtatuendum, non eſſe homini, nondum per gratiam Dei regenerato, eam uoluntatis ac facultatis libertatẽ, ut quę Deus præcipit, liberè uelle & perficere poſsit. Poteſt quidẽ aliunde uel cogi, uel moueri, ut quod bonũ eſt utcunq; uel ore dicat, uel manu operetur: uerùm ut id ſic dicat & faciat ex animi ſententia & libera uoluntate, ſicut ea loquitur & facit quę mala ſunt, id fieri non poteſt, niſi primùm per gratiam Dei in arborem bonam mutetur.

Sine gratia Dei uires naturæ noſtræ in bono nihil poſſunt.
De cõſec. diſt. 4. Ca. Placuit.

Nec ſunt audiendi, qui ſic concedunt requiri ad hanc rem gratiæ Dei adiutorium, ut quod homo aliàs ex naturæ uirib. difficilius faceret, id gratia Dei adiutus facilius perficere poſsit. quorum ſententia & in Decretis, De conſecratione, diſtinctione quarta, Can. Placuit, ad hũc modum reprobatur: Placuit, ut quicunque dixerit, ideo nobis gratiam iuſtificationis dari, ut quod facere per liberum arbitrium iubemur, facilius implere poſsimus per gratiam, tanquã ſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſsimus etiam ſine illa implere mandata diuina, anathema ſit. Hæc ibi.

Diſtinguendũ eſſe inter hominẽ malũ & hominẽ bonum.
Electi ac fideles liberi ſunt ad bonum.

Dicet aliquis: Ergo nullam habemus arbitrij libertatem ad bonum? Reſpondeo: Diſtingue frater inter hominem & hominẽ, inter bonum & malũ, animalem ac ſpiritualem, corruptum ac regeneratum, Chriſtianum & ethnicum, electum ac reprobum, fidelem & infidelẽ. Si quæris de malis, animalibus, corruptis, reprobis, & infidelibus, de quibus dici non poteſt quòd ſint ex Deo: non poteſt tibi reſponderi aliud quàm hoc hominum genus, quod ex Deo non eſt, non audire uerbum Dei, Ioan. 8. & quæ ſuprà ſunt commemorata. Si uerò interrogas de fidelibus, bonis, regeneratis ac fide iuſtificatis: abſit ut illos dicamus non eſſe ad bonũ liberos, quum Chriſtus dicat: Si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis. Et Apoſtolus: Deus eſt qui operatur in uobis & uelle & perficere pro bona uoluntate. Phil. 2. Et cap. 4. Omnia poſſum per eum qui me confortat.

Auguſtinus.

Quare diligenter obſeruandũ eſt, quod Auguſtinus in Enchiridio ſuo ad Laur. cap. 30. ſic ſcripſit: Qualis quæſo poteſt ſeruitus dici eſſe libertas, niſi quando eum peccare delectat? liberaliter enim ſeruit, qui ſui domini uoluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber

liber eſt, qui peccati ſeruus eſt: unde ad iuſtè uiuendum liber nõ erit, niſi à peccato liberatus eſſe cœperit iuſtitiæ ſeruus. Ipſa eſt uera libertas propter recti facti læticiam: ſimul & pia ſeruitus, propter præcepti obedientiam. Sed iſta libertas ad benefaciendum unde erit homini addicto & uendito, niſi redimat ille cuius uox eſt: Si uos filius liberauit, tũc uerè liberi eritis? Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quiſquam de libero arbitrio in bono gloriabitur opere, qui nondum liber eſt ad operandum bene, niſi ſe uana ſuperbia inflatus extollat, quam cohibet Apoſtolus, dicens: Gratia ſalui facti eſtis per fidem. Hæc ille.

Gemina diſtinctio in hac cauſa neceſſaria.

Cenſeo itaq; nunquam eſſe de libero arbitrio ſine diſtinctione loquendum. Eſt autem hic neceſſaria gemina diſtinctio. Vna, qua inter hominem ante lapſum, & hominem poſt lapſum: altera, qua inter bonos & malos, regeneratos & adhuc corruptos, filios huius ſeculi & filios regni Dei, ſeruos peccati & ſeruos iuſtitiæ diſtinguatur. Neque enim rectè poterit de utriſq; tantopere inter ſe diuerſis ſine diſtinctione pronunciari. Seruata diſtinctione rectè aſſerimus unumquenque hominem & ſeruum eſſe & liberum. Si malus ſit, ſeruum peccati, & uoluntate ad peccandum liberum ac propenſum: ſi bonus exiſtat, ſeruum iuſtitiæ, & uoluntate ad rectè agendum liberum ac ſpontaneum. Itaq; non tollimus liberum arbitrium nec à malis, nec à bonis, quòd nec ipſa prouidentia Dei tollit: quamuis ſecundum Apoſtoli ſententiã operetur omnia in omnibus, 1. Corinth. 12. In malis non tollit eam uoluntatis libertatem, qua liberè ac ſponte ſua quod malum eſt, faciunt, & peccato ſeruiunt. Bonis, id eſt, illis quos ipſe bonos facit, regenerat & iuſtificat, liberum arbitrium ad bene faciendum, per ſpiritum ſuum reſtituit. Non ſic regit ac ducit eos ſpiritu ſuo, ut inuiti & coacti quod bonum eſt faciant (eſſet enim hoc malorum, & nondum regeneratorum) ſed mentes eorum illuminat, ut ueritatẽ cognoſcant: cor immutat ac repurgat, ut cognitam ueritatem ac uoluntatem Dei ament: uires ſuppeditat, ut quod amant, etiam opere ſecundum menſuram quiſq; acceptæ gratiæ adimpleant. Sed hac de re commodior dicendi locus erit, ubi de reparatione generis humani, quæ per Chriſtum eſt, loquemur.

Vnuſquiſq; homo & ſeruus eſt & liber.

Loquitur autẽ Apoſtolus de fidelib. in quibus ſpiritus Dei operatur.

Epilogus.

Ad hunc modum arbitror poſſe ſobriè & utiliter liberi arbitrij cauſam, quantumuis contẽtioſam à pijs hominibus iuxta fidei analogiam, & ſacrarum ſcripturarum ſimplicitatem conſiderari, cui multa ab hominibus ad diſputandum paratis, non ſine obſcuratione ueritatis & turbatione conſcientiarum immiſcentur: qualia ſunt quæ de præſcientiæ ac prouidentiæ Dei neceſsitate, de fato, deque contingentia diſputantur: quorum labyrinthum qui ſapit, ſtudioſe in hac cauſa fugiat. fideles homines non diſceptant de ſecretis conſilijs Dei, quibus omnia omnium gubernantur, nec inquirunt cauſas, uim & operationem illorum, neque diſputant de contingentibus, ſed unicum hunc ſcopum in hac cauſa ſpectant, ut humani generis corruptionem in Adam, & reſtaurationem quæ per Chriſtum eſt, utiliter & ad gloriam gratiæ Dei cognoſcant.

DE PECCATO

Peccatũ multiplex & inexplicabile malũ

CONSEQVENTER de peccato uideamus. Quemadmodum autẽ de mendacio, quòd ſit uarium ac multiplex, ita & de peccato dici poteſt, quòd ſit uarium & inextricabile malũ. Quapropter nec propoſiti noſtri eſt, nec fieri poteſt etiã, ut ad explicandas illius ſpecies deſcendamus. Illud magis optarim, ut accepta ſpiritus ſancti gratia radices illius quiſq; ueluti ſecuri quadam ex intimis cordis ſui receſsibus amputet, eueilat & abijciat. Extant prolixæ doctorum hominum diſputationes, quibus mali huius naturam, ortum, progreſſum, fœcunditatem, maliciam uariam & multiplicem, noxam, & quæ alia ſunt huiuſmodi, explicare conãtur. Nos ea tantùm ſimpliciter commemorabimus, quæ pijs conſcientijs ad præſentem cauſam ſufficere iudicauerimus: utpote,

1 Quid ſit peccatum.
2 Quis ſit peccati exortus, & quis progreſſus.
3 Quid ſit facere peccatum.
4 An peccatum peccato grauius exiſtat.
5 De diſcrimine peccati uenialis & mortalis.
6 De peccato in ſpiritum ſanctum.

I. QVID SIT PECCATVM.

Quid peccatũ ſit, non eſt omnibus manifeſtum.

ILlud quidem in confeſſo eſt apud omnes, non Chriſtianos modò, ſed & Iudæos & Turcos, eſſe peccatum tale quid, quod Deo diſpliceat, iram eius prouocet, & cœleſtem ultionem promereatur, adeoq; fugiendum ſit omnibus illis, qui Deo gratificari, & ab exitio ſeſe conſeruare cupiunt: quid uerò peccatum ſit, nõ ita extrà controuerſiam eſt apud quoſuis, nec adeò manifeſtum omnib. ut nulla ſit hac in re ſententiarum uarietas, quã tamẽ omnibus

conueniebat esse cognitissimam & certissimam.

Duo magna mala ex ignorantia peccati proueniunt.

1 Onerantur multorum conscientiæ, & nonnunquam ad desperationē adiguntur, sola peccati opinione: in illis uidelicet, quibus nihil ineſt peccati: id quod indesinenter ac peruersissimè faciunt traditionum humanarum doctores, quorum peruersitate occidūtur animæ, quas non occidit Dominus, & condemnantur innocentes: cuius rei exemplum Matthæi duodecimo & decimoquinto, in Pharisæis apparuit: & hodie quoq; nimis manifestum est in illis qui conscientias fidelium seruilibus oneribus & humanis præsumptionibus sic grauant, ut miserabilior sit conditio Christianorum quàm Iudæorum, sicut Augustinus quoq; epistola 119. conqueritur: id quod non fieret, si tam cognosceretur ab omnibus, quid peccatum sit, quid non sit, quàm peccatur ab omnibus.

Augustinus.

2 Rursus & illud accidit, quòd nonnulli peccatum esse non agnoscunt, quod reuera peccatum est, quod illi faciunt, qui peccatum non esse putant, nisi quod contra expressum aliquod uerbum ac mandatum Dei committitur. Arbitrantur illi omnes peccati species in sacris esse scripturis expressas quū sint innumerabiles. Neq; hic error locum haberet, si liquidò teneretur quid sit peccatum. Igitur ut conscientiæ præter rationem opinione peccati diuexantur, ita falsa iusticiæ persuasione seducuntur, ac securæ redduntur, dum se peccare nō putant, ubi omnino contra Dominum delinquūt. Quare summopere necessarium est, ut certò teneatur quid sit peccatum, ne à uero abducamur, & uel falsa peccati opinione grauemur, uel inani securitate seducti in peccatis citra peccati sensum pergamus.

Recēsentur ali quot definitiones peccati.

1 Definiunt nonnulli peccatum ad hunc modum: Peccatum est actus deuiās ab ordine debiti finis, contra regulam uel naturæ, uel rationis, uel legis æternæ.

Ista definitio uidetur ob id esse insufficiens, quòd non in uniuersum quid sit peccatum, sed quid actuale sit peccatū, ut uocant, exprimit: ut taceā quòd quæstionis materiā in eo offert, quod iuxta rationis regulā peccatū metitur. Si de humana ratione loquitur, error est: si de diuina, obscurius est quàm definitioni competat, in qua lux & perspicuitas requiritur.

Ambrosius.

2 Ambrosius ad hunc modum definit: Peccatum est præuaricatio legis diuinæ, & cœlestiū inobedientia præceptorum. Hæc definitio nihil habet falsi: ob id tamen non satis facit, quòd occasionem præbet illis, qui peccatum esse non putant, nisi quod contra expressam legē Dei, ut in literis est comprehensa, committitur. 3 Nec illa definitio data est, qua dicunt peccatū esse affectionem malam & uoluntariam. Etenim de eo non minus magna est cōtrouersia, quę sit mala affectio, quàm quid sit peccatum. Quemadmodum enim specie recti decipimur, ita & falsa mali specie frustra terremur. 4 Sic nec ea perspicua est, qua peccatum definiunt, esse uoluntatē retinendi uel consequendi quod iustitia uetat, & auersandi quod illa dictat. Nā in uoce iustitiæ nascitur quæstio, quid iustū sit, quid non sit: atq; ita lis lite redimitur. 5 Cō similis est illa, qua dicunt: Peccatum est uoluntas auersa à Deo. Eiusmodi definitiones licet nihil habeant falsi, conscientijs tamen simplicium ac piorum hominū ad hoc non conducūt, ut certò quid sit peccatum, tenere queāt. Et caro usqueadeò corrupta est ac peruersa, ut licet agnoscat iniustam esse eam uoluntatem, quę à Deo sese auertat: illud tamen nunquam ritè intelligere sustineat, quid uerè sit uoluntatem habere à Deo auersam.

Augustinus.

6 Idem sentiendū & de eo est, quod Augustinus dicit, peccatum esse auersionem ab incommutabili bono. Dicam igitur quid mihi uideatur esse peccatum.

Peccare, est à recto scopo aberrare.

Peccatum, quod ab Ebræis חטאה, à Græcis ἁμαρτία, uel ἁμάρτημα uocatur, defectio est, declinatio & aberratio, ut sic dicam, à certo quodā scopo, qui constanter ac rectà sit petendus. Vocant Ebræi חטאה, si quis iaculando à scopo præfixo aberret. Sic enim Iudicum cap. 16. de Beniamitarum electis legimus: כל זה קלע באבן אל חשערה ולא יחטיא. Quare ubi definiendum est peccatum, respiciendū est ad eum scopum, qui omnib. est mortalibus diuinitus præfixus. Qui iaculando aberrat & peccat, aberrare ac peccare dicitur, respectu scopi quem ferire debebat, non alterius cuiuspiam rei, quæ non est scopi loco proposita.

Quis scopus in definitione peccati considerari debeat.

Est autem in definitione peccati duplex scopi ac finis consideratio, generalis uidelicet ac specialis. Generalis in Deo statuenda est, tanquam summo & unico bono. Peccatum hic est, quicquid ab illius communicatione declinat & aberrat, siue sit illud in intellectu hominis, siue in uoluntate, siue in sermone, siue in actu. Voco autem summi boni communicationem, concordiā & unitatem cū illius ueritate & uoluntate: ut hactenus peccatum sit non idem sentire, non idem uelle, non idem facere cum summo illo bono, ex quo & in quo sunt omnia, in quo etiā uiuimus, mouemur & sumus: perinde ac si dicas, peccatum esse in aula regis, quicquid à mente & uoluntate regis deuiat ac discrepat, quæ omnibus aulicis ueluti scopus quidam, ex æquo proposita esse debet.

Personarum ac statuū cōsiderāda diuersitas.

Specialis consideratio est secundum personarum ac statuū diuersitatem. Quicquid à bono, ab honesto, à iusto, à debito, ab æquo, à licito, à decoro & cōpetenti deficit & aberrat, peccatum est. Verùm secundum uarietatem personarum aliud est bonum, honestum, debitum, æquum, iustum, licitum, decorum ac competens magistratibus, & aliud subditis: aliud conrugatis, & aliud solutis: aliud dominis, & aliud seruis: aliud parentib. & aliud liberis propositū;

unde

unde fit, ut peccatū ſit in magiſtratibus, quod in ſubditis non eſt: & uiciſsim in ſubditis, quod in magiſtratib. nō eſt, quēadmodū & in alijs ſtatibus. Omnia tñ hæc pendent ab unica uolūtate Dei, quæ una omnib. debet omniū eſſe appetendorū & faciendorū finis & conſummatio.

Teſtimonia diuinæ uoluntatis.

Hæc autem quoniā per ſe non poterat eſſe cognita mortalibus, data eſt non ſolū lex quædam, quā naturæ uocant, quæ intus eſſet in mēte hominis, ſed additum eſt & oraculorum ac præceptorū Dei beneficium, primùm generis noſtri parentibus, deinde illorū etiam poſteris ante diluuiū ad Noe uſque, qui cōſtitutus fuerat prædicator iuſtitiæ, & poſt diluuiū Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, tandē & Moſi, & per hunc uniuerſo Iſraeli, poſt Moſen & reliquis prophetis: quorum omnia ſumma eſt, dilectio Dei ac proximi, qua uniuerſa cùm legis, tum prophetarum ſcriptura etiam Chriſto ipſo teſte comprehenditur.

Quid ſit peccatum.

Quicquid igitur contra dilectionem uel Dei uel proximi, aut concupiſcitur, aut ſentitur, uel dicitur, uel committitur, peccatum eſt, tanquam defectio ac deuiatio à ueri ac ſummi boni uoluntate, natura & communicatione, ſiue ſit in ſacris ſcripturis expreſsè poſitum, ſiue nō ſit. Et hanc peccati definitionem Auguſtinus alicubi ſic expreſsit: Peccatum eſt uel dictum, uel factum, uel concupitum contra legem æternam. Sentit autem, opinor, legem æternam nihil eſſe aliud, quàm immutabilem diuinæ maieſtatis uoluntatem, ad cuius ueluti legem dirigenda ſunt omnia.

Auguſtinus.

Diuinæ uoluntatis diſcretio retinenda.

Retinenda tamen conſtanter eſt huius ipſius diuinæ uoluntatis diſcretio. Primùm, ut non referamus iſta ad ſecretam & incomprehenſibilem uoluntatem Dei, ſecundum quam cuncta in cœlo & in terra iudicijs æquiſsimis quidem, uerùm ſimul occultiſsimis gubernat, ſed ad eam, qua nos ſibi obedientes eſſe requirit. Deinde ut quiſque conſideret quid à ſe, primùm in genere cum alijs omnibus, poſtea ſpecialiter etiam iuxta perſonæ ac ſtatus ipſius conditionem poſtulet.

II. QVIS SIT PECCATI exortus, & quis progreſſus.

Duplex eſt huius loci conſideratio.

HAbet hic locus duplicem conſiderationem. Prima de eo eſt, quomodo peccatum initiò cœperit in genere humano, & cœptum ad omnem ſit poſteritatē progreſſum. Hæc conſideratio ſuprà eſt explicata, ubi de lapſu hominis diximus. Ad hāc omnia illa pertinent, quæ de peccato originis ſiue in Apoſtolicis, ſiue alijs ueterū orthodoxorum ſcriptis leguntur. Hoc genus peccati uocat Apoſtolus peccatum habitans & regnans in carne, legē peccati, legem membrorum repugnantem legi mentis, & peccatum nos circūſtans, &c. Huius uis & malicia per carnis traducem inde à primis noſtris parentibus in uniuerſum genus mortalium propagatur, & duplici nomine rectè peccatum uocatur. Primū, quoniam fructus eſt primi & originalis peccati. Deinde quoniam fons eſt & radix omnium eorum peccatorū, quæ à nobis uel uolendo, uel loquendo, uel operando perpetrantur. Imò non ſolū fons eorū eſt ac radix, ſed & lex quædam dominans & regnans in carne. Verùm de hoc peccati genere non eſt animus in præſenti quicquam illis adijcere quæ ſuprà de lapſu hominis, illiusq; ui ac malicia, & de eo cuinam imputetur, annotauimus.

De peccato quod à nobis ipſis committitur.

Altera huius loci conſideratio eſt, quomodo peccatum in nobis exoriatur, quod à nobis propriè cōmittitur. Iacobi primo ſic legimus: Vnuſquiſq; tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cū conceperit, parit peccatū: peccatū uerò cū conſummatum fuerit, parit mortem. Hæc Iacobus. Hiſce uerbis admodum perſpicuè traditur, quomodo peccata in nobis exoriantur, progrediantur ac perficiātur. Ineſt nobis concupiſcētiæ uis corrupta ac deprauata, adeoq; ad mala quæq; procliuis. Ex hac naſcitur omne genus peccatorum. Naſcitur autem ad hunc modum.

Quomodo peccatum in nobis naſcatur.

1 Primùm irrepit in corda noſtra tentatio. Huius innumeræ ſunt ſpecies. Tentatur alius ad ſuperbiam, alius ad iram, alius ad carnis libidinē, alius ad gulam & crapulā, alius ad inuidentiam, &c. Irrepit autem tentatio per ſuggeſtionem, ſiue ſatanæ, ſicut accidit Iudæ & Ananiæ: ſiue memoriæ noſtræ, ſiue ſenſuum corporis, id quod uel uidendo, uel audiendo, uel olfaciēdo, uel guſtando, uel tangendo accidit.

Suggeſtio.

2 Deinde tentatio illa inficitur delectatione quaſi quodam condimento, ad ineſcandum & attrahendum hominis animū. Sic Euah pomi uetiti pulchritudine ac delectatione, filij potētū pulchritudine filiarum hominū, Iudas dulcedine quæſtus, &c. alliciebantur. Delectationē hanc ſequitur ad peccandū conſenſus. 3 Hic eſt peccati conceptus uelut in utero cōcupiſcētię factus. 4 Huc prima quauis occaſione in lucē parit infelix illa peccati mater cōcupiſcētia, dum quod tentationi conſentiendo internè conceptū eſt, opere externè perficitur. Quin etiam ſi non acceſſerit opus, nihilo tamen minus corā Deo perfectū eſt peccatū, quod in corde per conſenſionem eſt conceptum: qua de re uidere eſt Matth. 5. ibi, Qui uiderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam adulterium cum ea commiſit in corde ſuo.

Delectatio.

Conſenſus.

Quapropter cū ad hunc modum cōparatus ſit peccati tam exortus quàm progreſſus, ſummopere

Admonitio.

mopere curandũ est homini pio ac timenti Dei, ut diligenter cordis sui cogitationes, & quasuis peccati suggestiones, siue internè natas, siue extrinsecus irrepentes obseruet, deprehẽsas iugulet & abijciat. Ibi enim maximè obseruandum & extinguendum est peccatum, ubi nascitur, imò ubi concipitur.

Primas suggestiones peccati nemo potest excludere.

Suggestiones ac primas tẽtationes nemo sic poterit excludere, ne serpentis in morẽ sua so lubricitate per ea quę quotidie uidemus, audimus, &c. insinuẽt. Et si demus esse aliquẽ adeò sollicitum ac perfectum sensuũ suorum custodẽ ac refrenatorẽ, ut nec uideat, nec audiat, nec olfaciat, nec gustet, nec tangat quicquã, unde ad peccandum tentetur: ipsa tamen concupiscẽtia latens in corde, in intimis affectuum recessibus, cogitationibus in corde natis uelut imprægnatur, & peccati conceptu grauida redditur, si consensus uoluntatis accesserit: unde fit, ut primi motus ad peccandum, à nemine queant in uniuersum caueri & excludi.

Nec ipsa delectatio prohiberi potest.

Nec ipsa delectatio tentationis sensui annexa prohiberi potest, nisi unico non consentiendi, sed contradicendi remedio. Qui non consentit, sed tentationi repugnat, & delectationem illius exufflat & respuit, peccati impuritate non inficitur, sed conscientiam purã & illibatam per gratiã Dei retinet. Loquitur aũt de peccato illo, ad quod mala suggestione tentamur, nõ de peccato originali quod in uniuersam carnẽ ex infectione naturę, etiã sine nostro cõsensu propagatur. Peccatũ igitur tribus istis ueluti gradibus exurgit & absoluitur: suggestione, delectatione & cõsensione. Voco autẽ consensionem, non quamuis uoluntatis nutationẽ & acclinationem, sed eam qua plenè & absolutè tentationi assentitur animus, & nihil iam quærit aliud, quã quomodo delectatione, qua deceptus est ac uictus, fruatur: atque ita in opus ipsum perficiendum totus propendet & anhelat. Leuis ac momentanea inclinatio uoluntatis, quæ confestim spiritu timoris Dei corrigitur, etsi animi imbecillitatem arguit, loco tamẽ plenæ & absolutæ consensionis haberi non potest. Huius ob id admoneo, ne imbecillibus conscientijs sine ratione peccati scrupulus injciatur. De animo nutante & luctante non debet ferri iudicium, nisi in alterutram partem plena consensione obfirmatus cõcedat: hoc est, nisi uel peccato perfectè consentiat, uel illo reiecto iustitiæ seruandæ immoretur. Hæc de peccati exortu ac progressu paucis delibare uolui, non propter eos qui ruptis repagulis pleno impetu in peccandi libidinem exaturandã feruntur: sed propter adolescentes pios ac Dei timentes, ut intelligant qua debeant religione, uigilantia & custodia cũ externam uiuendi rationem, tum internam affectuum sedem per gratiam Domini obseruare, & peccati suggestionibus confestim occurrere ac resistere.

Gradus peccati exurgẽtis in nobis.

De animo nutante nõ est ferendũ iudiciũ.

Epilogus.

III. QVID SIT FACERE PECCATUM.

Peccant omnes homines, sed uarie: alij ex ignorãtia, alij ex malicia.

IAm tertio loco considerandum uenit, quid sit peccatum facere. Faciet hæc consideratio ad intelligentiam aliquot scripturæ locorũ. Peccare simpliciter, est aliquid uel cogitare, uel dicere, uel committere quod sit illicitum & iniustum. Peccãt quidem omnes homines (quis est enim qui faciat bonum & non peccet? 1. Reg. 8.) uerùm haud pariformiter. Peccant alij ex infirmitate carnis contra animi sententiam ac propositum. Illi de peccato suo admodum dolent & ingemiscunt. His peccatum non studio quæritur, sed per occasionem obijcitur. peccant alij ex malicia & impietate, animo non reluctante, sed inhiante. Istis peccatum non per occasionem offertur, sed studio quæritur. prior peccandi modus electorum est & fideliũ, posterior reproborum & infidelium. Electi peccatum non faciunt, quamuis & ipsi subinde peccent: reprobi uerò non solùm peccant, sed & peccatum faciunt, hoc est, studio peccandi tenentur, ut peccatum facere, sit de peccato faciendo studiosè noctes ac dies meditari. Sicut bonum facere non est simpliciter aliquid facere, quod in se bonum sit, sed beneficentiæ studio indesinenter incumbere. Facere hic non simplicem & qualitercunque editum actum, sed etiamsi opus peccati non perficiatur, uel certè in actu nondum existat, ipsum impij animi studium, consilium, meditationem ac propositum significat, & deprauatæ naturæ maliciam notat, ut perinde reprobi peccatum faciant, sicuti malæ arbores malos dicuntur facere fructus. Iudas proditor inter cœnandum audiuit à Domino. Quod facis, fac citius. Quid tum infelix ille faciebat? Actu cœnabat, cogitatu, meditatione & consilio cordis sui Dominum prodebat. De eo non est loquutus Dominus, quod actu in oculis reliquorum discipulorum, sed quod consilio ac proposito cordis parturiebat, & mente perfida faciebat: nec tamẽ dixit, Quod facturus es, sed quod facis, fac citius. Perspicuum est eo loco, faciendi uerbum pro studio faciendi positum, ac magis animi quàm corporis notare factum. Sic facere legem ac præcepta, subinde in scripturis pro studio faciendi legem & præcepta sumitur. De Iosiah secundo Reg. 22. & 23. legimus, quòd fecerit quod rectum esset in conspectu Domini, reuersusque sit ad Dominum toto corde, tota anima, & omni uirtute sua iuxta omnem legem Moysi. Et tamen dubio procul multa commisit, quæ à lege Domini disidebant. De Ezechia secundo Reg. decimooctauo, similia leguntur: de quo tamen capite uigesimo scribitur, quomodo fecerit,

Verbum faciẽdi quomodo accipiatur.

Quod facis, fac citius.

Facere legem.

terit, quòd oculis Domini displicuerit, ostentans thesauros suos regis Babylonię nuncijs. Et Dauid Psalm. 119. canit: Feci iudicium & iusticiã. Et, Ab omni uia mala prohibui pedes meos. Item, A iudicijs tuis non declinaui. Et, Seruaui mãdata tua, & testimonia tua. Si hæc quisquã ad externa facta, & non ad animi pij propositum ac studium referre uoluerit, deprehendetur esse mentitus, nisi peccatũ contra Vriam commissum non fuerit contra mandata, testimonia & iudicia Dei. Quid ergo est aliud, Ab omni uia mala prohibui pedes meos, quàm studiose in hoc incubui, ne quid mali committerem? Feci iudicium & iusticiã, quã studio faciendi iudicium & iusticiam deditus fui? Neq; enim dicere uoluit, quòd non peccarit. Quorsum enim aliàs de peccatis suis tam frequenter in Psalmis conquereretur?

Collectio ex præmissis scripturæ locis.

Ex his, opinor, non solùm illud manifestè patet, quòd facere peccatum non sit simpliciter peccare, sed studio peccandi teneri, etiamsi peccatũ actu nondum perficiatur: sicuti bonum facere non simpliciter est rem bonam actu facere, sed beneficentiæ studio teneri, licet opus bonum non semper actu compleatur. sed & hoc liquet, quòd quamuis electi pariter ac reprobi peccent, peccatum tamen electi non faciant, sed reprobi. Etenim qui ex Deo sunt, ut semen Dei in se habent: ita peccatum ex animo detestantur, & quod detestantur, studiose meditari ac moliri non possunt.

Hinc est quod Ioannes in Canonica sua capite tertio, ad hũc modum scribit: Filioli, nemo uos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, ut dissoluat opera diaboli. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filij Dei & filij diaboli. Hæc ibi. Itaque Ioannes inter electos ac reprobos, quos uocat filios Dei & filios diaboli hactenus distinguit, ut electos dicat peccatum facere non posse, propterea quòd habeant in se semen Dei: reprobos uerò peccatum facere, dubio procul eam ob causam, quòd inest illis semen diaboli: & hac in re notam collocat, qua utrique cognoscantur ac discernantur. Cauendum itaque est, ne quod dicit, Omnis qui manet in eo, non peccat, de priore peccandi modo, quo etiam electi peccant, sed de posteriore intelligatur, quo impij, reprobi ac filij diaboli peccatis faciendis ex animo student. Et hinc liquet, quàm uehementer errent nonnulli Anabaptistæ, qui ex hisce uerbis Ioannis euincere conantur, Christianum hominem simpliciter peccare non posse, eoque deueniunt, ut quoniam pro ueris Christianis soli spretis cæteris omnibus, haberi uolunt, asserant se nullo modo peccare, & prorsus esse sine peccatis: id quod satan per eos astutissimè ad hoc facit, ut infirmas piorum mentes, qui subinde peccatiuim in se sentiunt, & in peccata per carnis infirmitatem prolabuntur, prorsus ad desperationem adigat & perdat. Nec obseruant miseri quàm magno serio idem Ioannes cap. 1. in eadem sua Canonica dicat: Si dixerimus quòd peccatum non habeamus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis nõ est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quòd non peccauerimus, mendacem facimus eum, & uerbum eius in nobis non est. Itaq; seipsos seducũt, & ueritas in ipsis nõ est, imò mendacem cõstituunt Deum: qui uel hoc ipso, quòd sanguinẽ nobis filij sui cõtinuæ mediationis ac propitiationis loco ad hoc parauit, ut illius beneficio iugiter à peccatis liberemur, satis testatur esse nos adhuc quantumuis fideles & Christianos, peccatis obnoxios: ideoq; requiri necessariò, ut peccata nostra indesinenter confiteamur, & gratiam propitiationis huius cum gratiarum actione quàm cupidissimè complectamur.

Qui natus est ex Deo, peccatum non facit.

Anabaptistarũ quorundam error, qui se sine peccato esse contendunt.

IIII. AN PECCATVM PECCATO *grauius existat.*

De opinione Stoicorũ, qui peccata omnia dicebant esse paria.

STtoicorum erat opinio, paria esse peccata omnia. dicebant peccata non rerum euentu ac magnitudine noxæ, sed uitijs hominum esse metienda. Id quidem in quo peccatur, aliud alio maius aut minus esse posse, ipsum uerò peccatum non ita: utpote si nauem gubernator subuertat, nihil referre ad peccati qualitatem, aurône uel paleis fuerit onusta. Nam etiã si in re ipsa aliquantulum sit discriminis, in gubernatoris tamen insciti nihil interesse docebant. Ad eum modũ argutabantur illi: Peccare est tanquam transire lineas. Hoc ubi semel est factũ, non refert ad augendã culpam, quousq; progrediare. Peccatũ est, quicquid nõ licet. Illud nõ licet, in quouis peccati genere par est. Ergo quę ex eo nascũtur peccata, paria sint necesse est. Vita quenquã priuare per iniuriã non licet. Peccat quisquis hominẽ per iniuriã occidit. Nec refert quis ille sit qui occiditur, seruûsne uel parens. In utroq; cõmittitur quod nõ licet, nisi quòd in seruo necando semel peccatur, in patre uerò multa peccata cõcurrunt. Violatur enim primũ homo innocens, deinde is qui procreauit, aluit, instituit, sede ac domo collocauit, &c. atq; ita multitudine peccatorũ grauius redditur facinus, & pœna maiore dignũ: uerũ ipsum peccatũ in se par est. Sic disputabãt Stoicꝰ, iudicabantq; nõ esse uim aliq̃ maiorẽ, qua possint homines à quauis improbitate arceri, quã si senserint nullũ in delictis esse discri-

Quò respexerint Stoici.

men,& equè peccare se,si priuatis ac si magistratibus manus inferant: & si domui cuicunque stuprum intulerint,eandem esse labem libidinis.Eadem ratione,opinor,nihil referre dicturi erant in hominem ne uel Deum ipsum blasphemus existas.

Stoicorum opinio,etiã ipsorũ tẽpore dãnata ac repressa est.

1 Horum opinionem in præsenti refellere non est animus, quæ ipsorum quoque temporibus abundè satis est repressa, declaratumque nec paria esse uicia, unde peccata nascuntur: nec nihil referre ad peccati auxesim, quòd res ipsæ in quibus peccatur,dissimiles ac dispares sunt,ut quo hæ maioris minorisúe momenti sunt, eo quoque peccata in illis commissa maiora sint aut minora.

Noxia est opinio Stoicorũ.

2 Deinde tam abest, ut hæc ipsorum opinio improbitatem delinquentium arceat, ut eam magis prouehat & augeat. Etenim quisnam ille mortalium est,qui sic cautus, & actorum suorum obseruans esse queat,ut lineas iusticiæ nusquá transeat? Igitur qui leuiter alicubi transgressus est,& facili compendio ab errore delicti recedere ac pedem referre posset,si metu grauioris delicti reprimeretur,ubi se iam sic peccasse cogitat, ut grauius nequeat, nec referre ad peccati grauitatem sentit,quousq; peccãdo progrediatur,posteaquam semel limites iusticiæ excessit,quid quæso facturus est aliud,quàm quod ipsa peccandi libido suadet? uidelicet desperatione quadam obstinatus peccando perget, quousq; permittitur, & quod initiò leuiter corrigi poterat,in immensum delicti cumulum augebit: & quod peius est,nihilo se enormius peccasse cogitabit,quàm ubi primùm leuiter deliquerat.

Verùm relictis illis ad nos reuertamur, quibus uel ex eo satis constat, peccatum peccato grauius in conspectu Dei censeri,quod ipsa præcepta Dei haud pariformiter de seruáda pietate & iusticia præscribunt,nec pares pœnas transgressoribus, sed alijs leuiores,alijs grauiores minãtur,ut taceam quod Christus ad Pilatum dicebat, Propterea qui me tibi tradiderũt, maius peccatum habent.

Inæqualitas peccatorũ bifariã cõsiderãda.

Est autem peccatorum inæqualitas, meo iudicio, bifariam consideranda. 1 Primũ, ut si diuersa inter se delicta conferantur,aliud alio sit uel maius,uel minus: ut grauius est peccatũ, quo immediatè contra Deum,quàm quo contra hominem: deinde grauius, quo contra parentes,quàm quo aduersum alios homines delinquitur. Leuius peccat,qui famis necessitate coactus furatur,quo stomachum latrantem compescat,quàm qui saturandæ libidinis gratiæ uxori proximi stuprum inferre non dubitat. Grauius delinquit,qui uitæ proximi,quàm qui bonis illius insidiatur. Et tamen etiam iste leuius peccatum committit, quàm qui alicuius animæ salutem interuertit,& æternæ perditionis causam subministrat.

Prouerb.6.

Gradus peccatorum.

2 Deinde,quomodo unumquodq; peccatum seorsum consideratum uel suis ipsius gradibus exurgat uel circumstantijs inspectis leuius uel grauius appareat. Sic inordinatus irę affectus per se quidẽ peccatũ habet: uerùm id grandescit, & quo enormius in apertũ prorumpit, hoc grauius redditur. Sic Christus Matth.5.dicit, Omnis qui irascitur fratri suo,reus erit iudicio. Quicũq; dixerit fratri suo Racha,reus erit cõsilio. Qui dixerit fatue,reus erit gehẽnę ignis. Ad hunc modũ & de reliquis est uitijs sentiendũ. Vxorem proximi concupiscere,peccatum est,& adulterium in conspectu Dei censetur. Peccatũ tamen hoc gradus suos habet, quibus grandescit & maius redditur: utpote,si non solũ concupiscas corde, sed & concupiscentiam hanc mulieri,uel nutibus,uel uerbis significes,nec eo contentus, ad libidinẽ quoq; sollicites muneribus & uerbis interpelles,ac tandem opus ipsum nefariè perficias. Sic peccatum gradibus suis crescit. Quod peccati circumstantias attinet,dubio procul grauius peccat,qui sciẽter,quã qui ignorãter peccat. Haud quidẽ excusatur seruus ille,qui uolũtatẽ domini sui ignorans delinquit,nec pœnas euadit,nisi beneficio gratiæ: uerùm is grauius peccat,& grauius etiã uapulabit,qui uoluntatẽ domini sui sciens ac prudens transgreditur. Cogitemus hic quid expectandum sit illis,qui cũ in luce uerbi Dei uersentur,nec ignorãtiam uoluntatis Dei prætexere queant,nihilo tamen minus carnis concupiscẽtijs & omnis generis delictis indulgẽt. Præterea grauius peccatum est,quod per ingenij maliciã quã quod per carnis infirmitatem: & maius quod studio & destinato,quã quod per occasionẽ perficitur. Enormius peccat,qui perseueranter,q̃ qui semel tantũ uel secundò peccat. Plus delicti habet,qui cum aliorũ offendiculo peccat, quàm is cuius delicto nullũ cuiquã offendiculũ obijcitur: & qui cũ maiori,quã qui cũ minori offendiculo delinquit. Qui leui occasione peccat,grauius delictum habet,quã qui nõ nisi magna tentatione ad peccandũ impellitur. Deniq; & illorũ peccatum grandius est,qui plus nacti sunt occasionis ad resipiscendũ,& tamen non resipiscunt,quã quibus tantũ occasionis non contigit. Sic impœnitentia Capernaitarum impœnitentiã Sodomitarũ grauitate sua excellit. In summa,si circumstantiæ personarũ,locorũ,temporum,rerũ,modorũ,&c. inspiciantur,& quis,in quẽ,ubi,quando,quomodo,qua in re,quo animi proposito,ac quibus de causis delinquat,cõsideretur,satis opinor,manifestũ erit,plurimũ esse discriminis inter ea quæ quotidie delinquimus, ut tanta non sit morborum, quanta peccatorum uarietas ac differentia.

Circumstantiæ peccatorum.

Cautio.

Cauendum est autem,ne ista circunstãtiarum cõsideratione peruersè utamur,quod illi faciunt,qui eas oculatissimè expendunt, quãdo ad sua cæci de aliorum peccatis iudicare præsumunt: qui si charitate fraterna præditi essent, peccata fratrũ non exaggerarent, sed uel obtegerent,

obtegerent, uel extenuarent, & interim sua ipsorum delicta accurato iudicio damnarent.

Hæc uolui obiter de peccatorum inæqualitate contra Stoicorum opinionem, propter eos potissimum adolescentes admonere, qui bonis literis incumbunt, ne ficubi in Stoica paradoxa incidant, pernicio sum illorum errorem incauti imbibant.

V. DE DISCRIMINE PECCATI VENIALIS AC MORTALIS.

Quō scholastici de pecato mortali & ueniali senserint.

Discrimen hoc inter peccatum ueniale ac mortale induxerunt Scholastici, idq; ipsorum more admodum perplexè, & parum sacris scripturis cōformiter. Peccatū mortale constituerunt, quod committitur contra præcepta legis diuinæ, naturalis ac humanæ, nisi uel ratione surreptionis, uel modicitatis, uel rationabilis causę, quo ad præcepta humana, uel dispensationis superioris excusetur. Peccatū uerò ueniale id esse dixerunt, quod non est contra, sed præter legem aliquam, nō seruans modum rationis, quem lex sancta intendit. Huiusmodi peccatum tripliciter ueniale dici tradiderūt. Primò, quòd iam ueniam sit consequutū, ut cùm peccatum mortale per confessionem fit ueniale. Secundò, quòd aliquam ueniæ causam in se habeat, propter quā minus puniatur: ut sunt ea quæ uel ex infirmitate, uel per ignorantiam committuntur. Tertiò, quòd quantum in se est, ueniam, id est, terminationem pœnæ non excludit, sicut peccatum mortale, quod quantum in se est, pœnam meretur æternam, & sic ueniam excludit.

Personas peccātium magis quàm peccati qualitatem, esse cōsiderādas.

Verùm opinionibus illorum relictis inspiciamus rem ipsam secundum sacrarum scripturarum ueritatem, & Christianæ fidei analogiam. Sciēdum igitur est, magis esse in hac causa personas peccantium, quàm ipsa peccata, considerandas. Peccatum in se nullum adeò est minutum, quod non sit morte dignum, si remota misericordia iudicetur. Etenim si uerum est quod ille dicit, Væ uniuersæ iusticiæ nostræ, si remota misericordia iudicetur: quomodo non magis ad hunc modum de qualibuscunq; peccatis pronūciabimus? Quapropter etiam interna concupiscentia & cogitata nostra legi dei aduersantia, sic sunt in se comparata, ut mortis nos reos constituant, nisi per sanguinem Christi remittantur. Et peccatū illud latens in membris nostris, quod ex Adamo contraximus, mortiferū est, ut fructus illius taceam. Quid enim sunt omnia peccata, quę uel cogitando, uel loquendo, uel operando contra uoluntatem Dei committimus, quàm quidam illius peccati fructus, quod originale uocamus?

Personæ electorum ac fideliū.

Constituamus igitur primùm de peccantium personis. Quòd si illæ in Christo sunt electę ac fideles, consequitur & illorum peccata mortalia nō esse, sed uenialia. Neq; enim in iudiciū ueniunt, sed transeunt à morte in uitam. Et sicut Apostolus Rom. 8. dicit: Nihil condemnationis est illis qui sunt in Christo Iesu. Et secundum Canonicam Ioannis: Si quis ex numero fidelium peccauerit, aduocatum habet in cœlis Christum Iesum, qui est propiciatio pro peccatis nostris, sedetq; ad dexterā patris, & interpellat pro nobis. Igitur nec morbus ille & corruptio naturæ, nec motus inordinati, quos in se experiuntur, dum caro cōcupiscit aduersus spiritum: nec seruitus illa, qua contra ipsorum uota carne seruiunt legi peccati, & bonū quod uolunt, non faciunt, malum quod odiunt, faciunt, mortem illis conciliant, propterea quòd sunt sub gratia, & iustitia Christi seruantur. Si uerò qui peccant sant homines infideles ac reprobi, omnia illorum peccata quamuisleuia uideantur, mortalia existunt: propterea quòd expertes sunt gratiæ Dei, nec ueniam delictorum consequi possunt, quæ non acquiritur nisi fide in sanguinem Christi. In illis secundum sententiam Apostoli affectus carnis mors est. Secundum carnem sapiunt, secundum carnem uiuunt. Si secundum carnem uixeritis, inquit Apostolus, moriemini. Immunda est illorum mens & conscientia. His & corruptio naturæ, quæ est in carne, & uiciosi affectus nihil sunt aliud, quàm peccata mortalia, ut uiciosos actus taceam. Mors ista hinc illis est, quòd uitæ quæ in Christo est, non sunt participes, & quòd à gratia Dei prorsus alieni, iræ illius sunt obnoxij. Ad hunc modum, opinor, satis manifestum est, non posse melius de peccato mortali ac ueniali determinari, quàm secundum delinquentium personarum uarietatem. Peccamus quidem omnes, & electi & reprobi, & fideles & infideles: & electorum quoque peccata si secundum ipsorum qualitatem iudicarentur, mortem ac condemnationem non euaderent. Verùm ex eo uenialia sunt, quòd per gratiam redemptionis ac propiciationis remittuntur & condonantur: quod de nullis impiorum & infidelium peccatis dici potest.

Infideles ac reprobi.

Vnde uenialia sint peccata electorum.

Obiectio, An fideles posśnt citra salutis detrimentum uiuere secūdum carnem.

Sed dicet hic quispiam: Nullum igitur peccati genus est, nullum etiā crimen, quod homini fideli sit mortale? Ergo fideles possunt sine ullo salutis detrimēto uiuere secundum carnē, & carnis indulgere affectibus, possunt securè scortari, adulteria cōmittere, esse molles, masculorum cōcubitores, fures, defraudatores, ebrioſi, conuiciatores, raptores, auari, idololatræ, uenefici, sectarij, æmulatores, inuidi, commessatores, percussores, blasphemi, &c. Etenim si omnia illorum peccata uenialia sunt, uenialia erunt & ista, adeoq; morti non obnoxia. Respondeo: Hoc pacto decipiuntur, quibus persuadetur, quòd qui in catholica ecclesia manent, damnari nequeant, etiamsi enormiter peccent. Intelligunt autem catholicam ecclesiā,

Seductio catholicorum.

Romanam illam ſedem, purpuratam reginam. Nos uerò ad hanc quæſtionem reſpondemus, Aut fac arborem bonam, & fructus eius bonos: aut malam, & fructus eius malos. Huiuſmodi peccata ſunt opera nõ fidelis, ſed carnalis hominis. Vocat ea Paulus opera carnis, Gal. 5. conteſtaturq; eos qui talia faciunt, regnum Dei poſsidere non poſſe. Et Epheſ. 5. tribuit illa non fidelibus, ſed inobedientibus, immorigeris & incredulis: dicitq; illa iram Dei in eos qui ſic peccant, prouocare. Non poteſt fieri, ut qui uera ſunt fide prædíti, ad hunc modũ enormiter, impiè, ſceleratè ac deploratè peccent. Nam etiamſi aliquando in graue aliquod peccatũ incidant, fit tamen illud longè diuerſo à carnalibus hominibus animo, ſtudio ac modo. Non ſtudent ſceleribus, quæ ex animo deteſtantur, etſi quod ſcelus committunt, accidit hoc illis præter animi propoſitũ, nec ſceleri immorantur, nec opere prauo delectantur, ſed per gratiã Domini cõfeſtim reſiliunt, ſe ipſi accuſant, malefactum deplorant, remiſsionem ambiunt, & per gratiam Domini inueniũt. Atq; ita illis etiam eiuſmodi grauia peccata, qualia Dauidis, Iathonis, mulieris peccatricis & publicani fuere, propter gratiam propiciationis uenalia reddũtur.

Quomodo peccent electi.

An peccatũ ueniale poſsit fieri mortale.

Diſputant de eo, fieri ne poſsit, ut quod ueniale peccatum erat, propter quaſdã circumſtantias fiat mortale: ut ſi ebrietas frequentetur, & in conſuetudinem ducatur, & ira diutius retenta corroboretur. Nos ſentimus & hic quoq; qualitatem delinquẽtis eſſe conſiderandã. Quòd ſi is qui cœleſtis fuerat gratiæ particeps factus, ab ea gratia exciderit, & ex homine iuſto, pio, fideli ac Dei timẽte factus fuerit iniuſtus, impius, infidelis ac contẽptor Dei: quemad modum huius cõſcientia puritate fidei amiſſa, morti facta eſt obnoxia, ita & omnia illius peccata, quæ dum in gratia erat, uenialia fuerant, in mortalia conuertuntur. Sic Ezech. 33. legimus, Cum receſſerit iuſtus à iuſtitia ſua, feceritq; iniquitates, morietur in eis. Item, Omnes iuſticiæ eius obliuioni tradẽtur. Quid autem aliud conſequi poterit, ſi arbor bona peruertatur in malam, quam ut & ipſi fructus è bonis fiant mali? Qui à principijs fidei ac ſpiritus boni ad perfidiam degenerant, omnem ſuam uitam, quæ ueniæ particeps erat, mortalem cõſtituunt: quales illi ſunt, qui cũ Galatis ſpiritu quidem incipiunt, tandem uerò carne deſinunt. Illi condemnationi ſunt obnoxij, & eorum peccata nõ amplius uenialia, ſed mortalia, niſi reſipiſcãt, & ad gratiam ſanguinis Chriſti unde prolapſi ſunt, reuertantur: ſi tamen ita prolapſi ſunt, ut reſipiſcentiæ ac redeundi ad gratiam locus eſſe poſsit. Scio hic à nonnullis aliter ſentiri. Verùm quid mihi uideatur, abſq; illorum iniuria liberè dico.

Gal. 3.

VI. DE PECCATO IN SPIRITVM SANCTVM.

Opinio Scholaſticorum.

PEccatum in ſpiritum S. eſſe dixerũt, quando quis id abijcere contendit, quod peccandi poſſet impedire propoſitum. Vt ſi quis inſtigetur ad peccãdum, & occurrat ei diuini iudicij ſeueritas, quam de peccato ſuo pœnas aliquando ſumpturam cogitat, ſi ſuggeſtionem hanc ſtudioſe reijciat, & peccato ſuo impunitatem polliceatur, uel certè futuras pœnas experiri magis quàm peccandi propoſitum abijcere ſtatuat, hunc peccatum in ſpiritum S. cõmittere tradunt. Et huius ſex ſpecies aſsignant: præſumptionem uidelicet, qua ſine meritis de miſericordia Dei præſumatur: deſperationem de gratia Dei, impugnationem ueritatis agnitæ, inuidentiam fraternæ grãtiæ, obſtinationem & impœnitentiam. Sic ſentiunt Scholaſtici de peccato in ſpiritum ſanctum.

Species peccati in ſpiritũ S. iuxta ſententiam Scholaſticorum.

Verùm operæprecium eſt ipſa Chriſti uerba de hoc peccato adferre in medium, quę Matt. 12. ſic leguntur: Propterea dico uobis, omne peccatum & conuicium remittetur hominibus, at conuicium in ſpiritum noſt remittetur hominibus. Et quicunq; dixerit uerbum aduerſus filium hominis, remittetur illi: qui autem dixerit aduerſus ſpiritum ſanctum, non remittetur illi, neq; in præſenti ſeculo, neq; in futuro.

Verba Chriſti, Matth. 12.

Videmus hoc loco peccatum illud in ſpiritum ſanctum, quod neq; in hoc ſeculo, nec in futuro, hoc eſt, nũquam remittitur, uocari à Chriſto blaſphemiam, id eſt, conuicium. Conuiciũ eſt, quo probrum alicui inuritur, quo ſolemus ea deteſtari quæ probroſa & execranda eſſe iudicamus. Blaſphemia hæc non eſt ſimplex peccatum. Neq; quoduis peccatum blaſphemia eſt: at quæuis blaſphemia peccatum eſt. Peccatum eſt, quo contra iuſtitiæ rectitudinem delinquitur. Blaſphemia eſt, quando non ſolùm limites recti tranſiliuntur, ſed & illud in quod delinquitur, uituperatur, ac probris afficitur. Peccatum eſt, quicquid contra doctrinam ueritatis delinquitur. Sic ſanè multi delinquũt. Verùm non mox blaſphemus eſt contra doctrinam ueritatis, qui ſic peccat, niſi illam probris & cõuicijs inſectetur, & hæreticam, erroneam ac diabolicam uocet. Qui magiſtratui non obedit, peccat: qui uerò contumelijs quoq; & conuicijs magiſtratum proſcindit, blaſphemus eſt. Filius qui parẽti non obedit, delinquit: at blaſphemus in illum dici non poteſt, niſi inobedientiæ adijciat & conuicia. Sic blaſphemia licet peccatum ſit, in ſe tamen quiddam continet, quo ſimplex peccatum excellat. Hinc Chriſtus cùm dixiſſet, Omne peccatum (tanquam minus) ſubiunxit etiam conuicium (tanquam grãdius peccatum) remittetur hominibus: at cõuicium in ſpiritum ſanctum non remittetur hominibus. Item, non dicit: Qui autem peccauerit aduerſus ſpiritum ſanctum: ſed, Qui autẽ

Peccatũ in ſpiritum ſanctum blaſphemiam habet.

Quid diſcriminis ſit inter peccatum & blaſphemiam.

dixerit

dixerit aduersus spiritum sanctum. Hæc commemorare uolui, ut intelligamus peccatũ illud in spiritum sanctum tale quid esse, quod probris, contumelijs & conuicijs perficiatur. Quapropter meo iudicio haud admodum pertinenter illi tribuuntur species illę peccatorũ, quas suprà recensuimus, nisi sola agnitæ ueritatis impugnatio, si conuicijs sit coniuncta, sicuti plerunq; fieri solet. Potest enim fieri, ut qui de misericordia Dei sine ullis suis meritis cõfidat, sic illud faciat, ut ad gloriam misericordiæ Dei & ipsius salutem faciat. Deniq; etiam si quis non rectè de gratia Dei præsumat hodie, uel desperet, uel obstinatus sit & impœnitens, uel gratię fraternę inuideat, fieri potest, ut cras ista corrigat, atq; ita haudquaquam ad mortem peccauerit. Quòd si talis ad finem usq; perseuerauerit, peccat quidem ad mortem: uerùm nõ uideo quomodo eiusmodi peccata blasphemiam in spiritum sanctum contineant. Sed uideamus quæ sit blasphemia in spiritum sanctum, de qua Christus loquitur.

Peccatũ in spiritum sanctum conuicijs perficitur.

Marci tertio sic legimus: Qui autem conuicium dixerit in spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed obnoxius est æterno iudicio. dicebant enim, Spiritum immundum habet. Ergo blasphemia in spiritum sanctum erat, non aliqua cordis uel impœnitentis, uel obstinati, uel desperantis, uel temerè sperantis qualitas, sed conuicium illud, quo Christũ spiritum immundum habere mentiebantur: hoc est, quo spiritum sanctum, per quem uel in quo Christus eijciebat dæmonia, satanæ spiritum esse dicebant, cùm esset spiritus, id est, uirtus illa Dei, quæ in Luca digitus Dei uocatur. Satis apparet nõ quoduis peccatum in spiritũ sanctum sic damnari à Christo, ut sit prorsus irremisibile (nam alioqui in spiritum sanctum peccant, quotquot prædicationi gratiæ Dei resistunt, etiam ignoranter: quibus tamẽ non negatur pœnitentię locus, ut apertè uidere est Act. 7. ubi Stephanus cum dixisset, Duri ceruice & incircuncisis cordibus, uos semper spiritui sancto restitistis: tandem ubi lapidabatur, orando pro illis dicebat, Ne imputes illis hoc peccatum Domine, quia nesciunt quid faciant) sed conuicium in agnitam ueritatem prolatum, quam contra conscientiam inuidiæ stimulis agitati blasphemabant: quę blasphemia ideo dicitur in spiritum sanctum, quòd illius opera, uel miraculo, uel sermone sapientiæ, uel alia quapiam ratione mortalium mentibus ueritas ita perspicuè innotescit, ut negari nequeat: quę si uirtute illius ad hunc modum manifestata blasphemijs à quopiam contra ipsius conscientiam affecta fuerit, rectè spiritus sanctus blasphemari dicitur.

Quæ sit blasphemia in spiritum sanctũ.

Sunt autem duo blasphemantium genera. Vnum eorum qui ueritatem Dei conuicijs insectantur per ignorantiam. Illi consimiles sunt filio hominis per errorem propter formam humilitatis conuiciantibus, qualis erat & Paulus. Hisce adhuc aditus est ad resipiscentiã, & peccati condonationem: ideoq; & orandum pro illis est. Non enim peccãt ad mortem. Sic Apostolus 1. Tim. 1. de se ipse dicit: Qui prius blasphemus fui, & persequutor, & cõtumeliosus, sed misericordiam Dei consequutus sum, quia ignorans feci. Alterum eorum, qui non per ignorantiam incognitam ueritatem, sed cognitam scienter contra ipsorum conscientiam propter inuidiam obstinatamq; maliciam blasphemãt, pro quibus orandum non est, quia peccant ad mortem, 1. Iohan. 5. Horum alij ueritati Dei nondum nomen dederunt, licet illam cognouerint, quales erant scribæ & pharisæi dicentes, In Beelzebub eijcit dæmonia: alij ueritati conuiciantur, quam nõ solùm cognouerunt, sed & professi sunt, quales extiterunt Iulianus, Porphyrius, Alexander ærarius, & alij multi. De illis intelligendi sunt duo illi loci in epistola ad Ebræos, capite sexto & 10. Istis similes sunt, qui hodie ueritatem Euangelicæ doctrinę, quam & agnouerunt, & magno olim studio amplexi & professi sunt, uersis uelis hostiliter insectantur ac blasphemant.

Duo sunt blasphemantiũ genera.

Pro quibus sit blasphemis orandum.

Pro quib. blasphemis nõ sit orandum.

QVARE BLASPHEMIA IN SPIRITVM *sanctum non remittatur.*

ARbitrantur nonnulli huic blasphemiæ in spiritum sanctum omnem denegari ueniam in sempiternum, propterea quòd scienter contra cognitam ueritatem, nõ ignoranter, sicut ea quæ in filium hominis fit, committatur. Verùm durum est sic statuere. Nam etiam illi qui scienter aliquãdo peccant, ueniam consequũtur, si resipiscant. Quapropter certius est, ut rationem hanc sumamus ex uerbis Apostoli Ebr. 6. ubi peccantibus in spiritum S. tribuitur, quòd per resipiscentiam renouari nequeat. Vnde admonemur ideo illis negari ueniam, quòd resipiscere nesciunt. Quòd igitur Augustinus finalem impœnitentiam, & pertinacem gratiæ dei oppugnationem peccatum in spiritum S. esse dicit, id magis est causa, propter quam blasphemia in spiritum S. nunquam remittitur. Non enim remittitur delictũ sine pœnitentia delinquentibus. Nesciũt autem resipiscere qui tales sunt, propterea quòd sunt uasa iræ Dei, parata in interitum, homines reprobi & serui satanæ: quod ex eo patet, quòd cognitione ueritatis illuminati, non sunt cordibus immutati, perinde ac si terra bene compluta & culta non fructum bonum, sed spinas proferat ac tribulos, unde maledicta esse deprehenditur.

Blasphemis in spiritum S. negatur uenia, quia resipiscere nesciunt.

DE

DE LEGIBVS.

1. Cor. 15.

Transitio.

QVONIAM, teste Apostolo, uirtus peccati lex est, cõueniens uidetur, ut loco de peccato cum qui de lege sit, quàm proximè subijciamus, cui ultra ea quæ à ueteribus conscripta sunt, nostro seculo eruditorum hominum studio & labore multũ lucis accessit. nec immeritò. Est enim necessaria illius cognitio, præsertim propter eum qui finis est legis, Christum uidelicet, ut gratia illius humano generi allata liquidius cognoscatur. Videamus autem ista ex ordine:

1 Quid sit lex.
2 A quo & quibus danda sit lex.
3 Quotuplex sit lex.
4 Quæ sit uis & efficacia legis.
5 Legem impleri quid sit.
6 De lege spiritus.
7 De abrogatione legis.

I. QVID SIT LEX.

Voces quib. lex significatur

Lex sine doctrina.

תורה

QVod uocum significationem concernit, quibus id appellatur quod cõmuniter legem uocamus, sciendum est Ebræis legem esse תורה, quæ uox propriè doctrinam significat. Pulchrè sanè. Etenim omnino id conuenit esse primarium in lege, ut mentes hominum de eo quod iustum, æquum, pium, honestum & uerè utile: ac rursus quod iniustum, iniquum, impium, inhonestum ac noxium sit, edoceantur. Ideo quæcunq; sic præcipiuntur, ut luce doctrinæ careant, magis improbam dominationem quàm תורה, ac rectæ legis rationem spirare uidẽtur. Vnde est dictum illud Hieron. Nolo mihi imperet ille uel ille, qui me opprimere potest, docere non potest.

νόμος

Aquitas in legæ spectanda.

Distributio legis gemina.

Deinde legẽ Græci uocant νόμον, à νέμειν, quod dividere ac distribuere significat. Sic lex nomos uocatur, propterea qd' unicuiq; distribuit quod ipse cõpetit. Atq; hæc est æquitas illa sine qua nulla lex iusta ac firma esse potest. Pertinet enim ad legis æquitatem recta faciendorũ ac seruandorum distributio. Illa gemina est. Generalis una, specialis altera. Generalis, qua cõmuniter omnibus, quæ communiter omnes: specialis, qua singulis specialiter imponuntur, quæ specialiter unumquenq; secundum personarum ac statuum diuersitatem concernũt, de quibus in præsenti non est dicendi locus. Liquet igitur iniquas esse eas leges, quæ sine discrimine rectaq; distributione uel eadem uniuersis, non ad uniuersos pertinentia, uel talia singulis præcipiunt, quæ à conditione ac statu singulorum aliena deprehenduntur.

Lex.

Tertiò Latinis lex à legendo uel deligendo, sicuti rex à regendo dicitur. Etenim delectus propriè ad legis cùm prudentiam tum æquitatem pertinet. Sunt tamen, qui legis uocem à ligando ducant, quòd legis authoritate, iustitia & æquitate mentes mortalium obligentur, ac quasi uinculis quibusdam ab eo quod iniquum & illicitum est cohibeãtur. Sic forsan ille sensit qui dixit, Nec uerba minantia fixo Aere ligabantur. Est qui legem à legendo propterea dictam putet, quòd publicè legatur, ne quis de ignorantia illius queri, excusationemq; delicti prætendere possit. Sanè usus prælegendi publicè legem necessarius illis est, ad quos pertinet legis obseruantia: uerùm meo iudicio non minus incõmode lex ab eo ducitur quòd publicè legatur, quàm si regem ex eo dici putes, quòd publicè regatur.

Gesatz.

Satzung.

θέσθαι

Quartò legem nos Germani uocamus *Gesatz, uel satzung*: id est, statutum, constitutionem, positionem. Hac uoce illud exprimitur, quod conuenit legem esse firmam, tanquam non solum prudenti consilio, & æquo iudicio, sed & irrefragabili authoritate positam & constitutam. Sic Graeci θέσθαι, id est ponere sumunt pro κυρῶσαι, quod firmare & authenticum facere significat. Hæc de uocis etymologia & ratione paucis perstringere placuit, uideamus nũc quę sit legis definitio.

Definitio legis

Legem definiunt, esse recti præceptionem, prauiq; depulsionem. Alij sic, Lex est regula & mensura actuum agendorum uel omittendorum. Vel ad hunc modum, Lex est dictamen rationis practicæ. Cicero alicubi dicit, esse uim & sententiam iusti iurisq; colendi. Breuiter & concinnè dictum. Nam quod alij dicunt, Lex est ratio summa, insita in natura, quæ iubet ea quæ facienda sunt, prohibetq; contraria: magis legi naturæ, quàm legi in genere definiendæ conuenit. Sit igitur lex, ratio, norma, sentẽtia, authoritate & iustitia pollens, qua quæ seruanda præstandaq; sint præcipiuntur, quæ uitanda prohibentur.

II. QVIBVS ET A QVO DANDA SIT LEX.

Quibus.

Nec intelligẽ-

QVoniam in lege duo hæc insunt, primùm doctrina instruens, deinde authoritas iubens & impellens, consentaneum est, usum & rationem legis non habere locum in illis qui

&

& ſcientia rerum per ſe ualent, & ultro ad ea quæ bona ſunt & recta feruntur, & contraria deteſtantur & uitãt. Hinc eſt, quod Apoſtolus dicit, legẽ non eſſe poſitam iuſto. Ratio eſt, quod alioqui ad ea quæ lex præcipit, propendet, qui iuſtus eſt, nec propendet tantum animo, ſed & illis etiam præſtandis ſtudioſiſsimè incumbit. Relinquitur ergo, legem pertinere ad eos, qui uel non intelligunt quæ facienda ſunt & quæ uitanda: uel etiamſi intelligant, ſic animati non ſunt, ut illis delectentur, & præſtandis ex animo ſtudeant. Data eſt autẽ lex mortalibus. Niſi igitur fruſtra datam eſſe dicturi ſumus, neceſſe eſt, ſic eſſe comparatam generis noſtri naturam, ut ex ſe ipſa nec intelligat, nec amet ueram iuſtitiã, ideoq; opus habeat legibus, quib. & doceatur & urgeatur. Deinde & illud cogitandũ eſt, ipſa legis poſitio, cui ſubiecta eſt humana natura, humilitatẽ noſtram arguit. Etenim nulla ratione negari poteſt, ſubeſſe eum legislatori ſuo, cui authoritate ac poteſtate ſuperiori quid facere quidq; uitare debeat, lege præſcribitur. Nemo inferior ſuperiori ſuo legem figere poteſt, conuincimur ergo de ſubiectionis humilitate per id, quòd legis poſitioni ſubiecti ſumus. Hæc ſcilicet eſt noſtra diuinitas, ad cuius faſtigiũ ſerpentis ſuaſu caro noſtra peruenit. Sic dij facti ſumus, authoritate & ſcientia boni ac mali pollentes, ut puerorũ inſtar edocẽdi ac legibus coercendi ſimus. Deprimat iſta cõſideratio cordis noſtri ſupercilium, & tanquam erroribus, malitiæq; obnoxios, in affectu humilitatis & ſtudio debitæ obediẽtiæ cõtineat. Hęc obiter de eo diximus, quibus dãda ſit lex.

tes nec amãtes ſumus ueræ iuſtitiæ.

Ipſa legis poſitio, cui ſubiecti ſumus, humilitatem noſtram arguit.

Videamus conſequenter, cuius ſit authoritas ponendi leges. Romani cuiuſdam põtificis uox eſt, Vbi eſt maioritas, ibi eſt mandandi poteſtas: & ubi minoritas, ibi obediẽdi: eſt neceſsitas. Hac ſententia ad condendarum legum authoritatem cõtendit Rom. ſedes, poſtquã ſibi in eccleſia maioritatẽ ſuper omnia uindicauit. Hactenus uera ſententia eſt, mãdandi poteſtatem maioribus, obediendi humilitatem minoribus competere. Verùm iuxtà cõſideran dum eſt, non ſufficere ad hanc de qua in præſenti loquimur cõdendarum legum authoritatẽ qualemcunq; maieſtatẽ, titulo tenus inter mortales acquiſitam, ſed ipſam huius rei naturam expoſcere, ut cõcurrant in eo, qui uerus ſit & cõmunis omniũ legis lator, maieſtas uera, potẽtia, ſapientia, iuſtitia, bonitas & ueritas, idq; non tẽporaria, ſed ęterna: nec mẽſurata & imperfecta, ſed plena & perfecta, ſic ut qui hiſce præditus eſt, uiua & æterna lex eſſe poſsit: ſitq; uoluntas illius fons quidam omniũ earum legum, quib. non ſolum humanum genus, ſed & cuncta quæ in cœlo ſunt & in terra, regantur & cõſeruentur. Etenim hoc rerum omniũ curſus, ratio & conditio requirit, ut quę inferiora, imperfecta, mutabilia, uaria & temporaria ſunt, à ſuperiore quadam, perfecta, immutabili, certa, conſtanti & æterna mente gubernẽtur, cuius ſapientia, bonitas, æquitas, ueritas, iuſtitia & potentia nulli menſuræ, nulli tempori, nulli loco ſit alligata, ſed in omnem ſeſe plenitudinẽ, omnem omniũ ſeculorum ætatem, omnemq; illũ totius uniuerſi circulum ſine ullis impedimentis immediatè & indefinẽter extendat. Huiuſmodi mentẽ nõ licet ulli adſcribere creaturæ. Eſt enim omnis creatura propter imperfectionem iſti æternę legi obnoxia. Neceſſe eſt itaq; ut ſolum Deum conſtituamus uerum, unicum & ſolum perfectum legislatorẽ. Huic obſtricta ſunt omnia, cum propter authoritatem maieſtatis infinitæ, tũ propter perfectam ſapientiã, iuſtitiã, æquitatem ac bonitatem, deniq; propter neceſſariã eſſentię ab illo acceptę conſeruationem. Nequit enim conſiſtere, quicquid ab hac æterna ac uiua lege abalienatur. Quicquid igitur legum eſt, recta ratione, æquitate & authoritate præditarũ, ex hoc ueluti fonte promanauit, unde omnis eſt ſapientia, iuſtitia, æquitas & authoritas. Quare, qui rectè ſapiunt, nõ immeritò ſtatuunt legem nec hominũ eſſe ingenijs excogitatam, nec ſcitum populorum, ſed ęternũ quiddam, quod diuina ſapientia in uſus mortalium profluxerit. De authoritate Principum, magiſtratuum ac populorũ nihil hic loquimur, ſed quæ hanc concernunt, in eum locũ reſeruamus, ubi de Magiſtratibus dicemus.

A quo danda ſit lex. Dictũ Romani pontificis.

Qualis maieſtas ad legis poſitionem requiratur.

Solus Deus perfectus eſt legislator.

III. QVOTVPLEX SIT LEX.

EX præcedentibus, quę de æterna lege, mente uidelicet ſupremi legislatoris, deq; humani generis conditione præmiſimus, ſatis, opinor, liquet, fieri nõ potuiſſe, quin ex fonte illo omnis æquitatis & iuſtitiæ leges quædam in uſus mortalium promanarent. Harũ diuiſionem ſtatuamus iſtam:

Prima, ſit lex naturæ.
Secunda, lex uerbo ſine literis expreſſa.
Tertia, lex ſcripta.
Quarta, lex ſpiritus.

Nos compendioſa hac diuiſione contenti ſumus. Operoſior quæratur apud alios.

DE LEGE NATVRAE.

PRiuſquam diſiniamus, quid ſit lex naturæ, primùm admonendus eſt lector, uocari legem naturæ non tale quid, quod uel præter uel ultra æternam illam legem, quæ in Deo eſt,

est, per ipsam naturam nostrā præscribatur: sed quod à Deo ipso naturaliter sit omnibus mortalibus infixum, & ęternę illius legi planè consonum. Lex alicuius esse dupliciter dici potest, Primùm eius à quo ponitur. Sic quod hic legem naturæ uocamus, lex Dei est, non naturę nostræ. Deinde eius, cui ponitur. Hoc sensu lex ista lex naturæ uocatur.

Lex alicuius esse dupliciter dicitur.

Est autem lex naturę, lumen ac dictamen illud rationis, quo inter bonum & malum discernimus. Thomas dicit, Lex naturæ nihil est aliud, quàm participatio legis æternæ in rationali creatura. Ea definitio exprimit quidem, unde sit nobis dictamen illud & lumen rationis, ex lege uidelicet ęterna: quid uerò sit, nō exprimit. Et illud, In rationali creatura, potest & angelos complecti, de quorū natura nihil hic quæritur. Alij legem hāc fusius definiunt ad hunc modum: Lex naturæ sententia communis est, cui omnes homines pariter assentimur, atque adeò, quam Deus insculpsit cuiusq; animo, ad formandos mores accommodatam.

Lex naturæ quid sit.

Explicatio definitionis.

Cauendum est autem, ne lege ista comprehendi putemus omnia, quæ naturæ nostrę inesse uidentur. Primùm enim de illis tantum intelligi debet, quæ à Deo nobis sunt indita, ut omnia illa excludantur, quę non sunt à Deo, sed à Satana corruptionis nostræ authore. Deinde nec ea quoq; in uniuersum omnia cōprehenduntur hac lege, quæ à Deo naturæ nostrę cōmuniter sunt infixa: ut excludantur omnia, quę cum brutis animātibus naturaliter habemus cōmunia, eaq; duntaxat retineantur, quæ ut homines ratione præditi singulariter prę bestijs ex æternæ legis Dei participatione accepimus. Vt hæc intelligantur, opus est commoda aliqua distinctione, propter eos, qui in hisce rebus minus exercitatos habent sensus.

Distinguendū inter naturales affectus, & inter iudicia rationis.

Distinguamus igitur inter affectus naturæ nostræ insitos, quos cōcreatos uocant, & inter rationis nostrę iudicia. Affectuum alij sunt adhuc integri, alij corrupti. Integros à Deo, corruptos à ueneno peccati, habemus. Integri sunt, quibus quæ uitæ nostrę sunt necessaria, naturaliter appetimus: utpote, cum esuriēs cibum, sitiens potum, frigens calorem, calescens refrigerationem, captiuus libertatem, mortis metu uel sensu correptus uitam appetit, & mortis horrore afficitur. Huc etiam pertinent affectus amoris, odij, irę, tristitiæ, lætitiæ, timoris, & si qui sunt consimiles. alij, qui nihil habent in se peccati, & in Christo quoq; tanquam uero homine locum habent, deniq; & communes nobis sunt cum bestijs, quorum omnium usus est, ut uitæ necessitati consulatur, in quem finem nobis à Deo sunt inditi.

Affectus alij integri, alij corrupti.

Corrupti affectus sunt φιλαυτία, appetitio inanis gloriæ, studium חבוץ id est, proprij cōmodi & auaritiæ, uindictæ cupido, odium ueritatis, & amor mendacij & uanitatis, propensio ad uagam libidinem, & omnia illa quæ legi æternæ aduersantur, & tanquam illicita & aliena à uera iustitia condemnantur.

Iudicia rationis.

Neutrum istorum affectuum genus ad legem est naturæ referendum, sicuti suprà memini. Quare inspiciēda sunt iudicia rationis, quibus lex ista constat. Sunt illa duplicis generis. Sic enim ea in prę senti causa diuidere conuenit. Primum genus religionem: alterum, conuictum humanum concernit. Quod religionem attinet, experimur id inesse cōmuniter omnib. quòd sentimus esse numen aliquod ὑπερανθρώπινον cœleste, & ὑπεραγγέλικον, quo regitur orbis, & quę in illo sunt omnia dispensantur & cōseruantur. Deinde, numen hoc esse colendū, timendū, illiq; gratificandum in omnibus. Hinc est, quòd inde ab initio mūdi inter mortales aliqua religio perpetuò obtinuit, qua Deos esse creditū est, illisq; cultus aliquis destinat⁹. Hinc & illud est, quòd cōmuniter sentitur ab omnibus, esse eos impios, qui nulla numinis huius religione & obseruantia tenētur, nec euadere eos impunè, sed diuinæ obnoxios esse uindictæ. Hoc lumē & dictamē naturaliter inditum omnibus, cuius manifestissima seculis omnibus reluxere specimina, sic est per malitiam Satanæ obscuratum, ut nec uerus ille & unicus Deus, creator & conseruator omnium, communiter sit agnitus ab omnibus, nec uera & syncera religione cultus: sed quicquid de deo in cordibus humanis reliquum est, ad plures & falsos deos, & cultū uero Deo indignum translatum. Hinc est illa omnium seculorum πολυθεία & ἀδιαφορία. Notus est locus Apostoli Rom. 1. ut necesse non sit illum huc adducere, & ad uerbum explicare. Planè nulla fuisset unquam plurium deorum opinio, nulla etiam cultuum superstitio, nisi ea quæ iam memini, rationi nostræ communiter essent insita.

Iudicia religione.

Vnde sit religio Deorum.

Iudicia de equitate humani conuictus.

Quod uerò conuictum humanum, & æquitatem pariter & honestatem illi conuenientem concernit, nemo negare potest, esse hoc rationi nostræ inditum, non esse faciendū alijs, quod tibi fieri nolis: ac rursus, quod tibi fieri uelis, id faciēdum esse & alijs. In hoc, teste Christo, cōprehēduntur & lex & pphetæ. Lex ista quatenus naturæ nostræ indita est, hæc habet. Primū rationis nostræ iudicio censetur cōmuniter ab omnibus, quod iniquū est, culpabile & illicitum: & quod æquum est, laudabile ac seruandum esse. Deinde, æquū esse, ut quod sibi quisq; fieri cupit ab alijs, hoc ipsum præstet alijs, modò possit idq; ea fide ac beneuolentia, quā ipse requirit ab alijs. Rursus iniquum esse, cōmittere in alios, quod ab alijs tibi fieri nolis. Accedit & illud, quòd eodē dictamine ducimur ad agnoscendā honestatis obseruātiam, & inhonestatis detestationem. Ex eodem fonte est quòd laudamus modestiam, humilitatē, pudicitiam, gratitudinem, humanitatem & cōmitatem, integritatem, ueritatē, fidem, bonitatem, patientiam in aduersis, temperantiam in prosperis, & quæ alia huiusmodi prædicantur etiam à gentibus:

tibus: contrà uerò damnamus immodestiam, superbiam & arrogãtiam, impudicitiam, ingratitudinem, inhumanitatem, uafriciem, fallaciam, perfidiam, malitiam, impatientiam & intemperantiam, cum alijs uitijs, quæ gentium quoq; calculis damnantur. Sic non modò sentimus omnes, sed & iudicamus, idque non solùm de alijs, sed & de nobis ipsis. Quid aliud est, quod Apostolus Rom. 2. dicit: Cum enim gẽtes, inquit, quæ legem non habent, (intellige scriptam illam Mosaicam) natura quæ legis sunt, faciunt, eæ legem non habentes sibijpsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, simul attestante illorum conscientia, & cogitationibus inter se accusantibus, &c. Audis hic de gentibus, id est, omnibus illis, qui lege scripta carent, quomodo sibijpsis sint lex, quod idem est atq; legem naturæ inditam habere, idq; palam ostendant, dum opus legis, id est, quod lex scripta præcipit, cordibus suis inscriptum esse demonstrant. Deniq; quomodo secundum eam legem in cõscientijs suis uel accusentur malè, uel defendantur benefacientes?

De legibus gentium.

Ex hac lege naturæ prodierunt omnia illa, quæ in legibus & constitutionibus gentiũ tam præclarè sancita leguntur. Homines enim sapientes, & usu rerum humanarum pollentes, ex primis illis generalibus & communibus sententijs, omnium mortalium mentibus per lumẽ rationis inscriptis, diligenti consideratione concluserunt ea particulariter ac specialiter, quę conuictum humanum in tranquillitate & æquitate retinere queant: atq; ita leges ciuiles alias atq; alias pro circunstantijs temporum, rerum, locorum & personarum constituerunt.

Communis & uulgaris æquitas in cordibus mortalium.

Ex hac lege naturæ est, quòd subinde homines agrestes, rure educati, ac prorsus ab omnis generis eruditione & literis alieni, de rebus humanis iudicia proferunt omnium æquissima, ut ne ab ipso Platone quidem æquius iudicari possit. Et communiter omnes, senes, paruuli, mediocres, uiri, mulieres, docti, indocti, hanc nobis inscriptam esse legem sine ulla contradictione testamur, dum confestim atq; iniqui aliquid in nos à quopiam designatur, ad condemnandum quod iniquè gestum est prosilimus, indignã rem & iniquam admissam esse clamantes: atq; ita dum de aliorum malefactis indicamus, satis manifestè declaramus, etiamsi ne ulla quidem lex scripta extaret, esse tamen in ipsis nostris mentibus forum quoddam legale & iudiciarium, unde inter bona & mala discernere, quod bonum est probare, quod malum damnare possimus. Et hinc erat, quòd Adam & Euah cum peccassent, culpam trãsgressionis aliò: ille in mulierem, hæc in serpentem transferre conabantur. Quod manifestum erat argumentum, intelligere eos admissam esse rem indignam, quòd mandatũ Dei transgressi essent. Hinc erat etiam, quòd Cain non simpliciter peccasse se occidendo fratrem, agnouit, sed & peccati illius enormitatem intellexit, dicẽs, Maior est iniquitas mea, quàm ut ueniam merear. Vnde intelligebantur ista nisi ex lege naturæ, & propriæ conscientiæ iudicio? Etenim nulla dum lex extabat alia, quę dictaret, non esse mandata Dei transgredienda, nec sanguis humanus, nedũ fraternus, fundendus. Hinc etiam est, quòd duo filij Noe, Sem & Iaphet lege honestatis moti, uerenda patris reuerenter operuerunt.

Adã & Euah

Cain

Sem & Iaphet

Esse autem hanc legem naturæ nostrę à conditore omnium Deo inditam, triplici argumẽto patet. Primùm per id, quòd quæ bona sunt probat, & quæ mala damnat, ut bona esse conuincatur. Quod si per corruptionem mẽtis nostrę aliquid erroris ac cęcitatis accesserit, id ut malum est, ita à Deo non est, sed à Satana. Deinde, quòd nullis artibus, disciplinis ac literis acquiritur, sed naturaliter ingeneratur. Faciunt quidem literę & humanę institutiones ad hoc, ut quod naturę insertum est, excolatur ac prouehatur, uerùm ipsam rationis ac legis huius lucem ac normam non conferunt. Quod autem naturaliter habetur, aliunde nõ habetur, quàm ab ipso naturæ nostræ authore deo. Tertiò, per id, quòd legis huius iudicia optimè cum lege Dei scripta cõsentiunt, si quæ suprà commemorauimus, capita inspiciantur, ut perspicuũ sit eundem esse utriusq; authorem ac latorem. Itaq; tribus istis argumentis, legem naturę, quòd uidelicet bona est, quòd naturę nostræ indita, & quòd cum scripta lege Dei cõcordat, à deo nobis naturaliter cõcessam esse cõuincitur. Hactenus de lege naturę, quę in præsenti occurrũt annotauimus. Videamus iã cõsequẽter de legib. illis, quę uerbis sunt à deo, nõ litera latę.

Legem naturæ à Deo nobis esse, quomodo pateat.

DE LEGIBVS A DEO NON LITERA, *sed uerbo tantum latis.*

SIngulari consilio uisum est Deo, nõ solùm naturalem legem mentibus indere mortaliũ, sed & adijcere quasdam uerbo suo expressas. Non loquor autem de quolibet uerbo Dei, ad homines uel ante uel post diluuium facto, nec de quolibet mãdato, priuatim ac semel duntaxat adimplendo: sed de illis quæ & iubent aliquid, & communiter imponuntur, & continuationem requirunt. Neq; enim quodlibet mandatum conditionem legis habet, licet lex quælibet uim habeat mandati. Sed uideamus quæ sunt istæ leges.

Non quodlibet mãdatum uim habet legis.

Principiò, cum condidisset hominem, sicuti Gen. 1. legimus, non solùm illi benedixit, sed & legem præscripsit dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & uolatilibus cœli, & uniuersis animãtibus quæ mouẽtur super terram,

Lex prima homini lata de multiplicatione ac dominio.

terram. Dixitq; Deus: Ecce dedi uobis omnem herbam afferentem semẽ ſuper terram & uniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint uobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omniq; uolucri cœli, & uniuerſis quæ mouentur in terra, & in quibus eſt anima uiuens, ut habeant ad ueſcendum. Hæc eſt lex prima, homini diuinitus lata, antequam in peccatum eſſet prolapſus. Eſt autem trimembris. Nam primò præſcribit de propagatione & multiplicatione generis humani, dicens: Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Deinde, de poteſtate dominãdi: Et ſubijcite eã, inquit, & dominamini piſcibus maris, & uolucribus cœli, & uniuerſis animãtibus, quę mouẽtur ſuper terrã. Tertiò, de uictu, cũ dicit: Ecce dedi uobis omnẽ herbã, &c. ut ſint uobis in eſcã, & cũctis animãtibus terrę. Sic diſpoſitũ erat diuinitus de propagãdo & multiplicãdo genere humano, deq; ordine inter reliqua animãtia & hominẽ ſeruando, & de cibo ac uictu, de quibus omnibus uide Cõmentarios noſtros in Gen.

Lex prima trimembris eſt.

Obiectio. Dicet aliquis, non eſſe iſta legis loco adducenda, eo quòd non uideantur habere conditionem illam legis, qua fit, ut culpabilis habeatur, qui quod in lege præcipitur non præſtat. Etenim non uideretur peccare, quiſquis nihil ex ſe ad propagationẽ ac multiplicationem generis noſtri adfert, id quod faciunt ſteriles, & qui cœlibatum ultrò amplectuntur. Deinde conſtat eadem dixiſſe Dominum ad piſces marinos, qui tamen non ſunt legalis uerbi capaces, ut magis uideantur hæc uerba uirtutem habere diuinæ benedictionis, ipſis corporibus tam beſtiarum, quàm hominum ad multiplicandum inditam, quàm uim & conditionem legis. Conſimiliter dici poſſe uidetur, & de duobus reliquis huius legis membris, poteſtatem dominandi, et uictum concernentibus. Neq; enim culpabilis apparet, qui dignitatem dominationis, ſpiritu humilitatis auocatus non amplectitur, ſicuti nec ille, qui herbas & fructus arborum non comedit, ſed uilioribus etiam ueſcitur, & ſi fieri queat, prorſus nihil comedit.

Reſponſio. Reſpõdemus. Omnino neceſſe eſt cõcedatur, habere iſta diuinam ordinationem ac diſpoſitionem rerum ſummopere neceſſariarum generi humano, ut in ſola benedictione diuina includi non poſſint. Licet enim acceſſerit uirtus illa benedictionis Dei, qua fit, ut genus humanum multiplicari, conſeruari & ali poſsit, ſimul tamen præcipiuntur quædam hominibus facienda, hactenus neceſſaria, quatenus mẽtem ac uoluntatem Dei, ac ſimul generis noſtri conditionem concernunt. Mens & uoluntas Dei eſt, ut ex legitima coniunctione maris & fœminæ genus humanum multiplicetur. Sic maſculum & fœminam creauit, ſic illos coniunxit teſte Chriſto dicente, Quos Deus coniunxit, ſic illis benedixit, ſic legẽ multiplicationis ac propagandi generis adiecit. Et iſta non eſſe neceſſaria propagando generi noſtro, quis adeò demens eſt, qui dicat? Cum ergo habeant hæc uerba ordinationem Dei, & neceſsitatem conſeruandi ac multiplicãdi generis noſtri, & præceptũ adiunctum, quid uetat illis adſcribere uim legis? Neq; ſolus ſic ſentio. Nam & Baſilius ad hunc modum expoſuit: Et dominẽtur, inquit, piſcibus maris, & uolatilibus cœli, & beſtijs terræ. Iſta igitur eſt benedictio, iſta eſt nomotheſia, id eſt legis poſitio. Hæc ille. Quod obijcitur de ſterilibus, ac ijs qui cœlibatum amplectuntur, in promptu reſponſio eſt: Sit exemptus ab hac lege ſterilis & impotẽs, quem ipſa natura exemit. Sit exemptus, quem Deus ipſe ſingulari gratia ad ampliora regni ſui negocia exemplum reddidit. Capiat hanc libertatem, qui per gratiam Domini poteſt. Non capiunt autem omnes, quia non datur omnibus. Qui uerò nec naturæ defectu, nec ſingulari gratia Dei eximuntur, & libertatem hanc capere non poſſunt, ſed cõcupiſcentię naturali ſunt obnoxij, quis non uidet eos legi iſti diuinitus latę nõ eſſe exemptos, ſed ſubiectos, ut non ſolùm hactenus peccent, quòd illi ſeſe non ſubdunt, ſed ſpreta diuina ordinatione in uagam quoq; libidinem exorbitant? Paucorum priuilegia communem legem in illis non tollunt, qui priuilegiorum ſunt expertes. Qui legem hãc generi humano neceſſariò impoſuit, poteſt ab illa eximere pro ſuo arbitratu quos uult. Cæteri, ſi ſeipſi iugo legis huius eripere conantur, omniũ rectiſsimè incidunt in ſeruitutem legis, Satanæ & omnis generis ſpurcitiæ: cuius rei horrẽda iam olim in eccleſia Chriſti uiſuntur exempla. Quare nõ deſipuerunt hac certè in re Iſraelitarum uetures, quibus hæc uerba Dei pro lege erant, quam nominarunt מצות פריה ורביה id eſt, præceptum fructificationis ac multiplicationis. Inde erat, quòd ſterilitas in populo Dei tantę eſſet ignominiæ expoſita. Modum forſan exceſſerunt in aſſerenda hac lege, & indiſcriminatim omnibus imponenda. Noſtri è contrario multo enormius peccarunt, legem hanc Dei non ſolùm libertate cœlibatus, ſed & prohibitione coniugij legitimi, & ſcortandi licentia ad indelebile Chriſtiani nominis probrum eneruantes & infringentes.

Paucorum priuilegia communem legem non tollunt.

Quod autem beſtijs quoq; dictum legitur, Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris, non tollit uim legis humano generi impoſitæ. Beſtijs naturaliter tantum indita eſt iſta gignendi ac multiplicandi lex, durans in illis ad finem uſq; mundi, hominibus uerò & naturaliter, & ex præſcripto diuini mandati: id quod ad hoc facit, ut non ſolùm naturali ductu, ſed fide quoq; & obedientia Dei conditoris noſtri coniugio utamur, & menti ac uoluntati legiſlatoris ac conditoris noſtri ſeruiamus.

Ad ea quæ contra legem dominationis & uictus obijciuntur, paucis reſpondeo. Primùm, non eſſe inſpiciendam duntaxat dignitatem dominationis homini cõceſſam, ſed & ſicuti ſu-

prà de legè multiplicationis dixi, mentẽ Dei, & neceſsitatem publici conuictus inter beſtias Sic placuit Deo, ut homo dominaretur cunctis beſtijs, quaſi quidam terræ dominus. Si quis hanc poteſtatẽ homini traditam non neceſſariam eſſe, & liberè abijci poſſe putauerit, per me licet inuerſo ordine ſeruiat ipſe beſtijs, & honorem ſibi à Domino conditore traditum tranſferat ad infimas quaſq; & uiliſsimas beſtiolas.

Deinde, quod legem uictus attinet, etiamſi uerum ſit, quòd nemo ſic aſtringitur ad herbas & arborum fructus, ut niſi illis ueſcatur peccet: nihil tamen impedit, quo minus uim legis habeant, quæ hic de uictu præſcribuntur. Etenim non id tantum legis eſt, ut quædam ſub interminatione pœnæ facienda præcipiat: ſed id quoque, ut nonnulla nominatim permittat, & uſibus hominum tradat, unde reliqua negata eſſe intelligãtur. Herbas & fructus arborum permiſit lex iſta, carnis uſum ea ſpecificatione negari ſignificans, qui tamẽ poſt diluuium eſt alia lege conceſſus. Sic & Baſilius dicit: Prima legislatio fructuum eſum permiſit. Hiſce conſideratis, ſatis liquere puto, primam hanc eſſe legem humano generi confeſtim ab ipſa conditione uerbo Dei latam.

2 Secunda legitur Geneſ. 2. ad hunc modum: Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſum uoluptatis, ut operaretur & cuſtodiret illum. Præcepitq; ei dicens, Ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quacunq; enim die comederis ex eo, morte morieris. *Lex paradiſi*

Hæc erat lex paradiſi, cuius prima pars permiſsionem, ſecunda exceptionem, tertia interminationem habet. Permittit enim Adæ, ut de quouis ligno paradiſi comedat. Neq; enim dicere poſſumus, quòd id illi ſic præceperit, ut niſi de omnibus paradiſi fructibus ederet, peccaret. Deinde adijcit exceptionem, ne permiſsio illa in uniuerſum generalis ac libera eſſet, ſed obedientiæ diuini mandati obſtricta. De ligno, inquit, ſcientiæ boni & mali ne comedas. In primo membro proponebatur conditoris in hominem liberalitas, in ſecundo diuini maieſtatis authoritas: quæ duo omnium rectiſsimè coniungebantur, ne uidelicet ſic uteretur homo liberalitate Dei, ut authoritatẽ illius nulla obedientia & obſeruantia agnoſceret, ſed ſimul & tanto beneficio uteretur, & benefactoris authoritatẽ ueneraretur. Tertiò annectit tranſgreſſionis pœnam, per interminationem dicens: Quacunq; enim die comederis ex eo, morte morieris. Rectè. Neq; enim dignus eſt uita, qui uitæ ſuæ non ueneratur authorem, ſed mãdatum illius, tam obſeruatu facile, nulla neceſsitate coactus tranſgreditur. Finge dixiſſe Dominum, Ecce, ut uiuere poſsis, dedi tibi comedẽdi facultatem, dedi etiam affatim quæ comedas. Sint in tua poteſtate omnes paradiſi fructus, una tãtum arbore excepta, quam meæ authoritati reſeruatam nõ attingas. Ea eſt arbor illa ſcientiæ boni & mali. Si attigeris, faciet illius tibi cibus non ad uitam, ſed ad mortem. Neque enim uita tibi conſtabit ex uetito, ſed ex omni eo cibo, quem tibi liberum ac licitum feci. Is tibi commodus, utilis, ac ad uitæ ſuſtentationem tantiſper ſeruiet, dum à uetito abſtinueris. Si ab illo non abſtinueris, non erit poſthac ullus cibus, qui te in uita ſeruare poterit, ex omnibus illis quorũ tibi copia permittitur. Etenim & ille tibi, qui ex arbore uitę eſt, intercludetur, ne ad illum pertingas, & uitam retinere poſsis. Appa ret hunc eſſe præſentis legis ſenſum, cuius tranſgreſsio non ſolùm generis noſtri parẽtes, ſed & omnes illorum poſteros peccato & morti reddidit obnoxios. qua de re ſuprà dictum eſt, ubi de lapſu hominis annotauimus.

3 Tertia lex eſt, quæ & ipſa Gen. 2. ſic legitur: Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Hæc eſt lex coniugij, non ſolùm Adę & Euæ, ſed & poſteris illorum præſcripta, & ipſius Chriſti filij Dei teſtimonio & authoritate confirmata, ſicuti legere licet Matth. 19. Nec impedit, quòd uidentur hæc uerba nõ eſſe Dei, ſed Adę, ideoq; magis prophetiã de futuro, quàm legis habere rationem. Primùm enim ipſe contextus in Geneſi non conuincit eſſe uerba Adæ. Sic nanq; poſita ſunt, ut, quẽadmodum & Eraſmus annotauit, tam Deo, uel ei qui hiſtoriã ſcripſit, quàm Adę adſcribi poſsint. Deinde etiamſi per Adamum eſſent prolata, nihilo tamen minus uim legis haberent, quàm habẽt ea, quæ per Moſen ſunt lata, ſi perſonam, dignitatem à Deo acceptam, & authoritatem in poſteros, quam tanquam caput illorum ac princeps habebat, in Adamo reſpicias. Tertiò, quòd certius eſt, accedit teſtimonium Chriſti, qui uerba iſta, tãquam primã coniugij legem & tanquam legem à Deo latam, & cui ſeſe conformare debeant coniuges, loco ſupradicto citat dicens: Nõ legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos: & dixit, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Hactenus uerba legis huius recenſuit, ex quibus conſequenter ſic infert: Itaq; iam nõ ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Sic & Chryſoſtomus exponit ſuper Matth. homilia 63. ubi uerba Chriſti paraphraſticè ad hunc modum explicat: Hæc ergo lex, etſi modò à me promulgari uideatur, diligentiſsimè tamen à principio temporum ſancita eſt. Hac etiam non ſimpliciter mulierem uiro collocari uidetis, ſed patrem & matrem dimittendos iuberi: nec ad mulierem ſimpliciter accedere uirum uoluit, uerùm etiam conglutinari, poteſtate dictionis oſtendens illos minimè eſſe ſeparãdos. Nec illud ſibi ſolum *Lex coniugij* *Chryſoſtomus*

sufficit, sed maiorem coniunctionem ostendit, cum dicit: Et erunt duo in carne una. Deinde prisca iam perlecta lege, quę tam uerbis quàm rebus firma persistit, & authoritate latoris nititur, magna iam cum potestate ipse quoque & interpretatur, & legem sanxit dicens, Quare nō sunt duo, sed caro una: & quemadmodum scelus est in duo diuidere unam carnem, sic & mulierem à uiro suo dirimere iniquissimum est. Hæc ille. Visum est ista propter eos annotare, qui sacras scripturas primùm attingunt, ne uerba ista tanquam humana, sed tanquam legem coniugij diuinitus latam intelligant.

Lex uiri ac mulieris post peccatum lata.

4 Quarta lex post lapsum parentum nostrorum lata Genesis tertio, legitur ad hunc modum: Mulieri dixit Deus, Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub uiri potestate eris, & ipse dominabitur tibi. Adæ uerò dixit: Quia audisti uocē uxoris tuę, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuę. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore uultus tui uescēris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es. Quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Hæc ibi. quorum quidem pleraq; magis inflictionem meritæ pœnæ propter transgressionē, quàm legem aliquid præcipientem cōtinent: uerùm quod ad Euam dixit, Sub uiri potestate eris, & ipse dominabitur tibi, utiq; uim legis habet, qua mulieri præcipitur, ut marito suo subijciatur & obediat: sicut & illud quod Adæ dixit, In sudore uultus tui uescēris pane tuo, præceptum legale continet, quo uiro iniungitur, ut laborando & se & domum suam alat. Est itaq; lex mulieris, ut obediat uiro: lex uiri, ut laborando quod honestum est, prouideat de necessarijs uxori, liberis ac familiæ. Huc respiciunt etiam literæ Apostolicæ.

Lex primogenituræ.

5 Quinta lex Genesis quarto legitur sic: Dixit Dominus ad Cain, Quare iratus es, & quare concidit uultus tuus? Nonne, si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? Hisce uerbis nihil præcipit, sed de lege naturæ admonet, illamque confirmat, quæ in conscientia cuiusque sic dictat, æquum esse, ut qui bene agit, recipiat: qui malè, puniatur. Subiungit: Et ad te erit, si quid ille cupiet, & tu dominaberis illi. Sic statuit legem primogenituræ. Erat Cain primogenitus. Illi competebat iure primogenituræ potior dignitas, & dominij potestas. Ius hoc illi præsenti lege cōfirmat dicens: Quod si rectè egeris, quid opus est contristari & irasci aduersus fratrem tuum? Primogenitus es, ideoq; eris & dominus fratris tui. Si quid ille uolet, non erit in ipsius, sed tua potestate, ut faciat, uel secus: atque ita dominaberis illi. Hac itaq; lege tum initio primogenituræ dignitas confirmata est: cuius impij omnium rarissimè legitimam habent rationem, id quod in exemplis Cain & Esau & aliorum consimilium patet.

Lex restaurationis lata post diluuium.

Non excutio hic Hebræam lectionem.

Repetitio primæ legis.

6 Sexta lex post diluuium lata Genesis nono, sic legitur: Benedixit Deus Noe & filijs eius, & dixit ad illos, Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Et terror uester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes uolucres cœli, cum uniuersis quę mouentur super terram. Omnes pisces maris manui uestræ traditi sunt, & omne quod mouetur & uiuit, erit uobis in cibum. Quasi olera uirentia tradidi uobis omnia, excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum uestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis. De manu uiri & fratris eius requiram animam hominis. Quicunque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo. Hęc ibi.

Lex ista tanquam necessaria generi humano, Noe & posteris eius diligenti studio proposita est, in qua primam legem suam Deus in paradiso ante peccatum latam repetit & amplificat. Ad repetitionem pertinent, quæ de multiplicatione generis humani, & potestate in bestias ponuntur. Ad amplificationem faciunt, quæ ad permissionem uictus pertinent. Ante diluuium quippe erant homini tantum herbæ & arborum fructus cibi loco permissi. Hic uerò additur & potestas comedendi carnem: quæ tamen exceptione sanguinis limitatur cum interminatione pœnæ, Si quis sanguinem humanum effundat. Et pœna ista ad æquitatem talionis decernitur: Vt ipsius quoq; sanguis fundatur, qui sanguinem hominis effuderit, eo quòd ad imaginem Dei conditus sit homo. Sic usibus humani generis post diluuium denuò multiplicandi consuluit hac lege dominus, & simul malitiam cordis humani, ne ad quæuis exorbitaret, coercuit, dum carnem cum sanguine comedi uetuit, & pœnas aduersum eos, qui sanguinem humanum ad exemplum Cain & consimilium funderent, statuit.

Poterant & circumcisio, Abrahę Genes. 16 data, & institutio Paschatis in Ægypto per Mosen facta, ad hanc referri legum classem: uerùm quoniā magis ad fœdera & sacramenta, quàm ad legis normam pertinent, & præterea in scriptam sunt legem trāslatæ: arbitror eas hic posse omitti. Et hactenus de legibus Dei uerbo duntaxat absq; literis expressis dictum esto.

DE LEGE SCRIPTA.

Quæ sit lex scripta.

LEgem scriptam uocamus, quā Deus Israeli per Mosen tulit, & Moses libris suis Exodi, Leuitici, Numerorū, ac Deuteronomij complexus est. Administrata fuit ista Mosi per angelos,

angelos, ſicuti Act. 7. Stephanus teſtatur dicens, Accepiſtis legem per diſpoſitionem angelorum: & Galat. 3. Apoſtolus, Lex data eſt, inquit, per angelos in manu mediatoris.

Hanc cõmuniter, nec adeò incommodè diuidunt in præcepta moralia, iudicialia, & ceremonialia: uel, in præcepta, ſtatuta, & iudicia. Intelligunt autem per ſtatuta, omnia illa quę ad ritus & ceremonias pertinent. Per moralia prȩcepta, decalogum: per iudicialia, omnes eas leges, quibus in cauſis ac controuerſijs politicis decernitur, & delinquẽtibus pœnæ ſtatuũtur. *Diuiſio legis ſcriptæ.*

DE PRÆCEPTIS MORALIBVS.

PRæcepta moralia ſunt, quibus animi hominum ad affectus & mores, cùm pios tum æquos inſtituuntur. Ad affectus inquam, ne quoniam moralia uocãtur, imperitè quiſquá de ſolis externorum operum moribus intelligat, cum lex ſpiritualis ſit, & intimorũ quoque affectuum regula. Cùm pios inquam, tum æquos, ut intelligas iſtis præceptis nõ ea tantum præſcribi, quæ humanum conuictum iuſtitia & æquitate colendum: ſed & quæ uerum illum cultum Dei concernunt, qui pietatis dictione exprimitur. *Quid ſint præcepta moralia.*

Horum omnium cempendioſiſsima ſumma eſt, Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum ſicut teipſum. Illa nõihil explicatius per Decalogum traditur, & poſtea fuſius particularium quorundam ſpecificatione, quaſi quibuſdam commentarijs ab ipſo Moſe, & poſt Moſen à prophetis illuſtratur, ut nõ fruſtra dixerit Chriſtus, duobus iſtis mandatis dilectionis Dei & proximi uniuerſam legem ac prophetas comprehendi, Matth. 22. qua de re ſi cui lubet, Commentarios noſtros in Matthæum cap. 5. & 22. conſulat. *Summa præceptorum moralium.* *Nõ eſt præterationẽ, quòd decalogus iſte ſeruatus eſt in eccleſia.*

DE DECALOGO.

DEVTERONOMII quarto, & decimo uocantur prȩcepta Decalogi decem uerba, quæ Chriſtianæ iuuentuti multo accuratius, quàm decem illa prædicamenta in ſcholis trita, inculcanda eſſe iudicamus: licet nec illorum ſcientia ſobriè uſurpata inutilis exiſtat. Sunt autem decem uerba, decem legales ſententiæ, quibus omnis legis huius ſumma continetur. Et hanc ob cauſam uſurpatum eſt hoc nominis, ut uocemus Decalogum, tanquam legem decem ſententijs comprehenſam. *Vox decalogi.*

Arbitror autem non eſſe anxiè de eo diſputandum, quid rationis ac myſterij numerus iſte denarius in ſe contineat, & an propheta per decem chordarum Pſalterium ad Decalogum hunc alluſerit: uel decem prȩcepta ſint quaſi decem menſes mulieris prȩgnantis, ſicuti Chryſoſtomo placuit 2. expoſitione ſuper Matth. Homilia quadrageſima nona. Huiuſmodi cogitationes ocioſis hominibus relinquamus. Id potius conſtat, uoluiſſe Dominum populũ ſuũ rudem adhuc, & in rebus ſacris minus exercitatũ, initiò ſic inſtituere, ut eſſet illi in promptu ſumma quædam eorum præceptorum, quæ ad formandos animos illius facerent: eaque nec numeroſa membris, nec cõfuſa congerie, ſed uſqueadeò ſuccincta ac diſtincta, ut ſine ullo negocio memoriæ mandari, numerusq; præceptorum tam expeditè à quolibet, atque proprio rum digitorum, retineri ac recenſeri poſsit. Quem ſic diſpoſuit, ut ſummarię iſtæ decem ſententiæ uulgò eſſent cognitiſsimæ, quarum latior explicatio ſacerdotali miniſterio committenda eſſet: quò illud reſpicit Malachiæ ſecundo, Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius. *De numero denario.*

Profuerit etiam diligenter animaduertere, quàm haud leuiter, ſed maximo ſerio propoſitus ſit hic Decalogus. Plurimum refert, quomodo res etiam in ſe maximę proponantur. Poſſunt ſic proponi obiter, leuiter ac perfunctoriè, ut plus cõtemptus quàm exiſtimationis inueniant. Nihil autem ſic incommodat ueræ pietati, atque ſi de mandatis Dei non admodum religioſe ſentiatur. Quare cum laturus eſſet populo ſuo legem hanc Deus, triduò antea iuſsit illum ſanctificari, animoſque illius ad audiendum iuſſa ſua præparari. Deinde cum primis poſtulauit ab illis, uellẽtne uocem ſuam audire, ideſt, iuſsis ſuis parere, pactorumq; eſſe ſeruantes: ac tum demum, cum in obedientiã iſtam conſenſiſſent, in diem tertium parari. & ad montem auſcultandi gratia adduci iuſsit, idq; ea religione, ut ad radicem montis multitudo conſiſteret, nec quiſquam ex ea ſub interminatione mortis ipſum montem attingeret. Sic poſcebatur uidelicet ad iſtam concionem percipiendæ legis Dei gratia inſtitutam animus pius, diuinæ uoluntati obediens, ſanctificatus, ab omni curioſitatis leuitate alienus, ac tremens ad uocem Domini Dei ſui. Huc faciebat & ipſe modus, quo lex iſta ferebatur. Apparebat Dominus terribili maieſtate per tonitrua, fulgura, ignem, caliginoſam nubem, fumum montis ardentis ac tubæ clangorem paulatim inualeſcẽtem. Sic uidelicet populo rudi diuinæ maieſtatis terror & authoritas incutiebatur. Omnia eò ſpectabant, ut lex quæ proponebatur, cum ti *Quomodo ſit initiò propoſita lex decalogi* *Qualẽ animũ requiſierit auditus legis dei.*

more & conſcientia dei percipieretur. Qui ſine religione Dei ad uerbi illius auditū accedunt, non ſolùm inefficaciter, ſed & magno ſuo ipſorum malo in concionibus ſacris apparent.

Itaq; ad hunc modum præparato, ſanctificato, obedientiam diuinæ uocis profeſſo, ac religioſe ad audiendum comparenti populo, tandem tertio die proponuntur præcepta Decalogi, ad hunc modum loquente Domino cunctis audientibus ac promulgante.

EXODI XX.

Primum præceptum. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo ſeruitutis.*

Non habebis deos alienos coram me.

Secundum. *Non facies tibi ſculptile, neq; omnem ſimilitudinem eorum, quæ ſunt in cœlo deſuper, et quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neq; coles. Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, uiſitans iniquitatem patrum in filijs, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me: et faciens miſericordiam in millia, his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.*

Tertium. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in uanum. Neq; enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini ſui fruſtra.*

Quartum. *Memento ut diem Sabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autē die ſabbatū Domini Dei tui eſt. Nō facies omne opus in eo, tu & filius tuus, et filia tua, ſeruus tuus et ancilla tua, iumentum tuū, & aduena qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram, & mare, et omnia quæ in eis ſunt, & requieuit die ſeptimo. Idcirco benedixit Dominus diei ſabbati, et ſanctificauit eum.*

Quintum. *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longæuus ſuper terram, quā Dominus Deus tuus dabit tibi.*

Sextum. *Non occides.*

Septimum. *Non mœchaberis.*

Octauum. *Non furaberis.*

Nonum. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.*

Decimum. *Non concupiſces domum proximi tui, nec concupiſces uxorem eius, nec ſeruum, nec ancillam, nec bouem, nec aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.*

DIVISIO DECALOGI.

Gemina diuiſio Decalogi. *Duæ tabulæ lapidæ.*

Hic eſt contextus Decalogi. Diuiditur autem ille bifariam. Primùm in duas tabulas, quibus digito Dei fuit inſcriptus. Non erat ſatis, ſemel audiſſe uocem Dei, niſi & monumentum literarium digito Dei cōſcriptum extaret, quo poſteritati conſuleretur, & duri populi ueluti ſaxea conſcientia cōuinceretur. Ideo lapideæ uſurpatæ ſunt tabulæ, non chartaceæ. Nec uni tabulę confuſe inſcripta ſunt omnia, ſed ſecūdum materiarum diuerſitatem diſcreta in duas: ſic ut prima ſeorſim, quæ dilectionem Dei: altera quoq; ſeparatim, quę dilectionem proximi attinent, contineret. Et primum locum meritò tanquam digniora ſortiūtur, quę propriè pietatem erga Deum cōcernunt, & cōpetenter ab illis ſeparantur, quæ ad homines diſponūtur.

Quō ſecundū mādatum ſimile ſit priori. Quòd autem Chriſtus dicit Matth. 22. Secundum præceptum, uidelicet de dilectione proximi, ſimile eſſe priori, quod dilectionem dei præcipit, non ſic eſt intelligendum, quòd par ſit utriuſque dignitas & excellentia: niſi dicturi ſumus, non eſſe Deum ſupra hominem diligendum: ſed ſic diſtinguendum, ut primum præceptum ordine, dignitate & excellentia præſtantius ſit altero: alterum uerò primo ſit non par & æquale, ſed ſimile, idque ſui qualitate & conditione Qualitate, quia utrobique dilectio pura ac ſincera præcipitur: ueluti ſi dicas hominē homini ſimilem eſſe, natura ſcilicet & qualitate, quamuis alius alium excellat magnitudine, ordine, dignitate, & cætera. Conditione, propterea quòd, ut dilectio Dei caput & ſumma eſt omnium reliquorum præceptorum, quæ Deum: ita & dilectio proximi, ſumma & caput eorum eſt quæ homines concernunt.

Dilectio proximi pendet à dilectione dei. Rectè ergo Decalogus iſte propter eorum, quæ prę cipiuntur diſcretionem, ſic eſt duabus tabulis inſcriptus, ut priorem & locum & tabulam dilectio Dei, ſequentem dilectio proximi ſortiretur. Quid aliud hac diuiſione admonemur, quàm ut dilectionē proximo impēdendam ordiamur à dilectione Dei, & Deum diligamus ante omnia, & propter Deum etiam proximum, quo Deus in nobis & primas habeat in omnibus, & omnis bonitatis, iuſtitiæ & æquitatis erga proximum declarandæ fons ſit, & origo.

De charitate ordinata. Quare quòd ordinatam charitatem à ſeipſa incipere dicunt, ſi de charitate Dei dicitur, uerum eſt. Nam illa non habet unde oriatur, niſi ex ſeipſa. Si uerò de noſtra charitate quæ recta ſit & ordinata profertur, non uideo quomodo uerè dici poſsit. Etenim nec orditur illa à ſeipſa, ſed originem trahit à ſpiritu dilectionis Dei, per quem cordibus noſtris infunditur: nec ordine ſeipſum primum diligit pius, ſed primas dilectionis ſuæ ſanctificat Domino Deo ſuo: & poſt hunc, & propter hunc amanter cōplectitur proximum, interim ſemetipſum abnegās, ac totus Deo ac proximo ſecundum ueræ dilectionis ingenium uiuens.

Deinde

Deinde diuiditur Decalogus in decem uerba, quod quidam sic faciunt, ut precepta primę tabulæ in tria, secundæ uerò in septem diuidant. Atq; ita præceptum de imaginibus ac sculptilibus expungunt, & ultimũ quod de concupiscentia latum est, in duo dirimunt: Augustinum sequuti, qui libro secundo Quæstionum super Exodum, cap. 71. propter mysterium scilicet S. Triados, primæ tabulæ tria præcepta, & secundæ reliqua septem deputat. Hanc diuisionem nemo ex ueteribus, quod ego sciam, posuit: sed omnes in primam tabulam quatuor, & in secundam sex reliqua distribuerunt. *Diuisio Decalogi in decem uerba. Augustinus.*

Sic Athanasius ex Græcis in synopsi scilicet scripturarum constituit, Πρῶτον ἐντολὴν, ἐγὼ εἰμι κύριος ὁ θεός σου. Δεύτερον, οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον, οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα. Τρίτον, οὐ λήψῃ τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ θεοῦ σου ἐπὶ ματαίῳ. Τέταρτον, μνήσθητι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων. Πέμπτον, τίμα τὸν πατέρα σου, καὶ τὴν μητέρα σου. Ἕκτον, οὐ φονεύσεις. Ἕβδομον, οὐ μοιχεύσεις. Ὄγδοον, οὐ κλέψεις. Ἔνατον, οὐ ψευδομαρτυρήσεις κατὰ τοῦ πλησίον σου μαρτυρίαν ψευδῆ. Δέκατον, οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον σου, οὐδ' ὅσα τοῦ πλησίον σού ἐστιν. Sic diuidit Athanasius.

Et Origenes super Exodum, primum mandatum ponit: Non erunt tibi dij alij præter me. & secundum: Non facies tibi idolum, neq; ullam similitudinem, &c. ac affirmat, nec numerũ præceptorum, nec ueritatem Decalogi cõstare posse, si secus diuidatur, & ex duobus primis mandatis unum constituatur. *Origenes.*

Chrysostomus in expositione secunda super Matthæum, Homilia quadragesima nona sic dicit: Legis iustitia prima & salutaris, decem habet mandata, quasi decem menses. Primum, cognoscere unum Deum: secundum, abstinere ab idolis: tertium, non peierare: quartum, colere Sabbatum spirituale: quintum, honorare patrem & matrem: sextum, non occidere: septimum, non adulterari: octauum, non furtum facere: nonum, non falsum testimonium dicere: decimum, nullam rem proximi concupiscere. Hæc ille. Et Gregorius Nazanzenus Decalogi præcepta sic distribuit: *Chrysost.* *Gregor. Nazanz.*

Τὸν νόμον ἰχάραξε θεὸς δέκα μοῦνα ἑταῖρα
Λαΐνεαις, σὺν οἷ μοι ἴσσεται οὐρανίη.
Οὐ γοῦν ἄλλον ἄνακτα, πάρος εἶον ἐνέστη.
Οὐ τέσσερ ἐνάλμασι κεκλόμενον, καὶ ἄπρηκτον ἀκοῦσαι.
Οὔ τοι μαψιλόγοις μύθοις μιγάλοιο θεοῖο.
Σάββατα πάντα φύλασσε, μετάρσια καὶ σκιόεντα.
Ὀλβίζων ὧν τοκῆας φέρειν χάριν, ὡς ἐπέτειλε.
Φεύγειν αὐθαιρεσίην παλάμης ἀγνὸν, ἀλλοτρίης τε
Εὐνῆς, κλοπαῖσύλῳ τε κακὸν ἔρεπτα, μαρτυρίῳ τε
Ψευδῆ, ἀλλοτρίων τε πόθον, σπιθερὸν μέρος.

Et hæc quoq; Decalogi descriptio sic est posita, ut nisi quòd de simulacris est præceptum, secundi præcepti locum habeat, & ad decimum referatur, quod de concupiscentia rerũ alienarum summaria comprehensione ponitur, numerus denarius assignari nequeat. Ne uerò causetur quisquam, esse patres hosce de ecclesia Græcorum, ideoq; in Romana ecclesia nullã illis esse authoritatem. uideamus etiam Latinos. Hieronymus super epistolam ad Ephesios capite sexto diserte sic diuidit Decalogum, ut primum præceptũ sit: Non erunt tibi dij præter me. secundum: Non facies tibi idolum, neq; omnem similitudinem, &c. & quintum, Honora patrem & matrem. Ambrosius quoq; super eandem epistolam, & locum eundẽ sic scribit: Constat, primum mandatum ita contineri, Non sint tibi alij dij præter me. Deinde, Non facies tibi ullam similitudinem, quæ sunt in cœlo, &c. Tertium: Non sumes nomẽ Domini Dei tui in uanum. Quartum: Obseruabis sabbata mea. Quintum: Honora patrẽ, &c. Sed quia prima quatuor mandata ad Deum pertinent, hæc in prima tabula contineri subintelliguntur. Cætera ad hominem, ut honoret parentes, non occidat, non fornicetur, non furetur, non falsum testimonium dicat, neque quicquam proximi sui concupiscat. Hæc sex mandata in secũda tabula uidentur scripta, quorũ primũ est, Honora patrem, &c. hęc Ambrosius. Arbitror itaque admodum factum esse temerè, & forsan à nonnullis non sine malo cõsilio, quòd antiqua ista Decalogi diuisione, quam & Græca & Latina fuerat Ecclesia sequuta, prorsus obliterata, noua introducta est, qua & secundum præceptum contra imagines & sculptilia, magno Christianæ Ecclesiæ malo, sublatum, & ultimum in duo diuisum est. Prætexitur à Thoma & consimilibus, Augustini authoritas. Quasi uerò unus Augustini locus cæteris patribus omnibus, ijsq; antiquioribus, præiudicare debeat: etiamsi ille constanter ad hunc modum diuidendũ esse Decalogum, sensisset & scripsisset. Quid quòd idem ipse Augustinus manifestè à seipso dissidet, & reliquorum patrum diuisionem, quam loco citato reijcit, in libro Quæstionum Veteris ac Noui testamenti, capite septimo sequitur ac ponit? Quæso quomodo æquum esse poterit, ut unius, idq; sibijpsi non constantis authoritas omnibus alijs præferatur? Deinde, si placuit authoritas Augustini, quare non placuit in eo quod unà cum reliquis antiquioribus concorditer, magis quàm in eo quòd & ab alijs & à seipso diuersum scripsit? Sed magis conueniebat tempori, quo sculptilia & imagines introducebantur in ecclesiam Christi, ea diuisio, qua præceptum secundũ contra imagines latum è numero denario excludebatur, *Non solũ græci, sed & Latini sic diuiserũt. Hieronymus. Ambrosius. Thomas. Augustinus à seipso dissidet.*

quàm qua reſeruabatur. Conuenit igitur, ut reiecta diuiſione illa mutila, corrupta, & poſtremis temporibus tanto damno Eccleſiarum Chriſti in catholicum uſum ſubintroducta, eam ſequamur, quam & ipſe contextus Decalogi requirit, & ueteres tanta concordia cùm inter Græcos tum inter Latinos, & ipſi catholicè uſurparunt.

Quare annotata ſint hæc de diuiſione Decalogi.

Hæc de diuiſione Decalogi annotanda iudicauimus, quæ non adeò magni eſſe momenti uideri poterat, ut cauſam prolixo tractatui daret: niſi in ea tẽpora incidiſſemus, in quibus uel noxia & manifeſta errata probare, uel ſi reprehendamus, iſtas admodum catholicas & Eccleſiaſticas uoces, hæretici, ſchiſmatici, ſeditioſi, hoſtes Eccleſiæ, deſertores audire cogimur, &c. Alioqui ſcio, parum ad pietatis ſtudium facere, ſi præcepta Dei rectè quidem numeres, malè uerò cuſtodias ac ſerues. Neq; improbarim, ſi populo abſq; diuiſiõe, modò integrè omni mutilatione reiecta, ſicuti tradita ſunt à Deo, ſacrisq; ſcripturis cõprehenſa, proponantur, ne mutilatio illorum aliquid ſubſidij adferat illis qui cultum imaginum improbè defendunt.

PRIMVM PRÆCEPTVM.

EGo *ſum* Dominus Deus *tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, è domo ſeruitutis. Non habebis deos alienos coram me.*

Quare hoc ſit primum præceptum.

Primum hoc præceptum, non ſolùm ordine primum eſt, ſed & tale, ut ſine illius obſeruantia reliqua omnia ſint irrita. Comprehendit enim quod caput eſt ueræ religionis, uerę pietatis, & omnis iuſtitiæ.

Propoſitio huius præcepti bimembris.

Propoſitio illius hæc eſt: Me unum habebis Iſrael, ac ſolum adorabis & coles Dominum Deum tuum. Huius duo ſunt membra: unum, quòd ſe Deum Iſraelis eſſe dicit: alterum, quòd ab illo requirit, ut ſe unicum ac ſolum Deum ſuũ ſincero ac fideli corde complectatur, obſeruet, colat & adoret. Ad primum pertinet, quod dicit, Ego ſum Dominus Deus tuus: ad alterum, quod adiungit, Non habebis deos alienos coram me.

Spiritus huius præcepti.

Spiritus horum uerborum eſt: Ero tibi ſolus & unicus Deus. Me ſolum & unicè coles & adorabis, à me ſolo pendebis, mihi ſoli adhærebis. Etenim ſi uerba urgeas, fieri poteſt, ut nequeas de eo accuſari, quòd deos alienos coram uero & unico Deo habeas, & interea tamen ne uerum quidem & unicũ Deum obſerues & colas: perinde atq; mulier reperiri poteſt, quæ nec legitimo ſuo marito fideliter adhæreat & obediat, nec adulterij cum alienis perpetrati cõuinci queat. Quare mens huius præcepti non hoc tantũ ab Iſraele requirit, ut abſtineat à dijs alienis, ſed ut illud unico ac uero Domino deo ſuo adhęrendo faciat. Sed uideamus ſingulas huius præcepti particulas.

Ego ſum יהוה

Ego ſum Dominus Deus tuus.) Obſeruemus primùm quòd dicit, Ego ſum Dominus. Ebraicè eſt אנוכי יהוה, id eſt, Ego ſum EXISTENS: hoc eſt, Ego ſum eſſentia illa, per quã, & in qua ſunt, ſubſiſtunt ac conſeruantur omnia. Ego per neminem alium, neq; ex alio, nec in alio quoquam, ſed per meipſum, ex me, & in meipſo uiuo, ſubſiſto & poſſum omnia, contineo ac conſeruo omnia. Sic unica uoce comprehenditur diuina illa & omnipotens eſſentia, uirtus & efficacia ueri & unici Dei, principium, conſeruatio & finis omnium.

Nõ poteſt eſſe uerus deus, qui nõ eſt Iehoua.

Deinde notandum eſt, quòd addit, Deus: Ego ſum Dominus Deus, inquit. Admonemur, fieri non poſſe, ut uerus Deus ſit, qui non eſt Iehouah. Vox Elohim, potentiæ ſignificationẽ habet, in ſeipſa cõſiderata. Vſurpatur aũt pro eo, qui ut omnipotẽs eſt, ita & potẽtia ſua quoſuis cõſeruare, & ex omnibus malis eripere, & cõtra quęuis aduerſa defendere tueriq; poteſt. Ea potentia nulli poteſt creaturæ competere: ſed illius tantum eſt, qui uerè de ſeipſo prędicare poteſt, quòd ſit Iehouah. Rectè ergo, poſtquã dixit, Ego ſum Iehouah: adiecit, Deus tuus.

Quomodo iſta ad myſterium, ſcilicet Triadis faciant.

Tertiò, nec illud tranſeundũ eſt, quòd uox pluralis אל חיך, id eſt, ſi propriè reddas, Dij tui, cum pronomine ſingulari, Ego, coniungitur. Vſurpatur quidẽ hæc uox in forma pluralis numeri pro ſingulari, ac legitur: Ego ſum Dominus Deus tuus. Verùm interea pulcherrimè cõuenit iſta loquutio myſterio tam unitatis quàm Triadis in uera diuinitate. Quoniam quod eſſentiam attinet, unus tantũ eſt Dñs ac Deus uerus Iehouah. rectè non dicit, Nos ſumus Domini: ſed, Ego ſum Dominus. Rurſus, quoniã tres ſunt ueræ diuinitatis hypoſtaſes ac perſonæ, omniũ commodiſsimè non dicit, Ego ſum Iehouah אלך, id eſt, Deus uel fortis tuus: ſed, Ego ſum Iehouah אל חיך, id eſt, Dij tui, uel fortes tui. Ne dicas, ſic plures deos cõſtitui: obſtat quod in ſingulari dicit, Ego Iehouah. Iterum ne ſic unã unius Dei eſſentiam ſtatuas, ut Triadem perſonam neges, occurrit quod in plurali dicit אל חיך.

Quòd nõ ſimpliciter dicit, Ego Dominus Deus: ſed, Ego Dominus deus tuus.

Quartò, obſeruãdum eſt, quòd non ſimpliciter dicit, Ego Dominus Deus: ſed, Ego Dominus Deus tuus. Sic authoritatem & iuriſdictionem ſuam legislator legi ſuæ præmittit, eamq; non ſolum generalem, quam habet in omnes totius orbis nationes, ſed & ſpecialem illam ac ſingularem, qua ſibi populum Iſraelis peculiariter electum & aſſumptum, peculiariter obſtrictum habebat. Admonemur hoc loco, quid requiratur ad poteſtatẽ & ius νομοθεσίας: hoc uidelicet, ut qui legem laturus eſt populo, ante omnia declaret, eorum ſe eſſe Dominũ, quibus ſit authoritate legali, quæ facienda ſint, & quæ uitãda, præſcripturus. Vbi illa tam eſt manifeſta,

ut negari

ut negari non possit, nulla relinquitur subditis inobedientiæ excusatio. Neq; enim à se inuicem diuelli possunt, autoritas maiestatis & iurisdictionis in eo qui Dominus est, & debitum obedientiæ in illis qui subditi illius sunt & subiecti. Quare, quoties confitemur esse Dominũ Deum nostrũ: simul testificamur esse nos illius potestati ac iurisdictioni subiectos, & ad obediendum iussis illius inexcusabiliter obstrictos.

Qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis.) Poterat uideri satis authoritatis in eo esse pro posito, quòd legem daturus dixit: Ego sum Dominus Deus tuus. uerùm duabus de causis admodum grauibus particulam hanc adiecit.

Particulã hanc duabus de causis esse adiectã.

Vna est, ut quod dixerat: Ego sum Dominus Deus tuus, efficacissimo experimento declaratum esse admoneret: eo uidelicet, quòd eduxerat eos è seruitute tyránica, omnium grauissima. Sic dicit, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis. quasi dicat, Qui manifestissimo argumẽto declaraui, quòd sim Deus tuus, per id quòd te de domo Pharaonis, cui tot annos durissima seruitute subiectus fuisti, brachio potenti liberaui & eduxi. Poterat illustrius diuinitatis suæ argumentum cõmemorare ac dicere: Ego sum Dominus Deus tuus, qui cœlum, terram, mare, & quæ in illis sunt omnia condidi. Verùm nõ hoc simpliciter agebat, ut declararet se generaliter esse Deum, sed ut probaret se esse ipsorum Deum specialiter. Quare argumentum diuinitatis suæ tale adduxit, quod ipsos Israelitas concerneret, quibus erat præcepta daturus. Neq; dicit, Qui creaui te: nam id illis commune erat cum reliquis creatis omnibus. Volebat tale quid commemorare, quo singulari, idque hactenus inaudito experimento Israeli manifestissimum fecerat, quòd specialiter ipsorum Deus esset. Ergo Deum alicuius esse, est illius esse creatorẽ, redemptorem, liberatorem ac seruatorem, ut in uirtute & beneficio redemptionis agnoscendus sit Deus. Sic Esaiæ quadragesimo tertio legimus: Et nunc sic dicit Dominus, creans te Iacob, & formans te Israel. Ne timeas, quia redemi te. Vocaui nomen tuum, meus es tu. Cum transieris per aquam, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris per ignem, nõ combureris. Quia ego sum Dominus Deus tuus, sanctus Israel, Seruator tuus, &c. Vide, ubi se prędicat esse Deum Israelis, cõfestim subijcit, Seruator tuus. Item, Redemi te. Et, Tecũ ero in aquis, tecum in igne, sic ut nec aquis operiare, nec ab igne consumare.

Quare non dixerit, Qui cœlum & terram condidi.

Quid sit esse Deũ alicuius.

Altera causa est, ut admonerentur Israelitæ pristinæ seruitutis Ægyptiacæ, unde liberati erant: ac tanti beneficij memores, fideliter adhærerent ac seruirent Domino Deo liberatori suo. Quid enim æquius esse poterit, quàm ut à tyrannica seruitute liberati seruiant & adhæreant ex animo liberatori ac seruatori suo? Itaque uoluit Deus liberationis huius memoriam hærere in mentibus illorum, ut grati essent, & acceptum beneficium bene collocarent. Eam ob causam inseruit hanc particulam Decalogo, imo statim initio illius locauit, quem uoluit illis indesinenter inculcari. Consimili ratione instituit illis ceremoniã Paschatis, qua singulis annis publico ritu admonerentur, unde & à quo essent liberati. uide Exod. 12. Nec est præterrationem, quod non solùm hoc loco & per cęremoniam Paschatis, sed & creberrimè cùm per Mosen, tum per prophetas hoc illis est inculcatum, quòd liberati essent è grauissima seruitute, & ut Moses Deut. 4. loquitur, fornace ferrea, quo nec pristinæ calamitatis, nec accepti beneficij obliuiscerentur. Sic enim comparati sumus, ut confestim obliuiscamur tam præteritæ miseriæ, quàm acceptæ liberationis. Rectè ergo utrunq; hic inculcatur. Non solùm dicit, Qui eduxi te de Ægypto: sed addit, De domo seruitutis. Qualis autem fuerit illa seruitus, Exod. 1. uidere licet. Huius quàm fuerint citò obliti, legitur Num. 14. cũ dicerẽt, Vtinã mortui essemus in Ægypto. Et 21. Cur eduxisti nos de Ægypto? & Psal. 78. Obliti sunt benefactorũ eius. & Psalm. 106. Obliti sunt operum eius.

Admonẽdus erat Israel pristinæ seruitutis.

Deinde notandum est, quòd non simpliciter dicit, Qui succurri tibi seruienti in Ægypto: sed, Qui eduxi te ex Ægypto. Aliquid beneficij habet, opem ferre seruientibus sub tyrãno, ut mitius tractentur, ne prorsus obterãtur. Fecerat & illud, sicuti Exod. 1. legere licet, usqueadeò ut quanto magis opprimebantur, tanto amplius crescerent & multiplicarẽtur. Quo & illud accedit, quòd corda obstetricum affectu cõmiserationis cohibuit, ne crudelitati Pharaõis inseruirent, & masculos in partu enecarẽt, sed potius seruarẽt. Ita succurrebat illis adhuc in seruitute constitutis. Verũ nullâ huius mentionẽ facit, sed quod maius erat, cõmemorat dicens: Qui eduxi te de Ægypto, de domo seruitutis. hoc est, Qui te prorsus liberaui, & nõ solùm seruituti Pharaonis exemi, sed & ex terra illa inimica & impia, in uniuersum cum tuis omnibus eduxi, ne quo pacto seruituti illius rursus fias obnoxius, sed liberatus ab illa sis in sempiternũ.

Non dicit, Succurri tibi seruienti in Aegypto.

Admonemur hoc loco, quanti à nobis fieri debeat, quòd è domo seruitutis & ipsi liberati sumus, primũ Satanæ, deinde & Antichristi. Nondum quidem cœlestem sumus patriam ingressi, sicut nec Israelitę, licet ex Agypto essent educti in terram Cenaan, erant dum inducti: nihilo tamen minus ut illis liberatio tanquam præclarum beneficium Dei inculcatum est in principio Decalogi huius, ita & nobis liberatio è regno Satanæ & Antichristi plurimi est facienda, & iugi memoriæ mandanda. Omnino magnũ est, à seruitute liberũ fieri. Huc pertinebat, quòd præcipiẽdo præcipiebat, ne redirent in Ægyptũ. Vide Deut. 17. Esa. 30. 31. Hier. 42.

Quòd & nos sumus è domo seruitutis liberati.

Quid

Quid enim iniquius, & liberatori intolerabilius accidere poteſt, quàm non ſolum obliuiſci liberationis, ſed & ad domum ſeruitutis, unde fuerant liberati, & prorſus educti, tanto beneficio ſpreto & contempto, non uiolenter retorqueri, ſed ultrò ac ſponte ad probrum & ignominiam liberatoris reuerti? Quare iuſtiſsimo iudicio factum eſt, ut è terra Cenaan eiecti, abducti ſint in Babylonem, obliteratumq; ſit præſens hoc monumentum, Qui eduxi te de Agypto: & in aliud conuerſum, nempe, Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Aquilonis, &c. Vide Eſa. 16. & 23.

Quòd non dicit, De ſeruitute: ſed, De domo ſeruitutis.

Tertiò, obiter & illud expendendum eſt, quòd non dicit, De ſeruitute: ſed, De domo ſeruitutis. Domum Pharaonis, domum regiam, uocat domum ſeruitutis. Conuenientiſsimo elogio domus regia, domus ſeruitutis uocatur. Debebant regiæ domus, domus eſſe protectionis, liberationis & conſeruationis: uerùm in tantam euadunt cõmuniter inſolentiam, ut fiant domus ſeruitutis, tyrannidis & oppreſsionis. Iſraelitæ cùm regem ſibi ſecundum morẽ omnium gentium dari peterent, hac de re per Samuelem, 1. Sam. 8. admonebantur: Hoc, inquit, erit ius regis, qui imperaturus eſt uobis: filios ueſtros tollet, & ponet in currib. ſuis, facietq; ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarũ, & conſtituet ſibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum ſuorũ, & meſſores ſegetũ, & fabros armorũ & curruum ſuorũ. Filias quoq; ueſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoq; ueſtros, & uineas, & oliueta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis. Sed & ſegetes ueſtras & uinearum redditus addecimabit, ut det eunuchis & famulis ſuis. Seruos etiam ueſtros, & ancillas & iuuenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoq; ueſtros addecimabit, uosq; eritis ei ſerui. Hæc Samuel. in quibus quaſi in tabella quadam, ſeruitutis regię depictã uidemus imaginem. Senſerunt hanc ſeruitutem non ſolũ Iudæi, ſed & Romani aliquoties. & licet Tarquinios eiecerint, iugũ tamen regiæ ſeruitutis ne ad hunc quidem uſq; diem prorſus excutere potuerũt. Et Iudæi etiamnum tot ſeculorum ſeruitute ſub imperio Romano preſsi, experti ſunt quanta dementia iugo Chriſti ſeruatoris abnegato clamarint, Regem non habemus niſi Cęſarẽ.

Regiæ ſeruitutis imago.

Quare populum ſuũ Deus non in ipſa terra Cenaan multiplicauerit.

Quartò. Naſcitur autem hic quæſtio, quare populũ ſuum Deus non retinuerit in terra. Cenaan, ut in illa multiplicaretur, nec in Ægyptũ deſcẽderet, ac domui ſeruitutis ſubijceretur? Fuerat Abraham, poſt Abraham & Iſaac, poſt hunc Iacob cum filijs ſuis, in terra Cenaan, ante quam deſcenderent in Ægyptum. Poterat utiq; eos non minus illic quàm in Ægypto multiplicare, reges Cenaan expellere, id quod & poſtea fecit, atq; ita ſeruitutem Ægypti uitare: ne poſtea opus haberet, regno tam nobili proculcato populum ſuum educere.

Cauſa huius, Gen. 15. declaratur hiſce uerbis: Scito, inquit Deus ad Abraham, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubijcient eos ſeruituti, & affligent annis quadringentis. Veruntamen gentẽ cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo, & poſt hęc egrediẽtur cũ magna ſubſtantia. Tu autem ibis ad patres tuos, in pace ſepultus, in ſenectute bona. Generatione autem quarta reuertentur huc. Hactenus oraculum de futura Ægyptiaca ſeruitute. Iá audi cauſam. Necdum enim, inquit, completæ ſunt iniquitates Amorreorum uſq; ad præſens tempus. Ergo propterea nolebat tum temporis expellere Amorreos, ac reliquas gẽtes terræ Cenaan, inq; illa Iſraelem multiplicare, quòd iniquitates Cenaaneorũ nondum eſſent ad excidium maturæ. Ideo migrandum erat Iſraeli in Aegyptum, terram non ſuam, donec malitia terræ Cenaan completa locum daret expulſioni.

An nequiuerit Deus populũ ſuũ cum bona Aegyptiorum gratia in Aegypto multiplicare & educere.

Rurſus dicet aliquis: Poterátne efficere, ut Iſraelitæ in Ægypto nulla ſeruitute premerentur, nec inuitis Ægyptijs, ſed conſentientibus educerentur? Reſpondeo. Poterat utrunq;, ſed neutrum placuit. Primũ enim parabatur materia & occaſio glorificandi nominis ipſius: Ego, inquit, glorificabor in Pharaone. Deinde exercebatur Iſrael cruce ac tribulationibus in terra aliena, ut ad Dominum Deum ſuum ardentius clamaret, & futuram liberationem cupidius amplecteretur: ſimulq; reipſa experiretur, habere ſe Deum liberatorẽ ac ſeruatorẽ. Sic enim comparati ſumus, ut rebus proſperis diffluamus, & beneficia continua, nullis tribulationib. præmiſsis uel interſertis, ſuſq; deq; faciamus.

Quomodo hæc particula ad nos pertineat.

Duplex ſeruitus eſt, peccati & ſatanæ.

Quintò. Quoniam ad nos, qui ex gentibus in Chriſtum credimus, particula iſta non pertinet, qua dicit, Qui eduxi te de Aegypto, de domo ſeruitutis: uidendum eſt, quid nobis hoc ſit loco cogitandum, quærendumq; an non & nos ex aliqua ſimus ſeruitute liberati, cuius figura in Ægyptiaca captiuitate præceſſerit. Duplicem hic ſeruitutem inuenio: peccati unã, Satanæ alteram. Vtraq; ſanè Ægyptiacam grauitate ſua multis nominibus excellit. De ſeruitute peccati extat teſtimonium Chriſti Ioan. 8. Qui facit peccatum, inquit, ſeruus eſt peccati. De hac ſeruitute uide in Commentarijs noſtris ſuper Ioannẽ. De ſeruitute Satanæ meminit Paulus, 2. Tim. 2. cum dicit, Ne quando det illis Deus reſipiſcentiam ad cognoſcendam ueritatẽ, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenẽtur ad ipſius uoluntatẽ. Et Epheſ. 2. in principio capitis: Ab utraq; ſeruitute liberati ſumus à Deo per filiũ eius Chriſtũ Ieſum, ſeruatorem ac Dominum noſtrum. De liberatione à peccato dixit angelus ad Ioſeph Matth. 1. Ipſe liberabit populum ſuum à peccatis eorum. Et Ioann. 8. Chriſtus ipſe. Si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis. De liberatione à regno Satanæ dixit Chriſtus Lucæ 11. Cùm fortis armatus cuſto-

cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſsidet. Cùm autem fortior eo ſuperueniens uicerit eum, uniuerſa arma eius auferet, & ſpolia eius diſtribuet. Et Apoſtolus Coloſſ. 1. Qui eripuit nos, inquit, de poteſtate tenebrarũ, & tranſtulit in regnũ filij dilectionis ſuæ. Quare non debemus cogitare, non eſſe tam luculento experimento declaratum erga nos, Dominũ eſſe Deum ac redemptorem noſtrũ, quã id eſt declaratũ erga Iudæos. Quãto enim durior eſt peccati & Satanæ ſeruitus, quã fuerit ſeruitus Ægypti: tanto illuſtriori argumento nobis cõſtat, habere nos Deum redemptorẽ ac ſeruatorẽ. Quapropter & nobis propoſita ſunt liberationis noſtræ monumenta, non ſolũ in uerbo Euangelij, ſed & publica Dominicæ cœnę cere monia, ne tanti beneficij obliuiſcamur: deinde ut liberatoris noſtri uoluntati ac cultui perpe tuò ſimus addicti: tertiò, ne unquam reuertamur in Aegyptũ, hoc eſt, ne ſpreto tantæ liberationis beneficio, ad contumeliã Seruatoris ac ſanguinis pro nobis effuſi ad regnũ peccati & Satanæ relabamur. Etenim ſi relapſi fuerimus, & cœleſti gratiæ contumeliã tam deteſtandã & inexpiabilẽ intulerimus, non accidet nobis quod Iudæis contigit, ut dicere poſsimus: Viuit Dominus qui eduxit nos de gehenna & igne inextinguibili, ſicuti Iudæi dicere potuerũt: Viuit Dominus, qui eduxit nos de terra Aquilonis. Vide Ebr. 6. & 10. ſed abſq; omni ſpe ſecũ dæ redemptionis, perpetua Satanæ ſeruitute & captiuitate detinebimur.

Alia eſt noſtra quã Iudæorum conditio.

Non habebis deos alienos coram me.) Obſeruandum eſt hoc loco, quòd non ſimpliciter dicit, Non habebis deos alienos: ſed addit, Coram me. In cultu Dei trifariã peccari poteſt. 1 Primùm, quando pro uero & unico Deo coluntur, qui dij non ſunt. Sic communiter peccarunt ethnici, de quorum erroribus uide librũ Sapientię, cap. 13. 2 Deinde, quando uerus quidẽ, & unicus Deus colitur: uerũ non ritè ſecundum illius uoluntatẽ, ſed per ſuperſtitionẽ, & cultus humanitus inſtitutos: quos Chriſtus reprobos eſſe admonet, cũ citato prophetico oraculo Matth. 15. dicit: Fruſtra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominũ. Etenim ſeruire Deo, nihil eſt aliud, quã uoluntati illius eſſe obedientem, quã ille nobis non diuinandam, ſed uerbo ſuo expreſſam, ac certò cognoſcẽdam propoſuit. Hic cultus illi gratus eſt. Iniquiſsimũ eſſe iudico, ſi quis ſeruus hero ſuo, ſecundum quod ipſi uidetur, & non ſecundum illius uolũtatem ſeruiat. Viderint qui in Papatu maiorum ſuorum ueſtigia, magis quàm uerbum Dei ſequuti, humanitus inſtitutis ceremoniis cultum Dei metiuntur.

Trifariam in cultu Dei peccari poteſt.

Vulgare peccatũ in Papatu.

3 Tertiò, quando uerus quidem Deus, ſed non ſolus, & unicè colitur: quod ab illis fit, qui iuxta uerum Deum, ſimul & alios colunt. Hoc genus peccati mox initiò prohibens dicit: Nõ habebis deos alienos coram me. Et uide quomodo loquatur. Non dicit, Non habebis falſos deos coram me: ne ſi qui ueri putentur eſſe dij, hac lege nõ uideantur reprobari, quaſi qui falſos deos coram ſe unico coli prohibet, ueros non recuſet. Quare notanter dicit: Non habebis deos alienos, uel alios, coram me. Quaſi dicat: Quicunq; illi ſint, ſiue ueri uideãtur dij, ſiue falſi, non habebis ullos alios deos corã me. Sic omnẽ eam diſputationẽ amputauit, quę de aliorum deorũ uera uel falſa diuinitate fieri poteſt. Si quis falſus Deus eſt, hoc ipſo colẽdus non eſt, quòd falſus eſt, nec uero Deo cõiungẽdus. Si quis uerus Deus eſſe uidetur, ne ſic quidem colendus nobis eſſe poteſt, qui non ſolũ uerũ, ſed & unicũ Deum colimus. Perinde ac ſi cõiugi dicas: Si quis non eſt uerus uir, hoc ipſo quòd uerus uir non eſt, coniugio aptus nõ eſt: nõ poteris illum uero tuo marito coniungere. Rurſus, Si quis uir uerus eſt, ne hunc quidem mihi cõiungere poteris: ſum enim maritus tuus unicus. Huc pertinet & illud, quòd non ſimpliciter dicit, Non deberis habere: ſed, Nõ habebis deos alios coram me. Quaſi dicat, Vel ego nõ ero Deus tuus, uel non erunt tibi dij alij corã me. Habebis me ſolũ, uel alios ſine me. Cũ alijs habere me non poteris. Quòd ſi quiſquã miratur de Romanis, cũ omnes earum prouinciarũ deos, quas imperio ſuo ſubiecerunt, colendos ſuſceperint, quare deuicta Iudæa nõ etiã uerũ hunc Iſraelis Deum coluerint: in promptu ratio eſt. Nõ potuerunt illũ colere, niſi ſpretis omnibus alijs. Sciebant enim, unumquẽq; Deum ſic eſſe colendũ, ſicut ipſi probatur. Sciebant Iſraelis Deũ eſſe zelotypum, nolle coli cũ alijs. Tot deos unius gratia reijcere nolebant. Plus auxilij à tam multis, q̃ ab unico ſperabant. Nec unũ arbitrabãtur, reliquis omnib. propter repulſam ſuccenſentibus, poſſe reſiſtere. Quare ſpreto uno, reliquorum cultum retinebant.

Simile.

Quare Romani Deum Iſraelis non coluerint.

Deinde cõſiderandũ eſt etiam, quibus de cauſis Deus unà cum alijs dijs coli nolit: ideoq; requirat à ſuis, ut ſolus & unicè reliquis & omnibus ſpretis colatur.

Quare deus ſolus coli uelit.

1 Prima cauſa eſt, quòd indigna res eſt, ſi mẽdacium ueritati iungatur. In uero Deo ueritas eſt diuinitatis, in falſis mendaciũ. Inſignis cõtẽptus eſt ueritatis, ſi unà cũ mendacio colatur.

Indigna res eſt ueritati cõiungere mẽdaciũ.

2 Secunda cauſa eſt, ratio unitatis, cui addere quicquã in diuinitate, non eſt addere, ſed detrahere. Neq; enim augetur multiplicatione, ſed minuitur: nec colitur additionib. ſed dehoneſtatur. Eſt aũt Deus ut uerus, ita & unicus, parem non habens: & ſicuti falſorum illius ueritas, ita aliorum quorumcunq; ſocietate illius unitas uiolatur. Longè alia ratio multiplicandę unitatis eſt in rebus terrenis, quæ multiplicando augeri, ditari ac corroborari poſſunt. Adam unus uenerat, ſolus erat. Potuit duplicatione multiplicari, & multiplicãdo creſcere. Quare dictum eſt: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. De Deo planè diuerſum iudicandum eſt. Ille multiplicatione non creſcit, ſed minuitur.

Diuinitatis unitas multiplicando non augetur, ſed minuitur.

Tertia

Omnipotentiæ non est opus auxilio.

3 Tertia causa, est diuinitatis omnipotẽtia, uel, si mauis, omnisufficientia, ob quam אל שדי uocatur. Per hanc unus sufficit in omnibus. Non habet opus dijs auxiliaribus, quorum societate adiutus, populo suo quæ necessaria sunt sufficiat. Solus omnem habet potentiam, omnẽ sufficientiam, omnem omnium agendorum scientiam. Etenim sicuti soli opus non est, ut ad illuminandum orbem aliorum luminarium societate iuuetur, sed unicus toti sufficit orbi: & sicuti corporis uiuificationi ac moderationi unica satisfacit anima, ita populo suo Deus, imò toti orbi, solus & unicus in omnibus, & ad omnia abundè est, sine ullius adiutorio sufficiens. Quare non potest illi sine grandi ignominia quisquam deorum coniungi.

4 Quarta causa, est illius fides, bonitas & philanthropia, per quã suis præstò est in omnib. & plura illis impendit, quàm petere ausint.

5 Quinta, est amor & zelus, quo sic comparatus est erga populum suum, ut ferre nõ possit, si quem sibi riualem adiungat, ac fidem uni sibi debitam in alios diuidat. Hisce de causis manifestum esse arbitror, omnium esse æquissimum, quòd à populo suo hanc fidem requirit, ut se colant unicum, nec quenquam sibi deorum coniungant.

Quare legem hãc statim initio præceptorum istorũ ponat.

Tertiò, quærendum quoq; est, quare mox in principio Decalogi, tabulis fœderis legẽ hãc inserat. Non est hoc præter certas rationes factum.

1 Prima est, quòd in hac fidei integritate situm est fœderis caput, quo rupto, rupta sunt omnia. Eadem enim est fœderis, quæ coniugij ratio. Nam sicuti caput & primariũ est in lege cõiugij, quod ab uxore ante omnia requiritur, ut marito suo hanc fidem seruet, ne alios coram illo uiros admittat, nisi tanquam adultera repudiari uelit: ita & in fœdere Dei hoc caput est, ut uni ac soli adhæreamus, alioqui prorsus è fœdere abijciẽdi. Et sicuti mulier adultera nihil iuris habet amplius erga maritũ, & quę mariti sunt, propter primarię legis huius transgressionem, & connubialis fidei pręuaricationẽ: ita reuera nihil iuris habent amplius in fœdus Dei, qui quod primum illius caput est, per cultum alienorum deorum uiolarunt, & fidẽ uni Deo debitam fregerunt. Quare nec tabulæ istæ fœderis ad eos pertinent, quæ non nisi ei sunt populo præscriptæ, qui sincera & illibata fide unico suo Deo constanter adhæret.

2 Secunda causa ingenium populi huius concernit, quo mirum in modum ad cultum alienorum deorum propendebat: id quod & postea reipsa sæpenumero declarauit.

3 Tertia ad præcedentem consuetudinem referenda est, qua Israelitæ in Aegypto alienorũ deorum cultui fuerant assuefacti, unde & procliuis erat ad consueta & inolita relapsus. Quare mihi perinde à Deo factum hac in re uidetur, atq; si quisquam è medio prostibulo prostitutã mulierculam eximat, in coniugem accipiat, & ad hunc illi modum cum primis præscribat: Si uis in hac coniugij nostri societate permanere, cũ primis necesse est, ut ab omnibus alijs uiris abstineas, ac mihi uni coniugij fidem sincerã & infractã serues. Alioqui nõ poteris mihi esse coniunx, neq; ero tibi maritus, si iuxta me admiseris alios, & ad consuetam scortandi fœditatem recurreris. Quòd aũt Israel dijs alienis seruierit in Aegypto, Iosuæ ultimo uidere est, ubi sic legimus: Auferte deos, quibus seruierũt patres uestri in Mesopotamia, & in Ægypto, ac seruite Domino. Itaq; ob has causas non est lex ista temerè mox in principio Decalogi posita, quã utinã ij qui primores sunt in ecclesia Christi, penitius introspicerent: & ad illam non solùm cultus illos externos, sed & fidem, quam hodie Catholicam uocant, ritè conferrent.

Simile.

Iosuæ ult.

CONTRA CVLTVM MORTVORUM *Sanctorum.*

Dijs gentium sancti Christianorũ successerunt.

NEgari sine magna impudẽtia nõ potest, multitudinẽ illã patronorũ, ut uocãt, & tutelariũ sanctorũ, eo nũc esse loco & honore in ecclesia, quo fuit multitudo deorũ apud Gẽtes. Conuincit hoc primũ ipsa inuocatio mortuorũ sanctorũ, qua opẽ ab illis petunt ægroti, captiui, naufragi, & quibuscunq; alijs necessitatibus pressi. Clamat interim Deus: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, sed clamat frustra.

Deinde cõuincit hoc cultus ille sanctorũ, planè ad formam eorũ cultuũ cõpositus, quibus dij gentiũ colebantur. qua de re, si cui lubet, uideat Commentarios nostros super Psal. 16.

Excusationes Papistarum.

Nihil hic curatur quòd Christus dicit: Dominũ Deum tuũ adorabis, & illũ solũ coles. Sed habent cultores sanctorum excusationes in peccato, quibus tam manifestã legis huius transgressionem in speciem tueantur. Nunquam enim deest peccatrici nostræ carni, quo turpitudinem suam quasi perizomate quodam ex ficulneis foliis consuto obtegat.

Nõ colimus sanctos, ut deos.

1 Principiò dicunt: Nõ colimus sanctos, ut deos. Scimus eos nõ esse deos. Quod idẽ est, ac si adultera dicat: Non habeo amatorẽ meum loco cõiugis. Scio illũ non esse legitimũ meum maritũ. Et tamen quamuis ista dicat, amatori suo facit, quę debentur tantũ marito. Sic colũt sanctos, cultũ illis impendentes soli Deo cõpetentem: & dum fatentur ipsi, non esse sanctos deos, disertè se accusant ipsi, quòd eos colant, qui non solũ alieni, sed & falsi dij sunt.

Deum colimus in sanctis.

2 Deinde, Deum, inquiunt, colimus in sanctis. Nam scriptum est: Laudate Dominũ in sanctis eius. Sic etiam qui docti erant inter ethnicos, dicebant, unũ se Deum colere in dijs secundarijs.

darijs. Verùm nõ uult ſic coli Deus in creaturis quibuſcũq; . Et aliud etiam eſt, Laudare Deũ in ſanctis, id eſt, propter ſanctos: & aliud, colere & inuocare ſanctos. Quod autem locum Prophetæ Pſal. 150. concernit, primùm non eſt pluraliter, In ſanctis eis, ſed ſingulariter בקדשו, id eſt, in ſancto eius: uel, in ſanctuario eius. Deinde ex eo non poterit cultus ſanctorũ probari, niſi dicturi ſumus, ipſum quoq; firmamentum eſſe colendum, eo quod illic immediatè ſubiungitur, Laudate eum in firmamento roboris ipſius.

3 Tertiò, Sancti, inquiunt, poteſtatem à Deo iuuandi nos acceperunt, teſtibus ſignis & miraculis quæ faciunt. Non ſequitur, etiamſi ſancti uerè miracula poſt mortem ederent, eſſe eos propterea colendos. Vide Acto. 14. quomodo Apoſtoli cultum hunc poſt editum miraculũ ipſis oblatum reiecerint. Deinde, quid reſpondebimus ethnicis, qui & ipſi de dijs ſuis idem cauſari, & miracula cultui illorum prætexere poſſunt? *De ſignis et miraculis ad inuocationem ſanctorum editis.*

4 Quartò, nec illud aliquid rationis habet, quòd dicũt, Dij gentiũ erant dęmonia, erãt mali & impij homines: nos uerò colimus ſanctos. Poſſumus enim rectiſsimè regerere: Attamen colitis homines non colendos, quantũuis ſanctos. Vide Auguſti. in Epiſt. 49. ad Deo gratias. *Dij Gentium erãt dæmonia, nos colimus ſanctos.*

5 Quintò: Non adoramus eos, inquiunt, ut deos, ſed inuocamus ut interceſſores. Reſpondeo: Vt quid ergo templa illis erigitis, imagines & aras collocatis, dies feſtos dicatis, uota ad imagines illorum nuncupatis, donaria offertis, anathemata ſuſpenditis, cereos accenditis, & omnia facitis quæ Gentes cultui deorum ſuorum impenderunt? Deinde, quid opus eſt interceſſoribus illis, qui cum Deo per ſanguinem Chriſti ſunt reconciliati? Peccatores eſtis? Conuertimini ergo ad Deum per Chriſtum, & reſipiſcite, ut locum in uobis habeat illud Ioannis: Si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum, & ipſe propitiatio eſt pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiã pro totius mundi. Deinq; quid de illis reſponderi poteſt, qui de ſtatu perfectionis gloriãtur, utpote monachi, & id genus hominum, & qui iam ſacerdoti confeſsi ſunt, ac plenariam peccatorum remiſsionem conſecuti, ſicuti imperitis perſuadetur? Igitur illi non inuocãt ſanctos? Scilicet. Quòd ſi eſtis eximpœnitentibus, neq; apud ſanctos locum habetis. Præterea, quomodo audiunt ſancti inuocatores & cultores ſuos? Verùm de hiſce Pontificiorum excuſationibus uideat lector, quæ in Commentarijs noſtris ſuper Matthæum, capite ſexto ſunt annotata. *Nõ adoramus eos ut deos, ſed inuocamus ut interceſſores.*

Poſtremò & illud admonentur à nonnullis, non ſolũ cultum ſanctorũ eſſe legi huic cõtrarium, ſed & quicquid magis amatur quàm Deus, quicquid ſupra Deum colitur, ſupra Deũ timetur, cuicunq; impenſius ſeruitur quàm Deo, id reuera inſtar eſſe deorum alienorũ. Sic pecunia Deus alienus eſt, quãdo æquè, nedũ magis quã Deus amatur. unde Apoſtolus auaritiã uocat idololatriã. Col. 3. Sic uenter quorundã Deus uocatur ab Apoſtolo, Phil. 3. Sic poſſunt terrena potentia, & amici deorum eſſe loco, quando illis plus fiditur quàm Deo. *Alienus Deus eſt, quicquid amatur & colitur ſupra deũ.*

Quare in hac lege, ut ſummatim dicam, ſicuti totum ſe nobis addicit Deus, & omnia quæ Dei ſunt ueri & unici pollicetur, dum dicit, Ego ſum Dominus Deus tuus, non habebis deos alios coram me: ita uicißim exigit à nobis, ut ſincera & plena fiducia, firma & integra obediẽtia ab ipſo unicè pendeamus, nec fidem & dilectionẽ cordis noſtri diuidamus, ſed totos nos ipſi conſecremus: idq; declaremus non ſolum credendo, ac ore cõfitendo, ſed & in tribulationibus inuocando, perq; omnem uitam noſtram ſeruiendo & colendo. *Summa huius primi præcepti quæ ſit.*

SECVNDVM PRAECEPTVM.

NOn facies tibi ſculptile, neq; omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra.

Secundum hoc præceptum priori ſubiunctum eſt, ut illi ſubſeruiat. Primum præceptum uetat ſcortationem cum dijs alienis, cui erant omnes Gentes obnoxiæ? quemadmodũ & Iſrael fuerat in Aegypto conſtitutus. Ea ſcortatio exercebatur, alebatur, ac in uſu retinebatur ſtudio faciendorum, ornandorum, ſtatuendorum & colendorum ſimulacrorum. Hic erat communis mos omnibus nationibus. Viderant illum Iſraelitæ in Aegypto: nec uiderant tantùm, ſed & ipſi ſeſe illi accommodauerant. Et uidebatur rationi conſonum, non diſſentire in cultu Dei à tam catholica omnium nationum conſuetudine. Sic dictitabat ſapientia carnis, ad idololatrandum procliuis. Cùm ergo tam propter priſtinam conſuetudinẽ, quàm propter cæcæ carnis iudicium periculum eſſet, ne uel deos alienos, uel etiã ipſum Dominum Deum ſuum, id quod & poſtea in uitulo erecto patuit, cultu ſimulacrorum more Gentium uenerari conarentur, ſubiectum eſt hoc ſecundum præceptum: quo præcipitur, ne quam ſibi imaginẽ ſeu ſculptam, ſeu conflatam, religionis gratia faciant. *Secundum præceptum priori ſubſeruit. Cultui falſorũ deorum ſimulacra ſubſeruiunt.*

Eſt autem contextus præcepti huius trimembris. Primum membrum in eo eſt, quod dicit: Non facies tibi ſculptile. Secundum in eo quod additur: Non adorabis ea, neque coles. Tertiũ in ijs, quæ perſuaſionis, uel, ſi mauis, dehortationis gratia ſunt adiecta: uidelicet, Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, &c. *Contexus huius præcepti trimembris.*

Primùm igitur prohibetur ipſa ſimulacrorum factura: Non facies tibi ſculptile, inquit. Et

Primum membrum: Non facies tibi ſculptile.

ne de ſculptilibus tantum intelligatur, additur, Neq; omnem ſimilitudinem: id eſt, neq; quãuis ſimilitudinem, ſiue illa ſit picta, ſiue ſculpta, ſiue opere fuſorio cõflata. Deinde ne carni locus ſit in genere aliquid exceptionis comminiſcendi, ſubijcitur etiam ſpecificatio, qua in uniuerſum omnis generis creata comprehenduntur, cùm dicitur: Neq; omnem ſimilitudinẽ eorum quæ ſunt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Sic eſt omnia complexus. Quicquid enim uſpiam eſt, aut eſt in cœlo, aut in terra, aut in aquis. Per cœlum autem intelligitur & aer & nubes. Moſes ipſe, quæ hic breuibus uerbis, more legali comprehẽſa ſunt, Deut. 4. explicatiore ſpecificatione exponit, dicens: Cuſtodite igitur ſolicitè animas ueſtras. Non uidiſtis aliquam ſimilitudinẽ in die qua loquutus eſt uobis Dominus in Horeb, de medio ignis, ne forte decepti, faciatis uobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi uel fœminæ, ſimilitudinem omnium iumentorum, quæ ſunt ſuper terram, uel auium ſub cœlo uolantium, atq; reptilium quæ mouentur in terra, ſiue piſcium, qui morantur ſub terra in aquis, ne fortè oculis eleuatis ad cœlum, uideas ſolem & lunam, & omnia aſtra cœli: & errore deceptus, adores ea & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quę ſub cœlo ſunt. Ergo per ea quæ ſunt in cœlo, ſol, luna & aſtra, & quæ ſub cœlo ſunt, aues: per terreſtria, homines, iumenta, beſtiæ & reptilia: per aquatilia piſces, & quicquid quocunq; nomine degit in aquis, intelliguntur. Sic Moſes & facturam ſimulacrorũ expoſitione legi Dei conformi reijcit, cum dicit: Ne fortè decepti, faciatis uobis ſculptam ſimilitudinem. & ſimul plena ſpecificatione, omne genus imaginũ uetitum eſſe docet.

Secundum mẽbrum, non eſſe ſimulacra colẽda.

Secundo membro prohibetur ſimulacrorum cultura & adoratio, ut intelligas, non ſolùm hoc uetari, ne ipſi faciamus nobis ſimulacra, ſed & ne ab alijs facta adoremus & colamus, dicatq; caro, prona ad excuſcandum, Ego ſimulacra iſta non feci, per alios facta ſimpliciter ueneror. Ponit autem duo uerba, quibus omnem idololatriam complectitur. Quod legimus, Non adorabis ea, in Ebræo eſt לא תשתחוה להם, id eſt, non incuruabis te illis. & quod ſequitur, Non coles ea, illic eſt, לא תעבדם. Significat autem uerbum עבד aliquid operando colere, quemadmodum coli ſolent horti & agri. Verbo incuruandi intelligitur ſupplex illa adoratio & inuocatio, quæ fit uel totius corporis incuruatione, uel genu flexione, uel capitis inclinatione. Colendi uerbum poſitum eſt de omni illo ſimulacrorum cultu, qui illis impenditur, dum uel auro, uel argento ornantur, locis ſacris ac ſublimibus locantur, religioſe honorantur, uotis, cereis, anathematibus, oblationibus, templis, aris, titulis, diebus feſtis, ritibus ac ceremonijs ſtudioſe coluntur. Quoniam igitur uniuerſa idololatria ſupplici adoratione & cerimonioſo cultu ſimulacrorum conſtat, poſita ſunt hæc duo adorandi & colendi uerba, quibus omnis hæc comprehenderetur ac prohiberetur impietas. Origenes adorationem ad externam uenerationis ſpeciem, cultum uerò ad affectus religionem refert: dicitq; prohiberi, ne idola uel ſpecie adoremus, uel affectu colamus.

Cultus ſimulacrorum.

Origines.

Tertium membrum, rationẽ dehortatoriã habet.

Tertiò, annectitur ratio quædam, quæ populum Dei ad hoc moueat, ut ſummo ſibi ſtudio ab idololatria caueat. Ego ſum, inquit, Dominus Deus tuus, fortis zelotes, uel Deus zelotes, (eſt enim in Ebræo אל קנא, quod legi poteſt uel fortis zelotes, uel Deus zelotes) uiſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, odientium me: & faciens miſericordiam in millia diligentium me, & cuſtodientium præcepta mea. Hæc ratio ad mouendum ac perſuadendum adiecta, ambidextera eſt, & minas habens grauiſsimæ ultionis, & promiſsionem ſingularis ac perpetuæ beneficẽtiæ. Ad minas ultionis pertinet, quòd dicit ſe eſſe fortem zelotem, qui ferre nequeat, ut populus Iſrael fidem ſibi debitam transferat ad creaturas, ſed ulciſcatur eam ſcortationem in tertiam & quartã generationẽ, eorum qui ſe odio habeant. Ad promiſsionem ſelectæ beneficentiæ referendũ eſt, quod dicit: Et faciens miſericordiam in millia diligentium me, & cuſtodientium præcepta mea. Quemadmodum autem iniquitatem uiſitare in tertiam & quartam generationem, uehementiam ardentis zeli, & indignationis aduerſus tranſgreſſores ac fœdifragos: ita miſericordiam facere in millia, infinitam paternæ gratiæ beneuolentiam erga morigeros & integros exprimit. Ebræorum quidam exponunt, In millia, id eſt, poſt multa tempora, & non ſtatim in hac uita, referentes ad futuri ſeculi felicitatẽ. Sed iſta expoſitio affectatior eſt, quàm ſimplicitati uerborũ cõueniat. Notũ eſt aũt, iniquitatẽ uiſitare, nihil eſſe aliud quàm pœnas meritas de iniquis ſumere: & miſericordiã facere ſenſu & uſu ſcripturę, eſſe ſimpliciter benefacere, præſertim hoc loco, ubi in Ebræo eſt ועשה חסד, id eſt, & faciens benignitatẽ uel bonitatẽ. Hactenus contextũ huius præcepti expoſuimus, iam conſequenter uidendum eſt, quid ex illo ſit ſingulariter obſeruandum.

Expoſitio Hebræorum.

Non facies tibi ſculptibile.) Quæritur hic, de quo ſit ſculptilium genere præceptum hoc intelligendum. An in uniuerſum nulla ſit imago uel pingenda, uel ſculpenda, uel conflanda: quandoquidẽ populo Dei ad hũc modũ præcipitur, Nõ facies tibi ſculptile, neq; ullã ſimilitudinẽ.

De quo genere imaginũ ſit hoc præceptũ intelligendum.

De imaginib. tres opiniones.

1 Trifariam ſentitur in hac cauſa. Sunt qui aſtruãt, nullam prorſus eſſe faciendam imaginẽ, non ſolum in religione, ſed nec in uſu profano. Sic ferunt de Turcis, nullum illis eſſe imaginũ uſum. Apparet hoc in illorum mẽnetis, in qua nihil uiſitur prẽter Arabicas literas: quẽadmodum & in cortinis illorum nulla deprehenditur animalis alicuius, uel hominis imago. Hæc

ſententia

ſententia ſuperſtitioſior eſt, quàm ut probari poſsit. Nec Salomon præceptũ hoc ad iſtũ modum intellexit, alioqui leonũ & leunculorũ imaginibus thronũ ſuum haud quaquá ornaſſet.

2 Alij non damnant quidem uſum & artem faciendarũ imaginũ in rebus profanis: uerùm improbant, ſi templis & religioni adhibeantur. Et hactenus intelligunt, populo Dei prohibitum eſſe imaginum & ſimulacrorum uſum.

3 Rurſus alij nõ improbant, ſi imagines & ſimulacra templis inferantur, modò non adorentur & colantur. Iſti quod hic dicitur, Non facies tibi ſculptile, neq; ullam ſimilitudinẽ: intelligunt de imaginibus illis, quæ ad cultum & adorationẽ proſtituuntur, eo quòd in primo præcepto mentio fit alienorũ deorum, & mox ſubditur: Non adorabis ea, neq; coles. Quare iudicant nihil eſſe illiciti, ſi imagines habeantur in tẽplis: ideoq; nec peccare eos, qui illas faciunt.

Cum iſtis ſentire non poſſum: neq; enim ſpiritum & mẽtem Dei in hoc ſecundo præcepto ſatis obſeruant: nec condignè mouentur tam inexcuſabili imaginum abuſu, tamq; manifeſta idololatria, quæ in Eccleſiã Chriſti nunquam irrepſiſſet, ſi omnis ex illa fuiſſet imaginũ uſus reiectus. Diſputant multis de rebus licitis, uerùm interea non ſatis expendunt Apoſtolicũ illud: Omnia quidem licent, ſed non omnia expediunt. Adferunt quidem etiam neſcio quid de utilitate imaginum, quæ redeat ad ſimpliciores, quibus librorum inſtar exiſtant. At ita cęci ſunt, ut non uideant tam abeſſe, ut uſus imaginum in eccleſia proſit ſimplicibus & idiotis, ut illis potiſsimum uehementer obſit.

Reprobatur poſtremorum ſententia.

Quæ dãna imperitis ex uſu imaginum obueniant.

1 Primùm enim illos ipſo conſpectu alliciunt ad cultum, quò caro noſtra alioqui pro corruptione ſua propendet. Sic Sapien. 14. legimus, creaturas Dei per imaginum uſum fieri tentationem animæ hominum, & muſcipulam pedibus inſipientium, eo quòd exquiſitio ſimulacrorum initium ſit ſcortationis, & adinuentio illorum corruptio uitæ. Et capite decimoquinto datur imaginibus, quòd dueant in errorem, & quòd opus illorum ſit ſine fructu, quodq; aſpectu ſuo inſenſatis moueant concupiſcentiam.

Alliciunt ad cultum.

Tale eſt quod Auguſtinus quoq; in epiſtola ad Deo gratias ſcribit: Et idola quidẽ, inquit, omni ſenſu carere quis dubitat? Verũtamẽ cum his locãtur ſedibus, honorabili ſublimitate, ut à precantibus atq; immolantibus attendantur, ipſa ſimilitudine animatorum membrorũ atq; ſenſuum, quamuis inſenſata atq; exanima, afficiunt infirmos animos, ut uiuere ac ſpirare uideantur, accedente præſertim ueneratione multitudinis, qua tantus eis cultus Dei impẽditur. Hæc ille. In quibus manifeſtè hoc dari imaginibus uidemus, quòd afficiant infirmos animos propter ſimilitudinem animatorum membrorum: ideoq; periculoſe illis ipſis proponãtur, quorũ putantur eſſe libri, præſertim ſi collocentur locis ſublimibus & honorabilibus, ubi precationes fieri, & religionis ſtudia exerceri ſolẽt. Sic in templis Papiſtarũ non ſolum pictæ imagines in feneſtris & parietibus, ſed & ſtatuæ tam ſculptę, quàm conflatę, idq; ſingulari ſtudio ad uiuum expreſſæ, coloribus, auro & argẽto ornatæ, ipſis aris imponuntur. Hinc quid ſit enatũ, magno malo pariter ac dedecore experti ſumus: ut nõ fruſtra è multis ſint Germaniæ noſtræ eccleſijs prorſus ablata ſimulacra, debeantq; pij nullo pudore affici, quòd à cultoribus idolorum uocantur Eiconoclaſtæ: ſed pudendum magis ſit illis, quos Eiconoplaſtas & Eiconolatras appellare poſſumus. Nulla ſacra ſcriptura Eiconoclaſtas damnat, damnat uerò paſsim Eiconoplaſtas.

Auguſtinus.

Imagines Papiſtarum.

εἰκονοκλάστας.

εἰκονολάτρας.

2 Deinde & illud habent nocumẽti ſimulacra in templis proſtantia, quòd animos ab ipſis pendentes à contemplanda diuina maieſtate in uiuis illius creaturis relucente auocant: quę tamen nuſquam non ſunt ad oculum expoſitæ, cùm illa ſint mortua, non Dei, ſed hominum opera: non paſsim obuia, ſed in angulis & intra muros abdita. Animos ad ſimulacra hiantes & ſtupentes non afficit opus manuum Dei, uiuũ & ad gloriam Dei factum: afficit uerò opus manuum hominum, mortuum: & ſingulare quod acceſsit artificium, artificis ſui uanam & inutilem ſcientiam commendans. Videtur uiuus homo ſine admonitione opificis, ſine affectu celebrãdæ diuinæ maieſtatis. Videtur mortua, mortui alicuius hominis imago, mox afficitur animus, neſcio cuius religionis affectu. Tales ſunt iſti imaginũ libri, laicis propoſiti. Interea extra templa ad omnia opera Dei ſurdi, cæci & inſenſati euaſimus. Cœli enarrant gloriã Dei, & opus manuum eius annunciat firmamentum, inquit Propheta. Sed ubi ſunt aures iſtæ cultoribus ſimulacrorum, quibus uocem operum Dei, gloriam opificis ſui deprædicantium audiant? Quotuſquiſq; eſt, qui hac de re cogitet? Vnde eſt iſta ſtupiditas? Ex eo uidelicet, quòd ſic perſuaſi ſunt, & ſic aſſuefacti miſeri, ut non niſi ante aras & ſtatuas religioſe afficiantur. Nã omnem religionem templis incluſerunt, & aris ac ſtatuis, illorumq; cultui alligarunt.

Auocant animos à contemplandis uiuis operibus.

3 Tertiò & illud accedit, quòd ea quæ debebant uiuis imaginibus Dei, pauperibus & egenis, impendi, inſumuntur in ſimulacra mortua & inania. Vix datur obulus eſurienti Chriſto, ubi aureorum centurię ſtudio ornandorum & colendorum ſimulacrorum erogãtur. Et dum iſta fiunt, uſqueadeò cæca perſuaſione corda mortalium occupantur, ut ſe egregiè Deo ſeruire putent, ſi multa inſumant in cultum imaginum: ſecus uerò, ſi neceſsitatibus ſit inopum ſuccurrendum. Nec eſt ut quiſquam hanc inſaniam eliminãdam ſperet ex eccleſia, niſi unà cum errore, ipſa quoque materia & fomentum erroris abijciatur.

Inſumunt ea quæ debebãt uiuis imaginibus Dei impendi.

Locus Clementis. Legant ſaltem quæ Clemens libro quinto ad Iacobum fratrem Domini ſcripſiſſe putatur? Si uere, inquit, uultis honorare imaginem Dei, nos uobis quod uerum eſt aperimus, ut homini qui ad imaginem Dei factus eſt, benefaciatis, honorem ac reuerentiam deferatis, eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo indumentum, ægro miniſterium, peregrino hoſpitium, & in carcere poſito neceſſaria miniſtretis. Sequitur: Quis ergo iſte honor Dei eſt, per lapideas & ligneas formas diſcurrere, & inanimes atque exanimes figuras tanquam numina uenerari, & hominem in quo uerè imago Dei eſt, ſpernere? Intelligite ergo, quia latentis intrinſecus ſerpentis eſt iſta perſuaſio, qui perſuadet uos pios uideri poſſe, cùm inſenſata colitis: & non uideri impios, cum ſenſatos & rationales læditis. Hæc ille. Hæc uolui annotare aduerſus eos, qui in præſenti quæſtione prætexunt, eſſe uſum imaginum in Eccleſia licitum & liberum: deinde & utilem quoque ad inſtructionem imperitorum. ut uideatur prorſus inconueniens eſſe, in re tam periculoſa diſputuare de licito, & ibi utilitatem neſcio quam prætexere, ubi tam noxio, tamq; diuturno aliquot ſeculorum experimento diuerſum proh dolor cognouimus. Quare etiam ſi nihil hic haberetur diuini præcepti, debebamus tamen tam luculento damno admoneri, non expedire, ut imagines, ſimulacra & ſtatuæ oculis imperitorum proſtituantur in Eccleſia, quantumuis ea res licita uideatur, & adiaphora. Iam cùm ſit tam manifeſto præcepto Dei uetitum, ne non ſolùm non adoremus & colamus, ſed & ne faciamus ullam imaginem & ſimilitudinem, religionis uidelicet gratia: quā nam ratione coram Chriſto Seruatore tam turpem ac deteſtandam idololatriam excuſabunt epiſcopi & diſputatores iſti, qui nugis ſuis uſum imaginum in eccleſiam introduxerunt? Quare non credunt Athanaſio, qui de ſimulacris aduerſus Gentes ſic ſcribit: ὁ τῶν ἀλόγων τύφοις ὢν ἀπ' ἀγαθοῦ, ἀλλ' ἀπὸ κακίας γέγονε. τὸ δὲ τῶν ἀρχῶν ἔχειν κακὸν, ὃν ἀεί ποτε κακὸν περιθάν, ἄλογον ἂν φαῦλον.

Epiphanij locus. Quòd autem uetitum ſit in eccleſia Dei habere imagines, non eſt noſtra tantùm, & noſtro primùm tempore nata ſententia, ſed & aliorum, idq; priſcorum teſtimonio declarata. Hieronymus uertit Græcam epiſtolam Epiphanij, quam ille ad Ioannem Hieroſolymitanum epiſcopum ſcripſit. In hac ſic legitur: Quando ſimul pergebamus ad ſanctum locum, qui uocatur Bethel, ut ibi collectam tecum ex more Eccleſiaſtico facerem: & ueniſſem ad uillam, quæ dicitur Anablatha, uidiſſemq; ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogaſſem, quis locus eſſet? didiciſſemq; eſſe Eccleſiam, & intraſſem ut orarem, inueni ibi, ueluti pendens in foribus eiuſdem eccleſiæ, uelum tinctum atq; depictum, habens imaginem quaſi Chriſti, uel ſancti cuiuſdā. Non enim ſatis memini, cuius imago fuerit. Cùm ergo hoc uidiſſem, in eccleſia Chriſti contra authoritatem ſcripturarum hominis pendere imaginem, ſcidi illud, & magis dedi conſilium cuſtodibus eiuſdem loci, ut pauperem mortuum eo obuoluerent & efferrent. Et paulo poſt: Precor ut iubeas presbyteros eiuſdem loci ſuſcipere uelū à latore, quod à nobis miſſum eſt: & deinceps præcipias in eccleſia Chriſti eiuſmodi uela, quæ contra religionē noſtram ueniunt, non appendi. Decet enim honeſtatem tuam, hanc magis habere ſolicitudinē, ut ſcrupuloſitatem tollat, quæ indigna eſt eccleſia Chriſti, & populis qui tibi crediti ſunt. Hęc ibi, in quibus palàm iſta continentur.

Quæ colligenda ſint ex loco Epiphanij. 1 Primùm, in eccleſia Chriſti non debere locum dari illis, quæ ſunt contra autoritatem ſacrarum ſcripturarum.

2 Deinde, imaginibus in eccleſia Chriſti locum dare, eſſe contra autoritatē ſacrarū ſcripturarum, uidelicet legis huius quæ dicit: Non facies tibi ſculptile, neq; omnem ſimilitudinem.

3 Tertiò, non ſolùm eas imagines ac ſtatuas, quæ ſculptæ uel conflatæ ſunt, & loco ſublimi, aris ſcilicet impoſitæ, ſed & ſimpliciter pictas, qualis erat quam hic dicit uelo fuiſſe appictā, illicitas eſſe in eccleſia Chriſti. Quid igitur ſentiendum de ſtatuis & ſimulacris, tanto cum ſumptu pariter & honore in templis more gentilium proſtantibus?

4 Quartò, etiam Chriſti imaginem eſſe illicitam in eccleſia Chriſti. Nulla enim alia plus adfert periculi, ne colatur & adoretur.

5 Quintò, reijciendas ex eccleſia Chriſti eſſe imagines, non ſolùm doctrinæ ſedulitate, ſed & ipſo facto.

6 Sextò, reijciendas & auferendas eſſe, non obiter & frigidè, ſed cum ueræ religionis zelo, non integras ut aliquo loco condi poſsint, id quod parum religioſe à nonnullis eſt Euangelicis eccleſijs, imò non eccleſijs, ſed eccleſiarū capitibus, noſtra ætate factum: ſed ruptas & fractas, quemadmodū ſanctus hic Dei uir Epiphanius uelum, imaginē Chriſti pictam habens, zelo Dei commotus ſcidit & abſtulit.

7 Septimò, Epiſcoporum eſſe, ut caueant, ne imagines in eccleſia Chriſti ponantur. At illi iam manibus & pedibus tuentur, quod ipſi tollere debebant.

8 Octauò, uſum imaginum in eccleſia Chriſti eſſe ſcrupuloſitatem (ſuſpicor uertendū fuiſſe ſuperſtitionem) indignam eccleſia & populis fidelium. Vide quàm fuerit iudicium huius epiſcopi longè diuerſum ab illis, qui propter populum fidelem utile iudicant, ſi imagines ſanctorum habeantur in eccleſia. Expendant iſta qui perpetuò Patres patres uociferantur: & uideant, an non honeſtius nobis ſit, eſſe Eiconoclaſtas quàm Eiconoplaſtas: & an non propius

acceda.

accedamus ad exemplum priſcæ eccleſię, quàm ipſi, quamuis ſeſe catholicos & Apoſtolicos iactitent. Reſpondeant quæſo, quid eccleſijs illis, in quibus Epiphanius epiſcopatum geſsit, defuiſſe putent, ad ueram ueræ pietatis ædificationem neceſſarium. Erat Chriſtianus epiſcopus, prædicabat Chriſtum ſeruatorẽ orbis, diſpenſabat myſteria regni illius populis fideliũ, & ædificabat domum Dei ſine ligneis, lapideis, æneis, argenteis & aureis, pictis, conflatis & ſculptis ſimulacris. Sequebatur nimirũ ueſtigia Prophetarum, Patriarcharum, Chriſti & Apoſtolorum, qui omnes religionem ac uerum cultum Dei ſine ſimulacris plantarunt. Et Auguſtinus, quantũuis aliàs indulgentior fuerit ſui ſeculi erroribus, pulchrè tamen hoc in Marco Varrone laudauit, quòd religionem Dei ſine ſimulacris caſtius obſeruari poſſe iudicauit. Sic enim de Ciuitate Dei libro quarto, cap. 31. de uiro illo ſcribit: Quapropter, inquit, quum ſolos dicit animaduertiſſe, quid eſſet Deus, qui eum crederent eſſe animam mundum gubernantẽ: caſtiusq; exiſtimat ſine ſimulacris obſeruari religionẽ, quis non uidet, quãtum appropinquauerit ueritati? Hęc Auguſtinus. Si Varro, homo ethnicus, ueritati propterea appropinquauit, quòd religionem Dei ſine ſimulacris caſtius obſeruari exiſtimauit: Deus bone, quàm longè abſunt à ueritate omnes illi, qui diuerſum ſentiunt? Si Varro non placet, reſpondeant Lactantio, qui Diuinarum inſtitutionum libro 2. cap. 19. diſertè dicit: Non eſt dubium, quin religio nulla ſit, ubicunq; ſimulacrum eſt. Item: Quicquid ſimulatur, id falſum ſit neceſſe eſt: nec poteſt unquam ueri nomen accipere, quod ueritatem fuco & imitatione mentitur. Si autem omnis imitatio, non res, potiſsimùm ſeria, ſed quaſi ludus ac iocus eſt: nõ religio in ſimulacris, ſed mimus religionis eſt. Hæc ille. Fatetur quidem & Burgenſis, nimirum ipſa luce uerborum coactus, non errare Iudæos in eo, quòd non ſolùm cultum & adorationem, ſed & fabricaturam imaginũ, licet nulla adorandi & colendi intentione accedente, hoc præcepto prohiberi ſentiunt. Dicit hoc patêre ex eo quod dicitur, Nõ facies tibi ſculptile, nec omnem ſimilitudinem, &c. & ſatis conſonare literæ: uerùm id improbat in Iudæis, quòd Chriſtianos propter eccleſiaſticum imaginũ uſum, uiolati huius præcepti accuſant. & mox ſibijpſi contradicit, aſſerens non prohiberi hoc præcepto, ne fiant imagines creaturarum, niſi adhibeatur eis cultus Deo debitus. Et hanc opinionem firmaturus, coniungit iſta primo præcepto, quo dictum eſt: Non habebis deos alienos coram me. dicitq; omnes hoſce actus, licet in ſe diuerſos, pertinere ad eundem finem, ſcilicet ad remotionem idololatriæ. alioqui ſi ſculptura imaginis ſine intentione adorandi prohiberetur, conſequi, ut hæc uerba ad primum præceptũ non pertinerent, niſi fortè cæremonialiter, ad remouendam occaſionem idololatriæ. Et addit: Et ſic talis prohibitio eſſet cæremonialis, & non obligaret tempore gratiæ. Quæſo quid fidei meretur huiuſmodi commentator, qui non in prolixo aliquo tractatu, ne putetur eſſe memorię lapſus, ſed in tam breui annotatiuncula, & quod uerum eſt fatetur, & quod cõfeſſus eſt, mox ipſe ſubuertit, ac diuerſum aſtruere conatur, ne quid aduerſus catholicũ errorem ſentire, nedum ſcribere uideatur? Quòd autem contradictionem ſuam per id firmare nititur, quod hęc uerba, Non facies tibi ſculptile, &c. pertineant ad primum præceptum, & unum conſtituant mandatum: quàm ſit uanum, ex illis recognoſci poteſt, quæ ſuprà ſunt de diuiſione Decalogi huius annotata. Ad id quod uerba hæc cęremonialem prohibitionẽ habere, & ſic in tempore gratiæ non obligare dicit, ſi ad primum præceptum non pertineant, reſpondemus: hoc ipſo ſatis patere, quòd nolit Deus in eccleſia ſua haberi imagines, ne per illarum uſum, quantumuis cæremonialem, populus ſenſim ad cultum & adorationem illarum inducatur. Quod de tempore gratiæ dicit, quàm uanum ſit hoc diſcrimen in cauſa & uſu imaginum, res ipſa ſole clarius, proh dolor, ad oculum monſtrauit, & hodie quoq; declarat.

Auguſtinus. Religio ſine ſimulacris caſtius obſeruatur.

Lactant. Religio nulla eſt, ubi ſimulacrũ eſt.

Burgenſis.

Neq; omnem ſimilitudinem eorum quæ ſunt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum: nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra.) Obſeruandum hic eſt, quàm ſit cor humanum corruptũ, impium, & ad omnis generis idololatriam procliue. Qui cõdidit hominem, intima illius non ignorat: quare & Cardiognoſtes rectè uocatur. Cum itaq; ſciret, cor hominis tam eſſe uanum, ſtolidum, cæcũ & impium, ut nihil ſit in cœlo, nihil in terra, nihil in aquis, quod non colat, ſi religioſe proponatur: neceſſarium iudicauit, ut hanc ſpecificationem adiungeret. Poſſet hoc noſtrum uideri commentum, niſi manifeſta eſſet Ethnicorum, præſertim Aegyptiorum, uanitas & impietas, quam & Apoſtolus Romanorum primo perſtringit, dicens: Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum, & quadrupedum & ſerpentum. Item: Quia commutauerunt ueritatem Dei in mendacium, & coluerunt ac ſeruierũt creaturæ potius quàm creatori. Sic igitur illuſum eſt generi humano ab antiquo ſerpente, ut ſimulacris non ſolùm cœleſtium, ſed & terreſtrium, & aquatilium, ſerpentũ, draconum, crocodilorum ac piſcium, quod de Philiſtęorum ſimulacro Dagon legitur, religionis adhibuerit affectus. Quare quod hic populo Iſraeli præcipitur diuinitùs, ne ſibi ullius rei, nõ modò cœleſtis, ſed & terreſtris & aquatilis, imaginem faciat: perinde mihi uidetur, ac ſi maritus coniugi præcipiat, ne in ullis extra ſe formis hæreat, ſiue ſint hominum, ſiue beſtiarũ, nec ſcortetur cum illis. Tale præceptum utique ſingularem quandam ac deteſtabilem ſcortandi procliuitatem eiuſmodi ineſſe mulieri ſignificaret, qua ne à beſtiarum quidem commercio

Corruptio cordis humani.

Vanitas ethnicorum.

Illuſio antiqui ſerpentis.

Simile.

abhorreret. Quis non deteſtetur tam fœdam libidinem? Verùm ſi rectè conſideremus, qualis ſit illa ſcortandi & idololatrandi libido, qua non hominum duntaxat, ſed & beſtiarum, idque atrocium, turpium, ac uenenatarum figuræ ſacris ſunt aris & cultibus adhibitæ: multo deteſtabiliorem apparebit cordibus noſtris ineſſe idolomaniam, quàm ſit impuriſsimæ mulieris uaga, effrenis, & omnibus tam beſtijs quàm hominibus expoſita libido, quæ, ut Germanico prouerbio dicitur, ne canem quidem à ſe abigat. Cum Iſrael in ſolitudine morſibus uenenatorum ſerpentum ad exitium uſque læderetur, uelletque Deus remedium erigere, cuius inſpectione uulnerati ſanarentur: ut idololatriam caueret, iuſsit erigi figurã non hominis alicuius, ſed ſerpentis. Verùm ne ſic quidem effectum eſt, quo minus occaſio eſſet idololatriæ. Nam, teſte hiſtoria Ezechiæ regis, illi figuræ ſerpentis ſacrificatum poſtea eſt ab Iſraelitis. Et inter Chriſtianos reperti ſunt, qui ſerpentẽ loco Chriſti religioſe coluerint, quos eam ob cauſam Ophitas nominarunt ueteres.

Idololatrandi libido.

Serpẽs æneus.

Ophitæ.

Igitur cum tam ſit humani cordis ingenium ad ſcortationem ſimulacrorũ pronum & procliue, uehementer peccant in Eccleſiam Chriſti, tutores ac patroni ſimulacrorum, quòd tam tenaciter inhærenti malo tantum ubiq; fomenti & occaſionis ſubminiſtrant: & eos hæreſeos damnant, qui illi ſublatis ſimulacris ex animo reluctantur. Quòd ſi primùm ſpiritum & conſilium Dei in hoc ſecundo præcepto penitius introſpicerent, & rationem ſpecificationis huius, qua dicit, Neq; eorum quæ ſunt in cœlo deſuper, neq; quæ in terra deorſum, neq; quæ in aquis ſunt ſub terra, accũratius animaduerterent: deinde & ad hiſtorias non ſolùm omnium gentium, ſed & Chriſtianorum, tanquam ad certiſsimam humanæ corruptionis experientiã reſpicerent, futurum opinor, ut non ſolùm æquiores eſſent Eiconoclaſtis, ſed & omnem ipſi ſimulacrorum uſum ex eccleſijs Chriſti, zelo Dei commoti abijcerent & proſcriberent. Iam cum omnino diuerſum agant, mortuas mortuorum imagines exoſculantes & uenerantes, uiuas uerò ad imaginem Dei ab ipſo Deo conditas, conſpuentes, & atrociter perſequentes: quis nam cordatus homo non reipſa uidet, quàm hoc genus hominum nec diuina nec humana curet, utroq; oculo cæcum, & corde prorſus inſentatum?

Grauiter peccant tutores ſimulacrorum.

Origenes.

Orige. reſpexit ad uim uocabuli. Nam εἴδωλον non quoduis ſimulacrum, ſed tale ſignificat, quod ſit κενὸν παρείσου τῆ ἀληθοῦς ἀνυπόστατον.

Quòd ſi quis expoſitionem Originis ſuper Exodum, homilia octaua, probandam iudicat, habet & illa, unde de humani ingenij corruptione admoneamur. Aliud eſt, inquit, facere idolum, aliud ſimilitudinem. Si quis in quocunque libet metallo faciat ſpeciem animalis alicuius, & ſtatuat illam adorandam, non idolum, ſed ſimilitudinem fecit. Idolum uerò facit ille, qui ſecundum Apoſtolum dicentem, quòd idolum nihil ſit, facit quod non eſt. Quid eſt autẽ quod non eſt? Species, quam non uidet oculus, ſed ipſe ſibi animus fingit. Vt ſi quis humanis membris caput canis affingat, &c. non ſimilitudinem, ſed idolum facit. Facit enim quod non eſt, nec habet aliquid ſimile ſui. Non enim aliqua ex rebus adſtantibus aſſumitur ſpecies, ſed quod ipſa ſibi ocioſa mens & curioſa repererit. Similitudo uerò eſt, cum aliquid ex his quæ ſunt, uel in cœlo, uel in terra, uel in aquis formatur. Hæc Origenes. quæ quamuis diſtinctionem habeant idoli & ſimilitudinis, præter rationem Ebraici contextus huc inductam, ubi non idolum & ſimilitudo, ſed מַסֵּכָה & תְּמוּנָה id eſt, ſculptile & ſimilitudo ponuntur: admonent tamen, uſqueadeò corruptum eſſe, ac procliue ad idololatriam carnis noſtræ ingenium, ut non ſolùm exiſtentium rerum qualiumcunque ſimilitudines erigat, ſed & rerum non exiſtentium, uel certè ſpecierum nuſquam extantium formas comminiſcatur, ſtatuat & adoret. Nuſquam eſt ſpecies illa Dei patris, qua ſenex homo barbatus & canus pingitur. Nuſquam eſt res ipſa, cuius ſpecies eccleſiæ Dei proponitur, dum beatæ Virginis imago ſic pingitur, ut quoſuis pallio ſuo tegat ac protegat, qualia multa ſpiritu ſuperſtitionis in Eccleſiam Chriſti ſunt introducta.

Figura Dei ſenis ac cani.

Non adorabis ea, neq; coles.) Eſt hæc particula ſic obſeruanda, ut intelligamus, duobus hiſce uerbis, Non incuruabis te illis, neq; coles ea, omnem uenerationem & cultum imaginũ, qualiſcunq; ſit in ſe, & quocunq; referatur, prorſus prohiberi. Quare non ſunt recipiendę idololatrarum expoſitiones, quibus culturam ſimulacrorum pulchrè defendi putant. Quis, inquiũt, adeò ſtulteſcit, ut diuinos honores impendere ſuſtineat ligno uel lapidi, & operi manuũ hominum? Non ueneramur imagines reſpectu uel materiæ, unde ſunt factę, uel formæ, quã finxit artifex: ſed ueneramur eas tãquam imagines, propter eos quorũ ſunt nomine propoſitæ, cultũ hunc referentes non ad ipſas ſimpliciter imagines, ſed ad eos quorũ ſunt imagines. Ergo non ſumus idololatræ, hoc eſt, cultores ſimulacrorum & imaginum, ſed eorum quos in ſimulacris ueneramur & colimus. Hęc eſt communiter omniũ idololatrarũ, non ſolũ pſeudo chriſtianorum, ſed & gentium & Iudæorum apologia, qua impietatem ſuam contra accuſationem idololatriæ palliare tueriq; cõantur, licet intentio cultus ab alijs aliò diuerſimodè referatur. Gentes retulerunt ad deos, quos poſt primum, cœli & terræ conditorẽ, ſecundarios & adminiſtratorios deos eſſe credebant: Iudæi ad unum ſuum Deum, Chriſtiani partim ad ſanctos & angelos, partim ad Deum patrem & Chriſtum filium eius.

Reprimuntur idololatrarũ expoſitiones. & excuſatiões

Nõ colimus imagines, ſed eos quorũ ſunt imagines.

Cultus Gentilium.

Quod cultus Gentilium concenit, non eſt opus forſan, ut illos impugnemus. Nam, ſicuti Auguſtinus in epiſtola ad Deo gratias ſcribit, non excuſarunt illinc impij ſua ſacrilega ſacra

& ſimu-

& ſimulacra, quod eleganter interpretantur, quid quæq; ſignificent. Omnis enim illa interpretatio ad creaturas referebatur, non ad creatorem, cui uni debetur ſeruitus religionis, illa quæ uno nomine Græcè latria appellatur. Neq; præſentis inſtituti eſt, ut Iudæorum idololatriam examinemus, quàm in ſcriptis prophetarum ſatis ſeueriter ac luculenter damnatam eſſe legimus. Chriſtianorum idololatria tenaciſsimum malum eſt, cui non poteſt ſatis occurri, donec filius perditionis ſedet in loco ſancto, ubi non debet: & eleuatur ſuper Deũ ipſum, nedum ſuper eccleſiam & populum Dei: quem Dominus Ieſus tandem ſpiritu oris ſui, & illuſtratione aduentus ſui conficiat, & è medio tollat.

Idololatria Chriſtianorũ tenaciſsimum malum eſt.

Hic audimus ab illis qui ſanctorum imagines religioſo cultu uenerantur: Non colimus ſimulacra, ſed ipſos ſanctos, quorũ ueneramur ſimulacra. Dum procumbimus ante imagines ſanctorum, dum uultus ſimulacrorum adorãdo & ſacrificando contemplamur, dum manus ad ſimulacra extendimus dum preces & inuocationem fundimus, dum cereos accendimus, dum donaria offerimus, intento animo deſtinamus hæc omnia, non ad ipſas ſurdas, mutas, cæcas, & inſenſatas imagines: ſed ad ſanctos, amicos Dei, qui in cœlis cum Deo uerſantur: quare non ſine grandi iniuria idololatriæ accuſamur, quaſi ſimulacra lignea & lapidea contra præceptum Dei, quo dicitur, Non adorabis ea, neq; coles ea, ſimulacra uidelicet, uenerемur & colamus. Quid ad iſta reſpondebimus?

Excuſatio eorum qui colũt imagines ſanctorum.

Duo faciunt iſti, quæ excuſari nõ poſſunt. Vnum eſt, quòd coram ſimulacris religioſe procumbunt: alterum, quòd eum cultum referunt ad ſanctos. Primùm enim lex Dei ſimpliciter prohibet, ne quis procumbat uenerationis gratia ante aliquod ſimulacrum, néue cultum illi qualemcunq; exhibeat: nec ullam exceptionem, aut diſcretionẽ intentionis adijcit. Quare ſine ulla uera excuſatione contra præceptum hoc Dei faciunt, qui coram ſimulacris incuruantur, & religionis cultum exequuntur, quomodocunq; tandem factum ſuum excuſent.

Procubitus ante ſimulacra.

Debebat ipſorum conſcientia authoritate ac maieſtate uerbi Dei, quaſi tonitru quodam percuſſa perterrefieri, dum in genua coram ſimulacris procumbunt, & tam manifeſtum præceptum Dei, quod diſertè dicit, Ne incurues te illis, neq; colas ea: non nuda cogitatione, ſed toto corpore ad illicitum cultum compoſito tranſgrediuntur, ſi ulla uera Dominĩ Dei ac cõditoris ſui obſeruantia tenerentur. Iam ubi palàm admittunt, quod à Deo eſt tanta cõminatione ſimpliciter prohibitum, & uſq; adeò propriæ cogitationi innituntur, ut nullam peccati ſui ſenſum in ipſo idololatriæ actu experiantur: quis piorum non uidet, abieciſſe hoc genus hominum omnem uerum ac ſincerum timorem, ac ſimul omnem germanũ cultum Dei? Et enim quid eſt uerè colere Deum aliud, quàm uera fide & obedientia ab illius pendere uoluntate & uerbo? Sic Moſes Deuter. 10. dicit: Et nũc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in uijs eius? &c. Vnde etiã eſt quòd ſacra ſcriptura frequenter יראת יהוה, id eſt, timorem Domini, pro cultu Dei uſurpat.

Deinde, quod mentis intentionem concernit, qua ſe in cultu ſimulacrorum omnia ad ſanctos ipſos, qui in cœlis ſunt, referre dicunt, in promptu eſt quod reſpõdeamus: nempe quòd omnis iſta interpretatio ac relatio idololatrię, etiã hoc nomine dãnabilis exiſtat, quòd creaturę colũtur cõtra expreſſum mandatũ Dei, quod dicit, Dñm Deũ tuũ timebis, & illũ ſolũ coles, Deut. 6. 10. & Mat. 4. Neq; enim dicere poſſunt, ſanctos quos colũt, nõ eſſe creaturas Dei.

Creaturas colunt, qui mortuos ſanctos colunt.

Verùm habent hic quoq; quæ obijciant. Nõ colimus ſanctos, inquiunt, ut deos, ſed ut ſanctos Dei. Item: Deum colimus in ſanctis. Adhæc, Sancti acceperunt à Deo poteſtatẽ, qua nobis ſuccurrant, teſtibus miraculis quæ edunt. Et, Gẽtes colebãt dæmonia, nos ſanctos uiros. Item: Inuocamus eos non ut deos, ſed ut interceſſores. Quid ad iſta ſit reſpondendum, ſuprà admonui, circa calcem eorum quæ in primo ſunt præcepto ad conſiderandum propoſita.

Alij, qui nolunt uideri ſanctorum cultores, ideoq; nullis ſanctorum imaginibus utuntur, ſed omnem hunc ſimulacrorum cultum ad imagines Dei patris & Chriſti filij eius, præſertim in cruce pendentis, conuertunt: Solum, inquiunt, Deũ patrem ac Chriſtum filium eius adoramus, & colimus. Quare nõ poſſumus accuſari, quòd creaturas colamus & adoremus. Iſtis reſpondemus, peccari in eo, quòd Deo inuiſibili & ineffigiabili ponunt imaginem hominis ſeniculi, barbati ac cani. Eſt enim prohibitum, ne cui Deo ponatur imago, Deut. 4. ibi: Non uidiſtis ullam ſimilitudinem in die qua locutus eſt uobis Dominus Deus in Horeb, &c. Et Eſa. 40. cum dicit: Cui ergo ſimilem facietis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? Vehementer impium eſt, inuiſibilis & incorruptibilis Dei gloriam & maieſtatem commutare in ſimilitudinem corruptibilis hominis, ſicuti Rom. 1. uidere eſt.

De illis qui imagines patris & filij uenerantur. Auguſtinus.

Et ne de gentibus duntaxat Apoſtolicam reprehenſionem intelligendam eſſe dicant, reprimantur ſaltem ſcriptis Auguſtini, qui de fide & ſymbolo cap. 7. ſic ſcribit: Credimus etiã, quòd ſedet ad dexterã Dei patris. Nec ideo tamẽ quaſi humana forma circũſcriptũ eſſe Deũ patrem, arbitrandũ eſt, ut de illo cogitantibus dextrũ aut ſiniſtrum latus animo occurrat: aut idipſum quòd ſedere pater dicitur, flexis poplitib. fieri putãdũ eſt, ne in illud incidamus ſacri legiũ, quo execratur Apoſtolus eos qui cõmutauerunt gloriã incorruptibilis Dei in ſimilitudinẽ corruptibilis hominis. Tale enim ſimulacrũ Dei nefas eſt Chriſtiano in tẽplo collocare:

Auguſtinus.

multo magis in corde nefariũ eſt, ubi uerè eſt templum Dei. Hæc ille. Quid autẽ manifeſtius dici potuit, quàm quòd Chriſtiano nefas eſſe ſcribit, tale ſimulacrũ Dei collocare in tẽplo?

Simulacra Dei in templis Papiſtarum.

Inſpiciantur nunc templa Papiſtarum, uideaturq́, an non in omnibus propè huiuſmodi Dei patris ſimulacrum ſub forma hominis ſeniculi, barbati ac cani, & in ſolio ſublimi ſedẽtis inueniatur: ut iam apud eos catholica ſit religio, quod tempore Auguſtini Chriſtianis nefas eſſe iudicabatur. Et dum iſta faciunt, clamãt, Patres patres: & de cultus ſui uetuſtate, Apoſtolicaq́; traditione, ad ſeducendum imperitos, omnium falſiſsimè gloriantur.

Adorandum eſſe Deum in ſpiritu.

Huc accedit, cum ſpiritus ſit Deus, uelitq́; adorari in ſpiritu (ſicuti Chriſtus ipſe Ioannis 4. teſtatur dicens: Sed uenit hora, & nunc eſt, quando ueri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & ueritate. nam & pater tales quærit, qui ſe adorent. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & ueritate oportet adorare) quòd nullum queat habere locum in cultu & adoratione Dei, externæ, uiſibilis, ac palpabilis imaginis uſus. Quum ergo & nefas ſit, ponere Deo imaginem in templo, & non ſuſtineat adorari Deus in ſimulachris argenteis, lapideis, ligneis, &c. ſed adorari uelit in ſpiritu, ipſe ſpiritus exiſtens: arbitror non habere iſtos, quo errorem ſuum ritè defendere queant.

De imagine Chriſti.

Reſtant illi, qui Chriſti imaginem uenerantur. Dicunt iſti: Poſtquam uerbum caro, id eſt, Deus homo factus eſt, non eſt illicitũ humanæ formæ imaginem Chriſto locare in eccleſijs, & in illa Chriſtum conſiderare, adorare & colere. Reſpondemus primùm, quòd illicitum ſit imaginem uel ſimulacrum, etiam Chriſti, collocare in eccleſijs Chriſtianorum, ſuprà in conſideratione eius quod dicitur (Non facies tibi ſculptile) ex epiſtola Epiphanij per Hieronymum uerſa admonui. Deinde pijs omnibus manifeſtum eſt, adorationem & cultum competere Chriſto, non ſimpliciter ut filio hominis, cuius figura imagine poteſt utcunq; exprimi, ſed ut filio ac uerbo Dei, quatenus homouſius eſt cum Deo patre, & imago ac character diuinæ eſſentiæ & gloriæ. Quare tanquam uerus Deus unà cum patre & ſpiritu ſancto, & ipſe nõ in ſimulacris externis, ſiue uiuis, ſiue mortuis, ſed in ſpiritu eſt, & ueritate adorandus: ne ex uero cultu Chriſti fiat idolatria, ſepareturq́; adoratio Chriſti ab adoratione Dei patris ac ſpiritus ſancti: quod neceſſariò accidit, dum ſic adoratur & colitur Chriſtus in externo aliquo ſimulacro, quomodo nec pater nec ſpiritus ſanctus coli poteſt, & adorari.

Adoratio quo modo competat Chriſto.

Simulacra uiua & mortua.

Quod de ſimulacris uiuis & mortuis dixi, ſic accipe. Homo uiuus imago Dei eſt, Chriſtianus imaginem Chriſti ſui gerit. Si adorandæ colendæq́; ſunt Dei ac Chriſti imagines, certè uiuæ adorandæ ſunt, & colendæ magis quàm mortuæ, quæ ex auro, argento, lapide, ligno &c. manibus hominum finguntur, & in ſcripturis opera manuum hominum uocãtur. Nemo, autem iudicat, uel Deum patrem in homine uiuo, uel Chriſtum filium eius in Chriſtiano uiuo, uel ſpiritum ſanctum in columba uiua adorandum eſſe & colendum. Igitur multo minus conuenit, ut Deum patrem, uerbum eius Chriſtum, & ſpiritum ſanctum, in mortuis inſenſatis, mutis ac cæcis imaginibus adoremus & colamus.

Abſurditas huius rei ſimili quodam declaratur.

Cogor ipſa rei indignitate, cultus huius quem reprehendimus, abſurditatem, propter imperitiores, aliqua ſimilitudine quaſi ob oculos uiſendam exponere: eaq́; nonnihil craſſa, fateor, uerùm iuxtà nimium accõmoda ad præſens inſtitutum. Quare oro ſinceros animos, ut quod factu neceſſariũ eſt in ſcriptis pphetarũ, ubi idololatriæ impuritas ſcortationũ & adulteriorũ ſimilitudine reprehẽditur, & execrabilis redditur, & hoc loco faciendũ eſſe cogitẽt.

Exemplũ mariti & uxoris.

Norunt qui in ſacris ſcripturis uerſantur, magnam eſſe conformitatem inter cõnubialem mariti ac fœminæ coniunctionem, fidem, amorem, & adhæſionis firmitatem: & eam coniunctionem, qua populus fidelis Domino Deo ſuo, ac Chriſto filio eius, deſponſatur & cõiungitur. Marito debet uxor eam fidem, ut & corde & corpore ipſi uni, etiã abſenti inuiolabiliter adhæreat: nec quicquam eius commercij, quod ad matrimonij conditionem pertinet, cum alio quopiam ineat & exerceat, niſi cum ſolo ſuo marito. Conſimilem fidem debemus Dño Deo noſtro patri, filio, ac ſpiritui ſancto. Hanc requiri à nobis, ſuprà in primo præcepto uidimus, cum dicit: Ego Dominus Deus tuus, non erunt tibi dij alij iuxta me. Vnde & prophetæ ſumpſerunt, quę ad reprehendendam Iſraelis idololatricam impietatem ſub ſimilitudinibus mulieris adulteræ protulerunt. Iam ſi uxor in abſentia mariti deligat ſibi iuuenem quẽdam, qui quàm proximè quod effugiem faciei attinet, ad formã mariti accedat, illumq́; domi ſecũ in ipſis cubicularijs ſecretis habeat hoc nomine, ut in eo amorem & obſequium marito debitum exerceat, illum amet, illum complectatur, & omnia faciat, quæ marito ſoli debentur: dicatq́;, iſta ſe in animo ſuo non iuueni huic, ſed abſenti marito deſtinare, maritum ſe amare & complecti in hoc iuuene, propter ſimilitudinem faciei: quæſo quis adeò ſtolidæ mẽtis eſt, ut putet iſta placitura marito? Planè nemo. Manifeſtum enim eſt, hoc genus amoris & cõuictus non eſſe matrimoniale, ſed omnino adulterinum. Quid autem aliud faceremus, ſi hominem aliquem uiuum, tanquam imaginẽ Dei ſic coleremus, ut illum adoraremus, inuocaremus, & religioſe honoraremus, iſto nomine, quòd in eo tanquam imagine Dei, ipſum nos Deũ colere, adorare, inuocare & honorare iudicaremus? Quantumuis iſta facientes, neſcio quã intentionem mentis prætexeremus, quæ nõ ad hominem, ſed ad Deum ipſum dirigatur, ab impietate

pietate tamen haũdquaquam excuſari poſſemus: nec adeò deſipit quiſquã, ut huiuſmodi cultum Deo placere poſſe credat.

Quid autem, ſi mulier maritata non uiuum aliquem adoleſcentem, ſed imaginem quandã ligneam, ad mariti ſui effigiem fabrefactam, & operoſe adornatam domi habeat, illaq; ſeſe & interdiu & noctu oblectet, hanc amanter complectatur, lecto cõnubiali adhibeat, omnemq; erga illam coniugalis amoris affectum quibus poterit modis exerceat, ac dicat nihil horũ ſeſe imagini ut imagini, ſed marito ſuo abſenti deſtinare omnia: éſtne uero ſimile, poſſe talia cordato marito placere? imò fieri poſſe, ut honeſta mulier hoc obſequij, imo magis ludibrij genere, marito ſuo gratificari conetur? præſertim ſi ſit ab illo interdictum, ne quam ſibi imaginẽ fingat, néue ſe in ſimulacro aliquo ueneretur? Arbitror, nequaquam. Intuere nũc, quidnam aliud ſit quod ab illis fieri uidemus, qui Deum patrem, filium & ſpiritum ſanctũ, cui per fidem deſponſati ſumus, perinde atq; abſentem, ſimulacris colere, hoc eſt, eam reuerentiã & religionem, quam Deo debemus, non in ſpiritu & ueritate, ſed in ſimulacris & imaginib. oſtẽdere ſtudent: & dum eam ob cauſam reprehenduntur, intentionem cordis ſui prætexũt, quo omnem eum cultum ad ipſum Deum patrem, Chriſtum filium eius & ſpiritum ſanctum referant. Sumũsne adeò inſipientes, ut quòd maritum in uxore ſua uehementer improbaturum non dubitamus, Deum in populo ſuo probaturum credamus? Non poteſt probare maritus cordatus in coniuge ſua, ſi ſe in imagine aliqua, ſiue uiua, ſiue mortua, quàm ipſa ſibi delegiſſet, uelit amare, complecti & colere: ſed hãc ab illa fidei ſinceritatem & amoris caſtitatem requirit, ut quicquid eſt coniugalis affectus, amoris & officij, ſibi ſoli purè & immediatè referãt: & putabimus ſic comparatam eſſe diuinam maieſtatem, ut ſuſtineat extra ſe in imaginibus, & ſimulacris coli & adorari? Verùm iſta in ſequenti particula clariſsimè patebunt.

Ἀπλομαχία.

Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis zelotes.) Obſeruandum hic eſt, quòd primùm dicit: Ego ſum Dominus Deus tuus. Admonemur, cultum & adorationem in religione non deberi niſi ei qui eſt יהוה אלהיך, id eſt, Dominus Deus noſter. Nam poſtquam dixit de ſimulacris, Nõ adorabis ea, neq; coles ea: iſta ſubiecit, imò repetijt, & ueluti rationis uice inculcauit dicens, Ego ſum Dominus Deus tuus: ut emphaſis ſit in uoce EGO. quaſi dicat: Mihi enim Domino Deo tuo debetur adoratio & cultus, ac prẽterea nemini. Hinc illud eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illum ſolum coles. Non poteſt iſta particula ſatis inculcari, præſertim in ijs quæ ad religionem & cultum Dei pertinent. Nam ſic eſt corruptum carnis noſtræ ingeniũ, ut perpetuò ad idololatriam & alienos deos inclinet: ideoq; ægerrimè in ueri & unici Domini Dei noſtri fide ac cultu retineatur, cum tamen omnis in eo ſit & uita & ſalus, ût Dominum Deum noſtrum ſincere & unicè non agnoſcamus modò, ſed & colamus.

Cultũ & adorationem non competere niſi ſoli Domino Deo.

Deinde & illud conſiderandum eſt, quòd præcepta ac legem fœderis populo ſuo proponens, manifeſtat illis, qualis ſit Deus, quomodo affectus, ut ita dicam, & comparatus, cum dicit: Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, uel Deus zelotes. Admonemur, plurimũ referre, ut qui in populum Domini eliguntur, illiq; adhærere uolunt, cum primis indubitatò ſciant ac teneant, quo ſit ingenio. Alioqui fieri non poteſt, ut illi ſeſe ritè accommodent. Huc ſeruiunt nobis ſcripturæ ſacræ, dum naturam & ingeniũ Dei ex ipſius uerbis & factis declarant, ne ſit qui ſe poſsit ignorantiæ prætextu excuſare.

Plurimum refert, ut ſciamus qualis ſit deus.

Tertiò, expendamus qualem ſe Deum eſſe dicat: Sum, inquit, fortis zelotes. Vox Hebræa קנא ſignificat zelare, æmulari & inuidere. Eſt autem fons iſtorum ingens & ardens amor, cuius natura eſt, zelari pro eo quem amat, & æmulari, inuidereq; omnibus uſum rei amatæ. Mouet hinc calumniam Moſi impijſsimus apoſtata Iulianus: Blaſphemiam, inquit, in Deum dicit. Homo zelotes & inuidus reprehẽſione dignus uidetur. Quis ergo laudabit, ſi zelotypus dicatur Deus? Deinde ſi zelotypus eſt, inuito illo omnes dij adorantur, & omnes cæteræ gẽtes Deos adorant. Et quomodo non repreſsit zelans & nolens adorari alios, ſed ſeipſum? An quia non potuit? At impium hoc eſt de Deo dicere. An quia ſic uoluit primùm adorari alios deos? Sed hoc cum noſtris operibus conſentit. Ad hunc modum os impium & blaſphemum contra diuinæ maieſtatis oracula fœtorem ſuum omniũ teterrimũ euomuit. Quamuis autẽ omni ſit reſponſione indignus, tamen propter imperitos ac rudiores admonendũ eſt, loqui ſacras ſcripturas de Deo more humano, dum illi dat iram, zelum, æmulationẽ, odium, pœnitentiam, & quæ alia ſunt huiuſmodi, humanos affectus cõcernentia. Non enim poteſt nobis, alijs loquẽdi formulis ea illuſtrare, quæ in Deo ſunt obſeruanda. Vt hoc præſenti loco inducitur Deus ſic loquens ad populum ſuũ: Ego ſum Dñs Deus tuus, fortis zelotes, uel æmulator, uindicans iniquitatẽ patrum, &c. Vbi non eſt cogitandum, eſſe Deũ obnoxiũ impotẽtibus zelotypiæ & æmulationis affectibus: abſit: ſed tã eſſe amorẽ illius erga populum ſuũ inſignem & ardentem, ut non ferat, ſi à ſe ad alios deos deficiant, ſed etiam contumeliam grauiter ulciſcatur. Tam abeſt autẽ ut hic amor dedeceat Deum, ut hoc maximè nomine deos Gẽtiũ nec eſſe ueros deos, nec genus mortalium diligere, ſed peruerſæ ſuæ libidini & ambitioni conſulere, in eo deprehendere liceat, quòd cultoribus ſuis ſine ulla indignatione permittunt, ut quoſuis alios unà cũ ipſis colant & adorent: id quòd ad exemplum faciunt ſcortatorum.

Deum eſſe zelotem.

rum. Maritus honeſtus non eſt ob id reprehenſibilis, quòd uxoris ſuæ communicationẽ non ſuſtinet alijs permittere: ſed ardenti zelo, ſi id fiat, ulciſcitur. Chriſtiana honeſtas plurimũ à leuitate Græci Socratis & Romani Catonis diſsidet, qui uxores ſuas amicis communicauerunt, quas in matrimonium duxerant. atq; ita lenones erant & Philoſophus & cenſor. Huiuſmodi patientiam alienam à uiris honeſtis ſeruet ſibi ac ſui ſimilibus Iulianus, à fide Chriſti factus apoſtata: nos, ut Chriſtiani, illam laudare nõ poſſumus. Nec immeritò damnatus eſt Nicolaus ille unus ex ſeptem primis diaconis, ut fertur, qui cum de zelo pulcherrimæ coniugis culparetur, purgãdi ſe cauſa permiſit, ut ea qui uellet uteretur. Vnde turpiſsima ſecta promanauit, cui placet indifferẽs fœminarum uſus. Quare planè friuolum eſt, quòd Iulianus dicit: Homo zelotypus & inuidus reprehenſione dignus cenſetur. Quis ergo laudabit, ſi zelotypus dicatur Deus? Quin potius dicamus ad hunc modũ: Homo in coniugio conſtitutus laudem meretur, ſi maritali zelo uxoris ſuæ caſtitatem proſequatur, & adulteram libidinem ulciſcatur: quanto magis eam amoris ſinceritatem in Deo laudare conuenit? Quòd autem interea dij falſi adorantur à cæcis & corruptis, non ſic eſt interpretandum, quòd eam impietatem prohibere uel nequiuerit, uel noluerit Deus: ſed quòd ſecretiſsimo ſuo conſilio in uaſis iræ locum ſeductionibus permittere uoluit, ſic tamen, ne qua iuſta eſſet excuſatio, ut quemadmodum Paulus Act. 17. dicit, interea diuinitatis ſuæ maieſtatem toto terrarum orbe erga genus humanũ declararit, dans omnibus uitam, inſpirationem, & omnia: nec ab unoquoq; procul exiſtens, quo Deum quærerent, & inuenirent. Poſſet quoſuis cogere etiam inuitos: uerùm id genus coactionis & indignum eſt amore Dei, & inconueniens incomparabili felicitatis huius dono, quod ueris cultoribus Dei inde eſt ab initio mundi deſtinatum: ad cuius conſecutionem non inuitus aut coactus, ſed ſpontaneus ac liber requiritur animus.

Qualem Deũ habeamus.

Obſeruemus igitur in hac particula, habere nos talem Deum, qui populum ſuum impenſe & ardenter diligat, perinde ac legitimus maritus erga uxorem ſuam eſt affectus. Quis autẽ ſatis expenderit, quanta ſit amoris huius uis? Verùm de illa ſequenti particula admonemur. Interea, quòd ſimulacrorum cultum attinet in uoce קנא, id eſt, zelotes, manifeſtè admonemur, tã eſſe illum Deo intolerabilem in populo ſuo, quàm ſcortatio & adultera libido ab honeſto marito in uxore ferri nequit.

Vnde ſit zelus iſte in Deo.

Deinde admiratione dignum eſt, unde ſit in Deo amor iſte erga miſeros mortales, & peccatores: quid tandem in nobis tanto amore dignum reperiat, quemadmodum & propheta huiuſmodi admiratione captus prorupit, dicens: Quid eſt homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quòd uiſitas eum? Si nos inſpiciamur, nulla ineſt nobis uenuſtas, nulla elegãtia, nullus decor, cuius reſpectu cœleſti ſponſo uel tantillum placere poſsimus. Imò omnia noſtra ſic ſunt turpia, inhoneſta & deformia, ut ſummam mereantur nauſeam & abominationem. Reliquum igitur eſt, ut amoris huius cauſæ in amante Deo ſint, nõ in amatis miſeris ac peccatoribus. Cauſa zeli, amor eſt: amoris cauſam in Deo, quam ſtatuemus aliam, quàm inenarrabilem illius bonitatem? Quoniam autem eximia ſint oportet quæ Deo naturaliter inſunt, neceſſe eſt, ut ſecundum bonitatis illius, diuinæ uidelicet, excellentiam, excellens ſit illius dilectio: & dilectionis excellentiæ, zelus eximius reſpondeat.

Ingenium zeli & æmulationis.

¶ *Viſitans iniquitatem patrum in filijs, in tertiam & quartam generationem.*) Notandum eſt hic ingenium zeli & æmulationis. Amor exacerbatus ſæuius punit amatos, quàm nõ amatos. Amor contemptus exacerbatur, & quantum amando benefacere ſtuduit, tantum iritatus & exacerbatus nocere ſolet. Hinc eſt, quòd Moſes Iſraelem hac de re admonens dicit: Et ſcias, Dominum Deum tuum eſſe Deum fortem & fidelem, cuſtodientem pactum & miſericordiam diligentibus ſe, & his qui cuſtodiunt præcepta eius, in mille generationes: & reddentem odientibus ſe ſtatim, ita ut diſperdat eos, &c. cuſtodi ergo præcepta, &c. Deuteronomij ſeptimo. Et Iehoſua capite uigeſimoquarto, cum Iſrael adhæſurum ſe Deo polliceretur, iſta & ipſe Ioſue admonuit dicens: Non poteritis ſeruire Domino. Deus enim ſanctus & fortis æmulator eſt, nec ignoſcet ſceleribus ueſtris atq; peccatis. Si reliqueritis Dominum, & ſeruieritis dijs alienis, conuertet ſe, & adfliget uos, atq; ſubuertet, poſtquam uobis præſtiterit bona.

Non eſt Deus noſter ſimilis dijs falſis.

Admonemur, non eſſe Deum noſtrũ ſimilem dijs alienis, qui nec malè facere poſſunt nec bene, ſed omnino neceſſe eſſe, ut uel amante illo innumeris beneficijs adobruamur, uel exacerbato condignã ultionẽ experiamur. Nõ habemus talẽ Deũ qui nec amet, nec infenſus ſit, nec bene nec malè faciat. Alterutrũ experiri neceſſe eſt, ſi populo illius accẽſeri uoluerimus.

Vel adhæreamus Deo, uel ab eo ſeiungamur.

Cogitet autem quiſq;, quàm oporteat eſſe uehementer infelices omnes eos qui cũ amante, benefaciente, imò beatificante Deo frui poſſent, ſuccenſentem, punientem & perdentem experiri malunt. Quare ſi ſapimus, uel redamemus amantem, adhæreamus fideliter benefacienti, & fruamur inenarrabilli illius bonitate: uel ſi aliter animati ſumus, ſeiungamur ab eo, ſimusq; alieni à teſtamento & populo eius. Etenim licet pereant omnino, quotquot ab illo ſunt abalienati: multo tamen grauiori condemnationi reddentur obnoxij, qui cũ ſint de populo eius, corde tamen inſincero & infideli coram illo uerſantur, & excellentem illius amorem in iram omnium grauiſsimam perſuertunt.

Deinde

Deinde obſeruandum eſt, quòd culturam ſimulacrorum uocat iniquitatem, eamq; talē, quæ ſingularem mereatur exacerbati zeli iram & ultionem. Viſitans, inquit, iniquitatem patrum in filijs. Non enim loquitur de quouis iniquitatis ac peccatorum genere, ſed de iniquitate illa, qua Deus in ſimulacris ſurdis ac mutis colitur: imò non colitur, ſed magis exacerbatur: non honoratur, ſed dehoneſtatur. Quare Græcus interpres oſcitanter particulam hanc uertit, dum ſic reddit, ἀποδιδοὺς ἁμαρτίας πατέρων, id eſt, Reddens peccata patrum. In Ebræo non eſt חטאה, id eſt, peccatum, ſed עון, id eſt, iniquitatem. Quis autem ex omnibus ſimulacrorum cultoribus non uehementer excandeſcet, ſi intelligat religionem ſuam, qua ſe Deum apprimè uenerari putat, uocari iniquitatem ſingulari ultione dignam? Sic excanduerunt reges ac primores Iſraelis aduerſum prophetas, cum cultus ipſorum iniquitatis & impietatis damnarent. Et noſtra ſecula huius rei ſatis luculenta præbuerunt experimenta

Quòd culturā ſimulacrorum uocat iniquitatem.

Tertiò, & illud conſideremus, quòd non ſimpliciter dicit, Viſitans iniquitatem in cultoribus ſimulacrorum: ſed, Viſitans iniquitatem patrum in filijs. Naſcitur hic quæſtio, quomodo æquum cenſeri poſsit, ut patrum iniquitas uiſitetur in filijs, cum Ezech. 18. manifeſtè dicente Domino legamus, Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impij erit ſuper eum. Si filius non tenetur portare iniquitatem patris, ſed ob ſuam ipſius quiſq; iniquitatem puniendus eſt: uidetur utiq; iniquum eſſe, quòd hic ſe Deus patrū peccata in filijs uiſitaturum minatur. Neq; iniquum modò uidetur, ſed & planè contrarium ei quod iam citato Ezechielis loco legimus.

Quomō hæc uerba conueniant illis, quæ Ezech. 18. legimus.

Reſpondendum eſt, non loqui Dominum utrobiq; de filijs ab iniquitate paterna alienis, ſed de illis qui patrum iniquitatem ijſdem ueſtigijs ingredientes imitantur. Requirunt tamē duo iſti loci commodam diſtinctionem. Patres huius populi ſimulacra Aegyptiacæ ſuperſtitionis coluerant & adorauerant ante legem, cum eſſent in Aegypto. Hanc illorum iniquitatē non fuerat Deus ultus in illis, ſed tulerat uſq; ad tempus uiſitationis, liberationis, ac renouā di fœderis, quo legem acciperent, & ad ueros cultus inducerentur. Quòd ſi Iſraelitæ in uijs mandatorum Dei perſtitiſſent, nec ſemitas paternæ & auitæ iniquitatis ingreſsi eſſent, non fuiſſet ratio uiſitandi in ipſis patrum iniquitatem. Iam quoniam leges iſtas præuaricaturi, & ad cultum deorum alienorum defecturi erant, quis non uidet, comminationē hanc Dei, qua ſe iniquitatem patrum in filijs uiſitaturum minatur, omnium fuiſſe æquiſsimam? Magna erat inter patres & poſteros iſtos differentia. Patres deſtituebantur doctoribus, pædagogia, lege, fœderis renouatione, diuinæ maieſtatis declaratiōe, uerſantes in natione impia, in medijs ignorantiæ tenebris. Poſteri, quibus hoc decalogo præſcribebatur, nacti erant diuinam uiſitationem, ductores & prophetas, luculentiſsima diuinæ maieſtatis & admiranda experimenta, eductionem ex Aegypto, & hanc legem, qua de uero cultu Dei inſtruebantur. Quare non conueniebat, ut filijs poſt hęc omnia ad cultum ſimulacrorum relabentibus parceretur, quemadmodum ignotum fuerat patribus: ſed ipſiſsima requirebat æquitas, ut patrum iniquitas, cui Deus olim pepercerat, in ipſis uiſitaretur

Contra hanc iniquitatem non pugnat locus Ezechielis. Nam illic repercutiuntur improbi Iudæi, qui cum propter impietatem ſuam punirentur à Domino, iudicabant id fieri non propter ſua, ſed propter patrum peccata, quaſi ipſi eſſent inſontes, ideoq; prouerbium hoc inter ſe dictitabant: Patres noſtri comederūt uuam acerbam, & dentes noſtri obſtupeſcunt hoc eſt, Patres noſtri peccauerunt, & nos peccatorum illorum pœnas damus. Ea parabola retunditur fortiter. nec immeritò. Erant enim filij non minus peccatores & impij, quàm ipſorum maiores. Quare inculcatur illis, non eſſe hāc in Deo iniuſtitiam, ut filius inſons propter peccata patris ſui, uel pater iuſtus propter iniuſtitiam filij puniatur: ſed unumquemq; iuſtū ſeruari ſua iuſtitia, & unumquemq; impium ſuæ impietatis dare pœnas. Hęc generalem iuſtitiam Dei commendant, qua non tollitur æquitas comminationis huius, quaſi iniquum ſit, ſi populo ſuo Deus temporibus ignorantiæ commiſſa delicta condonet, nec illorum gratia ſiue de ipſis, ſiue de poſteris ipſorum condignas ſit ſumpturus pœnas, modò poſt acceptā lucem reſipiſcant, & in uerā fide permaneant. Verùm ubi poſteri contempta ueritatis luce, & ſpreta fœderis gratia contra acceptam legem ad impietatem paternam relapſi fuerint, iā non ſolùm ipſorum, ſed & patrum iniquitatem in talibus uiſitet: hoc eſt, huiuſmodi poſteros duplicato ſupplicio dignos iudicet.

Locus Ezech. 18. exponitur.

Ergo ad concordationem duorum iſtorum locorum, neceſſarium eſt ut diſtinguantur diuinæ diſpenſationis tempora, & circumſtantiæ illorum inſpiciantur. Sunt tempora ignorantiæ ac tenebrarum, ſunt tempora lucis ac ſcientię Dei. Multum diſcriminis inter ea eſt, quę tēporibus ignorantiæ, & ea quæ temporibus ſcientiæ Dei malè geruntur. In Aegypto potuit Deus erroribus Iſraelitarum parcere, impietatem uerò eorū, qui ex Aegypto magnis portentis liberati, legem tanquam ſcientiæ Dei pædagogiam, & manifeſtum mandatum contra cultum ſimulachrorum acceperant, conſimili patientia ferre non potuit. Illic non erat impietas impij ſuper impium, propter catholicas tenebras, quibus Iſraelitæ tenebātur. Hic uerò & patrum

Diſtinguenda ſunt tēpora diuinæ diſpenſationis.

patrum iniquitas, ſub tenebris non punita, punitur in filijs: & patres tũ ſub luce ſcientiæ Dei uiuẽtes, proprię impietatis pœnas luũt, & filij cõſimiliter. Tale quid & de Gẽtib. uide Act. 17.

De noſtris temporibus.

Cogitemus de noſtris temporibus & ſeculis quoq; maiorum noſtrorum. Maiores noſtri, ſine ulla contradictione aliquot ſeculis non ſub uerbo Dei, ſed humanæ præſumptionis magiſterio uiuentes, craſsiſsimis fuerunt errorum ac ſuperſtitionum tenebris adobruti, in quibus & ipſi ſimulacra coluerunt & adorarunt. Hæc illorum iniquitas non eſt in ipſis pro merito punita, propter catholicam ueritatis ignorantiam, & religionis corruptionem. Tandẽ data lux eſt uerbi Dei, quæ errores ac ſuperſtitiones falſorum cultuum omnium clariſsimè redargueret. Illa ſparſa eſt per orbem Chriſtianum modis uarijs, multis ac luculẽtis: & paſsim, licet non ab omnib. in uniuerſum, à quamplurimis tamen agnita & recepta. Quid nũc aliud futurum putabimus, quàm ut & patres & filij pari ratione ſuam quiſq; portet iniquitatem, ſi in luce tam clara ad opera tenebrarum relabantur, ibiq; nec pater pro filio, nec filius pro patre puniatur, ſi non ſit mutatio uel relapſus ad impietatẽ: & tamen hæc natio ſi ueſtigia maiorum qui olim in tenebris peccarunt, pari impietate ſequi maluerit, quàm in luce uerbi Dei uerſari, ſicuti pleriq; faciunt dicentes,

Credamus ſicuti maiores noſtri crediderũt

Credamus ſicuti crediderũt maiores noſtri: nõ ſolùm proprię, ſed & auitæ iniquitatis datura ſit pœnas? in Ezechiele loquitur Deus de patribus & filijs poſt acceptam legem uiuentibus, in Decalogo iſto loquitur de patribus, qui uixerãt in Aegypto: & filijs, id eſt, poſteris eorum, qui poſt liberationem ex Aegypto ſequuti ſunt. Arbitror hoc pacto manifeſtum eſſe, ſi diſtinctio iſta ſeruetur, nihil diſcrepãtiæ relinqui in hiſce duobus locis, qui neglecta diſcriminatione, admodum ſibi inuicem uidentur eſſe contrarij. Si cui lubet, uideat Hieronymum ſuper Ezechielem cap. 18.

Quomodo dei ultio protẽdatur in tertiam & quartã generationem.

Deniq; & illud conſiderandum eſt, quòd in generationes aliquot nationis impiæ ultionẽ ſe propter cultum ſimulacrorũ extenſurum minatur. Non debet hoc ſic intelligi, quòd præciſe ac ſemper de tot generationibus pœnas ſumat Deus: fieriq; nõ poſsit, ut huiuſmodi ultionis tam diuturna continuatio interrumpatur, ſiue iram ſuam Deo per miſericordiã remittẽte, id quod ei nunquã non eſt liberrimum: ſiue poſterorum reſipiſcẽtia intercedẽte, id quod, exempli gratia, factum eſt in diebus Ioſiæ regis, cui Deus propter ſingularẽ pietatem pepercit, deditq; ut in pace moreretur, nec uideret ſequentium temporum mala, quæ propter aui eius Manaſsis impietatem ſuper Iudah & Hieruſalem erant uentura: 2. Reg. 22. quo mortuo, redijt ultio Dei in ſequentes generationes cõtinuanda, ſic ut neq; filijs Ioſię, quantũuis iuſti ac pij, pepercerit, propterea quòd ueſtigijs Manaſsis proaui ipſorũ ingrederẽtur. Sic poteſt itaq; ultio Dei, quam ſe hic in tertiã & quartam generationem de filijs impiorum ſumpturã minatur, per pietatẽ ac reſipiſcentiã quorũdã interrumpi: prorſus uerò auerti nequaquã, niſi per cõtinuã ſubſequẽtiũ generationũ iuſtitiam ac pietatẽ, zelus Dei in uniuerſum placetur.

2. Reg. 22. exẽplum Ioſiæ regis.

Cultus ſimulacrorum deputatur odio dei.

Eorum qui oderunt me.) Notabis hic, cultum ſimulacrorũ deputari odio Dei, ut oſores Dei cenſendi ſint, quotquot ſimulacra colunt & adorant. Quis autem impenſius amorem & cultum Dei prætexit ac ſimulat, quàm hi ipſi qui quotidie colendis ſimulacris ſunt dediti? Ergo religio & cultus illorum non iudicantur ſecundum ipſorum intentionem ac prætextum, ſed ſecundum uerbum Dei. Horrendum autem eſt, dare homini cuipiam id impietatis, ut dicatur odio proſequi Dominum Deum ſuum, quem tamẽ quotidie adorare ac colere intendit. Quantumuis horrendum ſit, & quamuis tales uideri nolint cultores ſimulacrorum: non poſſumus tamen, nec debemus de cultu illorum aliter pronunciare, quàm Deus ipſe, qui mẽtiri neſcit, tam diſertè pronunciat. Quare admonemur hoc loco, odium Dei cenſeri, non ſolùm

Vnde cẽſeatur odium Dei.

ſi quis ſcienter & prudenter oũij affectu prædituſ ſit aduerſus Deum, quem negat eſſe uerũ Deum: quemadmodum Turcæ & Iudęi affecti ſunt contra Chriſtum Dominum ac ſeruatorem noſtrum, ſed & ſi quis ea Domino ſuo faciat, quæ illi habentur execranda, etiamſi faciat animo non iritandi, ſed gratificandi.

Germanica locutio.

Et hac loquendi conſuetudine utimur & nos Germani, cum de eo qui uitæ ſuæ corruptione ſeipſe perdit, dicimus, *Der menſch iſt im ſelb feind.* Nemo ſeipſum ſcienter & ſicut Apoſtolus dicit Epheſiorum quinto, carnem ſuam odit. Et tamen id prædicatur de illis, qui ſe ipſi perdunt: licet nemo mortalium ſit, qui ſeipſum ardentius diligat, quàm illi ipſi qui uoluptatibus ſuis obnixè indulgent. Sicut igitur amor ille carnis, quo ſe carnalis homo proſequitur in omnibus, ſi effectum illius inſpicias, non amor, ſed odium eſt: ita & dilectio illa carnalium hominum, quam in cultu ſimulacrorum erga Deum ſe apprimè exercere putant, non eſt in conſpectu Dei dilectio, ſed odium. Quare nõ intentio horum cultuum, ſed effectus coram Deo inſpiciendus eſt.

Locutiões ſanctæ ſcripturæ.

Conſimiles locutiones, imò magis cenſuræ de corruptis mortalium affectibus, & alibi in ſcripturis habentur. Apud Salomonem Prouerbiorũ octauo Sapientia dicit: Omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Quis autem adeò inſanit, ut ſcienter ac prudenter diligat mortẽ, quam omnis caro naturæ inſtinctu exhorreſcit? Verùm quoniam hic eſt effectus cõtemptæ ſapientię Dei, ut mortẽ conciliet, hæc locutus eſt ſpiritus ſanctus. Et apud eundem Salomonẽ

Prouerb. 13.

capite decimotertio ſic legitur: Qui parcit uirgæ, odit filium. Atqui præ nimio filiorũ amore, qui

re, qui eiusmodi sunt, uirgis parcunt. Quomodo ergo filios odiunt, quos tantopere diligunt? Respicitur ad corrupti amoris, non stultum affectum, sed magis pernicioſum effectũ, quo filius per nimiam indulgentiam perditur. Perdere autem filium, nõ est uerè amasse, sed potius odisse. Et capite uigesimonono, Qui cum fure, inquit, participat, odit animam suam. Animã suam non odit ullus mortalium. Et qui cum furibus participat, ad hoc illud facit, ut uitæ suæ consulat. Verùm si res sunt ex fine & effectu censendæ, non amat uerè animã suam, qui se furti facit participem, sed odit. nam reddit eam exitio obnoxiã. Hoc sensu arbitror satis esse manifestũ, non esse eos cultores & amantes Dei, sed magis osores, quotquot simulacris aduoluuntur, & Deum qui spiritus est, in simulacris contra præceptum ipsius colunt, & adorant. Nam hoc cultu tam abest ut illi gratificentur, ut quoniam faciunt quod ipsi uehementer displicet, magis eum exacerbent & iritent, opus facientes odij magis quàm ueræ dilectionis. *Prouerb. 29.*

Hæc una diuinæ comminationis particula, etiamsi nihil præterea in uniuersis scripturis contra cultum simulacrorum extaret, tantum debebat tamen in animis cordatorum hominum habere momenti, ut omnem illam imaginum ac simulacrorum religionem prorsus reddere possit abominandam & execrabilem. Quid enim intolerabilius esse poterit homini amanti Dei, quàm ipsius Domini Dei sui ore & iudicio inter osores ipsius cẽseri? Verùm usq; adeò cæca sunt corda idololatrarum, ut etiamsi ex ipso ore Dei centies audiant, Non placet cultus uester, nolo coli & adorari in simulacris, odium ostenditis erga me, non obseruantiã, ferre non possum, ulciscar in tertiam & quartam generationem: tamen suæ ipsorum sententiæ & intentioni magis obsequuntur, quàm contestationi diuinæ, quantumuis disertæ ac uehementi. Quare permittendi sunt iudicio Dei, ut comminationis huius ueritatem & grauitatem experiantur. *Cæcitas eidololatrarum.*

Et faciens misericordiam in millia.) Expendamus hic, quantum distantiæ sit inter millesimã generationem, & secundam ac tertiam: ut simul cõsideremus, quanto cumulo iustitiam Dei misericordia ac bonitas illius excellat. Vehemens est ira, zelo & æmulatione uelut igne accẽsa. At abũdantior infinito est bonitas illius, amoris zelo erga pios flagrans. Irascitur in tertiã ac quartam generationem, idq; non leuiter, sed igne zeli accensus. Misericordiam uerò facit nõ in tertiam & quartam, sed in millẽsimam generationem: hoc est, in infinitum. Quid aliud admonemur, quam propensiorem esse Deum ad amandum, quàm ad odiendũ (est enim charitas) ad benefaciendũ quã ad ulciscendum. Iustus est, bonus est. At excellentius bonus, quã iustus. Iustus est perfectè, bonus in infinitum. Non conferimus iustitiam ac bonitatẽ Dei secundum gradus imperfectionis & perfectionis, quasi imperfectè sit iustus, perfectè uerò bonus (absit) sed expendimus, quàm in immensum perfectã Dei iustitiam infinita illius excedat bonitas. Quoniam perfectè iustus est, non habet mortalium quisquam quod de operib. iustitiæ illius, cùm erga se, tũ erga alios quoscunq; meritò queratur. Quoniã uerò infinitè bonus est, habet omnis caro, unde sibi præter omne meritum innumerabiliter benefieri agnoscat, & animo grato deprædicet, dicatq;: Misericordiæ Domini sunt, quòd nõ consumor. Vincit absolutam Dei iustitiã immensa bonitas, non extinguit, non labefactat, non eneruat. Vincit, ne perdatur iudicijs iustitiæ caro misera & corrupta, nisi sit bonitatis cõtemptrix & auersatrix: non sic uincit, ut uel impunè peccent impij, uel quisquam per iniuriam perdatur. *De eo quod iustitiam Dei misericordia & bonitas illius excellit.* *Iustus est Deus perfectè, bonus uerò infinitè.*

Vsus huius loci est, non contemnere iussiones ac contestationes Dei, propterea quòd infinitè bonus est: sed infirmas & contritas mentes, & conscientias metu iræ ac iudicij Dei depressas fide bonitatis huius erigere: nec dubitare, omnem nostram corruptionem & imperfectionem, non esse guttulam minutissimam infinitæ copiæ diuinæ bonitatis comparatam. Deinde pro mensura donationis Christi, huc luctari unumquenq;, & quàm fieri poterit proximè ad exemplar hoc iustitiæ ac bonitatis Dei accedere, ut & ipsi non quidem æqualiter, quod impossibile est, attamen aliquo pacto cõformiter sic euadamus iusti, ut mille modis ad bonitatem & misericordiam simus propensiores. *Vsus huius loci.*

Omnino uidere licet hoc exemplo, quæ sit uera iustitia, quæ falsa. Nam uera iustitia, similis est sibijpsi ubiq;. Perfectè quidẽ, qualis sit, declaratur in Deo: at interim in homine à Deo iustificato naturam suam germanam, licet imperfectè, satis tamen luculenter, & sic ostendit, ut instar auri probari possit. Quæ illa sit, ab eo est expressum, qui ut falsam iustitiã à uera nota omnium certissima distingueret, admodum scitè dixit: Vera iustitia compassionem habet, falsa dedignationem. Compassionem habere, est esse uerè misericordem ac bonum: dedignari & contemnere, est esse superbum. Quare qui sic sunt seueriter iusti, ut nulla compassione erga adflictos, & misericordia erga peccatores afficiantur (quales erant scribæ & Pharisæi, & nostri seculi iustitiarij & hypocritæ) tam longè absunt à uera iustitia, quàm longè diside̅t ab isto diuinæ iustitiæ ingenio & exemplo: & hoc magis sunt iniusti, quo magis fallaci iustitiæ specie turgent, & à stulto mundo suspiciuntur. *De uera et falsa iustitia.*

His qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.) Primùm obseruemus, non esse Deũ simile̅ tyrannis illis, qui puniunt quidẽ malos & immorigeros; bonis uerò, sibiq; fideliter obedietib. haudquaquam benefaciunt. Postquam dixit, Visitans iniquitatem patrum in filijs: adiecit, *Dissimile̅ esse Deũ tyrannis.*

Et faciens misericordiam uel benignitatem his qui me diligunt, & custodiũt præcepta mea: significans, se non solum punire reprobos, sed & benefacere bonis & morigeris. Reperias innumeros homines longè ab hoc ingenio Dei diuersos, quos facilè ad iram, odiũ, inimicitiã, maleficentiam & studium uindicandi: ad gratiam uerò, dilectionem, amicitiam ac beneficentiam haud ita facilè prouocaueris, etiamsi mille modis coneris. Hoc genus hominum admodum est peruersum, & planè contrario spiritu præditum à filijs Dei, qui secundum ingeniũ Dei, tardi sunt ad iram, & proni ad gratiam ac beneficentiam.

Facilè ad iram, difficile ad beneuolẽtiã prouocari.

Ingenium dilectionis quomodo cùm in Deo tum in pijs habeat.

1 Deinde consideremus hic ingenium dilectionis, primũ in Deo, deinde in pijs, Deũ uerè diligentibus. In Deo declaratur, hoc esse dilectionis ingeniũ, ut quoniã nos diligit, cupiat nisi simili à nobis diligi. Etenim nisi diligeret, non ita amanter amplecteretur eos qui se diligũt. Qui odit, uel contemnit, uel negligit & fastidit, planè alienus est ab hoc affectu. Nihil minus quærit, quàm ut diligatur ab eo quem odit: uel etiamsi non odiat, nullo tamen alicuius existimationis loco dignatur. Aperit itaq; Deus, quàm diligat populum suum, dum diligentibus se infinitam suam beneficentiam pollicetur. Sic in ipsa ultoris zeli comminatione ingenium dilectionis dissimulare non potest. Sic Deut. 6. mandat etiã ut diligatur: Diligas, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Quòd si aliquid emolumenti ad eũ ex nostra possit redire dilectione, non careret suspicione affectati proprij commodi, quòd mãdat ut se diligamus: uerùm quoniam dilectionis emolumenta ad ipsum nulla, ad nos uerò infinita redeunt, non potest ulla alia cogitari ratio, ob quam à nobis requirat ut se diligamus, quàm hæc una, quòd nos prior diligit immeritos. 2 Deinde & hoc habet in se uera dilectio, ut beneficiat ijs quos diligit, & quos sentit mutuo amore affectos. Sic Deus pollicetur hic infinitã beneficentiam illis qui se diligunt. Igitur & hoc est ueræ dilectionis ingenium, ut bona sua impertiat dilectis. Omnino cauendum est, ne sentiamus Deum sic benefacere diligentibus se, & mandata sua custodientibus, ut magis remuneret diligentibus, quàm benefaciat dilectis. Etenim cum Deum diligimus, non tam prouocamus eum ad beneficentiam, quàm non impedimus ab ingenio dilectionis. Certum nanq; est, quòd prior nos ipse diligat, & prior etiã immeritis benefaciat. Hanc illius dilectionem & beneficentiam diligendo uicissim ueluti cõseruamus, cauemusq; ne odio & inobedientia nostra reprimatur. In nobis uerò dilectionis ingenium per id declaratur, quòd Deũ diligentes, præcepta illius custodimus. Sic dicit hic: His qui me diligunt, & præcepta mea custodiunt. Sic & Dominus dicit: Si quis diligit me, sermones meos seruabit, Ioan. 14. Est enim hæc natura dilectionis, ut nos uoluntati eius quem diligimus, accõmodemus. Simul considera hic discrimen dilectionis eius, qua nos Deus, & eius qua Deum nos diligimus. Ipse diligens creaturas suas, ingenium dilectionis erga eas inenarrabili benefaciendi studio declarat, cuius gratia ab Apostolo dictum est, Deus est charitas. Nos Deum diligendo, dilectionis ingenium non possumus erga illum studio benefaciendi, sed potius studio obediendi, ac præcepta illius seruandi declarare.

Nihil emolumenti accedit ad Deũ ex nostra dilectione.

Qua in re declaremus quã Deum diligamus.

Discrimen dilectionis inter patrẽ & filiũ.

Et hoc discrimen, quod non ex natura dilectionis, sed ex differentia diligentis ac dilecti nascitur, etiã in pijs locum habet. Pater diligit filium, filius patrem. Dilectionis ingenium pater declarat, non custodiendo præcepta filij, sed magis filio, quæ illi sunt utilia, præcipiendo & faciẽdo. Filius ingeniũ dilectionis ostendit, nõ præcipiendo & benefaciendo patri (nisi casu aliquo necessitatis) sed magis præcepta illius custodiendo, illumq; reuerenter colendo.

Cõiunguntur dilectio & custodia mandatorum Dei.

Tertiò, obseruemus etiam coniunctionem dilectionis, & custodiæ mandatorum Dei. Nõ dicit, His qui custodiunt præcepta mea: sed præmittit, His qui diligunt me. neq; simpliciter dicit, His qui diligunt me: seũ addit, Et custodiunt præcepta mea. Admonemur, quæ sit uera dilectio, deinde etiam quæ uera sit præceptorum Dei custodia. Vera dilectio est, quæ nõ est ociosa, sed efficax ad colendum eum quem diligit. Vera custodia mandatorum Dei non est, quæ non ex intimis dilectionis affectibus ultrò promanat. Quare nemo cogitet fieri posse, ut ista à se inuicem diuellantur. Qui diligit Deum, præcepta illius contemnere non potest: qui non diligit, nunquam illa ex animo custodiet.

Contra cultus arbitrarios.

Quarto, & illud expende, quòd non dicit: Qui diligunt me, & seruiunt mihi, uel, & colunt me: sed, Et custodiunt præcepta mea. Locus hic pulchrè facit contra arbitrarium illum cultũ, qui in Papatu, sicut etiã aliàs inter Gentes obtinuit, quo Deo seruitur non secundum ipsius, sed secundũ seruientiũ uoluntatem & arbitriũ. Voluntas Dei in præceptis illius proponitur. Verus cultus Dei est, quo ipsius studetur uolũtati.

Seruire Deo quid sit.

Seruire nanq; Deo, nihil est aliud, quã ipsi gratũ facere: nõ quomodo nobis, sed quomodo ipsi probatur. Sic nos Germani etiã hac utimur loquutione, dũ dicimus, *Du thuost mir kein dienst daran*: id est, non placet mihi quod facis, non approbo, nõ cõuenit uoluntati meæ. Huc & illud accedit, quòd nõ dicit, Qui diligũt me, & student uoluntati meæ: sed, Et custodiũt præcepta mea. Superstitiosi homines, & traditionũ humanũ obseruantes, arbitrantur se cum primis seruire Deo, & nescio quã dilectionem erga illum ostendere, dum præcepta maiorum & consuetos cultus seruant. Et hoc in ore habẽt, Quicquid feceris studio seruiendi Deo, placet illi. Si hæc ratio cultus Dei firma esset, obsecro quid necesse fuisset, ut aliquod præceptum à Deo mortalib. præscriberetur? Nõ uult, ut

An placeat Deo, quicquid studio seruiendi illi fecerim?

nos

nos de uoluntate illius diuinemus, & pro uanitate cordis noſtri quælibet ſomniemus. Ideo ne qua ſit dubitandi ac diuinandi occaſio, uoluntatem ſuam præceptis omnium manifeſtiſsimis expreſsit. Oſtendamus hic, quàm diligamus Deum, non in arbitrario cultu, uel obſeruãtia traditionum humanarum, ſed in cuſtodia præceptorum eius. Vſqueadeò inſaniunt Papiſtæ, ut citius omnia præcepta Dei negligant, quàm diebus uetitis carnes comedant.

Quòd non dicit, adimplent: ſed, cuſtodiunt præcepta mea.

Quintò & hoc conſideremus, quòd non dicit, Et adimplent præcepta mea: ſed, Et cuſtodiunt præcepta mea. Cuſtodire præcepta Dei, eſt ea non ſolùm opere adimplere utcunq;, ſed ex animo diligere, dilecta in animum recondere, de illis nocte ac die meditari, in itinere, in accubitu, & in quocunq; totius uitæ noſtræ ſtudio de ſeruandis illis cogitare: in ſumma, ſic ea precioſa exiſtimare, ut theſauri loco habeantur, idq; ex uero ueræ dilectionis affectu. Et hãc cuſtodiam præceptorum Dei Deut. 6. expreſſam legimus ad hunc modum: Audi Iſrael, Dominus Deus ueſter, Deus unicus eſt. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntq; uerba hęc, quæ ego pręcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, & dormiens atq; conſurgens, &c. Hoc ſtudium cuſtodiendi præcepta Dei, reperitur in cordibus piorũ ac diligentiũ Deum: perfecta uerò adimpletio non ita. Et tamen neſcio quomodo plus Deo placeat homo præcepta ſua diligens & cuſtodiens, quantũuis in multis deficiat, quàm angelus in nullo deficiens, ſed omnia mandata adimplens, ſi cuſtodia hac deſtituatur. Non tribuo hoc angelis, quòd cuſtodia mandatorum Dei deſtituantur: ſed cuſtodiæ huius exiſtimationem hac qualicunq; collatione exprimo. Simul tamen cauendum eſt, ne putemus hac cuſtodiæ mandatorum Dei ratione adimpletionem illorum excludi, cum illa nunquã felicius perficiantur, quàm ſi corde primùm cuſtodiantur. Non perficiuntur opere, niſi prius cuſtodiantur corde. Rurſus, non poterunt uerè cuſtodiri corde, ut opere negligantur. Nemo enim illa cuſtodit corde, niſi diligat. Qui diligit autẽ, ſecundum naturam dilectionis id quod diligit, pro uirib. operatur. Quare cuſtodia iſta mãdatorũ Dei, tanquã dilectionis filia, perfectionẽ illorum parit. Sic Leuit. 20. præcipitur, Cuſtodite præcepta mea, & facite ea. De hoc genere cuſtodię dicit Chriſtus Luc. 11. Beati qui audiũt uerbũ Dei, & cuſtodiũt illud.

Vtrum magis placeat Deo, homo præcepta illius cuſtodiens, etiamſi non impleat, quàm implens & non cuſtodiens.

Contra doctores meritorũ.

Sexto, eſt & illud obſeruandum contra doctores meritorum, quòd non dicit, Et reddens debitum: ſed, Et faciens miſericordiam in millia, his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Reddit quidem Deus diligentibus ſe, & mandata ſua cuſtodientibus: uerum non reddit ut debitum, quod meritis noſtris reſpondeat, ſed facit miſericordiam. Gratia eſt, bonitas eſt, miſericordia eſt, etiam id quod præcepta Dei cuſtodientibus impenditur. Sic conuenit nos ſentire & affici erga beneficentiam Dei, ne ſit, unde caro noſtra coram illo glorietur: ſit uerò, unde miſericordiam eius plenis buccis deprædicemus.

Dilectionem Dei præceptorum illius obſeruantem, nõ aduerſari fidei iuſtificãti.

Sed obſecro uide, quàm ſit hoc hominum genus peruerſum. Suſq; deq; faciunt cuſtodiã præceptorum Dei, modò traditionum ipſorum, quas nunc Eccleſiaſticas, nunc Catholicas, nunc Apoſtolicas uocant & iactant, ſtabilis ac firma ſit authoritas. Et tamen ex hoc præſenti & conſimilibus alijs locis, contra doctrinam fidei ac iuſtificationis argutantur, dicentes, Ecce promiſsionem infinitæ miſericordiæ Dei, annexam dilectioni & cuſtodiæ mandatorum Dei. Ergo non ſola fides iuſtificat, ſed iuſtificant & dilectio & opera. Vrgent in ſpeciem opera bona, quaſi doctrina iuſtificantis fidei dilectioni Dei ad bene operandũ, & præcepta Dei cuſtodiendum, prorſus ſit inutilis: imò aduerſetur etiam, quum ipſi reuera non Dei, ſed ſuorum mandatorũ obſeruantiam firmam eſſe cupiant. Vtinam diligamus omnes Dñm Deum noſtrum uerè, & ex totis animi uiribus, cuſtodiamusq; mandata illius inoffenſe, & ſine omni querela: planè felices eſſemus. Sed quis eſt hic? & laudabimus eum. intellige, ſic animatus ex uiribus naturæ & liberi arbitrij. Nemo planè. Quare neceſſe eſt primum, ut ratio ſalutis noſtræ conſtet gratia Dei per ſanguinem Chriſti Ieſu in fide: firmumq; ſit, quod Apoſtolus Romanorum tertio & quarto diſputat: deinde ut per fidem iuſtificati regeneremur, & tales efficiamur, qui & diligamus diligentem nos Deum, ac patrem noſtrum, mandatisq; illius cuſtodiendis ex animo ſtudeamus. Cogitandum eſt haſce uoces, quæ pręcipiunt aliquid, & cuſtodiam mandatorũ Dei exigunt, eſſe legales, & ſuo uſui accõmodandas, qui illis eſt peculiaris: & non ſic uſurpandas, ut Euãgelicas cœleſtis gratiæ promiſsiones propter illas eneruemus.

Legales uoces non eneruant promiſsiones gratiæ.

Deinde cogitandum eſt, efficaciam dilectionis eſſe ex fide iuſtificante, nõ fidẽ ex dilectione. Sic Paulus ad Galatas quinto dicit: In Chriſto Ieſu neq; circumciſio aliquid ualet, neque præputium, ſed fides, quæ per dilectionem eſt efficax. Ecce fides eſt efficax, inquit, per dilectionem. id eſt, operatur ea quæ per dilectionem Dei efficiuntur. Tam abeſt ſcilicet, ut locus hic iuſtificationi fidei aduerſetur, ut eam magis confirmet. Sed hac de re aliàs.

Dilectio eſt ex fide, non fides ex dilectione.

TERTIVM PRAECEPTVM.

Non ſumes nomẽ Dñi Dei tui uanè: quoniã nõ impunè dimittet Dñs eũ, qui ſumpſerit nomẽ ipſius uanè.

Poſtquam primo præcepto ſtatim initio dixit, Ego Dñs Deus tuus, qui eduxi te ex

Aegypto, de domo ſeruitutis: ſubiecit, cauendam eſſe utranq; Gentium, cùm [illegible], tũ idololatriam, ut admoneret hoc ab ipſis requiri cum primis, ut ipſi ſoli & uni Domino Deo ſuo

Quid tertio hoc præcepto requiratur.

purè & illibatè, quauis ethnica impietate reiecta, adhærerent. Iam tertio hoc præcepto exigit debitam reuerentiam, exiſtimationem, ſanctificationem ac religionem nominis ſui, dicens, Non ſumes nomen Domini Dei tui uanè. Eſt enim planè conſequens, ut qui dominus eſt, in precio & honore ab illis habeatur, quorum eſt dominus. Sic Malachiæ primo dicit: Filius honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum. Si ergo pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus? dicit Dominus exercituum. Eſt itaq; præceptũ hoc tertium, recta ordinis conſequentia duobus præcedentibus ſubiectum.

Duæ partes huius præcepti.

Sunt autẽ duæ illius partes. Vna prohibitionẽ, altera cõminationẽ habet annexam. Prior prohibet cõtemptũ nominis Dei, qui fit per illius abuſum. Eſt enim abuſus illius, quãdo fruſtra & uanè uſurpatur. & ſicuti animũ nominis Dei reuerentem declarat, qui illud ſanctè, cũ honore ac religione: ita contemptũ illius prodit, qui irreligioſe, temerè ac uanè uſurpat. Poſterior particula ultionem diuinam illis cõminatur, qui nomen Domini Dei ſui uanè ſumũt.

Quid ſit nomẽ Dei uanè ſumere.

Eſt autẽ uanè nomen Dei ſumere, idem quòd uel ſine ratione, uel ſine honore, uel ſine ueritate, uel facilè ac temerè, uel profanè, uel mendaciter ſumere.

Quoniam, inquit, non impunè dimittet Dominus eum, qui ſumpſerit nomen ipſius uanè. In Ebræo eſt, כִּי לֹא יְנַקֶּה, id eſt, Quoniam non iudicabit eum innocẽtem, non habebit eũ pro inſonte, quod nihil eſt aliud, quàm quoniam certò puniet eum tanquam ſontem. Hæc obiter de explanatione præcepti huius, quod nihil habet obſcuri, nec in litera, nec in ſenſu. uideamus iam quæ ſint in illo conſideranda.

OBSERVATIO.

Quòd in genere prohibitiuo loquitur. Iurãdi conſuetudo cunctis eſt nationibus.

Non ſumes nomen Domini Dei tui uanè.) Principiò obſeruandũ eſt, quòd non ſimpliciter præcipiendo dicit, Sanctifica nomen Domini Dei tui: cum tamen hoc ipſum reuera in iſto præcepto requiratur: ſed in genere prohibitiuo, Non ſumes, uel ne ſumas, nomẽ Domini Dei tui uanè. Non eſt hoc præter rationem factum. Conſuetum eſt omnibus in uniuerſum nationibus, ut per nomina dorum ſuorum iurent. Erant & Iſraelitę per nomen Domini Dei ſui iuraturi. Sciebat autem legislator cordis humani corruptionem & uanitatem, qua futurum erat, ut quemadmodum Gentes per nomina deorum ſuorũ uanè, temerè & mendaciter iurabãt: ita & ipſi Iſraelitæ nomen Domini Dei ſui uanè uſurparent. Quare ſapienti conſilio non dixit, Sanctifica nomen meum: ſed notanter & expreſsè nominis ſui abuſum prohibuit, dicẽs, Ne ſumas nomen Domini Dei tui uanè. quaſi dicat, quemadmodum faciunt ethnici, qui per nomina falſorũ deorum uanè & mendaciter iurant. Conſimili ratione & ſuprà in primo præcepto non dixit, Ego ſum Dominus Deus tuus, &c. me ſolum coles & adorabis: ſed, Non erunt tibi dij alij coram me. quum tamẽ hoc ipſum requireret, ut à populo ſuo coleretur unus ac ſolus. Deinde & in ſecundo præcepto, diligentiſsima ſpecificatione facturam & culturã ſimulacrorum prohibuit eadem planè ratione, qua uſus eſt & in primo, & iſto tertio præcepto. Gentes quælibet unà cum dijs ſuis peculiaribus etiam alios deos colebant: deinde colebant eos in ſimulacris ſurdis, mutis, cæcis & inſenſatis: tertiò, uaniſsimè per nomina illorum iurabant. Hæc tria erant omnibus ethnicis catholica & uſitatiſsima: quibus etiam Iſraelitæ in Aegypto uiuentes, aliquot ſeculis fuerant aſſueti. Quare prudenti conſilio Deus tribus iſtis præceptis nominatim ea prohibuit, idq; cum interminatione, quo ſcirent, uni ſibi Deo eſſe fideliter, purè & religioſe adhærendum, & ethnicæ impietatis conſuetudinem abijciendam, ſi uellent ipſius eſſe populus, & in omnibus ipſius uti clementia ac gratia.

Rationes conſiderandæ legalium prohibitionum.

Hoc exemplò admonemur omnes pij, ut ubicunq; eiuſmodi prohibitiones legales propo nuntur, cogitent de illarum ratione, quæ uel eſt in carnis noſtræ corruptione, inclinantis ad ea quæ prohibentur: uel in conſuetudine aliqua ethnica, cuius uis tanta eſt, ut etiam diuerſæ religionis uicinis negocium faceſſat, & corruptionem adſpiret, niſi magna diligentia caueatur & excludatur. Hinc dicebat ad Iſraelitas Moſes Deuteronomij duodecimo, Ne requiras cæremonias gentium expulſarum, dicens: Sicut coluerunt gentes iſtæ deos ſuos, ita & ego colam. Non facies ſimiliter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas auerſatur Dominus, fecerunt dijs ſuis, offerentes filios & filias, &c.

De reuerentia ac religiõe nominis Dei.

יהוה אלהים

Deinde expendendum & illud eſt, quòd reuerentiam ac religionem ſibi debitam, erga nomen ſuum declarari præcipit, dum illud contemni & uanè uſurpari uetat. Non eſt hic locus ſuperſtitioni illorũ, qui neſcio quæ nomina Dei in numerato habent, quæ præ ſuperſtitione ne nominare quidem auſint: quale eſt quòd Iehouah, nomen illud tetragrãmaton, id eſt, quatuor literarum, per אדני Adonai proferunt, & dum ſcribendum eſt, Iohouad ſcribunt, quemadmodum & pro Elohim ſcribunt Elodim: quaſi piaculum ſit, ſi nomina Dei ſimpliciter ut ſonant, ſcribantur, legantur ac proferantur. Nihil huius agitur. Coram Deo non refert quauoce, modò in ſe non impia & inconuenienti: ſed qua fide, qua religione, qua reuerẽtia erga

ipſum

ipsum, mentionem ipsius facias. Qui sanctè, piè ac religiosè de Deo sentit, non poterit irreligiosè ac uanè nomen illius usurpare. Omnino in usurpatione nominis Dei declaratur, quam sanctè ac reuerenter de Deo sentiamus. Reperias qui ad mentionem regis sui caput aperiât, uel aliud aliquod reuerentiæ signum ostendant, quo declarent quàm reuerenter de rege suo sentiant. Et inter Christianos quamplurimos nec Dei patris, nec filij illius Christi Iesu Domini ac seruatoris nostri, nec spiritus sancti mentionem cum aliquo honoris ac reuerentiæ signo facere, uel ab alijs factam audire uideas. Stupiditas ista planè indicium habet animi leuiter de Deo sentientis, quicquid tandem ore proferatur.

Tertiò & de eo cogitandum est, quòd non dicit, Ne sumas nomẽ meum: sed, Ne sumas nomen Domini Dei tui uanè: cùm tamen Deus ipse hic, nec de alio quàm seipso loquatur. Non est hoc sine singulari ratione factum. Hac loquutione significat, se non tam quærere suam ipsius gloriam, quàm populi sui salutem. Non hoc uidelicet agit, ut ipse sit in honore & obseruãtia, quo animo prediti sunt huius mundi principes & potentatus: sed ut populus sanctorum nomen Domini Dei sui, propterea quòd Dominus ac Deus ipsorum est, in precio habeat, religioseq; ac sanctè usurpet.

Quòd non dicit, Ne sumas nomẽ meũ: sed, Ne sumas nomen Domini Dei tui uanè. Magistratus.

Sic debet & pius magistratus non hoc spectare in subditis, ut timeatur & obseruetur ipse: sed ut subditi discant de magistratu suo tanquam ministro Dei legitimè ac ritè sentire, ne si contemnatur, aduersus ordinationem Dei peccetur.

Sic assuefaciant & parentes liberos suos, ut non tam personas ipsorum in se, quã ipsum ordinem Dei, quo factum est, ut parentes ipsorũ existant, uenerentur & colant. Et maritus non hoc simpliciter ab uxore requirat, ut sibi obediat: sed ut marito suo cum cõscientia debiti cõiugalis reuerenter subsit. In huiusmodi siquidem reuerentia & obseruantia, animus declaratur legitimè, hoc est, non coactè, sed sponte obediens: nec proprium commodum, sed ordinẽ à Deo institutum respiciens. Qui nomen Dei ueneratur, propterea quòd potens est, quòd & nocere potest & prodesse, & perdere & seruare: seipsum quærit, non gloriam Dei: idem facturus etiam dijs alijs, si tales eos esse crederet. Is demum rectè ac legitimè nomen Dei magnificat ac reueretur, qui hoc unum spectat, quòd Dominus est, ac Deus ipsius: & hoc eũm nomine suspicit, diligit, ueneratur & colit. Quare omniũ conuenientissimè dictum est hic à Deo, Ne sumas nomen Domini Dei tui uanè. quasi dicat, Religiosius, sanctius, magnificentius ac præclarius de Domino Deo tuo sentias, quàm ut nomen illius uanè usurpare sustineas.

Parentes. Mariti.

Refert quo respectu Deũ uenemur.

Quarto etiam illud considerandũ est, quòd non simpliciter dicit, Ne sumas nomen Domini Dei tui: sed addit, Vanè. Non prohibet ergo usurpationem nominis sui, quo iuramenta firmantur: sed uetat, ne id fiat temerè ac uanè.

Quoniam iuramenta quæ per nomina falsorum deorum fiunt, simpliciter ac prorsus detestatur, non dixit Exodi 23. Non iurabitis uanè per nomen externorum deorum: sed, Per nomen externorum deorũ non iurabitis, neq; audietur ex ore uestro. Quòd si pariformiter iuramentum per nomen suum factum detestaretur, nõ dixisset in isto Decalogo, Ne sumas nomen Domini Dei tui uanè: sed simpliciter, Ne sumas nomen Domini Dei tui. Imò præcepit etiam, ut iuretur per nomen ipsius, sicuti uidere est Deuteronomij 6. ubi sic legimus: Dominum Deum tuum timebis, illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis. id quod & Deuteronomij decimo consimiliter legitur. Quare ferendum non est, quòd Anabaptistæ iusiurandum legitimum è medio tollere conantur. Verùm ea de re uide in tractatu nostro de Iuramento, quem Commentarijs nostris super Psalmos in fine adiecimus.

Non simpliciter dicit, Ne sumas nomẽ Domini Dei tui: sed addit, Vanè. Præcipit Deus ut per nomen ipsius iuremus

Quintò, expende & hoc, quod non dicit, Ne sumas nomen Domini Dei tui malicioſe, uel ad blasphemiam: sed, Ne sumas nomen Domini Dei tui uanè. Atqui multo detestabilius est, si quis nomen Domini uel malicioſe agendo, uel blasphemando, quàm si duntaxat uanè, hoc est, inutiliter, temerè, sine ueritate usurpet. Quid igitur in causa est, quòd non id magis prohibuit, quod grauius ac sceleſtius, quàm quod leuius est, & facilius ignosci potest?

Non dicit, Ne sumas nomen Domini Dei tui malicioſe.

Non est hoc quoq; præter rationem factũ. Multis modis sanctissimũ diuinæ maiestatis nomen humana temeritate polluitur ac dehonestatur: quos oẽs specificãdo exprimere non cõueniebat, ne modus Decalogi huius ad captũ uulgi attẽperati excederetur. Quare eũ expressit modum, quo leuius peccatur: ut intelligamus, multo magis uetitos dãnatosq; esse omnes eos diuini nominis abusus, qui hunc nominatim expressum grauitate & impietate sua excellunt, & plus contumeliæ nomini Dei inferunt, atq; ita grauiora etiam supplicia merentur.

Si pater filiolo dicat, Vide ne uestem hanc uel leui aliqua aspergine commacules: facilè poterit intelligi, multo minus ferri posse, si prorsus in luto ac cœno platearum & omnium minimè, si in fœdissima aliqua cloaca uolutetur ea uestis, quam parens, ne aspergine quidem uel modicè maculari sustinet.

Simile.

Si redditurí sumus rationẽ de omni uerbo ocioso, quãto magis de uerbo malicioso & blasphemo? Sic cogitandum est & hoc loco: Si prohibetur, ne nomen Dei uanè sumamus: quãto magis prohiberi credẽdum est, ne malicioſe illud ac blasphemè usurpemus? Sic solet spiritus sanctus minora peccata prohibere, ut maiora intelligamus, multo esse amplius prohibita. Ac

Matth. 12. Minora peccata prohibẽtur, quo magis abstineamus à maioribus.

rursus ea bona quæ minimi uidentur esse momenti cõmendare, ut significetur, potiora multo esse coram Deo commendatiora, quale est quod Christus Matthæi 10. dicit: Quicunq; de derit potum, calicem aquæ frigidæ ex minimis istis, tantum in nomine discipuli, amen dico uobis, non perdet mercedem suam. Quid autem facilius, minorisq; negocij ac sumptus uideri potest, quàm potum aquæ frigidæ dare sitienti? Si qui hoc facit, mercedem est à Deo accepturus: quanto magis ille accipiet, qui & pascit, & uestit, & reliqua necessaria, quæ multo maioris sunt momenti, impendit? Tale est & illud Matth. 25. Amen amen dico uobis, quicquid uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Ponit minimos, non excludens maiores, sed magis sic includens, ut intelligamus multo amplius adhuc seruire Christo, si quid beneficij in Apostolos ipsos, & reliquos apostolicos uiros, prophetas, doctores & Euangelistas cõtulerimus.

De calice aquæ frigidæ.

Sextò uidendum etiam est, quomodo nomen Dei contemnatur.

De abusu iuramentorum.

1 Primùm contemnitur, sumendo temerè, leuiter, uanè & mendaciter. Faciunt hoc nõ solũ qui uanè, leuiter ac mendaciter iurant, sed & qui iuramẽta sub nomine Dei talibus hominib. leuiter imponunt, de quibus sperare nõ possunt, quòd nõ sint uanè ac falso iuraturi. Verũ de toto hoc nominis Dei abusu, qui iurando, peierãdo, deierãdo, execrãdo, ac malè imprecãdo admittitur, uideantur quæ Cõmentarijs nostris super Psalmos appendicis uice adiecimus.

Nomẽ Dei bullis Pontificialibus præfixum. Authoritati falsorũ episcoporũ seruit nomen Domini.

2 Deinde faciunt hoc illi, qui nomen Dei sacrosanctum bullis suis, quas uocant, præfigũt: quasi quod agunt, agant in nomine Dei, & non magis studio quæstus de ecclesia Dei, secundum apostolum Petrum, negocientur. Tales sunt bullæ Romanorum Pontificum, quas planè conuenientissimo uocabulo bullas uocare cœpit, quisquis uocis huius author est.

3 Tertiò etiam illi abutuntur nomine Dei, qui cum sint uentris, inanis gloriæ, carnaliũ uoluptatum & ipsius Antichristi mancipia, mentiuntur se esse seruos ac ministros Dei, & doctrinæ suæ peruersæ autoritatem nominis Dei prætexunt: quasi non humanæ temeritatis somnia & figmenta fidelibus proponant, eodem omnino spiritu præditi, quo inspirabantur olim pseudoprophetæ inter Iudæos, quibus illud, Hæc dicit Dñs, frequentissimum erat in ore: de quibus uide Hier. 23. Cogimur hodie magno dolore uidere & audire nocentissimũ hunc nominis Dei abusum rursus inualescentem in ecclesia Dei. Conuocant concilia, & authoritatis gratia prætexunt nomen Dei, quasi Rom. Pontifex indicendo concilium non res suas agat: & qui conuocantur, nõ addicti sint partim suis, partim superiorum suorum affectibus, sed & ille & isti diuini nominis gloriam spectent. Hoc pacto dementant orbem Christianum, affirmantes sese instinctu spiritus sancti & congregatos, & in omnibus actos, sic ut hæreticũ esse clamitent, igniq; adiudicandum, quisquis de ipsorum statutis ac decisionibus uel tantillũ dubitauerit, & non simpliciter absq; ullo iudicio per omnia subscripserit. Hoc genus hominum nomen Dei sumunt non solùm temerè ac uanè, sed & malicioſe, dum illud omnibus suis consilijs, actibus, mãdatis ac decisionibus prætexunt. Mentior, hoc dicens, si Rom. Põtifex uerus est Christi Iesu Domini ac Seruatoris minister, ac uerus Apostolorum illius successor & imitator: si ad episcopatus huius fastigium legitimè & ecclesiasticè, citra humana studia ascẽdit: si regnum Christi, quod non est de hoc mundo, unicè promotum cupit: si non peccat aduersus dictũ illud Christi, Reges gẽtium dominãtur illis, uos autem nõ sic: si spreta omni gloria, põpa, superbia, ambitione, fastu, dominatione ac splẽdore mundi huius, uerè cum Apostolo Petro dicere potest, Aurum & argentum non habeo: quod autem habeo, hoc tibi do: ut illud Christi ad Apostolos dictũ adimpleat, Gratis accepistis, gratis date: si amans Christi, oues Illius uerbo doctrinæ & prędicatione Euãgelij Dei pascit, iuxta illud Christi, Petre diligis me? Pasce oues meas: si sedes illius aliena est ab omni Simonia, prima illa ecclesiarum peste, quã ueteres primam uocarũt hęresim, maledictioni obnoxiam: si pura est à sanguine innocentũ, ab expilatione & mactatione ouiũ Christi, à crapula, ocio, luxu, scortatione & adulterio. Mẽtior, si qui uocantur ab illo ad Concilia, non sunt illi obstricti, sed homines & spiritu & conditione liberi: si non pacem huius mundi, sed quæ Christi est quærunt: si non propter temporaria & carnalia commoda ad gradus ecclesiasticarum dignitatum aduolarunt: si non more seculi uitam suam instituerunt, carnales uerius quàm spirituales: si non ambiunt, concupiscunt, prælaturis magis quàm laboribus ecclesiasticis delectantur, rapiunt, spoliant & opprimunt, quos pascere ac docere debebant: si fastu, ocio & luxu non delectantur: si alieni à seculari prudentia, non magis Aristotelem quàm Christum, & mystas Aristotelicæ disciplinæ, Thomas, Scotos, Bonauenturas, non magis quàm Apostolos & Euangelistas spirant, & concilijs inferunt: si potioris non faciunt quæstum quàm pietatem, & eos qui temporarijs commodis seruire possunt, quàm ueræ pietatis studioſis: si puri sunt ab omni auaricia, à crapula, studio uentris, Simonia, scortatione & adulterio, & sanguine pauperũ & innocentum: si bona pauperum & patrimonium, ut uocant, Crucifixi non pessimè dilapidant, ac perfidè in suos ipsorum luxus transferunt: si huiusmodi sceleribus non laborant, quæ declarent alienos ipsos, secundum Apostolicam sententiam, esse à regno Dei. Mentior, inquam, si tales non sunt, qui concilijs abusis ac decisionibus suis sacrosanctũ nomen Dei hodie prætexunt, ut diuini nominis gloriam ex animo quærere, & ecclesiæ Dei miserè periclitanti

Conuocatio concilij.

Vicia Põt. Roman. & episcoporum.

uerè

uerè ac ſalubriter conſulere nec uelint, nec poſſint. Quis autem ſatis expenderit, quàm pernicioſe nomen diuinæ maieſtatis ad hoc uſurpent, ut illius prætextu obtineant in eccleſia authoritatem decernendi ac ſtatuendi ea, quæ ipſorum regno ſint commodo, & glorię Dei ſimul ac mortalium ſaluti detrimento?

4 Quartò, à tranſgreſſione præcepti huius nec illi ſunt inſontes, qui nomẽ & imaginẽ Dei monetis, inſignibus & anulis inſculpunt: id quod nullo modo facerẽt, ſi uel ſatis reuerenter, uel non ſuperſtitioſe de nomine Dei ſentirent. Agnouerunt & Gentium ſapientes, auguſtius eſſe de Deo ſentiendum, quàm ut nomẽ & imaginem eius paſſim ac temerè uſurpemus. Vnde Pythagoricum illud extat, ὡ δακτυλίῳ βλ ἀνάγκα μὴ περιφέρειν: id eſt, imaginem Dei non eſſe in anulo circumferendam. *Nomen Dei profanatur in anulis & inſignibus.*

5 Quintò, damnatur etiá diabolicus ille diuini nominis abuſus, quo ad incantationes magicas, & ſortilegia ab impijs, & nullo pacto ferendis hominibus uſurpatur: quaſi talem Deũ habeamus, qui contra ſuum ipſius uerbum huiuſmodi impietati patrocinetur. *Nomẽ Dei polluitur incantationibus magicis.*

6 Sextò, culpabiles hic ſunt & illi, quibus in conſueto eſt, ut ad omnia quæ uel ſunt acturi, uel paſſuri, quantũuis ludicra, uana, & nonnunquam damnanda quoq; & noxia, ſine ulla diſcretione ac religione illud nimio tritum, In nomine domini, & quod Germanicè dicitur, *das walt Gott*, in ore habeãt: & nunc ridendo, nũc iraſcẽdo uſurpent. Hinc natũ eſt illud quod à Garmanis dicitur: *In Gottes namen hebt ſich alles vnglück an.* Itẽ, *In Gottes namen geſchehend alle ding.* Et qui ad delicias ſuas feruntur, ſic canere ſolent: *In Gottes namen faren wir, vnd bricht das ſchiff ſo baden wir.* Hæc leuitas & uanitas ſic obtinuit paſſim inter nos Chriſtianos, qua nomen Dei contemptim uſurpatur ad omnia, ut pauciſſimos reperias, qui ab hoc ſint peccato alieni. *Vulgaris modus profanãdi nomĩs Dei.*

7 Septimò, huc pertinent & illi, qui non niſi uentris ac quæſtus gratia, ora ſua aperiunt ad orandum & pſallendum, dicentes, Domine Domine, cùm corde ſint alieniſſimi à Domino. de quibus Dominus ipſe queritur dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Hactenus recenſui obiter, quantum in præſenti licuit, quomodo nomen Dei uanè & culpabiliter ſumendo contemnatur: iam conſequenter uideamus, quomodo à nobis, non uſurpatum etiam deſpectui habeatur.

1 Primùm, quoniam quotquot ſub profeſſione Chriſtianæ religionis ſumus, populus Dei noſtri cenſemur, ideoq; nomen illius ſuper nos uocatur, perinde atq; olim ſuper Iudæos: fit ut catholica iſta uitæ noſtræ corruptio coram Gentibus à fide noſtra alienis, nomini Dei noſtri plurimum adferat ignominiæ: ut quemadmodũ olim contra Iudæos peſſimè inter ethnicos uiuentes querebatur Deus, quòd nomen ſuum propter ipſos malè audiret inter Gentes, Ezech. 36. ita & nunc propter maliciã ſtudiorum noſtrorum conſpurcari nomen ſuum corã Iudæis & Turcis, nimis ueraciter ac meritò queri poſſit. Itaq; uita noſtra tot modis corrupta, polluit nomẽ domini Dei noſtri, etiamſi illud ore noſtro nunquam uſurpemus. Quare Apoſtolus 1. Tim. 6. ſeruos admonet, ut dominos ſuos omni honore dignos arbitrẽtur, ne nomen domini, & doctrina blaſphemetur: id quod utiq; fieret, ſi Chriſtianus homo improbè ſe uel erga, uel inter infideles homines gereret. *Quomodo nomen Dei etiam nõ uſurpatum contemnatur.* *Dauidi obijcie batur, quòd inimicis cauſam dediſſet blaſphemandi nomen Domini. 2. Sam. 12.*

2 Deinde contemnitur nomẽ Dei, quando uerbum illius, quod ſub illius nomine proponitur, non auditur religioſe, reuerenter & obedienter. Quis enim cenſebit eũ ſtudioſum eſſe diuinæ gloriæ, qui quę ſub illius nomine eccleſię Dei ueraciter è uerbi illius præſcripto proponuntur, oſcitanter audit, uel nonnunquam audire dedignatur etiam, & nunquã facienda eſſe cogitat: ſed omnem religionem uel in auditu, uel intellectu uerbi eius collocat? Reperias hodie multos, qui licet negare nequeant, ea quę prędicantur in eccleſia Dei, eſſe uera, & è uerbo Dei ſumpta, dedignentur tamen audire. Rurſus quàmplurimi ſunt, qui audiant quidem, uerùm ſine ullo obedientiæ ſtudio. Vtrunq; genus hominum grauiori eſt iudicio obnoxium, quàm ſint illi qui doctrinas hominum cum religionis affectu, hoc nomine accipiunt & adimplere ſtudent, quòd arbitrantur eſſe eas non humanitus, ſed diuinitus propoſitas. *Nomen Dei cõtemnitur, quãdo uerbũ eius cõtemptim auditur.*

Et ut quod uerum eſt fatear, timeo hic admodum illis, qui noſtro ſeculo ueritatẽ Euangelij Chriſti & cognoſcentes & cõfitentes, uilius & contemptius ſe erga uirtutem illius gerũt, quàm ij qui in erroribus Papiſticis uerſantur, erga monachorũ commenta & pſeudepiſcoporum decreta: imò ſibijpſis uſq; adeò facti ſunt diſſimiles, ut cùm in Papatu fuerint in erroribus ac ſuperſtitione religioſi, in luce ueritatis agnitæ ſint ipſis ſeculi huius filijs profaniores, leuiores, temerariores ac uaniores. *Perſtringũtur falſo euangelici.*

3 Tertiò, nec illi poſſunt excuſari, qui diuini nominis uanum, nonnunquam & blaſphemũ abuſum patienter audiunt, nec horrentes, nec contradicentes. Hic admodum peccant magiſtratus, qui diabolicæ iſti maledicendi ac blaſphemandi conſuetudini paſſim inualeſcenti nõ totis uiribus occurrunt: acriter uerò puniunt, ſi quis ipſorum maieſtati uel leuiter obloquatur. Peccant hic illi quoq;, qui ad blaſphemias contra ſacroſanctum uerbum Dei effuſas, tacentes, gloriam ueritatis Dei non aſſerunt. *Patiẽtia ad blaſphemiam nominis Dei, facit ad contemptum nominis Dei.*

4 Quartò, quid de illis dicam, qui uel ipſi indignè accedant, uel alios indignos ordinãt, ut accedant ad ſacroſanctum uerbi Dei miniſterium? Annon & iſti contemptim de nomine di- *Nomen Dei cõtemnitur, quã-*

do homines indigni sacris mysterijs administrandis deputantur.

uinæ maiestatis sentiunt? Tale est quod Malachiæ 1. sacerdotibus Iudæorum obiectum legimus, ad hunc modum: Ad uos, ô sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: In quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum panem pollutũ, & dicitis: In quo polluimus te? In eo quòd dicitis, Mensa domini despecta est. Si offeratis cæcum ad immolandũ, non ne malum est? & si offeratis claudum & languidum, non ne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit dominus exercituum. Item: Quis est in uobis, qui claudat ostia mea, & incendat altare meum gratuitò? non est mihi uoluntas in uobis, dicit dominus exercituum, & munus non suscipiã de manu uestra. Quæso an non hodie consimili pacto nomen Dei contemnitur, quando ministerio ecclesiæ sub illius nomine homines uilissimi præficiuntur? Fulgent, inquit Hieron. laquearia auro, nitent marmore templa: ministrorum uerò Christi nulla est electio.

Hieronymus.

Et Distinct. 49. capite Sacerdotes, hac de re sic legimus: Sacerdotes nomen domini despiciunt, & quantum ad se, panem pollutum offerunt, qui ad altare indignè accedunt, quiq; dato munere sacerdotium præsumunt. Panem quoq; polluit, qui doctrinam domini in populo malè dispergit, & qui honorat potentem, & despicit pauperem. Item: Cæcum animal offert, qui ordinat indoctum loco docti: magistrumq; facit, qui uix discipulus esse poterat. Claudũ offert, qui lucra terrena quærentem locat, ut pote pedem in diuersa ponentem: unum in diuinis, alterum in carnalibus. Languidum offert, qui uiciosum habet pro religioso, &c. indignũ enim est dare Deo, quod dedignatur homo. Hæc ibi.

Simoniaci. Mali doctores. Potentum adulatores. Indocti. Terrena lucra sectantes. Vicioſi ac scelesti.

Verùm propè desipere uideri possum, quòd modos recensere conor, quibus nomẽ Dei uanè sumitur & contemnitur: cùm illius contemptus si aliquo unquam, nostro certè seculo ad summum ferè ubiq; excreuerit, & omnia totius uitæ nostræ studia occuparit, cum ad gloriam illius facere debeant cuncta nostra cùm dicta, tum facta, sicuti Paulus admonet, cum Coloss. 3. dicit: Quicquid feceritis uel uerbo uel opere, omnia in nomine domini nostri Iesu Christi facite. Et 1. Cor. 10. Siue comedatis, siue bibatis, siue aliquid aliud faciatis, omnia ad gloriam Dei facite.

OBSERVATIONES.

Quàm cõmodè præceptum & cõminatio iungantur.

Quoniam non impunè dimittet eũ Dominus, qui sumpserit nomẽ ipsius uanè.) Principiò obseruemus, quàm conuenienter & commodè iungantur præceptum & comminatio pœnæ. Præceptum docet, quid sit faciendum, quid non sit. Comminatio terret, & cautos reddit, ne nimium securi contra præceptum Dei peccemus. Qua in re considerandũ est primùm, quàm sit fidelis dominus, nõ solùm in eo quòd nos præceptis suis de uoluntate sua, ueraq; iusticia & pietate seruanda docet & instruit, sed & in eo quòd comminationem pœnæ præceptis suis adijcit, significans se non delectari perditione filiorum hominum: sed malle, ut obediendo legi suæ, uiuamus tranquillè, cõsistamus in sua gratia, nec demus ullas irascendi ac puniendi causas. Quid enim aliud quæritur huiusmodi comminationibus, quàm ut uerbis admoniti ac perterrefacti, ipsas pœnas transgressoribus paratas euitemus: ac potius propitium ac beneuolũ Deum feliciter, quàm irascentem ac punientem infeliciter experiamur?

Ingenij nostri corruptio.

Deinde expendendum etiam, quanta sit ingenij nostri corruptio, quæ præsenti tam præcepto, quàm adiectę comminationi causam præstitit. Si essemus ingenio integro & incorrupto, nullo pacto sacrosanctũ domini Dei nostri nomẽ profanare, ac uanè usurpare sustineremus. Familiaritas ista, qua Deo uero præter omne meritum nostrũ indignissimi ac miserrimi etiã fœderis uinculo cõiungimur, nullum pareret in corde nostro erga bonitatem hanc Dei contemptum: sed inderet nobis potius sincerum amorem, ueram ac piam obedientiam & obseruantiam perpetuamq; gratitudinem animi, beneficentiam Dei & agnoscentis & deprędicantis: & in summa, sanctè, religiosè ac magnificè de Deo, omnibusq; in uniuersum illius cõsilijs, dictis & factis sentientis. Iam uerò, quoniam corrupto sumus ac peruerso ingenio, fit ut familiaritatis huius & cõiunctionis gratia animũ gignat in nobis de domino Deo nostro, illiusq; nomine, uerbo, mysterijs & factis leuiter & contemptim sentientem: ideoq; & temerè & uanè cuncta illius usurpantem, ut impleatur hic quoq; tritum illud quidem, & plus æquo uerũ dictum: Nimia familiaritas parit contemptum.

Familiaritas parit contemptum.

Huius rei luculentissimũ exemplum iamdudum in illis uidimus, qui in templis inter ipsas aras, sanctorumq; imagines, imò ante ipsam mysteriorũ Christi celebrationem, sicuti uulgo persuadent, dum Missæ ipsorum celebrantur, corã ipso quoq; sacrario, ubi reliquias de sacramento Dominici corporis suo more asseruare solent, omniũ irreligiosissimè, sine ulla honoris ac reuerentiæ significatione, aut soli cum fastu & tumore, aut coniuncti garriendo, nugando, ridẽdo, & si quæ adsunt mulierculæ oculis impudicissimis intuendo: imò, si fieri possit, nutibus etiam sollicitando, uagantur & obambulant. Ipse quoq; ædituus interea dum sacris administrando candelas in aris & ante sacrariũ prostantes, uel accendit, uel extinguit, aliaq; templaria ministeria obit, ne capũt quidem religionis gratia aperit. Vnde iste cõtemptus, nisi ex quotidiana ista familiaritate, & frequenti sacrorum usu?

Sed

Sed utinam hi soli deliquissent ad hunc modum. Quid aliud deprehẽdimus hoc nostro seculo in illis, quibus & auditus & lectio uerbi Dei, sacrarumq; scripturarum omnium familiarissimè innotuit? An non isti quoq; contemptim audiunt uerbum Dei, contemptim legunt canonicas scripturas? si tamen legunt, contemptim de Deo, uerboq; illius loquuntur, imò & friuolis disputationibus oracula Dei diuexant? Hæc uidelicet est humani cordis peruersitas.

Singularis humani cordis peruersitas.

Si excludimur à cognitione ueritatis, coniunctione Dei, & participatione sacrorũ, nõ solũ perimus, sed & hostes & inimici Dei, uerbiq; ac mysteriorũ eius reddimur: & maledictis incessimus ea quę nõ cognoscimus, à quibus sumus & intellectu & affectu alieni: inq; morẽ Caini, Habeles fratres nostros, Deo charos, persequimur & mactamus. Rursus, si salutis nostrę gratia, per infinitã illã bonitatẽ Dei in societatẽ & communicationẽ uerorũ bonorũ assumimur: mox degeneramus ad istam animi ingrati ac uani leuitatẽ, ut quo plus à Deo accepimus gratiæ ac beneficentiæ, hoc minus religiosè, sanctè ac reuerenter de illo sentiamus. unde & consequẽter accidit, ut omnia illius beneficia leuissimè ac uanissimè usurpemus.

Quare non est frustra, quòd hic populo suo Deus, quem assumplerat in peculiũ, & cũ quo fœdus etiam inierat, pręcipit dicens: Ne sumas nomen Dñi Dei tui uanè. & Apostolus admonet, ne gratiã Dei in uanũ accipiamus, & ne de pane, Domini indignè comedamus: quæ sanè præceptionis genera nulla ratione proponerentur, si tales non essemus, in quibus familiaritas & Dei & rerum sacrarum, animum gignat uanum & contemptorem. Huc accedit, quod pro leuitate cordis nostri etiam hoc ipsum susq; deq; facimus, quòd Deo, nomine eius, uerbo eius, mysterijs ac beneficijs eius uanè & contemptim utimur: non putantes fore, ut propter illius patientiam per huiusmodi contemptum læsam, aliquando puniamur. Nisi sic essemus animati, quid quæso necesse fuisset, huic præcepto cominationem adiungere pœnæ?

2. Cor. 6. 1. Cor. 11.

Ex eo uerò quòd impunitatẽ nobis, nomen Dei uanè usurpantibus, Deumq; & omnia illius cùm dicta, tum facta floccifaciẽtibus, tam insigniter leues ac uani promittimus, quid potest aliud nasci, quàm catholicus iste diuini nominis ac uerbi contemptus & abusus, qui toto nunc Christiano orbe passim obtinet & impunè regnat? Quemadmodũ enim timor diuinæ indignationis ac meritæ pœnæ à malo cohibet, ita leuitas ista temeritatem catholicamq; consuetudinem peccandi parit.

Huic itaq; leuitati nostræ ac securitati opposita est ista pœnę comminatio, qua dicit Deus: Quoniam non dimittet Dominus eum impunè, qui nomen ipsius sumpserit uanè. Eadem ratione & Apostolus, cùm adhortatur, ne panem Domini indignè manducemus, ad retundendam hanc uanissimi cordis nostri leuitatem ac securitatem, adijcit & comminationem diuini iudicij, dicens: Qui indignè manducat, iudicium sibijpsi manducat. Item, Reus erit corporis & sanguinis Domini.

Discrimen inter cõminationem, quæ præcedenti, et eam quæ præsenti tertio est præcepto adiecta.

Secundo loco cõsiderandum est, quantũ discriminis sit inter cõminationem quæ præcedenti, & eam quę huic tertio est pręcepto adiecta. Illic acriter admodũ, Dominus enim Deus tuus, inquit, zelotes est, uisitans iniquitatem patrum in filijs, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me: hic uerò simpliciter, Quoniã non dimittet eum Deus impunè, inquit, qui sumpserit nomen ipsius uanè. Ex hac differentia cõminationis uidere licet, quomodo peccatum illud idololatriæ, qua Domino se impense seruire putant hodie pseudochristiani, contemptum hunc nominis Dei excellat, qui tertio isto præcepto prohibetur. Peccat utiq; uxor, si leuius de marito suo, quàm par sit, sentiat, ac nomine illius non satis reuerenter utatur: dignaq; est, quæ eam ob leuitatem corripiatur. uerùm hoc peccati genere non sic mariti sui animum erga se exacerbat, sicuti exarcerbaret, si iuxta eum, alijs quoque uiris copiam sui adulterãdo faceret. Ad eum modum, haud quidem insons censeri debet, nec impunè euadet, quisquis nomen Domini Dei sui uanè usurpat: uerùm ille demum zelum Dei aduersum se omnium grauissimè irritat, qui se osorem Dei simulacris prouoluendo constituit.

Quòd nullam certam pœnã determinat.

Tertiò, expendamus etiam comminationis huius qualitatem. Nullam certam pœnam determinat, sed simpliciter: Non enim, inquit, impunè dimittet eũ Dominus, qui sumpserit nomen suum uanè. Hoc cõminationis genere terrentur illi tantùm, qui fide sunt ac timore Dei præditi, & sic animati, ut quiduis pati malint, quàm irã Dei experiri: nihilq; magis in uotis habentes, quàm ut diuinæ beneuolentiæ gratiam retineant. Quare huiusmodi comminationes frustra proponuntur hominibus impijs, omni fide ac timore Dei destitutis: qui malunt iratũ experiri Deum, quàm carnalibus renunciare affectibus, & abstinere à diuini nominis contemptu & abusu. Propone comminationem hanc illis qui speciem pietatis, & prætextum nominis Dei ad quæstum & commodum uentris saginandi usurpant, & uel millies experire, quid apud eos interminationes huiusmodi ualeant: reipsa deprehendes, nihil te facere aliud, quàm si laterem laues.

Quàm magno serio commina tio ista proponatur.

Nos uerò, si quid fidei ineſt cordibus nostris, obseruemus diligenter, quàm interea magno serio proponatur ista cõminatio. Nõ dicit simpliciter, Puniet enim Dominus eũ: sed ut maiore cum asseueratione loquatur, Quoniã, inquit, non dimittet eũ Dominus impunè, qui sumpserit nomen suum uanè. Quid hic aliud agitur, quàm ut certissimè persuadeamur, obnoxios fore

fore iudicio Dei, ac puniendos omnes eos, qui nomen ipsius uanè usurpant? Neq; enim conuenit, ut de Deo sentiamus quòd more indulgentiorum patrum inanibus tantùm uerbis populum suum utcunq; ac leuiter terrere uoluerit: quemadmodũ à plerisq; huius seculi nostri magistratibus fieri uidemus, qui uerbis tantùm subditos suos terreri posse putant. Absit à tremenda maiestate Dei huiusmodi leuitas: absit etiã à pijs mentibus, ut sic de Domino Deo nostro sentiamus. Nihil enim ad omnis generis flagitia compẽdiosius excogitari poterit, quàm si cogitemus in cordibus nostris, Non puniet Deus, sed uerbis duntaxat minatur, ut eos qui plus æquo sunt timidi in obseruantia sui retineat. Quare nemo piorum dubitet comminationes iræ Dei, non minus quàm promissiones gratiæ, esse omnium certissimas.

Quid nostro seculo sit expectandum.

Cogitemus hic, quid expectandũ sit nostro huic seculo, in quo modis innumeris sacrosanctum Dei nomen non à paucis aliquot, sed passim & catholicè, à primoribus, à senibus & paruulis, ab utroq; humani generis sexu, non modò uanè ac leuiter, sed & fallaciter & insidiosè, ad decipiendum incautos, ad studium uentris, ocij ac luxus, ad oppressionem ueritatis & innocentum, ad maledicendum quoq; usurpatur. Omnino præ foribus est horrendũ aliquod supplicium, quod tum ingruet, ubi iustam mensuram hac impietate & alijs consimilibus impleuerimus. Nam quod differtur, ut ille ait, non aufertur: & tarditas ista diuinæ patientiæ, grauitate pœnarum adæquabitur.

An nemo comminationem istam possit euadere, qui nomine Dei in uanũ est abusus. 1. Cor. 11.

Quòd si interrogas, an ista cõminationis Dei certitudo usqueadeò sit immota, ut nullum uspiam pateat effugium ijs qui aliquando irreuerẽter sunt usi nomine Dei? Respondeo cum Apostolo: Si nos ipsi iudicauerimus, nõ iudicabimur à Domino. Parata est remissionis gratia peccatũ suum agnoscentibus, detestantibus & condemnantibus, si ad gratiam misericordię Dei sincera resipiscẽtia & fiducia moti confugerint. Neq; enim quotquot huiusmodi siue tẽporarię, siue sempiternæ pœnę, præcepta diuinę uoluntatis transgredientibus in sacris scripturis præfiguntur, aliter sunt intelligendę, quàm ut impœnitentes eos concernant, qui prorsus increduli absq; ulla resipiscentia incorrigibiliter peccant. Sic enim Ezech. 18. legimus: Si impius egerit pœnitentiam de omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iusticiam, uita uiuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor. In iusticia sua quam operatur, uiuet. Nunquid uoluntatis meę est, mors impij, dicit Dominus Deus, & nõ ut cõuertatur à uijs suis, & uiuat?

QVARTVM PRAECEPTVM.

MEmento ut diem Sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septima autem die Sabbathum Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & sanctificauit eum.

Quomodo sit hoc præceptũ præcedentibus trib. subiectũ.

Quartum hoc est & ultimum prioris tabulæ præceptum, tribus præcedetibus admodum competenti ratione subiectum. Omnis hęc est uerę pietatis ac religionis summa, ut Dominũ Deum nostrum, dijs falsis omnibus reiectis, religiosissimo fidei, timoris & obseruantiæ affectu, absq; ulla imaginum & simulacrorum superstitione, ritè ac sincerè colamus. Huc faciunt, tria præcedentia præcepta, per modum prohibendi sic proposita. ut cum dicit, Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis deos alienos coram me: Nõ facies tibi sculptibile, neq; ullam imaginem, &c. non adorabis, neq; coles ea: &, Non sumes nomen Domini Dei tui uanè, &c. nihil præcipiat aliud, quàm ut Dominum Deum nostrum unicè, sine gentili superstitione, cumq; debita nominis ipsius existimatione & sanctificatione colamus. Iam quoniã uera ista, & interna erga Deum pietas, fides, religio, obseruãtia & cultura, omnium spiritualissima, qua Deus & spiritus in spiritu & ueritate colitur & adoratur, opus habet externo aliquo, non dico cultu, sed exercitio, quo animi nostri ad illius cùm intelligentiam tum affectum, adspirãte gratia & operatione diuini spiritus, instruantur & imbuantur, usu simulacrorum reiecto, quo Gentes suorum Deorum religionem & cultum exacerbant: populo suo instituit ac præscribit certum quoddã tempus formãdæ & alendæ pietati accommodum, diem uidelicet septimum: illumq; ad hoc sanctificat, ut legitimis cæremonijs, quas ipse præscripturus erat, fidem in ipsum & ueram cordis pietatem singulis septimanis addiscerent & alerent.

Ad quid præceptum hoc datum sit.

Dispositio huius præcepti. Propositio.

1 Habet etiam hoc præceptum commodã dispositionẽ. Primùm in genere proponit quid præcipiat: Memento, inquit, ut diem Sabbathi sanctifices. Sabbathũ Ebræa uox est, ac sonat quietem & cessationem. Iubet ergo seruare quietem. Et ne de profano aliquo ocio loqui uideatur, nõ dicit, Memento ut serues Sabbathũ: sed, Vt sanctifices diem sabbathi. Sanctificare diem Sabbathi, est illius ocium habere religiosum, sanctum, & exercitijs sacris deputatum.

Specificatio.

2 Deinde diem illum specificat, ne liberum sit populo, aliquẽ pro suo ipsius arbitrio quieti huic deputare. Sex diebus, inquit, operaberis, & facies omnia opera tua: septimo autem die Sabbathum Domini Dei tui est. Sic & operum dies specificat, & eum exprimit, in quo sanctificandum

ficandum sit Sabbathum. Vnum uidelicet de septem diebus, qui recursu suo in orbem reuoluti, & menses & annum constituunt. Eumq; nec primum, nec secundum, &c. sed postremũ, id est, septimum, quod non est sine mysterio factum.

3 Tertiò, & sanctificationis haud quidem integritatem, partem tamen, idq; priorem & crassiorem explicat, cùm dicit, Non facies omne, uel quodcunq; opus in eo, tu & filius tuus, &c. Neq; enim omnis in hoc est Sabbathi sanctificatio, si abstineatur ab operibus, & corporale agatur ocium: sed prima sanctificationis huius pars in hac cõsistit quiete, quo alteri, religionis uidelicet exercitio, locus esse possit. Requirit autem quietem hanc corporis, & cessationẽ ab operibus, non qualemcunq; & dimidiatam, sed iustam, plenam & exactam: hoc est, proposito accommodâ, quo quiescente tota domo, & cuiuscunq; loci incolis, unà cum iumentis quoq; ab operibus cessantibus, ea quæ religionis sunt, liberis & quietis animis exerceri queant. Sic non simpliciter dicit, Non facies quodcunq; uel ullum opus in eo: sed addit, Tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas.

Explicatio.

Prima sanctificationis huius pars.

4 Quartò, adijcit rationẽ huius præcepti. Sex enim diebus, inquit, fecit Deus cœlum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt: idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & sanctificauit eum. Nititur hæc ratio authoritate & conformitate exempli, non cuiusuis, sed ipsius Dei: non recentis, sed omniũ uetustissimi, quo de Gen. 2. legitur ad hunc modum: Igitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum, compleuitq; Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab uniuerso opere, quod patrauerat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit eum. Hoc exemplum quiescentis Dei, diemq; septimum ad quietem sanctificantis, rationis uice adducitur, qua populus ad obediendum, & de sanctificatione Sabbathi religiosius sentiendum permoueatur. Quasi dicat: Dominus Deus tuus, & ipse sex diebus operatus est, fecitq; sua opera, cum cœlũ & terrã initiò cõderet: deinde septimo die ab operibus suis, quæ fecerat, quieuit, eumq; diem quieti sanctificauit. Quapropter tibi quoq; præcipitur, non ut perpetuò ocieris, nec ut indesinenter opereris, sed ut ad exemplũ Domini Dei tui sex diebus opera tua facias, septimo uerò quiescas: eumq; diem non tibi, sed Domino sanctifices. Præscribuntur tibi sex dies, quibus quæ tua sunt, & res tuas concernunt, opereris: uerùm septimus non ita. Is enim iam olim ab ipso est Domino quieti destinatus & sanctificatus: quare non seruiet ille tuis operibus, sed sanctificabis eum Domino Deo tuo.

Ratio præcepti.

CONSIDERATIO HVIVS PRAECEPTI *de Sabbatho.*

Hactenus breuiter præcepti huius ordinem, quo præcedentibus est subiectum, dispositio nemq; & sensum exposuimus: iam consequenter uideamus, quæ sint in hac Sabbathi causa consideranda.

Cõsideratio illius trina est: legalis, spiritualis & cœlestis. Legalis est, quæ hic quarto Decalogi precepto Israeli prescribitur, qua de & Exo. 31. Leuit. 19. 26. Deut. 5. Hier. 17. Ezech. 20. legere licet. Ratio illius est gemina. Vna, qua fidei: altera, qua charitati seruitur. Ad fidei rationẽ pertinet, quòd sanctificatio Sabbathi præcipitur, ocium uidelicet non profanum, sed religiosum, quo animus in rebus fidem cognitionemq; Dei, & ueræ pietatis studium concernẽtibus instituatur, exerceatur & imbuatur. Quò & adiecta ratio de operibus Dei sex diebus perfectis, quieteq; & benedictione & sanctificatione septimi diei pertinet.

Consideratio Sabbathi trina.

Legale Sabbathum.

Fides in die Sabbathi exercenda.

Primùm enim admonebantur singulis Sabbathis de operibus Dei, quibus cœlũ & terrã, & quæ in illis sunt, omnia sex diebus perfecit: ac perfectis illis, septimo die quieuit. Ista autẽ cognitio, non est humanæ rationis, sed fidei, teste Apostolo ad Ebr. 11.

Deinde ad hoc etiam ducebantur huius diei sanctificatione, ut sua ipsorum quoq; opera, sex præcedentibus diebus perfecta, non propriæ industriæ & potentiæ, sed diuinæ uoluntati, potentiæ & gloriæ accepta referrent & nuncuparent: deniq; fructum illorum à bonitate & gloria Dei poscerent & expectarent.

Tertiò, exercebantur cæremonijs legalibus, precibus, sacrificijs, & lectione legis, simul ac prophetarum, quorũ scripta singulis Sabbathis legebantur, Actor. 15. Animus huiusmodi exercitijs à cura rerum terrenarũ auocatus, spirituali profectu grandescebat, inq; fide, spe, dilectione, & gratitudinis affectu alebatur. Hoc erat Sabbathi huius institutum, etiamsi effectus non apud quoslibet successerit. Quare qui diebus sacris ab operibus corporis duntaxat ociãtur, cum iumentis, non cum fidelibus feriantur. Ad charitatem faciebat, quòd operandi molestia sex diebus continuis agitata, quiete septimi diei remitteretur, & uires corporis recreabantur. Huc pertinet, quòd non solùm patrifamiliâs quies Sabbathi ab operibus præcipitur, sed & filijs, filiabus, seruis, ancillis, aduenis & iumentis. Et Deuteron. 5. clarius: Vt quiescat, inquit, seruus & ancilla tua, sicut & tu. Memento quòd & ipse seruieris in Aegypto, & eduxerit te Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcirco præcepit tibi, ut serues diem Sabbathi. Manifestè præcipitur his uerbis, quieti Sabbathi rationem haben-

Charitas exercenda Sabbatho.

habendam esse seruorum & ancillarũ, quo quisq; admoneretur de affectu charitatis erga domesticos suos inducendo: & insatiabilis auaritiæ impetus refringeretur, quo nec liberis, nec seruis, nec iumentis parcitur. Hæc de ratione legalis Sabbathi obiter perstrinxisse sufficiat. Consequenter uideamus, quæ in litera sint obseruanda.

OBSERVANDA IN LITERA *huius præcepti.*

Quòd non solùm cæremonias, sed et tempus exercendarũ cæremoniarũ præscripsit.

1 Principiò expendendum est, quòd non solùm ritus & cęremonias populo suo Deus, quibus ad fidem, charitatem, gratiarum actionem, & obseruantiam Dei imbuerentur: sed & certa tempora præscripsit, in quibus uigore legis pręscriptas cęremonias exercerent. Haud permisit illis liberum, ut ferias, quas, & quando uellent, pro suo ipsi arbitrio figerent refigerent, mutarent tollerent, multiplicarent minuerent, &c. sed quemadmodum conueniebat populo elementario, legaliter illis certas ferias seruandas tradidit, ex quibus etiã Sabbathi est sanctificatio. Hanc determinatè septimo diei nuncupauit, dicens: Septimo die Sabbathũ Domini Dei tui est. In huiusmodi populo carnali & elementario nulla possunt religionis exercitia diutius consistere, nisi & tempora & modi expressis legibus figantur. Ea uidelicet est carnis nostræ non solùm inconstantia, sed & temeritas, ad ea quæ constanter retinenda sunt, uel mutanda, uel prorsus abijcienda, uel augenda ex superstitione præpostera, uel diminuẽda ex incuria & leuitate, carni nostræ agnata. Cauebatur igitur hac lege, ne Israelitæ Sabbathũ, quo ipsi uellent die celebrarent: non quòd adeò magna dierum sit coram Deo differẽtia & cura, sed quòd nullus inter septem, ad hoc institutum, propter præcedentem creationis historiam, & regni Christi mysteria accommodatior esset: deinde sic expediret populo legis, ut diem seruaret, non ab ipso electum, sed diuina lege traditum ac præceptum.

Memento.

2 Deinde obseruãdum est, quòd nõ simpliciter dicit, Diem Sabbathi sanctificabis: sed, Memento, ut diem Sabbathi sanctifices. Genus hoc pręcipiendi haud leue est & uulgare, sed admodum graue ac serium. Significatur præcipi rem seriã, nec ullo modo negligendã, sed summa cura & diligentia seruandam. Sic solent parentes liberis suis, & seruis heri, obseruantiam eorum inculcare, quę omnium minimè negligi uolunt. Admonemur uerbo זכור, id est, recordare & memor esto, ad obseruantiam præceptorum Dei requiri animum memorem, qui nocte ac die de seruãdis illis cogitet, nec unquam obliuiscatur quid præcepti, & à quo acceperit. Nèq; enim pestilentius aliquid accidere poterit, quàm obliuio præceptorũ Dei, quę quasi fons quidam est transgressionum ac peccatorum, & manifestũ resipit diuinæ maiestatis contemptum ac neglectum. Etenim qui Deum timet, ac maiestatem illius ex animo suspicit, non poterit obliuisci accepti præcepti, sed perpetuò de obseruantia illius cogitabit.

Obseruantia præceptorum dei requirit animum memorem.

Simul & illud cogita, Quoniam uerbum recordãdi magis affectum animi quàm opus externum concernit: significatur, hoc cum primis à populo Dei requiri, ut iugi meditatione ac recordatione de sanctificãdo Sabbatho cogitent: hoc est, ut animo prædíti sint, qui religiosè, sanctè & obseruãter de præceptis Dei sentiat & afficiatur. Et hoc est potissima pietatis, & uerę obediẽtię Dei pars, sine qua ingratũ est corã Deo, quicquid foris externo opere pręstatur.

Vt sanctifices.

Tertiò cõsiderabis & illud: Memento, inquit, ut diem Sabbathi sanctifices. Pręcipit Israeli, ut sanctificent diem Sabbathi, quem ipse antea benedictum à se sanctificauerat, sicuti testificatur dicens, Idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & sanctificauit eum. Est itaq; duplex Sabbathi sanctificatio. Vna, qua sanctificatũ est à Deo: altera, quæ præcipiebatur Israeli. Sanctificatio Dei est, qua dies septimus post sex dierum opera quieti statim initiò est deputatus & consecratus. Hoc genus sanctificationis non est Israeli præceptũ. Sanctificatio Israelis est, diem septimum à Deo antea quieti sanctificatum, pro sancto habere, inq; illo post sex dierum opera à laboribus quiescere, & exercitijs religionis ac fidei sedulò incumbere: atq; ita sanctificationem Dei haudquaquam prophanare, sed illibatam conseruare. Deus est qui sanctificat, hoc est, ex prophanis sancta reddit: nostrum est, ab illo sanctificata, religiosa secundũ uerbum ipsius obseruãtia ritè seruare ac celebrare. Nostræ potestatis non est, sanctificare pro nostro arbitrio, quæ à Deo sanctificata non sunt. Si hoc quisquã tentauerit, & superstitiosus est, non religiosus: & quod solius Dei est, inexcusabili temeritate sibijpse uendicat. Baptismus in sanctam Triadem sanctificatus est ab ipso Domino, & exemplo & institutione. Si hunc Pontificum quisquam prior instituisset & sanctificasset, meritò tanquam uanus & superstitiosus reprobaretur. Iam uerò cum sanctificatus sit diuinitus, non humanitus, rectè à nobis requiritur, ut illum & ipsi sanctificemus. Si nihil referret, unde sit talium rituum sanctificatio, frustra de baptismo Ioannis, interrogasset Christus, de cœlo ne esset, uel ex hominibus. Ad eum modum & de cœna Dominica sentiendum est. Et illa non ab homine primùm, sed diuinitus à filio Dei, exemplò simul & institutione sanctificata est. Hanc Dominicam illius sanctificationem conueniebat religiosius obseruari ab episcopis, quàm ut illam quæstu, nugis & ineptijs suis conspurcarent & prophanarent.

Duplicem esse Sabbathi sanctificationem.

Dei est sanctificare.

Baptismi ac cœnæ D. sanctificatio.

Quartò:

Quartò, nec illud prætereundum est, quòd non simpliciter dicit, Memento ut Sabbathum sanctifices: sed, Memento ut diem Sabbathi sanctifices. nec dicit, Idcirco benedixit dominus Sabbatho, & sanctificauit eum: sed, Idcirco benedixit dominus diei Sabbathi, & sanctificauit eum. Poterat simpliciter præcipere, ut eius diei acta sanctificarentur: uerùm ut hoc ipsum efficacius urgeret, dicit, Memento ut diem Sabbathi sanctifices. Ipsum diem iubet haberi sanctũ, non propterea quòd admodum dierum curam in se gerat: sed quòd communi sensu consequitur, sanctum diem sanctam requirere uitæ conuersationem: quemadmodum & uulgò dicimus, *heilig zeit, heilig werck*. Est autem dierum existimatio non ab illorum qualitate, sed ab eo ducenda, ad quod diuinitus destinantur. Sic dies septimus neq; propter numerum septenarium, aut aliquam ipsius qualitatem: sed quoniam sanctæ erat quieti consecratus à Domino, ideoq; & dies Sabbathi, id est, quietis uocatus, pro sancto erat Israeli habendus, ac sanctis actibus & meditationibus sanctificandus.

Diẽ Sabbathi.

Vnde ducenda sit dierum existimatio.

Quintò: Sex diebus, inquit, operaberis & facies omnia opera tua. Expẽdendũ est, quòd nõ solum Sabbathi meminit, diei septimo deputati, sed & sex dierum Sabbathum præcedentiũ, in quibus omnia opera sua facere debeant, cum illorum mentio nihil ad propositum Sabbathi præceptum facere uideatur. Etenim abundè sufficere uidetur ad determinationem Sabbathi, quod illud septimo diei nuncupat: unde ultrò cõsequitur, præcedentes sex dies haudquaquam ad illius pertinere obseruantiam. Potest hac de re bifariam sentiri. Aut ut intelligamus hoc, Sex dieb. operaberis, ratiõe permissionis dictũ, quòd liberum faceret populo suo, operari opera sua quocunq; die, uno septimo dempto, quòd is Sabbatho esset sanctificatus. Vel ut sentiamus, particulam hanc non esse permissiuè positam, sed uim habere præcepti: sic, ut perinde præceptum sit, operari sex diebus, atq; septimo die sanctificare Sabbathum. quæ mihi sententia potior esse uidetur. Primùm ob id, quòd primordiali legi conuenit, qua statim post lapsum dictum est homini: In sudore uultus tui uescẽris pane tuo. Item, Maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuę. Arbitror haud esse permissum homini, ut extra tempus Sabbatho sanctificatum, ocietur pro suo arbitrio. Non est consilium Dei, ut homo, præsertim post naturæ nostræ corruptionẽ, liberæ suę uoluntati permittatur, ut citra culpam ociari & inutilis esse possit: præsertim cum ex ocio omnis generis uitia & corruptelæ nascantur. Deinde huius sententiæ argumẽtum ex eo quoq; offertur, quòd in ratione, præcepto huic subiecta, non id tantũ memoratur, quòd quieuerit Deus die septimo, benedixeritq; illi, & sanctificauerit eum: sed & quòd sex diebus operatus sit, cœlum, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, tanquam sua opera, perfecerit: ut liquidò appareat, bimembri præcepto bimembrem esse annexam rationem. Quare quemadmodum præcepto de quiete diei septimi subiecta est authoritas exempli Dei, septimo die quiescentis: ita præcepto de sex dierum operibus exemplum operum Dei seruit, quibus cœlũ, terrã, & omnia sex diebus perfecit. Si urget exemplum Dei, die septimo quiescentis: cõsimiliter urget exemplũ eiusdẽ, sex diebus opera sua perficientis. Non est cogitandum de Deo, quòd curet, quomodo populus ipsius ritè ocietur, non curet uerò quomodo operetur. Meo iudicio, non modò ocium illius, sed & operationes uerbo suo consecrare uoluit, ut siue die septimo quiescat, siue sex præcedẽtibus diebus operetur, omnia ex fide & obedientia uerbi eius faciat. Populo huic dictum est: Sancti estote, nam & ego sanctus sum. Non conueniebat igitur, ut populus Domino sanctificatus sex diebus prophanè pro spiritu carnis & mundi uiueret, & septimo tantũ die ociando religiosus esset. De hac sententia mea iudicent pij.

De sex operũ diebus.

Ad quid fiat mentio sex dierum.

Bimembri præcepto bimembris adiecta ratio.

Sextò consídera & illud, quòd sex dies operibus, & unus tantum quieti datur. Videtur potius, unum operibus istis terrenis, & sex alios sancto ocio fuisse consecrandos. Siquidem rationi consentaneum est, ut quoniam diuinius & utilius est, spiritualibus fidei ac religionis exercitijs uacare, quàm terrenis operibus esse intentum: potiorem etiam & maiorem uitæ nostræ partem Sabbatismo sancto, quàm terrenæ occupationi consecremus. Verùm diuina sapientia hac in re, non quid in se probabile, sed quid populo legali & crasso conducibile sit spectauit. Si iudicasset illi fore utilius, ut diutius ocio quàm laboribus uacaret, dubio procul legẽ hanc de sancto ocio utilitati illius attemperasset. Manifestum aũt est, nõ solum legis huius indicio, sed & ipsissima experientia, non facere ad ueræ religionis profectũ, si ocia uulgi multiplicentur, quocunq; tandem prætextu adornentur: sed abundè satis esse, unum in septimana diem, fidei ac religionis exercitijs deputatum, quo plebs imperita sanctis actibus, & meditationibus, in cognitione Dei, & uero cultu imbuatur. Ipsa nos experientia docet, multitudinem illam feriarum, quas Episcoporum & Monachorum superstitio, non diuina instituit authoritas, magis fecisse ad ueri Sabbatismi extinctionem, quàm profectum, causasq; infinitorũ præstitisse uiciorũ. Quare laudandus est eorum conatus, qui, ut & superstitionem tollerẽt ex ecclesia, & corruptelarũ uiciorumq; causas amputarent, superfluas & superstitiosas ferias reiecerunt: easq; duntaxat retinuerunt, quæ sacrarum scripturarum authoritate, & prioris ecclesiæ exemplo commendantur.

Quòd sex dies operibus, & unus tantum quieti datur.

Multitudo feriarum noxia.

Septimò, de eo quoq; cogitandũ est, quòd non solum dicit, Sex diebus operaberis: sed addit,

Vt nostra, non

aliena opera faciamus.

dit, Et facies omnia opera tua. Non requirit à nobis, ut quisq; operetur quidlibet, sed ut suum quisq; opus omni curiositate reiecta faciat, & ab alienis abstineat. Alia sunt opera Dei, alia nostra. Sua facit Deus, faciamus nos nostra. Confusio est, non ordo, si homo quæ Dei sunt, facere conetur. In domo bene constituta, aliud est opus patrisfamiliàs, aliud serui, aliud matrisfamiliâs, aliud ancillæ. Pulchra est harmonia illa, qua quisq; facit quod se concernit. Sic natura peruersi sumus, ut fastidiamus quæ nobis competunt, & affectemus aliena. Quare cuique curandum est, ut authoritate præcepti huius contineat se in ordine, & suis, non alienis operibus animum addicat.

Non dicit, Sabbathum tuum est: sed, Sabbathum Domini Dei tui est.

Octauò: Septimo aũt die, inquit, Sabbatũ domini Dei tui est. Expẽde quòd nõ dicit, Septimo die Sabbatum tuũ est: sed Sabbathũ domini Dei tui est. Poterat aliqua ratione Sabbathũ hoc, Sabbathũ Israelis dici, utpote, quòd eo die quieſceret: deinde quòd Sabbathi huius sanctificatio ipsius destinata esset commodo, sicut & Christus dicit, Non homo propter Sabbathum, sed Sabbathũ propter hominem. maluit tamen dicere, Sabbathũ domini Dei tui est, q̃ Sabbathum tuum est. Hoc dicens significauit omnem eius diei respectum ad nominis ipsius sanctificationem, fidem, & cognitionem esse dirigendum.

Videtur autẽ quòd dicit, Septimo die Sabbathum domini Dei tui est, bifariam posse intelligi. Aut, ut idem sit, atq;, Sabbathum septimi diei domino Deo tuo consecratũ est, ut illi seruiat, sicut & suprà exposuimus. Aut, ut intelligamus hoc sensu dictũ, Septimo die Sabbathũ domini Dei tui est: hoc est, memoriale est eius Sabbathi, quo Dñs Deus tuus post sex dierũ opera die septimo quieuit, eumq; benedictione sua sanctificauit. Et hic sensus concordat cũ sequentibus. Nec aliena est ista loquutio à phrasi sacrarum scripturarũ, qua nomina rerum memoriæ ac sacramentis illarum tribuuntur.

Quocunq; sensu dictum intelligas, admonemur, Sabbathi quietem non esse nostris affectibus & usibus, sed nomini & gloriæ Dei sanctificandam. Huc pertinet illud Esa. 58. Si auerteris à Sabbatho pedem tuũ, ne facias uoluntatem tuã in die sancto meo, uocaberis Sabbathũ delicatum, & sanctum domini gloriosum: & glorificabis eũ, dum non facis uias tuas, & non inuenitur uoluntas tua, &c.

Prophanatio Sabbathorum.

Quare manifestissima prophanatio est sancti ocij, qua cũ apud Iudæos die Sabbathi, tũ in nostris ecclesijs diebus Dominicis, carnis uoluptatib. profusissimè absq; ulla dissimulatione seruitur. Quemadmodũ Iudei non Deo, sed sibijpsis die Sabbathi ociãtur ac libidinantur: ita & nos nõ Christo domino, sed nostris deiicijs diebus Dominicis feriamur, usqueadeò, ut nõ sit ullũ tempus prophanius ac corruptius q̃ feriæ nostrę: quarũ nomina & prætextus religioni, acta uerò & studia carnis uoluptatibus, Baccho & Veneri, turpi, imò noxio, ocio, luxui ac fastui, palàm, nemine prohibente, deputantur. Quanto satius erat, inquit Augustinus, si feminæ eorum (Iudæorum) die Sabbathi nerent, quàm quòd saltant? Scriptum est, Nõ secundũ personas, sed iustum iudicium iudicate. Quid de nostris ferijs dicendũ aliud, q̃ satius esse, ut necessarijs operib. uacetur, quàm quòd Baccho & Veneri, & omnis generis delicijs, nõ Christo domino, sed Satanæ seruitur: non salus nostra curatur, sed perditio conciliatur: & ira Dei prouocatur, non placatur: mores non corriguntur, sed corrumpuntur?

Quid de nostris sit ferijs dicendum.

Non sunt dies festi nominib. ac memorijs sãctorum nuncupandi.

Nec illud transeundum est, quòd non dicit, Septimo enim die Sabbathũ est Abrahę patris tui, uel Isaac, uel Iacob: sed, Sabbathũ est domini Dei tui. Si placeret diuinæ maiestati, ut dies festi sanctorum memorijs & nominibus nuncuparentur, non uideo ullã rationẽ urgentẽ ac necessariam, ob q̃ illud in Iudæis minus q̃ in nobis probaret. Poterat Iudæis præscribere certis diebus ingressum Noe in arcã, deinde & egressum: postea natales Abrahæ, item egressum illius ex patria terra: deniq; sacrificiũ, quo filium suũ iussus ab ipso immolare conatus fuit. Natales quoq; Isaac, postea & peregrinationẽ Iacob, & descensum in Aegyptum, & quę alia sunt huiusmodi, quorũ memorijs de fide & pietate patrum admonerentur. Nihil aũt horum Israeli proposuit, sciens carnis esse ingenium ad superstitionem, quã ad ueram religionem procliuius, neq; probans, ut nominibus sanctorum qualiacunq; religionis consecrentur exercitia. Quòd in ecclesia Christianorum memorijs & nominibus sanctorũ dies festi nuncupantur, quocunq; prætextu defendatur, nec authoritate uerbi Dei, nec institutione Apostolica nititur: & Gentilisimum sapit, non germanum Christianismum.

Impedimenta sanctificatiõis prohibentur.

Sanctificatio Sabbathi animum requirit nõ dimidiatũ, sed integrum.

Nonò: Non facias, inquit, omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas. Obseruandum hic est, quòd impedimentum sanctificationis prohibet, ubi de sanctificatione Sabbathi præcipit. qua in re generali consideratione admonemur, amputandas esse omnis generis remoras, quibus quod ritè ac perfectè gerendum est, ullo modo impediri poterit. Sapientiæ est, amputare offensacula, res honestas & utiles impedientia. Integritatis est, non dimidiato, sed pleno & integro studio facere, quod prę omnib. alijs est operibus faciendũ. Tale aũt est quod hic de sanctificando Sabbatho præcipitur. Sanctificatio ista omnia humana studia excellit, & animum requirit non dimidiatum, sed integrum. Quare rectè prohibentur, quę ad alias illum cogitationes & curas detorquẽt: idq; efficiunt, ut uix aliqua parte sanctis meditationibus & exercitijs adhibeatur.

hibeatur. Cogitemus hic quàm debeamus libero & integro animo accedere ad ſacrarum ſcripturarum lectionem, ad ſacras conciones uerbi Dei auditũ, ad preces cùm priuatas tum eccleſiaſticas, ad myſteriorum Dei celebrationem & cõmunicationem, & ſi qua ſunt huius generis alia, quæ non tam corporis quàm animi, integram & liberam requirunt preſentiam. Sic enim comparata ſunt ea quæ religionis ſunt, ut quemadmodum ſpiritualia ſunt, ita & natura ſua ſpiritum hominis requirant, in quem agant, quem forment, mutent, inſtituant, paſcant: & uel ſi elatior ſit, deprimant: ſi depreſsior æquo, erigant & conſolentur, & in ſumma, totum ad imaginem Dei fingant & regenerent. Obſecro quid hic faciet homo, cuius animus uel eſt totus alibi. ut nihil adſit ſacris q̃ corpus externum, mente ac ſpiritu deſtitutum, nec intelligens, nec audiens quæ dicuntur, & aguntur: uel eſt ita præſens, ut uagetur & diſcurrat, uarijs cogitationibus diſtractus & inconſtans? Iam cum tales auditores habeat Euangelica doctrina, quid miramur, unde fiat quòd tam rari illius appareant fructus? Auis ut uolitet, opus habet ut alas ſuas excutiat, & ab omnib. impedimentis liberet: & nos putamus nihil referre, quàm expeditis & liberis animi affectibus appareamus in ſacris, ubi altius ſubuehẽdus eſt ſpiritus, quàm ulla auis uolando conſequi poſsit.

Qualia impedimenta ſanctificationis prohibeantur.

Deinde expendamus, qualia ſanctificandi Sabbathi impedimenta prohibeat. Non facies, inquit, omne opus in eo, tu & filius tuus, &c. Operum humanorum duo ſunt genera. Vnum eſt, licitorum in ſe: alterum, illicitorum. Licita ſunt neceſſaria, honeſta, & utilia rebus humanis. Illicita ſunt noxia, inhoneſta, & ſuperflua. Quæ hic prohibẽtur, nõ ideo prohibẽtur, quòd ſint in ſe illicita. Neq; enim dicit, Non facies in eo aliquod malum opus: ſed, Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus & filia tua, & ſeruus tuus & ancilla tua, & iumentũ tuum: ut appareat prohiberi operas domeſticas, neceſſarias, honeſtas & utiles quidem in ſe, quod externã uitæ ſuſtentationẽ ac neceſsitatẽ attinet, uerũ ad ſanctificationẽ Sabbathi incõmodas, quod ex eo quoq; patet, quòd dixit, Sex diebus facies omnia opera tua, ſeptimo aũt die Sabbathũ domini Dei tui eſt: ac tum ſubiungit, Non facies omne opus in eo, &c. manifeſtè diſtinguens nõ inter opera, ſed inter dies operũ, & diem Sabbathi. Itaq; licita opera ſunt, quæ ſex diebus facere licet, die Sabbathi nõ licet. Illicita uerò ſunt, quæ nec Sabbatho, nec ſex operũ dieb. licitè fieri poſſunt. Cogitemus igitur, quanto ſtudio ac ſerio curandũ ſit, ut nihil impedimenti reſeruemus, quod aliquo pacto libertatem & alacritatem ſpiritus noſtri, dum ſacris incũbendum eſt, remoretur: quando etiã neceſſariæ, honeſtę & utiles alioqui ſunt abijciẽdę curę, quę quidẽ hoc adferunt animis noſtris, ut minus ſint ad ſpiritualia intenti, hoſtes tamen & inimicos Dei non cõſtituũt. Quid itaq; ſentiendum eſt de peruerſiſsima noſtrorũ temporũ corruptione, qua fit, ut diebus ſacris abſtineamus quidem à neceſſarijs ac licitis, interea uerò uacemus illicitis, inhoneſtis, uanis & noxijs nõ operibus modò, ſed & ſtudijs? Impletur hic dictũ illud Auguſtini: ~~Vicio quod inebriat multitudinem, examinis amittit ueritatẽ.~~ Si quis agrum colat die Dominico, uiolator eſt ſacri ocij: uerũ ſi relicta agricultura inebrietur, ſcortetur, ludat, &c. non cenſetur prophanaſſe Dominici diei ſanctimoniam. Quãto melius ociantur die Sabbathi iumenta, quæ licet nihil agãt quod pertineat ad ſanctificationẽ, hactenus tamẽ præferendum eſt illorum ocium, quòd nihil admittunt, unde ſacrũ ocium prophanetur ac conſpurcetur, & diuinæ maieſtatis oculi offendantur?

Abuſus feriarũ

Lex iſta nõ cõpetit acioſis.

Decimò, neq; illa ſunt tranſeunda: Tu & filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui eſt intra portas tuas.

1 Primùm hic obſeruabis, nõ habere legem iſtã aliquid rationis, qua proponatur ei domui, in qua uel paterfamiliãs ipſe, uel liberi perpetuò & ſic ociantur, ut ne operũ quidem diebus aliquid operis faciant. Etenim fruſtraneum eſt homini ocioſo de ocio præcipere, cum alioqui perpetuò ſit ocioſus. Quare talibus id magis eſt inculcandum, quòd dixit, Sex diebus facies omnia opera tua: q̃ quòd cõſequenter de ocio Sabbathi ſeruãdo præcipit dicens, Non facies omne opus in eo. Qui agrũ ſuum nunquã colit, præter rationẽ audit, Ne colas agrum tuum Sabbatho. Adoleſcẽs qui nunquã legendi ſcribẽdiq; exercitijs incumbit, immeritò audit, Ne legas & ſcribas tẽpore concionis Eccleſiaſticæ. Quanquã hodie uſq; adeò peruerſa ſunt quorundã ingenia, ut tota ſeptimana ociati, Dominicis diebus ubi ſacro ocio religionis uacandũ eſt exercitijs, operas domeſticas obeant: interea dum populus Dñi ad auditũ uerbi Dei, precationes, myſteriorum cõmunicationem, & ſacrificia diuinæ laudis in unũ cõuenit. quæ peruerſitas & deteſtabilis eſt, & publica poteſtate coercenda.

In cauſa religionis nihil eſt diſcriminis inter patremfamiliãs & domeſticos eius.

2 Deinde uidemus hoc loco, in illis quæ religionem communiter concernunt, nihil eſſe diſcriminis inter patremfamiliãs & domeſticos eius, inter liberos & ſeruos. Communi ſanctificandi Sabbathi lege conſtringuntur omnes ex æquo, herus ſeruus, pater liberi, mas & fœmina, ſuperiores & inferiores. Loquitur Deus patrifamiliãs, tanquam capiti: uerùm in ipſam legis huius obſeruantiam omnes ſimul domeſticos illius includit. Tres ſunt religionis partes. Prima eſt, fides & communicatio gratiæ: ſecunda, ſpes futuræ uitæ ac glorię: tertia, obedientia diuinæ uoluntati debita, cui etiam cultus includuntur. Harũ participes ex æquo ſunt omnes, quotquot initiationis ſunt ſymbolo obſignati, ut nullus hic ſit perſonarum reſpectus.

Potestas superiorũ non præiudicat religioni.

Quare quod religionis attinet obseruantiam, in potestate patrisfamiliâs non est, neq; principis etiam, prohibere subditos, quo minus iussis Domini Dei sui obediant, fideiq;, spei, obseruantiæ & diuini cultus sint consortes.

De iumentis, quare & illis præceptum sit ociũ Sabbathi.

3 Et illud obseruandum est, quòd dicit, Et iumentũ tuum. Ad religionis cõmunicationem & exercitia non pertinent iumenta: & tamen præcipitur, ne quid operis faciant die Sabbathi, sed perinde atq; homines conquiescant. Quæ huius est præcepti ratio? Primùm huiusmodi legem requirit ipsa necessitas. Etenim nisi iumẽta laboribus destinata, alterna quadã requie recreentur, necesse est, ut tandem irremissa fatigatione cõficiantur: unde & illis iniuria uergens in exitium, & homini detrimentum nascitur, quorum neutrum Domino utrorumq; & hominum & iumentorum creatori probari potest. Diligit enim ea quæ condidit, & conseruat tam bestias quàm homines. Non amat uim & iniuriam, ne in iumenta quidem illatam, nedum in homines. Non delectatur perditione, imò ne detrimento quidem aliquo, nulla necessitate cõtracto. Deinde accedit & ratio consequentiæ. Si operandũ sit iumento die Sabbathi, necesse est, ut per hominem aliquem ducatur, dirigatur & agatur. Est enim destitutum ratione & intellectu, ad ritè & utiliter operandum necessarijs: unde fit, ut opus habeat externo aliquo ὑγεμονικῷ, cuius ductu & actu regatur. Quare fieri non potest, ut operetur per se solum, sed hęc illi est operandi ratio, ut operanti homini cooperetur, & actui illius obediat Itaq; quoniam consequens est, ut operante die Sabbathi iumento, simul operetur & homo aliquis, quisquis ille sit: non autem ulli homini permittitur, ut operetur die Sabbathi: etiam hac consequentię ratione prohibẽdũ erat, ne iumẽta operarẽtur die Sabbathi, nec ulla superesset occasio prętexẽdi de iumẽto, quòd illi nihil sit de ocio Sabbathi præscriptũ: ideoq; nihil peccari, si die Sabbathi operetur iumentũ, & homo quispiã præsto sit operãti tanquã necessarius ductor & actor.

De aduenis. Fuisse illis locũ in populo Dei.

4 Simul expẽdamus & illud, quod subditur, Et aduena q̃ est intra portas tuas. Obserua primùm, in populo Dei etiã aduenis fuisse locum: idq; non simpliciter trâseuntibus, sed & intra portas ciuitatum permanentibus, ac legitimis temporibus operantibus. Quare probari non potest nostrorum temporum inhumanitas, qua nonnulli aduenas ab omni cõuictu excludẽdos esse putant: quasi fieri possit, ut quisq; in patria sua terra permaneat: & non cogantur innumeri, uel paupertate, uel principum tyrannide, uel uiolentia bellica, uel impulsu cõscientiæ uerbo Dei obstrictæ, mutatis sedibus paternis migrare ad exteros. Aduenæ & peregrini in terra fuere multi boni ac præclari uiri, quibus dignus non erat mundus. Tales fuerunt Abraham, Isaac, Iacob, populus Israel in Aegypto, Moses inter Midianitas: unde & filiũ suũ uocabat Gerson, id est, aduenam. Christus quoq; non est educatus, ubi natus erat: nec conuersatus in loco educationis, ubi prædicare cœperat. Non sunt ferendi aduenæ, si sint mali. At ne indigenæ quidem, si sint mali, rectè feruntur.

Aduenæ cõformẽt se legibus indigenarum.

2 Deinde uidemus hoc loco, rectè requiri ab aduenis & conuenis, ut legibus indigenarum sese conforment. Quanquam nemo aduena ad hoc cogebatur, ut circũcideretur, nec ad cõmunicationem Paschatis admittebatur, nisi primùm circumcisus: requirebatur tamen, ut in reliquis diuinæ sese legi perinde atq; indigenæ submitterent. Nõ licebat illis tempore Paschatis uti pane fermentato. Vnà cum indigenis ad auditum diuinę legis adhibebantur, sicuti uidere est Iosuæ octauo. Et diebus Sabbathorum, aliarumq; solennitatum, eadem lege Dei cũ indigenis ad sacrum ocium constringebantur. Vnde hæc duo consequuntur. Vnum, nõ esse permittendũ aduenis, ut diuersi sint à legibus & moribus indigenarum. Quare tolerandi nõ sunt morosi ac peruicaces aduenæ, publicis legibus ac moribus aduersantes. Alterum, esse aduenas diuersæ religionis, neq; ad Christianæ religionis imitationẽ cogendos, neq; ad mysteriorum participationem, nisi initiati sint, admittendos. Verùm si aduena quisquam Christianus, hoc est, in fidem ac religionem Christi, Christianiq; nominis professionem symbolo sacri Baptismatis initiatus, cõmunicationem communis religionis, fidei, doctrinæ, mysteriorum ac rituum sacrorum detrectauerit, arbitror illum rectè à ciuili quoq; consortio & conuictu excludi, ne quod offensaculum obijciat ecclesię Dei: & quòd indignus sit ciuili societate, qui communionem religionis, in quam est initiatus, respuere nõ ueretur. Loquor autem hic non de illis aduenis, qui uiuunt in populo seducto & errante: sed de his, qui cum morentur inter ueros Christianos, ueræ fidei, doctrinæ, & religionis communicationẽ auersantur. Secus est, si aduena rectè credens ac sentiens, uiuat inter errantes ac seductos. Hic si communicationem falsæ religionis detrectat, facit quod se decet: si eam ob causam pellitur, pellitur uitio non suo, sed eorum qui non modò errant seducti, sed & rectè sentientes uel abijciunt à se, uel ad errorem cogere nituntur.

Nõ solũ authoritate sua præcipit, sed & exemplo facti sui prouocat.

Postremò consideremus etiam, quòd dicit, Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & requieuit die septimo: idcirco benedixit Dominus Deus diei Sabbathi, & sanctificauit eum. Non simpliciter dicit, Sex diebus fecit Deus cœlum & terram: sed, Sex enim diebus fecit Deus, &c. Vt hinc admoneat, præcepti huius cõstare rationẽ, quòd initio creationis sex diebus fecerit cœlum & terram & omnia, & septimo die quieuerit, eumq; diem quiete sua sanctificauerit. Igitur non solũ authoritate sua utitur ad præcipiẽdum

dum populo ſuo, ſed & facti ſui exemplum adducit, quod & reſpiciant & imitentur. Satis authenticum eſt homini pio, quicquid uerbo Dei præcipitur: ubi uerò & factum Dei accedit, quaſi duplicato ad obediendũ uinculo cõſtringitur. Qui uerbo Dei nõ obedit, immorigerũ ſe ac tranſgreſſorem oſtendit: qui uerò ne facto quidem Dei ad imitationem exempli permouetur, non ſolum inobedientem ſeſe, ſed & degenerẽ & alienum à ſpiritu illius eſſe declarat. Hinc Chriſtus cum argueret eſſe ſe filiũ Dei, dicebat, Pater meus uſq; modò operatur, & ego operor. Et: Non poteſt filius à ſeipſo facere quicquã, niſi quod uiderit patrem facientẽ. Quęcunq; enim ille facit, hæc & filius ſimiliter facit. Germani filij eſt, non ſolũ pręceptis obedire parẽtis, quod & ſerui faciunt: ſed & ſtudijs & operib. illius ſeſe, quoad eius poterit, pro uirib. conformare. Sic Chriſtus Matth. 5. dicit: Vt ſitis filij patris ueſtri, qui ſolem ſuum producit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper gratos & ingratos. Declarat quidem illic ueræ dilectionis præceptum, & germanum illius ſenſum contra Iudaicam deprauationem explicat: uerùm ſimul admonet, non ſolum conſtringi nos authoritate præcepti Dei ad diligendum inimicos, & benefaciendum his qui nobis malefaciunt: ſed & argumentum in eo ſitum eſſe, quo probe nur quales ſimus, degenerẽsne uel germani filij patris noſtri qui in cœlis eſt. Conſimili modo coniunguntur hoc loco & factum Dei, quo illius expreſſum eſt ingenium: & præceptum, quo diuina maieſtas & authoritas aſſeritur. Factum, quoniam exempli uice proponitur, imitationem: præceptum uerò, quia iuriſdictionis habet authoritatẽ, obedientiam diuinæ maieſtati debitam requirit. Imitatione conformamur ſtudijs paternis: obedientia, præceptis Domini ac Dei noſtri ſubijcimur. Sic requiritur præſenti pręcepto, ut & opera & ocia noſtra ſanctificentur, dum & imitatione exempli, & obedientia pręcepti Dei conſtant. Quare omnium prophaniſſimos eſſe neceſſe eſt, quotquot nec factis Dei ad imitandũ, nec præceptis ad obediendum permouentur. Tales Chriſtiani ſumus, quando nec exemplo, nec mandato Chriſti ad mutuam dilectionẽ induci ſuſtinemus. Hoc eſt præceptum meum, inquit, ut diligatis uos mutuò, ſicut & ego diligo uos. Item: Exemplum dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, ſic & uos faciatis. Iſta egregiè contemnimus, & interea de ſignis, & quibuſdam loquendi formulis acerbiſſimè & odioſiſſimè contendimus.

Inobediens & degener eſt, qui nec præcepto Dei obedit, nec exemplũ ſequitur.

Sed dicet hic aliquis, Quomodo exemplo Dei conditoris omniũ imitãdo conformari potero? Nam etiamſi ſex diebus operatus fuero, & ſeptimo quieuero, terra tamẽ tam procul nõ diſtat à cœlo, quàm diſtat factum meum ab exemplo Dei. Condidit ille ſex diebus cœlum & terrã, mare & omnia quæ in eis ſunt, & ſeptimo die perfectis omnibus quieuit. Nũquid illius operibus mea cõparari poſſunt, qui uix operando efficio, quod corpuſculo huic alendo ſuffi ciat? Reſpondeo. Imitatio exempli diuini non conſtat in eo, ut cœlũ & terram ſex dieb. faciamus, & ſeptimo à tã grandi opere quieſcamus: ſed ut ſex illis diebus, quibus operatus eſt opera ſua Deus, nos operemur noſtra: & ſeptimo, quo ille à ſuis, nos à noſtris operibus ad illius quieſcamus exemplum. Sic neq; Chriſtus à nobis requirit, ut ad declarandum, quòd filij Dei patris noſtri ſimus, perinde atq; ille producamus ſolẽ ſuper bonos & malos, & pluamus ſuper gratos & ingratos: ſed ut tam inimicis quàm amicis, pro menſura noſtræ conditionis, beneficientes, qualicunq; imitatione ingeniũ patris noſtri exprimamus, ſaltẽ in eo illi ſimiles, quod quemadmodum benefacit ipſe non ſolũ bonis & gratis, ſed & malis & ingratis pro diuinę maieſtatis ſuæ magnificentia & bonitate: ita nos quoq; non amicis tantũ, ſed & inimicis noſtris pro conditionis ac facultatis noſtræ portione benefaciamus.

Quomodo debeamus nos cõformare exemplo Dei.

Deinde & illud conſiderandum eſt, quod dum de ocio Sabbathi ſanctificando pręcipit, nõ quæuis opera Dei, unde quieuerit. ſed ea inducit, quibus ſex dierũ curriculo cœlũ, terrã, mare & quę in illis ſunt omnia fecit, & poſt quorũ perfectionẽ ſeptimo die quieuit. Ergo Sabbathi ſanctificationẽ huc potiſsimũ deſtinauit, ut populus in fide creationis ante omnia aleretur & confirmaretur. Licet enim uiſibilia ſint opera iſta, cœlũ, terra, mare, & quæ ſunt in illis: quæ tamen hic de illis prædicantur, uiſibilia non ſunt: deniq; nulla noſtra ratione, ſed ſola fide capiuntur, utpote, quòd ſint facta ab aliquo, idq; in tempore. Vt uaniſsimus ſit eorũ error, qui mundum dicunt eſſe ab æterno: deinde quòd ſint nõ à qualibet uirtute, ſed ab ipſo uero Deo facta, à quo præcepta iſta tradebãtur: tertiò, quòd ſint ſex diebus facta & abſoluta, ſic ut conditor illorum die ſeptimo perfectis omnibus quieuerit. Ad iſta cognoſcenda cæca eſt humana ratio. Non enim traduntur, niſi uerbo Dei: quare nec capiuntur, niſi fide.

Quòd nõ quæuis opera Dei, ſed quæ creationis ſunt inducuntur.

Eſt autem fides iſta creationis, qua mundum hunc ſex diebus à Deo eſſe factum credimus, haud præter rationem populo Dei tam diligenter propoſita. Continet enim principium credendorũ de uero & unico Deo, ſine quo reliquis locus eſſe nõ poteſt. Etenim niſi credamus, cœlum, terram, mare, & omnia in illis contenta, à uero & unico Deo eſſe in principio facta, fieri non poteſt, ut ad fidem conſeruationis, gubernationis, & prouidentiæ Dei, qua cuncta ſeruantur & reguntur, perueniamus: ut de fide reparationis taceam, qua per uerbi Dei incarnationem genus humanum ad ueram felicitatẽ reparatur. Et hãc ob cauſam Apoſtolus Ebr. 11. cum fidem eſſet deprędicaturus, ſtatim initiò dixit, Fide intelligimus aptata eſſe ſecula uerbo Dei, ut ex inuiſibilibus uiſibilia fierent. Sic in Symbolo fidei noſtrę primo loco dicimus, Cre

Quare fides creationis populo Iſraeli ſit propoſita.

do in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Ab hac fide facillimus est transitus ad fidem prouidentiæ Dei, qua credimus omnia quæ in cœlo sunt, & in terra, eiusdem uirtute consistere, & uoluntate gubernari, per quem sunt ex nihilo condita.

Quæ ex fide creationis consequantur.

Iam expendat pius homo, quæ ex hac fide consequantur, qua credimus, Deum sex diebus condidisse cœlum, terram, mare, & omnia quæ in illis sunt.

Creatorem cœli & terræ esse uerum & unicum Deum.

1 Primùm, qui credit, Deum esse factorem cœli & terræ, &c. credat etiam necesse est, esse eũ solum, uerum & unicum Deum: & reliquos omnes, qui in mundo coluntur, esse deos falsos. dicatq; cum propheta: Dij qui cœlum & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his quæ sub cœlo sunt. Hierem. 10. Damus igitur Deo ueræ diuinitatis gloriam, quando confitemur, esse eum factorem cœli ac terræ, & omnium quæ sunt in illis.

Illius esse omnia, à quo sunt condita.

2 Deinde qui sic credit, simul fateatur necesse est, dicatq; cum propheta, Domini esse terrã & plenitudinẽ eius, orbem terrarũ, & omnia quæ sunt in illo. Etenim illius sunt propriè omnia, à quo sunt condita. Fecit Deus omnia sua ipsius sapientia & uirtute, nullius usus uel consilio, uel opera, uel facultate. Ergo illius sunt omnia, & nos cum omnibus. Nam & ipsi ex illius constamus opificio. Non poterit igitur à quoquam in ius uocari, etiamsi de suo faciat quidlibet pro arbitrio omnium liberrimo. Qui hoc intelligunt, permittunt Deo liberam omniũ gubernationem, nec ulla de re quærunt, quare non sit ab illo aliter instituta.

Habitare nos in alieno, et nõ in proprio.

3 Tertiò, consequitur etiam, habitare nos in alieno, & non in proprio: & uiuere non de nostris ipsorum bonis, sed de alienis. Quare licet tradita sint nobis omnia ex bonitate Dei, non debemus tamẽ illa sic usurpare, ac si nõ summo adhuc iure sint in potestate Dei: sed perpetuò illis uti tanquã ad tẽpus concessis, ne quis sibijpsi nimiũ titulo proprietatis blandiatur. Vsus proprietatis nõ est referendus ad respectũ Dei, sed ad respectum aliorum hominũ, quibuscũ uiuimus: ut sic mihi propria sint quæ accepi à Deo, ut liberũ non sit alijs è meo illa iure atripere. Interea omnia sic propriè sunt in potestate Dei, ut optimo iure possit ea nobis auferre, & uel prorsus perdere, uel ad alios transferre: id quod licitè facere non posset, si quę nobis ab illo sunt tradita, pleno ac prorsus libero iure ad proprietatem nostram essent translata.

Quò referendus sit usus proprietatis.

Viuendum nobis esse in fide & obseruantia creatoris nostri.

4 Quartò, ex his omnib. rectissimè infertur, uiuendum esse nobis in fide & obseruãtia eius, cuius sumus opus, & cuius sunt omnia, in quib. habitamus, & unde uiuimus: ne dicatur nobis turpissima cũ exprobratione, Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es domini creatoris tui, &c. Deut. 32. Qui habitat in alieno fundo, cogitur agnoscere & obseruare fundi dñm. Qui uiuit alienis sumptib. agnoscit operã suã aliqua ratione pertinere ad eum à quo alitur. Quàm quæso iniquũ est, non agnoscere creatorem cuius sumus opus: Dñm cœli ac terræ, in cuius ueluti fundo habitamus: altorẽ ac seruatorẽ, cuius bonitate & liberalitate pascimur ac sustentamur: sed sic nobis ipsis uiuere, nostroq; ipsorum arbitrio cuncta metiri, ac si simus ex nobis ipsis nati, ac dñi terrę quam inhabitamus: uiuamusq; non alienis, sed nostris ipsorum bonis.

Quòd Deus ab operib. suis die septimo quieuit.

Sequitur: Et requieuit die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei septimo, & sanctificauit eum.) 1 Primũ obserua, quòd die septimo Deus quieuisse dicitur, quo uidelicet post sex dierum finem perfectis iam omnibus creatiõis operib. cessauit. Nõ simpliciter illi datur quòd quieuerit, sed quòd post opera sex dierũ cessauerit. Sic Gen. 2. legimus: Compleuit Deus die septimo opus suũ quod fecerat, & requieuit die septimo ab uniuerso ópere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illũ, quia in in ipso cessauerat ab omni opere suo: quod creauit ut faceret. Aliud est simpliciter quiescere & ociari, & aliud ab operib. iã perfectis cessare. Meritò benedictus est dies ille, quo operib debita imponitur cõsummatio. Laudẽ non meretur ocium, quo opera imperfecta per dẽsidiã interrumpuntur, & à cõsummatione impediuntur. Quare, sicut & suprà notaui, non cõpetit hoc Sabbathũ ociosis hominib. qui nihil óperis faciunt: de quibus dici non potest, quòd die Sabbathi ab operibus suis cessando quiescant.

Ociũ aliud laudabile, aliud culpabile.

Quid significet septimi diei sanctificatio

2 Deinde & illud considerandum est, quòd non solum ab operibus suis Deus die septimo quieuit, sed & diem illũ seruandæ à laboribus quieti sanctificauit. Significatũ est, futurũ tempus quo finitis præsentium temporum, ueluti sex dierum, operibus, communis omnium seruetur quies, eaq; irremissa & sempiterna. Quemadmodum enim sex dies operum, sex ætates præsentis uitæ plenas laborum & molestiarum: sic dies septimus futurum seculum perpetuæ quieti sanctificatum adumbrat, quo ab omnibus præsentis uitæ operibus conquiescemus. Sed ea de re infrà quædam admonebimus.

Transitio.

Diximus hactenus de legali Sabbatho, id est, corporali, elementatio & umbratili, quod Israelitici populi pædagogiam concernit: iam consequenter dicendum est de spirituali ac cœlesti. Ná Sabbathi considerationẽ suprà admonuimus esse trinã: legalẽ [illegible]et, spiritualem & cœlestem. Spirituale Sabbathum est, quo uetus homo noster, homo peccati cum omnib. suis actibus, ocio quodã ueluti sepelitur: ut nouus, qui secundũ Deum creatus est, uires suas exerat, & opera sua perficiat. Sunt autem actus ueteris hominis, opera carnis, de quib. Apostolus Galat. 5. scribit ad hunc modũ: Manifesta sunt aũt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immũditia, impudicitia, luxuria, idolorũ seruitus, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidię, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, &c.

Spirituale Sabbathum.

Actus ueteris hominis.

Possunt

Possunt aũt opera & studia ueteris hominis sic diuidi, ut pars intellectũ ac mentem illius, pars cordis affectus concernãt. Intellectus ueteris hominis, est sapiẽtia carnis, quæ in ijs quæ Dei sunt, prorsus est animalis, cęca & stulta. Hãc oportet prorsus in obsequiũ fidei captiuare, imò mortificare: alioqui de ijs quæ Dei sunt, stultissimè iudicabit: nec se ueritati submittet, quę nõ rationis acumine, sed fide capitur. Ex ista carnis sapiẽtia nascũtur idololatria, hęreses, sectæ, falsa dogmata, dissidia & cõtentiones: quę nisi cõsopiãtur, spirituale Sabbathũ prorsus impediũt. Nequit enim fieri, ut uera noui hominis pietas, fides & religio obtineãt, donec carnalis sapientiæ operatio durat: cui omnis uera pietas, stultitiæ loco habetur, 1. Corinth. 2.

Opera ac studia ueteris hominis diuidun tur.

Intellectus ueteris hominis.

Affectꝰ ueteris hominis sunt corrupta deprauatæ carnis desideria, quæ intus primũ nascũtur in corde carnali, deinde foras in opera mortua prorumpunt: qualia sunt scortationes, adulteria, incestus, & omnis generis immunditia, furta, rapinę, mendacia, periuria, blasphemię, crapula, ebrietas, calũnia, delatiões, uiolẽtia, homicidia, & quæ alia sunt eiusmodi. Et hãc partem ueteris hominis compescere ac mortificare debemus, quo opera illius desinant & quiescant, & nouus homo totum sese possit fructibus spiritus proferẽdis consecrare. Sunt autem fructus spiritus: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas, &c. Gal. 5.

Affectus ueteris hominis.

Et hoc spirituale Sabbathum, nõ est nisi iustorũ ac regeneratorum. Qui adhuc secundum carnem uiuunt, hoc est, sapientiæ, & affectibus illius obediunt, quoniam ueteris hominis occupati sunt operibus, Sabbathũ hoc sanctificare nõ poterũt. Licet enim foris legalis Sabbathi profiteantur obseruantiam, alieni tamen sunt à spiritu Sabbathi, quia ueterem hominem cum actibus suis non mortificant: nec nouũ induunt, sed toti operibus mortuis incumbunt. Quare omnino necesse est, ut regeneretur homo, hoc est, mortificato ueteri nouus homo fiat: id quòd nullis nostris studijs perficitur, sed uirtutem & operationem spiritus Dei requirit, qui solus corda mortalium regenerat, & uetustatem carnis mortificat.

Spirituale Sabbathũ non est carnalium.

Nec est spirituale hoc Sabbathum ulli certo tempori alligatum, quemadmodũ legale, sed iuge est ac contiuuum. Non dantur hic sex dies, quibus uetus homo suis operibus intẽtus: sed illo mortificato omnis nostra uita nouo homini assignatur, qui opera sua indesinẽter perficiat, semper credat, semper speret, semper diligat, semper reliquos fructus spiritus proferat. Sic est comparatum Sabbathum spirituale.

Spirituale Sabbathum nullo tempori alligatum.

Sabbathũ cœleste est, quo & animo & corpore à præsentis uitæ laboribus & molestijs cõquiescemus. In hac uita operandum est corpore, etiamsi animus regeneratus Domino sabbatizet. Neq; enim spirituale Sabbathum electos impedit, quo minus operẽtur corpore, ut habeant unde & ipsi uiuant, & necessitatem patientib. contribuant. Deinde multis etiam laboribus, miserijs, ærumnis, morte tandem afflictantur sanctorum corpora. Animus pij hominis licet in Domino Deo suo quiescat, afflictatur tamen & ipse, nunc erroribus, nũc tentationib. nunc tribulationibus & angustijs, frequenter etiam sympathia, quã alienę incutiunt miserię. Hæ sunt molestiæ prẽsentis seculi, quas non tollit spirituale Sabbathum, tollet uerò cœleste, quo in futura uita & corpora nostra libera erunt ab omni tam operũ quã laborum molestia: & animi quoq; unà cum corporibus, conquiescẽt. Neq; enim ullus tum locus erit laboribus, molestijs, passionibus, doloribus, tribulationibus, erroribus ac tentationibus.

Sabbathũ cœleste.

Præsentis seculi molestias Sabbathũ cœleste tollet.

Hoc Sabbathum uoco cœleste, propterea quòd in hac uita celebrari nõ potest, nisi in figuris: sed ueritas illius in cœlo duntaxat locum habet, uitamq; requirit planè cœlestem. Potest etiam uocari perfectum, propterea quòd nõ corporis tantum est, nec animi duntaxat, sed simul & corporis & animi. Id quod legali Sabbatho adumbratur, spirituali inchoatur ac fingitur, hoc cœlesti in futura uita perficitur & consummatur.

Sabbathũ cœleste, perfectũ, sempiternum.

Est etiam sempiternum hoc Sabbathum, sicuti omnia uera bona sunt, quæ ad perfectionẽ peruenerunt. Neq; enim alio quodam Sabbatho terminabitur & excipietur, aut perficietur, sed durabit in sempiternum. Quę umbratilia sunt & imperfecta, sempiterna nec sunt, nec esse merentur: sed mutationibus sunt obnoxia, quibus uel terminentur, uel ad perfectionem ducantur. Legale Sabbathum non erat natura sua sic comparatum, ut esset perpetuum. Erat enim non uerum, sed umbratile: nõ perfectum, sed elementarium ac pædagogicũ, adeoq; imperfectum, & populo elementario accommodatum. quare noui testamẽti tempore rectè defijt, ut spiritus libertati locus esse posit. Christus est corpus, cuius aduentu rectè cessarũt umbræ. Vide Coloss. 2. quid hac de re scribat Apostolus. Spirituale sabbathum licet noui sit testamenti, tamen & ipsum est imperfectum: ac tum demum perficietur, quando ueniet quod perfectum est, & cessabit quod est ex parte. Etenim & Apostolus 1. Cor. 13. testatur, esse quædam imperfecta, quæ uocat ex parte, & esse quædã perfecta. Deinde fore ut ueniant quæ sunt perfecta, & euacuentur quæ sunt imperfecta & ex parte. Cum spirituale Sabbathum sit, primùm non habere peccatum, quod opus seruile uocatur: deinde, prorsus secundum noui hominis iustitiam & sanctimoniam uiuere: manifestum est, non perfici hoc Sabbathum in sanctis, dõnec uiuunt in hoc seculo. Quare necesse est, ut tãdem ueniat Sabbathum cœleste, perfectum ac sempiternum, requies uidelicet illa cœlestis patriæ, שבת שבתון, id est, Sabbathum Sabbathorum

Legale Sabbathum non potuit esse perpetuum.

Spirituale Sabbathum nõ est perfectum.

thorum שביעית עלירגת שבקר את ירבל, id est, quies superna, quam uocant Iubileum.

Hactenus de trina Sabbathi diuisione, quæ notanda uidebãtur, exposuimus, quomodo uidelicet Sabbathum sit legale, elementarium, corporale & umbratile: deinde sit spirituale: tertiò futurum sit cœleste, perfectum ac sempiternum. Consimilis est & Sacramentorũ cùm ueteris, tum noui Testamenti ratio.

Eadẽ ratio sacramentorum quæ est Sabbathi.

Circuncisio carnis legalis erat, & Israeli data, qua præputiũ carnis cultro petrino: spiritualis est, qua præputium cordis per operationem spiritus sancti circũciditur. Illa pertinebat ad uetus, ista ad nouum Testamentum. Cœlestis uerò futura est, qua & corporibus & animis circuncisi, cœlestibus spiritibus, sicut angeli Dei, cohabitabimus in sempiternum.

Consimili modo est baptismus corporis, quem Sacramentarium rectè dixeris: est baptismus spiritus, interna uidelicet regeneratio, innouatio & ablutio: est baptismus cœlestis, sempiterna uidelicet & perfecta puritas, quam post hanc uitam in supernis consequemur.

Et Cœna Dominica corticem habet, externã & sacramentalem celebrationem: & medullam quoq; animi uidelicet cibationẽ ac refocillationem: deniq; & cœlestem perfectionẽ, cuius Christus Luc. 22. meminit dicens, Et ego dispono uobis sicut disposuit mihi pater, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Sunt ergo tres gradus Sabbathi & Sacramẽtorum. 1 Primus est crassus, externus & elemẽtarius, in quo cõmunicant & boni & mali, quod externã attinet celebrationẽ. 2 Secundus est internus & spiritualis, quẽ proficientium esse rectè dixeris, in quo participãt dũtaxat electi & fideles. 3 Tertius est perfectionis & cõsummationis, qui solus in sempiternũ permanebit, ad quẽ per secundũ ascẽdimus, & ad cuius felicitatẽ electi quotidie suspirãt, & intimis uotis contendunt. Sciũt enim, in eo solo esse omnis ueræ iustitiæ, scientiæ Dei, dilectionis, quietis, & felicitatis consummationem.

Tres gradus Sacramentorũ & Sabbathi.

DE ABROGATIONE LEgalis Sabbathi.

Mouent nonnulli quæstionem de obseruantia legalis Sabbathi, contenduntq;, non esse illam minus Christianis quàm Iudæis retinendam.

Error Sabbathariorum refutatur.

Adferunt rationes, quibus quod sentiunt, euincere conantur. Argutãtur ex eo, quòd Sabbathũ ante legem, mox est initio creationis post sex operum dies diuinitùs septimo die cõstitutũ, sicuti suprà ex Gen. 2. citauimus. Hic dicũt, Quoniã in uniuersum omnes homines creationis tenentur seruare memoriam, consequens est, ut obstringantur ad seruandum ac sanctificandum Sabbathum, non soli Israelitæ, sed & uniuersę totius orbis nationes: quandoquidẽ Sabbathũ diei septimi ad hoc est à Deo sanctificatum, ut creationis omnium fidem ac memoriam in cordibus mortalium aleret ac proueheret. Sic argumentantur Sabbatharij.

Non possumus negare, rationem Sabbathi, hoc est, quietis septimi diei, qualis in hoc Decalogo, & Gen. 2. proponitur, talem non esse, ut solos cõcernat Israelitas: quemadmodũ ea quę in eductione ex Ægypto contigerunt, quę illis frequenter inculcatur dicente Deo: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Ægypto, de domo seruitutis. Interea tamen non sequitur, obseruantiam legalis Sabbathi perinde esse impositã reliquis nationibus atq; Israelitis. Etenim non extat præceptum Dei, quod Gentes ad hanc septimi diei obseruantiã astringat, sicuti ad illam Israelitæ manifesta lege obstringuntur. Quare conuinci non potest, quòd septimi diei Sabbathum ante hanc legem, uel ante diluuium ab Adamo ad Noe usq;, uel post diluuium à Noe ad Mosen, usq;, uel per Abrahamũ uel posteros eius seruatũ fuerit. Vnde & quidã Ebręorum fatentur, non esse scriptum de Abrahamo, qd Sabbathũ obseruarit. Quin etiamsi de patribus, qui ante legem uixerunt, certò constaret, quòd Sabbathi huius religionẽ seruarint: haud tamẽ quisquã mortalium illorum exemplo ad consimilem alligaretur obseruantiam, nisi dicturi sumus, esse nobis & pecudes immolandas, propterea quòd patres ante & post diluuium de pecoribus sacrificasse leguntur.

Obseruantiam legalis Sabbathi nõ cõstringere gentes.

Decalogũ pertinere ad solos Israelitas.

Regerunt Sabbatharij, Decalogi obseruantiam pertinere ad legem naturæ, & obstringere non Iudęos solum, sed & Christianos, & quotquot unius ac ueri Dei religionem profitẽtur. Respondemus: Decalogum hunc quatenus pertinet ad legem Israeli per Mosen in monte Sina diuinitùs datã, pertinere ad solos Israelitas. Quẽadmodum enim Apostolus dicit, Lex loquitur illis qui sunt sub lege. Et ipsa uerba Decalogi non solũ exprimunt quid, sed & quibus præcipiatur, cum dicit Deus: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruitutis. unde manifestum est, quæ in lege præcipiũtur, præcepta fuisse populo de domo seruitutis Ægyptiacæ educto. Quòd si quis putat, huic legi & Christianos esse obnoxios, cogitet saltẽ de Sacramẽto initiationis, quo Christiani censemur. Si eodem sacramẽto cũ Iudæis initiati sumus, eandem seruemus cum illis necesse est & Mosaicæ legis religionẽ. Qui circuncisus est, debitorẽ se sciat esse uniuersæ legis faciẽdæ. Gal. 5. Qui uerò baptizatus est in Christum seruatorem, & spiritum gratiæ accepit, profectò non sine grandi gratiæ Christi iniuria iugo se legis seruiliter subijcit, si se legalis Sabbathi seruandi debitorem esse iudicat.

Dicunt,

Dicũt, Ergo Decalogus nõ pertinet ad Christianos, sed ad solos Iudæos? Licet igitur Christianis habere plures deos, adorare simulacra, nomẽ dei in uanum sumere, nullo die sacris uacare, parentes cõtemnere, occidere, adulterari, furari, falsum testimonium dicere, & quę proximi sunt concupiscere. Respondeo. non dico, simpliciter ad solos Israelitas pertinere Decalogi huius obseruantiam: sed, quatenus pertinet ad legem Mosaicam, & tabulas habet fœderis, à Deo cum Israele initi. Hactenus utiq; neq; Gentes neq; Christianos constringit, sed solos Israelitas, quos legis huius dispensatio peculiariter & nominatim cõcernit. Interea tamẽ sciendum est, quæ in hoc Decalogo continentur, quatenus in se sunt bona, iusta, æqua & pia, & ad legem naturæ pertinẽt, hactenus illorum obseruantiam pertinere ad omnes. Finge à rege aliquo diuersis prouincijs leges esse & iura præscripta, quæ sint æqua & iusta omnia, licet alia alijs sint prouincijs pro tempore ac certis rationibus imposita. Hic, quę Italiæ separatim sunt tradita iura, Germaniam non obstringunt, quatenus legaliter tradita sunt Italis: & tamẽ quatenus æquitate commendantur, sine iniquitate à Germanis contemni nõ possunt. Sic habet & cõditio Decalogi huius. Quatenus Israelitis per Mosen legaliter est traditus, solos Israelitas legaliter constringit: quatenus uerò cum lege naturæ, iustitia & æquitate consentit, nõ solos Israelitas, sed omnes homines ad sui obseruantiam habet obnoxios. Pertinet autem ad legem naturæ, unius ac ueri Dei cognitio, religio, & cultus: deinde quod proximum concernit, ne cui faciamus quod nobis fieri nolimus. Sed de lege naturæ uide quæ à nobis peculiari sunt capite notata. In præsenti quod Sabbathum legale concernit, ad legem naturę pertinet, ut aliquo die uacetur sacris ritibus & exercitijs. Hactenus nõ debemus Sabbathi, id est, quietis sanctificationem abijcere, quæ usqueadeò naturali lege traditur, ut & uniuersę Gentes statiuas quasdam ferias, uniuerso populo cõmunes, & rebus sacris obeundis consecratas habuerint. Ad legẽ uerò Mosaicam referẽdum est, quod non primus, nõ secundus, non tertius, &c. sed septimꝰ dies sacro ocio expresse & legaliter deputatur. Ista legalis septimi diei deputatio & consecratio neminem mortalium constringit præter Iudæos: idq; non nisi ad tempus usq; noui testamenti, quo lex Mosis unà cum sacerdotio Christo seruatori cessit. Quare haud est præter rationẽ, quòd Apostolus tantopere & legis & Sabbathi legalis obseruantiã reijcit, & Christiani relicto Iudaico Sabbatho sacrum ocium eo die seruãt, quo Seruator non solos Israelitas, sed uniuersum genus mortalium, non de domo Ægyptiacæ seruitutis, sed de potestate ac regno Satanæ liberatos eduxit, ac de morte pariter, peccato & Satana à mortuis excitatus triumphauit. Is dies Dominicus uocatur, propter Dominicæ resurrectionis memoriã ad finem usque mundi celebrandam.

Obiectio Sabbathariorum.

Quatenus non debeamus Sabbatũ abijcere. NB

Hanc redemptionis nostræ, liberationis ac libertatis gratiã, Christiq; seruatoris gloriam Sabbatharij obscurare nituntur, dum reiecta Dominici diei obseruãtia, Christianos ad iugũ Mosaicæ legis, quantum in ipsis est, reducunt. Quare conatus illorum tanquam pestilentissimus, diligenter est retundendus. Hactenus de Sabbatho. Transeamus nunc ad secundam Decalogi tabulam.

SECVNDA DECALOGI TABVLA.

Suprà admonuimus de diuisione Decalogi, ostendimusq; esse illam geminam. unam, quæ in duas tabulas: alteram, qua in Decem uerba diuiditur, ut opus non sit quicquam hic ea de re repetere. Post absolutam priorem tabulam, transeũdum est ad priorem, in qua reliqua sex præcepta continentur, quibus ea præscribuntur, quę pertinent ad normam iusticiæ & æquitatis, erga proximos seruandam. Habet autem primum locum, quo de honorandis præcipitur parentibus, cuius hæc sunt uerba.

QVINTVM PRAECEPTVM

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis lõgæuus super terrã, quã Dominus Deus tuus dabit tibi.

Nihil ineſt huic præcepto, quod ſit obſcurum: quare non eſt operęprecium, ut multis exponatur. Nec obſcuram habet diuiſionem. Etenim cuiuis legẽti mox patet, duo eſſe illius membra. Vnum, quo quid faciẽdum ſit præcipitur: alterum, quo de utilitate obedientiæ huius admonemur. Ad primum membrum pertinet, quòd dicit, Honora patrem tuũ & matrem tuã: ad alterũ, quòd ſubijcit, Vt ſis lõgæuus, uel, ut in Ebręo eſt, לִמַעַן יַאֲרִכֻן יָמֶיךָ id eſt, ut prolongentur, aut ſi mauis, ut prolongent, diu durent dies tui ſuper terram, quã Dominus Deus tuus dabit tibi. Pollicetur uitam prolixam ac diuturnam ijs, qui pietatem ſeruant erga parentes ſuos.

Diuiſio huius præcepti.

Quòd uerò non ſimpliciter dicit, Vt ſis longæuus ſuper terram: ſed addit, Quã Dominus Deus tuus dabit tibi: accommodatio eſt ad cauſam præſentẽ. Erant enim educti de domo ſeruitutis Ægyptiacę, ut inducerẽtur in terram Canaan, patribus ipſorũ Abrahę, Iſaac & Iacob, ac ſemini illorum promiſſam, & iam in ipſa erant profectione ad ingrediendum eam terram.

Quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Quare

Quare in Ebræo non legitur in futuro, Quam Dominus deus tuus dabit tibi: ſed אשר יהוה אלהיך נתן לך, id eſt, quam Dominus Deus tuus dat tibi. Nam ipſa eductio ex Ægypto, & migratio per deſertum, nihil erat aliud, quàm diuinæ promiſsionis patribus factæ adimpletio. Cœperat illis dare terrã promiſſam, ubi eos eduxerat ex Ægypto, & ſub manu Moſis & Aaronis profectionem illam & expeditionem inſtituerat: ſimulq; cum illis in eo erat itinere, cuncta dirigens & expediens.

Itaq; hanc particulam ad id adiecit, ut admonerentur Iſraelitæ futurum quidem, ut ingrediantur terram promiſſam, uerùm fieri nõ poſſe, ut diu in illa ac feliciter uiuãt, ſi parentũ fuerint neglectores ac contemptores. Sed uideamus quæ ſint in hoc præcepto conſideranda.

OBSERVANDA IN EO QVOD DIcit, *Honora patrem & matrem.*

Vera religio non ſic colit Deum, ut negligat homines.

Principiò illud cõſideremus, quòd non contentus ijs præceptis, quæ de fide, reuerẽtia & cultu erga ſe præſcribunt: addit etiam ea, quibus erga proximum ſeruanda præcipiuntur. Admonemur hac conſideratione, nõ eſſe hanc ueram & plenam religionem ac pietatem, quę ſic colit diuinã maieſtatem, ut ea quę proximos noſtros concernunt, prorſus negligat. Qui ſic animati ſunt, malè de Deo ſentiunt. Tyranni ſic ſunt cõparati, ut à ſubditis ſuis & cũ primis & unicè coli metuiq; cupiãt, quicquid interim deſignetur in proximos. Alienus eſt hic ſpiritus à deo, cui nõ eſt ſatis ſi ſe colas, timeas & obſerues: niſi etiã rectè animatus ſis erga proximos. Quare non primam tantũ, ſed & alteram Decalogi tabulam propoſuit, illiq; mandata de iuſticia erga proximos ſeruãda inſeruit. Et altera hæc tabula licet non primo, altero tamẽ loco ad fœderis pertinet obſeruantiã. Sunt itaq; haud quaquã ueri & integri cultores Dei, qui neſcio quibus ritibus externis Deo in templis gratificari, ac gratiã illius promereri utcunq; conantes, nulla tenẽtur diligendi proximi cura, quaſi ea iuſtitię portio ad uerum cultũ Dei non pertineat, fieriq; poſsit, ut qui iniurius eſt erga proximos, aliquo ſeſe cultu diuinę maieſtati uera citer approbet. Quod perinde eſt, ac ſi ſe parenti quiſquam certis quibuſdam & ad ipſum pertinentibus officijs gratificari poſſe putet, quãuis interea quotidie peccet in fratres: quaſi paternus animus ſui duntaxat obſeruantiam requirat à filijs, & non ſimul exigat, ut mutua ſeſe charitate inuicem proſequantur.

Quod genus hominum proponatur.

De mortuis nihil præcipitur

Deinde expendamus, ad quod genus hominũ ſecundã poſt ſe iuſticię ſeruandę curã tranſferat. Sunt duo hominũ genera, uel, ſi mauis, duo ſunt humani generis ſtatus: mortuorum unus, uiuorũ alter. De mortuis, ſiue illi ſancti ſint, ſiue profani, nihil præcipit. Prima tabula ad Deum, altera ad homines uiuos, cũ quibus in hac terra uiuimus, & tanquã cũ proximis conuerſamur, manifeſtè deſtinatur. Mortuorum nulla fit mentio. Neq; talis eſt noſtra cõditio, ut aliquid cõmercij habere queamus cum mortuis, quorum uita translata eſt in ſtatum à noſtro hoc ſeculo alienum. Quòd ſi ſtudium religionis noſtræ adaptandũ eſſet ad mortuos, non debebatur ea cura in iſto negligi Decalogo. Iã nec prima tabula angelos, nec altera mortuos ſanctos: ſed illa dominũ Deum tantũ, iſta uerò non niſi parentes honore proſequendos, & proximos nulla iniuria lædendos, utiq; uiuos, & harum rerum capaces proponit. Igitur omnino præpoſtera eorum quoq; eſt religio, qui neglectis uiuis ac proximis, in cultu mortuorum religioſi uideri uolũt. Suſq; deq; faciunt omnia iuſticię, æquitatis, bonitatis ac dilectionis ſtudia, uiuis proximis impendenda: & interim officioſi uidentur in mortuos, in quorum memorias & nomina citius aurum, quàm in uiuos fratres uiles ſaltem quiſquilias impendunt.

Qui honorãdi proponantur.

Tertiò, obſerua quos honorandos proponat. Honora, inquit, patrem tuũ & matrem tuam. Non eſt opus aliqua declaratione, qui ſint per patrem & matrem intelligendi. Notum eſt omnibus, eos eſſe parẽtes, unde naſcimur & alimur. Includunt cõmuniter magiſtratus, paſtores eccleſiarum, præceptores & morum & artium, tutores, cognatos, & quoſcũq; ætate maiores. Laudo propoſitũ ac diligentiam. Sunt enim omnes iſti habendi in precio. Verũ hoc loco de illis non præcipitur. Aliàs ſunt ſcripturæ loci, quibus de honorandis magiſtratibus, præpoſitis eccleſiarum, præceptoribus ac ſenibus admonemur. Scimus non minus eſſe fingere animum hominis, quàm gignere corpus: & tutelã quæ eſt à magiſtratu, loco eſſe curę paternæ.

Parentes proximè poſt deũ honorandi.

Interea tamẽ retinenda eſt & ſimplicitas uerborũ, rudi populo propoſita, & ſtatuũ generis humani differẽtia. Nec par eſt honos impendendus omnibus. Vindicat ſibi paterna prærogatiua peculiarem quendam affectum, quem rectus & incorruptus naturæ ſenſus magis quàm ulla præſcribit inſtitutio. Quare præter rationem non eſt, quòd primum locum in altera hac tabula honorandis aſsignat parentibus: manifeſtè admonens, primo poſt Deum loco habendos nobis eſſe eos homines, unde & nati ſumus & educati. Recurrendum nobis eſt ad uitæ noſtræ cauſas. Prima quidem eſt in Deo, à quo ſumus conditi. Verùm poſt hanc non occurrit alia, quàm quæ eſt in parentibus, de quorum ſumus carne prognati, quorum nos cura & diligentia, non ſinè incomparabili dilectione pariter & moleſtia aluit, educauit, ac prouexit. Hæc organa natiuitatis ac uitæ noſtræ non immeritò ſibi ſecundam poſt

Deum

Deum poſtulant obſeruantiam ac reuerẽtiam. Omniũ itaq; iuſtiſsimo ordine proximè poſt religionem Deo debitam, præceptum de honorandis parentibus ſubiungitur.

Quartò, nec illud tranſeundum eſt, quòd honorem parentibus aſsignat non primariũ, ſed ſecundarium. Ipſe tabularum & præceptorum ordo ſatis indicat, primo nobis eſſe loco colẽdum Deum, poſt Deum honorandos parentes. Ergo nõ tenetur quiſquam filius ſic honorare parentes, ut illis ueram religionem & obſeruantiam Dei poſtponat. Prępoſtera eſt præcepti Dei obſeruantia, quæ ipſi Deo repugnat, unde omnis eſt & parentum authoritas, & filiorum ſubiectio. Quemadmodum præpoſterus eſt amor ille, quo liberi impẽſius amantur, quã is à quo ſumus & nos & liberi, cuius beneficio & homines ſumus & patres. Abrahã celeberrimo & ſpectatiſsimo exemplo monſtrauit, quã non ſint liberi, etiam unici & chari ſupra deũ amandi: cùm unicum filium ſuum Iſaac, quem impenſe diligebat, iubẽti Deo ſacrificare conſtitueret. Vide Geneſ. 22.

Parentibus aſſignatur honor nõ primarius, ſed ſecundarius.

Exemplũ Abrahæ.

Conſimili ergo ratione & à parentibus requiritur, ut liberos ſuos ament infra Deum: & à filijs, ut parentes honorent poſt Deum. Vtrunq; poſcit à nobis Chriſtus filius Dei, cũ Matth. 10. dicit: Qui amat patrem aut matrem plus quã me, nõ eſt me dignus. Et qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Hæc dicẽs, omnino id requirit, quod Deo competit: & ſimul admonet, nec eſſe uerum amorem, quo liberi creatori ac ſeruatori omnium præferũtur: nec uerum honorem, quo parentes ſupra Deum honorantur.

Quintò, expendamus etiam uerbum honorandi. Honora, inquit, patrem tuum & matrem tuã. Non dicit, Time patrem tuũ, & matrem tuã. nec dicit, Dilige: neq; ait, Obedi patri ac matri tuę: ſed, Honora. Sunt quidem & diligendi parentes, & timendi, eſtq; illis reuerenter obediendũ: uerùm pro his omnibus requiritur honor, hæc omnia non excludens, ſed includẽs, ac ritè temperans. Timet herum ſuum ſeruus, timet inferior potentioré: ſed nõ diligit, nõ habet in precio. Filius germanus & ipſe timet parentes ſuos, diligit etiam: ſed addit quiddã, qd nõ reperitur in ſeruo. Obedit ſeruus hero ſuo, ſed prẽter animi ſententiã: at filius obedit quidem & ipſe parentib. ſed cũ affectu filiali, non ſeruili. Diligit frater fratrem, amicus amicũ, ſodalis ſodalem: diligit etiã germanus filius patrem & matrẽ: uerũ aliter illi, aliter iſte. Solet dilectio neſcio quã gignere familiaritatem, & ex familiaritate quidã ſenſim ſubnaſci neglectus & contẽptus, præſertim ſi quotidianus & domeſticus conuictus interceſſerit, qualis eſt inter parentes ac liberos. Quare nõ ſatisfaceret propoſito legislatoris huiuſmodi dilectio. Et aliàs affectu naturę, deinde & ſenſu paternorum beneficiorum poteſt amoris affectus in liberis erga parentes ueluti ſponte ſua naſci, ut nulla ſit præcipiendi illum neceſsitas.

Verbũ honorãdi expenditur.

At honor iſte, quem legislator requirit dicens, Honora patrem tuũ & matrem tuam, neq; corruptæ naturæ affectu conſtat, neque paternis beneficijs ac conuictu domeſtico gignitur, ſed ex pietate erga Deum, quaſi quadam radice naſcitur. Eſt enim honorare parentes, in ſumma nihil aliud, quàm grauiter, reuerenter & honorificè ſentire de parentibus, atq; omnia illorum magnificare: non modò tanquam maiorum, ſed cum primis tanquam parentum, quibus deus uelut organis ad hoc uſus eſt, ut in lucem hanc & uitã naſceremur, natiq; aleremur. Ebręa uox כבד grauitatis ſignificationem habet, omnem excludens leuitatem, neglectum & contemptum: & affectum requirens, qui ſentiat parẽtes eſſe homines non leuis momẽti, ſed graues: non diligendos tanquam pares, ſed tanquam ortus ac uitæ noſtræ authores: nõ timẽdos ueluti heros ac dominos, ſed amanter & honorificè reuerendos tanquam uitæ noſtrę duces, miniſtros & cooperatores dei, in quibus uirtutem pariter ac beneficentiam dei honoremus, qua ſumus conditi, & ex humano ſanguine homines nati. Si magni ęſtimas, & in precio habes uitam tuam, ortum ac natiuitatem tuam, & quæ natiuitati ſucceſsit educationem, ſine qua natum fuiſſe haudquaquã profuiſſet: conſequenter magnificè, pręclarè, ſanctè & honorificè ſentiendum eſt de hominib. illis unde iſta conſtiterunt, de quorum carne & ſanguine accepiſti, quòd homo es factꝰ. Ipſa caro tua, ipſe ſanguis tuus, ipſa deniq; uita tua, ſi de ortu ſuo interrogentur, monſtrabunt tibi authores ſuos patrem ac matrem: & hoc ipſum prędicabũt, quod lex iſta præcipit dicens, Honora patrem tuum & matrem tuam.

Quid ſit honorare parentes.

Verbum כבד latinè, honorã.

Nota.

Honor iſte quemadmodum omnem excludit neglectum & contemptum: ita omnẽ includit reuerentiam, obſeruãtiam obedientiam, dilectionem, beneuolentiam, & ſi quid aliud eſt huiuſmodi. Et enim qui ſic honorat, non poterit debitam parentibus negare reuerẽtiam, qua caueat ne quid admittat, unde offendantur: non poterit iuſsis illorum non obedire, nõ poterit non diligere: & ſi qua ſit occaſio, neceſsitatibus illorum honoriq; conſulere. Quare ut hęc omnia uno quaſi faſciculo complecteretur legislator, uſus eſt uerbo honorandi dicẽs, Honora patrem tuum & matrem tuam.

Sextò, & illud obſerua, quòd nõ de patre tantùm, ſed & de matre honoranda præcipit. Nõ dicit ſimpliciter, Honora patrem tuum: ſed addit, Et matrem tuam. Eſt quidem mater inferior patre, quod coniugalis ſubiectionis legem attinet: & præterea natura quoq; & ſexu imbecillior, ut non immeritò infirmius uaſculum uocetur ab Apoſtolo, 1. Petri tertio: uerùm inde non eſt filio ſumendum argumentum, leuius de illa ſentiendi. Non enim ad ipſum pertinet

Non ſolùm de patre, ſed & matre honorãda præcipit.

pertinet discrimen illud quod est in coniugio inter maritum & uxorem, sed respiciẽdum ipsi est ad relationem illam quę est inter matrem & filium. Qualis qualis sit respectu mariti ipsius, tibi mater est, & unà cum patre ex æquo honoranda: quandoquidem ad hoc ut nascereris, ex æquo illi cooperata est, imò multo adhuc amplius. Quis enim satis expenderit, quantũ molestiarum cumulum secũ trahat uterus grauidus, quanti sint parturientium dolores, quàm multa & grandia pericula: ut non frustra dictum sit, In dolore paries filios tuos. deniq; quàm sit molesta lactatio, & cunarum infantilium cura. Igitur admodum peccant, qui omnem honorem parentibus cõmuniter debitum transferunt ad solos patres: putantq; nihil referre quo loco habeant matres, modò gratificentur patribus.

Perpẽde, quòd cõmunis omnium mater uocata est Hauah

Quòd nulla adiecta est parentum conditio.

Septimò, de eo quoq; cogitemus, quòd nulla est adiecta conditio. Quales quales sint, quoniam parentes sunt, honorandi sunt. Non est alius hic respectus, quàm prærogatiua parentũ: quæ haud magis est respiciẽda in nobilibus, generosis, claris, opulentis & potentibus, quàm uulgaribus, humilibus obscuris & egenis. Qui parẽtes propterea ueneratur & suspicit, quòd & nomine clari sunt & opibus, dubio procul cõtempturus est obscuros & egenos: adeoq; ueneratur in illis non paternam prærogatiuam, uitæq; suæ originem, sed externam fortunã, & quem illis defert honorem, deferret eadem ratione etiam alienis, modò spes esset luculẽti alicuius honoris & emolumenti. Vidi oculis meis adolescentes aliquot germanos, qui eousq; prolapsi erant impietatis, ut succenserent matri, illamq; conuicijs & improperijs impeterẽt: propterea quòd impar opibus nupsisset ipsorum patri, ac mater ipsorum esset effecta: cũ pręstantius putarent, si nati essent ex illustriore & opulentiore. Verùm tam insignem impietatẽ non tulit Dominus, ut impunè abiret. Cogitandum itaq; est pio ac sincero filio, non esse præter consilium Dei factum, si sit obscuris parentibus ortus: curandumq; ut humilitatem illorũ debita reuerentia ornet, & claritate probitatis & honestatis illustret.

Filij exprobrarunt matri, q̃ humiliore loco nata, facta essẽt ipsorũ mater.

Quid opus fuerit lege præcipere liberis, ut honorent parentes.

Octauò, nec illud prætereundum est, cũ ipsa natura dictitet, honorandos esse parentes, sic ut Valerius Maximus lib. 5. cap. 4. primam dicat esse naturæ legẽ, ut diligamus parentes: quę ri poterit, quid opus fuerit scripta lege pręcipere mortalibus, ut parẽtes quisq; suos honoret. Verùm si cõsideremus, quæ sit ingenij nostri corruptio, haud quaquã uidebitur hoc pręter rationem esse factum. Fatentur quidem omnes & iustum esse, & æquũ, ut filius patrem & matrem honoret: interea tamẽ usqueadeò deprauati sumus, ut nõ solùm in alienos, sed & cognatos, ipsos etiam parentes, simus iniurij: sic ut maledictis etiam illos, imò & uerberibus impetamus. Quare & legẽ cautum est, ut morte puniatur, quisquis patri & matri maledixerit, uel plagam intulerit. Huiusmodi leges diuinitùs latæ, naturæ nostræ peruersitatem redarguunt, quarum nulla esset ratio, nisi meliora scientes, deteriora faceremus, & malicię nostrę ingeniũ ne erga parentes quidem cohiberemus.

De transgressoribus huius præcepti.

Nono, uidendum etiam est de præcepti huius transgressione. Duo sunt eorum genera, qui transgressionis huius pręcepti damnari possunt. Vnum eorũ est, qui authores sunt, & in causa, ut filij parentibus debitum honorem non exhibeant: alterũ eorum, qui parentes suos honore legitimo non prosequuntur.

De ijs qui in causa sunt, q̃ præceptũ hoc non seruatur.

Ad primum genus referẽdi sunt non solũ qui prauo & corrupto consortio edendo, bibendo, ludendo, scortando, adolescentes seducũt, mores illorum deprauant, & immorigeros parentibus, omnisq; disciplinę impatientes reddunt: sed & illi, qui sub specie religionis id efficiunt, ut parentes à liberis suis honore debito destituãtur, atq; ita traditionibus suis præceptũ Dei reddũt irritũ. Tales erant tẽpore Christi inter Iudęos Scribæ & Phariseι, de quib. Matt. 15. legimus ad hunc modũ: Quare uos transgredimini mandatũ Dei propter traditionem uestram? Nam Deus dixit, Honora patrẽ & matrẽ. Et qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Quicunq; dixerit patri uel matri, Munus quodcunq; est ex me, tibi proderit: & non honorificat patrem suũ aut matrem suam, & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem uestram. Hæc ibi. Atqui nemo ex illis sic docebat, Ne honores patrẽ & matrem: imò Decalogum diligenter inculcabãt, & hodie quoq; superstitiosissimè in sacrario quodam condunt, diebusq; festis ac Sabbathis non sine solenni ritu proferunt & ostentant. Nam manifestè legere illius uerba illicitum esse ducũt, id quòd Iosephus non dissimulat. Verùm quoniam prætextu melioris obseruantiam huius præcepti hac traditione sua impediebant, qua docebant, satius esse dare templo, quod dandum erat parentibus: pręsertim cùm id munus non solũ danti, sed & parẽtibus illius profit coram Domino: rectè culpabãtur à Christo, quòd præceptum hoc Dei propter traditionem suam fecerint irritum.

De nostris Phariseis et hypocritis.

Vide Hieron. ad Heliodorũ.

Quid hic de nostris pharisæis & hypocritis dicemus? 1 An non faciunt irritum mandatũ hoc Dei, qui usqueadeò monasticam superstitionem extollunt, ut inuitis etiam, imò & proculcatis in limine parẽtibus, ad monasteria properãdum esse doceant? 2 An trãsgressionis huius rei nõ sunt, qui tradunt, nõ licere monachis & monialibus adesse necessitatibus parentum, ne ęgrotantium quidem & morientium? 3 An nõ & illi huc sunt referendi, qui matrimonium inscijs, imò inuitis etiam & contradicentibus parentibus contractũ ratũ esse docent & cõfirmant? quę traditio nõ modò manifestè protestati

& ho-

& honori parentum detrahit, sed & ipsis est ad hunc modum nubentibus uehementer noxia, & publicę honestati dedecori, deniq; & à moribus piorum ac maiorum aliena. 4 Huc & illud pertinet, quòd docent, posse liberos parentibus suis benefacere post mortem, si Vigilias & Missas ęre aliquo uel annuis redditibus redimãt. Sic enim factum est, ut minor habeatur ratio uiuorum. Hæc ab illis adeò fiunt manifestè & catholicè, ut quod Christus Iudęorum Scribis & Pharisæis obiecit, ipsis multo iustius obijci possit.

Quomodo præceptũ hoc ab ipsis parentibus reddatur irritum.

Et parentes ipsi præceptum hoc Dei, quantũ in ipsis est, irritũ reddunt, quando honorem sibi debitum à liberis, suopte uicio impediunt: hoc est, quãdo sic se gerunt, ut uel impossibile sit, uel admodũ difficile liberis, honorificè & reuerẽter de ipsis sentire. Euenit hoc uarijs modis. Primùm, si palàm malè uiuãt, ut pote si sint uel ebrij, uel adulteri, uel uerbis ac factis uani & leues: è quorum numero sunt, qui de ineptijs iuuentutis suæ coram liberis suis garriunt. Deinde, si maliciam liberorum suorum, quæ in corde illorum est, non coerceãt, sed præposte ra indulgentia ad omnia illorum delicta conniueant. Tertiò, si non instituant illos in timore & disciplina Dei, unde ueluti riuulus quidam nascitur, animos parentum obseruans & colẽs uoluntatem. Quartò, si præter hęc omnia uel adiutores illis sint in malo, uel etiam authores. Quintò, si animos illorum exacerbent: id quod fieri solet, quando nimia seueritate dominiũ in illos exercent, magis quàm paternam curam & disciplinam: & nonnunquã cõuicijs etiam & probris in errata eorum debacchãtur, innò & innocentiam eorum temerarijs calumnijs di uexant. Indicibile est, quàm ista temeritas, duricies ac sæuities animos liberorum erga parentes abalienet & exacerbet: ut non frustra dictũ sit ab Apostolo Ephes. 6. Et uos patres, nolite ad iracundiã prouocare filios uestros, sed educate illos in disciplina & correctione Domini. Sextò, si inter se creberrimis discordijs, rixis ac iurgijs palàm dissideant, & domesticã pacem & disciplinam extinguant. Hæc omnia, & illis consimilia si obtineant in conspectu & conscientia liberorum, quid poterit aliud consequi, quàm, etiamsi non manifestus, occultus tamen parentum contemptus? Etenim omnino sic sumus animati, ut nesciamus honorificè sentire de illis, quos conscientia nostra teste deprehendimus esse uanos, leues & malos, etiamsi sint nobis omnium coniunctissimi. Amari possunt tales iuxta carnem, quatenus carnalibus nostris affectibus obsequuntur: honorari uerò ac suspici, non ita. Amplissimus est hic locus, uerùm ista obiter attigisse sufficiat.

Parentes non debent animos liberorum suo rũ exacerbare.

Cogitent de necessitate considerationis huius uiri prudentes, quorum est ecclesiam Dei & fideliter & prudenter instituere, & de singulis necessarijs cautè admonere. Quę hic admoneo, inculcanda essent parentibus seorsim, ne liberi illorum, quod bene & necessariò dicitur, ad maliciæ suæ prætextum peruerse usurpent.

Quid faciendũ sit liberis, si parentes sint culpabiles.

Sed quæritur hoc loco, liceâtne filijs debitũ honorem negare parentibus suis, si deprehenderint eos esse uanos, leues, malos, inter se discordes, & erga se quoq; sæuos, cõuiciatores & iniurios? Respõdeo: Nihil horũ tanti debet esse momẽti, ut causam det uiolãdi præcepti Dei. Etenim nulla possunt esse legitima impedimenta seruandi præcepti Dei, nisi ea quæ impediunt maioris iusticiæ ac pietatis obseruantiã: qualis est quæ primæ debetur tabulę præceptis. Nihil autẽ impedit liberos, quo minus & Deũ unicè diligant, colant & obseruent, etiamsi debitã obseruantiã talibus exhibeant parẽtibus: qui nisi parentes essent, nõ immeritò tanquam leues, uani & mali, minus in precio haberi possent. Neq; enim ullo precepto Dei cauetur, ne filius honoret parentes, si non sint per omnia iusti & irreprehensibiles.

Quare si pij sint liberi, primũ admodum dolebunt de parentũ suorum delictis: deinde pro illis indesinenter precãbuntur ad Dominum, quo per illius gratiã corrigantur, & in uiam redeant: tertiò, cum summa modestia, submissione & reuerentia admonebunt eos officij, pietatis & honestatis: quartò, delicta eorum quæ domi admittuntur, haudquaquam euulgabunt, sed magis quàm poterunt studiosè obtegent: quintò, si qua fuerit inter eos exorta discordia, summopere cauebunt, ne hanc alterutri adhærendo alant & confirment, sed potius dissidentium inter se animos componant & concilient.

Consiliũ in hac causa pro liberis pijs.

Si experiantur nimiam illorum erga se duricem, etiam ad conuicia usq; & manifestas iniurias subinde erumpentem, primũ cogitabũt fieri posse, ut horum ipsi causas per imprudentiã subministrent: ideoq; diligentem conuersationis suæ ac morum rationem inibunt, & si quid in se culpabile deprehenderint, emendabunt. deinde quo illi sunt duriores & inhumaniores, hoc ipsi sese præbebunt in omnibus modestiores ac submissiores, quo duriciem eorum obsequendi & gratificandi promptitudine quasi quodam malagmate sensim emolliant.

Quòd si nihil hac ratione effecerint, cogitabunt iuuẽtutis suę leuitatem hac seueritate domi non sine consilio Dei exerceri, quo inde à puero ad patientiam iniuriarũ instituãtur, qua postea per omnẽ uitã in mundo conuersantes, bene utantur. Hęc erunt germani ac pij filij studia erga parentes, si fuerit eos sortitus leues, uanos, delinquentes, discordes, & erga se duros & immites: quibus etiã si parentes non lucrifecerit, ipse tamen pulchrè in officio retinebitur, ne quid contra præceptum hoc Dei admittat, cuius erit omnium obseruantissimus.

Basilius.

Quod Basilius in epistola quadam scribit, docẽs: πολλὰ δὲ μιμνῄσκει, καὶ πολλὰς ἀγρύπνους νύκτας

γυναικῶν, καὶ μετὰ πολλῶν δακρύων ἐκζητῆσαι παρὰ θεοῦ τὸν ἀληθινὸν, τὸν μέλλοντα φιλίαν ἀδελφῶν ποιῆσαι. hoc est: Oportet eum qui rupturus sit fraternam charitatem, multis curis angi, multas insomnes ducere noctes, & multis cum lachrymis à Deo quid uerum sit quærere. Non est minori studio faciendum germano ac pio filio erga parentes suos, ne qua leuitate ac temeritate debitum illis honorem infringat.

De illis qui parentes suos nõ honorant.

Hactenus de primo transgressorum huius præcepti genere admonuimus, qui causas subministrant filijs, quibus impediantur, ne parentes suos debito prosequãtur honore. Iam cõsequenter de altero genere dicendũ est, quod eos cõprehendit, qui parentes suos legitimo non dignãtur honore: atq; ita siue ex seipsis, siue aliunde moti, præceptũ hoc Dei transgrediũtur.

Tria genera malorum filiorum.

1 Horũ tria sunt genera. Primum eorum est, qui externè quidem qualemcunq; reuerentiã & officiositatem erga parentes suos, præsertim in aliorũ præsentia simulãt: intus uerò in corde leuiter erga eos & contemptim afficiuntur, deq; dictis & factis eorum temerè & parũ honorificè sentiunt, & nõnunquam detrahunt etiam, etsi non apud quosuis, coram illis tamen, quos eodem secum affectu animatos esse norunt.

2 Secundum genus ad eos pertinet, qui nec in corde rectè erga parentes suos afficiuntur, nec foris debitam erga eos obedientiam ac reuerentiam ostendunt: sed quales sunt corde, tales se præbent & uerbo pariter & opere. Horum transgressio gemina est. Primũ, non honorãt obediendo, non honorant obseruando, non honorant benefaciendo. Tametsi non ignorent, quo pacto illis gratificari & possint & debeant, nihilo tamen minus omnem huiusmodi reuerentiã ne digito quidem attingunt. Deinde, quod adhuc peius est, dehonestãt eos etiã & uerbis & factis: & si quo illos incommodo queunt afficere, adeò sunt impij, ut id contra omnem tam pietatis, quàm honestatis rationem faciant. Talis erat Ruben, qui non est ueritus cubile patris sui Iacob ascendere, ac stratum eius cõmaculare. Genes. 49. Talis Absalon, qui patris sui Dauidis & regno est & uitæ insidiatus. Tales quàm plurimi sunt inter filios tyrannorum, qui patres suos senes uel oculis priuant, uel captiuitati tradunt, quo amotis illis, rerum ipsi in offense ac pro libitu potiantur.

3 Ad tertium genus referendi sunt, qui haud quidem irreuerenter animati sunt erga parentes suos: uerũ per occasionem subinde sibijpsis excidentes, non satis eos honorificè tractant. Tales sunt plerunq; erudituli, qui parentum suorum lapsus & ignorantiã immodestius perstringunt: deinde & ij qui propẽsiores ad rem, parentũ necessitatib. subuenire grauantur. deniq; & illi, qui seipsos impensius amantes, arbitrãtur omnia sibi indulgeri debere à parentib. ideoq; molestè ferunt, si qua in re fuerint ab illis correpti, aut repulsam quampiam passi.

Verùm inobedientium filiorum ac præcepti huius transgressorum cunctas uelle recensere species, infiniti fuerit laboris, ac simul institituti non ita necessarij. Ipsum enim hoc seculum nostrum abundè omnis generis inobedientium ac degenerũ filiorum species, si quis obseruet, quotidie exponit oculos.

OBSERVANDA IN EO QVOD SVBIICITUR, *Vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

Quòd præcepto adiecta est promißio.

1 Principiò perpendendum est, quòd præcepto adiecta est promissio, alliciens ad obseruãtiã eius quod præcipitur. Promissione hac declaratur, quàm sit benignus legislator Deus. Poterat simpliciter præcipere, & obedientiã à populo suo sine ulla promissione, uel hoc solo nomine requirere, quòd æquissimũ est utrũq;, & obedire Deo, & honore prosequi parentes, quã æquitatẽ etiã ipsa dictat lex naturæ. Verũ ex abundãti bonitate adijcit promissionẽ. Sic solent nõ ij qui dominiũ exercẽt in subditos, sed qui paterno affectu prẽditi, magis hoc quærunt, ut bene sit subditis, quàm ut ipsi inoffense dominentur. Bonitatis huius paternæ ac diuinæ admoneamur, quoties præceptis ac doctrinis Dei promissiones adduntur, quo suauitate illius animaduersa, ad obediendum & obsequendum reddamur alacriores & propensiores.

Qualitas promißiõis huius.

2 Deinde obserua promissionis huius qualitatẽ, quàm sit cõueniens populo carnali & legali, siue bonũ quod promittitur, siue minas inclusas respicias. Non dicit, Vt placeas Domino Deo tuo, & futurã uitam acquiras: sed, Vt sis longæuus super terram, &c. Natura hoc est omnibus inditum, ut uitam carnis ament, diuq;, imò si fieri posset, in sempiternum uiuere cupiant, & mortem, ubi moriendũ est, uehementer horreãt. Hanc promissionem de longitudine uitæ commodùm populo carnali proponit, ut appetitione saltem illius obedientiam ex illo eliciat. Tales sunt & aliæ pleræq; terrenæ promissiones huic populo propositæ. Habebat & ille quidem electos ac pios homines ad cœlestia bona destinatos, uerũ propter prædagogiam legalem terrena illi plerunq; promissa proponebantur. Populo uerò Noui testamenti non carnalia & terrena, sed cœlestia bona promittuntur, sicut in Euangelicis & Apostolicis literis uidere licet.

Quòd Apostolus terrenam

Dices: Atqui Apostolus Christianis etiã terrenã hanc de longitudine uitæ promissionem proponit ad Ephes. 6. Respondeo: Proponit quidẽ, sed præmittit dicens, Filij obedite parentibus

tib.uestris in Domino: hoc enim iustum est. Et ad Coloss.3. Filij, inquit, obedite parentib. per omnia: hoc enim placitum est Domino. Sic igitur Apostolus Christianã iuuentutem ad obedientiam præcepti huius inuitat, ut non solum spe longioris uitæ, sed & respectu æqui ac beneplaciti diuini, officium erga parentes faciant liberi. Et hac moderatione nec diuinam promissionem temerè abijcit, nec naturales longioris uitę affectus damnat, sed Christianę pietatis respectus ad magis spiritualia inducit ac dirigit.

hãc promißionẽ etiam Christianis proponit. Ephes.6.

Tale est & illud, quod 1. Timot. 5. tertiò dicit, Exerce teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habẽs uitę quę nunc est, & futurę. Vbi dicit, Promissionem habens uitæ quæ nunc est, satis innuit non esse damnabile, si quis pro naturæ ductu affectet ea quæ præsenti sunt uitæ necessaria. Cum uerò addit, Et futuræ, simul admonet, hactenus esse nobis appetenda præsentis uitæ commoda, ut futuræ uitæ felicitatem non negligamus. Deinde sic comparatam esse philanthropiam Dei, ut pijs ac timentibus se, & in hac & in futura uita optimè consultum esse uelit. Quare si quando pij in hac uita tribulationibus exercentur, cogitandum nobis est, esse eiusmodi afflictiones per diuinæ prouidentiæ dispensationem certis de causis inductas, etiamsi illæ nobis non sint confestim expositæ.

3 Tertiò, de eo quoq; cogitandum est, quæ sit promissionis huius æquitas. Promittitur uitæ longitudo illis qui parentes suos habent in precio. Omnium enim æquissimum est, ut beneficij diuturnitate priuetur, quisquis illius uel authorem, uel organõ susq; deq; facit. Organa uerò uitę nostrę sunt parentes. Rectissimè igitur sic promittitur uita longęua ijs qui parẽtes suos honorãt, ut simul innuatur, nõ esse illã expectandã diuersum facientib. Huc accedit, quòd qui parentibus suis sunt immorigeri & molesti, plerunq; sunt inutiles humanę uitę. Etenim qui uitam suã non accõmodat illis, quibus debet, quòd in mundum hunc est natus, & magnis laboribus ac molestijs educatus, cui' nam mortalium ex animo cõmodare poterit?

Aequitas promißionis huius.

4 Quartò. Poterit autem hic quæri, qualẽnã sit beneficiũ ac bonum, si quis longęuus sit in terra, cum iudicio sapientũ miserũ sit nasci, & miserrimum diu uiuere: rursus felicissimũ non nasci, uel citò mori? Misera est hęc uita ac multis omnino calamitatib. & ęrumnis obnoxia. Ipse mundus in quo uiuimus, uallis dicitur lachrymarum. Quare felicius esse uidetur citò ex illo liberari, quã longęuam in eo ducere uitam. Respondeo: Voces istę non Christianam, sed huius seculi sapientiam spirant, præsertim in eo quòd felicissimũ esse dicunt, prorsus nõ nasci. Etenim illis hoc est optandum, qui propter singularem impietatẽ filij perditionis esse deprehenduntur: qualis erat Iudas, de quo Christus pronunciauit dicens, Melius esset homini illi, si natus non esset. Cæteris uerò, qui ad cœlestem sunt ac sempiternã uitã uocati, etiãsi omnis generis afflictionibus in hac terrena uita exercentur, nihilo tamen minus propter spem futurę felicitatis uerè censendi sunt felices. Non sunt enim, teste Apostolo, dignę passiones huius seculi, quæ æstimentur ad futuram gloriam, quæ suo in nobis tempore reuelabitur.

Quale sit bonũ, si quis prolixè uiuat in hac terra.

Dices, Adhuc tamen felicius esse uidetur citius ex hac misera uita ad cœlestẽ migrare quietẽ, quã prolixè uiuendo diuturnas perferre molestias, & diutius optata quiete carere. Respõdeo: Si uita per se donum Dei est, utiq; bona est. Si bona est, planè bonũ est per se diutius illa frui. Quòd aũt subinde in hac uita afflictiones occurrunt, & multæ molestiæ, ad accidentia, non ad ipsam boni huius substantiam referendum est. nec ideo deprecandum est donũ Dei, quo dat ut uiuamus, & prolixè in hac uita cõsistamus: ut reliqua beneficia taceã, quibus præsentem hanc uitam nostram, cùm spiritualiter, tum corporaliter cumulat & ornat.

Si per se bonũ est uiuere, bonum utiq; est diu uiuere.

Nec consequitur, ideo malũ esse hic uiuere, quòd melius est in cœlo uiuere quàm in terra. Non sunt de contrarijs, præsens hic & futurus uitæ nostræ status, sed de subordinatis: quemadmodum terra etiam & cœlum. Terra bona est, cœlũ melius. Bonum in se est utcunq; uiuere, melius est si quis commodius ac rectius uiuat: optimũ uerò, si datur optimè ac felicissimè uiuere, quemadmodum in cœlesti patria uiuemus. Supremum bonũ non adimit, sed perficit earum rerum bonitatẽ, quæ sunt inferioris ordinis, & diuina dispositione cõpetenter subordinatæ. Multo præclarior est cõditio & natura spiritus nostri, quã corporis. Et tamen ne corpore quidẽ, nedum spiritu dignus sit oportet, quisquis corpus malum esse dixerit, propterea quòd melior est spiritus. Auro excellitur argentũ: bonum tamen est argentũ, licet sit melius aurum. Indignus est argento, qui respectu auri, nullius æstimat argentũ. Sic est & de uita nostra censendum. Agnoscamus donum Dei non solũ in futura, sed & in præsenti uita, illius q; diuturnitate: siquidẽ illa beneficio Dei contigerit. Non simus morosi in donis Dei, sed grati. Grati animi est, sic deprędicare prędipua & optima beneficia, ut interea uulgaria & inferiora non cõtemnat. Sanctorum uox est, non carnaliũ, qua dicunt: Nos qui uiuimus, benedicimus Domino. Et scriptura inter beneficia Dei in Abrahamum patrem credentium collata recenset, quòd mortuus est in senectute bona, grandæuus & plenus dierum. Gen. 25.

Non ideo malum est hic uiuere, quòd melius est in cœlo uiuere.

Adhuc dicet quisquã: Si beneuolentiæ Dei deputandũ est, quòd diu in hac carne uiuitur: ergo citò mori, illius est iræ indiciũ? Respondeo. Ne quis erret, & temerè de illis iudicet qui immatura morte ex hac uita auferuntur: cogitandum est, non esse citra competens discrimẽ

An citò mori, semper sit iræ Dei indicium.

de hac causa sentiendũ. Iræ Dei signum habet mors immatura, si cadat in impios: de quibus scriptum est, quòd dimidium dierum suorum non consequantur. Virga Dei est etiam in illis qui ad Deum pertinẽt. qua de re uidere est 1. Corinth. 11. ubi Apostolus dicit: Quapropter inter uos multi infirmi sunt & languidi, & dormiunt multi. Quòd si nosipsi dijudicaremus, utique non iudicaremur. Dum iudicamur aũt, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Quod dicit, Et dormiũt multi, loquitur nec de impijs, nec de ijs qui senio moriũtur: sed de pijs qui castigantur à Domino, & morte immatura auferuntur, ne cũ mundo damnentur. Aliquãdo & iusti sic moriũtur, ut agnoscẽda sit misericordia Dei. de quo locꝰ est Sapiẽt. 4 Placens Deo dilectus, uiuens inter peccatores trãslatus est: raptus est, ne malicia mutaret intellectũ eius, aut ne fictio deciperet animã illius. Cõsummatus breui, expleuit tẽpora multa. Placita est enim Deo anima illius, ꝓpter hoc ꝓperauit educere illũ de medio iniquitatũ: & quę ibi sequuntur. Hęc considerantib. facilè est intelligere, quã nõ sit in omnibus indiscriminatim mors immatura irę Dei deputanda. Quare cauendum est, ne temerè propter mortẽ immaturã damnemus quenquã, neue conscientias eorum qui citò ex hac uita abripiuntur, prẽter causam turbemus: sed potius moderata interpretatione ad patientiam confortemus. Etenim nostrum non est de conditione citò morientium seuerius iudicare: quandoquidẽ & iudicia Dei secreta sunt: & nemo nouit quid sit in homine, præsertim in articulo mortis constituto, quàm spiritus hominis, & Deus omnium cordium ac spirituum cognitor.

Nemo propter immaturã mortem damnandus.

Terram esse Domini.

5 Quintò, in eo quod dicit, Quã Dominus Deus dat tibi: primùm admonemur, terrã esse Domini, ut eam ꝓ arbitrio suo, cui uult, largiatur. Terra illa, de qua loquitur Dominus, erat tum temporis adhuc in manu & possessione Cananæorũ. Acceperant eam & illi à Domino, uerùm non sic, ut perpetuò illã & proprio iure possiderent, nec unquã illa iustè priuari possent. Non sic datur terra filijs hominũ: sed cuicunq; datur, hactenus ad tempus datur, ut pro uoluntate dantis, quandocunq; illi uisum fuerit, omniũ iustissimè auferatur. Sic hæc ipsa terra Canaan, quemadmodum Cananęis est olim à Deo data, & postea rursus adempta, & Israeli ad possidendũ data: sic cũ iritaretur per Israelem ipsius patientia, rursus est Israeli erepta, & Assyrijs primùm, deinde & Babylonijs tradita. Post istis quoq; adẽpta, & Israeli restituta: rursus ab Israele ablata, & Romanis data, & tandem à Romanis ad Turcos deuoluta. Hęc nobis exempli uice in terra Canaan consideranda sunt, ut intelligamus, eos omnium esse stolidissimos, qui sic terram filijs hominum à Deo datam esse putant, ut illam pleno, proprio & immoto iure possideant.

Obseruãtiam præceptorum Dei ipse terræ huius incolatus requirit.

Deinde admonemur etiã requiri à nobis, ut in terra quam à Deo accepimus, præceptorũ eius obseruantes simus, nisi citò de illa tolli uelimus. Alioqui iustissimum est, ut contemptores Dei de terra, quam ab illo acceperunt, perdantur. Et huic iudicio Dei obnoxij potissimũ sunt qui pertinent ad populum Dei, & terrã sanctam, hoc est, nomini ac populo Dei peculiariter consecratã, inhabitant. Multa tolerat Deus in alienis, uerũ in populo suo non item. Terram populi sui non sustinet inhabitantiũ conspurcari malicia, perinde atq; terram alienorũ: sed eijcit ex illa sceleratos. Huc respicit Dauid, quoties dicit, Pereant impij de terra. &, Peribitis gentes de terra illius. Et, Qui malignè agunt, exterminabuntur: expectantes autẽ Dominum, ipsi hæreditabunt terram.

Duobus modis scelerati de terra auferuntur.

Sunt autem duo modi, quibus de terra populi Dei auferuntur scelerati & immorigeri. 1 Vnus est, per mortem immaturam. Perficitur ille bifariam. Primùm peste, uel alio cõsimili improuisę mortis genere. Ergo ubi iuuentutem nostram peste abripi uidemus, cogitemus de hoc iudicio Domini. Deinde supplicio per magistratum illato, de quo Deut. 21. legimus: Si genuerit homo filium contumacem, &c. Vide locum. Magistratus est, tollere de terra è medio populi Dei homines sceleratos & flagitiosos.

2 Alter modus est, qui fit per captiuitatem, qua gens tota uel maiori ex parte propter impœnitentiã suã in alias terras transfertur. Sic est Israel primũ in Assyriã, deinde in Babylonẽ abductus. Hoc modo auferendi peccatores de terra, utitur Deus non propter uulgaria & priuatorũ quorundã peccata: sed propter obstinatã idololatriã, & impœnitentiã, qua nullis prophetarũ admonitionib. acquiescitur. Vide Deut. 4. Si genueritis filios & filias, & morati fueritis in terra, deceptiq; feceritis uobis aliquã similitudinẽ, patrãtes malũ corã Domino Deo uestro, ut eum ad iracundiam prouocetis, testes inuoco hodie cœlum & terram, citò perituros uos esse de terra, quam transito Iordane possessuri estis, &c.

SEXTVM PRAECEPTVM.

Non occides.

Homicidium prohibetur.

SExto hoc præcepto ꝓhibetur cędes, לא תרצח, inquit, id est, Ne interimas. 1 Loquitur aũt non de cęde bestiarũ, sed hominũ. Nã quod bestias & animalia cõcernit, statim post diluuiũ cõcessum est humano generi, uesci animalibus: quod sanè sine cęde ac mactatione illorũ fieri nõ potest. Quare liberũ est homini dominiũ in bestias, suę, non alienę potestati subiectas, ut illas uel mactet ad uescendũ, uel seruet ad operãdum. Secus aũt habet hominis

conditio,

conditio, quẽ Deus ad imaginem ſuá creauit. Prohibetur ergo hac lege, ne quis hominẽ occidat. Neq; enim uitá hominis cuiuſpiam mortaliũ libidini ſubiectã eſſe uoluit, ſed hanc ſuę po teſtati reſeruauit Deus, qui ſolus eſt illius author, adeoq; necis & uitę Dñs. 2 Non loquitur aũt de ea tantùm cęde, quę manu perficitur: ſed ſimpliciter uetat interimere, quocunq; id mo do fiat. Vxor illa Leuitę, quã Gabaitę nocturnę libidinis intemperantia enecarũt, Iudicũ 20. אשה חרוצחה, id eſt, mulier occiſa & interempta uocatur, cũ tamen nõ ſit uiolẽta manu occiſa.

Diuiſio.

Sed uideamus quę ſint in hoc præcepto conſideranda. Sunt aũt conſiderationes illius duplicis generis. 1 Primùm enim ujdendum eſt quid obſeruandũ ueniat in ipſo pręcepto, Nõ occides. 2 Deinde conſiderandũ eſt, quomodo aduerſus hanc legem peccetur: hoc eſt, quinam coram Deo homicidij rei, adeoq; & iudicio & pœnis obnoxij fiant.

CONSIDERANDA IN IPSO *præcepto.*

Quomodo præceptũ hoc præcedenti ſubijciatur.

Principiò uidendum eſt, quomodo ſextum hoc pręceptum pręcedẽti ſubiungatur, in quo de honorandis parentibus eſt pręceptum. Honor parentum poſtulat debitam ac præclaram exiſtimationem eorum, à quibus tanquam uitæ noſtrę organis in lucem hanc ſumus producti. In pręſenti hoc pręcepto requiritur, ut quod natum eſt, & in lucem hanc productum, in uita diuinitùs accepta illæſum cuſtodiatur & conſeruetur.

Duo ſunt humanæ uitæ ſtatus.

Duo ſunt autem humanæ uitæ ſtatus (non loquor de ſtatibus rerum & conditionum humanarum, ſed de ſtatibus uitę noſtrę) unus eſt gignentium, alter naſcentium. In ſtatu gignentium, ſunt parentes: in ſtatu naſcentiũ, ſunt quotquot ab illis in hanc uitam ad ſimilitudinem & ſpeciem illorum generantur. Apparet ergo, Deum duobus iſtis pręceptis, dum iubet honorare parentes, & uetat occidere hominem, rationẽ habere duorũ iſtorũ humanæ uitæ ſtatuũ: idq; à nobis requirere, ut uitę noſtrę donum plurimi facientes, primũ illius ſtatum, qui parentes unde gignimur concernit, debito honore proſequamur: & alterũ, quo conprehendimur omnes, non in nobis tantũ, ſed & in omnibus illius indiuiduis illęſum cuſtodiamus. Etenim quemadmodũ indigni ſumus hac uita, ſi organa illius unde nati ſumus, debito honore deſtituerimus: ita fieri non poteſt, ut genus humanum conſiſtat, niſi alterum illius ſtatum, qui naſcentium eſt, integrum & illæſum ſeruemus. Iam qui occidit homines, peccat in ſtatum hunc ipſum humanæ uitę: & quantũ in ipſo eſt, totius eſt humani generis hoſtis ac uaſtator, etiamſi non occidat uniuerſa illius indiuidua. Hanc arbitror rationem eſſe, qua poſt honorem parentibus exhibendum uetatur homicidium.

Quòd ſine ulla ſpecificatione perſonarũ, modi & numeri, dicitur, Ne occidas.

Deinde obſeruandum eſt, quòd ſine ulla ſpecificatione perſonarum, modi & numeri, ſimpliciter dicit: Non occidas. 1 Primùm, non dicit, Non occidat parens, non occidat filius, nõ occidat uir, non occidat mulier, nõ occidat dominus, non occidat ſeruus. Sine ſpecificatione perſonarum dicit, Ne occidas. Dicit igitur omnibus, ac præcipit indiſcriminatim, ne quis occidat. Quare nullis perſonis ad humanam uitam pertinentibus, liberũ relictũ eſt homicidiũ. Non eſt ulli ſtatui mortaliũ, nec potentũ, nec diuitum, nec ſenum, neq; parentũ, nedum eorũ qui inferioris ſunt ordinis, libera in uitam mortalium conceſſa ad occidendũ poteſtas. Poteſtatem acceperunt à Deo parentes at magiſtratus, qua utantur illi in liberos, iſti in ſubditos, uerùm ad ædificationem, non ad occiſionem ac deſtructionem. De poteſtate magiſtratuum dicetur in altero conſiderationum genere.

2 Deinde non dicit, Ne occidas parentes, ne occidas cõiugẽ, ne occidas liberos, ne occidas fratrem, ne occidas conſanguineũ, ne occidas indigenam & ciuem, ne occidas peregrinum, ne occidas diuitem, ne occidas pauperem, ne occidas languidum, aut ſenem, ac decrepitum, ne occidas inimicum, ne occidas ſeruum, ne occidas dominum, &c. ſed ſimpliciter, Ne occidas: intellige quenquá, cuiuſcũq; omnino ſit conditionis. Cõprehenditur hac lege, quidquid ex genere mortalium capax eſt occiſionis: ac præcipitur, ut ſine ullo diſcrimine humanę uitæ in omnibus illius indiuiduis reuerenter parcamus. Ergo ne ſeruos quidẽ & mancipia occidere licet, quantumuis in poteſtate ſint herorũ ſuorum. Sic Exod. 21. legimus: Si quis percuſſerit ſeruum ſuum, uel ancillam uirga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit.

Nulla ponitur modi ſpecificatio.

3 Præterea non dicit, Ne occidas gladio, uel fuſte, &c. ſed ſimpliciter: Ne occidas. Nulla ponitur modi ſpecificatio, ut intelligamus omnes prohiberi occiſionis modos & ſpecies. Quantumuis ingenioſa ſit caro ad cõminiſcendũ uaria occiſionis genera, haud tamẽ elabi poterit, quin rea criminis fiat, quocunq; modo ad necem hominis adſpirauerit.

Neq; ad numerũ aliquem lex iſta conſtringitur.

4 Adhæc, nec ad numerũ aliquẽ lex iſta conſtringitur. Non dicit, Ne multos occidas, quaſi non ſit illicitum ſi unum & alterũ occideris: ſed ſimpliciter, Ne occidas. Homicidium etiam in uno ſolo admittitur: ut rectè homicida cenſeatur, non ſolũ qui multos, ſed & qui unũ duntaxat neci dederit. Dum iſta conſideramus, admonemur, quã alienos uelit nos eſſe Deus ab homicidio: & quàm curam gerat humanæ uitæ, dum nullius hominis, quamuis contempti, cædem cuipiam liberam permittit.

Quãta ſit corruptio ingenij humani.

1 Tertiò, cõſiderandũ etiam eſt, quanta ſit corruptio & malicia ingenij humani. Nulla ratio

esset prohibendi quod malum est, nisi ad ea quæ mala sunt, natura nostra propenderet. Qui lege sua uetat ea quæ mala sunt, non solùm qualis initiò conditus sit homo nouit, sed & qualis sit factus post lapsum. Neq; enim suũ duntaxat opus, sed & quæ per maliciã diaboli accessit, corruptionẽ æquè cognouit. Quare & legem suã sic attemperauit, ut quæ mala sunt non tantũ uetaret, sed & in carne nostra latentia proderet. Igitur quod præsentẽ legẽ concernit, dũ dicit, Ne occidas, tantã esse ingenij nostri maliciã significat, ut nisi timore aliquo cohibeamur, ne humanę quidem uitę parcamus, atq; ita ipsius naturæ nostræ hostes nos esse declaremus. Hanc naturæ nostrę maliciam perstringit Apostolus Rom. 3. cũ inter cętera dicit, Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in uijs eorum, & uiam pacis non cognouerunt, &c. Non dicit simpliciter, Occidunt: sed ut crudelitatem sanguinariam exprimat, Effundunt, inquit, sanguinem. deinde ut & diabolicam quandam propensionem ad occidendum, quæ est in cordibus nostris perstringat, non simpliciter dicit, Effundunt sanguinẽ: sed, Veloces, inquit, sunt pedes eorum ad effundendum sanguinem. Pedum enim uelocitate animum ad occidendum uehementer propensum & anhelantem notat.

Non dicit, Ne irascaris: sed, Ne occidas.

2 Deinde in eo quoq; considerandum est, quàm sit ingenium hominis procliue ad occidendum, quòd non dicit, Ne irascaris: sed, Ne occidas. Affectus occisionis ex ira nascuntur. Quòd si illa duntaxat prohiberetur, uideretur innui esse nos quidẽ hactenus corruptos, ut affectib. prauis obnoxij simus: uerùm ab illis ad ipsum usq; occisionis opus, nullã esse in nobis ꝓgressionem. Iam uerò cũ manifestè dicit, Ne occidas, atq; ita ipsum cædis opus prohibet, satis manifestè innuitur, nõ esse nos sic comparatos, ut irę affectus seruemus ociosos & innoxios: sed hactenus quoq; deprauatos esse, ut quod animo malè uolumus, ipso etiã opere perficiamus, nisi potestate aliqua superiore impediamur. Aliud est sic esse cõparatũ aliquẽ, ut temerè quidẽ irascatur ꝓximo, uerũ impetũ irę recta ratione cohibeat: & aliud, sic esse deprauatos, & ad cędẽ procliues, ut non solum irascamur temerè, sed & ad occidendũ uel efferato impetu feramur, uel ex insidijs connitamur. Nisi tales essemus, frustra diceret lex ista, Ne occidas.

3 Huc etiã facit, quòd sine ulla specificatione dicit, Ne occidas: sed hac lege in cõmuni præscribit omnib. in uniuersum, ne quis occidat. Ergo omniũ est mortaliũ usqueadeò corrupta ac deprauata natura, ut necesse habeant manifesta lege cohiberi, ne homicidium admittant.

Quòd lex ista populo Dei ac circunciso lata est.

4 Et illud hic cogitemus. Quæ hic lege cauentur, cum primis ad eos pertinebant, qui erant populus Dei, in fœdus à Deo assumpti, ac fœderis sacramẽto initiati & cõsecrati. Ergo quod cõmunem attinet humanæ naturę corruptionem, perinde sunt mali ac deprauati, qui Sacramento regenerationis sunt obsignati, atq; ij qui alieni sunt à fœdere, & fœderis Sacramento. Etenim circuncisi erant, quibus lex ista proponebatur: & tamen usqueadeò communi adhuc deprauationi subiacebant, ut lege cohibendi essent, ne in cædes cruentas more bestiarum irruerent. Sic lex ista post Sacramentum initiationis ac fœderis lata, satis testatur, nec natura sua fuisse Iudæos meliores gentibus, nec Sacramentum regenerationis, ac fœderis per se aliquid illis ad emendationem corruptæ contulisse naturæ: id quod sola spiritus sancti operatione perficitur.

Quales simus, in lege Dei uelut in speculo cõsiderare debemus.

5 Habent ista non friuolam quandam, sed summopere necessariã rei omnium uerissimæ considerationem, quam non obseruant, qui nihil aliud spectant in lege, quàm normam quandam iusticiæ, ad quam uitę nostrę conuersationem conformare, & cuius obseruantia iusticiã nobis & ueram salutem coram Deo conciliare debeamus. Nobis uerò præsens ista, ac reliquæ consimiles leges sic sunt inspiciendæ, ut non solum discamus ex illis, quid iustũ sit corã Deo, quid non sit: sed & quales simus, in illarum ueluti speculo contemplemur, illaq; nostri ipsorũ cognitione ad gratiam seruatoris ac liberatoris nostri Christi Iesu prouocemur. Deinde & illi, qui nondum ŏpere patrarunt homicidium, considerata hac cõmunis naturæ nostrę corruptione, cogitent primũ non suæ ipsorũ hoc deberi custodię ac uirtuti, sed potius gratiæ Dei, quod neminem dum occiderunt: deinde perpendant etiam, quã non sit multum discriminis inter eum qui non sua, sed aliena est uirtute custoditus, ne quod admitteret homicidium: & eum qui sibijpsi permissus, criminis huius reus est factus.

QVOMODO ADVERSVS HANC *legem peccetur.*

Homicidium trifariam admittitur.

Ad alteram considerationẽ pertinet, ut uideamus, quomodo aduersus hanc legem peccetur. Admittitur homicidium trifariam: opere uidelicet, uerbo & corde. Opere perpetrat homicidium, qui hominẽ manu, uel gladio, uel fuste, uel lapide, uel iaculo, uel ueneno, aut quouis alio modo occidit. Fit hoc bifariam. Primùm, cum uoluntate occidendi. Si fiat id illegitimè, damnabile homicidium est. Fit autem illegitimè, quando occiditur aliquis pręter iustam causam, qui uidelicet nullo pacto meritus est, ut occidatur. Sic occiduntur, qui impulsu uel iræ, uel odij, uel spe lucri alicuius interimuntur. Aut quando is occidit hominẽ, ad quem nulla lege potestas occidendi pertinet.

Huc

Huc referendi ſunt etiam, qui ſeipſi interimunt. Neq; enim ſuæ ipſius uitæ poteſtatē quiſquam accepit hactenus, ut illam ſibi licitè quādo uoluerit auferre, ſuiq; ipſius iudex eſſe poſſit. Accidit hoc plerunq; impatientia uel metus, quo periculum aliquod timetur, quod exiſtimatur eſſe inferendum: uel doloris alicuius grauioris, quo animus æquo imbecillior opprimitur: aut deſperatione ſalutis, id quod accidit Iudæ proditori. *Qui ſeipſi occidunt.*

Auguſtinus lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 26. quatuor cauſas aſsignat, propter quas plerunq; ἀντοφονῦ contingat. 1 Primùm dicit eſſe calamitatis alicuius uel acceptę, uel inſtantis impatientiam. Sic ſunt ἀντοφονῶται, qui dolorem de amiſsione charorum ſiue hominum, ſiue bonorum conceptum ferre non ualent: & ij quoq;, qui ſeruitutē contentioſius fugiunt: qualis fuit Cato Vticenſis, & zelotæ Iudæi, de quibus meminit Ioſephus: deniq; & illi, qui diutina ægritudine propter doloris cùm grauitatem tum irremiſsionem fracti, mori ſemel, quàm ſic diutius cum morbo luctari malunt: id quod de Cornelio quodam Ruffo in Epiſtolis Plinij legitur. quò etiam Herodis impatientia aliquoties aſpiraſſe ſcribitur. Huc referendi ſunt etiā omnium mortalium odio digni uſurarij, qui ſublata annonæ caritate, unde turpiſsimum quęſtū ſperauerant, làqueo ſibijpſi uitam auferunt, qua digni fuere nunquam. *Impatientia calamitatis.*

2 Secundam cauſam uel ex deteſtatione, uel ex fuga alieni peccati naſci dicit. Sic ſeipſam interemit Romana mulier Lucretia, propter ſtuprum inuitæ ſibi à Tarquinio illatum. Sic de mulieribus nonnullis ſcribit Auguſtinus, quòd in fluuium ſeſe pręcipites dederint, ne per ſequutorū libidini redderentur obnoxię. Sic illa peccatū alienū deteſtabatur, iſtæ fugiebant. *Deteſtatio, & fuga alieni peccati.*

3 Tertiam eſſe dicit, uehementem de proprio peccato pœnitudinem, quæ & ipſa inſtinctu Satanæ ſæpenumero miſerum hominem ad deſperationem & conſilia ἀντοφονίας adigit. Accidit hoc Iudæ pſeudapoſtolo, & traditori Chriſti. *Pœnitudo peccati.*

4 Quartam recenſet, admodum raram, & haudquaquā poſtremis hiſce temporibus timēdam. ea eſt ex uehementi futuræ uitæ deſiderio. De Cleombroto ſcribitur, quòd lectis quæ Plato de immortalitate animæ diſſeruit, de muro ſeſe cōfeſtim præcipitem dederit, quo mox ad experientiam eorum quæ legerat, peruenire. Rariſsimè inuenias noſtro ſeculo, qui deſiderio cœleſtis uitæ mortem quomodocunq; illatam, cupidè amplectatur, etiamſi totum Nouum teſtamentum uel centies legatur. *Deſiderium futuræ uitæ.*

Haſce cauſas ἀντοφονίας cōnumerat Auguſtinus. Poſſumus illis eam quoq; adijcere, quę eſt ex impenſiori inanis gloriæ ſtudio, quo perciti Donatiſtæ quidam, Circumcelliones dicti, ultrò ſeſe neci dederunt. Quibus addere licet & Raziam illum, cuius mentio fit 2. Mach. 14. & apud Auguſtinum epiſtola 61. ad Dulcitium, & contra ſecundam epiſtolam Gaudentij, lib. 2. cap. 23. Sunt quidem graues admodum hæ cauſæ, & plurimum ualent in animis imbecillioribus: uerùm quoniam natura hoc omnibus ineſt mortalibus, quemadmodum & animantibus, ut mortem horreant & fugiant, tantum non ualeret ulla ex hiſce cauſis, ut hominem ad ſuijpſius necem impelleret, niſi accederet humani generis hoſtis primus, homicidij author Satanas, & improbitate ſua animum tentatum ad iſta propriæ cædis cōſilia urgeret. Ne ſues quidem, de quibus Matth. 8. legimus, quantumuis immundæ: & non ſibi, ſed alijs uiuentes, imò ad nihil aliud quàm ad mactationem deſtinatę, in mare ſeſe præcipitaſſent, niſi ſpiritibus immundis permiſsione Chriſti obſeſſæ fuiſſent, & impulſæ. *Circumcelliones. Studiū inanis gloriæ.*

Quare curandum eſt omnibus tentatis & afflictis, ut quo ſe deiectiores animo factos eſſe ſentiunt, hoc magis orent ad Deum, ne in tentationem inducantur, ſed à nequitia mali & inueteratoris Satanæ liberentur. Proderit etiam plurimum ad euadendum improba illius conſilia, ſi qui tentatione laborat, cauſas illius fratri cuipiam pio & Chriſtiano aperiat, & pondus animi preſsi quodammodo cum illo diuidat, quo accepta qualicunq; conſolatione leuius ac tolerabilius habere incipiat. *Conſilium.*

Hactenus de illis dictum eſto, qui homicidium ipſo opere cum propoſito occidendi illegi timè admittunt, ideoq; non ſolum coram Deo, ſed & coram mundo homicidij reatum incurrunt. Quod autem ἀντοφονῶται concernit, de quibus nonnulla diximus, mouetur hic quæſtio, quid ſentiendum ſit de Samſone, de quo Iudicum 16. legimus, quòd ad ulciſcendū ſe de Philiſtæis inimicis ſuis, ſcienter ac prudenter morti ſeſe dederit. Haud enim licet, ut dicamus aliquam illi ſpem fuiſſe euaſionis, cum ultionem hoſtium ſuorum homo priuatus oculis per domus, ſub qua ſtabat, concuſsionem ac ſubuerſionem moliretur. Quòd enim unà ſe cum illis interiturum ſciuerit, & interitum hunc ſponte ſua ſubierit, teſtantur extrema ipſius uerba, quibus dixit, Moriatur anima mea cū Philiſtijm. Ergo fecit quod nō licet, occidens ſeipſum, adeoq; homicidij reus eſt factus. *De Samſone Iudicum 16.*

Ad quęſtionem hanc paucis reſpondere poſſumus, nempe, non eſſe Samſonem coniungēdum alijs, qui ſeſe ob ſupradictas cauſas interimunt ipſi: quandoquidem ſingulari quodā cōſilio Dei, & ſpiritu non Satanæ, ſed ſancto cooperante: deniq; non turpi deſperatione, ſed zelo ultionis, quo pro populo Dei aduerſus improbiſsimos illius hoſtes non priuatus homo, ſed iudex ac princeps flagrabat, ad tale eſt ultionis genus permotus. Orauit primùm ad Dominum, petijq; ab illo dari ſibi priſtinum corporis robur, quo de impijs ultionem capere, ac 1 2 3

populo Israeli prodesse posset. Deinde accepit à domino quod petierat: & quod constituerat, diuina uirtute adiutus perfecit. Intelligebat non sibi modò, tanquam capto & oculis priuato, sed & Domino Deo suo illudi: audiebat glorias deorum Philistinorum iactari: sentiebat fieri non posse ut euaderet, & Israeli liberando in posterum prodesset: cogitabatq; nõ esse oblatam ultionis opportunitatem negligendam, qua non solum sese de Philistæorum satrapis, eo loci congregatis ulcisci, sed & gloriæ Dei ac cõmodis populi eius plurimũ emolumenti conferre posset: ideoq; impetrata ope ac uoluntate Dei, totam domum fortiter concussit ac subuertit: & hoc se pacto morti quidem tradidit ipse, uerùm simul plures secũ occidit moriens quàm occiderat uiuus. Dum ista perpendimus, non possumus Samsonem damnabilis homicidij reum constituere: cuius factum scilicet scriptura non damnat, sed magis commendat, dum & zelum & pietatem animi illius, & uirtutem à Deo impetratam, & utilitatem euẽtus illius tam diligenter exponit.

Homicidiũ legitimum & inculpabile, quod fit per magistratum.

Deinde fit homicidium facto, & cũ proposito occidendi, legitimè & sine culpa. Fit hoc per legitimos magistratus, quibus gladius ad hoc est à Deo datus, ut potestatem habeant plectẽdi sontes, & defendendi insontes, sicuti testatur Apostolus Rom. 13. Et dũ hoc faciunt, ultioni diuinæ secundum ordinationẽ Dei seruiunt: tam abest, ut homicidij rei cõstituãtur. Quare ab eiusmodi gladij usu haudquaquã præsenti lege, Ne occidas, prohibentur. Vsq; adeò nulla est contradictio inter præceptum hoc, Ne occidas, & gladium magistratus, quo occidũtur homines flagitiosi: ut quod magistratus facit, legi huic seruiat etiam, & cum illa ad eundem scopum collimet. Spiritus & scopus legis huius est, ut consulatur humanæ uitæ securitati: reprimaturq; spiritus ille crudelitatis, quo corda nostra ex naturæ corruptione deprauata, ad cædes propendent. At eodem spiritu & ad eundem scopum directus est etiam usus gladij legitimi, quo feriuntur homines non ut homines, sed ut hostes generis & uitæ nostræ: non cõtra, sed pro conseruanda uitæ nostrę incolumitate ac securitate. Quapropter quamdiu durat in carne nostra spiritus homicidij, tãdiu durat lex ista præcipiens ac dicens, Ne occidas. Et quoniam tanta est uis deprauatæ nostræ naturæ, ut neq; dictamine rectæ rationis neq; lege scripta coerceatur, sed opus sit gladio ultore, quo reprimantur pedes ad effundendũ sanguinem ueloces: tamdiu locum habet potestas magistratus in rebus humanis, quamdiu uigorẽ suum retinet lex ista, Ne occidas. item, Ne adulterium admittas. &, Ne furtum facias, &c.

Legi huic seruit gladius magistratus.

Genesis 9. legimus, Quicunq; fuderit sanguinem humanum, fundatur sanguis eius. Hac quoq; lege cauetur, ne quis sanguinem humanum fundat. Quo autẽ humani sanguinis effusio caueatur efficacius, adiecta est particula illa talionis, præcipiens ut sanguis homicidæ fundatur. In hunc usum autem seruit gladius magistratus, non hostis, sed amicus humani sanguinis, sanguinẽ noxium fundens legitimè, ne innoxius fundatur illegitimè ac temerè. Etenim occidere homicidam ac sceleratũ, propterea quòd homicida est, ac sceleratus, hoc est, humano generi noxius, nõ est simpliciter occidere hominẽ, quod lex uetat dicens, Ne occidas: sed malorũ hominum & homicidarum reprimere maliciam, & humani generis consulere saluti.

Cõtra abusum magistratus.

Curandum tamen est magistratibus, ut gladio ultore legitimè utantur. Alioqui si fuerint illo ad obsequẽdum prauis uel suis, uel aliorum affectibus usi, ut impleatur illud, Vidi in loco iustitiæ iniquitatem: usq; adeò non excusabuntur authoritate magistratus, ut duplici nomine criminis rei sint futuri, cùm uidelicet, quòd occidunt insontes: tum quòd nomen Dei, cuius sunt ministri, prætextu magistratus ordinarij polluunt.

Authoritas magistratus nõ ualet, quãdo illegitimè quid præsumit.

Quare omnium sunt insipientissimi, qui putant omnia magistratuum facta pro inculpatis haberi debere, propter authoritatem legitimæ potestatis. Facta magistratuum tum sunt legitima, quando sunt legibus rectis, & iustitiæ conformia.

Rectitudo iustitiæ cẽsenda est secundum authoritatem diuinæ uoluntatis.

Censenda est autem iustitiæ ac legum rectitudo secundum authoritatem diuinæ uoluntatis, quæ in omnibus est legitimo sequenda magistratui. Etenim nõ poterit aliàs iustè occidi, quem non occidit diuinæ uoluntatis sententia. Solenne est nonnullis Principibus, ut nõ patiantur quenquam in ditionibus suis occidi, nisi secundum rescripti ipsorum sententiã. Quo ties plectẽdus est maleficus ac sceleratus aliquis, qui iudices sunt cõstituti, de maleficijs illius referunt ad Principẽ, & expectant illius rescriptum, quo accepto pœnas in eo præscriptas de malefico sumũt. Et si quid secus agatur à iudicibus, habetur loco cõtumelię authoritati ac iurisdictioni Principis illatæ, nec cedit illis impunè. Quãto quæso iustius est, ut cõtra, imò citra quoq; sententiã supremi Principis, qui unus est mortis ac uitę dñs, nemo mortaliũ occidatur?

Simile.

De rescripto diuinæ sententiæ.

Quæris, quomodo illius possit haberi præscriptum, secundũ quod iudicetur, ac pœna sumatur de reprobis? Non dicam in præsenti de magistratibus ethnicorum, quemadmodũ sine Deo uixerunt in mundo, ita etiam sine certa diuinæ uoluntatis cognitione magistratum gesserunt: sed loquor de magistratibus populi Dei, quibus de uoluntate Dei ex legum illius præscripto constat, unde sciri potest, in quosnam maleficos ac sceleratos, siue primam, siue secundam Decalogi tabulam respicias, capitali supplicio animaduerti debeat.

Qui peccantes in primam tabulã occidi debeant.

Sic Exod. 22. legitur: Qui immolat dijs, occidatur. Et Leu. 20. Qui declinauerit ad magos, morte moriatur. Item, Habentes spiritum Pythonicum, morte moriantur. Item capite 24.

Prophe-

Propheta qui prophetauit in nomine Domini mendaciter, morte moriatur. Item: Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur. His & alijs similibus legibus docentur magistratus, quomodo pœnas de illis sumere debeant, qui impiè contra primam tabulam agant.

Quomodo puniendi sint, qui peccãt in secũdam tabulam.

Quod attinet eos qui peccant in secundam tabulam, habentur de illis quoq; diuinæ legis præscripta: utpote Leuit. 20. & Deut. 21. de filio immorigero, & in parentes contumaci præcipitur, ut lapidibus obruatur ab omni populo. Et Leuit. 24. Qui occiderit hominẽ, morte moriatur, etiamsi occisus seruus sit, uel ancilla. Exod. 21. Deinde quomodo scelera scortationum & illegitimi concubitus puniri debeant, multis legitur Leuit. 20. Quomodo iudicandum sit de furibus, legere licet Exod. 21. Et de falsis testibus, Deut. 17. & 22.

Tam nõ occidẽdo, quàm occidẽdo peccatur.

Hæc obiter perstringere libuit, ut admoneam, quàm nequeant excusari magistratus, si sanguinẽ humanũ nõ ex authoritate summi legislatoris, sed suopte arbitrio fuderint. Serui Dei sunt, ad cuius uoluntatẽ gladiũ acceptũ sic administrare debẽt, ut quos ille iubet occidi, occidant: quos seruari ac defendi constituit, seruent ac defendant. Alioqui peccabuit tã nõ occidendo, quàm occidendo. Saul peccauit nõ occidendo regem Amalech, quẽ illi dñs occidẽdum in manus dederat. 1. Sam. 15. Rursus peccauit occidendo, ubi sacerdotes Domini, uiros innocentes 85. unà cum mulieribus ac paruulis neci dedit, 1. Sam. 22. Achab quoq; peccauit occidendo Naboth Iesraelitã, 1. Reg. 21. ac rursus peccauit non occidendo prophetas Baal ac lucorum, quos occidit Elias, 1. Reg. 18. Sic & pleriq; reges Israelitarum uehementer utroque modo, tã non occidẽdo sacerdotes idolorũ, quàm occidendo prophetas Domini, peccarũt.

Et utinam non sint inter Christianos huiusmodi Principes & magistratus, qui occidãt animas, quas dominus non occidit: & uiuificent eas, quas dominus occidi iubet. Fures non occidit dominus, occidunt magistratus serui domini. Adulteros & adulteras occidit dominus, uiuificant magistratus. Idololatras, magos & incantatores occidit dominus, uiuificãt magistratus: & interea occidunt eos, qui falsos cultus auersantur, & spretis traditionibus humanis ad præscriptum uerbi Dei uiuere cupiunt. Vbi talia fiunt, non debemus ea iustificare propter legitimam magistratus authoritatem, sed duplo nomine damnare: cùm quòd sunt illicita, tũ quod sub prætextu ac titulo legitimi magistratus facta, ignominiam inferunt nomini Dei, unde potestas illa est, quam administrant magistratus.

De homicidio, quod præter animi sentẽtiã admittitur.

Diximus de homicidio quod opere, cum proposito occidendi, quandoq; legitimè sine culpa, aliquando & illegitimè cum reatu homicidij admittitur. Nunc uidendum est de homicidio, quod & ipsum quidem opere perficitur, uerùm sine uoluntate & proposito occidendi.

Cogitemus illud esse triplex. Primùm, quod casuale uocant: secundum, causale: tertium, quod rectè defensorium uocare poterimus.

Homicidiũ casuale.

Casuale homicidium appellant, quando quis præter animi sui sententiam, casu quodã ac fortuitò occidit hominem. Tale est, quod de Lamech quidã cum Ebræis referunt, quòd Cainum, feram arbitratus, iaculo in sylua occiderit. Talia sunt homicidia, quorũ mentio fit Exo. 21. Num. 35. Deut. 19. Et Iosue 20. quib. ciuitates refugij deputatæ legũtur: ut qui casu aliquo, non uolens hominem occiderit, habeat quò fugiat, & ubi innocentiam suam comprobet, ac seruetur. Neq; enim homicidij reus censendus est, qui nec uoluntate, nec sciẽtia sua occidit. Illud tamen in eiusmodi casibus cogitandum est. Quòd si opus ac studium, unde homicidiũ inuoluntarium accidit, in re fuit illicita, uel etiam uana & ludicra, licet non sit eiusmodi casus homicidij reatu damnandus, haud tamen prorsus caret is culpa, cuius illicito, aut etiam uano studio interijt proximus. Illicitũ est ebrietatis studiũ. Quòd si uir ebrius gradibus decidẽdo oppresserit puerum quempiam ut moriatur, licet non sit homicidij reus, culpabilis tamen est, propter illicitum ebrietatis studium. Si quisquam ex illis, qui ligneo globo inter se certãt (quod plerunq; in ferijs à iuuenib. ac robustioribus, qui iaculando gloriolam quandã uenantur, & brachiorum suorum robur ostentant, fieri uidemus) per imprudẽtiam hominis obuij tempora feriat, & mortis causam inferat: quãuis homicidij reus non sit, prorsus tamẽ insons esse nõ poterit, quoniam uanitate sua causam mortis intulit homini. Secus uerò habet, si quis inter secandũ ligna, elapsam securim sine ulla nocendi ac lędendi uoluntate abiecerit in proximum: qui casus nominatim ob id exprimitur in lege, ut secundum illius qualitatem de cõsimilibus iudicari queat. Hic nec homicidij reatus, nec ulla alia culpa poterit accusari: quandoquidem quod accidit, in re accidit nec illicita, nec uana, sed licita & necessaria. Causale homicidium esse iudico, quando mulierculis philtra & eiusmodi pocula dantur, quibus uel impediantur à concipiendo: uel si conceperint, fœtus extinguatur. Qui hæc faciunt, ab homicidij reatu excusari non possunt, etiamsi alieni sint præcise à uoluntate occidendi.

Homicidium causale.

Sic de illis quoq; sentiendum est, qui crapula, ebrietate, ocio & luxu seipsi conficiunt, & uigorem naturalium uirium labefactant. Hoc genere homicidij plures interimũtur, quàm gladio. Qui huic uitæ generi dediti sunt, non se tantum, sed & alios (etiamsi non agant id ex uoluntate occidendi) quibus authores sunt immodici luxus, prorsus occidunt.

Homicidiũ defensorium.

Defensorium homicidium est, quãdo necessitate defensiõnis adigitur quisquã, ut salutem ac uitam suam, aut suorum, aduersus uim iniustam armis tueatur: & quamuis mallet, nõ occidere

dere aduersarium & hostem, si citra necem uim illius reprimere posset, cogitur tamen eũ occidere, nisi uitã suã uel suorũ negligere uelit. Excusatur hoc genus homicidij necessitate coactionis, quãdoquidẽ deest uoluntas occidẽdi. Etenim qui sic cogitur occidere hostem, mallet utiq; non occidere, sed alia se ratione uim ab illo illatã euadere posse. Si reatus homicidij nõ tam facto quàm animo & causis censetur, culpa huiusmodi homicidij, quod non uoluntariũ, sed defensoriũ & coactum est, non imputatur occidenti, sed occiso. Christiani tamen hominis est, admodum dolere ac lugere, quòd hominem, forsan etiam eiusdem fidei consortẽ, occidere coactus est: eaq; in re factum suũ in conspectu Dei non excusare, sed magis, sicuti iusti solent, accusare, & à misericordia Dei humiliter petere, ne de illo in iudicio eius rationem reddere cogatur. Dicendum ipsi est cum Paulo: Licet nõ sim mihi conscius, quòd aliqua mea culpa in hanc occidendi proximi necessitatem uenerim, in eo tamen iustificatus non sum.

Defensoriũ homicidiũ geminum est.

Quemadmodum autem gemina est defensio: una, qua quis seipsum: altera, qua pertinẽtes ad se defendit: ita est & geminum defensorium homicidium.

Cædes bellicæ.

Admittitur enim, uel nos ipsos uel nostros defendendo. Dum nos ipsos defendere cogimur, excusatio est à necessitate: dum nostros defendimus, excusatur factũ nostrũ nõ solũ necessitate, sed & officio fidei & charitatis, quã utranq; nostris debemus. Et hoc discrimine homicidia defensoria, siue unica, siue multa, siue priuata, siue publica, separantur ab illegitimorũ homicidiorũ genere. Et ad hanc classem pertinent cædes bellicæ, quæ tũ non sunt illegitimæ, quãdo & necessitate defensionis, & officio magistratus excusantur. Quare & leges à deo sunt latæ, ad quarum præscriptum eiusmodi bella geri debeant, de quib. uidere est Deut. 20.

Homicidium Mosis, Exo. 2. quò sit referendum.

Videtur etiam huc pertinere homicidium à Mose Exod. 2. admissum, quo Aegyptiũ interemit, ut Israelitam aduersus illius uiolentiam defenderet. Et sunt qui Mosen sic excusent, quòd impulsu charitatis fraternæ defensionem Israelitę contra Aegyptij uiolentiam susceperit. Aliquid illi dicunt, uerùm non satis hac consideratione factum Mosis à reatu homicidij uindicant. Neq; enim mox occidendus est, quisquis hominem, etiam per iniuriam uerberat, cum alia queat ratione reprimi. Quare factum Mosis, licet omnino defensorium fuerit, hinc tamen magis ac rectius excusatur, quòd destinatus erat à Deo liberator Israelis: & iam tũ spiritu liberatoris ac zelo populi sui ferebatur, id quod & Stephanus Act. 7. de illo cõmemorat, cum dicit: Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius, ut uisitaret fratres suos filios Israel. Et cum uidisset quendam iniuriam patientem, uindicauit illum, & fecit ultionem ei qui iniuriam sustinebat, percusso Aegyptio. Existimabat autẽ intelligere fratres suos, quòd Deus per manum suam daret salutem illis. Itaq; homicidiũ hoc à Mose perpetratũ singulari spiritui ac zelo, quo diuinitus accepto ferebatur, & futuræ liberationis specimen edebat, acceptum ferri, & à reatu homicidij liberari debet. Quapropter non est homicidijs simpliciter defensorijs connumerandum, neq; exempli uice proponendum. Coram Deo non solum inculpabile est, sed & laude dignum, uerùm in foro mundani iudicij iustificari defendiq; non posset. Sciebat hoc Moses ipse. Quare primùm circumspexit, possetne citra conscientiam Aegyptiorum facere quod cogitabat: deinde cũ postea factum suũ haudquaquam absconditum esse intelligebat, saluti suæ fugã consuluit.

DE ILLIS QVI LICET NON *opere ipso, uerbo tamen homicidæ fiunt.*

Hactenus de homicidijs, quæ opere & facto admittuntur, paucula quædã perstrinximus. Omnia illorũ recensere genera, nec ingenij mei est, nec propositi. Arbitor tamen, si quis methodum hanc sequatur, pro sua illum diligentia facile ad ea consideranda peruenire posse, quorum nulla hic est facta mentio.

Homicidiũ uerbo admissum.

Consequitur nunc, ut uideamus etiam de generibus homicidij, cuius reatus uerbo incurritur. Haud enim is tantũ homicidij reus est, qui manu & facto, sed & is qui uerbo occidit hominem. Qui dixit, Ne occidas, omnino occidere uetuit, quibuscunq; id modis fiat. Qui uerã à nobis requirit innocentiam, non eam duntaxat, quæ manuum, sed & eam quæ oris quoq; est, & cordis, requirit. Quare secundo considerationum istarum loco de illis quoq; uidendũ est, quorum lingua non medicina est, & conseruatio uitæ, sed gladius mortis.

Quinq; modis uerbo fit homicidium.

Accidit autem huiusmodi homicidij genus quinq; modis: utpote uel consilio, uel mandato, uel sententia, uel proditione, uel falsis testimonijs.

Consilio.

Consilio occidit, qui suasu & hortatu suo animum cuiuspiam ad perpetrandã cędem inducit. In hoc genere primus est author homicidij Satan, qui improbissimo instinctu mentes hominum ad homicidia impellere consueuit. Vtitur etiam prauis hominibus ad id instituti, tãquam cruenti consilij organis. Sic Herodias consilio suo nequissimo necauit Ioãnem baptistam, dum puellę persuasit, ut caput illius in disco sibi dari peteret. Sic Christũ Caiaphas cõsilio suo occidit, dicens: Expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat. Consilijs suis occiderunt Ioãnnẽ Huss, qui suaserunt concilio, ut saluus conductus, quo erat Constantiã uocatus, infringeretur. Huiusmodi homicidæ sunt, qui cõsilijs suis authores

Herodias. Caiaphas. Concilium Constant.

sunt

sunt principibus, ut occidant pios homines, propterea quòd de poculo meretricis Babylonicæ bibere detrectant.

Mandato occidunt, qui iubent ut occidatur insons. Fit hoc bifariam. Vel manifesto uidelicet mandato, uel subdolo & occulto. Subdolo & occulto conabatur Saul occidere Dauidē, cum iuberet illi, ut bella Domini aduersum Philisteos fortiter administraret. Sperabat enim futurum, ut occideretur à Philisteis. nam dicebat, Non sit manus mea in eo, sed manus Philistinorum. 1. Sam. 18. Manifesto occidunt, qui simpliciter absq; ulla dissimulatione de nece alicuius mandant ac præcipiunt. Sic occidit Herodes Ioannem, Pilatus Christū, Saul sacerdotes Domini, de quibus suprà facta est mentio: Reges Israelitarum prophetas Dñi, & nostri reges ueros Christianos. Non loquimur hic de legitima animaduersione in reprobos, quā magistratus mandatorum suorum authoritate exercent, de qua dictum est suprà: sed de eo mandatorum genere, quo sæuitur in sanguinem innoxium, & homines Dei timentes ac uerè pij interfici iubentur. Quamuis autem qui huiusmodi sunt mandatorū exequutores, minus peccent quàm illorum authores, habebunt tamen utriq;, cùm mandantes, tum facientes, suū iudicem, cui rationem illi mandatorum, isti factorum suorum aliquando sunt daturi.

Mandato. Saul.

Herodes, Pilatus, Saul, Reges Israel.

Sententia sua occidunt, qui non solum consulunt, sed & sub prætextu officij pronunciant ac decernunt, ut occidatur qui nulla culpa meritus est mortem. Sic conciliabulum sacerdotum, pharisæorum & scribarum sententiam condemnationis aduersus Christum protulit, ut occideretur: & Pilatus pronunciauit, ut crucifigeretur.

Sententia.

1 Hoc genere homicidij culpabiles sunt in conspectu Dei, primùm patres conciliorū, qui ut è medio tollant, quem iudicant dignitati suæ, & præsertim authoritati sedis Romanæ aliquid inferre detrimēti, pronūciāt eū esse hominē hæreticū, & potestati seculari, ut plectatur, offerendū. Sic cōciliū Hierosolymitanū sentētia sua Christū occidit, & Cōstantiense Husiū.

Patres cōcilij.

2 Deinde peccant hoc pacto confessus eorum iudicum, qui non secundum qualitatē causæ, sed secundum rescripta Principum pronunciant. Tales erant iudices, qui ad mandatū Iesabel uxoris Achab, quod illi à Rege profectum esse putabant, innocentem sanguinem Naboth Israelitæ sententia sua morti adiudicarunt. In talibus iudicibus impletur illud prophetæ: Princeps postulat, & iudex in reddendo est. Micheæ septimo.

Assessores iudicum.

Proditione occidit hominem, qui uel uerbis, uel indicijs innocentem in manus reproborum ac uiolentorum tradit. Accidit hoc uariè. 1 Sunt qui per imprudentiam, causam non intelligentes, prodant innocentem, quem uel iudicant esse nocentem, uel non putant quæri ad mortem. Hos excusat ignorantia. 2 Rursus sunt qui, quem sciunt esse innocentem, scienter, uel odio, uel gratificandi studio, uel propter spem emolumenti ad necem produnt. Sic Iudas prodidit Christum.

Proditione.

Quemadmodum communi sensui placet, ut occultetur qui quæritur ad mortem: ita communi & publico odio, qui hominem produnt ad mortem, & in manus hostium suorum tradūt, usq; adeò sunt obnoxij, ut etiā illis sint detestabiles, quib. sanguinē innocentē produnt.

Proditores odio cōmuni obnoxij.

Hinc natum est illud Romanum: Proditio placet, proditor displicet. Immane est ac detestabile proditionis facinus, usq; adeò, ut qui aliquam habent honoris & publicæ existimationis rationem, citius ferant, si homicidij, quàm si proditionis exprobratione perstringantur. Alexander Magnus citius occidisset, quàm prodidisset hominem. Alieniſsimum est hoc scelus ab animo nobili & germano. Quare si incidat in principem hominem, reddit eum omnibus pudendum ac detestabilem.

Proditio placet, proditor displicet.

Testimonio falso redduntur homicidij rei, non qui præter conscientiam falsi, sed qui scienter ac prudenter contra uitam hominis testificantur, quod est falsum, quocunq; id animo faciant. Hinc est quòd Deut. 19. qui tales sunt, morti adiudicantur. Cum diligentiſsimè, inquit, perscrutantes, inuenerint falsum testem dixisse cōtra fratrem suum mendacium, reddent ei, sicuti fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui. Sic in historia Susannæ duo senes, qui falsum testimoniū contra Susannā dixerant, mortis sententia è medio sublati sunt.

Testimonio.

Ad hunc itaq; modū homicidij rei sunt, qui consilio, mandato, sententia, proditione, ac falso testimonio causas homicidiorum subministrant, etiamsi non sequatur effectus. Etenim quantū in ipsis est, gladio linguæ occidunt innocentem. Lingua eorum, inquit propheta, gladius acutus, & uenenū aspidum sub labijs eorum. Hoc genus homicidarum in eo plurimum differt, quòd qui consilio, mandato, & sententia sua sanguinem innocentem fundunt, quamuis peiores sunt quàm homicidæ manuarij, neq; tamen pro homicidis in facie mundi, sed potius pro honestiſsimis cōsiliarijs, iudicibus, & magistratibus habeantur: neq; pro talibus ipsi sese agnoscant, quemadmodū in scribis, pharisæis ac sacerdotibus Iudaici conciliabuli, ipso deniq; Pilato uidere licet: quorum illi Act. 5. dicebant, Vultis super nos sanguinem hominis istius inducere: illi Matth. 27. cum sententiam condemnationis ac mortis aduersus Christū dicturus esset, lotis manibus dicebat, Innocens ego sum à sanguine iusti huius, uos uideritis: proditores uerò ac falsi testes conscientijs suis minus queant obducere fucum, & ubi malitia eorum innotuerit, plusculum ignominiæ quàm reliqui sustineant, præsertim si homines

Quomodo differant inter se, qui lingua occidunt.

sint

sint ordinis infimi & obscuri, ac nullis titulis insignes. Verùm coram iustissimo iudicio Dei pariter sunt tam illi quàm isti homicidij rei. Hic nemo princeps, nemo iudex, nemo consiliarius, nemo episcopus ullo quantumuis splendido siue magistratus siue episcopatus, aut etiã concilij titulo commendatus excusabitur.

DE IIS QVI CORDE SVNT HOMICIDAE.

Homicidiũ cordis.

Tertium homicidij genus est, quod nec facto nec uerbo, sed corde perficitur. Pertinet huius consideratio ad malitiam illam corruptæ nostræ naturæ, in qua sunt ueluti radices homicidiorum, ira, inuidia, odium & delectatio, ex cæde concepta. Ex ira nascitur impetus ad occidendum. Quisquis enim irascitur, ipso iræ motu ad ulciscendum se, etiam ad sanguinẽ usq; rapitur. Quare Christus Matth. 5. irascentem fratri iudicij coram Deo reum constituit, dicẽs: Ego autem dico uobis, quisquis irascitur fratri suo temerè, obnoxius est iudicio. Ex inuidia & odio generatur propositum & uotum homicidij. Etenim hæc est inuidiæ & odij natura, ut quem quisq; odit, perisse cupiat. Hinc est illud 1. Ioan. 3. Quisquis odit fratrem suum, homicida est. Sententia est ex natura odij sumpta.

Ira.

Inuidia & odium.

Delectatio de cæde cõcepta.

Nascitur etiã ex inuidia & odio delectatio animi de cæde cõcepta. Nam quisquis uel uoto uel proposito uitæ proximi, quem odit, aduersatur, utiq; cæde & interitu illius cum delectatione suauiter afficitur. Nequit enim fieri, ut quisquã citra delectationẽ uoti cõpos reddatur.

Itaq; homicidij rei coram Deo sumus irascendo, inuidendo, & odiendo. Est enim iudiciũ Dei de homine non solum secundum illius dicta & facta, sed & secundum qualitatem cordis illius ac spiritus. Voluntas quippe pro facto reputatur. Volens, cõsentiens, proponẽs, optãs, homicidij reus est. Et hanc malitiam in corde & carne nostra latentem damnat lex Dei dicẽs, Ne occidas. Quemadmodum iustitiam requirit nõ manuum tantum & oris, sed cum primis animi, spiritus & cordis: ita & malitiam & iniustitiam uetat ac damnat, non oris tãtum & manuum, sed & eam quæ ex ueneno serpentis naturam nostram corrupit & infecit, & in ipsa latitat cordis nostri ac renum medulla. Verùm ea de re uidere licet in Commentarijs nostris super Matthæum cap. 5.

Lex Dei.

Securitas periculosa.

Vehementer itaq; stupenda est securitas illa, qua ferè omnes citra peccati sensum & diuini iudicij metum in conspectu Dei perinde ambulamus ac uiuimus securi, ac si ab homicidij reatu propterea simus alienissimi, quòd nec opere quenquam nec consilio, uel mandato, uel proditione occidimus: quasi corrupti cordium nostrorum affectus uel ignorẽtur à Deo, uel non damnentur. Irascimur temerè, idq; fratribus, odimus, inuidemus, rancorem ac simultatẽ scienter ac prudenter absq; ulla remissione in cordibus nostris retinemus ac fouemus: & nihilominus in utramuis aurem quieti, sine ullo conscientiæ morsu dormimus.

Periculosius est homicidiũ cordis quàm facti.

Arbitror hanc securitatem omnium esse periculosissimam. Grauius quidem est occidere hominem facto, quàm uoto: uerùm qui facto occidit, quemadmodum sensu peccati citius & efficacius corripitur, quàm is qui ira duntaxat, odio & inuidia peccat, malumq; in corde latens fouet: ita citius etiam ad resipiscentiam perducitur, & remissionem peccati cõsequitur. Sic latroni accidit, qui & peccatum suum agnouit, & gratiam impetrauit: cum interea scribę, pharisæi, sacerdotes, ac seniores populi absq; ullo peccati sui sensu securi perseuerarẽt in malo, & iudicio diuinæ ultionis omnium grauissimæ redderentur obnoxij. Quare orandus est Dominus, ut det nobis sensum mali in corde nostro latentis, quo resipiscẽtes uel liberemur prorsus ab illius malitia, uel impetremus saltem ne iudicio Dei reddamur obnoxij.

SEPTIMVM PRAECEPTVM.

Non mœchaberis.

Ratio habetur coniugij.

HAbetur hoc septimo præcepto ratio coniugij honestè & illibatè seruandi, si uocula Hebræam spectemus, qua præcipitur, לא תנאף, id est, ne adulterium committas. Haud tamen illibenter cum illis sentio, qui non solum adulteria, sed & quamuis libidinem illicitam & scortationem hoc præcepto prohiberi sentiunt: id quòd Ebræi negant. Quemadmodum enim uerbũ זנה, quod scortari significat, nonnunquã adulteris tribuitur: ita haud absurdum esse iudico, si uerbum נאף scortandi significationem, hoc præsertim loco, habere sentiatur. Verùm nolim hac de re cũ quoquã digladiari, modò fateamur nõ solum adulteria, sed & scortationem & quãuis extraordinariã libidinẽ damnabilem esse, & pijs omnib. fugiendam.

זנה
נאף

Puritas uitæ nostræ requiritur hoc præcepto.

Requiritur hoc præcepto puritas uitæ nostræ, ne carnem nostram illicita libidine polluamus. Et quoniam præcipuè curandum est, ut honestas coniugij illibata seruetur, arbitror eã esse ob causam factum, ut uerbum נאף usurparetur à spiritu sancto, quo significaretur, cũ primis hoc requiri à populo Dei, ut coniugij sanctimoniam diligentissimè seruet. Nisi enim cõiugalis fidei integritas custodiatur, non poterit aliud consequi, quàm ut passim in omnis generis libidines ruatur. Etenim quomodo seruãdæ pudicitiæ studebũt, qui extra matrimonij

iugum

iugum uel uirgines uel uidui uiuunt, si qui coniugali solatio & remedio ab illicita libidine seruari possunt, ruptis matrimonij legibus scortati fuerint? Ad hæc cõiugij status quasi fons quidam est humanæ uitæ: qui si scortationibus & adulterijs pollutus fuerit, quid aliud ad sobolem ex eo natam deriuari poterit, quàm omnis generis prauæ & corruptę libidinis exempla? Hac opinor ratione præcipitur, ut castitatẽ ac fidem matrimonij inuiolabiliter custodiamus, quo & reliquorũ uita pura & illibata seruari possit: tam abest, ut quisquam ex hoc præcepto scortationi patrocinium uenari debeat. Etenim qui fontẽ uult esse purum, utiq; ferre non potest, ut impuri sint illius riuuli. Qui radicis integritatẽ curat, opinor satis innuit, nolle se ferre ut fructus sint corrupti. Quorsum attineret, quęso, coniugatos uiuere inculpatè, si qui ex illis nascuntur, omni sese libidinis genere conspurcent? Capitis sanitas quæritur, ut membra corporis salua esse queant.

Coniugiũ fons est humanæ uitæ.

Quòd si argutulus quisquam dixerit, Quod prohibitum nõ est, alienũ à peccato est. Adulterium prohibetur, nõ scortatio. Ergo, &c. Huius argutatio perinde habet, ac si ex uerbis apostoli, 1. Timot. 3. ubi pręcipitur episcopo, ut sit irreprehẽsibilis, unius uxoris maritus, sobrius, pudicus, non uinolentus, non percussor, nõ litigiosus, &c. inferatur, Ergo ijs qui non sunt episcopi, liberum est, ut sint irreprehẽsibiles, plurium uxorum mariti, ebrij, impudici, uinolenti, percussores, litigiosi, &c. Huiusmodi argutatores uim faciunt diuinis pręceptis, dum ex illis inferunt à spiritu illorum prorsus aliena, imò contraria etiam. Dum enim ea quæ damnabilia sunt singulariter quibusdam prohibentur, haud sic prohibentur, ut solis illis illicita censeri debeant, sed ut certis de causis potissimũ illis uitanda esse significetur. A magistratibus requiritur, Exod. 18. ut sint timentes Dei, ueraces, & odientes auaritiam. Nequitia sit oportet, si inferas: Ergo ij qui non sunt in magistratu, liberè possunt esse impij, mẽdaces & auari. Magna ratione potissimũ à magistratu requiritur, quod in genere requiritur ab omnibus. Consimili modo sentiendum est de hoc præsenti præcepto: Ne committas adulterium. In genere ab omnibus requiritur, ut corporum suorum puritatem & sanctimoniam illibatam custodiant, & quemuis extraordinarium concubitum uitent. Verùm quoniam conuenit, ut singulari studio matrimonij honestas ac fides impolluta seruetur, singulariter ea phibetur scortatio, qua cõiugij sanctimonia dissoluitur ac defœdatur. Quare nulla prorsus scortatio permittitur, dũ adulterium hac lege nominatim prohibetur. Et hinc est, quod Christus Matth. 15. ubi secũdæ tabulæ pręcepta recenset, adulterio scortationem eueſtigiò subiungit: manifestè significans, hoc præcepto non solum adulterium, sed & scortationem prohiberi. Sed uideamus ex ordine, quæ sint in illa consideranda.

Præceptũ hoc non patrocinatur scortationi

CONSIDERANDA IN IPSO *præcepto.*

Prineipiò quærendum est, quid sit adulterium. Alij aliter sentiunt. R. Shlomoh sic dicit, בראוך אלא באשה איש שבמיתת אין ירמת חבראת רחבראת ראיבר האשה המנאפת תהתאישה תקח זרים: id est, adulterium non est nisi in uxore uiri cuiuspiã, de quo dictum est, Morte moriatur & adulter & adultera. Mulier adultera est, quę pro suo uiro alienos admittit. Sentit hic, adulterium committi non cum soluta, etiamsi illa ab uxorato aliquo uiro cognoscatur, sed cũ maritata tãtum. Et hunc Lyranus se qui uidetur, cum dicit, Mœchia est copula carnalis cum uxore alterius uiri, quæ reputatur una caro cum ipso. Et hæc secularium quoq; est legis latorum sententia, adulterium non committi nisi in uxore legitima, si illa uiciata fuerit uel à soluto aliquo, uel ab uxorato: secus uerò, si uxoratus rem habuerit cum soluta.

Quid sit adulterium.

1 Hęc sententia nõ probatur Theologis, qui adulteriũ esse iudicant, siue maritus uxori, siue uxor marito coniugij fidẽ non seruet, sed corporis sui potestatẽ alienis permittat: quod mihi quoq; plenius ad adulterij definitionẽ facere uidetur. Quid enim aliud est adulteratio, quàm cõiugalis fidei & integritatis uiciatio, qua quoquo modo aliena carne duorum unitas miscetur ac uiolatur? Vna caro sunt maritus & uxor. Et erunt, inquit, duo in carne una. Vnitatis huius uiciatio & corruptio rectè adulterium uocatur, eo quòd admissu alieni corporis, quod integrum erat, adulteratur & corrumpitur: unde factum est, ut adulterina uocẽtur, quæ cũ alienа sint, ac falsa, pro ueris substituũtur. Quis autem ignorat, ad integritatem coniugalis unitatis pertinere non solum uxoris, sed & mariti carnem? Matrimonium non solà uxoris, sed legitima mariti simul & uxoris coniunctione constat. Quare consequitur, integritatem coniugij non solum uxoris, sed & mariti scortatione dissolui. Et huc facit locus Apostoli 1. Cor. 7. quo manifestè traditur, uirũ quoq; non habere corporis sui potestatem, sed uxorem. Hac ratione inducor, ut malim sentire cum illis, qui adulteriũ esse dicunt, non solum si uxor, sed & si maritus usum corporis sui alienis cõmunicet: quàm uel cũ Ebręis, uel huius seculi legislatoribus.

Magister sententiarũ dicit: Adulterium est alieni tori uiolatio. Rectius dixisset ad hunc modum: Adulterium est legitimi tori uiolatio, siue ille alienus sit, siue proprius. Si maritus rẽ habeat cum soluta, suum ipsius torum uiolat, & adulterium admittit. Rursus, si solutus uxorem alterius polluat, alienus torus adulterio uitiatur. Si uerò coniugatus alterius coniugem corrumpat,

rumpat, & ſuum pariter & alienum torum, duplici nomine adulter uiolat.

Quãta ſit Deo matrimonij cura.

2 Deinde cogitandum eſt, quãta ſit coram Deo legitimi coniugij cura & ratio, qua factũ eſt ut uiolationem illius nominatim prohibuerit, cum tamẽ omnis generis impuritatem & impudicitiã deteſtetur. Magna eſt humani generis dignitas in ipſo creatoris cõſpectu. Eſt enim homo ad imaginem Dei conditus, quo honore, poſt eum qui deo peculiariter & cum primis competit, maior eſſe nequit. Itaq; quoniam ſic uiſum eſt Deo, ut è ſtatu coniugij ueluti fonte quodam, humani generis propagatio conſtet, ſingulari hoc præcepto pollutionẽ ac cõſpurcationem illius prohibuit, hoc agens, ut honeſtas coniugij dignitati generis noſtri ſeruiret.

Cõtemptores, & conſpurcatores matrimonij.

Quare indigni ſunt, qui humanæ ſint naturæ ac dignitatis participes, quotquot fontem illius uel contemnunt, uel impura libidine polluunt. Beſtiæ ſunt, non homines, qui uagæ libidinis impuritate magis quàm certi ac legitimi matrimonij honeſtate delectantur. Conſilio huic Dei ſeruit Apoſtolica doctrina, Ebr. 13. dicens: Honorabile cõiugium apud omnes, & torus immaculatus: ſcortatores uerò & adulteros iudicabit Dominus. Cõtra uerò Romani Põtifices, præpoſteriq; cœlibatus admiratores, in cõiugio nihil quàm immunditiã uident, eoq; illud nomine uitandum docent. Cogitarent ſaltem de hoc præcepto Dei, quo matrimonij uiciatio prohibetur, dum adulterium uetatur. Si immundum eſt matrimonium, quorſum attinet illius prohibere uiolationem? Cur damnatur adulterium, ſi adulterio nulla conſpurcatur coniugij puritas, nec quicquam in coniugio læditur quod Deo probetur? An non manifeſto documento conuincitur, admodum placere Deo legitimum coniugium, dum uiciatio illius perſpicua hac lege peculiariter prohibetur ac damnatur?

Quòd nulla eſt poſita ſpecificatio.

3 Tertiò & illud obſeruandũ uenit, quòd ſine ulla ſpecificatione ſimpliciter dicit, Ne cõmittas adulterium. Nemo mortalium hic excipitur. Præcipitur hoc nõ ſolis uxoribus, ſed & maritis: præcipitur non ſolis coniugibus, ſed & quibuſcunq; liberis hominibus, qui etſi nõ proprium, alienum, tamen torum libidine ſcortandi polluere ſolent. Magna eſt eorũ multitudo, qui ut alij de aliena quadra uictitãt, ita & ipſi de alieno toro libidinãtur: putantq; hoc minus ſe culpabiles eſſe, quòd liberi homines ſunt, & agami. Nocentiſsimum genus hominum, noctes & dies alienis toris inſidiantur: preſertim illi, qui de factione ſunt ſacrificorũ Cœnonicorum & monachorũ, quib. religio eſt legitimas ducere uxores: ſolenne uerò, quas poterũt conſtuprare, & matrimonij torũ, quẽ ſibi ducunt illicitũ, abſq; ullo timore dñi uiolare. Et interea ſibi ſuauiter hoc nomine blandiuntur, quòd uxorati nõ ſunt: quaſi hoc uno prętextu adulterij accuſari nequeant. Quare diligẽter obſeruandũ eſt, qd abſq; ulla ſpecificatiõe omnib. præcipitur, ne adulterentur: hoc eſt, ne coniugalem torum, ſiue propriũ, ſiue alienum uiolent.

Carnis noſtræ corruptio.

4 Quartò, hoc quoq; loco obſeruanda uenit carnis noſtrę corruptio, quæ tanta eſt, ut lege Dei opus habeat, qua coerceatur. Etenim ſi caſtum eſſet, ſincerumq; cor noſtrũ, nulla fuiſſet ratio prępipiendi, ne adulteremur. Præceptum autem eſt. Ergo tales ſumus, qui ad immunditiam ſcortationum & adulteriorũ propendeamus. Deinde ſic alieni ſumus à ſpiritu uerę charitatis, ut & erga cõiuges noſtras perfidi ſimus, & erga fratres iniuſti. Non incuſamus creatorem noſtrum, nec damnamus inſitam naturæ noſtræ uim, aptam ad generandum: ſed naturę noſtræ corruptionẽ agnoſcimus, & reprehẽdimus: qua fit, ut quod legitimũ erat & naturale, in omnis generis libidines degeneret, uſq; adeò, ut & ipſum originis noſtrę fontẽ conſpurcemus. Argumenta corruptionis huius ſunt, quòd non tam licita, pura & legitima, quàm illicita, impura & illegitima uenere delectamur: & ſicut ille ait, In uetitum nitimur, & negata concupiſcimus. Deinde, quòd etiã illi qui ab opere ſcortationis & adulterij abſtinent, leuius aliorum ſcortatione & adulterijs, quàm par ſit, offenduntur. Rariſsimus quiſq; eſt, qui pro dignitate honoret eos qui purè & honeſtè, & abominetur eos qui flagitioſe & inhoneſtè uiuũt: id quod hoc noſtro præſertim ſeculo in illis uidere licet, qui cum ſint magiſtratus & iudices, frigidiſsimè in ſcortatores & adulteros animaduertunt. Quomodo autem haud alieni ſint à crimine, qui nulla criminis abominatione afficiuntur, quid opus eſt ut admoneam? Itaq; de hac carnis noſtræ corruptione præceptũ hoc dei omnium ueraciſsimè teſtatur, & unumquemq; noſtrũm uellicat, ut corruptionis ac deprauationis noſtræ malitiam noctes ac dies intentiſsimè ac uigilãtiſsimè obſeruemus, ne ſi incautius egerimus, in uetitas libidines prolabamur. Neq; enim hoc tantum ex lege diſcimus, peccatum eſſe adulterium, & à deo prohibitum: ſed ſimul admonemur, quales ſimus, quàm uidelicet ad omnis generis turpitudinẽ more ſuum propendeamus. Et hoc demũ eſt, per legem cognitionem eſſe peccati, in carne uidelicet noſtra latentis, omnemq; uitam noſtram impurantis.

Quòd populo circumciſo lex iſta lata eſt.

5 Quintò, neq; illud tranſeundũ eſt, cuius & ſuprà in præcedẽti præcepto admonui, quòd de tã pudendis peccatis & immũditijs uitandis populo ſancto præcipitur, cuius caro quoq; ſacroſancto erat fœderis ſigno cõſignata & cõſecrata, de quo teſtificatur Apoſtolus Rom. 9. quòd illius ſit adoptio & gloria filiorum, & teſtamentum, & legislatio, & cultus, & promiſſa, & patres, & quòd ex illo ſit Chriſtus. Magnæ ſanè prærogatiuæ Iſraelitarũ. Et tamẽ illæ uſq; adeò non faciebant ad ueræ iuſtitiæ puritatem & efficaciam, ut perinde atq; reliquæ gentes peccato eſſent corrupti & infecti, & ad quamuis immunditiam propenderent. Admonemur

rurſus

rursus hac consideratione, naturæ nostræ corruptionem nullis huiusmodi prærogatiuis gratię & uocationis Dei, nullis externis obsignationibus & sacramentis sanari: sed opus esse uirtute spiritus sancti, per quem regeneremur ac repurgemur. Sine illo quorumuis peccatorum immunditiæ obnoxij sunt tam circumcisi, quàm baptizati: id quod res ipsa proh dolor nimis euidenter conuincit. Inter Iudæos & erant, & sunt etiamnum omnia plena adulterijs & scortationibus. Quanta obtinuerit inter nos Christianos scortandi & adulterandi licentia, deplorandum magis est quàm exponendum.

Naturæ nostræ corruptio nullis externis sacramentis sanatur.

DE TRANSGRESSIONIBVS huius legis.

Principiò admonendi sumus, ne de transgressione diuinæ legis secundũ nostri iudicij calculos, sed magis secundum legislatoris mentem iudicemus. Etenim ea demum uera censenda est transgressio legis, qua uoluntatem legislatoris transgredientes peccamus, quæ cũ primis in quauis est lege spectanda. Quòd autem uoluntatem Dei in hac lege attinet, non poterimus illam determinare accuratius, quàm si dicamus cum Apostolo, 1. Thess. 4. Hęc est uolũtas Dei, sanctificatio nostri, ut abstineamus à scortatione, sciatq; unusquisq; nostrũ, uas suum possidere in sanctificatione & honore, & non in passione concupiscentiæ, sicuti gentes quæ Deum ignorant. Admonet Apostolus hisce uerbis, hanc esse mentem dei, dum adulteria prohibet, quòd uelit nos studere munditiæ, & quamuis illicitam uitare libidinẽ. Quare de transgressione legis huius dicturis uidendum est, nõ solum quomodo adulterando, sed & quomodo alijs illicitis modis libidinando aduersus uoluntatem legislatoris peccetur.

De transgressione legis iudicandum est secundum mentẽ legislatoris.

Arbitror autem & hic tripartitam illam diuisionem esse retinendam, qua usi sumus in præcedenti præcepto: uidelicet ut uideamus, quomodo aduersus mentem dei peccemus primũ opere, deinde uerbo & signis, tertiò corde per concupiscentiam.

Peccatur opere, uerbo, signis & corde.

In transgressione quæ fit opere, consideranda est differentia personarum & circunstantiarum. Multum enim refert, cum quibus & quomodo pecces. Primùm si rem habeas cũ maritata, hoc est, alterius uxore, impuritas ista adulterium est, de quo suprà memini. Deinde si commiscearis cognatæ, affini & cõsanguineæ, incestus est. Personæ affines & consanguineæ, cũ quib. ppetratur incestus, Leu. 18. adnumerãtur istę: Mater, filiæ, nouerca, soror, siue germana ex utroq; parẽte, siue ex patre uel ex matre tantũ: neptis, siue ex filio siue ex filia: amita, matertera, uxor patrui, uxor auũculi, nurus, uxor fratris, priuigna, neptis uxoris, soror uxoris, & Leuit. 20. mater uxoris. His adijciendæ sunt, auia, hoc est, mater uel patris, uel matris, neptis ex fratre, neptis ex sorore, uxor nepotis ex fratre, uxor nepotis ex sorore: uxorij, id est, fratris uxoris filia, uxoriæ filia, soceri soror, socrus soror, uxor nepotis ex filio, uxor nepotis ex filia, nouerca patris, nouerca matris, soror aui, soror auiæ, neptis fratris, neptis sororis, uxor fratris aui, uxor fratris auiæ, uxor nepotis fratris, uxor nepotis sororis. Cum omnibus hisce personis cõmittitur incestus: quare cauendũ est, ne cũ quapiam ex illis cõtrahatur matrimoniũ.

Opere peccatur.

Cum maritatis

Cum cognatis, affinibus et cõ sanguineis.

Tertiò, si congressus fiat cum uirgine, stuprum admittitur. Est autem stuprũ, illicita uirginalis integritatis defloratio & corruptio. Reperias quamplurimos, quorũ singulare hoc studium est, ut uirgines antea intactas constuprent, deq; ea sua nequitia perinde gloriẽtur, ac si nescio quæ hostilia castra expugnarint. Turpissimum genus hominum, quasi ad hoc natum, ut honestatem sacrosancti coniugij in ipso adhuc ueluti flore uirginalis pudicitię cõspurcet.

Cum uirgine.

Quartò, si ui constupres uirginem, uel uicium inferas aut maritatæ, aut uiduæ, uel cuicũq; tandem mulieri, raptus est. Tale erat, quod Sichem Eueus in Dinam filiam Iacob, Gen. 34. admisisse legitur. Et incestus & raptus erat, quòd Ammon filius Dauidis sororẽ suam Thamar ui oppressit, 2. Sam. 13.

Si cum uiolentia & raptu.

Quintò, si solutus cum soluta rem habeat, congressus iste scortatio uocatur. Est autem triplex scortatio. Alia est amatoria, alia meritoria, alia uaga. Sunt enim qui illicito mulierculæ amore aliquandiu capti, cum illa tantisper scortantur, dum expleta libido amorem mutauerit in fastidium. Rursus sunt, qui libidinis impulsu meretricibus pro uili precio iunguntur. Sunt autem duo meretricum genera, domesticum & occultum unum, publicum & prostibulare alterum. Adhuc sunt, qui singulari studio uagam sectantur scortandi libidinem, quibus uolupe est, si cum multis fuerint scortati.

Si solutus cum soluta.

Hactenus obiter recensuimus, quibus modis peccetur opere, per extraordinarios cũ mulierculis congressus. Peccatur autem enormiter etiam, cum naturæ ordo inuertitur: id quod fit primùm per peccatum Sodomiæ. deinde per congressum cum bestijs: quæ duo genera detestabilis immunditiæ hodie uidentur apud nationes aliquot magnatibus esse in delicijs, sic ut inuentus sit nostra ætate Carnalis quidam, qui edito quoque libello Sodomiam laudarit ac deprædicarit.

Contra naturã

Videndum iam est, quomodo adulteria, incestus, stupra & scortationes, uerbis etiam & signis admittantur. Quemadmodum Matth. 5. non solum qui manu occidit, sed & qui concep-

De signis & uerbis.

ptam cordis malitiam uel signo, uel uerbo expresit, homicidij reus est: ita hoc quoque loco, non solum qui opere perpetrat immunditiam, sed & qui signis & uerbis mulierculam sollicitat, uel adulterij, uel incestus, uel stupri, aut scortationis reus habetur, etiamsi opus ipsum sequutum non fuerit.

Signa. Signa sunt, quæ uel nutibus oculorum, uel manibus, uel munusculis, uel literis fiunt.

Verba. Verba adhuc expresius agunt, quod signa præcedentia delinearunt. In uerbis sunt, cõcupiscentiæ declaratio, quam solent amoris prætextu palliare, consensus petitio, & aureorum montium pollicitatio. Sunt qui uerbis futurum promittant coniugium, quo stultam & credentem puellam ad consensum pelliciant, cum nihil minus habeant in animo.

Haud est autem ut quisquam de hac sententia dubitet, qua uetitę libidinis reum, adeoque & diuinæ legis huius transgressorem eum esse dicimus, qui mulierem non suam uel signis, uel uerbis ad opus immunditiæ sollicitat. Etenim si teste Christo, qui mulierem ad concupiscendum uiderit, adulterium cum ea in corde admisit: quomodo nõ est hoc uerius de eo sentiendum, qui non solum uidet ad concupiscendum, sed & concupiscentiã suam signis & uerbis mulieri significat? Potest mulier cõcupiscendo uideri, sine ipsius conscientia, & absq; omni cordis illius infectione: uerùm ubi concupiscentiæ accesserint manifesta signa & uerba, pectus mulierculæ sollicitantia & inflammantia, quis non uidet plenius hic quàm simplici concupiscentiæ uisu admitti uel adulterium, uel stuprum, uel incestum, uel scortationem? Facile est & momentaneum, mulierẽ concupiscendo uidere. Accidit hoc subinde & pijs hominibus priusquam animaduertant, dum incautius ambulant: uerùm mox uoluntate contraria emendatur. At ubi signa & uerba impudica accesserint, indiciũ profertur animi sese non cohibentis, sed illicitæ libidini non iã concupiscendo tantũ, sed & sollicitando & molliendo inhiãtis.

Non solũ opus adulterij, sed et uolũtas & conatus prohibetur. Qui dicit, Ne admittas adulterium, non solum ipsum adulterij opus, sed & uoluntatem & conatum ad eam immunditiam anhelantem uetat. Quisquis signis & uerbis mulierculam de concupiscentia sua instruit, & ad impetrandum consensum sollicitat, utiq; quod affectat, ad ipsum opus perducere conatur. Qui sic conatur, reus omnino est facti, etiamsi factum non sequatur. Fur est planè, qui studio furãdi tenetur, etiamsi ne obulum quidẽ sit furatus: eo quod nõ uoluntate, sed uel metu pœnę, uel alijs remoris impeditur. Sic adulter est, qui studio & conatu propendet ad opus adulterij. Non potest excusari ab adulterio, qui oculis, manibus, gestibus corporis, & lingua impudica spirat adulteriũ. Nec ipse qui talis est, hoc de se profiteri potest, quod nõ sit adulter. Adulterium enim non auersatur, sed negatum etiam improbè insectatur: & si copia illiciti datur operis, cupidissimè omnis timoris Dei & honestatis oblitus amplexatur. Quomodo ergo peccati reus nõ esset, qui ad opus & consummationem peccati non corde tantùm, sed & studiosissimis conatibus nocte ac die inhiat: & si uoti compos factus non fuerit, admodum discruciatur: in ipsa deniq; conscientia sua coram suo ipsius tribunali, adulterij reatum non deprecatur?

Concupiscẽtia cordis. Tertiò, quod concupiscentiam cordis attinet, quamuis multum sit discriminis inter hanc & ipsum adulterij opus: inde tamen non impeditur prauæ concupiscentiæ censura, qua adulterij reus rectè censetur coram Domino, quisquis mulierem alienam in corde concupiuerit, etiamsi nec signis & uerbis, nec facto opus adulterij perpetrauerit. Et Christus ipse cum adulterij damnat eum qui mulierem ad concupiscendum uiderit, satis admonet, non uisum, sed concupiscentiam reatum sustinere adulterij.

Discernendum inter iudicium seculi, & iudicium Dei, propter rudiores. Discernendum hic est inter iudicium huius seculi, & iudicium Dei. Nulla lex seculi concupiscentiam cordis uel uetat, uel punit. Corã mundo satis purus est, qui à studio & conatu immundi operis abstinens, malum in corde, ne quo pacto erũpat, cohibere potest. Nequit enim iudex homo ad cordis penetrare affectus, qui non humano, sed solius Dei subiecti sunt iudicio. Nemo nouit, inquit apostolus, quid sit in homine. Et Germanico prouerbio dicimus, *Ge dencken seindt zoll frey.* Verùm coram tribunali summi iudicis iudicatur homo non secundum ea tantùm quæ facit, sed potius secundum id quod est. Est autem homo id uerius, quod corde est, quàm quod opere ostendit. Qualitas cordis, qualitas est hominis coram Deo. Cor immundum & adulterum, homo immundus est & adulter, si ad iudicium Dei respicias. Vbi cordis immundicies foras erumpit, hominem reddit etiam coram hominibus immundum, & humano iudicio obnoxium.

Qualitas cordis, qualitas est hominis corã Deo.

Admonitio. Hac consideratione admonemur omnes, ut de nobisipsis sentiamus nõ secundum humani iudicij calculos, sed secundum infallibilem censuram dei. Conscientia ipsa conuincit nos, & testimonium ueritatis reddit iudicio Dei. Non potest latêre nos, quod in corde nostro sensu omniũ uiuacissimo uiuit. Multa didicimus uisu, auditu, studio & disciplina: adeoq; & multa scimus, quorum tamen sensu subinde non tangimur. Verùm concupiscentia praua semper in corde uiuit, semper ad operis effectum sollicitat & eluctatur. Quare fieri nõ potest, ut conscientiam nostram fallat. Nihil itaq; excusationis relinquitur, ne coram ipsa quidem cõscientia nostra, nedum coram omnium cordium inspectore & iudice Deo. Verùm hac de re, uolente Domino, infrà in ultimo præcepto dicturi sumus.

DE

DE CAVSIS ADVLTERII, ET OMNIS *generis immundicie.*

Primaria mali huius cauſa eſt, catholica illa carnis noſtræ corruptio, quæ quaſi fons eſt malorum omnium: unde promanãt homicidia, adulteria, furta, rapinæ, &c. Apoſtolus ubi Rom. 7. de fonte hoc malorum queritur, uocat eum peccatum habitans in carne noſtra, deprauatã uidelicet naturam ad omnia mala procliuem, quam rectè peccatũ uocat: cùm quòd inimica eſt & aduerſaria legi Dei, tum quòd radix eſt peccatorum omnium. Hæc eſt originalis illa immũdicies cordis, unde ſigna, uerba & opera internam impuritatem referentia prodeunt. Senſit illam Dauid, cùm de adulterij & homicidij peccatis eſſet à propheta admonitus. Vnde & dicebat clamans ad Dominum, Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in uiſceribus meis, Pſal. 51. Vbi cor mundum in ſe creari petit, manifeſtè fatetur, eſſe ſe pollutum corde, & præcedentia peccata ex ordine immundo promanaſſe. Pro hac cordis impuritate repurganda quotidie ad Deum orant ſancti, illamq; qua poſſunt diligentia obſeruant, & ne erumpat, cohibere ſtudent.

Cauſas malorũ inueſtigare prudentũ eſt, & eorum qui de remedio ſeriò cogitant.

Primaria cauſa catholica, carnis noſtræ corruptio.

Secundariæ cauſæ ſunt, quibus malum in corde latens ſaginatur & excitatur. Saginatur Cerere & Baccho. Vnde ille dicebat, Sine Cerere & Baccho friget Venus. Saginatur ocio & mollicie. Dauid cũ domi ocioſus deſideret, & meridionalis ſomni mollicie diffluëret, lapſus eſt in adulteriũ cum Berſabe, uxore Vrię: id quod illi, cùm exilio bellicisq; laboribus exerceretur, non accidit. Vnde Poeta rectè dixit, Ocia ſi tollas, periere Cupidinis arcus. Item: Quęritur, Aegiſthus quare ſit factus adulter? In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat. Vbi igitur iſta coniunguntur, ſaturitas uentris, & molle ocium, quid expectari poterit aliud, quàm ut uẽter ſatur, & ocioſe delicatus in quamuis illicitam deſpumet libidinem? Haud opus eſt exemplis. Inſpiciatur uita Pontificum, Carnalium, ſacerdotum, monachorũ & monialium: ex quorum mollicie, ocio & pingui aqualiculo tantum iamdudum impuritatis profluxit, ut dubites an impurius hominum genus ſub cœlo uixerit unquã. Notus eſt locus Ezech. 16. ubi ſic legitur: Ecce hæc fuit iniquitas ſororis tuę Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis, abũdantia, & ociũ ipſius & filiarum eius: & manum egeno & pauperi non porrigebant, & eleuatæ ſunt, & fecerunt abominationes coram me. His uerbis cauſas tam abominabilis immundiciæ propheta reijcit in ſuperbiam, ſaturitatem, abundantiam, ocium & immiſericordiam.

Secundariæ cauſæ.

Saginatio.

Excitatur cordis impuritas obiectis externis, uel uiſu, uel auditu, uel tactu, uel lectiõe etiã laſciuia & impura. Præſentiſsimum uenenum hauritur oculis. ut rectè dixerit Sapiens, Nequius oculo quid creatum eſt? Quare qui ſtudio tenentur ſeruandę puritatis, oculos ſuos cohibent, ne licentius extrauagentur. Sic Iob dicebat cap. 31. ~~Pepigi fœdus cum oculis meis, ut~~ ne cogitarem quidem de uirgine. ~~Oculos ſuos non cuſtodierunt filij potentum~~, Geneſ. 6. ſed uiderunt filias hominum quòd eſſent pulchræ, & acceperunt ſibi quas uolebãt. Oculos ſuos non cuſtodiuit Sichem, filius principis Emor, ubi uidit Dinam filiam Iacob, uiſamq; cõcupiuit & rapuit. Oculis ſuis licenter uſa eſt uxor Putipharis, intẽtius contemplando pulchritudinem Ioſeph. Dicit enim ſcriptura: Poſt multos dies iniecit domina ſua oculos in Ioſeph, & ait, Dormi mecum, Geneſ. 39. Dauid uiſa Beerſabe, ſtimulos concupiſcentiæ ſenſit, 1. Samuelis 11. Innumera ſunt huiuſmodi exempla.

Excitatio.

Oculi.

Gen. 34.

Excitatur hoc malum etiam auditu. Ex uerbis enim & cãtilenis impuris magna uis eſt ad mouendam in corde concupiſcentiam. Corrumpunt bonos mores colloquia praua, inquit Apoſtolus. Quare caſtæ menti fugienda ſunt etiam omnia huiuſmodi illectamenta malorũ, quę auribus hauriũtur, ne interdiu audiat, de quo nocte cogitet. Deteſtabiles homines ſunt, qui coram iuuenibus ſua ipſius flagitia & præteritæ uitæ impuritatem deprædicant. Facillimè periclitatur adoleſcentis caſtitas, ubi aures uocis & modulationis ſuauitatem ex ore laſciuę puellę hauſerunt. Blandula ſalutatio, quãtum quæſo uirus ſtulto adoleſcenti propinat?

Auditus.

1. Cor. 15.

Excitatur etiam contactu externo malum illud in corde latens. Inſidioſum obiectum eſt, ſi contrectandi datur copia. Malum hoc in choreis impunè regnat. Difficile eſt picem ſine inquinatione contrectare, ſicuti Sapiens admonet.

Contactus.

Ex impura lectione quantum ſit incitamenti, quorſum attinet monere? Ipſa delectatio, quam hinc carnales homines uenantur & hauriunt, ſatis habet teſtimonij, fugienda eſſe caſto homini omnis generis impura ſcripta: quemadmodum & laſciuas imagines, quibus hodie pleriq; ſic delectantur, ut turpiſsimas quaſuis hiſtorias, & imagines impudiciſsimè adornatas conclauibus ſuis infigant. Et utinam talia non inueniantur in cubiculis epiſcoporum & monachorum.

Impura lectio.

Plurimum etiam mali eſt ex impunitate, qualis eſt hodie magiſtratum & ſacerdotum. Si laſciuia illorum, legum ſeueritate coercita fuiſſet, tantum offendiculorum haudquaquam fuiſſet introductum in eccleſias Chriſti.

Impunitas.

Deniq; & occaſio, quæ, ut prouerbio dicitur, furem facit, multum pręſtat incitamenti, ſiue ſit illa ex cohabitatione & conuerſatione, ſiue ex ſolitudine, qua ſolus cum ſola abſq; ullis ar-

Occaſio.

bitris licenter aut furtim etiam conuersatur. Hanc quærebat Ammon, cum stuprum & incestum in sorore Thamar meditaretur, 2. Samuelis 13.

Verùm præsentis instituti non est, singulas mali huius causas, quæ undequaq; obijciũtur, & incautos perdunt, diligentius persequi. Vtinã hasce saltem, quas recensuimus, adolescentes timore Dei præditi, diligenti cautione fugiant.

DE GRAVITATE SCORTATIONIS & adulterij.

Impunitas. Obtinuit hoc postremo seculo detestabilis ista & nocentissima peruersitas, ut quo magis inualescunt scortationes & adulteria, hoc securius peccetur: & uel nihil, uel certè parum delicti scortando & adulterãdo admitti censeatur. quod malũ nemo satis perpenderit: cuius culpam præ alijs sustinebunt in die iudicij, qui pro authoritate potestatis suæ crescenti malo poterant ac debebant occurrere. Est itaq; operæprecium, propter eos saltem qui nondum omnem timorem Dei abiecerunt, paucis perstringere, quanta sit peccati huius grauitas, quanta malicia, & quæ pœnæ.

Generalis grauitas. Cogitet homo timens Dei, primùm de communi ac generali grauitate, qua in genere quibus peccata sic grauantur, ut meritò sint summo studio fugienda. Ea est, quòd non solùm diuinæ uoluntati repugnant, sed & expressum habent præceptorum Dei contemptum. Pius homo nolit aliquid facere quod Deo displiceat, etiamsi nullo expresso illius mandato sit prohibitum: quanto magis curandum est, ne admittatur quod contra manifestum aliquod sit diuinæ maiestatis mandatum? Facilè apparet quantũ oporteat esse contemptum authoritatis diuinæ, si quis scienter ac prudenter cum Eua & Adamo mandatum Dei transgrediatur.

Specialis grauitas. Deinde cogitandum est de eo quoq;, quod præceptum hoc, Ne admittas adulterium, unũ est ex ijs quæ relata sunt in tabulas fœderis. Graue est, quodcunq; præceptum Dei trãsgredi. Grauius uerò est, etiã ea uiolare, quæ fœderi diuino peculiariter sunt annexa: & eam ob causam in tabulas fœderis relata, ut hoc maiori studio & religióe à populo fœderis custodiãtur. Magna est fœderis gratia. Quare singularem etiam obseruãtiam & custodiam ea præcepta requirunt, quæ tanquam uerba & tabulæ fœderis sunt populo Dei proposita. Consequitur ergo, singularem etiam contemptum dei respere eos, qui in tabulas fœderis peccare nõ ueren

Peccare in tabulas fœderis.

Simile. tur. Multa quidem sunt peccatorum genera, quibus uxor maritum suum quotidie pro mulierbri imbecillitate offendit: quæ & ipsa pondus suum habent, & ab honesta uxore diligenter cauentur. Ea uerò demùm omnibus istis grauiora non immeritò censentur, quæ aduersus tabulas desponsationis admittuntur. Arguunt enim illa animum usqueadeò mariti cõtemptorem, ut & ipsam desponsationem uiolare nõ dubitet. Sic habent etiam ea peccata, quibus in tabulas diuini fœderis delinquitur, ex quibus est adulterium.

Grauitas ex circumstantijs. Tertiò, considerandæ sunt etiam circunstantiæ peccati huius. Circunstantiarum autem aliæ sunt ex personis, cum quibus peccatur, aliæ temporis, aliæ modi. De differentia personarum dictum est suprà. Grauius peccat, qui cum uirgine, uel cõsanguinea, uel maritata, quàm qui cum corrupta, uel aliena, uel soluta peccat. Grauius peccatum est, quod usitatum iam ac diuturnum, quàm quod semel aut iterum duntaxat est admissum. Grauius etiam est, quo senex, quàm quo iuuenis delinquit. Adhuc grauius est, quod studio ac data opera admittitur, quàm quod fortuitò accidit. Numerosior est multitudo circunstantiarum, quibus peccatum hoc aggrauatur, quàm ut singulæ recenseri queant. Possunt tamen facilè in quouis peccato obseruari, si animus adsit timens Dei, & piè circunspectus.

DE MALO SCORTATIONIS & adulterij.

Commune malum, quod regno Dei excludit. Quantum sit peccati huius malum, quantaq; noxa, nemo satis perpẽderit. Annotabo pauca quædam peculiaria. Illud cõmune habet cum alijs præcipuis peccatis, quod è regno Dei excludit. Sic enim apostolus 1. Cor. 6. affirmat, Nolite errare. Neq; scortatores, neq; idolis seruientes, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum cõcubitores, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces, regnũ Dei possidebũt. Maximũ omnino malum sit oportet, quod hominẽ perpetuò subijcit exitio, dum eum è regno dei excludit. Quare malum hoc nõ eo debet in isto peccato leuius æstimari, quòd cõmune est & alijs peccatis: sed potius grauissimum duci, quòd hominem reddit omnium infelicissimum. Verùm, ut dixi, inspiciamus ea mala, quæ peculiariter huic peccato adhærent.

Fons generis nostri contaminatur. 1 Primùm, ipsum fontem ac radicem generis nostri cõtaminat, non solùm qui adulteriũ admittit, sed & qui scortatur. Vis gignendi, naturaliter carni nostræ magno diuinæ prouidẽtiæ cõsilio indita, unde generis nostri propagatio cõstat, hoc peccato peruertitur ac profanatur, dum corruptis ac prauis uetitæ libidinis affectibus mancipatur. Quis autẽ satis perpenderit,

quantum

quantum peccati sit, & quã detestabile, generationis nostræ fontem & originẽ conspurcare?

Publica honestas uiolatur.

2 Deinde, publicam honestatem uiolant scortatores & adulteri, cuius maxima debet haberi ratio. Voluit Deus humani generis ortus esse legitimos & honestos, ne uita nostra in ipsa polluatur radice & origine: ideoq; omnis generis immundiciã uetuit. Quæ autẽ esse posset utilitas honestorum natalium, si uitæ nostræ societas contaminetur, & publica honestas uioletur? Quemadmodum igitur indigni sunt humano conuictu, qui nullo tenentur retinendæ publicæ honestatis studio: ita peculiariter detestabile est hoc peccatum, quo humani conuictus honestas dissipatur.

In propria corpora peccatur

3 Tertiò, & hoc peculiare malum, qui scortantur & adulterãtur, incurrunt, quòd in sua ipsorum corpora peccant. Hac de re admonet Apostolus 1. Corinth. 6. ad hunc modum: Fugite scortationem. Omne enim peccatũ, quodcunq; fecerit homo, extra corpus est: qui uerò scortatur, in suum ipsius corpus peccat. In proprium corpus peccare, est proprio corpori iniuriã inferre. Fit illud bifariam: aut constitutionem illius lædendo, uel sanctimoniam & puritatem polluendo ac profanando. Constitutio corporis nostri læditur crapula & ebrietate: puritas & sanctimonia contaminatur scortatione, adulterio, mollicie, incestu, stupro, Sodomia & bestialitate, ut ita dicam. Honos corporis nostri, est illius puritas & sanctimonia. Illa polluitur peccando, quando actus peccati talis est, ut ipsum corpus pollutũ ac fœdum reddat: id quod dictis iam modis contingit. Huc respicit Apostolus etiã 1. Thess. 4. cùm dicit, Hęc est enim uoluntas Dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis à scortatione, & sciat unusquisq; uestrũ uas suũ possidere cum sanctificatione & honore: non cum affectu concupiscentiæ, quemadmodum & gentes, quæ non nouerunt Deum. Videmus hoc loco, quomodo in proprium corpus peccet scortator & adulter, dum scortando & adulterando corporis sui honorem & sanctimoniam polluit. Est enim Paulo abstinere à scortatione, uas suum, id est, corpus, possidere cum sanctificatione & honore.

Homo dementatur.

4 Quartò, est & hoc peculiare malum in spiritu scortationis & adulterij, quòd hominẽ semel occupatum sic dementat & excæcat, ut nec honoris, nec nominis, nec facultatum suarũ rationem habeat. Voluerunt huius admonere quosuis, qui Cupidinem Veneris filium, cęcũ pingere cœperunt. Reuera cæci sunt scortatores & adulteri. Nec suam nec scortorum suorũ turpitudinem uident: qua de tandem, si per gratiam Domini resipiscẽtia datur, admodũ erubescunt. Putant se deliciari in rosis, ubi uelut in cœno turpitudinis uolutantur.

Perpetuũ peccandi studium inditur.

5 Quintò, peccatum hoc & illud in se habet, quòd non uno & altero turpitudinis actu absoluitur, sed perpetuo quodã studio fertur, & captiuũ tenet hominẽ, animumq; illius noctes ac dies uanissimis cogitationibus ac desiderijs implicatum fatigat. Etiam ubi corpus iam est senio grauatum & uelut emortuum, animus tamen adhuc est infectus: id quod in senibus illis uidere licet, quibus dulcissimum est, si de amoribus & ineptijs iuuentutis suæ garriant.

Redditur homo leuis & inutilis.

6 Sextò, reddit etiam hominem non modò uanũ ac leuem, sed & inutilem prorsus. Fieri nõ potest, ut uel alijs, uel sibi sit utilis, qui spiritu ac studio scortatiõis tenetur, siue sit iuuenis ac solutus, uel maritatus, siue priuatus existat, siue in publica functione constitutus. Quid enim egregij præstaret animus illaqueatus, fascinatus & obcæcatus?

Incurruntur maxima discrimina.

7 Septimò, conijcit hominem in maxima discrimina. Preciũ scorti, inquit Sapiens, uix est unius panis: mulier autem preciosam uiri animam capit. Item: Zelus, inquit, & furor uiri nõ parcet in die uindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus. Prouerb. sexto. Et capite septimo comparat scortatorem & adulterum boui ad uictimam ducto, & aui ad laqueum festinanti: eo quòd nesciat, quod de periculo animæ illius agitur. Stuprum Dinæ quantum discrimi nis attulerit, Genes. cap. 34. uidere licet. Quid Beniamitis acciderit, liber Iudicum cap. 19. & 20. docet. Adulterium Dauidis notum est, unà cum fructu quem illi peperit. Refertus est mũdus quotidianis exemplis.

Duæ personæ peccato inuoluuntur.

8 Octauò, & hoc peculiare habet, quòd qui scortatur & adulteratur, nõ modò seipsum, sed & eam cum qua delinquit, peccato inuoluit. Qui furatur, qui occidit, qui falso testificatur, qui parentibus est inobediens, qui bona proximi sui concupiscit, qui dijs alienis seruit, qui corã simulachris incuruatur, qui nomine Dei abutitur, &c. peccat quidem & ipse, uerũ peccat solus, nec quenquã peccato suo necessariò inuoluit: quod facit scortator, adulter & Sodomita. Sic hoc genus peccati comparatum est, ut duos simul homines complectatur, & in perditionem abijciat. Qui aliàs peccat, quoniam solus peccat, solus resipiscens restituitur, & in cõscientia sua per gratiam Dei pacatur. Scortator uerò, adulter & Sodomita, ubi resipiscunt, si uerè resipiscunt, non poterunt non plurimum in conscientijs suis eorum quoq; nomine turbari, cum quibus peccarunt, & quibus peccandi fuerunt authores.

9 Nonò: Hæc & multa alia secum trahit peccatum scortationis & adulterij, à quocunq; tandem admittatur: uerùm quæ sequuntur, Christianos concernunt.

Quantũ malorũ Christianis peculiariter inferatur.

Primùm, quod Christianus scortando & adulterãdo, ex membris Christi facit mẽbra scorti. qua de re Paulus admonet 1. Corint. 6. dicens: An nescitis, quòd corpora uestra mẽbra sunt Christi? Num igitur tollens membra Christi, faciam membra scorti? Absit. An nescitis, quòd

qui adglutinatur ſcorto, unum corpus eſt? Redigentur enim, inquit, duo in carnem unam.

Deinde, quòd templũ ſpiritus ſancti profanat. Sicut enim Apoſtolus loco iam citato dicit, Corpus hominis Chriſtiani, templum eſt ſpiritus ſancti, quẽ in ſe habet à Deo. Quã autẽ graue ſit utrunq; ex membris Chriſti facere membra ſcorti, unumq; corpus fieri cum ſcorto: deinde & templũ non lapideũ aliquod & umbratile, ſed uerũ ac uiuũ, in quo ſpiritus ſanctus habitat, profanare ac contaminare, Chriſtiani hominis pectus facilè cogitare poteſt.

Addit Apoſtolus & tertiũ malum, quo peccatur in ſanguinẽ redemptionis, ac ius redẽptoris. Empti eſtis, inquit, precio magno, & non eſtis ueſtri. Glorificate igitur Deum in corpore ueſtro, & in ſpiritu ueſtro quæ ſunt Dei. Ergo qui ſcortatur & adulteratur totum ſe corpore & ſpiritu iuri Chriſti redemptoris adimit, & Deum ignominia afficit, quem in corpore ac ſpiritu ſuo per mundiciam ac ſanctimoniam utriuſque glorificare debebat.

Volui iſta breuiter perſtringere, ut pijs hominibus occaſionem prebeam de peculiari peccati huius malo & noxa cogitandi: quo quẽadmodũ ſingulariter eſt noxiũ, ita & ſingulari odio ac deteſtatiõe fugiatur. Eſt enim meritò ocioſum, quicquid peculiarem quandam habet ad nocendum maliciam. Multa ſunt uenenatorũ animaliũ genera, quæ fugiuntur omnia: uerùm quę ſingulare quoddã & pręſentius uenenum habent, ſingulari etiam odio habentur, & diligentius uitantur: quales ſunt uiperæ, & id genus aliæ quędã beſtiæ. Cogitet ergo pius homo, ſcortationẽ eſſe quandam nocentiſsimã uiperã: uel hoc nomine deteſtabilem, & fugiendam, quòd peculiari quadam malicia ſcatet, quo & Apoſtolus loco ſuprà citato reſpexit.

DE POENIS VETITAE LIBIDINIS, SCORTATIONIS, ſtupri, inceſtus, raptus, adulterij, Sodomiæ, & beſtialis coitus.

Non ſolũ præcepta ſunt audienda, ſed & minæ formidandæ.

Quemadmodum diuina prouidentia non ſolũ uerbis immundiciam illicitę libidinis prohibuit, ſed & pœnas ad coercendã illam adiecit: ita & nobis curãdum eſſe arbitror, ut nõ modò prohibentis uerba audiamus, ſed & pœnarum ſeueritatem obſeruemus. Non erat opus pœnis, ſi uerbum Dei, ſiue docentis, ſiue prohibentis, pondus ſuum & efficaciam in cordib. noſtris haberet. Verũ quoniã pro ingenij noſtri corruptione, uanitate ac leuitate, imò uerius impietate, omnis doctrina, omnis admonitio, omne deniq; mandatum, cùm præcipiens, tum prohibens contemnitur, ne quid omitteretur ad refringendam huiuſmodi ingenij noſtri maliciam neceſſarium, adiectæ ſunt pœnę, quarum ſeueritate nolentes uolentes à peccandi temeritate cohibeamur. Quare uiſum eſt etiam hac de re admonere, ne deſideretur tractatus huius portio tam neceſſaria.

Duplices pœnæ peccatorũ.

1 Sunt autem duplices peccati huius pœnæ conſiderandæ. Primum genus eſt, quod nullis legibus cõprehenſum, libera ultione infertur. Huiuſmodi ultiones aliæ angelico, aliæ humano miniſterio perficiuntur. Angelico miniſterio flagellatus fuit Pharao & domus eius plagis maximis, propter Saram uxorem Abrahæ. Gen. 12. Prior mundus propter infrenem libidinẽ diluuio perijt. Gen. 6. 7. Sodoma cũ uicinis ciuitatibus propter abominabilem immundiciã igne cœleſti conflagrauit. Gen. 19. Humano miniſterio ciuitas Salem, propter ſtupratã Dinã, excidio data eſt. Gen. 34. Iſraelitarum uigintiquatuor millia propter ſcortationem perierunt, & iudices ad ſolem ſuſpenſi ſunt. Num. 25. Tribus Beniamin propè tota extincta fuit, propter mulierculam uiolenta libidine necatam. Iudicum 19. & 20.

Pœnæ adulterorum.

2 Alterum genus pœnarum, quibus de immundis uindicta ſumitur, legibus eſt comprehẽſum, nõ humanis tantũ, ſed & diuinis. De adulteris uidere eſt Leuit. 20. & Deut. 22. Si mœchatus quiſquã fuerit cũ uxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi ſui, morte moriantur & mœchus & adultera. Item: Si dormierit uir cum uxore alterius, uterque morietur, adulter & adultera, & auferes malum de Iſrael. Secundũ hanc legem ſolebant adulteri & adulteræ in Iſrael lapidibus obrui, ſicut uidere eſt in hiſtoria Suſannæ. & Ioann. 8. ubi ad Dominum Phariſæi dicebãt: Magiſter, hęc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio. In lege autem mandauit nobis Moſes, huiuſmodi lapidare. Hanc diuinæ legis ſeueritatem imitata eſt lex Iulia apud Romanos, qua adulteri capite plectebantur. Eam ſeueritatem principes & epiſcopi noſtri leuioribus pœnis mitigarunt.

Chriſtiani principes legẽ de adulteris enerũarunt.

Alij uerberatum adulterum monaſticæ diſciplinæ ſubiecerunt: alij dotis amiſsione multarunt adulteram, & adulterum donatione nuptiali priuarunt. Noſtri adulteros adhuc clementius tractant, magis quàm puniunt. Vtinam clementia ſua efficiant, ut minus ſit adulteriorũ. Miranda res eſt: clementes ſunt erga adulteros, & ſeueri erga fures. Sunt qui Chriſtum pœnam legalem in adulteros latam, Ioan. 8. abrogaſſe dicant, cùm dixit adulteræ: Nec ego te cõdemno, uade, & poſthac ne peccaueris. Belli homines, non cogitant Chriſtum ueniſſe in mũdum non ad iudicandum & plectendum peccatores, ſed ad ſaluandum: & interea non ſuſtuliſſe pœnas legales, à Deo patre per Moſen latas. Vnde & non ſimpliciter dicebat, Non condemno te: uel, Non debes à quoquam condemnari. ſed cùm præmiſiſſet, Nemo te condemnauit mulier? illaq; reſpondiſſet, Nemo Domine: tum ſubiunxit, Nec ego te condẽno. Erat omnino

nino aliud dicturus, si condemnata fuisset secundum legis sententiam: nequaquam legi contradixisset. Quare non patrocinatur uerbis suis impunitati illi, qua hodie omnis generis flagitia in immensum excrescunt.

De pœna incestus.

De pœna incestus uide Leuit. 20. Mortis sententiæ subijciuntur, qui rem habuerũt uel cũ nouerca, uel cum nuru, uel cum socru, aut cum sorore, aut cum matertera uel amita, siue cum uxore patrui uel auunculi, siue cum uxore fratris sui.

De stupratoribus uirginum.

De stupratoribus uirginum Deut. 22. sic præcipitur: Si inuenerit quisquã puellã uirginẽ, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad iudicium uenerit, dabit qui dormiuit cũ ea, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam uxorem: quia humiliauit eam, & non poterit dimittere eam cunctis diebus uitæ suæ. Hæc ibi. Summo pere necessarium esset hanc legem uigori suo restituere, propter eos qui uirginali pudicitiæ studiosissimè insidiantur, & puellas sub spe coniugij fallunt & corrumpunt. Si puella uiciata fuerit sponsa, & ipsa & stuprator lapidibus obrui iubentur, capite eodem.

De raptoribus

Qui raptu ac ui uel uirginẽ, uel mulierẽ stuprauerit, secularibus etiã legib. morte punitur.

De peccãtibus contra naturã.

Qui contra naturam, libidinẽ siue cum masculo, siue cum iumento exercet, Leuit. 20. morte adiudicatur. Qui dormierit, inquit, cum masculo, coitu femineo, uterq; operatus est nefas, morte moriantur: sit sanguis eorum super eos. Item: Qui cum iumento, ait, & pecore coierit, morte moriatur: pecus quoq; occidite. Mulier quę succubuerit cuilibet iumento, simul interficiatur cum eo. Sanguis eorum super eos.

Seueritas pœnarũ ex grauitate peccatorũ iudicetur.

Hæc obiter de pœnis immundæ libidinis. Si cui nimis seuerum uidetur, occidere hominẽ propter peccatum, naturę, ut loquuntur, agnatum: cogitet de grauitate illius, cuius suprà memini, & quàm non conueniat uita frui eum hominem, qui quod naturæ nostræ ad propagationem illius utiliter & honestè est inditum, tam insigni peruersitate & immundicia corrumpit. Nec spectandum est pijs hominibus, quomodo præsens hoc seculum in huiusmodi flagitia animaduertat, in quo potissimum illi scortationibus & adulterijs dediti sunt, quorum est, alijs uel sapientia, uel potestate authores esse seruandæ publicæ honestatis. Quomodocunq; illi legales pœnas administrent, uel pro sua leuitate remittant, memori mente tenendum est illud Apostoli: Scortatores & adulteros iudicabit Dominus, Ebr. 13. & illud 1. Timot. 1. Lex iusto non est posita, sed iniustis & non subditis, impijs & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, parricidis & matricidis, homicidis & scortatoribus, masculorum concubitorib. plagiarijs, mendacibus & periuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundum Euãgelium gloriæ beati Dei, quod concreditum est mihi. Satis patet ex hisce uerbis Apostoli, scortatores & adulteros, cum alijs flagitiosis ac sceleratis, quorum scelera doctrinæ Euãgelij Dei repugnant, tanquam ultioni diuinæ obnoxios, non esse gratiæ Noui testamenti, sed legali seueritati subijciendos. Quare peruersores sunt gratiæ Noui testamẽti, qui in sceleratos homines clementes sunt: & eos qui uel errant in causa religionis, uel quos errare putant, tanta crudelitate persequuntur. Scortatoribus & adulteris, imò & Sodomitis, Romana sedes parcit: clericos, ut loquuntur, matrimonio legitimo utentes, igni comburendos tradunt. An succensebimus illis, qui, quoniam Christiani non sunt, nec Christianismi ueritatem intelligunt, ubi tam absurda ac peruersa inter Christianos impunè ferri uident, totam Christiani nominis religionem infensissimo odio detestantur & auersantur?

PRAECEPTVM OCTAVVM.

Non furaberis.

Dispositio decalogi huius.

NOn potest satis considerari quá sit Decalogus iste præceptorum Dei ordine conueniẽtissimo digestus. Si cogites de dilectiõe Dei & proximi, prima tabula dilectionẽ Dei, altera dilectionem proximi requirit. Cuius admonet Apostolus Rom. 13. cũ dicit: Qui diligit proximum, legem impleuit. Nam non adulteraberis, non occides, nõ furaberis, nõ falsum testimonium dices, nõ concupisces, & si quod est aliud mandatũ, in hoc uerbo præcipitur, Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Si de seruanda iusticia, qua unicuiq; quod suum est tribuitur, prima tabula quid Deo, altera quid proximo debeamus præscribit. Si de recta ac legitima uitæ nostræ institutione, pulchrè præponuntur quæ principaliora sunt, deinde quæ secundaria subijciuntur. Principaliora sunt, quę pietatẽ concernunt. Illa duplex est: una Deo, altera parentib. debita. Quæ Deo debetur, primis quatuor præceptis præcipitur, quinto statim subijcitur quæ præstanda est parentibus. Secundaria sunt, quæ proximos nostros cõcernunt. Illa prohibitiuè ponuntur. Prohibetur aũt, ne illos lædamus. Et quoniã id uarijs modis fieri potest, genera quædam læsionis exprimuntur ac prohibentur, quibus innumerę species cõprehenduntur ac uetantur. Si prohibetur primò, ne occidamus, id est, ne uitæ proximi insidiemur. Deinde, ne status aut uitæ illius honestatem, cõiugium uidelicet, & pudicitiam siue scortando, siue adulterando, uel alio nefario libidinis genere polluamus. Tertiò, ne uictus illius necessitati incommodemus. Sic præcedenti præcepto subiectum est, Non furaberis.

Est

גנב

Est autem in Ebræo לאת גנב. Significat uerbum גנב clanculum aliquid & sic moliri, subducere & auferre, ut conscientia eorum, quorum interest, fallatur. Sic de Iacob legimus Genesis trigesimoprimo: וירגנב יעקב את לב לבן, id est, Et furatus est Iacob cor Laban. Et eodē capite, ותגנב את לבבי, id est, Et furatus es cor meū. Et ותגנב אתי ולא הגדת לי, id est, Et furatus es me, & non indicasti mihi. Ergo Iacob furti ob id accusabatur à Laban, quòd clanculū citra ipsius conscientiam sese cum suis subduxerat ac discesserat: ut furari cor alicuius, idem sit atq; alicuius fallere conscientiā, illiq; uel se, uel aliud quicquā clanculū subtrahere. Sic & Ioseph Gen. 40. dicebat: Quoniam furando furto sum ablatus è terra Ebræorum, propterea quòd cōscientiam patris fefellerant ipsius fratres, ipsumq; in Aegyptum clanculum uendiderant. Et 2. Samuel. 19. sic legimus, ויתגנב העם בירם חחרא לבוא העיר, id est, Et furatus est se populus in die illo ingrediendo ciuitatem. Quasi dicat, furtim sese populus in ciuitatē recepit: uel instar furum declinauit ciuitatis ingressum. Et 2. Samuel. 15. ויגנב אבשלום את לב ישראל, id est, Et furatus est Abshalon cor Israelis. Hoc est, fefellit, uel subdolè ad se traxit corda Israelitarū. Et eodem capite, cum tribus Iudah Dauidem domum reduxissēt, dixerunt Israelitæ ad Dauidem: מדוע גנבוך אחינו, id est, Quare furati sunt te fratres nostri? Ex hisce & alijs consimilib. locis satis patet, uerbum גנב, quod in octauo hoc præcepto ponitur, idem esse, atq; clanculum, tectè, simulanter, uel dissimulanter, & sic agere, ut quod agitur, à conscientia eorum quorum interest abscondatur, siue abstrahatur aliquid, siue non abstrahatur. Sic utuntur etiā Græci uerbo κλέπτειν. Et nos Germani uerbo, *Stelen*, consimiliter utimur, quū dicimus, *Du hast mir das vorstolen*: hoc est, clanculum agendo fefellisti me. Prohibet ergo Deus, quum dicit לא תגנב, non solum ne quis bona proximi sui furtim subripiat, sed & ne conscientiam illius in causa quæ ipsum concernit, subdolè, & malicioſe fallat.

κλέπτειν.

Quid prohibeat Deus.

QVOTVPLEX SIT FVRTVM.

Malum furti sic est multiplex, ut species illius haud facilè adnumerari queant. Nec nostri propositi est, singulas recensere, nedum persequi. Quasdam communiores uidebimus.

Duo sunt genera furti.

1 Genera furti sunt duo. Vnum, est notum illud & uulgare, quod & solum hodie laqueo punitur, quo uidelicet res aliena inscio & inuito domino clanculū aufertur. Species huius sunt: prima, furtū simplex, quo res hominis priuati furtim interuertitur: secunda, sacrilegiū, quo res sacræ, ecclesijs ac cultui Dei deputatæ defraudantur: tertia, peculatus, quo bona publica furtim auferuntur & alienantur. Addunt plagiatū, quo homo furto interuertitur, siue is sit liber, siue seruus: quæ furti species non tam est nostris, quā illis regionib. cognita, in quibus homines uendi solent. Quare & peculiari lege cautum est Exod. 21. ne quis hominem furetur.

2 Alterum genus furti est, quando in negocio quisquam fraudulenter, malicioſe, atq; ita circumuenitur, ut non intelligens patiatur fraudem, & damnum accipiat. Huius generis multæ sunt species, quę quoniam non animaduertuntur, nec infamię, nec discrimini eos subijciunt, qui ipsis utuntur: imò honestis titulis palliantur.

Fures bonorū ecclesiasticorū episcopi.

Episcopi & reliqui prælati cum clericis & monachis, sine ulla infamia sacrilegium admittunt, dum bona ecclesiastica in profanos usus transferunt. Bona ecclesiæ pertinent ad alendos pauperes, ad sustentandos ministros, & ad reparandas ædes sacras. Illi uerò dum nec ecclesiæ ritè ministrātes, nec pauperes alētes, nec ędificia ecclesiastica reparātes, bona ecclesiæ in suas delicias, scorta, uenationes turpiter insumunt, utiq; sacrilegi sunt, & ecclesiā Christi ne cessario ministerio, & pauperes subsidio, ędesq; sacras reparatione defraudant. Nemo tamen est, qui eos ut sacrilegos puniat, sed ferè pro uiris sacris & ecclesiæ prælatis, ad quos bona ecclesiæ pertineant, habentur. Sic in negocio religionis circumuenitur ecclesia, fraudem prælatorum suorum non intelligens.

Fures bonorū ecclesiasticorū principes.

Deinde & illi sacrilegiū admittunt, qui bona ecclesiastica prælatis & clericis auferunt, & in suos priuatos usus cōuertunt: id quod iam olim principes nonnulli fecerunt, & hodie utinā nō faciant pleriq;, qui tamē de Euangelio Christi admodū gloriantur. In eo nō peccāt, quod fucos ignauū pecus, imò lupos, à præsepibus arcent: uerū in eo sacrilegiū admittunt, quòd perinde atq; pseudepiscopi bona ecclesiæ in priuatos usus transferunt, & ecclesias spoliant.

Furantes domus uiduarū.

3 In hunc etiam catalogum referendi sunt hypocritæ, qui sub prætextu longæ precationis domos uiduarū comedunt: quales erant quibus Christus dixit Matthæi uigesimotertio, Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos uiduarum, &c. Etenim quid illi quoque faciunt aliud, quàm quòd specie orationis imponunt imperitioribus, & furtim alienis bonis insidiantur?

Ascendentes aliunde.

4 Huc refer & illos, qui non intrant per ostium, sed ascendunt aliunde: & cū sint lupi, uenditant se pro pastoribus. In hanc classem reijce omnes eos, qui nec sunt legitimè electi ad ministeria, nec ideo ministeria ambiuerunt, ut oues Dominicas pascant, sed ut se de lacte & carnibus ouium saginent, & in ecclesia Christi ociosè delicientur. Hos Christus ipse Ioannis decimo uocat fures & latrones.

Fures

5 Fures item, imò ſacrilegi ſunt & illi, qui uel nominis, uel uerbi Dei prætextu corda ſimplicium furantur, decipiunt & ad ſe trahunt. Prætexunt nomen Dei omnipotẽtis, ut putes eos id quod agunt, in mandatis accepiſſe cœlitus, cùm ſuas ipſorum traditiones & adinuẽtiones eccleſiæ Dei proponunt. Verba etiam Dei furantur, & ſuis commentis accommodant, ut credantur non ſuam, ſed Domini proponere ſententiam: atq; ita ſimplicioribus imponunt, qui de ſententia uerborum Domini iudicare uel nequeunt, uel prohibentur ab illis qui ſibijpſis clauem ſcientiæ in domo Dei uendicant. Nocentiſsimũ eſt hoc furti & ſacrilegij genus, quo & nomen & uerbum Domini furto fraudulento ad ſuam transferunt nequiciam, & ex cordibus quoq; imperitorum ac ſeductorum ueram pietatem, ſcientiam Dei, & Chriſtũ ipſum furtim auferunt, ſuperſtitionemq; & ignorantiam Dei, & Antichriſtum ſubſtituunt. Tales erant apud Iudæos, de quibus Hierem. 23. legimus ad hunc modum: Propterea ecce ego cõtra prophetas, ait Dominus, qui furantur uerba mea, unuſquiſque de proximo ſuo. Ecce ego contra prophetas, ait Dominus, qui docent linguas ſuas ut dicant, Dixit Dominus. Ecce ego contra prophetantes ſomnia mendacij, ait Dominus, qui narrant ea, & ſeducunt populum meum in mendacio ſuo, &c. *Fures nominis ac uerbi Dei.*

Poſt ſacrilegia eccleſiaſticorum uidendum eſt de alijs quoq;, qui ſecundo genere furti proximos circumueniunt. 1 Tales ſunt mercatores illi, qui merces uel adulterinas uel corruptas pro ueris & integris uendunt, quiq; menſuras diminuunt. Furtũ eſt planè, quicquid huiuſmodi fraude, ultra id quod æquum eſt auferunt. *Fures in ſecularibus negocijs.*

2 Fures ſunt itẽ operarij & artifices manuarij, qui nõ bona fide operãtur, & tamen integrũ preciũ de labore ſuo expoſcunt & accipiunt. 3 Fures ſunt præfecti, qui clandeſtina perfidia uel principum ſuorum, uel reipublicæ bona interuertunt. 4 Fures ſunt, qui cũ ſint orphanorum & uiduarum tutores, de bonis illorum quæſtum faciunt & diteſcunt.

5 Fures ſunt famuli ac ſerui, qui heris ſuis ad oculum duntaxat ſeruientes, in abſentia illorum perfidè agunt. Sunt huiuſmodi ſpecies furti adhuc aliæ multæ, uerùm utinam iſtæ inter Chriſtianos emendentur.

VNDE SIT STVDIVM FVRANDI.

Habet malũ hoc fontem ſuũ, uenas & effluxũ. Fons eſt cor malũ, teſte Chriſto, qui Matthei 15. ſic dicit: De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, ſcortationes, furta, falſa teſtimonia, &c. Perſtringitur aũt ea cordis malicia, quę originali peccato naturam generis noſtri infecit, ac peccatricem reddidit. Ea demum fons eſt omnium peccatorum. *Peccatũ furti habet fontẽ, uenas & effluxũ.* *Fons.*

Venæ mali huius ſunt, incredulitas, perfidia & auaricia. Sicuti fides erga prouidentiã Dei animũ reddit iuſtis operationib. deditum, pacatũ, modico contentũ, & proximo fidelẽ: ità etiam quaſuis malas artes ac fraudes cohibet. Rurſus quemadmodum incredulitas animũ reddit inquietum, perfidum, & multorũ etiã alienorum appetentem: ita ſuggerit omnis generis impoſturas, artes ac fraudes, reddituq; hominem inſidioſum, fraudulentum, perfidum, furem ac latronem. Ergo ex incredulitate, perfidia & auaricia, quaſi quibuſdã uenis ſtudium furãdi in corde malo tanquam fonte ſcaturit. *Venæ.*

Ad deriuationem & effluxum faciunt primũ, ocioſa & crapulæ dedita pigricies, deinde filia huius egeſtas, de qua Sapiens dicit: Manus remiſſa parit egeſtatem. Et alio in loco: Mendicitatem, inquit, & diuitias ne dederis mihi, ſed tribue tantùm uictui meo neceſſaria, ne fortè ſatiatus alliciar ad negandum, & dicam, Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer, & periurem nomen Dei mei. *Effluxus.* *Cap. 30.*

His accedit occaſio: iuxta uulgatum prouerbium, Occaſio facit furem: hoc eſt, occaſio inuitat animum furacem, ut manum mittat ad furandum. Non cogit, ſed allicit: non facit ex homine probo furem, ſed ad furta propendentẽ ſollicitat & permouet: id quod in homine probo ac Dei timente non poteſt. *Occaſio.*

Curandum itaq; eſt, quoniam natura ſumus ingenio malo, ut cordium noſtrorum maliciã primùm ad exemplum Sapientis, ad Deum precandum: deinde effluxum & illectionẽ illius honeſtè operando, ac quamuis occaſionem uitãdo ſupprimamus, ac ueluti carcere quodam incluſam, timore Dei cuncta uidentis cohibeamus. Abijciendæ ſunt deſidies & crapula, ne naſcatur ex illis egeſtas, & alienarum rerum cupiditas: quæ ſi obtinuerint, non ſolũ furta, ſed & latrocinia & periuria, imò & ſacrilegia, & omnis generis perfidiam, cùm aduerſus Deum, tum aduerſus homines parient. *Hortatio.*

Sunt qui cauſam mali huius reijciant in neſcio quam conſtellationem, ſub qua ſint nati in hunc mundum, cuius ui fatante ac neceſsitante, ut loquuntur, ad furandum ſic impellantur, ut à furtis ſe cohibere nequeant. Et hanc impietatem debemus Genethliacis, qui ſtellis hoc tribuunt, quòd pro ſua qualitate & natura reddant hominem ſub ipſis natum, uel furem, uel ſcortatorem, uel latronem, uel miſerum & calamitoſum. Hoc facit Venus, inquiunt, hoc Saturnus, hoc Mercurius, hoc Mars, &c. quaſi de cœlo ſit ineuitabilis cauſa peccandi: quod *Cõtra Genethliacos, qui furã di procliuitatẽ ac neceßitatem tribuũt aſtris.*

quid

quid eſt aliud, quàm Deum cœli & omnium conditorem, authorem conſtituere omnis generis malorum, adeoq; & culpabilem: & interea hominem, carnem & ſanguinẽ, uermem ac putredinem, ueluti per ſe inſontem à culpa liberare? Sol, luna & ſtellæ ad hoc ſunt in firmamento cœleſti, ut ſint in ſigna & tempora, dies & annos, Geneſis primo: nõ ut ingenijs ac fortunis noſtris dominẽtur. Quæ mala admittimus, peruerſæ noſtræ debemus naturæ, cuius malicia ex originali noſtra corruptione in omnẽ carnẽ, inde à primo noſtro parente Adamo propagatur: non aſtris, bonis Dei creaturis. Huc uidelicet cauſas peccatorum noſtrorũ referamus, quas noſtra ipſorum ſocordia alimus ac prouehimus.

Itaque coercendi ſunt illi, qui ubi furta ſua corripiuntur, in haſce uoces erumpũt: *Ich muß geſtolen haben, Es iſt mir angeporn*. Si loquuntur de propẽſione ad furandũ, agnoſcendũ quidem eſt, eſſe illam ex natiuitate carnis in cordibus noſtris, quemadmodũ & alia uicia: uerùm tantæ non eſt efficaciæ, ut nolentem & inuitum ad furandum cogat, ſed coerceri poteſt, cum primis mediante gratia Dei: deinde diſciplina & caſtigatione competenti: hactenus ſaltem, ut manus cohibeantur, ne res alienas ſubripiant: deinde non eſt ex uitio aſtrorum, ſed quẽadmodum diximus, ex corrupta noſtra natura.

QVAM GRAVE PECCATUM ſit furtum.

Tranſgreſſio præcepti Dei.

SI peccatum hoc in ſeipſo conſideretur, ſatis graue eſt uel hoc nomine, quòd tranſgreſſionem habet præcepti Dei, imò uiolationem tabulæ fœderis: de qua grauitate in præcedẽti præcepto quædam annotauimus. Omnino ſperandum non eſt, ut alia quapiã ratione ab affectu & ſtudio furãdi ſeſe contineat ex animo, qui leue ducit trãſgredi præceptũ Dei, & authoritatem diuinæ maieſtatis temerè contemnit. Quare curandum eſt, ut reuerẽtia & obſeruantia ſummi legislatoris mentibus mortaliũ incutiatur à puero, quo diſcant timere Dominum, & timore illius quaſi freno quodam à ſtudio ſeſe cohibere peccandi.

Furtum aliud alio grauius.

Deinde ſi cõferas inter ſe genera & ſpecies furti, de quibus ſuprà memini, deprehẽdes eſſe aliud alio grauius. Grauius eſt, ſi quis parẽtib. fratribus amicis, domeſticis, quã ſi alienis furãdo noceat. Quanto nanq; arctior eſt coniunctio, tanto debet & arctior eſſe charitas. Rurſus grauius eſt furtũ, quod prætextu uel mercis, uel mercedis, uel præfecturæ, aut tutelæ, uel miniſterij ad circunueniẽdum incautos admittitur. Grauius peccat, qui pauperis, quàm qui diuitis bona furatur. Etenim licet ex æquo furtum admittatur, accedit tamen hic ad iniquitatẽ furti, etiam crudelitas in miſeriam pauperis. Grauius item eſt peccatum, ſi quis peculatũ admittat, ſurripiẽs furtim bona publica, quàm ſi priuato cuipiam furto auferat. Etenim multos lædere grauius eſt, quã ſi uni tantũ damnum inferas. Qui totum corpus iniuria afficit, nocentius peccat, quàm ſi unico duntaxat membro incommodet. Porrò qui plagiatum perpetrat, grauius delinquit, quã ſi peculatum admittat. Peccat enim in ipſam communem noſtram naturam, dum hominem furatur: quod multo eſt grauius, quã ſi bona terrena ſurripiat, quæ uniuerſa tanti non ſunt, ut uni ſint homini conferenda. Sacrilegus, eccleſiæ bona auferens, peccat enormiter, incõmodans domui Dei, & damnũ inferens miniſtris eccleſiæ & pauperibus, quod omnẽ ſuperat crudelitatẽ. Huc referendi ſunt illi potiſsimũ, qui & dignitates eccleſiaſticas aliunde aſcendendo, & uerbum ac nomen Dei ad ſeducendũ eccleſiam furantur. Non ſolùm fures ſunt, ſed & latrones ac prædones animarum.

Scripturæ peccatũ furti extenuantes.

Sunt quidam ſcripturę loci, quibus furtum reſpectu quorundam aliorum peccatorum extenuatur. Vt pote Prouerb. ſexto, ubi ſic legimus: Non grãdis eſt culpa, cum quis furatus fuerit. Furatur enim, ut eſurientem impleat animam. Deprehenſus quoq; reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet, & liberabit ſe. Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam, &c. & Eccleſiaſtici 5. Ne appelleris ſuſurro in uita tua, & lingua tua ne ſtruas inſidias. Nam ſuper furẽ quidẽ confuſio eſt, condemnatio uerò praua ſuper detractorem. Et cap. 20. Potior eſt fur, quàm qui aſsiduè mentitur. Hiſce quidem locis ſic extenuatur furtum, ut minus habeat culpæ, quàm adulterium, detractio, & aſsiduitas mẽtiendi: uerùm intelligenda ſunt iſta de furto ſimplici, quo quis ad ſatiandum animam ſuam, quæ ſua non ſunt furatur. Alioqui ſi enormitatem ſacrilegiorum conſideres, aliud pronunciabis. Deinde furtum hic non extenuatur hactenus, ut per ſe ſit leue ducendum, ſed comparatione grauiorũ minus habere culpæ ac noxæ declaratur. Aliàs Eccleſiaſtici 20. cõfeſtim ſubijcitur: Perditionem autem ambo hæreditabunt, & fur uidelicet, & aſsiduus in mendacio: quod uigilanter eſt annexum, ne quis anſam hinc arripiat, leuius æquo de peccato furti ſentiendi. Non eſt propterea modicum in ſe peccatum, quod furto admittitur, quòd quædam ſunt peccata illo grauiora. Graue eſt in ſe quodcunque peccatum: ut circumſtantias peccatorum taceam, quibus adhuc amplius aggrauantur. & hanc grauitatem non tollunt ulli peccato, quæ grauiora ſunt & magis enormia. Quare ubi peccatum aliquod in ſcripturis extenuatur, nõ in ſe, ſed comparatione grauiorum extenuatur.

AN

AN QVODCVNQVE FVRTVM CVLpabile sit, & peccatum.

Ad loci huius intelligentiam, consideranda est qualitas eorum, quæ in hoc Decalogo prohibentur, uel præcipiuntur.

Duo sunt illorum genera. Vnum, eorum quæ sine culpa fieri non possunt: alterum, eorum quæ nonnunquam sine delicto & inculpatè fieri possunt. *Duo sunt genera eorum, quæ recensentur in Decalogo.*

Ad primum genus pertinent tria prioris tabulæ præcepta, primum uidelicet, secundum & tertiũ: & in secunda tabula septimum, nonũ & decimũ. Nunquã enim fieri potest, ut sine peccato habeantur dij alieni, colantur & adorentur imagines, nomen diuinæ maiestatis in uanũ sumatur, adulteriũ perpetretur, falsum testimoniũ aduersus proximũ dicatur, & quę proximi sunt concupiscantur. Qui aliquid horum facit, excusabiliter peccat. Non est enim, quæ assignari possit, ulla ratio, ob quam ista licitè & præter culpam fieri queant. *1. Genus.*

Ad alterum genus pertinent reliqua quatuor: quartũ uidelicet in prima, deinde quintum, sextum, & præsens hoc octauũ in secunda tabula. Etenim quod de obseruantia Sabbathi præcipitur, ne quid operis die septimo fiat, certis potuit rationibus etiã in Veteri testamento negligi, & in nouo prorsus abrogari. Deinde quod de honorandis parentib. mandatur, idipsum tale est, ut in casu possit licitè infringi, ubi uidelicet maioris est iusticiæ habẽda ratio & obseruantia. quale est, quod Christus Lucæ 14. dicit: Si quis uenit ad me, & non odit patrẽ suum & matrẽ suam, &c. non potest meus esse discipulus. Tertiò, quòd dicit, Ne occidas, & ipsum sic est comparatũ, ut aliquando & necessariò sit faciendum, & cũ laude fieri possit. Quartò, quòd hic prohibet, dicens, Non furaberis: sic fieri potest, ut laudem habeat obedientiæ, nõnunquã & iusticiæ, aliquando diligentiæ & industriæ. *2. Genus. Sabbathum. Honos parentum. Ne occidas. Nõ furaberis.*

Exodi duodecimo, Ægyptios Israelitæ fraudulenter spoliarunt, dum aurum, argentum, & plurimas uestes accõmodato ab illis acceperunt, & nunquã reddituri abstulerunt Hoc factũ quid aliud erat quã furtum? Et tamen non solũ excusatur iussu diuino, de quo legitur Exod. 11. sed & obedientiæ laudem meretur. Fecerunt enim, inquit Moses, sicuti præceperat Dominus. Facere quod præcipit Dominus, mispat est ueræ obedientiæ. Quis autem credat Deum præcipere posse, quod nullo pacto facere liceat? Qui prohibet furtum, præcepit Israeli in casu, ut furto spoliaret Ægyptios. Nunquam præcepisset, si in se prorsus & inexcusabiliter esset malum. Deinde 2. Reg. 11. sic legimus: Athalia uerò mater Ochoziæ, uidens mortuũ filiũ suũ, surrexit, & interfecit omne semen regiũ. Tollens autẽ Iosaba filia regis Ioram, soror Ochozię, furata est eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur, & nutricem eius de triclinio, & abscondit eum à facie Athaliæ, ut non interficeretur: eratq; cum eo sex annis clàm in domo Domini. Furata est eum, inquit. ergo furtũ admisit. Quis adeò est insanus, ut dicat hoc genus furti esse culpabile, & non magis laude iusticiæ dignum? Et utinam huiusmodi furto omnes pij tyrannis subtrahantur, qui propter iusticiam & ueram pietatem periclitantur: id quod & Abdias dispensator domus Achab, erga uiuos fecit, cũ centum prophetas clanculum à facie Iezabel abscondit & pauit, primo Regum decimooctauo: & Tobias erga mortuos fratres, clãculum eos tollens & sepeliens, cap. 2. *Furtum obediẽtiæ. Furtũ iusticiæ.*

Reperias uiros prodigos, omnia dilapidãtes, unde ali debebant uxores & liberi. Si prudẽs uxor tali uiro clanculum subinde interuertat, quæ in futurã necessitatem reponat: quis eiusmodi furtum culpet, & non magis industriæ ac uigilantiæ gratia commendet? *Furtum industriæ.*

Si quis furioso & ebrio gladium clàm abstulerit, ac furatus fuerit, ne in quem sæuiat, arbitror illum furtum admittere cautionis ac prudentiæ gratia laudandum. *Furtum cautionis.*

Studiosus adolescẽs non improbatur à præceptorib. si ex bonis authorib. furetur, quæ lucubrationibus suis scitè & argutè inserat: sed ob industriam potius & diligentiam laudatur. Multæ sunt huiusmodi species furti, quæ sine culpa, imò magis cum laude admittuntur. *Furtum diligẽtiæ.*

Consequitur ergo, non esse omnis generis furta damnanda. Reperias gentes aliquot, quibus usqueadeò furandi placet industria, ut suos ad furandi exercitium studiose instituant, & impunè sit apud eos furtum quodcunq;. Huiusmodi industriam furandi, de qua illi gloriantur, nemo bonus probarit. Peccát enim contra præceptum Dei, contra iusticiam, fas & equũ charitatemq; fraternam, & maliciam cordis: qua fit ut furtis delectemur, & aquam furtiuam suauem ac dulcem (iuxta prouerbium) reputemus, studio & exercitio furandi alunt ac prouehunt. Hisce de causis non debemus faciles esse ad comprobandum industriam furandi, etiam ubi minus uidetur esse iniquitatis. Caro nostra corrupta est & peruersa. Quæ ad consolationem imbecillium conscientiarum dicuntur, rapit ad nequitiæ suæ palliationem & fomentum. Quare prouidus homo diligenter cauebit, ne in talibus, quæ aliquo possunt prætextu excusari, securius carni suæ indulgeat. Nusquam enim plus est periculi, & facilius peccatur, quàm in illis, quorum qualemcunq; excusationem prætexere potest ueteris Adæ nequicia. *Industria furandi. Prouerb. 9. 17.*

QVARE NON POTIVS VIM, RAPINAM AC DEPRÆDATIONEM PROHIBUERIT DOMINUS, QUÀM FURTUM.

Discrimen furti ac rapinæ.

Quęsierit quisquã, cum multo sit grauius ui iniusta rapere ac deprædari, quã furto aliquid auferre, quare non potius præceptum sit, ne deprædemur ac rapiamus, quàm ne furemur? Etenim qui furatur, hoc agit studio, ut clanculum faciat quod facit, & conscientiã mortaliũ fallat, tantisper abstinẽs à furto, dũ cura ac uigilantia domini impeditur, cui furto aliquid auferre cupit. Atq; ita qui uigil est rerũ suarũ custos, impedire potest, ne quid sibi furto interuertatur. Rapina uerò ac depręda tio sic est comparata, ut conscientiam eius cuius bona auferuntur, non fugiat. Nolis uelis, ui iniusta spoliaris: nec prohibere potes, quantumuis diligenter quæ tua sunt custodias. Quare utroq; nomine, cùm quod maius peccatũ est rapina ac depręda tio, quàm furtum: tum quòd minus prohiberi potest, præcipiendum fuisse potius uidetur, ne rapiamus, quàm ne furemur.

Peccatũ furti generalius est quàm rapinæ.

Ad hanc quæstionem respondeti potest, peccatum furti generalius esse peccatum quã uiolentæ rapinæ ac depręda tiones. Etenim uiolẽter rapere ac deprædari non est tale quid quod ab omnibus, sed quod à potentioribus tantum ac ualentioribus fieri possit. Qui imbecilliores sunt, uel æquales, rapinam nec in potentiores nec æquales exercere possunt. Furtũ uerò, quoniam non uires, sed fraudem & dolum exposcit, tam potest ab impotentioribus, quàm à potentioribus, adeoq; ab omnibus fieri. Rectius itaq; quod generalius est, & ab omnibus fieri potest, lege hac prohibetur, quàm quod speciale est, & tale, ut non ab omnibus, sed à potentioribus tantum admitti possit.

Manifestior est rapina quã furtum.

Deinde & hoc potest adferri, quòd rapinis & prædis magis quàm furto metuendus est gladius superioris & ordinariæ potestatis. Rapina siquidem, quatenus uim habet apertam, & fit manifestè, citius obnoxia redditur humano iudicio quàm furtum, quod clanculum admissum conscientiam iudicis magis ac diutius fugit. Quare necessarium magis erat, ut furtum lege ac timore Dei, uidentis occulta omnia, quàm rapina oculis & conscientiæ mortalium subiecta prohiberetur.

Rapinæ resistitur magis quã furto.

Tertiò, rapina obnoxia est resistentiæ humanæ. Etenim qui uim infert proximo, uel inferre conatur, uim contrariam expectet necesse est: secus, qui furtim aliquid aufert. Quare hac quoq; ratione conuenientius erat furtum diuina lege prohiberi, quàm rapinam.

Vbi prohibetur minus peccatũ, ibi quod maius est magis prohiberi declaratur.

Quartò, quòd adducitur minoris peccati esse furtum, quàm rapinam & deprædationem, hoc ipsum est, ob quod furtum prohibendum magis erat nominatim, quã rapina. Sic enim cõditio uidetur esse legũ, ut ubi prohibetur quod minus est, hoc ipso quod maius est multo magis uideatur esse prohibitum. etenim ex eo quòd minora declarantur esse illicita, communi mortalium sensu confestim & indubitatò agnoscitur, maiora adhuc magis esse illicita. Qui agnoscit peccatum esse, si quis simpliciter scortetur: dubitare non potest, maius esse peccatũ, si quis adulteretur. Qui non dubitat peccatum esse adulterium, consentiente muliercula perpetratũ: maius adhuc peccatum esse agnoscet, si quis raptum admittat, & mulierculam honestã ui opprimat. Eadem ratione facilè est iudicare de rapina & furto, & intelligere multo minus licere uim inferre proximo, si quod furto aufertur, diuina est lege prohibitum.

QVOT MODIS FVRTI QVIS particeps fiat.

Quoniam insons coram Deo non est, qui aliquo pacto participem sese peccatorem constituit, etiãsi ipsa peccata non admittat: operepręciũ fuerit, obiter uidere de participatione furti, quot modis illa contingat. Fieri non potest, ut omnes illius species adnumerentur: quare communiores duntaxat, quas ante nos collegerunt alij, recensebimus.

Cooperatio.

1 Primus modus est cooperationis. Quisquis sciẽter aliquo pacto cooperatur furibus, siue ducendo, siue custodiendo, siue instrumenta quibus utantur faciendo, planè reus est furti, nõ minus quàm illi qui furtum admittunt.

Iussio.

2 Secundus modus est iussionis, uel mandati. Qui iubet furari, non modò consors est furti, sed & author, fure ipso peior: præsertim si, quem furari iubet, furaturus nõ erat nisi iussus. Reperias parentes, qui liberos: maritos, qui uxores suas ad furandum instituant.

Consilium.

3 Tertius modus est consilij. Qui consultor est ac suasor, si potestate ualeret, quod consulit, iuberet. Quare & ipse peior est fure, quem suasu suo ad furandũ inducit. Qui cõsulit, aut suadet furtum, aut docet furandi modos & uias, uel præsentem indicat occasionem. Et ista facit uel respectu ꝓprij emolumẽti, uel odio ꝓximi cui nocere cupit, uel studio ꝓprię neqtiæ.

Consensio triplex.

4 Quartus modus est cõsensionis. Quisquis ad facinus cõsentit, facinoris est particeps. Est enim eadem & peccantis & consentientis malitia. Triplex aũt consensus est. Primus ante factum, secundus in facto, tertius post factum. Qui consentit ante factum, ut fiat, nõ simpliciter particeps est delicti, sed & author, si consensu suo induxit ad furandũ. Qui in facto consentit,

hoc

hoc eſt, cui placet quòd furtum admittitur, conſors eſt furti. Qui conſentit poſt factũ, utique nollet non eſſe factum quod factum probat: atq; ita reum ſe conſtituit furti, etiamſi de illo antequam fieret, uel cum fieret, nihil prorſus cognouit.

5 Quintus modus eſt, quando furtum laudatur, & fur palpatur ſiue ridẽdo, ſiue propter induſtriam prædicando uel adulando. Qui hoc facit, non ſolum particeps eſt admiſſi furti, ſed & author denuò admittendi. *Laus furti.*

6 Sextus eſt, occultationis & conſeruationis, quando quæ ab alijs furto ablata ſunt, occultantur & ſeruãtur. De hoc participationis genere uulgò dicitur: *Der heler iſt böſer als der ſteler.* Qui hoc faciunt, & ipſi nõ ſolum participes ſunt furti, ſed & adiutores. *Occultatiõ.*

7 Septimus eſt, participationis, qua de re furtiua portio aliqua uel ipſa tota capitur, ſi id ſciẽter fiat, ſiue comedendo, ſiue aliquo alio modo uſurpando, niſi caſus extremæ neceſsitatis excuſet. Tobias, cum uxor hœdum retuliſſet domũ, mox ubi uocem balantis audiſſet, dicebat, Videte ne fortè furtiuus ſit: reddite eum dominis ſuis, quia non licet nobis edere ex furto aliquid. uide cap. 4. Sunt autem participationis huius quatuor ſpecies. Prima eſt, ſi partem rei furtiuę ab ipſo fure oblatam accipias. Secunda eſt, ſi emas rem furtiuam, cum ſcias eſſe furto ablatam. Tertia eſt, ſi uiolenter illam de manibus furis rapias, non ut domino illius reſtituas, ſed ut tibi ſerues. Quarta eſt, ſi accepto munere furem iudex abſoluat. De illa eſt, quod Dominus iudicibus populi ſui ac principibus Pſalm. 50. exprobrat dicens: Si uidebas furem, curre bas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Et Eſaiæ 1. Principes tui ſunt ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & cauſa uiduæ ad eos non ingreditur. *Participatiõis 4. ſpecies.*

8 Octauus modus eſt, pmiſsionis, ſi nõ ꝓhibeas cũ poſsis uel clamãdo, uel aliàs obſiſtẽdo. *Permiſsio.*

9 Nonus eſt, ſi non reueles, cũ ſcias ubi ſit res furto ablata: uel ſi rem inuentam ab aliquo, ſi ſcias ad quẽ pertineat, non indicaueris. Hiſce & alijs cõſimilibus modis, quibus plenum eſt hoc ſeculum, furti reatus & conſortiũ incurritur, & aduerſus legẽ Dei peccatur. Quòd ſi circũſtantiæ illorũ inſpiciantur, deprehendetur ſæpenumero, furibus eſſe peiores eos, qui fures laqueo adiudicant. Vnde uulgò dici cœptum eſt: *Die groſze dieb heucken die klein an galgen.* *Silentium.*

DE POENIS ET EMENDATIONE FURTI.

Præter pœnas illas æternæ damnationis, quibus fures cũ alijs ſceleratis regno Dei excluſis, ſunt obnoxij, niſi reſipiſcant: conſtituæ ſunt temporariæ quędam emẽdationes, ſecundũ delicti circumſtantias. Exodi 22. ſic legimus: Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, & occiderit, uel uendiderit, quinq; boues pro uno boue reſtituet, & quatuor oues pro una oue. Itẽ: Si effringens fur domum, ſiue ſuffodiens fuerit inuentus, & accepto uulnere mortuus fuerit, percuſſor nõ erit reus ſanguinis. Quòd ſi orto ſole hoc feceris, homicidiũ perpetrauit, & ipſe morietur. Vides ex diſcrimine noctis ac diei, iudicari de cæſo fure. Rurſus: Si fur non habuerit quod pro furto reddat, ipſe uenũdabitur. Si inuentum fuerit apud eum, quod furatus eſt, uiuens, ſiue bos, ſiue aſinus, ſiue ouis, duplum reſtituet. Poſtea ſiue lege aliqua conſtitutum eſt, ſiue uſu diuturno cõſuetũ, pœna fuit reſtitutionis ſeptuplæ. Sic Prouerb. 6. Reddet ſeptuplũ, ſi deprehenſus fuerit, & tradet omnem ſubſtantiã domus ſuæ, & liberabit ſe. Zacchæus dicebat: Si quẽ defraudaui, reddo quadruplũ. Huiuſmodi emendatio admiſsi furti fuit apud Iſraelitas. Apud ethnicos quoq; reſtitutio requirebatur uel dupla, uel quadrupla. uide lib. 4. Inſtitutionum, titulo 1. Vbi criminaliter agebatur, pœna erat fuſtigationis, uel exilij: non occiſionis, uel demembrationis. Quòd ſi quis manu armata, uel in domibus, uel in itinere, uel in mari quempiam ſpoliauiſſet, uel aliàs palam quid rapuiſſet, is demum ſuſpendebatur. *Emendatio legalis.* *Iuſtiniamus.*

Nunc uerò, ob modicũ furtum, quantumuis furtiuè factum, deprehẽſo furi adiudicatur laqueus: id quod multi boni nec diuinis nec Cæſareis legibus conuenire exiſtimant. Adferuntur rationes, ex eo quòd pax cõmunis & malorum hominum incorrigibilis iniquitas ſeueritatẽ hanc expoſcant. At mirum uideri poteſt, quare nõ ob eaſdem cauſas adulteri quoq; morte plectantur, ſicuti lex Dei ac Cæſarum conſtituit: cum grauius ſit adulterij peccatũ, & nihilo minor incorrigibilitas adulterãtium, quã furum. Chryſoſtomus ſic ſenſit, ubi damnum reſarciri poteſt, non eſſe homini adimendam uitam. *De ſuſpenſione furum.*

Hæc obiter de pœnis & emendatione furti, ſecundum leges ciuiles, quæ plus æquitatis habent, quàm conſuetudo noſtrorum temporum: qua fures patibulis affigi, & res furto ablata in fiſcum principum ac magiſtratuũ transferri ſolet, reſtitutione illa, cuius rationem habuerunt maiores, prorſus expuncta. Sic ſpreta æquitate, odor lucri qualibet ex re dulcis eſſe cœpit. Res furto ablata, ſuſpenſo fure nõ reſtituitur domino: ſed ui, iuſtitiæ titulo palliata, trãſit in poteſtatem principis. Mirabilis ſcilicet iuſtitia, qua malum non tollitur & emendatur, ſed duplicatur. Furtũ non emendatur, niſi quod furto ablatum eſt, domino uel hæredibus illius reſtituatur, modò id fieri poſsit. Emendandum peccatum eſt coram Deo, & coram hominib. *Quòd furta rapiuntur à principibus.*

Coram Deo, per resipiscentiam & fidem: coram hominibus, per restitutionē rei furtiuę. Hoc uerò pacto, neq; coram Deo, neq; coram hominibus emendatur furtum.

Emendatio ecclesiastica.

De ecclesiastica furti emēdatione locus extat apud Apostolū Ephes. 4. ubi sic legitur: Qui furabatur, iam non furetur amplius, magis aūt laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patiēti. Emendatio ista trimembris est. Habet enim cessationem nocentis malitiæ, substitutionem iustæ alimoniæ, & utilitatē beneficentię. Qui non furatur amplius, utiq; à noxia malitia & iniquitate cessat. Qui laborat operādo manibus suis quod honestum ac bonum est, iusta sese alimonia sustentat. Qui dat necessitatem patientibus, ex homine nō modò inutili, sed & noxio factus est utilis, non tantū sibi, sed & alijs, multum diuersus ab eo qui erat cum ex furto uiueret.

Restitutio rei furtiuæ.

Hanc tamen emendationem furti non debemus putare sic esse perfectam, ut nihil præterea requiratur à fure, quàm ut desinat furari, & incipiat uiuere de suo labore partis, & benefaciat egenis. Etenim omnino requiritur, ut quod furto abstulit, restituat suo domino. Hāc partem iustæ emendationis ecclesiasticа resipiscentia non tollit, quæ non hoc agit, ut Christiani sint Israelitis & ethnicis iniquiores: sed ut illorum iusticiam usq; adeò excellant, ut citius propria largiantur egenis, quàm aliena apud se retineant. Deinde sic est cōparatus uerè resipiscētis animus, ut ne ferre quidem possit penes se, quod sciat esse alterius, & nō suum. Sic Zachęus ueraciter ad Dominum conuersus, statim dicebat, Domine dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quem defraudaui, reddo quadruplum. Quare emendatio furti, quā præscribit Apostolus, restitutionem rei furtiuæ tam non excludit, ut hanc potius requirat: dum quod adhuc amplius est exposcit, beneficentiam uidelicet in egenos, quam leges ciuiles non requirunt: & quæ sic est comparata, ut nequeat rem alienam retinere, quisquis illi studet ex animo. Etenim quomodo rem furto ablatā retineret, qui usq; adeò resipuit, ut non solū cesset à furtis, & suis sese laboribus alat, sed & quæ manibus suis operando acquirit, egenis cōmuni cet? Vnde manifestum est, non esse ueram resipiscentiā, si quis furto, uel rapina, uel usuris, aut alijs imposturis ablata & corrasa retinuerit. Neq; credibile est, peccatum illius esse remissum.

Epist. 54. ad Macedoniū.

~~Res sinū genus hominū est, inquit Augustinus, quod sceleris pœnā relaxari, & id propter qđ scelus amisū est posidere cupit, cui pœnitendi medicina omnino non prodest.~~ Si enim res aliena, propter q̄ peccatū est, cū reddi possit, nō redditur, nō agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem ueraciter agitur, non remittitur peccatū, nisi restituatur ablatum. Hæc Augustinus.

Res furtiua suo domino restituenda.

Curandum autem est, ut res furto ablata restituatur in potestatem, nō alterius cuiuspiam, siue sancti, siue pauperis, siue ecclesiæ alicuius, aut ministrorum ecclesiasticorū, sed ipsius domini, cuius possessioni fuerat adempta. Non est satis ad ueram resipiscentiam, nō retinere rē alienam, sed oportet illam suo domino restituere. Quare prorius seductores conscientiarum sunt & impostores, qui remissionē peccati pollicētur, si de rapina, furto, & usuris aliq̄d ipsis detur pro celebrandis missis, ut loquuntur, & aliquid pauperibus: cum nec Dominus rapinā uelit in holocaustum, nec de alieno facienda sit eleemosyna.

Hæc seductio regnauit in confessionib. auricularibus, unde magna pars opum & ditionū ecclesiasticarum profluxit. Quòd si facienda esset restitutio, qua unicuique quod suum est restituatur, bone Deus, quantus cumulus opum ac reditūum adimeretur ecclesiasticis? Magna sanè iniquitas est, rem alienam prætextu pietatis interuertere: id demum omnium est grauissimum, quòd conscientias peccatorū uel falsæ satisfactionis ac remissionis fiducia deceperunt, uel ineluctabili occasione & morsu irremisso cruciarunt, & ad desperationem adegerunt. Etenim ipsa hoc docet naturalis æquitas, rem furto ablatam, non esse aliò quàm ad dominum illius transferendam: cuius sensus uinci non potest, ne indulgentijs quidem Romano plumbo obsignatis.

Exemplū Augustani cuiusdam iuuenis.

Cum anno 1531. recens Augustam, illò ad prædicandum Christi seruatoris nostri Euangeliū uocatus, ueniſſem, ueniebat ad me subinde iuuenis quidam annos circiter 24. plus minus natus conscientiæ suæ, q̄ habebat desperatissimā, releuationem quærens. causa erat anxietatis, qua discruciabatur, quòd massam argenti puer adhuc hero suo furtim abstulisset. Hanc integram adhuc habebat. Inter confitendū sub Papatu iussus erat partem dare Missatorib. partē pauperibus. Id non fecerat, quia ad conscientiæ laborantis refocillationē uerā ac certam non faciebat. Domino suo non restituerat, pudore impeditus. Vbi causam perturbatę cōscientiæ intellexi, ursi hominem, ut ablatam hero suo restitueret, nisi perire uellet. Ostēdi uiā qua cōmodè posset. Obtemperauit, restituit coram. utrinq; illachrymantibus & ipso & hero, qui furti illius prorsus fuerat ignarus, & omnem iuueni resipiscenti beneuolentiam promittebat.

Post hanc restitutionem afflictissimus iuuenis, qui aliquandiu propter speciem insanię, catenis detentus fuerat, sibiq; ipsi necē intentauerat, felicissimè nō modò cū hero suo redijt in gratiā, sed & sibijpsi restitutus, honestè uiuere cœpit. Hanc historiā mihi omniū compertissimam, ideo uolui adferre in medium, ut exemplo aliquo demonstrē, quantam carnificinā conscientiam instituerint Romanæ Synagogę quæstuarij & nundinatores, furum, raptorum, & usurariorum socij: & quàm possit æquitatis & iustitiæ studium efficax esse ad pacandas

resipiscen-

reſipiſcentium conſcientias, ſi ad reſtitutionem rerum alienarum inſtituantur.

Sed dicet quiſquam, Quid ſi reſtitutio rei furtiuæ, uel prorſus, uel tutò, uel certè honeſtè fieri nequeat? *Quòd ſi prorſus uel tutò, uel honeſtè reſtitui nequeat.*

Facilè reſpondetur. Nemo nec in cœlo, nec in terra adeò eſt improbus, ut quod fieri nõ poteſt, uiolẽter extorqueat. Accidit ſæpenumero, ut res furtiua admittatur furto, ui, bello, igne: uel certè abſumatur, ut reddi nequeat. In huiuſmodi caſu proximum eſt, ut ęquiualens aliud reſtituatur, quo damnum illatũ reſarciatur. Si id fieri nequit, tertium eſt, ut fur culpam apud dominum furtiuæ rei fateatur, & remiſsionem petat: uel ſi ſpes reſtituendi fuerit, ſatisfactionem polliceatur, illamq; pro uiribus præſtet. Quis enim nõ fateatur, ęquum eſſe ut faciat fur, quod faciendum eſt ei qui mutuum aliquid accepit, & ſoluendo non eſt?

Si id certis de cauſis, nec tutum propter actionem furti, nec honeſtum fuerit propter periclitationẽ famæ & exiſtimationis, poſſunt inueniri uiæ, quibus tacito furis nomine ſatisfiat ei, cuius intereſt huiuſmodi ſatisfactio. Quòd ſi neutrũ fieri poteſt, utpote, quod dñs rei furtiuæ ignoratur, uel morte ex hac uita migrauit, nec hæredem reliquit: ſi res furtiua adhuc ſupeſt, haud retineatur, ſed in uſus pauperũ expendatur: ſi nihil de illa reliquũ eſt, petatur à Deo miſericordia cũ lachrymis, & ſtudeatur beneficentiæ in egenos exercendæ, ſecundum doctrinam Apoſtoli. Huiuſmodi reſipiſcentiæ non poterit non ignoſcere Dominus: modò miſericordia illius, cordis non recti incredulitate non impediatur. Etenim gratia miſericordiæ Dei ſine fide percipi non poteſt.

NONVM PRAECEPTVM.

NE *dicas contra proximum tuum falſum teſtimonium.*) Quemadmodũ præcedenti pręcepto prohibetur, ne res proximi furto interuertamus, atq; ita neceſsitatibus illius incõmodemus: ità præſenti hoc nono cauetur, ne proximi uel uitæ, uel fame, uel rebus ore falſidico inſidiemur. Ne dicas, inquit, cõtra proximum tuum falſum teſtimonium. *Senſus huius præcepti.*

Teſtimonium eſt, quicquid conſtanter de aliquo ad faciendam fidem prædicatur & aſſeritur, ſiue bonum ſiue malum. Magnus eſt uſus teſtimoniorum in rebus non humanis modò, ſed & diuinis: propterea quòd innumera ſunt quæ ignoramus, & ad quorum ſcientiã peruenire non poſſumus, ſed fide ſunt tanquam uera accipienda. Huc ſeruiunt teſtimonia. Quę certa & euidenti poſſunt ſcientia comprehendi, teſtimonijs non ęgent, quę ſoli fidei famulãtur. Quæ ipſis noſtris oculis uidemus, aurib. audimus, ratione comprehendimus, ſic indubitatò qualia ſint ſcimus, ut nullius mortalium teſtimonia requiramus, ſed ipſi alijs ad faciendã fidẽ teſtificari poſsimus. Cũ igitur ſcientiam rerum humanarum admodum habeamus modicam & tenuem, diuinarum uerò nullam: propterea quòd oculos noſtros, aures, & intellectum innumeræ res humanæ, uniuerſæ uerò diuinæ ac ſpirituales fugiunt: fit, ut maior ſit apud nos uſus fidei, quã ſcientiæ: imò uſqueadeò neceſſaria ſit fides, ut ſine illa neq; cũ Deo, neq; cum hominib. agere queamus. Oportet enim accedentẽ ad Deũ, credere, inquit Apoſtolus. &, Animalis homo nõ percipit ea quæ ſunt Dei. Et de rebus humanis uulgò dicitur: *Man muß einander glauben, vnd wer alle tag ein mordt geſchehe.* Totus humanus conuictus potiſsimũ fide conſiſtit. Fides conſeruat coniugia, conſeruat parentes ac liberos, continet in officio magiſtratus ac ciues: eſtq;, ut in ſumma dicã, quaſi neruus quidã omniũ coniunctionũ, negociorum & cõmerciorum, quibus humana uita conſiſtit. Hac ratione nihil adeò neceſſariũ eſſe uidetur, quã ut uera ſint teſtimonia, quibus credendũ eſt in rebus, quas neq; certò cognoſcimus noſtra ipſorum ſcientia, neq; ſuſq; deq; facere poſſumus. Omniũ itaq; rectiſsimè factum eſt, quòd nono hoc præcepto, dum teſtimoniorum falſitas prohibetur, ueritas authoritate diuina præcipitur. Sed uideamus quæ ad hanc cauſam pertinenter ſint obſeruanda. *Teſtimonium quid ſit, & quis ſit illius uſus.* *Maior eſt apud nos fidei quã ſcientiæ uſus.*

I. QVOT SINT GENERA TESTIMONIORVM.

Cicero alicubi conſtituit in uniuerſum duo teſtimoniorum genera, diuinũ uidelicet & humanum. Diuinum, ut oracula, auſpicia, uaticinationes, reſponſa ſacerdotum, aruſpicum & cõiectorum. hiſce teſtimonijs quaſi diuinis indubitatam deberi fidẽ, iudicauit ſuperſtitioſa gẽtilium uetuſtas. Humanum, ut ſcripta, pacta, promiſſa, iurata, & quæſita.

Nos in præſenti non de diuinis, ſed humanis teſtimonijs dicturi, duo ſtatuimus illorũ genera. Vnum, eorum quæ fiunt in foro & ad tribunalia: alterũ, eorũ quæ fiunt extra forum. *Duo ſunt humanorum teſtimoniorum genera.*

Teſtimonia quæ proferuntur in foro, proferuntur nõ niſi à iuratis, quo plus habeant ponderis, ſiue de proximo quis q̃, ſiue de ſeipſo teſtetur. Quoniam præſumitur de ijs qui teſtificaturi ſunt, quòd timore Dei ſint pręditi: imponitur illis iuſiurãdũ ſub nomine Dei, uel ad ſacro ſancta Euãgelia præſtandũ, ut quę uera eſſe norũt, diſertè & incorruptè in mediũ proferãt: atque ita teſtificãtib. adhibetur fides, non tã propter ipſorũ integritatẽ & exiſtimationẽ, quàm propter diuini nominis maieſtatem: idq; non ſolũ cum de alijs in aliena, ſed & cum de ſeipſis in ſua ipſorum cauſa adiurati teſtificantur, quemadmodum Exod. 22. uidere licet, ubi ſic legi- *Teſtimonia forenſia.*

mus: Si quis commẽdauerit proximo ſuo aſinum, bouem, ouem, uel quoduis aliud iumentũ ad cuſtodiendum, & mortuum fuerit aut debilitatum, aut captum ab hoſtibus, nullusq; hoc uiderit, iuſiurandum erit in medio, quòd nõ extenderit manũ in rem proximi ſui, ſuſcipietq; Dominus iuramentum, & ille reddere non cogetur. Et hoc pacto iuſiurandum inter homines, omnis eſt controuerſiæ finis. Ebr. 6.

Teſtimonia extra fõrũ.

Extra forum quoq;, licet citra iuſiurandũ, teſtificamur tamen de Deo, de nobis ipſis, deq; alijs tam rebus quã hominibus, dum de illis ſeriò quædam prædicamus: & non aliter affirmamus, quàm ſi nobis ſint omnium cõpertiſsima: ſic ut indignã rem fieri iudicemus, ſi teſtimonijs noſtris non credatur. Prædicare de Chriſto, eſt teſtificari de Chriſto. Eritis mihi teſtes, inquit Chriſtus ad Apoſtolos, Act. 1. Et Paulus 1. Cor. 15. Inuenimur aũt & falſi teſtes Dei, quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deum, quòd ſuſcitauerit Chriſtum: quẽ non ſuſcitauit, ſi mortui non reſurgunt. Scripturæ teſtificantur de Chriſto, Ioann. 5. Et opera de Chriſto teſtificantur, Ioan. 10. quemadmodũ & paracletus, Ioan. 15. Quin & conſcientiæ quiſq; ſuæ teſtimonio uel dãnatur, uel abſoluitur. Et uulgò dicitur: Conſciẽtia mille teſtes. Quare patet, teſtimoniũ uocari nõ ſolũ quod cũ iureiurãdo profertur in foro: ſed quodcunq; etiam prædicatũ, quod extra forum cum ſtudio affirmandi, quacunq; de re ad faciendã fidẽ pronunciatur.

II. NON PROHIBERI, NE *teſtimonium dicamus.*

Quoniam non dicit, Ne dicas teſtimonium: ſed, Ne dicas falſum teſtimonium, ſatis innuit non eſſe illicitum in populo Dei teſtimonium dicere: hoc eſt, id quod uel uidimus, uel audiimus, uel alioqui certò cognouimus, affirmari ac teſtari, ut & ipſi dicamus: Quod ſcimus loquimur, & quod uidimus teſtamur, Ioan. 3. Sumus quidem homines. & ſcriptũ eſt, Omnis homo mendax. &, Vanitas omnis homo uiuens: uideturq; non conuenire mendacibus ac uanis, ut teſtimonia dicant: & ſi dicant, dignos non eſſe quibus credatur. uerũ quoniam ſic comparatus eſt humanus conuictus, quo in hac uita coniungimur, ut uſu teſtificandi, docendi & affirmandi carere nequeamus: cogit nos ipſa neceſsitas, ut quamuis homines ſumus, nihilo tamen minus doceamus, affirmemus ac teſtificemur, quę uiſa nobis ſunt & cognita: ac uicißim alios docentes, affirmantes ac teſtificantes, haud temerè reſpuamus, niſi uniuerſum noſtrum conuictum turbare uoluerimus. Quare non eſt uiſum prouidentiæ Dei, fore conſultum humanæ uitæ, ſi omnis ex illa docendi & teſtificandi uſus auferatur: ſed abundè ſatis eſſe, ſi nemo falſo doceat ac teſtificetur.

Cautio.

Eſt tamen hic gemina cautione utendum. Vna, ne quis temerè ac confidentius teſtificetur quàm conueniat homini. Etenim etiam ſcientia noſtra, quamuis uideatur eſſe certa, humana tamen eſt, fieriq; poteſt ut erroribus ſit obnoxia. Altera, ne quis inconſultò cuiuſuis doctrinã & teſtificationem accipiat: ſed uigilanter obſeruet, ſitne ueritati conſonum, uel ſecus. Diſcriminandum eſt inter teſtimonia Dei & hominum. De illis nihil eſt addubitandum, de iſtis uerò non immeritò dubitauerit, qui falli timet, donec certis argumentis perſuadetur.

III. NON PROHIBERI, NE TESTIMONIUM *dicamus aduerſus proximum.*

Quomodo teſtimonium cõtra proximum ſic dici poßit, ne lædatur charitas.

Ex eo quod nõ dicit, Ne dicas teſtimonium aduerſus proximũ tuum: ſed, Ne dicas falſum teſtimonium contra proximum tuum: ſatis manifeſtum eſt, non prohiberi, ne teſtemur contra proximum: ſed, ne falſo contra proximũ teſtemur. Videndum igitur hoc loco eſt, quomodo fieri poſsit, ut contra proximum teſtantes, legem illam catholicam ac perpetuã haud tráſgrediamur, quæ iubet, ut proximũ noſtrum diligamus ſicuti nos ipſos: & quod nobis fieri noluerimus, alijs non faciamus. Etenim cum nemo ſit qui non malit, ut pro ſe quàm ut contra ſe quiſquam teſtificetur, apparet peccare eos contra legem charitatis & æquitatis, qui teſtando contra proximum faciunt alijs, quod ſibi fieri nollent. Quare ſi teſtando cõtra proximum læditur charitas & æquitas, uidetur haud fuiſſe præcipiẽdum, ne falſo, ſed potius ne prorſus teſtemur contra proximum: ne dum lex dicit, Ne dicas falſum teſtimonium contra proximũ tuum, colligat quiſquam, ergo non prohibetur, ne dicam teſtimonium contra proximũ, modò uerum dicam, non falſum.

Quomodo diligẽdus ſit proximus.

Sciendum eſt itaq;, ſic diligendum eſſe proximum, ut illius gratia neq; contra Deum, neq; in te ipſum, neq; aduerſus alium quempiam, qui & ipſe tibi proximus eſt, pecces. Mendacio autem læditur ueritas, peccatur in Deum, in noſtram ipſorum ſalutem, & in proximum: cui incommodatur, dum alijs mentiendo gratificamur. Quapropter conſequitur, uel prorſus nõ eſſe teſtificandum de quoquam, id quod neceſsitas humani conuictus ferre non poteſt: uel cenſendum eſſe, non peccari contra æquitatem ac legem charitatis, ſi contra proximum ueraciter teſtificemur, modò id fiat neq; temerè, neq; ex affectu odij uel proprij commodi, ſed

Quomodo illeſa charitate teſtimoniũ cõtra proximum dici queat.

amore

amore ac ſtudio ueritatis aſſerendæ, ſuccurrendiq; afflicto & innocenti.

Cogitandum & illud eſt, æquitatis legem, qua uetatur ne faciamus proximo, quod nobis fieri nolimus, non eſſe trahendam ad corruptos carnis noſtræ affectus, ſed ad normam iuſtitiæ, æquitatis ac neceſsitatis. Alioqui non licebit magiſtratui pœnas ſumere de ſontibus, miniſtris uerbi redarguere peccãtes, patribus familiâs corripere domeſticos delinquẽtes, præceptoribus caſtigare ſocordes diſcipulos, ſenib. reprehendere moroſos adoleſcẽtes, fratri corrigere fratrem: quandoquidẽ ſic eſt caro noſtra corrupta ac deprauata, ut ægerrimè ferat, ſi coripiatur, caſtigetur, redarguatur & reprehendatur. Statuendũ igitur eſt, nihil poſſe nocẽtius euenire peccãti proximo, quàm ſi nemo illi faciat, quod ipſe ſibi, ſi eodem morbo laboret, fieri nolit: ſed corruptis illius affectibus obſequantur ac gratificentur omnes. Quare uſq; adeò non peccatur contra charitatis & æquitatis normam, ſi aduerſus proximũ ueraciter ac neceſſariò teſtificemur, ut niſi hoc fiat, cõtra ipſiſsimam charitatis & æquitatis regulam peccetur.

IIII. QVOT MODIS FALSVM *teſtimonium dicatur.*

Primò falſum teſtimonium dicit, quiſquis ſimpliciter quacũq; de re dicit quod eſt falſum. Sic omne mendacium, falſum eſt teſtimonium.

Dicitur autem mendacium uel ignoranter, uel ſcienter. Ignoranter, quando quod dicitur, ignoratur eſſe falſum, & putatur eſſe uerum. Accidit hoc aliquando pijs etiã, dum animo ſimplici, citra dolum ac malum ſtudium per ignorantiam dicunt: quod cum falſum ſit, putãt eſſe uerum. Accidit itẽ impijs, ſed diuerſimodè. Nã illi nõnunquam per errorẽ quidẽ, quod uerũ eſſe putãt, cũ falſum ſit, dicunt: uerùm dicunt id animo nõ candido, ſed malitioſo, ac ſubdolo. *Ignoranter.*

Sciẽter dicitur, quòd & falſum eſt, & falſum eſſe ſcitur. Et hoc fit uariè. ~~Alius ex~~ timore dei. Sic obſtetrices Ægyptiæ, Exod. 1. ~~Alius ex charitate~~, uel fide debita. Sic Micol uxor Dauidis, mentiendo liberauit maritum ſuum, 1. Sam. 19. ~~Alius ex fide~~. Sic Rhaab, Ebr. 11. ~~Alius expudore~~ & metu. Sic Sarah, Geneſis decimooctauo negabat ſe riſiſſe. ~~Alius~~ ſic mẽtitur ex infirmitate carnis, ac metu periculi: id quod accidit apoſtolo Petro, cũ Chriſtum negaret dicens, Non noui hominem: & Gabaonitis, Ioſue 9. cum ſe de terra longinqua uenire dicerẽt, cum eſſent uicini. *Scienter.*

Alius ſtu~~dio iuuandi proximum~~. Sic Ioanathas filius Saulis, Dauidem eripuit ac ſeruauit, dicendo quod uerũ non eſſe ſciebat, 1. Sam. 20. cap. ~~Alius proprij commodi ſtudio~~. Ad hũc modum comparatum erat mendacium Ananiæ & Sapphiræ, Act. 5. ~~Alius ſtudio adulandi~~, & aſſentandi, quod malum regnat in aulis principum. ~~Alius ſtudio nocendi~~. Hic regnat detractio, malum noſtro ſeculo omnium uulgatiſsimũ. Reperias qui falſum ſcienter dicat, neq; ex infirmitate carnis, neque periculi metu, neque ſtudio uel iuuandi uel lędendi quenquam, neque adulandi uel detrahendi propoſito, ſed quadam leuitate ac uanitate mentis, cui uſque adeò linguam ſuam permittit quotidie, ut tandem in conſuetũdinem mentiendi incidat, omnemq; ueritatis fidem amittat.

Neſcio an ſentiendum ſit, illos quõq; falſum dicere teſtimonium, qui nõ ſeriò, ſed iocoſo mendacio uel iritant homines ſimplices, uel riſum congerronib. mouent: idq; ſic faciunt, ut ipſo oris habitu ſatis oſtendant, iocum eſſe & cõmentum quod dicunt. Neq; enim rectè teſtimoniũ uocari poterit, quod neq; propoſito teſtificãdi dicitur, neq; loco teſtimonij accipitur. *Iocoſum mendacium.*

Deinde falſum teſtimonium dicit, qui adiuratus in iudicio, ut quod uerum eſſe nouit, de proximo teſtetur, ea dicit quæ non ignorat eſſe falſa.

1 Fit hoc bifariam. Primò, quando dicitur quod ſimpliciter confictũ eſt & falſum. Tale teſtimonium erat, quod cõtra Naboth Iſraelitam à teſtibus ſubornatis dicebatur, quòd uidelicet Deo ac Regi maledixiſſet: id quod nihil habebat ueri, ſed planè confictum erat. 1. Reg. 21. *Falſum teſtimoniũ in iudicio.*

2 Deinde, quando dicuntur, quæ quidẽ ueri aliquid habent in uerbis, uerùm ſic peruertuntur ut alienum ſenſum induant. Eiuſmodi teſtimonium erat, quod Matth. 26. contra Chriſtũ proferebatur, quòd dixiſſet, Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reędificare. Verba Chriſti peruertebãt, ac ſimul ad alienum ſenſum trahebant. Conſimili malitia uſi ſunt etiã illi, qui Act. 6. uerba Stephani, quæ de Chriſto Domino aduerſus Iudaicã perfidiam & impœnitentiã dixerat, ſic peruerterũt, ut teſtarentur, eum indeſinenter contra locũ ſanctũ ac legẽ Dei loqui. Hactenus obiter oſtendimus, quot modis accidat, ut falſum teſtimoniũ dicatur.

V. DE QVO GENERE TESTIMONIO- *rum lex iſta Decalogi loquatur.*

Quoniam uaria ſunt falſorum teſtimoniorum genera, uidendum iam eſt, quò referendum ſit quod hac lege præcipitur, ne falſum teſtimoniu m contra proximum dicatur. Haud quidẽ abſurdum fuerit, ſi intelligas in uniuerſum, quodcunq; prohiberi falſum teſtimoniũ. Verũ ſi

quid dandum eſt uerbis quæ in Ebræo contextu leguntur, uidetur conuenientius eſſe, ut de teſtimonijs falſis intelligamus, quæ in iudicijs intercedente iure eiurádo proferũtur. Sic enim in Ebręo legitur: לא תענה ברעך עד שקר, id eſt, Non reſpondebis contra proximum tuum teſtimonium falſum. Verbo reſpondendi, meo iudicio, ſatis ſignificanter innuitur, hoc præcipuè falſorum teſtimoniorum genus prohiberi, quod in iudicio profertur ab illis qui nõ ultrò, ſed rogati, imò adiurati, teſtificando quod falſum eſt reſpondent. Quod illi reſpondent, teſtimonium eſt: uerùm non mox de quolibet teſtimonio prædicari poteſt, quòd ſit reſponſum. Etenim extra forum & iudicia abundant omnia teſtimonijs, quæ non rogati, ſed ultrò proferimus: in iudicijs uerò, nemo niſi rogatus & adiuratus teſtificando reſpondet.

De teſtimonio fœſi loquitur

Sunt qui putant pręſens præceptum per id exponi, quod Leuit. 19. legitur ad hunc modũ: Non furabimini, neq; mẽtiemini, neq; fallaciter agetis quiſq; cum proximo ſuo. Atq; hoc ſenſu arbitrantur omne genus mendaciorum ac fraudis per id uetari, quod hic dicitur, Ne dicas falſum teſtimonium cõtra proximũ tuum. Mouentur forſan ex eo, quod poſt prohibitionem furti ſtatim de mẽdacio ac fraude ſubijcitur. Horum ſententiæ nolim temerè reluctari. Inter ea tamen ſimpliciter, abſq; ulla contentione, quid mihi uideatur expono, propter uerbum reſpondendi, quod iudico non eſſe præter rationem in hoc præſenti præcepto uſurpatum.

Fœſe teſtimoniũ cæteris periculoſius.

Neq; abſurdum eſt, ſi cõſideremus qua ratione Dñs hoc genus falſorum teſtimoniorũ ſingulari pręcepto prohibere uoluerit. Inter reliqua falſa teſtimonia nocẽtius eſt quod à iuratis profertur in iudicio, ubi cauſa innocẽtis periclitatur. Teſti ſiquidẽ iurato, niſi pateat illius nequitia, nec iudex nec accuſatus reſiſtere poteſt. Si duo teſtes cõſentiẽtia dixerint, lege ſancitũ eſt, ut illorũ teſtimonio uel ſtet, uel cadat quæcunq; cauſa. Quare nõ eſt paratius mediũ & inſtrumentũ ad nocendum, imò perdendũ etiam innocentiſsimũ, quàm falſum teſtimoniũ, iureiurando & legaliter præſtitũ. Exẽplum eſto in Naboth Ieſraelita, & Suſanna. Habẽt & reliqua falſa teſtimonia ſuas impoſturas ac deceptiones, uerùm illæ cautione ac circumſpectiõe uitari poſſunt. Neq; enim adiunctã habent coactionẽ, quę iudiciarijs teſtimonijs eſt annexa. Quemadmodum itaq; in præcedentib. pręceptis tanquam potiora nocumẽta, homicidium, adulterium, & furtum prohibentur, cum tamen multa ſint & alia minora, quibus uitę, honeſtati, ac facultatibus noſtris incõmodatur: ita uidetur in iſto pręſenti prohiberi teſtimonium falſum, quo titulo iudicij ac iuſtitiæ omnis fortuna, fama ac uita proximi in diſcrimen rapitur, quo tamen ſenſu non excluduntur minoris nocumenti mendacia, & falſa teſtimonia.

VI. QVID NECESSE FVERIT PRAECIpere, ne contra proximum falſum dicamus teſtimonium.

Videtur hoc præceptũ eſſe ſuperuacaneũ.

Cum lex naturæ, cõmuni mortalium omnium ſenſu comprobata, iubeat ne faciamus alijs quod nobis fieri nolimus: nemo autem ſit qui hanc ignoret, nec ducat iniquum, ſi quis de ſe malè ac falſo teſtetur: uidetur legem huiuſmodi, qua cauetur, ne falſum teſtimoniũ dicamus, eſſe ſuperuacaneam.

Generalis cauſa totius Decalogi.

Reſpondendum eſt: Si naturæ noſtræ manſiſſet integritas, ſimul manſiſſet charitas & ęquitas in corde, ueritas in ore, & innocentia in manibus. Verùm quoniam peccato, tanquam ueneno Satanę, corrupta eſt in nobis originalis ſinceritas, & corda, ora, manuſq; noſtras uenenum ſerpentis ſtatim initiò in Adamo generis noſtri authore infecit, ut natura ſimus impij, iniqui, mendaces ac ſubdoli: planè neceſſe eſt, ut legibus iuſtitiæ originalis illa ac naturalis malitia coerceatur, qua procliues ſumus ad impietatem, iniuſtitiam, iniquitatem, mendaciũ, fraudes ac dolos. Et hæc eſt generalis totius Decalogi cauſa.

Singularis cauſa, quòd omnis homo mendax eſt.

Quòd uerò præſens præceptum concernit, cogitandum eſt ſingulariter, quòd quoniam à mẽdacio, detractione, aſſentatione, ac falſo teſtimonio naturæ noſtræ corruptio cœpit, ſingulariter etiam ad mentiendum, detrahendum, aſſentandum, ac falſo teſtificandum propendemus omnes, uſq; adeò, ut ſacra ſcriptura uniuerſaliter dicat, Omnis homo mẽdax. Nuſquam lego, Omnis homo homicida, omnis homo adulter, omnis homo fur: lego uerò, Omnis homo mendax. Ergo de omnibus naturæ noſtræ indiuiduis prædicatur, non ſolum quòd mentiantur, ſed quòd ſint mendacia. Nemo propter unum & alterum mendacium rectè mendax uocatur. Procliuitas & quotidiana mentiendi conſuetudo, mẽdacem declarat. Eſt igitur ſingularis ratio legis huius, qua pręcipitur, ne falſum teſtimonium dicamus, in eo, quòd ſingulari propenſione ad mentiendum communiter procliues ſumus omnes. Qui in ueritate nõ ſtetit, Ioan. 8. ſed prolapſus eſt in mendacium, & author mendacij factus: id obtinuit ſuo mẽdacio, ut totum genus humanum abalienatum ſit à ſpiritu ueritatis, & mẽdacio ſubiectum, uſq; adeò, ut ſpiritum ueritatis accipere nequeat, teſte Chriſto, Ioan. 14.

Meliora ſcientes, deteriora facimus.

Quòd autem cõmuni omnium ſenſu comprobatur illud, Quod tibi non uis fieri, ne facias alteri: non tam eſt efficax, ut malum corruptæ naturæ tollat. Sic nanq; cõparati ſumus, ut meliora ſcientes, deteriora faciamus. Succenſemus illis qui nos mendacijs ſuis uel fallunt, uel lędunt. At interea ſic deprauati ſum9, ut idem faciamus alijs. Quare neceſſariũ erat, ut lex cœli

tus

tus lata, legi naturæ astipularetur, atq; ita ingenij nostri malitia ueluti concordi duarum legũ testimonio condemnaretur.

Plurimũ uerò facit ad auxesim corruptionis nostræ agnoscendã ac detestandã, qd nõ dicit, Ne dicas falsum testimoniũ cõtra aduenã, peregrinũ & incognitũ, aut cõtra inimicũ: sed, Cõtra proximũ tuũ. Etenim nisi tanta esset ingenij nostri malitia, ut ne proximis quidẽ parcamus, nedũ alienis & inimicis, haudquaquam necesse fuisset discretè præcipere, ne cõtra proximum nostrum falso testificemur. Quis aũt ignorat, quàm sit maioris iniquitatis, nõ in alienos tantum & incognitos, sed & in notos & propinquos nocentis linguæ expuere uirulẽtiam? *Contra proximum tuum.*

VII. DE MALO FALSI TESTIMONII.

1 Principiò uidendum est, quod sit malum mendacij in genere: deinde uidebimus de assentatione, detractione, & falso testimonio legaliter prolato. Quoniam mendax est Diabolus, & pater mendacij, Deus autem uerax & ueritatis author: satis magnum est mendacij malum, quòd nos coniungit diabolo, tanquam patri filios: & separat à Deo, à quo sumus utiq; nõ ad mendacium, sed ad ueritatem conditi. *Malum mendacij in genere. Primò coniungit Diabolo.*

2 Deinde, sicuti Psalmo 15. uidere licet, locũ in monte Dei non habent, qui loquuntur mendacium in corde suo, & dolum per linguam suam fabricantur. Quis autem satis perpenderit quantum mali sit, excludi à consortio Dei, & habitatione regni eius: & quod horrendissimũ est, coniungi satanæ, illiusq; potestati mancipari? *Excludit à mõte Dei.*

3 Tertiò, linguam nostram ueritati ac laudi Dei consecratam prophanat & conspurcat. Sic fit, ut etiã quæ uera dicimus, aliquid impuritatis ex eo contrahant, quòd ex ore mendaci promanant. Oris sanctimonia & puritas, in ueritate consistit: pollutio uerò ac prophanatio, ex mendacio est. E labijs pollutis autem quid poterit puri prodire, quod non sit uel ipso prolatu inquinatum? Ex eodem ore, inquit Iacobus, procedit benedictio & maledictio. Reprehẽdit hoc Apostolus. Consimili ratione reprehendendum est, quòd ex eodem ore proferuntur ueritas & mendacium. Quis, quæso, dulce merum ex eodẽ uase expectabit, unde quotidie profluit acetum? Etiam pura unda impuratur, si ex fonte cœnoso fluat. *Linguam nostrã cõspurcat.*

4 Quartò, per mendacia fides, qua carere non possumus, labefactatur, & nõnunquam è medio tollitur. Qui mendacio credit, credendo decipitur. Peccatũ admittitur in fidem, rem omnium sanctissimam, cuius maximam conueniebat haberi rationem. Fides mendacio decepta ac læsa, incipit fieri cauta. Fides cauta ac difficilis, iam non solum mentienti, sed sæpenumero etiam uera dicẽti diffidit, atq; ita paulatim extinguitur. Malum hoc admodum pernicioſum est in conuictu humano, cuius necessitas requirit, ut alius alij dicenti, promittenti, narranti, exponenti ac testanti credat. Alioqui turbantur & confunduntur omnia. *Fidẽ tollit è medio.*

5 Quinto, exaggeratur malum hoc per circunstantias personarũ ac rerum. Personarũ, utpote eius qui mẽtitur, deinde cui ille mentitur, tertiò de quo mẽtitur. 1 Mẽtitur Christianus, probrum infert nomini Christiano. Mẽtitur uir in speciem honestus, per speciem honestatis facilius fallit & seducit. Mentitur paterfamiliâs, corrumpitur tota domus ui exempli domestici, quod efficacissimum esse solet. Mentitur qui in magistratu est, infirmatur authoritas magistratus & iudiciorum. Mentitur uerbi diuini minister, incredibile est quantum de authoritate uerbi Dei deterat. *Exaggeratur per circũstantias.*

2 Qui Deo mentitur, plus nocumenti infert animæ suæ, quàm si mentiretur homini. Act. 5. audiebat Ananias seueram hanc sententiam: Nõ es hominibus mentitus, sed Deo. Qui mentitur iudici ac magistratui, causam offert corrumpendi iudicij. Qui parentibus mentitur, peccat in honorem ac reuerentiam parentibus competentem. Qui mendacio fallit hominem Iudæum uel Turcum, aut aliàs ethnicũ, causam illi subministrat blasphemãdi nominis Christi.

3 Qui de Deo mendaciũ dicit, sicuti fecerunt falsi prophetæ, dicentes, Hęc dicit Dominus, cum somnia sua proferrent: oracula Dei corrumpit, & populos grauiter seducit: faciunt hoc etiamnum falsi doctores. Qui de principibus, magistratibus, ac uerbi ministris mẽtitur, plurimum incommodat illorum authoritati, quam semper conuenit esse saluam & integram. Huiusmodi circumstantijs personarum plurimum aggrauatur mendacij malum. Sic cogitabis etiam de circumstantijs rerum, de quibus mendacia proferuntur.

Quantum uerò sit assentationis malum, nõ facile expressero. Gemina assentatio est, de qua nunc loquimur: qua studium gratificandi corde subdolo, uerbisq; ac gestibus mendacibus simulatur. Alia est assentatio, qua proprium commodum: alia, qua pernicies eius quęritur, cui assentando imponitur. *Assentationis malũ geminũ.*

1 Prius genus assentationis passim obtinet, præsertim in aulis magnatum. Illi obnoxij sunt, qui ualent opibus, honore, & potentia. Nocumentum eius est, quòd taliũ hominũ uicia palpantur, teguntur, imò nõnunquam & laudantur: atq; ita fit, ut in illis ad finem usq; perdurẽt ac perdantur: uirtutes uerò, etiam mediocres, ad cœlos usq; laudibus extolluntur, & mentes illorum in obliuionem humilitatis ac mortalitatis suę inducũtur, inq; apotheosin quandam sublimantur: præsertim cum uoces illæ assentatrices, non blandæ tantum sunt, sed & publi-

cæ:

cæ,neq; ex uno duntaxat ſcopulo,inſtar Syrenarum, ſed undequaq; ex omni parte terrarum circúſonant:cuius rei multa ſunt exempla. Vide Actorum 12.quid acciderit Herodi,cui aſſentator populus teſtimonio omnium falſiſsimo acclamabat dicēs:Dei uoces, & non hominis. poſt quam aſſentationem cōfeſtim miſer ille ab angelo Dei percuſſus,ac uermibus corroſus perijt. Quid Alexandro Magno euenerit,teſtantur hiſtoriæ. Et hodie inueniuntur, qui nihil aliud inſonent Regum ac Principum Chriſtianorum auribus,quàm inflata illa elogia, Potentiſsime,illuſtriſsime,inuictiſsime,&c. Ex illorū numero eſt qui noſtra ætate ſic ſcripſit: Iuppiter aſtra tenet, Carole terra tua eſt:ad exemplum ethnici hominis, qui olim ethnico Cæſari aſſentando cecinit:Nocte pluit tota,redeunt ſpectacula manè,Diuiſum imperium cum Ioue Cæſar habes. Quid ergo mirum eſt, quòd uſq; adeò inflantur & inſoleſcunt Principes, ut uideantur eſſe dij quidam, non homines: & pleriq; ex illis omnia iura non humana modò, ſed & diuina pedibus proculcent? Deinde & cōcionatores & epiſcopi huc referendi ſunt,qui aſſentando beatos prædicant reprobos. Tales erant, de quibus Eſa.cap.3.dicit: Populemeus, qui te beatum dicunt,decpiunt te,&c.

2 Poſterius aſſentationis genus uerè diabolicū eſt. Nō loquor de illis, qui homines ſimplices aſſentationibus ſuis demētant,& ridiculos reddunt:ſed de illorum aſſentatione, qui ſalutem eius,cui aſſentantur,inſidioſe trahunt in diſcrimē. Sic faciebat Saul Dauidi,1. Sam.18.cū illi malitioſa adulatione diceret: Ecce filia mea maior Merob,ipſam dabo tibi uxorem,modò eſto uir fortis,& præliare bella Domini. Hæc dicendo,conabatur eum in diſcrimē uitę inducere. Dicebat enim in corde ſuo, Sit ſuper eum manus Philiſtinorum. Tale quid & Phariſæi ſpirabant,cum ad Chriſtum Matth.22.dicerent:Magiſter,ſcimus quòd uerax ſis,& uiam Dei in ueritate doceas. Serpens ille antiquus aſſentando, & amicitiam ſimulando primam generis noſtri matrem cum omnibus illius poſteris in ſummum coniecit exitium. Cain in dolo loquens fratri,& amicitiam ſimulans,decepit ac interfecit incautum.

Saul. *Phariſæi.* *Serpens.* *Cain.*

Ioab. Idem fecit etiā Ioab,cum occideret Abnerum,2.Sam.3.& Amaſan,2. Sam. cap.20. Etenim utroſq; adulatione ſua deceptos interemit. Talis erat etiam Iudas,cum Chriſto daret oſculum. Quare præter rationem non eſt quod Sapiens Prou.27.dicit:Meliora ſunt uerbera diligentis,quàm fraudulenta oſcula odientis. Simulatio amicitię,& fraudulenta adulatio,res eſt omnium peſtilentiſsima,quam nemo ſatis obſeruare cauereq; poterit. Quapropter orat Dauid ad Dominum,Pſal.5.dicens:Domine duc me in iuſtitia tua propter inimicos meos,dirige coram me uiam tuam:quoniam non eſt in ore eorum rectitudo, intimum eorum prauitates,ſepulchrum apertum guttur eorum,lingua ſua blandiuntur. Diſperde eos Deus,&c.

Stultum fuerit omnia aſſentationis huius mala recenſere uelle,cum ſint innumera,& ſatis per quotidianam experientiam cognita. Significatur oratione hac prophetę,malum aſſentationis tam eſſe ſubdolum,inſidioſum,uafrum & lubricum,ut nemo malitiam ac nequitiam illius,niſi diuinitus adiutus,poſsit euadere.

Detractionis malum. Detractio,malum mendax,malitioſum,hypocriticum,inſidioſum,&ſupremè noxium eſt. Quid ſit autē detrahere proximo, & unde ſit detractionis origo, deniq; quale ſit hoc uicium, & quomodo ex circumſtantijs exaggeretur,ſi cui lubet, uideat in Cōmentarijs noſtris ſuper Pſal.15.ibi:Qui nō detrahit lingua ſua. In preſenti uidēdū eſt, quàm ſit noxiū ac perniciosum.

Detractio comitem habet aſſentationem. 1 Solet detractio comitem ſibi ac ſociam aſciſcere aſſentationem,cuius ſeſe cōmendatione inſtar ueneni in animum eius inſinuat,cui proximum deferre conſtituit:atq; ita non iam ſimplex,ſed geminum malum,mutua opera ad nocēdum armatur. 2. Deinde hoc quoq; peculiare habet,quòd ad minus tres perſonas complectitur ac perdit,uel lædit ſaltem:delatorem uidelicet, delatum, & eum cui fit delatio: in eo ſuperans aſſentationem, quòd illa inter duas tantum partes perficitur. 3 Tertiò,& hoc ſingulare malum habet delatio,quòd lædit abſentem, idq; adeò occultè & inſidioſe, ut conſcientiā eius fallat, perdaturq; miſer, priuſquā unde & quare perdatur cognoſcat. Hæc ſunt detractioni propria,quibus quaſi ſpiculis armata, plurimum ualet ad nocendum.

Detractio tres perſonas perdit abſentem.

Lædit charitatem. Quæ illius autem ſint nocumenta, nemo mortalium ſatis perpenderit. Hæc tamen nota ſunt,& conſueta. 1 Primùm illius malum eſt,quòd charitatē uel lædit, uel aliunde læſam adhuc amplius uulnerat,ac prorſus extinguit. Lædit, dum amicos à ſe inuicem diuellit, & in ſimultates & odia conijcit. Læſam uulnerat amplius,& ſi poterit,planè extinguit,dum incendium inter diſidētes afflatu ſuo magis ac magis corroborat. Sic charitatem extinguit detractio,odia ac ſimultates ſuſcitat,amicos & coniunctos ſeparat, & inimicos reddit: diſsidētes, ne concilientur impedit, & animos illorum magis ac magis inflammat. Quòd ſi charitatem prorſus extinguere nequit,eo quòd non ſatis inueniat fidei:illud tamē obtinet, ut ſinceritas priſtina qualicūq; ſuſpicione turbetur, donec ueritas in morem ſolis exorta, omnem iniquarum ſuſpicionum nebulam è medio auferat,& opus tenebrarum extinguat.

Nocet proximi bonis,nomini & uitæ. 2 Alterum malum detractionis uarium eſt. Incōmodat enim delati uel bonis, uel nomini, uel uitę,uel ſimul hiſce omnibus. Perniciosiſsima eſt, dum uenenum ſuum auribus principū inſinuat:ſic ut nonnunquam integras familias, urbes, ac gentes exitio inuoluat. Inſpiciatur

hiſtoria

historia Esther cap.3. quàm malitioſe gentem Iudaicam in aures Aſſueri detulerit improbiſsimus Aman, ac quantũ cladis delatione ſua molitus ſit. Aſſentabatur Regi, quaſi non odio gẽtis, ſed ſtudio conſulendi regno illius, extinctionem Iudæorum moliretur. Doeg Idumæus delatione ſua 85. ſacerdotes domini, ac ciuitatem Nobe cum omnibus qui in illa erant, uiris, mulieribus, ac paruulis neci dedit, 1. Sam. 22. Omne exilium ſuũ Dauid, & uniuerſa diſcrimina, quæ ex perſequutione Saulis ſuſtinebat, detractoribus adſcribebat, dicens: Domine mi Rex, quare audis uerba hominum dicentiũ ad te, Dauid quærit malum aduerſum te? 1. Sam. 24. Quare præter rationem non eſt, quòd in ſcripturis linguæ detractrici datur uenenũ aſpidum, tanquam præſentiſsimum ad mortem, gladius acutus, ſepulchrum apertum, incẽdium ignis, propter incredibilem malitiam, qua eſt ad perdendum inſtructa. Meritò igitur communi omnium odio obnoxius eſt, quiſquis delationis uitio deditus eſt: meritò tanquã præſentiſsima peſtis fugitur ab omnibus, & ad illius præſentiam omnium ora clauduntur. Viuentem execrantur omnes, periclitanti ac pereunti cõdolet nemo, & mortui memoria maledictioni eſt obnoxia.

Aman.
Doeg.
Dauid.
Quid ſcriptura det linguæ detractrici.

Et falſi teſtimonij malum non modò ingens, ſed & uarium eſt. Species malitiæ illius plures ſunt, quàm ut in præſenti enumerari ualeant. Abundè multum nocumenti in eo primùm eſt, quòd Deum ipſum peruertit, qui falſò per illum iurans, conſtituit eum nequitiæ ſuæ patronum: cuius eſt, ueritati patrocinari, non mendacio: æquitati, non inquitati: innocenti, nõ improbo & malitioſo.

Malum falſi teſtimonij.

Deinde & in eo, quòd nomen Dei mendacio ſuo polluit. Tertiò, quòd iuriſiurandi uſum ſacroſanctum, & ſummopere rebus humanis neceſſarium, quantum in ipſo eſt, peruertit. Quartò, quòd & iudicia non ſimpliciter corrumpit, ſed uſq; adeò peruertit, ut damnent innocentem, & iuſtificent noxium. Quis autem ſatis perpenderit, quantum ſit mali in hoc quadruplici ſacroſanctiſsimarum rerum peruerſione, qua Deus ipſe nomen Dei, uſus iuriſiurãdi, & officium iudicum peruertitur: idq; efficitur, ut horũ authoritate, religione, reuerentia & obſeruantia, cauſa innocentis periclitetur? Quintò, & illud accedit, quòd falſus teſtis uenena ſua & mortifera lingua, non modò cauſam innocentis tenebris iniuſtitiæ inuoluit, ſed & ipſum innocentem in extrema diſcrimina bonorum, nominis, & uitæ conijcit. Exempla ſunt manifeſta: Naboth Iſraelitæ, 1. Reg. 21. Suſannæ, Dan. 13. Stephani Actorum 6. & 7.

Illud horribile malum eſt, quod pleriſq; in locis tanta exercetur quæſtionũ ſæuities & immanitas, ut inueniantur innocentes, qui intolerabili cruciatu adacti, falſo teſtificentur aduerſum ſeipſos: atq; ita falſo ſuo teſtimonio uitam ſuam perdant ipſi, quo ſe immanibus cruciatibus in præſenti liberent. Huius rei paſsim multa extant exempla. Et dũ hæc fiunt, arbitrantur iudices habere ſe iuſtam decernendi & condemnandi cauſam, ſecũdum illud: Ex ore tuo te iudico. &: Ex uerbis tuis iuſtificaberis, & ex uerbis tuis condemnaberis. Non credũt innocentiam ſuam aſſerenti, & credunt aduerſum illam teſtificanti. Teſtimonio credunt, diris cruciatibus ac torturis uiolenter extorto: nec cogitãt, quanta ſit in eiuſmodi torturis carnis infirmitas: neque terrentur innumeris exemplis eorum, qui cùm innocentes eſſent, huiuſmodi quæſtionibus perierunt, ac ſanguinem innoxium falſo de ſeipſis teſtificantes fundendũ præbuerunt. Hæc obiter de malo falſi teſtimonij annotare uolui, cætera illius nocumenta, quotidiana exempla abundè ſatis exponunt.

Immanitas quæſtionum.

VIII. DE POENA ET VLTIONE *falſi teſtimonij.*

Conſideratio huius duplex eſt. Eſt ultio merè diuina, nullis legibus cõprehenſa: eſt humana, lege Dei ſancita. Humanã uoco, propterea quòd humano miniſterio ex officio magiſtratus perficitur. Alioqui ut lex pœnam ſtatuẽs, qua falſus teſtis puniatur, Dei eſt: ita & ipſa pœna iudicio Dei rectè tribuitur, etiamſi per homines tanquam miniſtros Dei adminiſtratur.

Quòd ultionem merè diuinam concernit, cogitandum nobis de eo eſt, quàm ſit malũ hoc ſingulare, ideoq; ſingulari odio Dei obnoxium. qua de re teſtatur Salomõ Prouerb. 6. ad hũc modum. Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius. Oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſsimas, pedes ueloces ad currendum in malum, proferentem mẽdacia, teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordiam. Odit quidem Deus omnis generis peccata, uerùm iſta ſingulari odio propter ſingularem maliciam proſequitur. Quis autem dubitat, non relinqui impunitum hoc genus peccati, quod in oculis Dei ſingulariter malũ apparet? Rariſsime accidit, ut humano iudicio puniatur falſus teſtis, quamuis malum hoc indies magis ac magis creſcat. Quare quo quis magis ceſſat homo iudicij diuini miniſter, hoc credibilius eſt ipſum iudicem Deum animaduertere crebrius in falſos teſtes. Nec illi euadũt, quorum falſum teſtimonium non eſt cognitum iudici. Vulgò dicitur: *Gott richt, wann niemands ſpricht.* Et, Nullum malum impunitum. Item ſuprà præcepto tertio: Non habebit dominus inſontem eum, qui

Vltio diuina.

qui assumpserit nomen domini Dei sui frustra. Salomon capite 21. Testis mendax peribit. Vera sunt hæc, sed consideratione ultionis merè diuinæ. Alioqui innumeri sunt falsi testes, qui humano non puniuntur iudicio, quo se nomine felices esse putant, cùm ob id ipsum sint reliquis, qui hic plectuntur, longè infeliciores. Grauissimum enim est, incidere in manus Dei.

Vltio legalis. Quod attinet legalem ultionem, magistratibus mandatam, expressum est Deut. 19. qua sit pœna animaduertendum in falsos testes. Sic enim ibi legitur: Si steterit testis mendax cõtra hominem, accusans eum pręuaricationis, stabunt ambo quorum causa est, ante dominum in conspectu sacerdotum & iudicum, qui fuerint in diebus illis. Cumq; diligentissimè perscrutantes inuenerint falsum testem dixisse cõtra fratrem mendacium, reddent ei, sicut fratri suo facere cogitauit: & auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant, & ne quaquam talia audeant facere. Non misereberis eius, sed animã pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.

Lex ista diligenter lata est. Plenitudinem suam habet quatuor partibus comprehensam.

1 Principiò siquidem iubet, ut causa coram sacerdotibus ac iudicibus diligentissimè inspiciatur, ne uidelicet temerè aliquid præter æquum ac iustum decernatur.

2 Deinde, ubi testis iniquus ac falsus liquidò deprehẽditur, statuitur pœna talionis, omniũ iustissima, qua recipiat falsus testis ac patiatur, quod fratri suo facere cogitauit, quẽ testimonio suo in discrimina erat coniecturus, nisi mendaciũ ipsius fuisset manifestò deprehensum.

3 Tertiò, additur specificatio pœnarum secũdum legem talionis. Exiges, inquit, animã pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede. Hoc est, si accusatus, ubi de crimine conuictus fuerit, secundum criminis enormitatem occidendus est, occidatur falsus testis, si falso illum accusasse fuerit deprehensus. Si pœna accusati futura erat in aliquo corporis membro, in eodem puniatur falsus testis.

4 Quartò, ponitur etiam ratio & scopus pœnæ huius. Et auferes, inquit, malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Potissima hęc ratio est, ob quã mali & facinorosi homines puniendi sunt in hac uita, ut reliqui uidelicet formidine pœnæ cohibiti, à peccatis abstineant, seruetuŕque conuictus humani tranquillitas & securitas. Hæc est legis huius æquitas & necessitas: æquitas in talione, necessitas in ratione ac scopo, ad quem est collimandum.

Sed contra æquitatem hanc talionis facere uidetur, quod Deuteronomij 22. alia lege sanctum legitur, ubi sic scribitur: Si duxerit uir uxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritq; occasiones, quib. dimittat eam, objiciens ei nomen pessimũ, & dixerit: Vxorem hanc accepi, & ingressus ad eam non inueni uirginẽ, tollent eam pater & mater eius, & ferent secum signa uirginitatis eius ad seniores urbis, qui in porta sunt, & dicet pater: Filiam meã dedi huic uxorem, quã quia odit, imponit ei nomen pessimum, ut dicat, Non inueni filiam tuã uirginem: & ecce hęc sunt signa uirginitatis filiæ meæ. Expandent uestimentum coram senioribus ciuitatis, apprehendentq; senes urbis illius uirum, & uerberabũt illum, cõdemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellę, quoniã diffamuit nomen pessimũ super uirginem Israel, habebitq; eam uxorem, & non poterit eam dimittere omnibus diebus uitę suæ. Quòd si uerum est quod objcit, & non est in puella inuenta uirginitas, eijciẽt eã extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent eam uiri ciuitatis illius: & morietur, quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui: & auferes malum de medio tui. Hæc ibi.

Atqui secundũ legẽ talionis debebat uir eiusmodi falso testimonio uxorẽ accusans, eandẽ pati pœnã lapidationis, quã pati cogeretur uxor, si iustè accusata deprehẽderetur. Lapidibus inquit, eã obruent, & morietur. Ergo lapidibus erat huiusmodi maritus propter falsum testimonium, secundum legẽ aduersus falsos testes suprà decimonono capite latã, adobruẽdus, non tantùm uerberandus, & 100. siclis damnandus. Considerandũ hic est, legem Deuteronomij 19. esse generalem: hanc uerò specialem, aliquid habentem exceptionis & moderationis.

Augustinus. De hac Augustinus in quæstionibus super Deut. quæst. 33. annotat ad hunc modum: Satis hinc apparet, quemadmodum subditas feminas uiris, & penè famulas lex esse uoluerit uxores, quòd dicens uir aduersus uxorem testimoniũ, unde lapidaretur illa, si hoc uerum esse demonstraretur, ipse tamen non uicissim lapidaretur, si hoc falsum esse constiterit: sed tantùm castigatur & damnificatur, eiq; iubetur perpetuò adhærere, qua carere uoluerat. In alijs autẽ causis eum qui testimonio falso cuiquã nocuerit, quod si probaretur, iussit occidi, eademq; pœna plecti, qua fuerat, si uerum esset, iste plectendus. Hæc August. Hinc autem nõ consequitur, legem talionis contra falsos testes generaliter latam, pro arbitrio iudicũ licitè posse eneruari & intringi. Non enim illis facere licet, quod licet legislatori, legem suam in causa aliqua moderanti.

DECIMVM PRAECEPTVM.

NE concupiscas domum proximi tui, ne concupiscas uxorem proximi tui, nec seruum eius, nec ancillam eius, nec bouem eius, nec asinum eius, nec omnia quæ sunt proximi tui.

Præceptum

Præceptum hoc ultimum eſt præcedentibus magna ratione adiectum. Prohibet concupiſcentiam rerum alienarum. Rerum autem, quæ concupiſcentię noſtrę capaces ſunt, numerus & uarietas modum non habent: & ipſa concupiſcentia latens in corde noſtro, malum eſt incomprehenſibile, infinitum, profundum & inſatiabile. quare propè non ſuccurrit, unde præcepti huius declarationi ſumendum ſit initium.

Quomodo præceptū hoc ultimū præcedentibus ſubiungatur.

Hactenus in ſecunda hac tabula homicidij, adulterij, furti ac falſi teſtimonij flagitia uetuit Dominus: iam ultimo loco horum omnium fontem reſtringit, concupiſcentiam uidelicet eorum quæ non noſtra ſunt, ſed ad ius proximi pertinẽt. Nam ex illa prodeunt homicidia, adulteria, furta, rapinæ, falſa teſtimonia, mendacia, detractiones, & quæ alia ſunt huiuſmodi.

Specificatio.

Addit autem legi huic ſpecificationem eorum bonorum, quæ communiter & paſſim ſunt in uſu: ut ſunt domus, id eſt, habitaculum domeſticum, uxor, ſeruus, famula (nam illis populis, quemadmodum etiamnum, ſerui & famulæ ad ius proprietatis pertinebant) bos & aſinus. & quoniam adhuc alia multa ſunt, quæ in hanc claſſem referri poſſunt, adijcit ſummariã comprehenſionem, dicens, Nec omnia quæ ſunt proximi: id eſt, nec quicquam aliud eorum quæ ſunt proximi. quibus uerbis concupiſcentiam noſtram ſic reſtringit, ut nihil illi prorſus ex omnibus bonis alienis appetere liceat. Verùm obiter uideamus, quæ in materia uetitæ huius concupiſcentiæ in conſiderationem ueniant.

I. QVID SIT CONCVPISCENTIA.

Concupiſcentia quid ſit, reipſa notius eſt, quàm ut declaratione opus habeat. Appetitio eſt & affectio animi, quam rectè Græci uocant ἐπιθυμίαν, qua quod nobis arridet, in uſus noſtros, quouis modo pertrahere molimur.

Vis concupiſcentiæ.

Et uis appetitionis huius tanta eſt, ut niſi concupita fuerimus adepti, iudicemus nos eſſe prorſus infelices.

Contrariũ concupiſcentiæ.

Contrarium concupiſcentiæ eſt auerſio animi, qua quæ diſplicent, cum horrore quodam & abominatione auerſamur ac fugimus: quemadmodum contrariũ amoris eſt odium, & gaudij mœſtitia.

Natura concupiſcentiæ.

Natura illius eſt, ut extendat ſe in ea quæ non habemus. Alioqui, quemadmodum Paulus dicit, Quæ quis iam habet, quomodo ſperabit? ita & hic dicendum eſt, Quæ quis habet, ut quid concupiſcet? Quare concupiſcentiæ noſtræ capacia non ſunt, niſi ea quæ nullo iure ad nos pertinent, ſed in aliorum ſunt poteſtate.

II. QVOTVPLEX SIT CONCVPISCENTIA.

Concupiſcẽtia ante peccatũ.

Ante peccatum primorum noſtrorum parentum, quemadmodum reliqui affectus, ita & concupiſcentia naturæ noſtrę erat indita ſimplex, naturalis, ordinata & neceſſaria, ſic ut nulli eſſet malitię obnoxia: qualis eſt etiamnum, dum eſurientes cibum, ſitientes potum, frigentes calorem, calentes refrigerationem, captiui libertatem, ægrotantes ſanitatem, &c. ſimplici naturæ ductu ſine ullius uicij acceſsione concupiſcimus. Poſtquam uerò primi parentes noſtri uenenum ſerpentis biberunt, deprauata eſt uis iſta appetitiua in cordibus noſtris, factumq; ut limites naturæ ac neceſsitatis excedens, extendat ſe in ea quę concupiſcere non licet, quia auferre tanquam aliena non licet.

Affectus cõcupiſcentiæ duplices.

Sunt ergo affectus concupiſcentiæ duplices: ~~naturales, & corrupti~~. Naturales diuinitùs ſunt inditi, & uſqueadeò non illiciti, ut ſint etiam neceſſarij. Quare admodum inconſideratè docent, qui uagitus infantium, dum eſurientes cibum appetunt, &c. ad uetitam concupiſcentiam referunt, & peccato originis adſcribunt. Corrupti affectus concupiſcentiæ ſunt, quibus exceduntur limites neceſsitatis, & ſeruitur uoluptatibus, curioſitati, philodoxiæ, pleonexię, aliquis uitijs: idq; contra legem charitatis, & ſanctiomniæ puritatem.

Vnde ſit corruptio concupiſcentiæ.

Iſta corruptio concupiſcentiæ eſt à ſerpente antiquo introducta, non carni noſtræ diuinitùs indita. Quare cauendum eſt, ne concupiſcentiã noſtram uel Deo tribuamus uniuerſam, uel ſatanæ. Vis concupiſcendi à Deo eſt, malè cõcupiſcendi à ſatana: quemadmodum à Deo habemus quòd uiuimus, quod malè uiuimꝰ, à ſatana malitię noſtrę authore. Hac diſtinctione cauemꝰ, ne opus Dei in nobis propter opus ſatanę negemus, uel opus ſatanę Deo tribuamꝰ.

Obſeruandum in nobis opus Dei, & opus ſatanæ.

Cordati hominis eſt, diligenter in ſeipſo obſeruare opus Dei & opus ſatanę. Opus Dei uoco, quicquid nobis naturaliter eſt inditum. Habemus à Deo non ſolùm corpus hoc externũ & animam qua uiuimus, ac mentem qua ratiocinando intelligimus & iudicamus, ſed & affectus cordis: quales ſunt concupiſcentia, uis auerſandi, amor, odium, ſpes, timor, gaudium, triſtitia, ira, beneuolentia, miſericordia, &c. Et horum affectuum magnus eſt uſus, magnaq; ratio, propter quam ſunt naturæ noſtræ inſiti. Sic nos condidit, ut quæ neceſſaria ſunt, non ſimpliciter de manu ipſius abſq; ullo præcedentis neceſsitatis ſenſu, & concupiſcentiæ affectu inſtar truncorum & lapidum, ſed ſenſu neceſsitatis tacti concupiſcendo accipiamus: quem-

admodum tellus arida irrigationem, quæ per imbrem est, cœlitus demissam, auidissimè accipit & imbibit.

Ratio naturalium in nobis affectuum.

Ratio huius est, primùm ut concupiscentes quæ necessaria sunt, conuertamur ad conditorem nostrum, bonorum omnium fontem, conditorumq; omnium conseruatorem, & ab illo petamus quibus opus habemus. Deinde ut dona Dei hoc nobis sint gratiora, quo magis desiderata & petita acceperimus. Indidit nobis etiam sensum iucunditatis, quem experiamur in usu donorum ipsius: & affectum gaudij, quod oboritur in corde nostro, quoties uoti compotes reddimur. Ratio horum est, ut gaudentes, donisq; Dei uolupè utentes, sursum mentibus ad largitorẽ Deum euehamur, bonitatiq; illius gratias agamus ex animo. Indidit nobis etiã sperandi uim. Vsus huius est, ut quæ cõcupiscimus, & à Deo petimus, ubi non statim dantur, sperando expectemus: deinde, ut in illis quæ studio & labore nostro acquirenda sunt, sedulò conando, studendo & operando satagamus. Sic ista pulchrè iunguntur, Egere, concupiscere, petere à Deo, fide sperare, accipere cum gaudio, uti cum delectatione, gratias agere bonorũ omnium largitori, bonitatem illius ex animo deprędicare, dilectionisq; affectu in illum rapi. Hæc omnia eneruabuntur prorsus, si concupiscentiam prorsus abstuleris. Hactenus bona est concupiscentia, imò necessaria, & diuinitùs naturæ nostrę indita. Tolle concupiscentiã, cessabit copula coniugum, desiderium prolis, generis nostri multiplicatio, utilitas edendi ac bibendi, conseruatio uitæ, studiũ sapientiæ, iustitiæ, humanitatis, bonitatis, misericordię, consortij & conuictus humani, eruntq; omnia in homine prorsus emortua. Si fieri non potest, ut nullis rebus egeamus, nihilq; sit quod nobis uel uisum, uel auditum arrideat, donec sumus in hac carne: fieri etiam nõn potest, ut nihil concupiscamus. Nihil concupiscere igitur, uiuentium non est, sed mortuorum.

Nihil concupiscere, mortuorum est, nõ uiuentium.

Dum ista consideramus, cogitemus quanta fuerit satanæ nequitia, qua rem tam necessariam, & uitæ in ipsis medullis indiuulse inhærentem, statim initiò in primis nostris parentibus ueneno malitiæ suæ infecit & deprauauit.

III. QVOD GENVS CONCVPISCENTIÆ *prohibeatur.*

Quoniam ex ijs quæ iam sunt annotata, satis manifestum est, concupiscentiam in se non esse damnabilem, sed bonam & necessariam: consequenter uidendum est, quæ nam concupiscentia prohibeatur.

Cõcupiscentia spiritus non prohibetur.

Sapien. 6.

Commendatur in scripturis concupiscentia spiritus, de qua loquitur Apostolus Gal. 5. dicens, Spritus concupiscit aduersus carnem: hoc est, internus ac spiritualis homo nouus & à Deo regeneratus cõcupiscit diuersa ab ijs, quæ carnalis secundum corruptionem carnis concupiscit. Sic Dauid mandatorum Dei scientiã, atria Domini, & salutare illius concupiscebat. Sic sapientia Dei clamat: Concupiscite sermones meos. Item, Transite ad me omnes qui concupiscitis me. Et 1. Pet. 2. Lac fidei, doctrinę ac pietatis Christianę cõcupiscere iubemur. Hoc genus concupiscentiæ non prohibetur.

Nec concupiscentia animalis prohibetur

Nec prohibetur animalis hominis concupiscentia, quæ nobis naturaliter est indita, qua de paulo suprà diximus. Neq; enim dicit legislator simpliciter, Ne concupiscas. neq; sic tantũ dicit, Ne concupiscas domum, uxorem, seruum, ancillã, bouem, asinum, uel aliud quippiam: sed, Ne concupiscas domũ proximi tui, ne concupiscas uxorem proximi tui, nec seruũ eius, &c. Ergo non est illicitum, concupiscere domum, uxorem, seruum, ancillam, bouem & asinũ, & si quid aliud horum est, quæ usibus nostris sunt necessaria.

Cõcupiscentia corruptæ carnis prohibetur.

Relinquitur ergo, prohiberi concupiscentiam, quę nec naturalis est, nec spiritualis, sed carnis, corruptę uidelicet ac deprauatæ, quam perstringit Apostolus, dicens: Caro concupiscit aduersus spiritum. Concupiscentia naturalis ministra est naturę, spiritualis spiritus regeneratorum: carnalis uerò seruit peccato, quod latet in carne nostra. Illa est praua & damnabilis, ac lege Dei prohibita. Prauitas eius est primùm in eo, quòd concupiscit in se turpia, iniusta, iniqua, impudica, noxia & impia: qualia sunt idolorum seruitus, scortatio, adulterium, ebrietas, luxus, impostura, superbia, detractio, homicidium, & si quid aliud est eiusmodi. Hæc concupiscendo concupiscit aduersus spiritum. Deinde in eo quoq;, quòd concupiscit ea quæ in se licet sint non mala, aliũde tamẽ habent, unde nobis affectatu sunt illicita, qualia sunt à Deo uel magistratu prohibita. Sic peccabat ille qui Iosue septimo laminam auri inter anathemata Hiericho conspectam concupiuit, abstulit & abscondit. Huc referri debet aurum etiam & argentum idolorum, de quo pręcepit Dominus Deut. 7. dicens: Ne concupiscas aurum & argentũ eorum. Item, ad nos non pertinentia. Sic per curiositatem affectamus scientiam rerũ ad nos non pertinentium, & honores quoq; qui nos non concernunt. Deniq; quæ sunt aliorum, domus, ager, uxor, seruus, ancilla, bos, asinꝰ, &c. sicuti uides hac lege expressum. Adhęc, quę sunt gulę, quales erant cibi Aegyptiorum, quos concupiuit Israel in solitudine. Huiusmodi concupiscentia rerum illicitarum, prohibitarum, ad nos non pertinentium, alienarum, & ad gulam facien-

facientium, prohibetur à Domino, tanquam carni noſtræ ad perniciem noſtram, & rerũ humanarum diſturbationem à ſatana inſita.

IIII. DE MOTIBVS PRAVAE CONCVPISCENTIAE.

Quoniam malum hoc prauæ concupiſcentiæ ineſt carni noſtræ corruptæ ac peccatrici, il liq; ſic mordicus inhæret, ut eam, donec hic uiuimus, ne furca quidem expellere queamus, operæpreciũ fuerit cognoſcere, quibus modis moueatur, ut ſeſe exerat, & uirus ſuum effundat. Non ſentitur perpetuò, ſed nonnũquam ſic latet in corde noſtro, ut putemus nihil illius prorſus eſſe in carne noſtra. Verùm mox ubi ſenſus noſtri obiecto rerum carni noſtræ concupiſcibilium tanguntur, confeſtim ac citius quàm obſerues, excitatur praua hæc cupiditas, & appetit non appetenda.

Quibus modis moueatur praua concupiſcẽtia.

Sunt autem ſenſus animales in nobis, ad quos obiecta uelociſsimè perferuntur, exterior & interior. Exterior eſt externorum organorum, oculorum, aurium, palati, narium & tactus. Interior eſt animalis illa phantaſia, qua quod exterior ſenſus foris accepit, intus in animo ſentitur, & cum admiratione quadam expetibile eſſe iudicatur. Ad huius ſenſus iudicium adeſt concupiſcentia peccati miniſtra, & appetit obiectum ſuperiori ratione ac iudicio rectæ mentis haudquaquam accedente.

Senſus animalis.

Accidit etiã frequenter, ut ſolo cogitatu abſq; ullo externo obiecto excitetur in corde noſtro concupiſcentia rerum abſentium. Huiuſmodi tamen cogitationes ex præcedẽtibus obiectis ferè naſcuntur. Quare concupiſcentijs prauis illi potiſsimum obnoxij ſunt, qui incautius in hoc mundo uerſantur, nec ullo ſtudio organa ſenſuũ ſuorũ cuſtodiũt, quo minus obiecta nõ concupiſcenda capiant, & ad ſenſus internos tranſmittant. Notum eſt quantũ poſsit hac in re oculus incautus, quem rectè mortis tu dixeris eſſe feneſtram. Quocirca non eſt præterrationem quod propheta orat, dicens: Auerte oculos meos, ne uideant uanitatẽ, Pſal. 119.

Cõcupiſcentia ſolo cogitatu excitatur.

Præter hoſce motus qui per obiecta externa excitantur, eſt & intra nos malum quoddam, unde prauæ concupiſcentiæ plurimum naſcitur incitamenti. Malum hoc, faſtidium eſt rerũ honeſtarum, licitarum, & præcipuè noſtrarum, quæ in noſtra ſunt poteſtate: quod genus uitij tam abeſt, ut copia & abundantia rerum præſentium, licitarum & noſtrarum uincatur, ut hoc magis inualeſcat, quo maior illarum eſt libertas & copia. Ex hac ueluti radice naſcuntur omnis generis concupiſcentiæ. Quanto nanq; magis præſentia, honeſta, licita & noſtra faſtidiuntur: tanto cupidius abſentia, turpia, illicita & aliena expetuntur. Cui ſua ſatis pulchra uidetur, haud facilè alienas uxores admirabitur & concupiſcet. Vbi uerò propriæ uxoris faſtidiũ obtinuit, ibi quæuis alia pulchrior uidetur & cõcupiſcitur. Si cui ſua domus ſatisfacit, ad alienã appetendam haud leuiter mouebitur. Quocirca pijs hominibus ſtudioſiſsimè cauendum eſt, ne rerũ ſuarum faſtidio capti, admiratores fiant alienarum, atq; ita fluctibus prauæ concupiſcentiæ auferantur, in quibus nec modũ uidebunt, nec finẽ, neq; ad portũ tranquillitatis peruenire poterunt. Hæc obiter de motibus cõcupiſcentiæ annotare uolui. Plura experientur homines ſenſati, ubi malum hoc in carne ipſorum uigilanter obſeruauerint.

Faſtidium rerum honeſtarũ et licitarũ.

V. DE PRAVITATE ET MALITIA INordinatæ concupiſcentiæ.

Scio malitiam concupiſcentiæ eſſe infinitam ac multiplicem: nec animus eſt, accuratius ſpecies illius perſequi, ſed aliquas duntaxat annotabimus, quæ in præſenti de hac materia cogitanti occurrunt.

Principiò magna uis mali huius eſt, quòd non in externis corporum noſtrorum membris hæret, unde amputari ſemel abijciq; poſsit: ſed penitiſsimè inſita ipſam naturalium affectuũ ſedem occupat, illisq; ſic eſt agnata, ut niſi unà cũ illis emoriatur, auelli prorſus & abijci nequeat: ſed tamdiu in cordibus noſtris hæreat, quamdiu uis illa concupiſcendi, quàm à Deo naturaliter inditam habemus, in carne noſtra durat: nec hæreat tantùm, ſed fontem hunc affectuum & appetitionum naturalium immunditia ſua ſic infecit, ut nihil ex illo emanari poſſit, quod ſincerum ſit, integrum & purum. Vnde fit, quòd omnis noſtra uita prauis eſt deſiderijs & concupiſcentijs obnoxia.

Cõcupiſcentia praua intimè in ipſis affectibus cordiũ noſtrorum ſita.

Deinde in eo quoq; malitia concupiſcentiæ huius exeritur, quòd tam ſedula, prompta & officioſa eſt peccati in carne noſtra latentis miniſtra: idq; non uni duntaxat illius ſpeciei, ſed omnibus ex æquo ſeruiens. Peccati tanquam malæ arboris plures ſunt ſurculi, utpote φιλαυτία, φιλαδελφία, φιλοπορνία, γαστριμαργία, φιλοδοξία, φιλαρχία, φιλονεκία, πλεονεξία, & alia id genus uitia. His omnib. concupiſcentia famulatur officioſiſsimè, dum unicuiq; ſui generis obiecta accõmodat. Quòd ſi quid in bonis proximi apparet, quòd philautia ſibi conmodum fore putauerit, ſubitò adcurrit cõcupiſcentia, & expetit, nulla habita charitatis & æquitatis ratione. Sic philauti quæ aliorum ſunt, domos, agros, ſeruos, ancillas, boues, & quicquid huiuſmodi eſt, concupiſcimus. Deinde ſi qua deliciarum & uoluptatũ obiecta ſenſus externos tetigerint, adeſt

Cõcupiſcentia eſt peccati miniſtra.

insidiosa concupiscentia, & affectat illa in gratiam φιλαδελφίας. Si qua scortandi & adulterandi offertur occasio, habet φιλοπορνία famulam concupiscentiam, per quam scortandi copiam expetat. Gastrimargia populi Israelis, per concupiscentiæ famulitiũ recurrebat ad ollas Ægyptiacas. Occurrit aliqua inanis gloriæ species, mox ad expetendum illam φιλοδοξία seruit concupiscentia. Et φιλαρχία ministerio concupiscentiæ utitur, quoties aliqua regnandi spes offertur. Si qua datur occasio malefaciendi proximo, habet φιλονεικία καὶ φιλονεικία sedulam ministram concupiscentiam, ad opus malitiæ auidissimè inhiantem.

Et πλεονεξία concupiscentiam sibi indesinenter deuinctam, & ad quamuis plura acquirendi occasionem intentam habet.

Cùm igitur peccatum in carne nostra per hæc uitia, quę breuiter recensuimus, regnũ obtineat: quis non uidet regnum illius potentissimum improbitate concupiscentię niti ac consistere? ut non frustra admoneat Apostolus Rom. 6. dicens, ~~Haud regnet peccatum in corpore uestro, ut obediatis concupiscentijs eius.~~ Quòd si concupiscentiæ uis resistendo & non obediendo refringatur, inualidum redditur peccatum, & regno suo spoliatur: rursus si illi obediuerimus, dominium peccati feramus necesse est. Quare etiam hactenus magna est, & auersanda concupiscentiæ malitia.

Concupiscẽtia excæcat. Tertiò, & hoc mali inest concupiscentiæ, quòd nebulas offundit recto iudicio, dum quod cõcupiscit uel pulchritudinis, uel utilitatis, uel nescio cuius uoluptatis lenocinio insinuat & commendat. Magnæ autem continentiæ sit oportet, si cui datur nec pulchritudinis, nec utilitatis, nec gloriæ, nec uoluptatis illectamentis capi, sed respectu iustitiæ, æquitatis & charitatis, deinde & freno timoris Dei cohiberi, ne prauæ concupiscentiæ consentiat: quæ sic potissimum carnales homines decipit, ut rectum in illis iudicium excæcet. Pingunt Cupidinẽ cæcum: cæcus quidem est, quisquis illi obtemperat: ipse uerò excæcans magis est, quàm cæcus.

Concupiscẽtia uerbum Dei in corde suffocat. Quartò, huc pertinet & illud, quòd uerbum Dei in cordibus carnalium & animalium hominum per concupiscentiam suffocatur, ut fructum ferre nequeat. Sic Christus Dominus ac seruator noster, Mar. 4. dicit, Et alij sunt qui in spinis seminantur: hi sunt qui audiunt uerbũ, ærumnæ uerò seculi & deceptio diuitiarum, & circa reliqua concupiscentię introeuntes, suffocant uerbum, & sine fructu efficitur.

Concupiscẽtia totum hominẽ ad peccandum sollicitat. Quintò, & in eo magna uis est malæ concupiscentiæ, quòd totum hominem cum omnibus suis membris in peccati mancipium conijcit, & ad studium perficiendi mali operis instigat. Huic seruire coguntur omnes tam corporis, quã animi uires. Efficaciã hanc & uim cõcupiscentiæ sancti quoq; experiuntur, carnales uerò per illam toti rotantur & exagitantur.

Concupiscẽtia cor affligit. Sextò, nec illud transeundum est, quòd cõcupiscentia corda nostra, ubi quod appetit, consequi non potest affligit, macerat & conficit, nocturnam quietem turbat, somnos impedit, & diurnas operas necessariò obeundas eneruat, & elanguidas reddit.

Cõcupiscentia legib. iustitiæ magis irritatur, quàm cohibetur. Septimò, illud etiam malitiosissimum est, quòd legibus iustitiæ, honestatis & æquitatis, quibus reprimi debebat & cõsopiri, magis etiam iritatur & incitatur: qua in re planè diabolica peruersitas declaratur. Perstringit hanc concupiscentiæ malitiam Apostolus Rom. 7. dicens, Peccatum occasione accepta per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam. Et ethnici id obseruarunt ac perstrinxerunt. Vnde illud Poetæ est: ~~Nitimur in uetitum semper, cupimusq; negata:~~ Sic interdictis imminet ~~æger aquis.~~ Quis autẽ curabit eum morbum, qui remedijs usque adeò non curatur, ut exacerbetur etiam?

Cõcupiscentia ne senio quidẽ extinguitur. Octauò, accedit & illud, quòd malum hoc cõcupiscentiæ, nec senio, nec uirium debilitate extinguitur, sed in senibus & elanguidis quoq; perdurat. Notum est exemplum duorum senum, quorum in historia Susannę fit mentio. Tenacissima est concupiscentię prauitas. Haud cessat, sed pergit, etiamsi frustra luctetur, & rebus acquisitu impossibilibus inhiet, uel aliàs uires potiendi ac fruendi defuerint.

Cõcupiscentia est insatiabilis. Nonò, est insatiabilis quoque concupiscentia. Neque modum enim recipit, nec finem. Licet enim subinde fastidium patiamur earum rerum quas paulo antè impensissimè concupiuimus, confestim tamen per concupiscentiam ad alia appetenda rapimur. Sic in Prouerbijs legimus, Oculos hominum esse in satiabiles. Item, Oculum non satiari uisu. Hæc de malitia prauæ, corruptæ ac prohibitæ concupiscentiæ obiter perstringere uoluimus: cætera cordatus homo in seipso obseruet, & uel emendet, uel deploret.

VI. QVO LOCO SIT CONCVPIscentia ista coram Deo.

Quõ sit nuda concupiscentia culpabilis coram Deo. Dicet aliquis: Agnosco quidem malæ huius concupiscentiæ naturam improbam esse, & ad mala quęuis procliuem, deniq; & molestam sollicitatricem, ac spiritus perturbatricem: uerùm ubi non facio actu, quę ipsa appetit, non uideo cuinam culpæ coram Deo propter illam sim obnoxius. Respondeo: Si iustitia manuum duntaxat, & non cordis quoq; à Deo spectaretur, & à nobis requireretur, secura posses, ô frater, esse cõscientia, manũ cohibens à scelere,

Verùm

Verùm qui ſcrutator eſt cordium, iudicat de homine non modò ſecundum externorũ organorum facta, ſed cum primis de internis illius affectibus, de corde uidelicet tanquam omnis uitę noſtrę fonte: & ſecundum huius qualitatẽ, cenſet illum uel bonum eſſe, uel malum. Hinc illud Chriſti eſt, ſeruatoris noſtri, Matthęi 5. Audiſtis dictum eſſe antiquis, Non mœchaberis: ego autem dico uobis, quòd quiſquis uiderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Vbi? Certè in oculis mundi nequaquá. Ergo coram Deo, cui uoluntas pro facto eſt, tam in malo quàm bono. Quemadmodum enim ſanus cenſendus nõ eſt, qui quamuis externis membris integer apparet, internè tamen uel ſtomacho, uel epate, uel pulmone, uel alia quadã mala conſtitutione laborat: ita pro iuſto haberi non poteſt, iudice Deo, qui licet externè nec ſcortetur, nec furetur, nec occidat, in corde tamen alienas uxores & aliena bona appetit: & quem odit, periſſe cupit. Munditia manuũ hoc quidem præſtat, ne queas iudicio humano damnari: totum uerò hominem in conſpectu Dei iuſtificare non poteſt, quia propter cordis immunditiam iudicio illius fit obnoxius. *Simile.*

Rurſus dicet aliquis: Quorſum attinet igitur manum ſeruare mundã, ſi propter concupiſcentiã cordis iudicio Dei ſum obnoxius? Si concupiſcentia mulieris alienę corã Deo pro facto adulterij eſt, quid profuerit abſtinere à facto, cùm nihil interſit inter uoluntatẽ & factum? *Si concupiſcentia pro facto eſt corã Deo, quorſum attinet abſtinere à factis.*

Sed hac de re quid reſpondendum ſit, annotauimus in Commentarijs noſtris ſuper Matthæum capite 5. Ipſum opus adulterij ſingulari præcepto prohibitũ, amplioris peccati reum conſtituit: deinde & templum Dei polluit, & ſcorto coadunat, 1. Corinth. 6. præterea & occaſionem obijcit blaſphemãdi nominis Dei inter homines fidei Chriſtianæ inimicos. Adhæc inefficax concupiſcentia ſine facto nihil detrimenti infert proximi uel corpori, uel uxori, uel bonis: infert uerò homicidium, furtum & adulterium facto admiſſum. Ex facto multa mala naſcuntur, odia, rixæ, contentiones, diſsidia, cædes, &c. quę ex nuda cõcupiſcentia naſci non poſſunt. Exempla ſunt nimis in promptu. Stuprum Dinę, & adulterium Dauidis, quãtum pepererint malorum, ex ſcripturis notum eſt. *Gen. 34. 2. Sam. 11.*

Quare cogitatio hæc hominis eſt nõ cordati, ſed ad perficiendum opere, quod corde concupiſcit, impenſius adſpirantis, deq; ſalutis ſuę negocio parũ ſolliciti, & ad gratiam Dei, qua per fidem in Chriſtum ſeruamur, haudquaquam proſpicientis. Fidelis & ſenſati hominis eſt, primùm agnoſcere cordis ſui impuritatem, illamq; deplorare ex animo: deinde eam per gratiam Dei cohibere, & ſuppliciter ad miſericordiam Dei confugere, ac petere ut & ignoſcat & ſuccurrat. Quemadmodum de ſalute ſua deſperat, & irã Dei in ſe prouocat, qui dicit, Culpabilis ſum coram Deo propter concupiſcentiam cordis, perinde ac ſi opus ipſum perpetraueró, addam igitur concupiſcentiæ meæ opus quod appetit, ut uel aliquam peccati mei delectationem auferã, nec fruſtra damner: ita Chriſtianus homo, qui malum cordis ſui agnoſcens ac deplorans, ad miſericordiã Dei per fidem in Chriſtum ſeruatorem confugit, & concupiſcentiæ prauæ pro uiribus reluctatur, gratiæ Dei & ueræ ſalutis particeps efficitur.

VII. QVAE SINT IN VERBIS PRAECEPTI huius conſideranda.

Principiò obſeruandum eſt, quòd inter ea quorum prohibetur concupiſcentia, Exod. 20. primo loco domus proximi, & uxor ſecundo: Deut. uerò 5. cap. uxor primo, & domus ſecundo loco recenſetur. nam illic ſic legitur: Ne concupiſcas uxorem proximi tui: &, Ne concupiſcas domum proximi tui, agrum eius, & ſeruum eius, &c. Eſt igitur incircunſpectè factum ab Auguſtino, quòd de diuiſione Decalogi diſputãs, & primæ tabulæ tria tantùm præcepta propter ſanctam Triaden diſtribuens, ultimumq; hoc de concupiſcentia in duo diuidens, argumentũ diuiſionis huius ex eo ſumit, quòd Deut. 5. ſeparatim ac primo loco de uxore nõ concupiſcenda, deinde de domo & reliquis coniunctim præcipitur. Sic enim in quæſtione ſuper Exodum, quæſt. 71. annotauit: Concupiſcentia porrò uxoris alienæ, & cõcupiſcentia domus alienæ, tantùm in peccando differunt, ut illi quod dictum eſt, Non concupiſces domũ proximi tui, adiuncta ſint & alia, dicente ſcriptura, Neq; agrum eis, neq; ſeruum eius, neq; ancillam eius, neq; boues eius, neq; ſubiugalẽ eius, neq; omne pecus eius, neq; quęcunq; proximi tui ſunt. Diſcreuiſſe autem uidetur concupiſcentiam uxoris alienæ, à concupiſcentia cuiuslibet rei alienæ, quando utranq; ſic cœpit: Non concupiſces uxorem proximi tui: &, Non concupiſces domum proximi tui, & hinc cœpit cætera adiungere. Non autem cùm dixiſſet, Non concupiſces uxorem proximi tui, huic connexuit alia, dicens, Neq; domum eius, neq; agrũ eius, neq; ſeruum eius, &c. ſed omnino apparent hæc eſſe coniuncta, quæ in uno præcepto uidentur contineri, & diſcreta ab illo, ubi uxor nominata eſt. Hæc Auguſtinus: cuius argumentũ ſola inſpectione eorum quę Exod. 20. leguntur, diligens Lector prorſus infirmum eſſe uidere poterit. Nam ibi non coniunguntur, domus & reliqua ſequentia: ſed uxoris alienæ concupiſcentia cum ſequentibus coniungitur, ut manifeſtum ſit, ſi utriq; loci cõferantur, nõ poſſe ultimũ hoc præceptũ in duo diuidi. Fefellit Auguſtinũ lectio Septuaginta interpretũ: ſi tamen *De diuiſione Decalogi.*

illorum est, quæ hodie habetur in manibus. Vel interpres, quisquis fuit, uel sciolus aliquis ea quæ Exod. 20. in Ebræo aliter habentur, quàm Deute. 5. ad seriem eorum transformauit, quę Deut. 5. legũtur. Quòd si Ebræa inspexisset, admodum de hoc argumento suo uir sanctus eru buisset. Condonandus autem illi est hic error, propter Ebrææ linguæ ignorantiam. Illi uerò data opera errant, qui argumento sancti uiri usq; hodie ad defensionem erroris utuntur, cum Ebræa non ignorent: & si ignorent, etiam ex uulgata saltem Latina uersione admoneri poterant, argumentum hoc Augustini prorsus esse inane & friuolum. De ipsa autem diuisione Decalogi, admonuimus suprà.

Accõmodauit se legislator qualitati populi sui.

2 Deinde considerandum est, quàm se cœlestis legislator in hoc quoq; præcepto qualitati populi sui accommodarit, dum earum rerum concupiscentiam uetat, quæ solent esse uulgari ter in usu humano: ut sunt, uxor, domus, seruus, famula, ager, bos, asinus, &c. quòd nõ ideo facit, quòd malum prauæ nostræ concupiscentiæ in haram sese rerum limitibus contineat, sed ut populo suo, cui mandata ista præscribit, sese accommodet. Alioqui concupiscentia nostra extendit se latius, & multo sublimiora appetit, quàm ut istis rebus quæ hic nominantur, possit comprehendi. Dum gloriam maiestatis, dominationis, scientiæ & potentiæ, liberi quoq; ac nullius uoluntati subiecti arbitrij concupiscimus, certè aliena & non nostra, diuinaq; magis quàm humana concupiscimus. Et tamen non dicit, Ne concupiscas gloriam, maiestatem, potentiam, dominatum, & scientiam Domini Dei tui: sed, Ne concupiscas domum, uxorem, agrum, &c. proximi tui. Sic attemperat se qualitati rudis & agrestis populi, & concupiscentiã prohibet rerum uulgariũ, propterea quòd illæ magis sunt in usu, tanquam necessariæ: ac concupiscentiæ illarum uulgus magis est obnoxiũ, quàm rerum sublimiorũ & diuinarum. Hinc tamen nemo colligat, licitam esse concupiscentiã eorũ quæ Dei sunt, non nostra: propterea quòd hic de rebus proximi tantùm nominatim præcipitur, ne illas cõcupiscamus. Etenim si illicitum est ea quæ proximi sunt cõcupiscere, non eam ob causam, quòd nequeãt nobis esse usui, sed propterea quòd aliena sunt, non nostra: quis nõ uidet, multò magis esse illicitum ea concupiscere, quæ Dei sunt? quæ præterquã quòd aliena sunt, nõ nostra, usibus etiã nostris nec cõmoda sunt, nec necessaria. Nos hic obiter admonemur, ut in illis potissimũ rebus cauti simus, ac solliciti affectuum nostrorum custodes, quibus præ cæteris magis utimur.

Sua bona deus nobis adscribit.

3 Tertiò & illud obserua, quòd ea quorum concupiscentiam hac lege uetat, adscribit proximis nostris, & hoc illa nomine concupisci prohibet, cùm magis sua sint quàm cuiusquã mortalium. Etenim si, teste propheta, Domini est terra, & plenitudo eius, Domini utiq; sunt quæ hic nominãtur, domus, uxor, seruus, ancilla, ager, bos, asinus, cum reliquis omnibus, quę à nobis possidentur. Et tamen non dicit, Ne concupiscas quicquã eorum quæ sunt Domini Dei tui: sed, Quæ sunt, inquit, proximi tui. Hæc est philanthropia Dei, qua nihil bonorũ suorum usibus nostris inuidet, modò sine læsione & damno proximi ad nos transire possint. Non iuris sui, sed nostræ necessitatis curam gerit: & sic unicuiq; quod illi datum est, saluum esse cupit, ut ne concupiscatur quidem, nedum auferatur.

Proprietas rerum confirmatur.

Ipse rerum omnium Dominus unicuiq; rerum suarum potestatem hoc uerbo suo confirmat, quod dicit, ea esse proximi, quæ concupisci uetat. Non disputet igitur Anabaptistica temeritas de iure cõmuni rerum omniũ, cuius prætextu fratrũ bona iure proprietatis spoliãt, & libidini suæ subijciunt, simulq; summã rerum omniũ confusionẽ spiritu phanatico impulsi inducere conãtur. Omnia, inquiũt, sunt Dei: huius sumus filij: ergo cõmuniter sunt nostra omnia. Omnia q dẽ Dei sunt: uerùm ille unicuiq; de bonis suis q ad usus necessarios possideat, distribuit. Et ea dicit esse illius, cui ipse dedit: uetatq; cõcupisci à quoquam, nedũ auferri.

Quòd non dicit, Ne concupiscas domum hominis alicuius, sed proximi tui.

4 Quartò, uec illud transeundem est, quòd non dicit, Ne concupiscas domũ hominis alicuius: sed, Proximi tui. Etiam eius domus, qui non est proximus noster, aliena est à iure nostro. Quid est igitur, quòd non simpliciter cuiuscunq; hominis, & quomodocũq; alienã, sed proximi domum cõcupiscere uetat? Non est hoc ea ratione factum, quòd liceat quamuis, modò non sit proximi, alienam domum, uxorem, agrum, &c. concupiscere: sed uoluit legislator occurrere periculo concupiscentiæ huius, quod est ex uicinitate cohabitantiũ & conuiuentiũ, quorum nobis bona quotidie occurrunt in oculos. Tanta nanq; est corruptæ carnis nostræ & malitiosi ingenij perfidia, ut quod debebat ad fomentum facere charitatis mutuæ, magis faciat ad illius læsionem. Propinqui & uicini debebant duplici nomine diligi, cùm quòd sint communis naturę aliquando & religionis consortes, tum quòd cohabitatione quoq; iungũtur. Verùm hos potissimùm lædimus, horum potissimùm fortunis inuidemus & insidiamur, & in eos maximè cordis nostri malitiã exercemus. Huiusmodi ingenij nostri peruersitas non modò præsenti ac precedenti, sed & generali illo præcepto perstringitur, quo præcipitur, ut diligamus proximum nostrum, sicuti nos ipsos. Si propinquitas humani conuictus faceret nobis ad alendã charitatẽ, quorsum attinerẽt huiusmodi præcepta? Quid autẽ humanius, quàm è uicino cohabitare, coniungi ac cõuenire homines, qui hoc habent à natura sua, ut sint politica animalia, & mutuo cõmercio egerrimè destituantur? Rursus quid inhumanius, quàm humani conuictus propinquitatẽ in occasionem exercendę malitię ac perfidię peruertere? Hac

Propinqui & uicini duplici nomine diligendi.

consi-

consideratione facilè potest intelligi, quare legislator nominatim prohibeat, ne proximi nostri domum, uxorem, agrum, &c. concupiscamus.

5 Quintò, & hoc obseruandum est, quòd non specificat inter proximos. Proximorum alij sunt diuites, alij mediocris fortunę, alij pauperes, alij iusti, alij iniusti, & bona illorũ aliter atq; aliter sunt acquisita. Alius ditescit honestè ac iustè, alius inhonestè ac malis artibus, usura, fraude, furto, rapina, periurio, &c. Et tamen non dicit, Ne concupiscas domum diuitis uel potentis. Vt quid enim concupisceres, cum auferre non poteris? Nec dicit, Ne cõcupiscas domum pauperis, quã habet unicam: ne' ue cõcupiscas uxorẽ pauperis, quę illi est unica. Neq; ait, Ne cõcupiscas domum proximi, quam iustè possidet: ne sic loquendo innuere uideatur, tum demum illicitam esse huiusmodi concupiscentiam, quando cõcupiscuntur ea, quæ non facilè auferri possunt: uel quando ea appetũtur, quæ sunt pauperi unica, uel quę sunt iustè ac quisita: sed simpliciter in genere, Ne concupiscas, inquit, domum proximi tui, ne cõcupiscas uxorẽ proximi tui. quasi dicat, Quisquis ille & qualis sit, siue diues, siue pauper, siue iustus, si ue iniustus, & quomodocunq; sint bona illius acquisita. Nemo igitur excusatur concupiscendo diuitum bona, etiam illicitis modis acquisita. Simpliciter enim concupiscentia ista prohibetur hac lege: Ne domum, uxorem, agrum, seruum, ancillam, bouem, asinum, &c. proximi: hoc est, Ne res alienas cõcupiscamus. Etenim quantumuis multa bona habeat proximus, domus, uxores, seruos, ancillas, agros, &c. nostra tamẽ illa non sunt, etiamsi sint iniustè possessa: sed à iure nostro aliena, ideoq; non concupiscenda.

Non specificat inter proximos.

6 Sextò, & illud animaduertendum est, quòd non distinguit inter fortunas nostras, sed cõmuniter præcipit omnibus, ne bona proximi nostri concupiscamus. Non dicit, Ne concupiscas domum proximi tui, nisi forsan tu nullam habeas: ne' ue cõcupiscas uxorem proximi tui, si ipse uxorem habueris: sed quales quales simus, habeamus ipsi domos, uxores, seruos, ancillas, agros, boues, &c. uel non habeamus, omnibus ac singulis dicitur: Ne concupiscas proximi tui uxorem, domum, agrum, seruum, &c. Meretur quidem paupertas & inopia rerum opulentiæ collata aliquid ueniæ: sicut & Salomon furtum esurientis collatione adulterij nonnihil extenuat, Prouerb. 6. uerùm non excusat hactenus, ut uniuersam culpam auferat, & eum qui quod suum non est, illicitè concupiscit, reddat insontem & inculpabilem. Grauius quidẽ delinquit, qui ipse opulẽtus bona pauperis appetit, quę ille habet unica & prorsus necessaria: quale erat peccatum Dauidis, quo uxorem Vriæ, quam ille habebat unicã, ipse plurium uxorum maritus, concupiuit, & adulterio polluit: id quod illi & Nathan propheta per parabolã ablatæ unicæ ouiculæ obiecit: interea tamen probari non potest, si pauper quæ diuitis sunt concupiscat. Paupertati consulendum est honestis rationibus, non alienarũ rerum concupiscentia: quam euestigiò sequuntur uel furta, uel periuria, uel latrocinia & rapinæ.

Nõ distinguit inter fortunas nostras.

7 Septimò, quærat quisquam, an non sit excusabilis concupiscentia, si nescias cuius sit domus, uel uxor, uel ager, uel seruus, uel bos, &c. quem concupiscis. Videtur quidem non peccari in proximum, ab eo qui nescit ad illius pertinere ius ac possessionem quod concupiscit. Potest enim prætexi ignorantia, quæ plerunq; solet excusare, quod aliàs, si scienter fieret, fieret non sine culpa. Verùm nihil efficitur isto ignorantiæ prætextu. Etenim tametsi nescias cuius sit quod cõcupiscis: ignorare tamen non potes, primùm, non esse tuum: deinde, esse alicuius. Lex autem ista non dicit, Ne cõcupiscas domum illius uel huius quem nosti: sed simpliciter, Ne cõcupiscas domũ proximi tui. Etiam ea bona sunt proximi tui bona, quæ cuius sint ignoras. Et eam quoq; ob causam illa concupiscere non debes, quòd dubitare non potes, esse illa non libera, uel communia, sed alicuius propria: ideoq; aliena, & ad te non pertinentia.

An ignorantia excuset concupiscentiam rei alienæ.

8 Octauò, de concupiscentia mulieris interrogarit adhuc quisquam, an non excusetur illa per ignorantiam, quando concupiscitur mulier maritata quidẽ: uerùm sic, ut nescias eam esse maritatam, sed putes esse innuptam: non appetiturus illam, si scias alicuius esse uiri uxorem. Hoc genus ignorantiæ habet quidem aliquid ad extenuandũ concupiscentiæ huius maliciã, quod attinet animum concupiscentis: quod uerò ipsam mulierem attinet, quemadmodum si opere illicito pollueretur, admitteretur non simplex scortatio, sed adulterium, etiamsi stuprator nesciat esse maritatam: ita sentiendum est & de concupiscentia, qua cõcupiscitur non tanquam maritata, sed quasi innupta & liberata respectu mulieris coniugatæ. cõcupiscit uxorem proximi sui, quisquis eam cõcupiscit, siue id scienter faciat, siue ignoranter. Deinde considerandum est, ad quid concupiscas mulierem, quam nescis esse maritatam: an ut eam ducas in uxorem, quemadmodum fecerunt Pharao & Abimelech, ducentes Saram in uxorem, quã nesciebant esse uxorem Abrahæ: uel ut illa scortandi libidine abutaris. Si ut ducas in uxorẽ, sic quoq; cõcupiscẽtia ista inordinatus potius carnis affectus est, libidoq; illegitima, qua mulier incognita temerè cõcupiscitur, quàm legitima ad matrimonium adspiratio, & hoc saltem nomine damnabilis. Si uerò cum illa scorteris, etsi non prorsus adulterij, scortationis tamen culpam habes inexcusabilem. Et nescio, an huiusmodi concupiscentia discrimen sit inter nuptam & innuptam factura, si quidem copia potiundi detur.

De concupiscẽtia mulieris incognitæ.

9 Nonò, rursus quærat homo carnalis, an nõ sit excusabile, si uxorem proximi cõcupiscat,

non ut hanc illi prorsus adimat, suæq; ipsius potestati subijciat, sed ut consuetudine illius ad horam duntaxat potiatur. Nolim, inquit, eam meo iuri uindicare. Habeat eam maritus domi tanquam suam. Sic tantum illam concupisco, ut ea interdum sine illius detrimẽto frui liceat. In promptu responsio est. Simpliciter præcipitur, Nec concupiscas uxorem proximi tui. Et generalis illa naturæ regula dicit, Quod tibi non uis fieri, ne facias alteri. Quod autem fieri non licet, etiam concupiscere non licet.

An emere liceat, quæ cõcupiscere non licet.

10 Decimò, quod attinet domum, agrum, bouem, asinum, &c. dicet aliquis: Si prorsus concupiscere non licet, ne emere quidem licet eorum aliquid quę sunt proximi. Etenim qui emere cupit, utiq; concupiscit, aliàs non empturus, nisi concupisceret. Iam si emere non licet quę sunt aliorum, sublati sunt omnis generis necessarij contractus. Si uerò non est illicitum emere, planè licitum est cõcupiscere, quòd licitum est emere. Quid ergo est, quod dicit, Ne concupiscas domum, &c. proximi tui? Respondeo. Prohibetur concupiscentia, non quę illęsam seruat dilectionẽ proximi, ac uoluntati illius non repugnat, sed quę utriq; aduersatur. Qui emere cupit, hactenus non concupiscit illicitè, quòd cupit emere, quatenus nihil huius citra uolũtatem proximi appetit. Quòd si hos limites, charitatis uidelicet, & uoluntatis proximi concupiscendo excesserit, non excusatur emendi proposito. Nota est historia Achab, quę 1. Reg. 21. ad hunc modum legitur: Vinea erat Naboth Iezraelitæ iuxta palatiũ Achab regis Samariæ. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi uineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia uicina est & prope domum meam, daboq; tibi pro ea uineam meliorem. Aut si commodius tibi putas argenti precium, quantum dignum est, dabo. Audis uerba regis uineæ proximi sui & concupiscentis, & emere cupientis. Audi econtrà uerba Naboth reluctantis: Propitius, inquit ille, sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorũ tibi. Quid hic Achab? Venit Achab, inquit, in domũ suã, indignãs & frendens super uerbo, quod loquutus fuerat ad ipsum Naboth Iezraelites, dicens, Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum. Et proijciens se in lectulum suum, auertit faciẽ suam ad parietem, & non comedit panem, & quę sequuntur. Vides exemplũ concupiscentię, quę licet nihil uidebatur habere iniqui, eo quòd rex emere, uel commutatione melioris uineę ad se uineam proximi sui, quam cõcupiscebat, trahere uellet: sic tamen comparata erat, ut non esset coniuncta cum charitate, uoluntatiq; eius, cuius erat uinea, attemperata. Alioqui non fuisset perturbatus animo, nec succensuisset domino uineæ, propter denegatã illius emptionem: sed dixisset potius, Absit ut concupiscã uineam, quam dominus illius uendere detrectat. Patet igitur hoc exemplo, non excusari concupiscentiam rei alienæ proposito emendi, si non sit coniuncta cum charitate proximi, & ad uoluntatem illius attemperata. Rapinæ genus est, emere uelle, quod proximus uendere grauatur. Quare huiusmodi concupiscentia nihil est aliud, quàm illicita alienæ rei cupiditas.

Vinea Naboth

Nec omnia, quæ sunt proximi tui.

Postremò, de eo quoq; cogitandum est, quod in calce adijcit, Nec omnia quæ sunt proximi tui. Poterat prohibitionẽ hanc concupiscentiæ simpliciter ponere ad hũc modum, Ne cõcupiscas aliquid eorum, quæ sunt proximi tui: uerùm primùm specificationem aliquam earum rerum ponere uoluit, quæ sunt in rebus humanis usitatiores, & magis necessarię: ut sunt uxor, domus, ager, seruus, ancilla, bos, asinus: ut admoneret abstinendum ab illis esse potissimum, quæ proximi usibus sunt necessaria. Deinde, quòniam infinita est carnis nostræ concupiscentia, sic ut oculos inijciamus in omnia, quę sunt proximi: ne dicamus, Nõ est in hac lege facta mentio auri, argenti, uestium, supellectilis, honorum, iurium, priuilegiorum, & aliarum huiusmodi rerum, quæ sunt proximi: ergo non est illicitum ista concupiscere, alioqui legislator illorum quoq; mentionem fecisset: ne inquam rimas istas inueniat caro nostra, qua elabatur, summaria hæc & generalis est adiecta particula, Nec omnia quæ sunt proximi tui: qua concupiscentia nostra ab uniuersis proximorum bonis abarceatur, qualia qualia sint, magna parua, selecta uulgaria, necessaria minus necessaria, unica uel multa. quasi dicat legislator: Qualiacũq; sint proximi tui bona, nihil tibi prorsus ex illis cõcupiscere licet: haud quidẽ propterea quòd talia sunt, sed quòd sunt proximi, quem sic diligere debes, ut quę illius sunt, non modò nolis illi auferre, sed ne concupiscere quidem.

Oculi ministri cõcupiscentiæ.

Admonet ista legislatoris diligentia, quàm sit malum concupiscentiæ in carne nostra usqueadeò procax & infinitum, ut nihil sit in bonis proximi nostri, fratris & amici, modò adlubescat, quòd non appetamus ex animo. Quare admodum incauti sunt, qui bona sua, quæ sciunt esse appetibilia, temerè ostentant, & ultrò oculis prauę cõcupiscentię appetenda & inuadenda exponũt. Oculi, cõcupiscentię cordis ministri, quid sunt quàm insidiarũ, defraudationum, furtorum, rapinarum ac deprædationum præcursores? Qui res suas cupit esse securas, caueat hosce præcursores. Ne ostẽtet quod auferri nolit. Tutius est à furto & rapina, quod sic latet, ut ne cõcupisci quidem possit. Si Collatinus Lucretiã coniugem suam non ostentasset, & oculis procacium & intemperantium regulorum uisendam obiecisset, poterat securam retinere honestissimę coniugis suæ castitatem. Ezechias dum regiæ domus thesauros Babylonijs legatis imprudenter ostentat, concupiscentiam illorum incendit: & quæ seruare poterat occultata, prædæ obnoxia reddit ostentata.

Requiri-

Requiritur ergo ab ijs, qui opibus huiusmodi & bonis carni desiderabilibus abundant, ut sint cauti, & cõmunis huius corruptionis cõscij, prudenter illa uel dispensent, uel asseruẽt: ne & alijs occasiones cõcupiscẽdi & insidiãdi temerè obijciãt, & quę sua sunt, periculo exponãt.

Deinde etiã atq; etiam curandũ est in uniuersum mortalibus omnibus, ut hanc quisq; cordis sui maliciã, ad cõcupiscendũ quę aliena sunt, pronam, uigilantissimè obseruet, refrenet & coerceat, ne si illi indulgeat, in deũ qui uetat ne cõcupiscamꝰ aliena, & in proximũ, cõcupiscẽdo peccet, quorũ alterũ magis q̃ alterũ, sicut seipsum diligere debet: & simul seipsum in labores inextricabiles, ac tãdẽ in barathrũ perditiõis proijciat, in quo & anima & corpore pereat.

Redarguẽda illicita concupiscentia.

Redarguat cordatus homo concupiscentiam suam, quibusuis illius motibus reclamãdo. Vbi sentit se res inutiles & uanas cõcupiscere, reprehẽdat illius stulticiam ac uanitatẽ. Dum concupiscit quæ sunt aliorum, obijciat illi exprobrationem iniquitatis, improperet illi impuritatem: dum concupiscit lasciua & impura, carpat illius uaritiam, dum appetit superflua. Dicat, Stulte, quid lucri ex eo capies quod cõcupiscis, cum sit ipsa uanitate uanius? Inique & improbe, non est tuum quod affectas, sed proximi. Quid ad te, quæ sunt proximi? Lasciue & impure, ut quid delectaris rebus spurcis & obscœnis? Auare, quorsum affectas ea quorũ usu tamen tibi non est opus? Sint ista nobis in promptu, quæ oggeramus concupiscentiæ nostræ: Non egeo, nihil prodest, uanum est, superfluum est, non est meum, sed proximi, illicitum est, prohibitum est, impurum est, noxium est, &c. Huiusmodi telis instruat nos timor Dei, obseruantia mandatorum Dei, charitas proximi, detestatio nostræ corruptionis, & studium iustitiæ, quibus primos in nobis concupiscentiæ motus conficiamus, & hosce Babylonis paruulos ad petram illidendos concutiamus.

EPILOGVS DECALOGI.

Quõ compositæ præceptorũ istorũ decuria.

Absoluimus per gratiam domini, expositionem Decalogi huius, tenuiter quidem: uerùm, sicut existimo, haud prorsus inutiliter, si quis illa piè & cũ timore Domini uti uelit. Videmus hanc præceptorum decuriam sic esse compositam & comparatam, ut corruptionem ingenij nostri perspicuè redarguat, dum quæ illi sunt contraria, utrisque tabulis præcipit. Animalis homo noster in ijs, quę Dei sunt, plan è cæcus est, ignorãs & errans, utpote à cognitione ueri & unius Dei alienus, ad πολυθεΐαν & ἀθεομανίαν procliuis, ad reuerentiã nominis Dei haud religiosè animatus, & ad cultum illius tardus, segnis & inuoluntarius. Quare in prima tabula corruptionem hanc & deprauationem nostram in ijs, quæ unius ac ueri Dei cognitionem, fidem, obseruantiam & cultum attinent, prioribus quatuor præceptis luculenter redarguit, dum se unicum Deum nostrum esse reiectis alienis ac falsis, profitetur: cultum idolorum grauissima interminatione uetat, nominis sui abusum ac prophanationem prohibet, & sacrum septimanarij ocij usum instituit.

Prima tabula.

Secũda tabula.

Deinde sic comparati sumus in ijs, quæ conuictum humanum concernunt, ut parum pij & obseruantes simus erga parentes nostros, quos tanquam originis nostræ secundum carnẽ authores in precio habere debebamus: in reliquos crudeles, humani sanguinis & communis naturæ hostes, pedes (secundum dictum prophetæ) habentes ad fundendum sanguinem ueloces, impuri affectatores: & si fieri queat, uiolatores etiã alieni thori, ac nostri quoq; ipsorũ conspurcatores, ad furta & rapinas propensi, ad mendacia & falsa testimonia, seductiones etiam & imposturas procliues, & in summa, insatiabili, iniqua, & perfida alienarum rerum cupiditate tantum nõ ardentes. Hisce corruptæ naturæ nostræ uitijs opposita est secunda tabula, quæ sex posterioribus præceptis præcipit, ut honoremus parentes nostros: & prohibet homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia, & illicitã alienarum rerum cõcupiscentiam. Et dum ista præcipit, uetat quidem esse impios erga parẽtes, homicidas, adulteros, fures, falsos testes, & quę aliorum sunt concupiscentes: uerum simul arguit nos, & ostendit esse tales, admonetque, tantam requiri à nobis ueræ pietatis & iustitiæ perfectionem, ut ne cordis quidem affectu & concupiscentia occultè, nedum opere manifestè simus impij & iniusti: dum nõ modò prohibet homicidia, adulteria, furta, & falsa testimonia: sed & concupiscentiam cordis, qua res proximi appetuntur, uetat & damnat

Duabus igitur tabulis propter bipartitã cordis nostri corruptionẽ, quicquid erat hoc Decalogo præcipiẽdum, cõplexus est, perinde atq; postea Christus dominus ac seruator noster gemina summa omnem hanc legem & uniuersæ pietatis doctrinam cõprehendit, Matth. 22. dicens, Diligas dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. secundũ autem simile est huic: Diligas proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mãdatis uniuersa lex pendet, & prophetę. Etenim qui Dominum diligit, quantus quãtus est, totus utiq; fide firma, & sincera conscientia ab eo pẽdet: ideoq; nec alios deos recipit, nec idola colit, nec nomẽ eius dehonestat, nec statuta ab eo Sabbata prophanat. Sic qui proximũ perinde diligit ac seipsum, nec parẽtes negliget, nec proximũ occidet, nec uxorẽ eius adulterio polluet, neq; bona illiꝰ furabitur, neq; falso de illo testifi-

testificabitur: & in summa, nihil ex omnibus quæ ille habet, concupiscet, sed commodis illius perinde atq; proprijs studebit ex animo.

FINIS LEGIS CHRISTVS EST
ad iustitiam omni credenti.
Roman. 10.

Lex docet & mandat, sed uires perficiendi
Sola dat electis gratia Christe tua.
Gratia Christe tua est, quòd quæ peccamus in ipsam
Legem, purgantur sanguine cuncta tuo.
Præterea quæcunq; tibi est perfectio legis,
Electis simul est Christe parata tuis.
Ergo es diuinæ nobis impletio legis,
Quos semel amplexa est gratia Christe tua.

DE APPENDICE PRAECEptorum Moralium.

LEgem scriptã suprà diuisimus partitione usitata, in præcepta moralia, iudicialia & cere monialia. Moralium summaria quędam capita Decalogo præscribi diximus. Post illius explicationem subijciendum arbitror de appendice moralium præceptorum, quæ hinc inde sparsim sunt literis Mosaicis insertæ. Neq; enim nudo fuit Decalogo contentus Moses, sed uelut expositionis gratia quędam subiecit, de quibus specialiter propter socordiã rudis populi præcipiendum esse duxit. Licet enim uera dilectio, tanquam spiritus Decalogi, etiam illa includat, fit tamen per malitiam carnis, ut id non animaduertatur.

Alia autem appendicis huius præcepta religionem, alia uitæ sanctimoniam, alia proximos nostros, alia iumenta & bestias, nonnulla etiam terræ crescentia concernunt.

De religione. 1 Religionẽ attinet, quod Leuit. 19. præcipitur: non esse augurandum, nec obseruanda somnia. Item, non esse declinandum ad magos & hariolos: & non esse societatem ineundam cum infidelibus. Deut. 7. Et timendum esse dominum, illiq; soli seruiendum, ac per nomẽ illius iurandum. Deut. 6. 10. Per nomen externorum ac falsorum deorum non iurandum, Exodi. 23.

De sanctificatione uitæ. 2 Sanctificationem uitæ nostræ concernit, quod Deut. 23. scortatio & uiris & mulieribus fugienda præcipitur.

De dilectione proximi. 3 Ad dilectionem proximi, quæ Leuit. 19. præcipitur, referenda sunt ista, non odiendos esse peregrinos. Exod. 22. 23. Leuit. 19. Deut. 10. Pecuniam mutuò datam nec onerandã usura, nec improbè extorquendam. Vestimentum pignoris loco acceptum, ante solis occasum reddendum. Principibus populi non maledicendum. Exod. 22. mercedem operarij non esse retinendam usq; mane. Surdo non esse maledicendum, nec offendiculum ante faciem cæci ponendum: fratrem non esse in corde odiendum, sed palàm arguendum. Vltionem non esse querendam. Coram cano capite assurgendum. Ponderibus, mensuris, regulis ac modijs nihil esse deterendum, Leuitici 19. Vsuram à fratre non esse accipiendam. Leuitici 25. Deuteronomij 23. Rem fratris perditam, si quis inuenerit, domino suo restituendam. Deut. 22. molam pro pignore non esse accipiendam, Deut. 24. Quod in messe uel uindemia neglectum est, non esse recolligendum, sed pauperibus relinquendum. ibidem.

De iumentis ac bestijs. 4 Iumenta & bestias concernunt hæc, Asinum aut bouem inimici uel errantem uel pericli tantem iuuandum esse ac reducendum. Exod. 23. Os bouis triturantis non esse obligandum. Deuteronomij 25. Inuento auicularũ nido, non esse matrem cum pullis auferendam. Deuteronomij 22. Hœdum in lacte matris non esse coquendum, Exod. 13.

De terræ crescentibus. 5 Ad terræ crescentia pertinet illud Deute. 20. Non succides arbores, de quibus edi potest.

Prouerbia Salomonis. Ad classem hanc moraliũ præceptorum pertinentia, multa quidem in literis prophetarum quoq; leguntur. Fuerunt enim illi in plerisq; Mosaicæ legis interpretes. Verùm Prouerbia Salomonis singulari quodam studio ad hanc pietatis & iustitiæ partem exornandã & amplificãdam sunt dispositа, quemadmodum & ea quę in Iesu Syrach, & libello Sapientię leguntur. Et scripta Apostolorũ & Euangelistarum multa habent ad excolendos populi dei mores facientia, quę diligens Lector inter legendum studiose obseruare, & tanquam fidei ac ueræ pietatis ornamenta ad uitæ suæ conuersationem decorandam, & fidei ueritatem exprimendam usurpare debet. Non est hæc pars pietatis & iustitiæ negligenter tractanda. Quis enim non uidet, eam singulari quodã spiritus sancti consilio literis sacris tam noui, quàm ueteris instrumenti ad hoc esse insertã, ut nõ solùm legamus ea quę cordis pietatẽ & fidẽ erga deũ instituũt, sed & ea quoq;, per quę mõstratur quo uitę genere uera cordis pietas, fides & iustitia exprimatur & ornetur:

ornetur: quamq; uita noſtra aliena ſit ac diuerſa à moribus impiorum ac reproborum? arbitror autem alienum eſſe à pijs hominibus, ut nulla excolendæ & ornandæ uitæ ſuæ cura teneantur, cum eam diligentiam priſca maiorum noſtrorum, etiam ethnicorum honeſtas ſemper fecerit plurimi. Extant illorum ſcripta de ethicis & officijs, etſi non de uita illorum, de ſtudio tamen uitæ teſtantia. Quare non immeritò multi cordati & honeſti uiri de corruptis noſtri ſeculi moribus tantopere queruntur. Vident enim corruptionem ac neglectum morũ certum habere experimentum intereuntis ueræ pietatis, iuſtitiæ & honeſtatis, nec expectandum eſſe aliud, quàm breui grande irrupturum exitium.

DE PRAECEPTIS IVDIcialibus.

Iudicialia præcepta quæ ſint.

IVdicialia præcepta ſunt, quibus præſcribitur quomodo ſit in cauſis, controuerſijs & prę-uaricationib. populi iudicandum. Sunt autem cauſæ, cõtrouerſiæ & tranſgreſsiones populi duplicis generis. Quædam enim ad religionem, quædam ad prophana pertinent. Quare nõ incõmodè poſſent hęc pręcepta in duas claſſes diuidi, ut alia ſint eccleſiaſtica, alia forẽſia. Verùm quoniam de ijs quę religionem cõcernunt, ſic eſt in lege cautum, ut maxima ex parte adiunctas habeant ſacras ceremonias: uiſum eſt ea reijcere in locum præceptorum ceremonialium, & hic de illis tantum commemorare, quæ in foro tranſigi poſſunt.

Diuiſio præceptorũ iudicialium.

Poſtquam data eſt lex Decalogi, ſtatim ſubijcuntur à Domino משפטים id eſt, iudicia, de quibus Exod 21. præcipere cœpit, ubi ſic legimus: Hęc ſunt iudicia, quæ proponas coram eis. Poſſunt autem ſic diuidi, ut alia cõcernant ipſos iudices, alia populum. Iudicibus præcipitur Exodi 23. Leuit. 19. Deut. 16. ne ſequantur turbam ad faciendum malum, nec acquieſcant ſententiæ plurimorum in iudicio, ut deuient à uero: neq; miſereantur pauperis in iudicio, neq; munera accipiant, propterea quòd munera excæcant prudentes, ac ſubuertunt uerba iuſtorum: neque inſontem occidant, ſed abſque reſpectu perſonarum iuſto iudicio iudicent, nec in alteram partem declinent.

Quæ populum concernunt, normas habent ac formulas, ſecundum quas in cauſis, controuerſijs & pręuaricationibus uel multitudinis, uel priuatorum ſit iudicandum. Hęc iudicia ſic diſcernantur, ut alia pertineant ad componendas cauſas & cõtrouerſias, alia ad caſtigationes delictorum, alia ad pœnas capitales. 1 Ad primam claſſem referenda ſunt quæ ſtatuuntur Exod. 21. de emptione ſerui Hebræi, de filia in famulam uendita, de boue cornupeta, deq; boue uel alio iumento in ciſternam nõ opertam prolapſo. Et Leuit. 18. de gradibus cognationis ad matrimonium non admittendis Et capite uigeſimoquinto de reditu poſſeſsionũ, deq; terra non in perpetuum uendenda, & de lege redemptionis. Et Numeri uigeſimoſeptimo de lege hæreditatis, & capite trigeſimoprimo de præda ex æquo diuidenda, & 35. de lege exulum & profugorum, & 36. de lege nubendi. Et Deuteronom. 17. de cauſis difficilioribus ad cognitionem ſacerdotũ deferendis, deq; lege conſtituendi regis, & capite 19. de terminis proximi non transferendis: capite uigeſimo de lege bellicæ expeditionis, cap. 21. de inuento hominis occiſi cadauere, de muliere captiua, de duarum uxorum liberis, de cadauere crucifixi: & cap. 23. de ſeruo fugitiuo, cap. 24. de libello repudij, de libertate eorum qui recens nupſerũt, ac de lege accipiendorum pignorum, & cap. 25. de femine mortuo fratri ſuſcitando.

2 Ad ſecundam claſſem pertinent quæ Exod. 21. leguntur, de eo, qui proximum ſuum inter iurgandum, uel ſeruum aut ancillam ſuam, ſiue mulierem prægnantem percuſſerit. Et cap. 22. de furto bouis aut ouis, de fure deprehẽſo & percuſſo, de dãno agro proximi illato, de defraudatione depoſiti, de uirgine ſeducta & uiciata. Et Leuit. 19. de congreſſu cum ancilla: & Num. 35. ac Deut. 19. de homicidio, nõ ex odio & inimicitia, ſed fortuitò prẽter animi ſentẽtiã facto: & Deut. 19. de teſtibus falſis, & cap. 25. de numero plagarũ, quibus caſtigãdi ſunt delinquẽtes.

3 Ad tertiam claſſem deſtinantur ea quæ capitales pœnas habent, ut quæ ſtatuuntur Exod. 21. de plectendis homicidis, de ijs qui parentes percutiunt, uel maledictis afficiũt, & de eo qui hominẽ furatur ac uendit. Et cap. 22. de maleficis, & cum beſtia coeuntibus, deq; eo qui dijs immolat. Et quæ Leuit. 20. toto cap. decernuntur. Et de filia ſacerdotis ſtupro polluta, cap. 21. Et Deut. 13. & 18. de falſo propheta, & anathemate urbis defectricis, & cap. 17. de pœna eidolo latrarũ, deq; eo, qui iudicio ſacerdotũ nõ acquieſcit, & ijs qui uerbo prophetę dei nõ obediũt. Et cap. 21. de filio immorigero. Et ca. 22. de muliere quę nõ fuerit à marito inuẽta uirgo, de pœna adulterorũ, deq; eo qui uirginẽ opprimit in agro, cãpo, uel ſylua, ubi nemo eſt qui ſuccurrat. Hęc ferè ſunt præcepta iudicialia, legi Moſaicæ inſerta. Fieri nõ poteſt, ut ſingulis cauſis, litib. & pręuaricationib. ſingulę ponãtur leges: quare de ijs tantũ præcipitur, quę uel maioris ſunt momenti, uel frequẽtius occurrũt. Cętera iudicũ ſunt permittenda prudentię, quale eſt, qd Salomoni ſtatim initio regni eius in cauſa duarũ meretricũ uſuuenit. Et ob hanc cauſam pręceptũ eſt de cõſtituendis iudicibus, ut uiri prudẽtes deligantur, qui in ijs quoq;, de quib nulla certa lege reſponderi poteſt, pro dono prudẽtię ſuę uideãt, quid ſit ęquum, quid minus.

i. Reg. 3. Deut. 1. Exod. 18.

Et

Et hæc præcepta uocantur Miſpatim, id eſt, iudicia, normæ, regulæ, ſecundum quas pronunciãdum ſit à iudicibus. Noluit Deus liberum facere iudicibus, ut proprio arbitratu hiſce de rebus decernant, ſed præſcripſit illis formulas ſententiarum ac decretorum, quibus ſeſe ac commodent. Voluit extare populo ſuo certas leges, quæ non humanæ eſſent, ſed diuinæ. Voluit illas literis comprehendi, & ad poſteros tranſmitti, quo ad omnium conſcientias pertingerent, nec quicquam eſſet excuſationis ijs qui contra phas & æquum peccant. Voluit conſciẽtias populi ſui non humana, ſed diuina authoritate in iudicijs iſtis perſtringi. Quare non hoc tantum egit, ut iuſſu ſuo conſtituerentur iudices, qui ſuo nomine populo iudicarent, ſed & ipſa iudicia non illorum, ſed ſua uoluit eſſe pronunciata. Nos hodie cogimur ferre in eccleſia non ſolùm prælatos præter ſententiam Dei conſtitutos, ſed & humani magiſterij decreta, loco uerbi Dei adorare. Clamant eſſe ex ſpiritu ſancto pontificum decreta, & uerbo Dei adęquanda, propter officij uidelicet authoritatem. Vſitatum hoc eſt falſis paſtoribus compendium, ut officij authoritatem uindicent ſibi tantam, unde quicquid ſtatuunt, perinde adorari debeat, ac ſi ex ipſo eſſet ore Dei prolatum.

Rationes præceptorum iudicialium. Cogitabit etiam pius homo de rationibus præceptorum iudicialium. Neq; enim temerè & inconſultò diuina ſapientia doctrinę, gratię & fidei, ac præceptis moralibus præcepta iudicialia adiecit. 1 Arbitror autem rationem hanc omnium eſſe potiſsimam, quòd propter cõmunem carnis noſtrę corruptionem etiam ij, qui in populum dei ſunt electi, & ſymbolis gratię initiati, haud ſola doctrina & inſtitutionibus moralibus, in ſtudio pietatis & iuſtitię ſic retinentur, ut nuſquam exorbitent. 2 Deinde ſic ſunt etiam res humanę comparatę, ut multa incidant ambigua & obſcura, unde lites oriuntur & contentiones, quę irrefragabili ſunt iudiciorum dei authoritate componendæ.

3 Tertiò, accidit etiá quotidie, ut aduerſus normã diuinę legis ac uerbi dei peccemus. fit enim propter carnis noſtrę corruptionẽ, ut ubi lex eſt & doctrina, ibi ſit etiã tráſgreſsio & præuaricatio. Eſt autẽ omnis tranſgreſsio & pręuaricatio coercenda, caſtigãda & puniẽda. Quod ſi hoc faceremus ipſi, non eſſet opus iudicijs dei. Sicut enim Apoſtolus 1. Cor. 11. dicit, Si nos iudicaremus ipſi, nõ iudicaremur à domino. Hiſce, opinor, rationibus adiecta ſunt doctrinæ, & præceptis moralibus præcepta iudicialia, & inſtitutũ officium iudicũ. Sic enim ſumus per peccatũ deprauati, ut meliora ſciẽtes, deteriora faciamus: cui malo etiã hoc adiũgimus, quòd nec lites noſtras & cõtentiones ipſi componimus, nec peccata noſtra noſtro ipſorum iudicio corrigimus & emendamus. Quis autem non uidet, quantũ mali ſit expectandum, ubi nec ambigua diſcernũtur ac determinãtur, nec lites cõponuntur, neq; delicta & flagitia emẽdantur?

Neq; de legibus ciuilibus & ſtatutis humanis hoc loco admonebimus, ſed de his dicturi ſumus in loco de Magiſtratibus.

DE PRAECEPTIS CEREMONIALIBUS ueteris Teſtamenti.

Perſonales. CEremonias uocamus ritus ſacros, ſiue illi exerceantur in eccleſia, ſiue extra. Præcepta ceremonialia ſunt, quibus de ſacris ritib. authoritate & uerbo dei pręcipitur. Sunt aũt ceremoniæ legales admodũ multæ & uariæ. 1 Aliæ ſunt perſonales, perſonas uidelicet ſummi ſacerdotis ac reliquorum concernentes. utpote quæ leguntur Exod. 29. de conſecratione, oblatione & obſeruantia ſacerdotum. Et Leuit. 10. de eo quòd ſacerdotibus tabernaculum ex ordine ingreſſuris uinũ bibere non liceat. Et cap. 16. de ingreſſu pontificis in ſanctuarium. Et cap. 21. quòd prohibetur, ne compareat ſacerdos in funere ciuium ſuorum, & ne caput uel barbam radat: deniq; ne ducat ſcortum, uel uiduam, uel repudiatam, ſed uirginem in uxorem. Item, ne caput ſuum diſcooperiat, nec ueſtimenta ſua ſcindat, nec ad mortuum ingrediatur. Et, ne quiſquam deo miniſtret, qui maculam uel defectum habet in corpore. Et capite 22. quòd nihil debeat de manu alienigenę offerri. Et Num. 5. de zelotypis. Et 6. de Nazareis. Et 8. de purificatione, oblatione, & ætate Leuitarum. Et 18. de ordine & officijs Aaronis & filiorum eius. Et 31. quę ſint partes pontificis ac Leuitarum. Et Deut. 18. de ſorte Leuitarũ.

Tabrnaculares. 2 Alię ſunt Tabernaculares, hoc eſt, ad tabernaculum dei pertinent. In hanc claſſem refero. quę de ſanctuario, de altaribus, de lucernis, de igne, de panibus propoſitionis, de uaſis, & reliquis huius generis pręcipiuntur: ut Exodi 20. de faciendo altari, & 25. de materia tabernaculi, de arca, menſa, candelabro. Et cap. 26. de operimẽtis, parietibus, uelis, baſibus & columnis tabernaculi. Et cap. 27. de altari & atrio tabernaculi & oleo lucernæ: & cap. 38. de altari holocauſti, labio æneo & atrio. Et. Leuit. 23. de lucernis, & panibus propoſitionis. Et Num. 8. de candelabro: & 10. de tubis argenteis. Et Deut. 27. de altari lapideo.

Sacrificatoriæ & oblatoriæ. 3 Aliæ pertinent ad ſacrificia & oblationes. Huc refero quæ leguntur Exod. 13. de primitiuis. Et Leuit. 1. de ritu holocauſtorum, de oblatione ſacrificiorum, de ſimila, de ſale, de primitijs torrefaciendis. Et 3. & 7. de hoſtia pacificorum, & 4. de hoſtia pro peccato ſacerdotis, pro ignorãtia multitudinis, pro peccato principis, & pro peccato unius animę. Et 5. de hoſtia pro

certis

certis quibuſdã peccatis. Et 6. ꝑ peccato negati depoſiti: de lege holocauſti, de lege ſingulorum ſacrificiorum: de hoſtia pro peccato, quę comedatur, & quæ comburatur. Et 9. de animalibus mundis & immundis. Et 17. de hoſtijs non immolandis, niſi adferantur primũ ad fores tabernaculi. De ſanguine non manducando, ſed offerendo. Et 22. de non offerendo, quod defectum uel uitium habet. De non offerendo animali ante octauum uitæ illius diem. De hoſtia immolata, quòd eodem die ſit comedenda. Et 27. & Num. 18. & Deut. 12. 14. 26. de decimis. Et Num. 15. de libamentis. Et 19. de uacca rufa. Et 3. de donarijs domini. Et Deut. 17. de hoſtia habente maculam.

4 Aliæ ſunt purificatorię, quibuſdam immundicijs deputatę. Vt Leuit. 12. de puerperis. Et 13. & 14 de lepra. Et 14. de purificatione eius qui fluxu ſeminis pollutus eſt. Et 15. de immundi tia mulieris mẽſtruoſę. Et Nũ. 19. de contactu cadaueris. Et de eo q̃ moritur in tabernaculo. *Purificatoriæ.*

5 Alię ſunt expiatorię. ut Leuit. 16. de expiatione ſanctuarij, & de feſto expiatiõis. Et Num. 5. 15. de expiatione peccati per negligentiam admiſsi. Et quæ 19. de expiatione leguntur. *Expiatoriæ.*

6 Aliæ pertinent ad ſanctificationes perſonarum, locorum, uaſorum thymiamatis, primitiuorum, primogenitorum, &c. *Sãctificatoriæ.*

7 Rurſus alię ſunt temporarię. Hoc eſt, pertinẽt ad feſtos ac ſolẽnes dies. Vt quę legũtur de obſeruãtia ſabbati, Exo. 20. 23. 31. 34. 35. Et de ſolẽnitatib. anni, Exo. 23. Leu. 23. Nũ. 28. Deu. 16. *Temporariæ.*

8 Adhuc alię ſunt ueſtiarię. Vt Exodi 28. 39. de ueſtibus ſummi ſacerdotis, & filiorum eius. Et Deut. 22. de fimbrijs palliorum. *Veſtiariæ.*

9 Aliæ item ſunt quæ præcipiunt de cibis. Vt Leuit. 22. de ſanctificatorum eſu. Deut. 12. De manducandis in loco quem Dominus elegit. Et de ſanguine non edendo. Et cap. 14. de animalibus eſu immundis uel mundis. *Cibariæ.*

10 Poſtremò alię ſunt ſacramẽtales, ut circũciſio & Peſah, quæ uniuerſum populũ cõcernũt. *Sacramẽtariæ.*

Has ceremonias populo ſuo Iſraeli ac ſacerdotibus illius prę ſcripſit Deus, nõ quòd ſacrificijs, ſanctificationibus, purificationibus, & cultibus externis delectetur, id quod locis aliquot ſcripturæ negatur, ſed quòd uoluerit populum ſuum ab exteris & alienis cultibus auertere, quibus uſi ſunt ethnici, ſicuti uidere eſt Deut. 14. 16. & 18. & ſimul cauere, ne ipſe ſibi proprio arbitratu cultꝰ fingeret & inſtitueret, ut Deut. 12. cernere licet: ſed in obediẽtia uerbi ſui perſiſteret, & interea abundè ſatis haberet ſacrorum rituum, quibus exerceretur & quaſi pædagogia quadã ad ſenſus ſpirituales inſtitueretur. Voluit etiam ut quibuſdã figuris & umbris rerum futurarũ exercitatus qualemcunq; illarum fidem, ſpem & expectationẽ animo conciperet. Erat populus craſſus ac rudis, opus habẽs externis ac corporalibus ſacrorũ rituũ exercitijs. Erat prę terea natura ſuperſtitioſus, & eidololatriæ deditus. Adhæc, aliquot annorũ cẽturias uixerat in Ægypto, & ritibus Ægyptiacis nonnihil fuerat infectus. Deniq; periculum erat, ne in terra promiſſa Cananeorum ritus amplecteretur. Quare admodum prudenti cõſilio omnem illius uitam, prophanam & ſacrã, certis ac fixis legibus, præceptis, doctrinis, iudicijs & ceremonijs circumſcripſit, ne qua parte à ſynceritate fidei & obedientiæ exorbitaret. Hanc arbitror eſſe rationem ſummariam ac præcipuam, propter quam Iſraeli deus tot tamq; uarios ritus per Moſen ueteris inſtrumenti mediatorem præſcribere uoluit. *Quare tot ceremonias Iſraeli præſcripſerit Deus.*

DE VSV LEGIS MOSAICAE.

VSus legis ſecundum partitionem prę ceptorũ illius inſpiciendus eſt. Vt enim illa inter ſe differũt, ita & uſus legis uariat. Alius eſt moraliũ, alius iudicialium, alius ceremonialium prę ceptorum. Moralium eſt, ut inſtruatur populus legis in cognitione diuinę uoluntatis, & iuſtitiæ. Habet enim lex doctrinam, unde & תורה id eſt, doctrina dicta eſt, quẽadmodũ ſuprà annotauimus, titulo quid ſit lex. 1 Eſt aũt doctrina legis hiſce ueluti capitibus comprehẽſa, principiò de uoluntate Dei docet. Cognitio diuinę uoluntatis gemina eſt. Vna qua quid iuſtũ ſit ac fieri: altera, qua quid iniuſtũ ac uitari debeat cognoſcimus. Quàm aũt ſit eximium hoc Dei donũ, quòd uerbo ſuo quid uelit & requirat à nobis, docere dignatur, propheta nos admonet, cũ Pſal. 19. legẽ dei ſuper aurũ & lapides precioſiſsimos extollit, ac melle dulciorẽ eſſe canit. Singulare donum eſt, quod nõ cõmunicabatur olim niſi Iſraeli, Pſal. 147. *Vſus præceptorum moraliũ. Docet תורה*

2 Deinde nõ docet tantũ, ſed & cõteſtatur conſcientias noſtras, cõtra inobedientiã impiorũ, unde & alicubi uocatur עדות id eſt, teſtimoniũ. 3 Tertiò mandat & præcipit pro authoritate diuinę maieſtatis, quã ob cauſam, מצות id eſt, præceptũ uocatur. Atq; ita prę cipiẽdo urget ad obedientiã diuinę uolũtati ex animo prę ſtandã. Dũ iſta fiũt per legẽ moraliũ prę ceptorũ, cognoſcimus primũ quales cũ erga Deũ, tũ erga proximũ eſſe debeamus, quàm dominũ Deũ noſtrũ ex toto corde diligere, ſuſpicere, timere & colere debeamus unicũ, & poſt hũc erga proximos noſtros amanter & fideliter affici, perinde atq; erga nos ipſos: deinde quales ſimus, quàm corrupti ac perditi, quamq; alieni ac diuerſi à uera pietate & iuſtitia. Et hoc demũ uerè eſt illuminari oculos, iuſtitiam dei perfectam & immaculatam: & cõtrà noſtrã iniuſtitiã, corruptionẽ uidelicet & deprauationẽ naturę noſtrę perſpicuè cognoſcere, & in lege dei quaſi in ſpeculo oculis mẽtis intueri. Hactenꝰ obiter de uſu legis, quod attinet prę cepta moralia. *Conteſtatur עדות Præcipit מצות. Monſtrat quales eſſe debeamus, & quales ſimus.*

Vsus præceptorũ iudicialiũ.

De usu præceptorum iudicialium non est difficilis & prolixa consideratio. Comprehenditur enim bono seruandæ pacis publicæ, ad reprimenda iurgia, contẽtiones, furta, rapinas, scortationes, adulteria, cædes, &c. quibus pax publica turbari solet. Reprimuntur reprobi, ut pax possit esse insontibus & iustis. Huc faciunt omnia iudicia, quibus decernitur in causis & controuersijs populi, & pœnæ sumuntur de reprobis & flagitiosis. Hoc etiam publicæ retinendæ pacis bonum maius est, quàm ut satis æstimari possit. Et manifestum testimonium habet hic legis usus, nõ delectari Deum iniquitate reproborum, oppressione bonorum, & perturbatione publicæ tranquillitatis.

Vsus præceptorum ceremonialium.

1 Vsus præceptorum ceremonialium hic est. Principiò, erat quarũdam rerũ retinenda in Israele memoria. Huc faciebãt aliqui ritus sacri. Sic Deu. 6. legimus, Cum interrogauerit te filius tuus cras, dicens: Quid sibi uolunt testimonia hęc, & ceremonię, atq; iudicia quę præcepit dominus deus noster nobis? Dices ei: Serui eramus Pharaonis in Ægypto, & eduxit nos dominus de Ægypto in manu forti, fecitq́ue signa & prodigia magna & pessima in Ægypto contra Pharaonem, & omnem domum illius in cõspectu nostro, & eduxit nos inde, ut introductis daret terram, super quam iurauit patribus nostris: præcepitq́; nobis dominus, ut faciamus omnia legitima hęc, & timeamus dominum Deum nostrum, &c. Et Exod. 12. 13. Pesah ad hoc instituitur, ut esset memoria transitus angeli, quo Israeli parcens percusserat Ægyptios. Huc faciebat etiam sanctificatio primogenitorum, Exod. 13. Et festum tabernaculorum memoriæ gratia institutum erat, ne obliuiscerẽtur tabernaculorũ, in quibus uixerãt in deserto.

2 Deinde erat is populus instituendus in pietate diuini cultus. Huc faciebant sacrificia.

3 Præterea, quoniam maxima pietatis pars est, agnoscere largitatem diuinæ beneficentiæ, unde suppeditantur usibus nostris omnia, in eum usum seruiebant oblationes, primitię ac decimæ, quibus assuefiebant ad animi gratitudinem erga deum declarandam.

4 Adhuc, requiritur etiam puritas & sanctimonia uitæ. Ad hanc instituebantur, uel si mauis, huius admonebantur crebris purificationibus & sanctificationibus.

5 Denique exercendus erat etiam in cordibus eorum sensus peccati, & desiderium gratiæ Dei. Huc destinata erant sacrificia pro peccatis, & ritus expiationum.

6 Erat etiam charitas mutua in eo populo alenda. Ad hanc faciebant epulæ hostiarum & uictimarum. Et quoniam erant admodum crassi, parumq́; rebus spiritualibus spiritualiter agendis accommodi, ne de tota religione contemptim, sed religiosè ac honorificè sentirent, adhibita est sanctificatio personarum, tabernaculi, uasorum, &c. deinde additus etiam splendor quidam sacerdotali functioni, tabernaculo, & uasis sacris ex auro, argento, lapidibus pretiosis ac serico. Hæc uolui obiter de ceremonialibus præceptis perstringere, quæ Israeli sunt per Mosen præscripta. Mysteria singulorũ nolim exquirere. Cucurrerunt in hoc stadio ueteres aliquot, præcipuè Origenes, quẽ posteri allegorizantes sunt sequuti. Arbitror autem noui Testamenti cognitionem ac lucem abundè sufficere Christianis hominibus, nõ quòd studia ueterum damnem, sed quòd illis qui in luce uersantur, putẽ non esse tantopere uersandũ in umbris. De ceremonijs noui Testamenti suo loco dicemus.

DE VI ET EFFICACIA LEGIS.

QVoniam ex hoc potissimum loco argumenta disputationis suę desumpsit Apostolus, qua contra fiduciam operum legalium depugnat, operæprecium fuerit & illum paucis attingere. Nõ loquimur autem de efficacia legis, quę exeritur in cordibus credentium ac sanctorum hominum, qua de in loco de lege spiritus dicendum erit: sed de ea, quę operatur in cordibus hominum carnalium, & lex literæ uocatur.

De infirmitate & inefficacia legis.

Priusquam autem de ui & efficacia legis huius dicamus, arbitror admonendum esse de illius infirmitate & inefficacia. Etenim sic est comparata, ut utrũq; de illa prędicari possit, cùm quòd sit infirma & inefficax, tum quòd sit fortis & efficax, diuersis uidelicet respectibus. Iudæi falsa legalis iustitiæ persuasione infecti faciunt legem & efficacem & perfectam, ad reddendum hominem iustum ac beatum. Et huc citant quæ Psal. 1. 19. & 119. de illa leguntur. Nõ obseruant legem esse spiritualem, ac non modò manus & ora, quę faciant & dicant, sed & corda requirere, quę credant & diligant, ueraq; iustitia & cœlesti sanctimonia perfectè & semper afficiantur. Non obseruant carnis nostræ corruptionem, per quam fit, ut nõ magis apti simus animo ad ueram iustitiam præstandam, quàm corpore sumus ad petendum & contingendũ summa cœlorum fastigia. Est quidem lex bona, iusta & sancta, & perfecta quoq;, Psalm. 19. uerùm aliud est esse bonum, iustum, sanctum & perfectum, & aliud facere hominem bonum, iustum, sanctum & perfectum. Si ea consideres quæ præcipiũtur in lege, planè bona sunt, iusta & sancta, nec deest aliquid, quod ad ueram pietatem & iustitiam requiri possit: si uerò inspicias quid efficiat in hominibus carnalibus ac spiritu Dei uacuis, summam reperies infirmitatem & inefficaciam, sic ut nihil minus reddat quàm bonos, iustos, sanctos & perfectos homi-

Lex spiritualis est.

Aliud est esse bonum, & aliud facere hominem bonum

nes.

nes. Finge legem literæ esse uirginem omnium castissimam, quæ in turpissimo quodam meretricum prostibulo constituta & uiuat castissimè, & meretricibus quotidie de seruanda castitate præcipiat quidem, uerùm propter deploratam illarum impudicitiã nihil efficiat. Sic habet & legis conditio. Id quod est, ipsa alios efficere nõ potest. Hinc sunt illa Apostoli Rom. 8. Quod impossibile erat legi, propterea quòd infirmaretur per carnem, misit Deus filium suum, &c. ut iustificatio legis impleretur in nobis. Habet quidem lex iustitiam & iustificationẽ præcipiendo quæ sunt iusta, uerùm impossibile est, ut habeat iustificando. Impeditur enim & inefficax redditur per carnẽ, hoc est, per corruptos ac deprauatos carnis affectus, per quos fit, ut homo carnalis, peccati mancipium, sanctis, iustis & bonis mandatis obsequi nequeat. Et ipsa hoc non habet, ut liberet eum ab ista carnis corruptione, & ex impio faciat pium, detque aures audiendi, & cor obediendi, quæ uirtus non literæ est, sed spiritus. Sic ad Ebr. 7. dicit: Lex nihil ad perfectum adduxit, quare propter infirmitatem & inefficaciam reprobata est, & introducta spes melior per quam proximamus ad Deum. Prima lex quæ Adæ in paradiso de re omnium seruatu facillima, cum adhuc esset naturæ integræ & incorruptæ, proposita est, nihil habuit efficaciæ. Quid quæso præstaret lex post naturæ nostræ corruptionem lata, & tabulis non cordis, sed lapideis inscripta? Si quęras, Quare ergo lata est? respondet Apostolus Galat. 3. Propter transgressionem posita est, donec ueniret semen quod promiserat. Item, Priusquam ueniret fides sub lege, custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Itaq; lex pædagogus noster fuit ad Christum. Deinde & suprà ex ijs, quæ de usu legis annotauimus, uidere licet, quare sit data. *Simile.*

Et quæ hic de infirmitate & inefficacia legis commemoro, quam populus Israel abundè satis est expertus, locum habent etiam in uerbo fidei quatenus chartis inscribitur, & humana uoce hominibus spiritu Dei uacuis, ac dono fidei destitutis prædicatur. Quod enim legi accidit, propter corruptionem carnis, inter Iudæos, hoc & Euangelio, propter eandem carnis corruptionem, manifesto experimẽto inter Gentes pariter & Iudæos accidisse, & hodie quoque inter animales & carnales Christianos accidere liquet. Et ipsum litera infirma, inefficax & mortua est homini animali. *Quõ & Euangeliũ sit infirmum.*

Sed dices: Atqui Apostolus Rom. 1. de illo prædicat, quòd sit uirtus Dei ad saluandum. Respõdeo: Nõ dicit simpliciter, uirtus Dei est ad salutẽ: sed addit, omni credenti. Aliud est quod dicit omni credenti, quàm si diceret, omni homini. Vbi fides est, ibi Euangelium uirtus Dei est ad saluandum. Quid est igitur aliud, ubi fides non est, quàm mortua & inefficax litera? *Euangeliũ uirtus Dei ad saluandum.*

Rursus dices: At 2. Cor. 3. hactenus distinguit Apostolus Euangeliũ à lege, ut ministerium Euangeliij dicat constare non litera, sed spiritu. Respondeo: Loquitur de efficacia euangelij, quæ est in electis per spiritum fidei iustificãtis, unde & ministerium uocat spiritus & iustitię. Relinquitur ergo, quod attinet eos qui non sunt ex Deo, ideoq; uerbum Euangelij ne ipsius quidem Christi ore prædicatum audiunt, esse euangelium infirmam literam, & inefficax uerbum, non suo, sed corruptæ carnis uitio: respectu uerò electorum & fidelium, esse non literã, sed spiritum. Hæc paucis delibare uolui, propter eos, qui nõ satis animaduertunt, quàm infirma sit omnis sana doctrina, nisi spiritu gratię & fidei cœlesti dono imbuamur. Sed pergamus ad considerandum uim & efficaciam legis. *Euangeliũ cõstare non litera, sed spiritu.*

Vim & efficaciam legis, quæ litera uocatur, geminam esse dicimus. Vna est, quam ipsa adfert de suo, & propria uocari potest: altera est impropria, quã non de suo adfert, sed carnis nostræ uitio operatur. Propria est, ~~quod adfert cognitionẽ peccati.~~ De hac Apost. Rom. 7. sic loquitur: Peccatum nõ cognoui, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret: Non cõcupisces. Et cap. 3. Per legem cognitio peccati. Intelligit autem de peccato illo radicali, quod est in membris nostris, & per cõcupiscentiam corruptam in carne nostra regnat: non de peccato operis alicuius, utpote periurij, homicidij, adulterij, furti, &c. quorum peccatorum cognitio ex lege naturæ & ciuilibus cõstitutionibus aliàs haberi potest. Ante latam legem sciebatur homicidium, &c. esse peccatum. Et gentes huiusmodi nõ sunt peccatorum cognitione destituti. Deinde, nõ solùm de cognitione peccati loquitur, quæ constet intellectu, sed potissimum de ea, quæ uiuo peccati sensu in carne nostra capitur. Hoc est, lex facit, ut nõ modò intelligam, sed & cum morsu conscientiæ sentiam & experiar esse in me peccatum. Item, propria est, quòd nos inexcusabiliter peccati reos esse conuincit, maledicto subijcit & damnat, Galat. 3. & sensu peccati ac condemnationis perculsos anxios reddit, ac gratiæ Dei appetentes. Hinc illud est Apostoli, quod Rom. 7. disputat, & tandem exclamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christũ. ~~Impropria~~ est, quod ~~præuaricationem inducit, ac transgressionem.~~ Non facit hoc de suo, sed ex nostro uitio. Obedientiam requirit, & inuenit præuaricationem, atq; ita accidit, ut causa fiat præuaricationis. Etenim sicut Apostolus Rom. 4. dicit: Vbi non est lex, ibi non est præuaricatio. Lex à Deo est, præuaricatio ex nobis. Verùm quoniam necesse est, ut præuaricationem præcedat lex, & præuaricatio esse non potest, ubi nulla lata lex est: fit ut causa præuaricationis sit lex, quemadmodum causa ingratitudinis est, quod præcesserit beneficium (nemo enim ingratus *Vis & efficacia legis gemina est.* *Propria.* *Lex adfert cognitionem peccati.* *Lex arguit peccati, et dãnat.* *Impropria.* *Lex transgressionem inducit*

esse potest, in quẽ nullum collatum est beneficium) & causa liuoris aliena est prosperitas, &
Similia. iuramentum periurij, & matrimonium adulterij, &c. Hoc genus causæ culpam nõ habet, sed nostram damnat malitiam, per quam fit, ut lex pariat prẽuaricationem, beneficium ingratitudinem, prosperitas aliena liuorem, &c. cum natura sua legem obedientia magis, quàm prẽuaricatio beneficium, gratitudo magis, quàm ingratitudo, & proximi prosperitatem congratulatio potius, quàm liuor comitari debeat. Sic lex nobis potius debet, quòd præuaricatores constituit, dum obedientiam requirit, quàm nos legi quòd præuaricatores sumus ac transgressores præceptorum Dei.

Peccatum excitat lex. Item impropria est legis efficacia, quòd peccatum in carne nostra latens excitat, uiuificat, prouocat & iritat, ut magis quàm antea affectus nostros rapiat, ac morti fructificet. Meminit huius Apost. Rom. 7. cum dicit: Cum enim in carne essemus, affectus peccatorũ qui per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Et paulo post: Peccatum autem occasione per mandatum accepta operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem uiuebam sine lege aliquando: sed cum uenisset mandatum, peccatum reuixit. Et 1. Corint. 15. Virtus peccati lex. Facit ista lex non de suo, sed nostro uicio, quo sic comparati, imò deprauati sumus, ut nitamur impensissimè in uetitũ, cupiamusq; prohibita, & dulcior sit panis furtiuus, quàm iusto labore acquisitus. Dũ sic comparatis lex dicit, Ne concupiscas uxorem proximi tui: peccatũ quod est in carne nostra sic excitatur, ut quo magis prohibetur alienæ uxoris concupiscentia, hoc magis alienam concupiscamus, & nostras fastidiamus. Sic affectus peccatorum acuuntur per legem, sic peccatũ occasionem accipit per mandatum, & inflammat in nobis omnis generis concupiscentiam: sic peccatum sine lege mortuum est, hoc est, infirmum ac torpidum, per legem uerò reuiuiscit & excitatur. Sic lex peccati uirtus est, id est, uis & efficacia. Quare lex est carni nostræ, quod aqua frigida est calci. Quis autem satis perpenderit, quanta sit hæc ingenij nostri malitia, qua fit, ut lex prohibens iniustitiam, ministra fiat & causa iniustitiæ? Quis curabit eum ægrotum, cui medicina fomentum & augmentum est morbi?

Lex prauæ carni, calidæ est aqua frigida calci: Excitat illa æstum, prouocat hæc uitium.

Lex irã operatur, & mortẽ. Huc pertinet & illud, quod lex iram operatur, Rom. 3. & mortem, unde & ab Apostolo uocatur litera occidens, & ministerium mortis. Vide 2. Corinth. 3. & Rom. 7. facit hoc non natura sua, sed nostra malitia. Operatur iram, dum nos iræ Dei reddit obnoxios, propter trãgressionẽ. Quæ ad uitã erat, seruit morti, dũ nos reos mortis cõstituit. Dicta est, inquit Aug. ministratio mortis, ubi litera occidit, malũ prohibendo quod fit, & bonũ imperando quod nõ fit.

Præstiterat igitur non dari legem talibus. Dixerit hic quisquam: Præstiterat igitur non dari legem talibus, qui per eam tam non iustificantur, ut magis prævaricatores constituantur, tam nõ gratiam Dei acquirunt, ut iræ potius reddantur obnoxij: tam non uiuificantur, ut magis occidantur. Respõdeo. At hoc ipsum est, cuius gratia dari debuit talibus, qui cum mali sint, malos esse se nec agnoscunt, nec dolẽt, nec cœlestem gratiam in Christo paratam appetũt. Subijciendi sunt sensui peccati, iræ, maledictionis & mortis, ut ad gratiam regni Dei, benedictionis & uitæ per fidem in Christum aspirent. Voluit ad hunc modum Deus irasci immorigeris ac præuaricatoribus, ut resipiscentium misereretur, & occidere sensu condemnationis & mortis, ut occisos uiuificaret. Quare non est data lex literæ, ut per hanc uiuificaremur, iustificaremur ac saluaremur: sed iustificationem, uiuificationem ac salutem generis humani ab æterno destinauit in Christo, quem & patribus subinde tam in ipsa lege, quàm ante legem promisit, ut hunc fide expectarent: ac postea in mundum hunc misit, ut credentes in ipsum seruarentur.

LEGEM IMPLERI QVID SIT.

QVoniam Matth. 5. Christus dicit, Ne existimetis, quòd uenerim ad destruendam legẽ aut prophetas: imò non ueni ut destruam, sed ut impleam. Amen quippe dico uobis, donec prætereat cœlum & terra, iota unum aut unus apex non præteribit ex lege, quoad omnia facta fuerint. Quisquis igitur soluerit unum ex mandatis hisce minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum: quisquis autem fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorum, &c. Operæ precium fore puto, si de adimpletione legis quædam annotauerimus.

In lege sunt mandata, sunt figuræ, sunt promissa, quorum nihil sic est positum, ut adimpletionem sui non requirat. Qui mandat, pro authoritate sua omniũ iustissimè requirit obedientiam. Idem cum per figuras, quasi quasdã umbras, res futuras delineat, & per oracula sua promittit, pro ueritate sua ipse, qui præfigurat ac promittit, præfigurata & promissa suis singula temporibus adimplet. 1 Impletur ergo lex, primùm, quãdo figuræ ac promissiões in lege ac prophetis comprehensæ, in nouo Testamento per aduentũ ac dispensationem Christi adimplentur. De hac adimpletione legis loquitur Christus Lucæ uigesimo quarto, dicens: Hæc sunt uerba, quæ loquutus sum ad uos, cum adhuc essem uobiscum, quòd necesse sit impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi & prophetis & psalmis de me. Non simpliciter dicit,

Impletur lex, quando figuræ & promissa legis in Christo implentur.

quòd

quod implebuntur: sed, quòd necesse sit impleri omnia, quę scripta sunt in lege Mosi, &c. Quare necesse hoc erat? Quia sic non modò scriptum erat, sed & constitutum à Deo, cuius uoluntatem fieri, & promissum adimpleri propter illius omnipotentiam irrefragabilem & ueritatem infallibilem necesse est. Ergo nouum Testamentum in Christo & legis est & prophetarum adimpletio, qua de non est ut in præsenti dicamus. Primarium opus legis est Christi dispensatio, cuius gratia Christus finis legis dicitur. Adimpleta hæc est per incarnationem, mortem, resurrectionem & ascensionem Christi, ac spiritus sancti missionem. Restant adhuc quædam adimplenda, utpote, cõuersio Israelis, à Mose Deut. 4. prædicta, resurrectio mortuorum, & iudicium mundi. Ex ijs quæ adimpleta sunt reliquorum nobis certitudo constare posset, etiamsi fide diuinæ ueritatis destitueremur.

Nouum testamentum est legis & prophetarũ adimpletio.

2 Deinde adimpletur lex docẽdo & uiuendo, quemadmodum & docendo ac uiuendo soluitur. Docendo, quando rectè populo exponitur, non secundum pharisæorum deuteroses, sed secundum germanum illius spiritum ac sensum: hoc est, secundum mentem ac sensum legislatoris, cuius exempla Matth. 5. proposita sunt. Qui pharisaicè docet, legem soluit, non implet. Viuendo impletur, primùm, quando ea seruantur communiter, quæ communiter sunt præstanda. Deinde quando seruantur priuatim, quæ unumquenq; priuatim concernũt. Neq; enim omnia sunt communiter omnibus præcepta, sed quædam seperatim ad seperatos pertinent. Habent sacerdotes ac leuitæ sua peculiaria præcepta, quæ non nisi ab illis impleri possunt. Nemo legem implet faciendo, quòd ad se non pertinet, etiamsi quod facit, sit in lege præceptum: imò qui hoc facit, legem soluit.

Impletur lex docendo & uiuendo.

3 Tertiò, est etiam habenda ratio temporum. Multa sunt in lege præcepta, quæ certis sunt temporibus alligata, extra quæ solui possunt, adimpleri non possunt. Sabbato constitutus est certus dies, memoriæ paschatis certum tempus datum est, quemadmodum & alijs quibusdã temporarijs obseruationibus. Huc pertinet dispositio illa Dei, qua cursus legis ac prophetarum, sabbati, circumcisionis, paschatis, ciborum legalium, sacrificiorum, &c. usq; ad noui Testamenti lucem ac ueritatem determinatus est. Quod si quis determinationẽ temporis à Deo dispositam negligere, & umbras ueteris Testamenti cum luce noui obseruatione præpostera miscere, atq; ita diem cum nocte confundere uoluerit, præuaricatorem se legis, non adimpletorem constituet: id quod nonnulli hodie facere tentant, dum sabbatum legale & obseruantiam ciborum legalium postliminio reducere conantur. 4 Quartò, in adimpletione legis est etiam habenda localis determinationis ratio. Quæ certis sunt locis affixa, alibi impleri nõ possunt. Eat Iudæus & offerat secundum legem, ac faciat ea, quæ manifestè sunt loco à deo electo ac terræ promissæ annexa, cum tot iam sit seculis ex terra illa proscriptus, & à loco à deo electo remotissimè proiectus. 5 Quintò, requiritur ad legis impletionẽ, ut impleatur non in uno tantum, sed in omnibus: imò seruari non potest in uno tantum & altero præcepto, cæteris neglectis. Qui in uno offendit, inquit Iacobus, omnium reus est. Aliud est honorare parentes, & aliud seruare legem. Potest, qui parẽtes habet in precio, colere deos alienos, uenerari simulachra, prophanare sabbatum, blasphemare ac dehonestare nomẽ Dei, ac quęuis mala perpetrare aduersus proximum: quare non poterit dici legis diuinæ obseruans, qui illam tot modis uiolat. Requiritur ergo ad legis impletionem, ut in omnibus illius præceptis seruetur.

Habenda ratio temporum.

Determinatio localis in lege.

Lex implenda in omnibus præceptis.

6 Sextò, legem implere, est non opere tantum facere, quod lex præcipit, & omittere quod uetat, sed ex corde etiam spiritui legis sese cõformare. Lex spiritualis est, inquit Apost. Requirit ergo pietatem, iustitiam & sanctimoniam non solùm oris & manuũ, sed cum primis ipsius spiritus & cordis, idq; cùm in primæ, tum in secundæ tabulæ obseruantia.

Non opere tantum, sed & corde implere.

Dicet quisquam: Quis ergo legem poterit adimplere? Respondeo: Qui carnalis est, legem spiritualem implere non poterit, quod de se & Apostolus Rom. 7. queritur, dicẽs: Lex spiritualis est, ego uerò carnalis, uenundatus sub peccatum. Legem perfectè solus Christus adimpleuit. Adimplent legem etiam Christiani, perfectè in Christo, imperfectè in seipsis. Etenim quatenus plenitudo legis est dilectio, hactenus legem implent, qui syncerè diligunt. Rom. 13. Dilectio autem etiam fidelium perfecta non est, donec sunt in hac carne. Ergo legem haud implent perfectè. Deniq; quatenus promissis Dei in lege comprehensis credũt, hactenus etiam credendo in Christum legem adimplent. Credunt autem non perfectè, sed secundum mensuram fidei à Deo acceptam. Quare nec hoc pacto legem perfectè implent. Cõsequitur ergo neminem implere legem perfectè & inculpabiliter ex omnibus in uniuersum mortalibus, uno dempto Christo, ut haud præter rationem dixerit Petrus Actor. 15. Quid tentatis Deum, imponendo iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus? Conclude ergo frater iuxta sententiam Apost. quę ibi sequitur, credendum esse, quod non per adimpletionem legis, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credentibus in ipsum parata sit salus ac uita.

Quis ergo legem poterit adimplere?

Nemo legem perfectè impleuit, præterquã Christus.

DE LEGE SPIRITVS.

Quid ſit lex ſpiritus.

POſtquam Apoſt. Rom. 7. de ui & efficacia legis, quæ operatur in carnalibus & animalibus hominibus, diſputauit, cap. ſequẽti de gratia ſpiritus ſancti, quæ in Chriſtum credentibus datur, ſubijciens dicit: Nam lex ſpiritus uitæ liberum me reddidit à lege peccati & mortis. Quare uidendum eſt de hac lege ſpiritus, priuſquam locum de lege terminemus. Ambroſ. legem ſpiritus facit fidem, uel legem fidei, per quam liberamur à morte ſecũda damnato peccato, cui ideo adſcribitur uita, quòd peccata remittens à morte liberat, & uitã donat. Chryſoſt. per legem ſpiritus uitæ intelligit ſpiritum S. ipſum, à quo eſt uita. Sic enim dicit: νόμον πνεύματος ὑπὲρ ἑαυτὸ τὸ πνεῦμα καλῶ, ὥσπερ γὰρ νόμον ἁμαρτίας τὴν ἁμαρτίαν, ὅτω νόμον πνεύματος τὸ πνεῦμά φησι. Meo iudicio, quẽadmodũ lex literæ, eſt lex ſcripta per literas in tabulas lapideas, uel chartaceas, nihil habens aliud quàm literam docentẽ quidem, & urgentem, uerũ infirmam & inefficacẽ: ita lex ſpiritus lex eſt, non atramento & literis in tabulas lapideas exarata, ſed ſpiritu Dei in cordibus electorum & credentium indita. Et hæc lex à ſpiritu S. ſcripta, eſt non doctrina quædã, docẽs ac præcipiẽs quid credi, quid coli ac diligi, quidq; fieri erga Deum & proximũ debeat, ſed ipſe animi actus & impulſus, ad credendum cœleſti gratiæ, ad diligendum, ad ſperandum, ad faciendũ & ferẽdum pro uoluntate Dei quiduis: in ſumma, ad uiuendũ in Chriſto. Et quoniam hic actus opus eſt ſpiritus S. lex ſpiritus uocatur, ad diſcernendũ à lege literę. Lex Moſis & ipſa eſt à ſpiritu S. lata & ſpiritualis: uerũ non eſt digito dei in corda mortaliũ, ſed in tabulas lapideas ſcripta. Quare quòd illa lex literę, & hæc lex ſpiritus uocatur, nõ eſt factũ, quòd à diuerſis ſint authoribus traditæ, cũ utriuſq; unus ſit author: ſed ut inter diſpẽſationes ueteris ac noui inſtrumenti diſtinguatur, & differens unius & eiuſdem ſpiritus S. legislatio exprimatur. Quod ſpiritũ autẽ hunc doctorẽ cordium uocat ſpiritũ uitę, ex eo eſt, quòd ipſe uiuificat, ſicut & Chriſtus de illo prędicat dicens: Caro nõ prodeſt quicquã, ſpiritus eſt qui uiuificat. Ioan. 6. Sic uocat autem ſpiritũ ſanctum, ſpiritũ uitæ in hac diſputatione de lege, reſpectu eius, quòd litera Moſaicæ legis occidit, & miniſteriũ eius miniſteriũ eſt mortis, ſicuti ſuprà cõmemorauimus. Quos enim lex literæ, irę reddit & morti obnoxios, hos lex ſpiritus uiuificat & ſaluat.

Cautio.

Cauendum uerò eſt, ne quemadmodum litera non ſuo, ſed noſtro uitio infirma eſt & inefficax ad iuſtificandum, efficax uerò ad occidendum: ita legem ſpiritus non ipſius, ſed noſtra uirtute ad iuſtificandum & uiuificãdum efficacem eſſe putemus. Non enim impeditur iſta per noſtram corruptionem & malitiam, quo minus opus ſuũ in cordibus noſtris perficiat, quemadmodum lex literæ: ſed inſtructa uenit, primũ ſanguine Chriſti, quo peccata noſtra abluat et expungat, deinde & theſauro illo gratiæ, per quam Chriſto incorporamur, illiusq; iuſtitię participes effecti ab omni condemnatione liberamur, ſimulq; in nouos homines regeneramur, ut ſuppreſſo regno peccati ſeruiamus iuſtitiæ. Hæc gratia & uirtute Dei inſtructa lex ſpiritus iuſtificat impios, reconciliat damnatos, & uiuificat mortuos.

Lex perfectæ libertatis.

Hanc legem ſpiritus uitæ uocat Iacobus cap. 1. legem perfectæ libertatis, nõ ob id tantum, quòd libera eſt, & ab omni coactione inuoluntaria prorſus aliena, ſed quòd etiam liberos reddit homines: id quod exponens Paulus dicit, Nam lex ſpiritus uitæ liberũ me reddidit à lege peccati & mortis. Legem peccati intelligit uim & tyrãnidem peccati in carne noſtra regnantis, qua ad peccandum rapimur & impellimur. Lex mortis eſt, qua peccatores æternæ morti deputantur. Stipendium enim peccati mors eſt. Lex itaq; ſpiritus uitæ non hoc tantum in nobis agit, quòd non condemnamur propter imputationem iuſtitiæ, quæ eſt per fidem in Chriſtum: ſed & uim peccati in nobis extinguit, ut iam nõ regnet in nobis peccatum, ſed uirtus & gratia Chriſti, ſeruiamusq; non amplius peccato, ſed iuſtitiæ: nec morti ſimus obnoxij, ſed in ueram uitam aſſerti. Quamuis iſta magis ad locum gratię quàm legis pertineant, uolui tamen ea paucis adijcere, propterea quòd Apoſtolus illa diſputationi de lege ſubiecit.

De lege naturæ quæſtio.

Dicet autem præterea quiſquam philoſophiæ magis, quàm uel legi Moſaicę, uel fidei Chriſtianæ ſtudioſus, cum lex naturæ omniũ ſit mortaliũ cordibus diuinitus inſcripta, cõtineatq; in ſe potiſſima pietatis & iuſtitiæ capita, quid neceſſe eſt legem reipſa eandem, ſemel à Deo cordibus noſtris inſcriptam, denuò per ſpiritum ſanctum inſcribi? Reſpõdemus: Si ſatis eſſet prima inſcriptio ad ueram pietatem & iuſtitiam, non adhiberetur ſecunda. Prima, quę naturę eſt, qua de ſuprà diximus, id quidem habet, quòd ſenſum numinis habemus, & æquitatis legẽ intelligimus, quodq; conſcientia noſtra religioni numinis & legi æquitatis ſic eſt adſtricta, ut pręuaricantes redarguat: in eo uerò deficit, quòd primùm ignara eſt myſterij à ſeculo abſconditi, quo genus eſt humanum per uerbum Dei incarnatum, à peccato & morte liberatum: deinde nec amorem, nec ſtudium, nec uirtutem confert ad ſeruandam æquitatis legem, ſed carnis noſtræ corruptione, quam emendare non poteſt, prorſus infirma redditur & inefficax, ſic ut non minus ethnici, quàm Iudęi meliora ſcientes, deteriora faciant. Quare cum nec iſta, nec ſcripta lex corruptę noſtrę naturæ ſuccurrere poſſent, opus erat lege diuiniore, efficaciore ac penitiore, per quam internus homo noſter innouaretur, & ad ueram pietatem & iuſtitiam in ipſis cordis receſsibus imbueretur. Ea autem eſt lex iſta ſpiritus uitæ, qua de iam diximus.

In quib. lex naturæ deficiat.

DE

DE ABROGATIONE LEGIS MOSAICAE.

LEGEM Mosaicam literis comprehensam non inter Christianos duntaxat, qui ex Israele Christum filium dei ac seruatorem mundi credendo receperunt, sed & inter Iudęos admodum de lege gloriantes, reipsa abrogatam esse constat. De Christianis nihil est cõtrouersiæ. De Iudæis forsan controuertetur quisquam. Seruant enim illi circumcisionem, lauacra, sabbatha, delectum ciborum, & nescio quæ alia in lege Mosis prȩcepta. Verùm cùm quod in lege cęremoniarum ac cultuum potissimum est, sacerdotium uidelicet cum uniuersis sacrificiorum, oblationum, holocaustorũ & uictimarum obseruationibus, è terra promissionis eiecti prorsus amiserint: quis non uidet irritam factam esse & abrogatam reipsa legem Mosis, ut quæ ex illa seruant homines cæci, seruent non secundùm uoluntatem Dei, sed secundum cordium ipsorum obtenebrationem & pertinaciam? Quare superuacaneum esse uideri poterat, ea de re annotare quicquam, de cũius abrogatione, quòd reipsa sit in propatulo, nemo cordatus hæsitare poterit, nisi subinde multorum infirmorum conscientiæ tentatione hac afficerentur, non debuisse legem à Deo latam antiquari: præsertim quum sit indubitato bona, iusta, sancta & perfecta, & ab ipso quoq; Christo non modò uerbis confirmata, Matth. 5. sed & ad mortem usque seruata. Horum gratia paulisper inspiciendus est hic locus. Cæterùm quod attinet uel carnales & obstinatos Iudæos, uel eos Christianos, qui noui Testamenti gratiam & dispensationem intelligunt, non erat opus, ut aliquid hac de re admoneremus. *Lex Mosis reipsa abrogata.*

Principiò futurum fuisse, ut noua lex daretur à Deo, & uetus per Mosen lata abrogaretur, uaticinio Hieremiæ prophetæ palàm cap. 31. prędictum legitur ad hunc modum: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & feriam cum domo Israel, & cum domo Iudah fœdus uel pactum nouum. Non sicut pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut extraherẽ eos de terra Ægypti, qui disturbauerunt pactum meum, & ego neglexi eos, ait Dominus: sed hoc erit pactum quod ego feriam cum domo Israel, post dies illos, ait Dominus: dabo legem meam in medio eorum, & super cor eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et ne quis causetur hoc loco, uaticinatum esse prophetam de nouo fœdere, non de noua lege, manifestum est uocem ברית, id est, pactum hoc loco positum esse loco legis. Etenim non pepigerat cum Israele Deus in monte Synâ aliter quàm per legẽ: unde & tabulæ legis, tabulæ fœderis uocantur: & propheta ubi dixerat, Et feriam pactum nouum cum domo Israel, & cum domo Iudah, &c. expositionis gratia subiunxit, Sed hoc erit pactum quod ego feriam cum domo Israel, post dies illos, ait Deus, dabo legem meam in medio eorum, & super cor eorum scribam eam, &c. Ergo quod uocauit nouum pactum, exponendo uocat legem suam, quam sit inscripturus ipsorum cordibus. Et Ebræi agnoscunt hoc, quum dicunt in libro Mechilta, Non est pactum nisi lex. *Legem Mosis fuisse abrogandam.* *ברית, pro lege positum.*

1 Itaq; uaticinio isto iam olim prædictum fuit cessaturam legem Mosaicam, per nouæ legis subintroductionẽ. 2 Deinde certũ fuisse tempus à Deo constitutũ, quando ista Mosaicæ legis antiquatio, & nouæ introductio fieri deberet. Ecce dies uenient, inquit. Itẽ, Post dies istos. Habuit uetus lex suos prefiniti temporis dies, de quibus intelligit, quum dicit, Post dies istos: & nouæ legi suum erat destinatum tempus, de quo loquitur, dicens: Ecce dies uenient. 3 Deniq; ueteris ac nouæ legis discrimen innuit, quum dicit, Dabo legem meam in medio eorum, & super cor eorum scribam eam: id quod ad differentiam ueteris dixit, quam in tabulas lapideas, non in corda Israelis scripserat.

4 Præterea, ponit etiam causam abrogandæ legis ueteris ac nouæ introducendæ, quum dicit, Qui disturbauerũt pactum meum, & ego neglexi eos. Hæc ferè in isto uaticinio Hieremię continentur. Et Esaiæ cap. 2. palàm promittitur lex, quæ egrediatur de Zyon & Hierusalem. Ea utiq; non erat lex Mosaica, quæ lata est in Sinah, non in Zyon. Quòd si Mosaica duratura fuisset ad finem usq; mundi, non erat ratio mittendi aliam. Quare manifestum est errare eos plurimum, qui putant legem literæ sic esse à Deo latam, ut duret perpetuò.

Quòd autem abrogatio legis Mosaicæ per aduentum Messiah seruatoris nostri futura esset, uel ex eo satis potest prædictum comprobari, quod Psalmo 110. alius sacerdos promissus est, qui non sit secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchizedek, qui Psalmus omnino de Christo uaticinatur. Translatione autẽ sacerdotij prædicta, simul & legis est prædicta translatio. Finis sacerdotio Aaronis per sacerdotem Christum allata est: ergo & lex per eundem est finita, quæ sacerdotium habet Aaronicum, & sacerdotes non de tribu Iudah, sed de tribu Leui constituit: Christus uerò de tribu Iuda est, qua de re uidere est Ebræorum 7. *Abrogatio legis futura erat per aduentum Messiæ.*

Reuera parum gloriam cœlestis regis Christi considerant, qui existimant regnum eius quasi cœlesti lege destitutum, legi literæ per Mosen latæ fuisse includendum. Nouus rex, noua lex. Christus rex nouus, qualem nec antea, nec pòst accepit hic mũdus, nedũ unicus huius *Gloria cœlestis regis consideranda.*

mundi populus, ſuam legem regno ſuo conuenientem, unà cum regno à patre accepit, & in mundum hunc attulit: ad cuius exortũ lex literæ perinde atq; luna ad exortum ſolis eſt antiquata & abrogata. Non audent negare Chriſtũ eſſe regem, ſacerdotẽ & prophetã, neq; Iudæi, neq; Chriſtiani. Et interim tribuunt illi regnum ſine lege, ſacerdotium ſine ſacrificio, prophetiam ſine uerbo, quotquot diſpenſationem illius legi, ſacrificijs & uerbo Moſis ſubijciunt.

Præterquam quod regno Chriſti ſuum miſpat adimunt, declarant etiam quàm non intelligant humani generis corruptionem, Moſaicæ legis infirmitatem & inefficaciam, redemptionisque Chriſti uirtutem. Non animaduertunt uſum legis literæ, non conſiderant curſum pædagogiæ Moſaicæ, differentemque rationem, unius populi inſtituendi, inque peculium ex omnibus gentibus à Deo aſſumpti, & uniuerſarum totius orbis gentium in unam Chriſti eccleſiam congregandarum.

Eccleſia Hieroſolymitana.

Prima Chriſti eccleſia Hieroſolymis ab Apoſtolis congregata, æmulatrix erat Moſaicæ legis. Nondum intelligebat regni Chriſti conditionem & uirtutem. Deinde nondum erat ab inolita legalium obſeruationum conſuetudine in uniuerſum liberata. Et præterea condonanda erat ea cunctatio & æmulatio, propter reliquos Iudæos, inter quos uiuebant illorum temporum Chriſtiani, ne intempeſtiua legis reprobatione, curſus gratię in Iſraele prorſus impediretur. Verùm longè aliter habet eorum Chriſtianorum conditio, qui poſt tot ſecula regnãtis Chriſti & abrogatæ legis, propagatiq; per orbem Euangelij Dei ad umbras legis & magiſterium Moſaicæ pædagogiæ redeundum eſſe putant.

Quatenus abrogata ſit lex.

Hactenus oſtendimus abrogandam fuiſſe legem Moſaicam per aduentum Chriſti, & nouæ legis introductionem: iam conſequenter uidendum eſt, quatenus ſit abrogata. In abrogatione legis non eſt cõſiderandum aliquod illius uicium, propter quod abrogari meruerit (nã ſancta, iuſta, bona eſt & perfecta) ſed reſpiciendum eſt ad diſpoſitionem diuinam, qua uetus Teſtamentum ſic determinatum fuit, ut per introductionem noui antiquaretur & caſſaretur. Itaq; quatenus uetus Teſtamentum nouo eſt ſuccedente abrogatum, hactenus abrogata eſt lex ueteris Teſtamenti. Quatenus Moſes ceſsit Chriſto, hactenus ceſsit lex uetus Euangelio Chriſti. Quatenus uerbum montis Sina ceſsit uerbo quod prodijt ex Zion, hactenus abrogata lex eſt.

An tota lex Moſi ſit abrogata.

Quærunt an tota ſit abrogata? Reſpondemus: Si totus Moſes ceſsit Chriſto, utiq; tota illius lex ceſsit legi Chriſti. Si quid imperfecti eſt in lege Chriſti, ſi authoritas, ſi lux, ſi uirtus in lege Moſis eſt, quæ non ſit in lege Chriſti, petat lex Chriſti ſubſidium à lege Moſis. Sed abſit. Quod infirmum erat & inefficax, ſublatum eſt, propterea quòd iuſtificare non potuit, & tum eſt ſublatum, quando uenit lex noua, uirtutem habens iuſtificandi & ſaluandi. Quomodo uirtus ad ſaluandum ſubſidium peteret ab infirmitate & inefficacia, cui propterea ſucceſſit, ut quod illa non potuit, perficeret ipſa?

De partib. legis abrogatis, unde totã abrogatam eſſe patet.

In lege ſunt, quemadmodum & ſuprà monui, mandata, promiſſa & figuræ. Per ueritatem Chriſti ceſſarũt promiſſa & figuræ. Mandata legis ſunt moralia, iudicialia, cæremonialia. Cæremonialia ceſſaſſe ex eo patet, quòd ipſum ſacerdotium legis, cui annexæ fuerũt ceremonię, per ſacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchizedech eſt abrogatum, & iam olim reipſa ceſſauit. Iudicialia quoq; ceſſaſſe in eo declaratur, quòd tota Iſraelis œconomia, qualem terræ promiſſæ inhabitatio requirebat, ab eo tempore ceſſauit, quo expulſi inter gentes ſine rege, ſine ducibus, ſine ſacerdote, & ſine lege habitare cœperunt. Reſtat de mandatis moralibus, præſertim de Decalogo. Si illa iuſtificare poſſunt, ſi iram nõ operantur, ſi non ſunt uirtus peccati, ſi non ſunt litera urgens & occidens, ſi non reddunt eos qui ſub lege ſunt maledicto obnoxios, ſi non pertinuerunt ad pædagogiam Iſraelis, donec ueniret ſemen promiſſum, neceſſe eſt ut maneant. Si uerò infirma ſunt, ſi litera ſunt, ſi tranſgreſsionem, iram, maledictionem & mortem operantur: Chriſtus uerò per legem ſpiritus uitæ credentes in ſe liberauit à lege literæ, infirma ad iuſtificandum, & ualida ad condemnandum, & à maledicto, factus pro nobis maledictum, utique abrogata ſunt & ipſa. Si & ipſa, abrogata eſt lex tota, quia abrogatæ ſunt omnes illius partes.

De Decalogo.

Sed dicet hic quiſquam: Si & Decalogus abrogatus eſt, ergo nemo amplius obligatur ad illius obſeruantiam, atq; ita non peccabimus alienos deos & ſimulachra colendo, nomen Dei in uanum uſurpando, Sabbathum prophanando, parentes dehoneſtando, occidendo, adulterando, furando, falſo teſtificando, & quæ proximi ſunt concupiſcendo. Obiectioni iſti reſpondimus in quarto præcepto Decalogi. Si Chriſtianus hoc dixerit, audiat apoſtolum, qui Romanorum ſexto ad hunc modum conſimili quæſtioni occurrit: Non enim eſtis ſub lege, inquit, ſed ſub gratia. Quid ergo? Peccabimũsne, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit. An neſcitis, quod cui accommodatis uos ipſos ſeruos ad obediendum, eius ſerui eſtis cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obedientiæ ad iuſtitiam. Hæc Paulus. Sic reſpondemus etiam ad iſtam obiectionem, Qui Chriſtianus eſt, etiam ſi non ſit ſub magiſterio Moſis: propterea tamen non eſt liber ad faciendum ea quæ ſunt impia & iniuſta, adeoque & factu illicita. Abraham utiq; non fuit ſub pædagogio Moſis: inde tamen non conſequitur, fuiſſe eum liberum ad faciendũ ea quæ ſunt impia & iniuſta. Impium autẽ eſt habere deos alienos, colere ſimula-

ſimulacra, nomen Dei blaſphemare, Sabbathum prophanare: & iniuſtum eſt dehoneſtare parentes, occidere, adulterari, &c. Quare etiamſi non eſſet iſte Decalogus per Moſen rudi populo præſcriptus, peccaſſet tamen Abraham, ſi hęc perpetraſſet, atq; etiamnũ tam Iudęus quàm Chriſtianus, faciendo iſta peccaret. Abraham & Chriſtianus, quia ſerui ſunt nõ peccati, ſed iuſtitiæ: Iudæus, quia faceret contra legem, cui ſeſe ad obediendum ſubiecit. Chriſtianus nõ eſt ſub Moſe, ſed ſub Chriſto. Si hęc Chriſto nõ diſplicent, ſi non ſunt aliena, imò cõtraria ipſius legi, ſi non repugnãt iuſtitię, quam ab eo accepimus, liberum ſit Chriſtiano, ut ea faciat. Si uerò alieniſsima ſunt à ſpiritu, uerbo, regno, iuſtitia & uita Chriſti, quomodo dicit Chriſtianus: Si nõ ſum ſub Moſe & lege Moſis, ergo liberè poſſum habere deos alienos, colere ſimulachra, & facere omnia quæ in Decalogo prohibentur? Faciunt hęc qui ſerui ſunt peccati, nõ qui ſerui ſunt iuſtitiæ. Puero qui ſub pædagogo eſt, præſcribitur magno ſerio, ut ſit timens Dei, parentibus debitum honorem exhibeat, mendacia, furta, detractiones, uerba ſcurrilia, laſciuiã, &c. fugiat. Donec ſub pædagogo eſt, hiſce legibus inſtituitur & ducitur. Pòſt ubi ad tempus maturæ ætatis ac libertatis peruenit, & iam non amplius pædagogi eſt magiſterio ſubiectus, licebítne illi, ac liberum erit Deum non timere, parentes contemnere, occidere, ſcortari, furari, mentiri, &c. Haudquaquam. Imò hæc faciens grauius peccat, quàm ſi feciſſet adhuc ſub pędagogo conſtitutus. Ad hũc modum comparata eſt eorum conditio, qui non ſunt ſub pędagogo Moſe, ſed ſub Chriſto. Quare Chriſtianus faciens contra ea quæ prędcepta ſunt in Decalogo, enormius peccat, quàm ſi hoc ſub lege conſtitutus faceret: tã abeſt, ut liber ſit ab ijs quę illic præcipiuntur. Etenim tametſi liber eſt à Moſe, haud tamẽ liber eſt ab obedientia Chriſti ac ueræ iuſtitiæ. Etſi Moſes non damnat, ipſa tamen inobedientia Chriſto & uerę iuſtitiæ repugnans, præuaricatorem, & cœleſtis gratiæ conculcatorem multo damnat grauius, quàm à Moſe damnantur, qui pædagogiæ ipſius ſunt immorigeri.

Adhuc dicet quiſquam: Si Decalogus pertinet ad pædagogiam Moſis, Chriſtiani uerò nõ ſunt ſub Moſe, ſed ſub Chriſto: unde obtinuit inter Chriſtianos, ut Decalogus ſit pars aliqua Chriſtiani catechiſmi? Reſpondeo: In eccleſia Chriſtianorum ſunt neophyti ac paruuli, ſunt adulti ac ſenſu rerum ſpiritualium ſolidius imbuti. Propter neophytos & paruulos, tanquã rudes adhuc & inexercitatos, opus eſt miniſterio catechiſmi, quo tradatur, idq; compendio aliquo, quid credendum, quid uiuendum, quidq; ſit, & quomodo, & ad quem orandum. Huc delectæ ſunt formulæ rudibus & neophytis aptæ. Formula fidei comprehenſa eſt ſymbolo, quod uocamus Apoſtolicum. Formula uiuendi ſumpta eſt ea, quæ Decalogo continetur. Et plurimum poterat ea facere ad hoc, ut Iudæi facilius eccleſiæ Chriſtianorum cõiungerẽtur, niſi rę cęcitate inuincibili impedirentur. Formula orandi uſurpata eſt ex traditione Dominica. Quòd itaq; eccleſia etiamnum utitur Decalogo, nõ eſt ex eo quòd agnoſcat ſe ſubeſſe adhuc pædagogiæ Moſaicæ, ſed quòd uiſa eſt formula hæc Decalogi conuenire ruditati ac captui neophytorum ac rudium. Adultioribus in fide ſatis eſt ſcire hanc ſummam, Diligas Dominũ Deum tuum ex toto corde, & proximum ſicut teipſum: rudioribus uerò opus eſt, ut explicatiore aliqua formula inſtituantur. Quare tam abeſt, ut damnemus uſum Decalogi, ut admodum etiam laudemus eorum ſtudium & diligẽtiam, qui primi illum ad catechizandum neophytos uſurpandum eſſe iudicarunt.

Quare Decalogꝰ pars ſit Chriſtiani catechiſmi.

DE FOEDERE AC TESTAMENTO DEI.

QVONIAM in ſacris ſcripturis frequenter occurrunt ad fœdus ac teſtamentũ Dei pertinentia, non immeritò conſiderationi illorum locum hunc aſsignamus. Arbitramur autem nos hoc facere non incommodè poſt locum de Lege, quæ & ipſa diuini fœderis pars eſt.

Principiò, trita ſunt in ſcripturis uocabula iſta, fœdus, pactum, teſtamentũ, quæ Latinus interpres indiſcriminatim uſurpauit. Ebręæ literæ perpetuò habent uocem ברית, Græcæ uerò διαθήκην. Sonat uox Ebræa fœdus & pactum, Græca cõſtitutionem & pactum. Quid autem fœdus ſit & pactum, notius eſt quàm ut ſit annotandum. Teſtamenti uerò uox communiter uſurpatur de eo quod à morituris certis hominibus hæreditario legatur. Fœdus & pactum nõ requirit ad confirmationem ſui mortem teſtatoris: requirit uerò teſtamentum. Imò fœdera & pacta inter homines morte diſſiliunt, & irrita reddũtur, cùm teſtamenta non niſi morte confirmentur. Et præterea fœdera & pacta iureiurando confirmantur, quod nemo ſenſatus in teſtamento requirit. Quare multum diſcriminis eſt inter fœdus & teſtamẽtum. Quod autem uocula Teſtamenti inter Chriſtianos tam eſt facta frequens & trita, reſpectu Chriſti factum eſt, cuius morte tanquam mediatoris ac teſtatoris, redemptionis noſtræ gratia confirmationem eſt adepta.

Fœdus, pactũ, teſtamentum, διαθήκη. ברית

Deinde

Deinde cõsiderandum est, quòd Deo in scripturis fœderis & pactorum obligatio tribuitur. Stupendum planè est, quòd infinita illa maiestas, cuius uoluntatem & potestatem cõuenit esse omnium liberrimam, ad normas sese pactorum obligare & obstringere dignatur, cùm nulla hoc necessitate adacta, nec spe cõmodi alicuius illecta faciat. Bonus est. At poterat bonitatẽ suam libero arbitratu absq; ulla fœderis obligatione in quos uellet declarare, & à quibus uellet retrahere. Verùm uoluit nobis esse cognitũ, quid de illa nobis pelliceri debeamus. Potuit hoc efficere simplici uerbo & promissis absq; iurisiurãdi obligatione, uerùm consiliũ fuit animos nostros in fide erga se & omnimoda fiducia obligatione fœderis ac iureiurando confirmare. Hoc enim pacto immobilitatem consilij sui erga nos testatã facere ad hoc uoluit, ut per duas res immobiles, promissionẽ ac iusiurandum, quandoquidem impossibile est mẽtiri Deum, solatium habeamus omnium fortissimum, ad quod in omnibus tentationibus cõfugiamus, speique nostræ ad finem usque retinendæ corroborationem quæramus. Sine hac fidelis animi fiducia ex ueritate ac firmitudine diuini fœderis concepta, fieri nõ potest, ut diuinæ bonitatis in sempiternum participes efficiamur. Hanc itaq; potissimam arbitror esse rationem, propter quam infinita illa ac sempiterna diuinæ maiestatis bonitas fœdus inire nobiscum uoluit, quam utinam ex animo complectamur, & nunquam in nobis incredulitate & ingratitudine irritam reddamus.

Stupendũ esse quòd Deus fœdus inijt cũ hominibus.

Ratio diuini fœderis

Tertiò, fœdus Dei duplex inuenio. Generale unum, speciale ac sempiternum alterum. Generale est, quod pepigit cũ uniuersa hac terræ machina, omnibusq; illam inhabitãtibus, tam bestijs quàm hominibus: cum die etiam & nocte, hyeme & æstate, frigore & æstu, semẽte ac messe, &c. De hoc fœdere Gen. 9. sic legitur: Ecce ego statuo pactum meum uobiscum, & cũ semine uestro post uos, & ad omnem animam uiuentem, quæ est uobiscum, tam in uolucribus, quàm in iumẽtis ac pecudibus terræ, & cunctis quæ egressa sunt de arca, & uniuersis bestijs terræ. Statuam pactum meum uobiscum, & nequaquam ultrà interficietur omnis caro aquis diluuij, neq; erit deinceps diluuium dissipans terram, &c. Et cap. 8. Nequaquã, inquit, ultrà maledicam terræ propter homines, &c. Cunctis diebus terræ sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non cessabunt. Et Hier. 33. Sic dicit Dominus, inquit: Si relaxabitur fœdus meum cum die, & fœdus meum cum nocte, ita ut non sint dies & nox in tempore suo, &c. Fœdus hoc generale est, quia totum orbem complectitur, terrenumq; uocari potest ac temporarium, propterea quòd terrenarum rerum stabilitatem cõcernit, quemadmodum ex uerbis ipsis patet, nec durat ultra mundi huius statum aliquando interiturũ. Huius non ob id admoneo, ut tam insignem, tam conspicuam, tamq; generalem creatoris nostri gratiam, sine qua mundus durare non poterit, propterea contemnamus, quòd terrena est & temporaria. Absit. Planè indignus est sempiternis bonis, qui terrena ac temporaria depreciat. Imò ingratus est dono uitæ suæ, ac indignus hoc aere quem quotidie spirat.

Duplex fœdus Dei.

Generale.

Fœdus speciale est ac sempiternum, quod cum electis ac credentibus sancire dignatus est. De hoc fœdere legitur Genes. 17. ad hunc modum: Non uocabitur ultrà nomen tuũ Abram, sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te, faciamq; te crescere uehementissimè, ac ponam te in gentibus, regesq; ex te egredientur. Et statuam pactũ meũ inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus tuis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te, &c. Fœdus hoc speciale est, propterea quòd non pertinet ad omnes, sed ad electos ac credentes duntaxat, Abrahamum uidelicet, tanquam patrẽ credentium, & semen illius. Semen autem Abrahæ sunt non modò Israelitæ secundum carnẽ, si sint fideles, sed & omnes illi qui ex gentibus sunt credentes in Christum, & ad uitam æternã electi. Sic apostolus Rom. 9. dicit: Non qui filij carnis, hi sunt filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Et Gal. 3. Si uos Christi estis, ergo semẽ Abrahæ estis, secundũ promissionem hæredes. Et hanc ob causam in hoc ipso fœdere mutatum est Abrahæ nomen, ac uocatus nõ amplius Abram, id est, pater excelsus uel magnus: sed Abraham, id est, pater multitudinis, gentium uidelicet, sicuti Deus ipse exponit, dicens: Nec ultrà uocabitur nomẽ tuũ Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multitudinis gentium constitui te. non dicit, Quia patrem multitudinis gentis, ne ad multitudinem carnalis Israelis referas, sed in plurali גוים, id est Gentium constitui te, ut innuat constituere se illum in patrem omnium eorũ qui tam ex gentibus, quàm ex Israele promissis ipsius erant adhæsuri. Nimis carnaliter sapiunt, nec spiritum uerborum dei intelligunt, qui fœdus hoc ad carnalem Israelem referunt. Etiam ex Iudæis nõnulli agnouerunt constitutũ esse Abrahamũ hoc præsenti fœdere in patrẽ totius mundi, id est, omniũ gentiũ quæ in mundo sunt, sicuti uidere est in מסכת בבריים, id est, in libro primitiarũ. Hoc aũt in Christo impletur, uero semine Ahrahę, in quo ille secũdũ nomẽ suum pater est multitudinis gentiũ factus. Ad Christi aduentũ usq; fuit amplitudo fœderis huius abscondita, ac tũ demũ reuelata, cũ tẽpus gratiæ reuelandæ adueniisset. Carnalis Israel etiamnũ cæcus, & magis ad Abrã q̃ ad Abrahamũ respiciẽs, quoniã mysterij huius ignarus est, uocationi Gentiũ, hoc est, fœderis huius amplitudini & adimpletiõi diuini cõsilij ptinaciter resistit. Nõ agnoscũt miseri, qd hic est à Deo cũ Abrahamo cõstitutũ in sola ipsorũ carne, quã

Fœdus speciale quod sit.

Quare speciale uocetur.

Quare Abrahæ mutatum sit nomen.

Iudæi magis ad Abram, quã ad Abrahamũ respiciunt.

tumuis

tumuis de illa propter prærogatiuam Abrahæ uehementer glorientur, adimpleri non posse, sed omnino requiri, ut referatur ad omnes gentes, quotquot fidem promissionis de Christo semine Abrahæ amplexantur.

Dum igitur fœdus hoc Dei cum Abrahamo ac semine eius initum speciale uoco, nõ sic intelligendum est, quòd illud ad unam duntaxat Israelis gentem ex carne Abrahæ prognatam pertinere censeam: sed quòd illo electos tantùm ac credentes in Christum, tanquam uerũ semen Abrahæ & filios promissionis comprehendi constat. Quòd si quis illud generale & uniuersale uocandum censet, quatenus nullam totius orbis gentem excludit, sed omnes in uniuersum complectitur, qui semini Abrahæ Christo Domino credendo adhęrent, per me licet hoc faciat. Ego speciale uoco, respectu prioris fœderis, quòd omnem mundũ, homines & bestias sic comprehendit, ut nihil discriminet inter electos ac reprobos, credentes & incredulos, sed indiscriminatim & homines & bestias includat. Deinde & respectu reproborum & incredulorum, quos fœderis huius gratia non recipit.

Fœdus sempiternum.

Sempiternum quoq; fœdus hoc uocatur. In generationibus eorum, inquit, fœdere sempiterno. Sempiternũ quid est aliud, q̃ semper durans & infinitũ? Aeternitas aũt ista non est absolutè inspicienda, sed ad fœdus & fœderis participes, Deũ uidelicet & confœderatos illius referenda, in quibus, uel si mauis, inter quos fœdus hoc durat in sempiternum. Pulchrè coniunxit hæc duo: primũ, in generationibus eorum: deinde fœdere sempiterno, ut perpetuam per omnes generationes fidelium, fœderis huius continuationem exprimeret.

Duæ partes perpetuitatis.

In ista perpetuitate duo sunt consideranda. Vnum est, accessio: alterum cõtinuatio. Accessionem uoco, qua ad fœdus hoc perueniunt, qui non sunt de carne Abrahæ, sed aliunde inseruntur: continuationem uerò, quæ fit per generationes eorum qui semel ad gratiam hãc sunt assumpti. Etenim sine ista insitione fœderis huius gratia in solo carnali Israeli locum haberet, quandoquidem per generationes confœderatorum continuatur. Igitur quemadmodũ fidelis Abraham promissis Dei credens ad fœderis huius gratiam sic est assumptus, ut particeps illius esset non ipse tantũ, sed & ipsius semen post ipsum, per omnes generationes continuatione perpetua: consimili modo & omniũ eorum conditio habet, qui aliunde ad hanc gratiã uocati, per fidem in fœdus hoc sempiternum inseruntur, ut non sit Abraham in hoc fœdere pater duntaxat, sed & exemplar credentium, in quo non solùm continuationis, quæ per generationes est, perpetuitas, sed & modus accessionis declaratur. Accedunt adulti per fidem, & inseruntur in fœdus hoc æternum ad exemplum adulti Abrahæ. Sic ad fœdus hoc accesserunt maiores nostri, cum primũ ad regnum Christi uocati, uocationi credendo paruerunt, & credentes signo sunt fœderis initiati. Deinde quoniam non modò cum adultis credentibus, sed & cum semine illorum fœdus hoc pacisci uoluit Deus, simul uoluit, ut per omnes illorũ generationes successione seminis indesinẽter & perpetuò, donec durat hoc seculum, in quo locum habent humani generis generationes, propagetur & continuetur.

Simile.

Habet itaq; fœderis huius conditio perinde ac si rex quispiam ciuitatem initiò condat, & in hanc ciues sic assumat, ut non modò qui assumũtur initiò, iure ac prærogatiua ciuitatis potiantur, donec uiuunt: sed & post hos etiam alij assumi, eodemq; iure ciuitatis cum prioribus gaudere possint: deinde & filij ac posteri eorum in hac ciuitate nati, perpetua cõtinuatione per omnes ipsorum generationes ciuilis sint societatis ac prærogatiuę participes. Sic est cõparata ciuitas hæc sancta, à Deo condita, ac fœdere sempiterno pro sua bonitate donata.

Capita fœderis duo.

Quartò, capita fœderis huius duo sunt. Vnum, quod Deum, alterum quod fœderis consortes cõcernit. Ad partes Dei pertinet, quod subiũgit: Vt sim Deus tuus, & seminis tui post te. Caput hoc est omnium eorum quæ ad felicitatem referri possunt, tam sempiternam quàm tẽporariam. Etenim Deum alicuius esse, est illius esse non modò creatorem, sed & seruatorem. Primariũ hoc est fœderis caput. Fœdus ipsum sic sancitũ est, ut sit æternum. Ergo & capita illius æterna esse oportet, quod ad substantiam illorum pertinet. Est itaq; Deus Abrahæ ac seminis eius Deus non uno & altero tantũ seculo, sed in sempiternũ. Id quod non est duntaxat ad continuationem ac seriem generationum, sed etiam ad unumquodq; confœderatorũ individuũ referendũ. Etenim gratiam fœderis huius, qua Deus ille omnipotens, æternus & infinitus, Deus meus esse dignatur, non terminatur morte mea, quasi ad præsentis uitæ cursum restringatur, sed durat in æternum, ut etiam post mortem meam sit Deus meus: hoc est, fidẽ, ueritatem, bonitatem & gratiam suam in me in futura quoq; uita declaret. Oportet ergo, ut haudquaquam inteream morte, sed uiuam primũ spiritu: deinde & corpore & spiritu in sempiternũ. Hinc illud est argumentum Christi contra Sadducæos futuræ resurrectionis negatores, Matth. 22. quo dicit: De resurrectione aũt mortuorũ non legistis, quod dictũ est à Deo dicente uobis: Ego sum Deus Abrahę, Deus Isaac, & Deus Iacob. Nõ est Deus mortuorũ, sed uiuẽtiũ. Si nõ est Deus mortuorũ, sed uiuentiũ, est aũt Deus meus fœdere sempiterno: cõsequitur omnino, ut ne mortuus quidẽ corpore, exors ab hoc sim fœdere futurus, adeoq; necesse est, ut uiuã in sempiternũ. Perpetuitas fœderis huius trinã ęternitatẽ includit Dei, uidelicet paciscẽtis, deinde cõfœderatorũ, tertiò gratię, quę uigore pacti huius ꝓponitur & cõfirmatur.

Capita fœderis Dei sunt æterna.

Gratia fœderis Dei nõ terminatur morte.

Trina æternitas in fœdere Dei.

Alterum

2. caput fœderis.

Alterum caput fœderis huius ſpectat ad confœderatos. Hoc ſic eſt expreſſum: Ambula coram me, & eſto integer. Quemadmodum caput Deo conueniẽs ſummariè in eo proponitur, quòd dicit, Vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te: ita & alterum caput pertinens ad confœderatos in hac particula ſummariè propoſitum eſt, qua dicit: Ambula coram me, & eſto integer. Illud includit omnis generis beneficentiam & fidem Dei, cũ ad præſentem, tum ad futuram uitam pertinentem: iſtud continet omnia ad ueram fidem noſtram, obedientiam, religionem, animi ſinceritatem, cordis fiduciam & dilectionem ſpectantia.

Ambulare coram Deo.

Quid enim aliud eſt ambulare coram Deo, quàm uiuere in conſcientia Dei ueluti ſub oculis illius, ad morem ſeruorum à nutu dominorũ ſuorum perpetuò pendentium? Et integrum eſſe, Ebraicè תמים, nihil eſt aliud, quàm corde eſſe ſimplici, fideli, candido & recto. Qui ſic eſt animatus, nihil recuſabit omnium eorum quæ Dominum Deum ſuum uelle, uel ex nutu, nedum uerbo illius cognouit. Hæc demũ eſt uera pietas, qua ſola Deo probamur, ac uerus illius cultus, quem nunquam præſtare poterunt, qui à fidei huius ſunt ſpiritu alieni.

Horum itaq; conſideratione planè conſtat, unicum eſſe fœdus Dei, quod ſalutem noſtram uerá & perpetuá concernit, quo omnes electi & credentes ad finem mundi uſq; cõprehendũtur, quodq; ut perpetuum eſt, ita & immutabile exiſtit. Deus eſt unus, æternus & immutabilis: propoſitum uoluntatis eius ab æterno ad ſalutem humani generis deſtinatum, & ipſum unum eſt, immutabile & æternũ. Et ipſa uera pietas ſibijpſi ſeculis omnibus conformis eſt, imò planè eadem. Quare unicum ſit & æternum hoc fœdus neceſſe eſt, & oportet ut ad illud referantur omnia, quæ in ſacris ſcripturis de capitibus ſalutis noſtræ leguntur.

Obiecta quædam.

1 Sunt tamen quędã, quæ huic ſententiæ repugnare uidentur, de quibus obiter inſtruẽdus eſt lector. Principiò contra id quod fœdus hoc Dei cum Abrahamo ac ſemine eius initum ad oẽs electos ac credentes pertinere dicimus, obijci poſſe uidetur de Adamo, Habele, Seth, ac reliquis pijs, qui inde ab initio mundi uſq; ad tempora Abrahæ uixerunt: quæriq; quônam illi fœdere diuinæ gratiæ participes facti ſint, uel quomodo ad hoc fœdus Abrahæ pertinere queant Reſpondeo: Duorum capitum, quæ primaria ſunt in hoc fœdere, perinde abſq; manifeſta fœderis pactione participes fuerunt omnes pij & electi, ante tẽpora Abrahæ, atq; Abraham ipſe cum poſteris ſuis per expreſſum fœderis huius pactum. Habuerunt illi promiſsionẽ gratiæ Adamo & poſteris eius de ſemine mulieris, Chriſto uidelicet, factam, cui tanquam fidei ac ſpei ſuæ fundamento ſunt innixi. Habuerunt diuinas apparitiones, quibus ſubinde in ea fide ac pietate confirmabantur. Quare quòd expreſſum poſtea fœdus cum Abrahamo tanquam patre credentium ſancitum eſt, non ſic intelligi debet, quòd tum ſit noua quædã & antea inuſitata ſalutis noſtræ gratia introducta, abſit: ſed quòd ea ipſa, per quam priſci ſancti ac maiores Abrahæ, cùm ante, tum poſt diluuium ſalutem ſunt conſequuti, etiam fœderis eſt ac ceſsione expreſsior & confirmatior reddita.

De pijs, qui ante tempora Abrahæ uixerũt

Obiecto. De annexis fœderis.

2 Deinde habet fœdus hoc Abrahæ annexa quædam, quæ non poſſunt ad omnium ſeculorum & gentium pios fideleſq; homines pertinere. Quale eſt hoc ipſum fœderis ſignũ, circunciſio uidelicet carnis, deinde & promiſſa hæreditas terræ Canaan. Videtur aũt etiam ipſum fœdus non conuenire niſi illis, quibus utraq; & circumciſio & promiſſæ terræ hæreditas cõuenit, Iudæis ſcilicet tanquam poſteris Abrahæ, qui & circunciſi ſunt, & terram Canaan ſeculis aliquot poſſederunt. Quum itaq; fideles qui ante tempora Abrahæ, & qui poſt abrogationem legis Moſaicæ in nouo Teſtamento credunt in Chriſtũ, nec circunciſionis, nec terrę Canaan ſint participes, uidetur fœdus hoc Abrahę non pertinere ad illos, ideoq; nec unicũ eſſe, nec ſempiternum omnium fidelium fœdus. Reſpondeo: In fœdere hoc Abrahæ diligenter ac ſobriè diſcernendum eſt inter ea quæ ſunt ſubſtantialia, & ea quæ ſunt acceſſoria. Subſtantialia ſunt: Ego ſum Deus tuus, & ſeminis tui. Item, Ambula coram me, & eſto integer. Hæc ſunt æterna & catholica, hoc eſt, ad omnes fideles pertinentia. Acceſſoria ſunt, ſignũ adiectũ fœderi, circunciſio illa carnis, & promiſsio terræ Canaan. Iſta nec ſunt æterna, nec catholica, ſed temporaria, & ad populum Iſraelis pertinentia. Voluit Deus gentem carnis Abrahæ, unde proditurus erat Chriſtus, ſemen benedictionis, mediator ac redemptor generis humani, tantiſper à reliquis eſſe nationibus ſeparatam, donec tempeſtiuũ eſſet, ut totus orbis ad unitatẽ fidei in Chriſto uocaretur, & unus fieret paſtor, & unũ ouile. Quapropter fœderi huic Abrahę adiecit iſta tẽporaria, circunciſionẽ, promiſsionẽ terræ Canaan, poſtea etiã legem & ſacerdotiũ cæremoniale: quæ omnia ad hoc faciebant, ut eſſent ei genti pędagogia quędã in Chriſtũ: qua de re ſuprà monuimus in loco de Lege. Propter Chriſtũ inſtituta fuit omnis iſta politia eccleſiæ Iſraelis, ut eſſet externa quędam eius populi eccleſia, ſignis, promiſsionib. lege, ſacerdotio, ac terra quoq; à reliquis gentibus diuiſa, in qua paulatim nomẽ unius ac ueri Dei clarescęret, & ad exortũ uſq; Chriſti tanq̃ catholicę lucis, figuris & uaticinijs futura generis humani redẽptio adumbraretur. Quare externa iſta tẽporaria annexa, prudenter ſunt à ſubſtantia fœderis unici ac æterni ſeparanda, ne uel quod æternũ eſt & catholicũ, unà cũ illis temporarium & Iudaicũ: uel quod temporariũ & Iudaicũ eſt, æternum & catholicũ faciamus. Etenim niſi ad hunc modum inter ipſam fœderis ſubſtantiam, & ea quæ ad tempus illi fuere annexa,

Diſcernẽdum inter ſubſtantialia & acceſſoria.

ſcitè

ſcitè diſtinxerimus: conſequetur neceſſe eſt, ut uel contra expreſſum oraculum negemus fœdus Dei cum Abrahamo tanquam patre credentium initum, eſſe æternum, & cõpleri in Chriſto: uel adigamus omnes totius orbis nationes ad obſeruantiã circunciſionis, Moſaicæ legis, ſacerdotij Aaronici, & ad incolatum terræ Canaan, & promiſsi Chriſti expectationem: hoc eſt, ad Iudaiſmi cæcitatem, & præſtitæ redemptionis abnegationem.

Obiectio. De fœdere Moſis, & noui Teſtamenti.

3 Tertiò contra id quod fœdus Abrahæ unicum & æternum eſſe dicimus, & illud pugnare uidetur, quòd poſtea ſub Moſe inſtitutum fuit fœdus aliud, quod durauit uſq; ad Chriſtum, & à Chriſto poſt Moſen nouum illud introductum eſt, ſub quo ad finem uſq; mundi credentes in illum uiuimus, & credendo ſeruamur. Vnde apparet uerius tria eſſe fœdera, quàm unicum tantùm, Abrahæ uidelicet, Moſis & Chriſti. Certè Apoſtolus ad Galatas quarto, duo teſtamenta, id eſt, duo pacta ponit: unum quod in monte Sina, alterum quod in Sion ſit inſtitutum: ut non ſit præter rationem, quòd ante Chriſti aduentum uetus fuiſſe, poſt illum nouum teſtamentum eſſe communiter ſentitur: ſic ut & ſcriptura Moſis & prophetarum uetus, Euãgeliſtarum uerò & Apoſtolorum nouum Teſtamentum uocetur, & in Epiſtola ad Ebræos tam multis de abolitione ueteris Teſtamenti diſputetur: deniq; & Apoſtolus 2. Corinth. 3. ueteris & noui Teſtamenti mentionem faciat.

Tria tempora principalia, et tres perſonæ,

Reſpondeo: Non repugnant iſta ſententiæ noſtræ, ſi rectè cõſiderentur. Sunt quidem tria tempora principalia, quibus totus mundus comprehenditur: utpote, primum quod fuit ante legem, ſecundum ſub lege, tertium poſt legem. Deinde ſunt tres inſignes perſonæ, ueluti ſingulorum temporum duces, Abraham, Moſes, Chriſtus. Et habet unumquodq; tempus ſingularem ſuam religionis diſpenſationem, quæ etiam in ſcripturis ברית, id eſt, pactum uel fœdus uocatur. Inde tamen non conſequitur, eſſe tria fœdera ſubſtantialia, ſalutẽ generis humani concernentia. Vnus eſt Deus & pater omnium, qui ſuper omnes eſt, & per omnia, & in omnibus. Vnus eſt Dominus ſeruator & redemptor omnium Chriſtus Ieſus, unus eſt ſpiritus ſanctus, unum eſt regnum electis ac benedictis inde ab origine mundi paratum, una eſt uocationis cœleſtis gratia, una eſt fides, una ſpes uitæ æternæ, unũ eſt corpus, unus populus, & una eccleſia electorũ catholica propterea dicta, quòd ab initio mundi ad finem uſq; uniuerſos cõprehendat electos & fideles: & unicum eſt ac perpetuũ fœdus Dei cũ electis omnibus ſanctum & firmatum, & una eſt & perpetua pietas & iuſtificatio credentium. Verùm diſpenſatio unius fœderis, gratiæ, fidei, eccleſiæ, religionis ac pietatis non eſt unica & perpetua, ſed ſecundum qualitatem temporum pro conſilio diuinæ ſapientiæ aliter atque aliter inſtituta. Aliter ante legẽ, aliter in lege, aliter poſt legem. Aliter in pueritia, aliter in iuuentute, aliter in uirili ætate inſtituuntur ac gubernantur homines: iuſticia tamen, innocentia & honeſtas ubiq; ſpectatur non diuerſa, ſed eadem. Eodem fœdere Abraham, Moſes & Apoſtoli cœleſtis ſunt gratiæ participes, eadem fide iuſtificati ac ſeruati.

Nouum fœdus nouum initiationis Sacramẽtum poſcit.

Quòd itaq; poſt fœdus cum Abrahamo ſancitum, ſub Moſe inſtitutum eſt pactum legale ac ſacerdotale, non ſic intelligi debet quòd aliud fœdus à priori ſit introductum, & Abraham Moſi cedere iuſſus: ſed quòd prioris fœderis diſpenſatio, quæ ante legem ſola circunciſione, ſacrificijs, & angelorum apparitionibus conſtabat, propter populi multiplicationem, & uicinam terræ Canaan poſſeſsionem, acceſsione legis, ſacerdotij determinati, & uariorũ rituum auctior ſit & amplior facta. Quòd ſi nouum ſub Moſe fuiſſet conſtitutum fœdus, adiectum etiam fuiſſet nouo fœderi nouum initiationis ſacramentum: id quod nullo modo factum eſt, ſed retentum priſci fœderis priſcum ſignum, circunciſio uidelicet fœderi Abrahæ iam olim ad tempus adiecta. Manſit itaque perpetuitas fœderis Abrahæ uſq; ad Chriſtum. Quod uerò nouum eſt teſtamentum à Chriſto poſt Moſen inſtitutũ, nec ipſum ad hoc factum eſt, ut unicum illud & æternum fœdus Dei ſucceſsione noui terminaretur: ſed ut adimpletione promiſſorum per ſanguinem ſeminis benedicti confirmaretur. Etenim æternum illud omnium fidelium fœdus in ſemine Abrahæ, quod Chriſtus eſt, ſtabilitur, & omnem ſuam efficaciam conſequitur. Quod promiſſum fuerat Abrahæ ac reliquis patribus de ſemine benedicto, in lege figuris & umbris delineatum, & à prophetis prædictum, poſt legem eſt à Chriſto adimpletum ac præſtitũ. Cum itaq; Chriſtus fœdus Abrahæ haudquaquam ſuſtulerit, ſed potius cõfirmauerit, manifeſtum eſt non eſſe ne ab illo quidem aliud fœdus introductũ.

Obiectio de baptiſmate Chriſti.

Sed dices: Si aliud fœdus aliud fœderis ſignum poſcit, cõſequitur aliud fœderis ſignum, alterius eſſe fœderis argumentum. Inſtituit autem Chriſtus in nouo ſuo Teſtamento ſignum aliud à priori. Neq; enim circuncidi nos, ſed baptizari iuſsit. Ergo & aliud fœdus à priori inſtituit, id quod Moſes non fecit. Reſpondeo: Moſes diſpenſator fuit eorum, quæ adminiſtranda erant in gente Iſraelis, carnali ſemine Abrahę. Quare non conueniebat, ut circunciſionem ei genti peculiariter impoſitam, nouo ſigno mutaret, quæ durare debebat, donec ueniret ſemen benedictum Abrahæ promiſſum: Chriſtus uerò licet eſſet eiuſdem fœderis, Abrahę mediator & cõfirmator, circunciſionẽ tamen baptiſmate mutauit: propterea quòd noua illa diuini pacti diſpenſatio non iam unam tantùm Iſraelis gentem, ſed uniuerſas totius orbis nationes concernebat. Diuerſitas ac nouitas diſpenſationis, nõ ipſius fœderis mutatio, cauſam dedit mutãdi

ſigni non modò in ſacramento initiationis, ſed & in ſacramento redemptionis. Arbitror ſi hæc diligenter conſiderentur, manifeſtum relinqui, non eſſe fœdus ſalutis, niſi unicũ & æternum illud, quod cũ Abrahamo, patre credentium, diuinitus inſtitutum eſt, & omnes omniũ ſeculorum electos & credentes catholica gratia complectitur: inq; uno Chriſto ſemine bene dicto, communi omnium redemptore abſoluitur, & efficaciam ſalutis ſortitur.

DE DISCRIMINE VETERIS AC NOVI TESTAMENTI.

Quomodo uetus Teſtamentum dicatur.

1 DE uoce teſtamenti dixi ſuprà. Conuenit illa nouo quidem pacto propter mortem Chriſti teſtatoris: uerùm ueteri ac legali non item.

2 Deinde, cùm uetus Teſtamentum uel pactum uocamus, non debemus reſpicere ad pactum Abrahæ, ſed ad Moſaicam legislationẽ. Hanc uocat Apoſtolus 2. Corinthiorũ tertio, παλαιὰν διαθήκην, id eſt, uetus pactum, uel ueterem cõſtitutionem, ad quam pertinent quæ capite illo de ueteri Teſtamento diſputat. Vocatur autẽ uetus, non quòd ſit primum & antiquius, id quod illi fœdus Abrahæ non permittit, ſed reſpectu noui: uetus & nouum reſpectu huius nouum apellatur, propterea quòd antiquato illi ſucceſsit. Habent enim hę duę perpetui & æterni fœderis diſpenſationes eam inter ſe relationẽ, ut illa uetus, reſpectu huius nouæ: iſta noua, reſpectu illius ueteris & antiquatæ dici cœperint. Etenim quicquid antiquatur, aut prorſus terminatur & annihilatur, ut nihil de illo ſuperſit amplius, aut in aliud mutatur, ac uelut innouatur. Nihil autem innouatur, niſi ſucceſſione noui: quod ipſum tamen non modò in ſe, ſed & reſpectu præcedentis conſideratum, nouum uocatur. Si pactum Moſaicum prorſus annihilaretur, noui ſucceſsionem non reciperet. Quare quod Ebræorum octauo legitur ad hunc modum: Dicendo nouum, ueterauit prius. Quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt: non ſic debet intelligi, quòd ſubſtantialia Moſaici pacti prorſus ſint in nihilum redacta, abſit: ſed quòd acceſſoria illius ſucceſsione ſunt nouæ diſpenſationis abrogata. Eam abrogationem, de qua ſuprà diximus, uocat Apoſtolus antiquationem & interitum. Succeſsio hic gemina eſt: una perſonarum, altera diſpenſationis. Prima, ſucceſsit Chriſtus Moſi, Dominus ſeruo, doctor uitæ pædagogo, exactori liberator ac ſeruator: altera, ſucceſsit diſpenſatio Euangelica diſpenſationi legali. Vtroque nomine teſtamentum Chriſti, teſtamentum uel pactum nouum uocatur. Quando in ciuitatibus imperialibus ac liberis Senatus alteratur, ſicuti quotannis fieri ſolet, qui ab officio Senatorio amouẽtur, uetus: & qui illis ſuccedunt, nouus Senatus appellantur, etiamſi uetus gubernationis ſtatus maneat: quanto magis nouitatis uox locum habet, ubi non modò perſonæ ἀρχόντων mutantur, ſed & priſcæ gubernationis modi, formulæ, leges & iura ſucceſsione nouæ moderationis alterantur? Sic habet & conditio duorum iſtorum pactorum Moſis & Chriſti, ueteris & noui Teſtamenti.

Simile.

Diſcrimẽ ueteris ac noui Teſtamenti.

Horũ cõſideratione facilè eſt uidere, quodnam ſit ueteris ac noui Teſtamenti diſcrimẽ. Si utriuſq; mediatores reſpicias, Moſen uidelicet & Chriſtũ, multũ inuenies diſcriminis. Moſes quidem fidelis erat in domo non ſua, ſed Chriſti, tanquam famulus in teſtimoniũ eorum quę dicenda erant: Chriſtus uerò tanquã filius in domo ſua, hoc eſt, ampliori gloria dignus, quo ampliorem gloriam habet is qui & fabricauit domum, & dominus in illa eſt, magis quàm qui in domo non ſua non dominatur, ſed tanquam ſeruus famulatur. uide Ebr. 3.

Veteris Teſtamenti diſpenſatio.

Si prętereа cõſideres qualis ſit utriuſq; Teſtamenti diſpenſatio, etiam hic plurimum differentię occurret. Queramus qualitatem totius in illius partibus. In ſeruili, umbratili ac temporaria diſpenſatione Moſaici pacti iſta fuerunt: Liberatio populi Dei ex ſeruitute Aegyptiaca cum triumpho ſuppreſsi Pharaonis. Introductio deinde & hæreditaria poſſeſsio terræ Chanaan. Legislatio in monte Sina per miniſterių angelicum, modum horribilem, literam, tabulas lapideas. Spiritus timoris in populo. Miniſterium mortis, ſacramenta, ſacerdotium externum cum determinatione tribus ſacerdotalis, ſacrificiorum, purgationum & ceremoniarum reliquarum, figuræ & umbræ & promiſsiones. Prætereа uniuerſa iſta diſpenſatio ueteris Teſtamenti temporaria fuit, & ad unum Iſraelis populum pertinuit.

Noui Teſtamẽti diſpenſatio.

Conferamus ad iſta noui Teſtamenti diſpenſationem. Hic quoq; liberatio eſt populi Dei: uerùm nõ ex aliqua terrena, ſed ſpirituali potius ſeruitute, peccati uidelicet & regni Satanæ. Eſt hic triumphus de hoſte ſuppreſſo, non Pharaone, ſed Satana ipſo. Eſt introductio ad poſſidendum non terram Canaan, ſed cœleſtis patriæ hæreditatem. Eſt legislatio facta non in Sina, ſed in Sion: non angelico miniſterio, ſed prętentia & diſpenſatione Dominica: non horrendis modis, ſed manſuetudine ſtupenda: non litera, ſed ſpiritu: non in tabulas lapideas inſculpta, ſed in corda electorum efficaciter inſinuata. Eſt hic ſpiritus idem, qui illic, ſi authorẽ: diuerſus uerò, ſi doni uarietatem inſpicias. Illic ſeruitus & timor, hic libertas & alacritas. Eſt hic miniſterium non mortis, ſed uitę. Sunt hic ſacramenta, non circunciſio, & agnus Paſcatis, quorũ cruenta erat adminiſtratio: ſed Baptiſmus & cœna Dominica, utraq; αἱμάτων ἄνευ. Etenim omnis

omnis ille ſacramentalis cruor in cruce Chriſti abſolutus quieſcit. Eſt hic ſacerdotiũ, uerùm non Aaronicum, non externum, non uni alicui genti uel tribui alligatum, ſed ſpirituale, & fidelibus omnibus commune. Eſt hic ſacrificiũ, & ipſum cruentum: uerùm non pecuariũ, ſed Dominicum: non repititum, ſed ſemel in cruce perfectum. Sunt hic purgationes, at non corporeæ, ſed internæ ac ſpirituũ. Sunt ceremoniæ, ſed paucæ & faciles, uerbi, ſacramentorum & precum. Illic erant figuræ, umbræ & promiſsiones: hic omnium iſtarum adimpletio. Poſtremò diſpenſatio iſta noui Teſtamẽti durabit ad finem aſq; mundi, nulli ſequenti, niſi cœleſti fruitioni ceſſura. Deinde non eſt uni alicui genti deſtinata, ſed amplitudinẽ ſuam ad omnes totius orbis nationes extendit. Quantum itaq; diſcriminis eſt inter ea quæ iam recenſuimus, tantum utiq; à ſe inuicem ueteris ac noui Teſtamẽti diſpenſationes differunt: ut manifeſtum ſit planè, uerùm eſſe quod Apoſtolus ad Ebr. cap. 7. Chriſtum multo melioris Teſtamenti mediatorem, quàm fuerit Moſes, eſſe dicit.

DE GRATIA DEI.

ARBITROR haud eſſe prẽter rectam theologicarum rerum ſeriem, ſi poſt explicationẽ Teſtamenti æterni locum de gratia Dei ſubijciamus: nõ quòd ordine prius ſit teſtamentũ quàm gratia, cùm illud ex hac promanauerit, ſed ut poſt riuum ad ipſum fontem accedentes, uideamus cui ſit deputandum æterni fœderis Dei conſilium. Plurimum enim ad iuſtam ſacrarũ rerum intelligẽtiam confert, ſi fontes ac radices illarum probè inſpexerimus.

Quid ſit gratia.

Principiò definiendum eſt quid ſit gratia, ne quis error admittatur in ipſo nomine: ubi uocum quæritur intelligentia, conſulendæ ſunt linguæ. Quod ſenſum huius uocis attinet, non ſunt conſulendæ peregrinæ linguæ, ſed hæ duę, quibus nobiſcum ſpiritus ſanctus, cùm in ueteri, tum nouo Teſtamẽto loquitur, Ebræa uidelicet & Græca. Quod nos in Latina uerſione legimus, nempe gratia, Ebræis eſt חן, & Græcis χάρις. Vſurpant autem Ebræi uocem חן, primùm pro uenuſtate & elegantia, ſiue illa inſit corpori, ſiue uerbis: quã uidelicet uel uidentes in corpore, aut opere, uel audientes in ſermone, cum delectatione quadam probamus, & plurimi facimus. Sic Prouerb. 31. legimus, שקר חתן והבל היפי, id eſt, Fallax gratia, & uana eſt pulchritudo. ubi חן, pro gratia illa, quæ ex uenuſtate muliebris formæ oculos ſpectantium incurrit, uſurpatur. Et hoc ſenſu aliquando & Græci χάριν uocãt, licet Septuaginta hic uerterint ἀρεσκείαν. Et Pſalmo quadrageſimoquinto: Effuſa eſt, inquit, חן, id eſt, gratia in labijs, hoc eſt, in uerbis tuis. Hic uocis iſtius ſenſus non eſt frequens in ſcripturis, quare non eſt nobis in hac præſenti materia ſequendus.

חן Venuſtas.

Deinde uocant Ebræi חן, fauorem, quo ex ſingulari quadam animi propenſione cuipiam bene uolumus. Sic Geneſis ſexto legimus, ונח מצא חן בעיני יהוה, id eſt, Et Noah inuenit gratiam in oculis Domini: quod nihil eſt aliud, quàm, Et Noah inuenit fauorem coram Domino. Et Septuaginta hic uerterunt χάριν. Hoc ſenſu pleriſq; locis Euangelicis & Apoſtolicis accipitur, ut Lucæ primo, εὗρες γὰρ χάριν. Et illud Pauli, χάρις καὶ εἰρήνη, & alij conſimiles illius loci.

Fauor.

Tertiò uſurpatur hæc uox pro dono, quod ex mera gratia datur. Hoc ſenſu utuntur Ebræi uerbo חנן. Sic Iacob ad Eſau fratrẽ de liberis ſuis dicebat: Pueri ſunt quos חנן, id eſt, largitus eſt Deus ſeruo tuo. Et Lucas Actorum undecimo de Barnaba dicit: Qui quũ uidiſſet τὴν χάριν τοῦ θεοῦ, gauiſus eſt. Donum Dei effuſum in credentes uidit. Et primæ Corinthiorum decimo ſexto Paulus: Hos mittam, inquit, ut perferant τὴν χάριν ὑμῶν in Hieruſalem. Et ſecundæ Corinthiorũ ſexto, Ne χάριν Dei in uanum recipiatis. Hi duo ſenſus uocis iſtius frequentiores ſunt in ſacris ſcripturis, præcipuè poſterior. Eſt igitur gratia, quatenus ad præſentem materiã requiritur, affectus ille fauoris, quo cuipiã bene uolumus ex animo, & quicquid fauoris huius ductu liberè & gratuitò abſq; ullius meriti uel debiti reſpectu donatur. Hæc definitio gratiæ diligenter retinenda eſt, ut probè intelligamus, ea quæ ſacra ſcriptura diuinæ gratiæ adſcribit. ne quo pacto ſeducti, gloriam gratiæ Dei euacuemus.

Donum.

Deinde uidendum etiam eſt, poſsit ne Deo affectus gratiæ tribui. Caro noſtra ubi audit Deum eſſe iuſtum, de gratia illius confeſtim dubitare incipit. Videntur enim rectitudo iuſticiæ & affectus gratiæ in eadem mente non poſſe conſiſtere. Iuſticia ſiquidem rigorem recti ac debiti requirit: gratia uerò ab hoc ſcopo diuertens ſæpenumero non modò immeritis, ſed & malè meritis impenditur. Sic caro ſentit: Si iuſticia in Deo eſt, gratia non eſt: ſi gratia, iuſticia non eſt. Cogitandum hic eſt non mentiri ſcripturam ſacram, quæ utramq; de Deo prædicat. Iuſtus Dominus, inquit Propheta, & iuſticias diligit. Itẽ, Deus iudex iuſtus. item, Iuſtus es Domine, & rectum iudiciũ tuum. Et illud quod ſæpè occurrit. אל חנון ורחום, id eſt, Deus gratioſus, ut ita dicam, & miſericors. Quòd hæc ſic putantur eſſe diuerſa, ut ſimul in Deo conſiſtere nequeant, error eſt ex eo natus, quòd iuſticiam Dei noſtro more ac ſenſu eam eſſe putamus, qua nõ modò bene fiat bene meritis, ſed & malè meriti reprobentur ac puniantur. Sic

Quomodo affectus gratiæ Deo tribuatur.

Et iuſtus eſt Deus & miſericors.

cogitamus Deum esse iustum, ut remuneret iustis, & auersetur ac puniat iniustos, nequeatq; facere aliter, nisi uelit facere contra iusticiam. Hoc sensu derogamus Deo uoluntatis libertatem, quam habet in omnia quæ condidit, cuius respectu iniustus esse non potest, dum fauet, parcit & benefacit quib. uoluerit, siue bene, siue malè meritis: & punit peccatores quos uult, & quomodo ipsi placuerit. Huc pertinet locus Apostoli Romá. 9. Ergo cuius uult, inquit, miseretur, & quem uult indurat. Nemo princeps huius seculi propterea iniustus uideri uolet, quòd aliquando parcit malis, & fontes gratis dimittit: sed hanc clementiam existimat sibi laudi potius quàm probro esse dandam: sicuti etiam rectè laudatur in principe gratia & clementia, quam laudem nemo cordatus uicio uertet, nisi clementia sic reddatur peruersa, ut parcatur nebulonibus, & affligantur plectanturq; uiri boni, iusti & honesti. Si hæc de bono principe simul utraq; cum laude prædicari possunt, quòd sit iustus & clemens, quàto magis de Deo qui liberrimam potestatem habet in omnia? Quare fortiter est ista carnis nostræ cogitatio retundenda, quoties illam de gratia Dei dubitare sensérimus. Et huc faciunt non solum encomia gratiæ Dei, ut in fide illius confirmemur, sed & innumera illius experimenta, cùm quę in sacris scripturis proponuntur, tum quæ nobis ipsis quotidie eueniunt.

Vnde sit in Deo affectus gratiæ.

Tertio. Poterit etiam de eo nec impiè nec inutiliter quæri, undénā sit in Deo affectus gratiæ. Plurimum refert quæ sit illius origo, ad hoc ut sit pura & syncera. Puram ac synceram uoco, non uiciatam. Viciata & impura gratia est, quæ proprij cōmodi respectu nascitur, qualis esse solet hominum carnalium, ac seipsos diligentium. Inuenias principem, qui quos inuehit affectibus suis quantumuis illicitis & iniquis obtemperantes, singulari quadā gratia prosequatur, & erga illos sese indulgentissimū exhibeat. Huiusmodi gratia uiciata est, & immunda, propter originem pariter, & qualitatem. Nascitur ex uicio, & tendit ad uiciosum finē. Nec poterit esse constans, quod & in ipsa est radice & in fructibus deprauatum. Sic uidemus gratiam carnis & mundi omnium esse instabilissimam. Hodie impensissimè fauet caro, cras supra modum odit & auersatur. Ab hac impuritate & inconstantia prorsus aliena est gratia Dei. Est enim illius origo non ex nobis, sed ex ipsius bonitate: nec tendit ad proprij commodi finem aliquem, sed ad nostram salutē. Si nos totos foris & intimè inspicias, nihil inuenies, cui causa & origo gratiæ Dei tribui possit. Quare non possumus aliam illius statuere originem, quàm bonitatem, quæ inest illi stupenda & immensa. Hic fons purissimus est ab omni philautia, quare & promanantia ex illo, cœlestis gratiæ fluenta prorsus sunt pura & syncera.

Gratia carnis & mundi instabilis est.

Natura gratiæ est esse gratuitam.

Natura gratiæ est, esse gratuitam. Quicquid gratuitum non est, gratia non est, nec habet istam gratiæ puritatem ex fonte bonitatis contractam, de qua loquimur.

Gratia Dei nō tēporaria, sed æterna.

Cauendum tamen est, dum gratiæ Dei originem damus, ne temporariam eam, & non æternam esse sentiamus. Etenim quicquid in Deo naturaliter est, temporarium non est, sed æternum. Quemadmodum bonitas inest illi naturaliter, ita & gratia, quam rectè dixeris naturam bonitatis. Vt illa sempiterna est, ita & ista. Dum Christum filium Dei originem suam habere ex patre dicimus, non priuamus eum æternitate diuinitatis, sed magis hac confessione sempiternum filium Dei asserimus. Etenim sicuti Deus pater æternus est, sic æternus est & filius, sine quo pater esse non potuit. Tolle gratiam de bonitate Dei, natura bonitatis consistere nō potest.

Simile.

Splendor ignis originem suam habet ex igne, cuius est splendor, & tamen igne posterior non est tempore, sed coæuus. Ordo hic naturæ est in cœlesti bonitate, ut licet ex illa sit gratia, sint tamen utræq; in Deo coæternæ.

Quotuplex sit gratia Dei.

Operās et cooperans, præueniens & subsequens.

Quartò, uidendum etiam est, quotuplex sit hæc diuinæ bonitatis gratia. Scholastici ponūt duplicem: Operantem, & cooperantem, aliàs præuenientem & subsequentem. Operantem, quæ cor hominis regeneret & mutet, dans illi ut uelit quod bonum est. Alioqui immundum cum sit ex natiua corruptione, quod bonum est, per se uelle non potest, nisi cœlesti gratia mutetur. Et quoniam mutatio ista unius est diuinæ gratiæ opus, & fit in nobis nulla præcedente nostra uoluntate uel cooperatione, uocant illam gratiam præuenientem. Sic gratia operans & præueniens eiusdem operis respectu uocatur: cooperantem uerò gratiam uocant, qua datur cordi regenerato, ac bonum uolenti efficacia, quod uult bonum perficiendi, ne frustra & inefficaciter uelit. Vocant hanc propterea cooperantem, quòd uoluntati per gratiam prę uenientem, iustificatæ, & quod bonum est facere satagenti cooperando manum auxiliatricem porrigit & succurrit, dans uires & successum perficiendi bonum opus, sicuti dedit affectū uolendi. Hanc gratiam cooperantem uocant etiam subsequentem, propterea quòd præuenientem subsequitur. Significatur hac loquutione non solum ordo operantis in nobis gratiæ, sed & perfectio diuini operis. Non deserit opus suum Deus imperfectum, sed quod semel cœpit, perficit. Præuenit nos gratia sua, dans & operans boni operis uoluntatem, & hoc opus suum subsequenter prosequitur, adiuuans etiam, ut quod bonū per ipsius gratiam uolumus, non frustra uelimus, sed & ulterius adiuti perficiamus. Vtrunq; rectè datur gratiæ Dei. Non hoc duntaxat meræ est diuinæ gratiæ opus, quòd bonum uolumus, sed & quòd bene operamur. Neq; dicas, Meritò bonæ uoluntatis ad id efficaciæ peruenio, ut quod bonum uolo, perficiam etiam: neq; sentias hoc uiribus bonæ uoluntatis tuæ tribuendum esse, si quod bonum

est,

eſt,opere adimples. Quicquid enim huius eſt, nec meritum, nec uirtus uoluntatis noſtræ eſt etiam regeneratæ,nedum natiuæ,ſed ſolius gratiæ Dei. Operatur quidem uoluntas regenerata in bono opere cui incumbit,uerùm etiam talis fruſtra operaretur,& inefficaciter ſatageret,niſi eadem diuinæ bonitatis gratia,quæ præueniendo dedit illi ut ſit bona, ac quod bonũ eſt uelit, det etiam ſubſequenter ut ſit efficax, & quod uult bonum perficere poſsit. Et dum perficit,datur hæc efficacia gratiæ Dei cooperâti, non uoluntati noſtræ operanti.Haud ociosa eſt præcedens uoluntatis noſtræ mutatio,ſed ineſt illi per gratiam,ut quod uult,facere conetur:& hanc ob cauſam ſubſequentem gratiam,quæ dat perficendi uires, uocant cooperantem,ut diſtinguât ab operante ac præueniente,quæ uoluntatem noſtram nihil prorſus quod bonum eſt uolentem mutat. Videtur enim aliud eſſe operari aliquid in ociosis, & aliud operantibus,uel ſaltem conantibus cooperari. Sic uiſum eſt illis inter gratiam Dei præuenientẽ & ſubſequentem diſtinguere, ut admoneât gratiâ ſubſequentem requirere uoluntatem non inertem,ignauam & ociosam: ſed, licet inefficaciter,niſi iuuetur, conantẽ tamen per gratiam præuenientem, & ad bonum opus adſpirantem. Et ad hunc modum uidetur Apoſtolus 1.Corinthiorum 15. dixiſſe: Gratia Dei ſum id,quod ſum,& gratia eius in me uacua non fuit, ſed abundantius omnibus laboraui: non autem ego, ſed gratia Dei mecum. Sic uidetur utrunq; opus diuinæ gratiæ complexus, ut quod dicit: Gratia Dei ſum id quod ſum, ad præuenientem & operantem:& quod ſubiungit, Et gratia eius in me uacua non fuit, ſed abundâtius omnibus laboraui, ad ſubſequentem & cooperantem gratiam pertineat. Vnde & addit:Non autẽ ego,ſed gratia Dei mecum. Laboraui ait,uerùm ne hoc ſibi dare uideatur,cautè ſubiungit,Non ego.Rurſus ne fruſtra & mẽdaciter dixiſſe uideatur,quòd laborauerit plus omnibus, nõ dicit ſimpliciter, Sed gratia Dei: ſed addit, Mecum, ut innuat ſe per gratiã Dei cooperantem adiutum plus cæteris eſſe operatum.

Deum eſſe operantem, nos uerò illi cooperãtes.

Sic Scholaſtici de gratia Dei loquuntur, quam ſententiam, etſi tolerabilis uidetur, quatenus gratiam Dei non obſcurat,arbitror tamen non ſatis eſſe attemperatam ad modos loquẽdi,quibus utitur Apoſtolus, cum Philippenſiũ ſecundo dicit: Deus enim eſt qui operatur in uobis,ut & uelitis & perficiatis. Vtrunque & uelle & perficere ſimpliciter operationi Dei tribuit,cum dicit ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν: & ſubiũgit utrunq;,& uelle & perficere. Deinde quod 1. Corinth. 15.in uulgata Latina legitur,Non autem ego,ſed gratia Dei mecum: in Græco eſt,οὐκ ἐγὼ δέ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί,id eſt,Non ego uerò,ſed gratia Dei quæ eſt mecum. Quibus uerbis totum hoc quod laborauerat,per correctionem ad gratiã Dei refert. Illud enim,ἡ σὺν ἐμοί,id eſt,quæ mecum, non ad uerbum laborandi,quod præmiſſum eſt refertur,ut legendum ſit,Quę mecũ laborauit:ſed per Ebraiſmum poſitũ eſt,pro,quæ mecum eſt. Sic loquuntur Ebræi אשר עברי id eſt,quæ mecum.& Apoſtolus licet Græcè ſcripſerit, Ebraiſmis tamen, ut Ebræus, non abſtinuit. Laborat Apoſtolus, & iuſtificata uoluntas ſatagit & operatur in eo quod bonum eſt, ut nihil minus ſit quàm ociosa. Scimus hoc. Verùm magis placet Apoſtolica diligentia, quæ licet de opere ſuo non taceat:ubi tamen gratiæ Dei meminit,huic tribuit omnia,faciens eam libentius operatricem quàm cooperatricem.Non damno,ſi quis hac in re uerbo cooperandi utatur,quo uſus eſt Marcus capite ultimo dicens,Domino cooperante,& ſermonem confirmante.Malim tamen imitari Apoſtoli diligentiam,qui maluit dicere,Sumus cooperarij Dei: quàm, Deus eſt cooperarius noſter: id quod nuſquam dixit, quod ego ſciam,ſed ubicunque operis Dei meminit, facit eum operantem in nobis potius quàm cooperantem. Nec facit hoc præterrationem. Cõuenientius ſiquidem eſt,ut uocetur operãs quàm cooperans,cuius eſt operis conſilium,ſapientia, uirtus & perfectio,adeoq; & totum opus. At hæc omnia ſunt non noſtræ uoluntatis,ſed diuinæ gratiæ. Hæc operatur in nobis omnia,nos ſumus loco organorum. Operatur artifex,cooperatur organum, quatenus ab artifice non modò præparatur ad futurum opus,ſed & in ipſo opere dirigitur. Dum pædagogus puerum ad ſcribendum inſtituit,calamum illi parat,& digitis inſerit, deinde manum prehenſam in opere ſcribẽdi dirigit,& ad formandas literas ducit: quæſo cui rectius ſcriptura datur? Annon pędagogo? Et uter rectius ſcripſiſſe dicitur? Vtiq; pędagogus. Puer uerius cooperatur quàm operatur, & pædagogus rectius operari quàm cooperari dicitur.

1. Cor. 3.

Sumus cooperarij Dei.

Similia.

Sic arbitror ſentiẽdum eſſe & de gratia Dei,operante in nobis,& de eo quod nos facimus, dum ab illa ad operandum dirigimur. Cauendum eſt non modò ne totũ,ſed & ne quod principale eſt in opere bono auferamus gratiæ Dei, & tribuamus nobis. Neq; excuſabimur hoc facientes, ſi dicamus nos hoc non dare nobis tanquam filijs Adæ, ſed tanquam per gratiam regeneratis,& ad opera bona inſtructis. Etenim non illi tantum ſuperbiæ meritò damnãtur, qui naturæ noſtrę tãtum tribuunt liberi arbitrij, ut per ſe poſsit ſufficiens eſſe ad quodcunq; bonum opus perficiendum: ſed & ij,qui homini regenerato per gratiam hanc tribuunt facultatem,ut ſuis ipſius uiribus,quod bonum eſt,poſsit non modò uelle,ſed & perficere: uel ſi & gratiam ſubſequentem, hoc eſt, in omnibus bonis operibus uoluntatem noſtrã dirigentem & corroborantem agnoſcere coguntur,ſentiunt tamen operationem illius eſſe ſecundariam & acceſſoriam,noſtram uerò primariã & præcipuam. Vt de hac quoq; ſuperbia cauenda admoneamur,

moneamur, arbitror tutius esse, ut Apostolum magis quàm Scholasticam hanc diuisionem sequuti, quicquid boni uolumus & facimus, totum diuinæ gratiæ tribuamus, & nos potius illius cooperatores, quàm illam nostram cooperatricem esse dicamus.

Gratia Dei proponens & operans.

Hactenus de diuisione Scholasticorum, qua gratiam Dei diuidunt in operantem & cooperantem, quid pio homini sentiendum sit admonui: restat ut subijciam, quomodo illa mihi diuidenda esse uideatur. Vbi ea inspicio, quæ de illa in sacris scripturis, præcipuè Apostolicis cõmemorantur, existimo de gratia Dei nobis paulo esse latius cogitandum, quàm quatenus priuatim operatur in electis. Inspiciendum est in illa ipsum communis salutis ac redemptionis nostræ fundamentum, consilium uidelicet, beneplacitum ac propositum uoluntatis Dei, unde omnis illa redemptionis nostrę dispensatio profluxit. Quare arbitror gratiam hanc Dei diuidendam esse in proponentem & operantem. Ad proponentem pertinet, quòd ante mundi constitutionem ab ęterno sic uoluit, decreuit ac proposuit, ut in plenitudine temporum misso filio suo genus humanum liberaret ac seruaret. Huc pertinẽt quæ in Epistola ad Ephesios capite primo de mysterio, eudokia, consilio, proposito, electione ac prædestinatione uoluntatis eius quæ ante constitutionẽ mundi in eo fuit, leguntur: & secundæ Timothei primo, ubi sic habetur, Qui saluos fecit nos, & uocauit uocatione sancta, non secundũ opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data quidem est nobis per Christum Iesum ante tempora æterna, sed palàm facta est nunc, &c. Hisce locis uidemus gratiam Dei ab æterno, & ante mundi constitutionem fuisse uolentem, proponentem, eligentem ac prædestinantem, ea quæ salutem generis humani concernunt. Magnum est encomium gratiæ Dei, quòd præuenit impios adiustificãdum & saluandũ: uerùm adhuc amplius est, quòd hoc ante mundi constitutionem ab æterno secundum uoluntatem bonitatis suæ proposuit ac prædestinauit, cum ne mundus quidem esset, nedum homines illius inhabitatores. Tale etiam est quod Christus Matthæi uigesimoquinto dicit: Venite benedicti patris mei, possidete regnũ quod paratum uobis est à constitutione mundi.

Operãs gratia Dei ante legẽ.

Ad operantem uerò gratiam referendum est primùm quod hominem hunc, quem ab æterno per Christum saluare proposuit, mox condito mundo ad imaginem suam creauit, in paradisum locauit, lata lege de uoluntate sua certum reddidit, præuaricatorem mortis damnauit, ac paradiso eiecit, semen salutis promisit, nudum uestiuit: Cain fratricidã prẽmonuit antea, & post fratricidium corripuit, uagumq; reddidit: sacrificiũ Habelis iusti approbauit, Enoch ad se sustulit, patribus apparuit: Noah cum suis de mundo impio tanquam reliquias, ut seminarium generis nostri essent seruauit, fœdus cum illis inijt, quid facerent lata lege præcepit: Abrahamum ex Hur Chaldęorum euocauit, fœdere sese illi ac semini eius obstrinxit, populũ sibi peculiarem ex illo elegit, semen benedictionis illi promisit. Hæc inquã, omnia quæ facta sunt ante legem, sic sunt à nobis inspicienda, ut in illis operationes cœlestis gratiæ Dei secundum æternum illius propositũ animaduertamus & adoremus. Huc ea quoq; referenda sunt,

Sub lege.

quę populo Israelis sub lege contigerunt: ut sunt liberatio ex Aegypto, in terram promissam inductio, legislatio, sacerdotij cum cultibus illius institutio, sequuturę ueritatis adumbratio ac præfiguratio, & Christi toties per uaticinia prophetarum repetita promisio. Concernunt quidem ista Mosaicę legis dispensationem, & ueteris testamenti pædagogiam: uerùm tendebant omnia ad propositum finem, Christum uidelicet, mundi seruatorem. Et hactenus referenda sunt ad operationes æternæ gratiæ. Discernit quidem Apostolus legem à gratia, cũ dicit, Non estis sub lege, sed sub gratia: uerùm ea discretio non est talis, ut legem à consilio æterno gratiæ Dei excludat, sed ut inter dispensationes illius distinguat. Post legem successit singulare illud opus gratiæ Dei, quo per Christum incarnatum redimendum erat genus humanum.

Post legem.

Ad hanc classem pertinet æterni uerbi Dei incarnatio, & quę huic sunt annexa, cursus Ioannis Baptistę, tanquã pręcursoris ad hoc missi, ut Seruatori reuelando uiam pararet, Christi dispensatio prædicatione, miraculorũ patratione, discipulorum institutione, passione ac morte, resurrectione, ascensione, ac spiritus sancti missione cõprehensa, & quæ ad hoc requiruntur, ut illa finem suum consequatur: utpote ministerium Euangelij, quod per Apostolos propagatum ac uulgatum est in mundo, & uocatio omnium populorum, qua cunctę nationes ad unitatem fidei, cognitionem ueritatis, & uerã salutem in Christo uocantur. Post horum considerationẽ recto ordine ducimur ad priuatas operationes diuinę gratię, quibus per

Priuatæ operationes gratiæ.

spiritum sanctum in cordibus electorum perficitur cęcę mentis illuminatio, impij cordis iustificatio & regeneratio, donorum Dei; fidei, spei, charitatis, patientiæ, &c. insinuatio, & quæ alia ad bonorum operum efficaciam requiruntur, ac tandem corporum ac spirituum nostrorum ad imaginem Christi glorificatio.

Hoc breui trãscursu diuisionem gratiæ Dei delineauimus, non quòd amplitudini illius ad hunc modum uel delineando satisfieri possit: sed ut ostenderemus obiter, nimis esse hanc angustam illius considerationem quam Scholastici proponunt, admoneremusq; referenda ad illam esse omnia, quæ inde ab initio mundi cum genere mortaliũ ad salutem illorum pertinẽtia diuinitus sunt gesta, & ad finẽ usq; gerẽtur. Quare quoties incidit disputatio de electione,

præde-

prædestinatione,creatione,uocatione,uerbi siue legalis siue Euãgelici dispẽsatione, spiritus sancti operatione,iustificatione,regeneratione,bonorũ operũ perpetratione,glorificatione, & in summa,de ipsa uita æterna, ad consiliũ & propositũ diuinæ gratiæ, tanquã ad horũ omnium fontem respiciendum est,& summopere cauendum ne quid approbemus,quod ad gloriam gratiæ Dei non faciens ab æterno hoc consilio diuinæ uoluntatis abludit.

Arbitror ista in præsenti sufficere. Neq; enim statui hoc loco disputare aduersum doctores liberi arbitrij,meritorum & propriæ iustitiæ,gratiam Dei obscurantes: sed quæ ad reprehensionem illorum requiruntur,alijs in locis memorabuntur,ubi de fide & iustificatione,de peccatorum remissione,deq; bonis operibus dicendum erit.

DE REDEMPTIONE GENERIS HVMANI.

POST locum de gratia Dei erga genus humanũ, uisum est subijcere eum qui est de redemptione generis humani, in qua est ueluti summa quædam consilij ac propositi cœlestis gratiæ comprehensa. Et uideor non incõmodè à fonte salutis nostræ progredi ad illius riuum, hoc est, à consilio diuinæ gratiæ ad opus illud ab æterno prædestinatum. Principalis est hic locus, amplus, & multæ cõsiderationis. Ne multitudo eorũ quæ ad hanc materiam pertinent, confusionem gignat Lectori, utar methodo, si non exacta, aliqua tamen, quam iudicauero piæ menti sufficere posse. Curiosis nemo satisfecerit. *A fonte ad riuum.*

Quod ipsam redemptionis uocem attinet,Latinis manifestum est,quid sit redimere: nempe dato precio,quod uel uenditum uel captum in alterius potestatem uenerat,aut suæ ipsius potestati uindicare,uel in libertatem asserere. Consimiliter & Græcis uox ἀπολύτρωσις, quã usurpat Apostolus aliquoties, significationẽ habet redemptionis, quæ fit dato precio: quod illis est λύτρον. Ebræi uerò uoce פדה, quę redimere significat, aliquanto largius ac generalius utuntur. Leuit.25.& 27. pro liberatione quę fit dato precio. Gen.48.Exod.6. Psal.72.Prouerb.23. Hier.50.alijsq; multis locis pro liberatione quę fit quouis modo,etiam manu potẽti,qua oppressus de uiolentia iniquorum eripitur. *Quid sit redimere.* פדה

Est autem in redemptione ex ordine inspiciendum,quis,unde,per quem,quomodo,quando,& ad quid sit redemptus. Quod nostram hanc causam attinet,profitetur titulus huius loci redemptionem generis humani. Genus humanũ complectitur non unam aut alteram gentem,sed mundum uniuersum, omnes uidelicet totius orbis nationes, cunctos homines à primo usq; ad nouissimum. Redemptus est aliquoties Israel de manu hostium ipsius, ex Aegypto,subinde de tyrannide Cananęorum,ex Babylone,&c. Verùm hic nõ agitur de speciali aliqua unius populi redemptione,sed de ea quæ generaliter est omnium. Ergo quæ hic in considerationem ueniunt, pertinent ad omnes homines. Scimus non omnes redemptionis huius fieri participes, uerùm illorũ perditio qui nõ seruantur, haud quaquã impedit,quo minus uniuersalis uocetur redemptio,quæ non est uni genti,sed toti mundo destinata. Resolutio illa telluris, qua passim omnia ad germinandũ æstate soluũtur, rectè uniuersalis dicitur, etiãsi multæ arbores & innumera loca nec germina nec fructus proferant. Sol ille generalis totius orbis illuminator est,quamuis multi sunt,qui nihil ab illo lucis accipiant. Apud Iudæos erat anno iubileo generalis omnium seruorum liberatio, etiamsi multi in seruitute manentes gratiam liberationis respuebant. Ad eum modũ habet & redemptio ista generis humani,de qua loquimur,quòd illã homines reprobi ac deplorate impij non accipiunt: neq; defectu fit gratiæ Dei, neq; iustum est, ut illa propter filios perditionis gloriam ac titulum uniuersalis redemptionis amittat,cum sit parata cunctis,& omnes ad illam uocentur. Sic qui mundum redemit, quicquid fiat de reprobis, iustissimè saluator mundi uocatur, 1.Iohan.4. Et Christus non mentitur,cum dicit: Ego sum lux mundi, quantumuis innumeri sint in hoc mundo, qui de gratia lucis illius non participant. Etiam hoc nomine redemptio ista uniuersalis est,quòd sic est omnibus destinata, ut extra eam nemo nec redimatur, nec redimi queat. Hoc sanè sensu intelligendum est,quando in Scripturis uniuersalis salutis ac redemptionis gratia proponitur. Sic enim cauebimus, ne uel catholicæ gratiæ gloriam obscuremus, & in arctum constringamus, uel cum phanaticis hominibus neminem prorsus damnari, & in sempiternum perire dicamus. *Circunstantiæ redemptionis. Quis. Vniuersalis redemptio. Similia. Christus seruator mundi.*

Secundo loco uidendum est,unde redemptum sit genus humanum. In hominibus liberis non potest habere locum redemptio,quemadmodum nec uiuificatio in uiuis. Etenim unde redimeretur,qui nemini est ulla seruitute obstrictus? Redemptũ aũt est genus humanũ. Qui dedit semetipsum,inquit Apost.1. Tim.2.precium redemptionis pro omnibus. Ergo totum humanum genus seruituti fuit obnoxium, è qua est redemptũ. Seruitus illa quæ fuerit,manifestũ est ex scripturis Apostolicis & Euãgelicis. Qui facit peccatũ,seruus est peccati,inquit Christus Ioã.8.Itẽ,Ego aũt uenundatus sum sub peccatũ,dicit Apost.Rom.7.Et Colos.1.Qui eripuit *Vnde. Nemo redimitur, qui nec seruus est nec captiuus. Seruitus unde redẽpti sumus*

eripuit nos, inquit, de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem. Totum itaq; genus humanum peccato seruiens, incidit in potestatem tenebrarũ, id est, Satanæ, quem ob id & Christus principẽ uocat huius mũdi. Monet hæc consideratio, neminem esse ex omni genere humano, qui non sit ex eo quòd in peccato conceptus & natus est, seruus peccati, & consequenter etiam potestati tenebrarũ subiectus, nisi catholicæ huius fiat redẽptionis particeps. Non debemus hic eximere uiros sanctos, patriarchas, prophetas & Apostolos. Etenim quòd pij fuerunt, fuerunt ut redẽpti, non ut ex Adam nati. Pietas illorum gratiæ Dei fuit, non naturæ. Concluserat & illos Deus sub peccato, ut misericordiam ipsius seruati prædicarent, non de sua ipsorum iustitia gloriarentur.

Non debent excludi sancti.

Quanti sit facienda redemptio à seruitute peccati.

Redemptio hæc à seruitute peccati, quanti sit facienda, à carnalibus hominib. sentiri nõ potest. Illis enim ut iucundum uidetur uoluptatibus carnis peccando indulgere, ita admodum ingratum esset à seruitute peccati redimi. Scortator sacrificulus, ubi in commemorationibus uirginum collectas, ut uocant, emurmurat, quibus ad præscriptum uerborũ pro castitate ad Deum orant, anxiè ipsam uocem castitatis nominat, metuens ne nolens uolens donum castitatis à Deo uirginis interuentu accipiat, atq; ita à cœno uoluptatis suæ exemptus, castè cogatur uiuere: quod genus uitæ omnium iudicat esse miserrimum. Ad hunc modũ animati sunt homines carnales & uoluptuarij. Quare gratiã hãc redemptionis ne pili quidẽ faciunt, imò ex animo auersantur. Alij uerò qui sensu peccati ac metu iudicij Dei perculsi sunt, ubi redemptionis huius gratiam gustare cœperunt, omnibus illam totius orbis regnis & imperijs haud quaquam commutarent. Horum affectus expressit Apost. Rom. 7. dicens: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Carnalis homo more phreneticorum non sentit seruitutem peccati, cui subiectus est, tendere ad perditionem sempiternam, & stipendium illius esse mortem. Verùm de hac seruitute, si cui lubet, uideat quæ in Commentarijs nostris super Ioannem, cap. 8. sunt annotata.

Per quẽ redempti simus.

Tertiò, de redemptore quoq; cogitandum est, per quem de seruitute peccati & Satanę redemptum est genus humanum. Præclarum est, nec cuiusuis opus redimere nõ unũ duntaxat hominẽ aut gentem, sed uniuersum genus mortalium, idq; redemptione non temporaria, sed æterna: deniq; de potestate non uulgari, sed post Deum potentissima, & quod ad huc mirabilius est, sic redimere captiuos, ut cum natura sint seruitutis suæ amantes, corda illorum immutet, ut contra carnis suæ ingenium seruitutem peccati summopere detestentur, & ab illa liberari obnixè petant. Vt redemptoris huius gloriã illustremus, perpendendæ sunt conditiones redemptionis. In redemptore requiruntur duo. Primũ est, ut redimere possit: alterũ est, ius redẽptionis, quod Ebręi uocant גשפט חגאוילח. Quod primũ attinet, redemptor esse non potest, qui uel infirmior est uiribus quã ut captiuum de potestate tyranni potenter eripere, uel pauperior quã ut illum dato precio redimere possit. Requiritur ergo cum primis, ut redempturus aliquẽ, præditus sit potentia & facultate iuxta qualitatem tyranni ad redimendũ necessaria. Quod alterum concernit, redemptor iure esse non potest, nisi ad quem spectat ius redemptionis. Est autem illud bimembre. Constat enim uel iure proprietatis, uel propinquitate. Iure proprietatis potest licitè dominus redimere seruum, rex & princeps ministros uel populũ suũ. Iure propinquitatis rectè redimit pater filiũ, frater fratrẽ, cognatus cognatũ. De hoc iure propinquitatis in lege pleraq; præscribuntur. Leuit. 25. Huius respectu uox גאל id est, redemptor aliquãdo ꝑ cognato & propinquo in lege sumitur, ut גאל חדם idẽ sit quod propinquus sanguinis. Propinquitas autem gemina est: sanguinis una, religionis altera. Quare in Canonibus habetur, ad Ecclesiam fidelium pertinere, ut fideles captiuos etiam diuendi tis uasis sacris, argenteis uel aureis, de manu hostium redimat.

Cõditiones redemptionis 2.

Ius redemptionis bimembre.

Itaq; cum ista requirantur in redemptore, uideamus consequenter, quisnâm ille sit, qui genus humanum sub peccato & Satana captiuũ redimere, cùm uiribus, tum iure potuerit. Tribuit hoc Apostolica doctrina Christo Iesu filio Dei. Hunc nobis proponit redemptorem ac liberatorem. Et hoc de se testatur ipse Iohan. 8. dicens: Si uos filius liberauerit, uere liberi eritis. Oportet ergo ut hęc duo in illo reperiantur: uirtus uidelicet, & potentia maior quã cui tyrannis peccati ac Satanæ resistere potuerit, & ius redemptionis. Potentia Satanæ, & uis peccati sic est utraq; comparata, ut aduersus hanc seruitutem nulla uirtus humana, imò ne angelica quidem aliquid præstare possit. Humana propterea, quòd totũ genus humanũ seruitute hac est suppressum & captiuum. Quare nemo de uiri semine natus, ex omni mortalium numero tantæ potuit esse potentiæ, ut deuicta tyrannide genus humanum liberaret. Nam, ut Iob dicit: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? sic possumus & hic dicere: Quis captiuus ac uinctus captiuos potest ac uinctos potentia sua liberare, quam nullam habet? Angelica ob id, quòd malum peccati à genere humano natura angelica tollere non potest, per quod Satan in mundo regnat. Quapropter omnino requirebatur uis diuina, talis uidelicet redemptor, qui diuina potentia præditus, & malum peccati, quod est in carne nostra tolleret, & regnum Satanæ destrueret. At hoc fecit Christus, fortior Satana, & cuius spiritus satis ad hoc efficax est, ut corda nostra sanet, & à malo peccati liberet. Habes,

Quis sit redemptor.

Potentia Satanæ quanta.

hac

hac in re argumentum diuinæ in Christo naturæ, pariter & potentiæ.

Ius redemptionis.

Quod ius redemptionis attinet, & hoc in Christo reperitur prorsus plenum & perfectum. Ius proprietatis in nos habet tanquam uerus Deus, Verbum illud æternum, per quod condita sunt omnia. Nemo tantum proprietatis habet in seruum uel emptũ, uel bello captũ, quantum habet opifex in suum ipsius opificium, conditor in omnes suas creaturas. Ius propinquitatis habet uerus homo factus, humanæ nostræ ac primęuę naturę tanto propinquior, quanto ab accessione Satanicæ malitiæ remotior. Hoc est mysterium illud incarnati Verbi, quod nulla potest humana ratio cõprehendere. Per incarnationẽ factus est frater noster, qui uerbi diuinitate Dominus est omnium. Quare non confunditur, inquit Apostolus Ebræor. 2. uocare nos fratres suos, cùm dicit: Nunciabo nomen tuum fratribus meis. Huc pertinent omnes illę scripturę, quæ nobis Verbi incarnationem, hoc est, uerè humanã in Christo naturã commendant, cuius fidem illibatam aduersus pestilentissimum uenenum eorum retinere debemus, qui carnem Christi ex ipsa substantia Deitatis cœlitus, & non ex semine Abrahæ, & carne nostra proueniſſe contendunt. Ius hoc propinquitatis Christo auferunt, & maximam partem consolationis nostrę infringunt. Carnem Christi ad Abrahamũ usq; Matthæus, Lucas etiam usq; ad Adamum primum hominem, & cõmunis naturę parentem ducit, manifestè uocans eum filiũ Adę: & ipse Christus sese frequenter filium hominis, hoc est, uerũ hominẽ, uerè ex carne nostra natũ, uocat. Nihil est ergo quod desiderari possit in Christo communi nostro redemptore, in quo est uirtus diuina aduersus uim Satanæ & peccati, sufficiens ad liberandũ, & ius redemptionis plenũ & perfectũ, cũ propter dominiũ proprietatis, tum propter propinquitatem & cognationẽ sanguinis humani. Hæc omnino seriã habent & necessariam considerationem, qua deprehendimus quo sit consilio Dei factum, ut talis daretur nobis redemptor, qui & uerus esset Deus & uerus homo, Verbum uidelicet incarnatum.

Debuerit ne Christus genus humanum redimere.

Poterit hic de eo quoq; cogitari, debueritne Christus genus humanum redimere? Verùm cautè arbitror esse in hac quæstione respondendum. Etenim si dixeris, quòd debuerit, periculum est ne opus redemptionis nostræ debito subijcias, & gratiam Dei neges. Quod enim ex debito fit, gratiæ deputari non potest. Absit autem à mentibus redemptorum, ut quòd redẽpti sunt, aliò quàm ad meram, immeritamq; & liberam gratiam redemptoris referant, atq; ita gloriam gratiæ illius obscurent. Rursus si dixeris, non debuisse illum redimere genus humanum, periculum est, ne ius redemptionis illi auferas, & hoc præclarum, imò prorsus stupendum opus iure legitimæ potestatis priues, ac soli potentiæ tribuas, ut possit hostis antiquus accusare redemptorem nostrum, quòd nullo iure, sed sola ui genus humanum regno suo exemerit. Dicendum est igitur, fecisse hac in re Christum, si nos respicias, non quod debuit, sed quod per gratiam uoluit & constituit: rursus, si ius illius cùm proprietatis tum propinquitatis consideres, fecisse eum non solum quod potuit & uoluit, sed & quod debuit, hoc est ad ipsum solum iure pertinuit. Ne ius hoc illius negemus, cauendum est ne dicamus eum fecisse, quod facere non debuerit. Etenim facere quod non debeas facere, idem esse uidetur, quod rem illicitam, & ad te nullo iure pertinentem, facere. Quoniam autem nemo ad hoc adstringitur, ut ius suum persequatur, quasi liberum non sit cedere uel persequi, non debemus huic iuri Christi alligare debitũ in opere redemptionis, quasi rem debitam fecerit, peccaturus nisi faceret. Nam etiamsi ueritatem ac fidem suam promissis obstrinxit, quæ postea redimendo nos adimpleuit, non sunt tamen ipsæ quoq; promissiones aliò quàm ad propositum gratiæ referendæ. Ipse se promittendo nobis obstrinxit, non quia debuit, sed quia nostri misertus uoluit, & ab æterno constituit. Quare & ipsa promissorum adimpletio non est referenda ad promissa, sed ad liberam gratiam tanquam promissorum radicem & fontem. Poterat non promittere, nisi redimere uoluisset: & poterat nolle redimere, nisi ad redimendum nos ductu gratiæ suæ aspirasset. Quare summopere cauendum est, ne ex opere liberæ ac meræ gratiæ faciamus opus debiti propter interuentũ promissorum gratię, quę etsi ueritatis præstandę uinculum subeant, nobis tamen quibus immeritis, imò malè meritis gratuitò sunt facta, nõ sunt debiti, sed gratiæ loco habenda & exosculanda.

Liberatio captiuorum fit 4. modis.

Quartò, uidendum est etiam, quomodo simus per Christum à peccato & Satana liberati. Liberatio captiuorum ac seruorum quatuor modis accidit: aut gratuita manumissione, aut commutatione, uel precio redemptionis, uel uiolenta ablatione. Gratuita manumissio locũ hic non habuit, siue peccatum tenacissimè carni nostræ inhærens, siue ingenium Satanæ improbissimi tyranni respicias. Neq; intercessit hic commutatio. Absit enim ut redemptor noster sic nos liberarit, ut quos ipse sibi habet obstrictos, Satanæ uicissim restituat, qui ut omnes redimat, pro omnibus sese neci dedit. Restant preciũ redemptionis, & uiolenta ablatio. Sunt hæc duo sic comparata, ut in una & eadem redemptione non posse cõcurrere uideãtur. Etenim ubi captiuus dato precio redimitur, uiolẽter ablatus esse non uidetur: & econtrà, ubi quis de manu hostis uiolenter abripitur, apparet illum ui, non precio liberari. Et tamen omnino hæc duo in redemptione generis humani concurrunt.

Quòd nos precio redemerit Christus, testatur Apostol⁹ 1. Cor. 6. dicẽs: Empti estis precio magno.

magno. Et cap. 7. Precio empti estis, nolite fieri serui hominũ. Quòd uerò Satanam cum suo satellitio potenter esset expugnaturus, regnum ipsius destructurus, & spolia ablaturus, testatur ipse Christus Lucæ 11. dicens: Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet: cum uerò fortior illo superuenerit, ac uicerit eum, uniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Et Apostolus Coloss. 2. triumphi de expoliato Sanana meminit. Et Ebr. 2. de Christo prędicat, quòd destruxerit eum qui habebat mortis imperium, uidelicet Diabolum, & suos liberarit. Quare non immeritò quæsierit quisquam, quomodo hæc duo in liberatione generis humani locum habere potuerint. Si nos precio dato redemit, quomodo nos Satanę uiolẽter abripuit, ac regnũ eius destruxit? Et quis nã fidelium adeò excors est, ut credat Christum filium Dei, uerum Deum & hominem, antiquo & maledicto Serpenti aduersario improbissimo, ad cuius destructionem in mundũ hunc uenit, dedisse precium, ut nos ab illo redimeret, cum maiore illum gloria prorsus expugnare, & genus humanũ de potestate illius potenter eripere posset? Quis adeò abiectę mẽtis est, ut hosti suo det precium, si quos ille captiuos tenet, forti dextra & cũ triũpho auferre queat? Quor sum datur Christo gloria triumphi, si nos dato precio redemit? Et tamen utraq; ista de Christo prædicantur, nec conuenit, ut sacras scripturas in ius uocemus.

Quòd nos Christus precio redemerit, quomodo sit intelligendũ.

Sciendum igitur est, diuersis ista respectibus de redemptore nostro prædicari. Quod nos precio redemisse dicitur, non est ad Satanã, sed ad Deum patrem referendum. Precium pro nobis dedit sanguinem suum, hoc est seipsum. Sic Eph. 1. In quo habemus, inquit, redemptionem per sanguinẽ ipsius. Et 1. Pet. 1. Non estis corruptibilibus, auro uel argento redempti, sed precioso sanguine agni immaculati & incontaminati Christi. Et 1. Timoth. 2. Vnus est mediator Dei & hominũ, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionẽ pro omnibus. Precium hoc dedit Deo patri. Nam huic semetipsum obtulit, tãquam mediator inter Deum & nos. Precium hoc sanguinis eius pro nobis effusi, oblatio est & uictima, pertinens ad illius sacerdotium, quo sacrificauit nõ Satanæ offerens, sed Deo patri. Ebr. 9. dicit Apostolus: Quãto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit, immaculatum Deo.

Quomodo nos Christus potenti manu liberarit.

Quòd uerò nos potenti manu liberauit, id est referendum ad Satanã principẽ huius mũdi, cuius potentiam & regnum destruxit: ac quos ille tenebat captiuos, liberauit. Sed dices: Quorsum opus erat preciũ dare Deo patri pro redimendo genere humano, cum non illius, sed Satanæ fuerimus captiui? Precium datum est non iniquo tyranno, sed ei qui ius condemnationis in nos habuit, Deo uidelicet in quem generis nostri parentes peccauerant. Satis faciendũ fuit illius iustitiæ. Cum hoc nemo posset præstare mortaliũ, nisi qui prorsus esset à culpa transgressionis & inobedientiæ alienus, talis autem nõ esset quisquam: misit Verbum suũ in carnem nostram in similitudine carnis peccati, ut, sicuti Paulus dicit Rom. 8. peccatum de peccato damnaret in carne. Hoc consilio redemptor noster obtulit semetipsum Deo patri, tãquam preciũ redemptionis pro nobis omnibus, ut à iure cõdemnationis, culpa & reatu peccati liberati, cum Deo reconciliaremur. Et ista reconciliatio uim & potentiam peccati ac Satanæ destruxit. Neq; enim fieri potuit, ut Serpens ille captiuos teneret eos amplius, qui per precium redemptionis Deo facti sunt reconciliati.

Sic utrunq; in cruce perfectum est. Et precium redemptionis Deo patri ad reconciliandũ genus humanum datum est, cum sanguinẽ suum pro nobis effunderet, & simul potestas peccati ac Satanæ destructa. Vt per mortem, inquit Apostolus Ebr. 2. destrueret eum qui mortis habebat imperium. Et Coloss. 2. memoratur, quòd chirographum, quod nobis aduersarium erat, in cruce deleuerit, & è medio sustulerit, remittens nobis peccata nostra, &c. Hæc uolui de modo redemptionis nostræ paucis propter rudiores perstringere, ut aliquid saltem lucis ex huiusmodi consideratione mediante gratia Christi percipiant.

Quãdo sit facta generis humani redẽptiõ.

Quintò. Et illud in considerationem præsentis causæ uenit, quando sit facta generis humani redemptio. Qui per gratiam suam ab æterno ante mundi constitutionem de redimẽdo genere humano penes se proposuit, per sapientiam suam, de tempore quoq; redemptionis huius constituit. Nihil hic est factum temerè. Omnia in sapientia, in numero, pondere & mensura fecit Deus: quanto magis in opere redemptionis singulari sunt prudẽtia & cõsilio cuncta disposita? Hac prudentia de tempore quoq; redimendi generis humani constitutum est, priusquam initiũ esset temporũ. Nemo cordatus ignorat magnam esse rationẽ temporum in rebus ritè, ordine & utiliter gerendis. De tempore cõsilij ac propositi Dei, quo de redimendis nobis constituit, non est quærendi ratio. Neq; enim capax est temporis, quod ante tẽpora factũ est ab æterno. Ipsum uerò opus redemptionis, quoniã tempori subiectum est, certã requirebat prefiniti tẽporis cõstitutionẽ. Hinc illud est Apostoli Gal. 4. Vbi uenit plenitudo tẽporis, misit Deus filium suum, &c. Et Eph. 1. Vt notum faceret nobis, inquit, mysterium uoluntatis suę secundum beneplacitum suum, quod proposuit in seipso ad dispensationem plenitudinis temporum, ut instauraret omnia per Christum, &c. plenitudo temporis est, cõstituti ac prefiniti temporis adimpletio. Venit plenitudo temporis, quãdo determinatum tempus est adimpletum. Hinc facile monemur, tempus redemptionis nostræ non fuisse fortuitum,

Plenitudo temporis.

quemadmo-

quẽadmodũ nec ipſum opus,ſed cõſilio diuinę ſapientię ab ęterno cõſtitutũ ac determinatũ.

Quod uero determinatum hoc tempus fuerit, & Propheticæ & Apoſtolicę literæ docent. Eſa.2.ea quæ de diſpenſatione Chriſti prædicũtur,deſtinantur nouiſsimis diebus. Et 1. Petri 1.Manifeſtati,inquit,nouiſsimis temporib. propter uos. Et hiſtoria Euãgelica ſatis declarat, quo tẽpore uenerit in hunc mundũ Redẽptor.Neq; primo,neq; intermedio uenit,ſed ueſpertino,cũ mundi huius curſus dimidiũ ſuperegreſſus ad occaſum inclinare cœpiſſet. Longi tẽporis ſpacium eſſe uidetur à natiuitate Chriſti ad hoc noſtrum uſq; ſęculum: uerùm ſi præterita ſæcula reſpicias,quæ legem præceſſerunt,& poſtea legi ad Chriſtum uſque deputata fuerunt,quæ ad quartum uſq; millenarium peruenerunt, intelliges diſpenſationẽ Chriſti poſtremis temporibus,ueluti ad ueſperam mundi fuiſſe deſtinatam. *Ad ueſperam mundi uenit Chriſtus.*

Hic noſtrum non eſt curioſius inquirere in cõſilium Dei, quare filium ſuum ac redemptorem non ſtatim poſt generis noſtri lapſum miſerit. Sunt huius rei dubio procul multę ac magnæ rationes, quibus diuina prouidentia curſum ſalutis humanæ ſic diſpoſuit, ut tempora, quibus genus noſtrum ſub peccato concluſum teneretur,& futuræ redemptionis promiſsiones,figuræ & umbræ, lex literæ quoq;, & curſus prophetarum ſuam haberent diſpenſationẽ, ultra dimidium præſentis mundi excurrerent. 1 Magnitudo máli hoc requirebat,ut innumeris,maximis,euidentiſsimis,& non unius tantum ſæculi,ſed multorum exemplis & argumẽtis magis ac magis patefieret,omniumq; exploratiſsimũ redderetur,totũ eſſe genus mortalium in ipſa natura corruptum ac deprauatũ. 2 Deinde declaranda erat immenſa illa & ſtupenda diuinæ bonitatis patientia, qua tot ſæculis deploratę mortaliũ malitię pepercit, & ſimul tempora ignorantię ac cæcitatis diſsimulauit,ſicuti Apoſtolus Act.17.loquitur. 3 Tertiò,acuendum erat piorum hominũ deſiderium,quo promiſſum ſemen indeſinentibus uotis ſuſpirarẽt,exercendaq; fides,futurã redemptionẽ expectans,& à longe ſalutans. In hac fide, ſpe,expectatione, deſiderio ac uotis nõ modò uiuendum, ſed & moriendum erat ſanctis hominib.& nondum quod expectabant,conſequutis ex hac uita migrandum. Pręterea efficiendum erat,ut quo magis patefactũ & exaggeratum eſſet perditionis noſtræ malum,hoc amplior & illuſtrior appareret catholicæ redẽptionis gloria & iuſtitia Dei,qua ipſe iuſtus iuſtificat eos qui ſunt ex fide Ieſu. uide Rom.3. Hæc poſſumus nos piè & utiliter in hac cauſa cõſiderare,& interim cauere ne ſecretiores tandiu dilatæ redemptionis cauſas temerè inueſtigemus. *Quare Chriſtus nõ ſtatim poſt Adæ peccatũ uenerit.*

Quærat aliquis forſan,quid actum ſit de illis,qui ante tempus redemptionis inde ab initio mundi ex hac uita migrarunt,quomodo illi ſaluari potuerint,cùm mortui ſint priuſquã Chriſtus redemptor naſceretur. Reſpondeo: Ipſum redemptionis opus temporis erat determinationi obnoxium,ut citius non eſſet, quàm conſtitutum erat,adimplendũ: effectus uerò & uirtus operis nullo pacto tempori eſt alligatũ, ſed pendet à gratiæ Dei perpetuitate, cœpitq; inde ab initio,& extenditur ad finẽ uſq; mundi. Et uirtutis huius reſpectu,non ipſius operis, quod poſtremis demum eſt temporibus impletũ,in Apocalypſi dictum eſt cap.13.agnũ, Chriſtum uidelicet,occiſum eſſe ab origine mundi. Virtus mortis eius quaſi utroq; brachio extenſo,tam præcedentia quã ſequentia ſæcula cõplexa eſt. Quare nõ debemus ſic pueriliter de redemptione generis noſtri ſentire, ut putemus efficaciam & uirtutem illius metiendã eſſe iuxta præſcriptum temporis, quo ipſum eſt illius opus perfectum. Corporaliũ ac temporaliũ redemptionum hæc eſt cõditio,ut captiui reipſa nequeant eſſe redempti ac liberati,priuſquã ipſum redemptionis opus perficiatur: deinde ipſa redemptionis efficacia ſeſe non extendat, niſi ad eos,qui tempore redemptionis uiui ac præſentes inueniuntur,ad demortuos uerò ne quaquam. Quare omniũ ſtultiſsimi ſunt,qui ſacras ſcripturas de liberatione per Chriſtũ promiſſa uaticinantes,ad temporariam & corporalem redemptionẽ referunt. Longè amplior & efficatior eſt hæc redemptio mundo in Chriſto deſtinata. Aeterna eſt,nõ temporaria. Semel, inquit Apoſtolus,introiuit in ſancta,æterna redemptione inuenta, Ebr.9. Quod æternũ eſt, nec præcedentibus nec pręſentibus neq; futuris tantum eſt temporibus alligãdum. Redemptio hæc æterna eſt,primũ propter conſilium gratiæ Dei,quo propoſita fuit ab æterno: deinde propter perpetuitatẽ illã, qua per cuncta ſæcula à principio ad finem uſq; mundi, & ultrà in ſempiternum ſeſe uirtus illius extendit. Quapropter nõ eſt quęrendum de illis qui mortui ſunt præcedentib. ſæculis,priuſquã Chriſtus naſceretur. Eadem gratia & redemptione ſalus illorum conſtat,qua noſtra. Huc referenda ſunt,quæ Rom.3. ad hunc modum legimus, Omnes peccauerunt, ac deſtituuntur gloria Dei: iuſtificantur autem gratis per illius gratiã, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus reconciliatorem per fidem,in terueniente ipſius ſanguine,ad oſtendendũ iuſtitiã ſuam propter remiſsionem peccatorum, quæ antea facta fuerant ſub tolerantia Dei, ad oſtendendum iuſtitiam ſuam in pręſenti tempore, &c. Tolerantiam Dei uocat tempus tolerantiæ Dei, qua præcedentium ſæculorum temporibus pepercit,ſicut & Act.decimoſeptimo memoratur, Donec adueniret tempus redemptionis, & declarandæ iuſtitiæ, qua iuſtificantur in Chriſtum credentes, & præteritorum ſæculorum peccata remittuntur. Huc pertinent etiam quæ ad Ebræos 9. legimus: Et ob id, inquit, noui Teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente ad redemptionem ea- *De illis qui ante natum Chriſtum mortui ſunt.* *Aeterna redẽptio.*

rum

rum preuaricationum, quę ad missæ fuerunt sub priori testamento, ij qui uocati sunt, promissionem accipiant æternæ hæreditatis. Hac consideratione admonemur, salutem ac uitã non constitisse maioribus, ullis quibuscunq; uel legalibus uel alterius generis obseruationib. nec quantacunq; uitæ sanctimonia & iustitia, sed sola in futurum Christum fide, quemadmodum & nobis qui in præstitam redemptionis gratiam credimus.

Cui nos Christus, et ad quid redemerit.

Sextò, de eo quoq; cogitandum est, cui nos Christus, & ad quid redemerit. Quoniam redemit nos haud alienos à iure suo, sed ad dominium ipsius pertinentes, cui meritò subiecta sunt quæcunq; ab ipso sunt condita, & à quo per inobedientiam defeceramus: manifestum est, quòd nos sibi redemerit, ut iam duplici nomine ad ius proprietatis ipsius pertineamus, creationis uidelicet, & redemptionis. Hactenus non sic redempti sumus, ut simus liberi, nostrique ipsorum iuris & arbitrij: sed ut, quemadmodum Apostolus dicit, Domini simus siue uiuamus siue moriamur. Hinc tria colliguntur. Primum, non esse nobis liberum, ut uiuamus nobis ipsis, gloriemurq; de libero nostro arbitrio, de quo multis disputant Scholastici. Secundum, non licere nobis, ut seruiamus alteri ab eo qui nos redemit. Hinc illud est Apostoli, primæ Corinthiorum septimo, Precio empti estis, nolite fieri serui hominum. Tertium, non conuenire nobis, ut iudicemus fratres. Tu quis es, inquit Apostolus, qui iudicas alienũ seruum? Domino suo stat aut cadit.

Ad quid.

Ad quid nos redemerit sibi Christus, & ipsum considerationem habet admodum utilem. Si nos studio dominandi redemisset, ad nihil aliud redempti ab eo essemus, quàm ut haberet populum, cui pro libitu dominaretur. Et hic redemptionis finis non nostro, sed ipsius bono cederet. Verùm quoniam redemptionis huius origo, consilium ac propositum æternæ gratiæ est, necesse est, ut & finis ad eandem pertineat. Natura autem gratiæ omnium alienissima est à philautia, nihil minus quàm proprij commodi studiosa: quare nec respectus illius talis esse potest, qui ad proprij emolumenti studia tendat. Consequitur itaq;, quòd redempti sumus à Christo secundum æternæ gratiæ propositum, ad hunc esse finem factum, ut nobis magis quàm redemptori sit consultum: id quod & redemptionis fructus declarant. Etenim hac redemptione facti sumus ex seruis peccati & Satanæ non modò serui & reconciliati, sed & filij ac hæredes Dei. Amplitudo huius gratię posit, ut sancti tati & iustitiæ studeamus, simusq; redemptori populus non solum peculiaris, sed & immaculatus. Sic Apostolus ad Titum secundo dicit: Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Magnum erat peccatũ, per quod in seruitutem incidimus peccati ac Satanæ: accessionibus deniq; scelerum & impietatis infinitis modis auctum, naturam generis nostri ad inferos usq; depresserat. Hanc peccati abundantiam abundantia cœlestis gratiæ superauit, & redemptorem misit. Iam quæso, quis satis perpenderit quàm enormem oporteat esse cordis nostri impietatem, malitiam & ingratitudinem, si post immensam redemptionis gratiam, cõtumeliam hanc & ignominiam Christo redemptori intulerimus, ut ad hostilia Serpentis antiqui castra recurramus, & pristinę seruituti, unde sanguine filij Dei redẽpti eramus, colla, imò corpora & animas nostras subijciamus? Grauiter peccant aduersus hanc redemptoris gratiam, qui oblatam auersantur & contemnunt. Verùm omnium grauissimè peccant, qui acceptam, ac symbolo sancto obsignatam prophanant, Satanęq; ludibrio ad uomitum reuersi exponunt. Hæc de redemptione generis humani existimaui pijs mentibus plurimum posse prodesse, si piè ac religiosè considerentur. Materia est amplissima, uerùm modica hęc talia sunt, ut ad eorum quoq; considerationẽ, quę memorata non sunt, non incommodè seruire queant.

DE INCARNATIONE VERBI.

POSTQVAM de redemptione generis humani, q̃ per Christũ est facta, quę necessaria uidebantur annotauimus, priusquam ad ulteriora progrediamur, quę ad dispensationem salutis nostræ pertinent, operæprecium existimo uidere locum de incarnatione Christi, quandoquidem illa potissimũ ad opus redemptionis nostræ spectat. Annotabimus autem ea duntaxat, quæ ad fidei nostræ puritatem ac certitudinem retinendam facere uidebuntur, amputatis inutilibus & curiosis Scholasticorum ac Sophistarum argutijs: quales sunt Scoticę istę, tenebricosæ uidelicet, an sit incarnatio uerbi res possibilis, quid addat persona uel suppositũ supra naturam, an una persona possit incarnari sine alia, quę sit formalis ratio terminandi incarnationem, utrum tres personæ possint assumere eandem naturam numero: an Deus incarnatus fuisset, si homo non peccasset. quam quæstionem nonnulli nostrorum in cœno Sophistarum sepultã in lucem reuocare uoluerunt, an Deus possit assumere naturã rationalẽ, an corpus Christi fuerit subitò ac in instanti formatum: utrum B. Virgo operata sit aliquid actiuè in conceptione filij sui, utrum persona possit assumere personã, an in Christo sint plura esse, an in Christo

Argutiæ Scoticæ.

in Christo sint duæ filiationes reales. utrum Christus secũdum quod homo est, sit persona, an Deus potuerit aliunde assumere hominem quã de genere Adæ, & licueritne deo assumere hominem de sexu fœmineo: & quæ alia consimilis farinæ etiam de anima Christi disputant, quæ omnia relinquenda sunt hominibus ociosis, qui ir religiosius quã par est, in examinandis religionis nostræ capitibus uersantur, & ingenij humani spinas magis quàm salubres diuinæ ueritatis fructus in medium adferunt.

Mysterium incarnati uerbi consideraturis, opus est ut uerbum tanquam subiectum, deinde incarnationem, quæ de uerbo prædicatur, inspiciant. Quoniam autem nõ de quolibet uerbo incarnatio ista prædicatur, sed de uerbo quod sit in Deo, ad confirmationem fidei nostræ cum primis opus est, ut testimonia de illo sacrarum scripturarum audiamus. Quòd uerbum sit in Deo, statim initio libri Geneseos manifestatur, ubi in historia creationis omnium toties iteratur illud: Et dixit Deus, Fiat. item, Et factum est. ad quod respexit propheta dicens: Dixit, & facta sunt: mandauit, & creata sunt. Et alio in loco, Verbo domini cœli firmati sunt. Et Ioannes capite primo: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & deus erat uerbum. Et Paulus Ebr. 1. cum dicit: Portans omnia uerbo uirtutis suæ. Et cap. 11. Fide intelligimus aptata esse sæcula uerbo Dei. *De uerbo Dei testimonia scripturarum.*

Itaq; testimonio sacrarum scripturarum ueteris ac noui instrumenti cõfirmatur in eo fides nostra, quòd credimus in Deo esse uerbum: cuius rei testimonia in ethnicorum quoq; literis reperiuntur, qui diuinitati tribuerunt νοῦν, λόγον & πνεῦμα, id est, mentem, sermonem, & spiritum. *νοῦ, λόγου, πνεύματος.*

Quare Christianus homo hoc firmius fidei nostræ inhærere potest, quòd quæ de Deo patre & uerbo illius credit, tam sunt certa & manifesta, ut non solum sacrarum scripturarum, sed & ethnicorum hominum testimonijs comprobentur, ac palàm infelicium Iudæorum cæcitatem redarguant.

Quomodo autem uerbum sit in Deo, nemo Christianus curiosius inquiret. Quæ de Deo prædicantur, nostro sunt captui sic attemperata, ut magis aliqua sint similitudine, quàm secũdum exactam diuinæ naturæ & essentiæ proprietatem prolata. Ne putaremus esse Deum essentiã quandam, supremam quidem & excellentissimam: uerùm ab omnibus alijs tam spiritibus, quàm corporibus infinita sua eminentia discretam ac separatam, uocatus est ab Ebræis יהוה tanquã existens ubiq;, & cuncta condens & conseruans, & à Græcis θεὸς, id est penetrans et percurrens: unde ad Latinos uox deus peruenit. Et ut innueretur, id esse illum, totius orbis machinæ, quod mens est in homine, uocarunt eũ νοῦν, id est mentem. Deniq; dederunt illi λόγον & πνεῦμα, id est, uerbum & spiritum, ut admonerẽt infinitam illam diuinitatis essentiam nõ sic esse comparatam, ut tota in se quiescat, & uirtutem suam, bonitatem ac sapiẽtiam sibi soli contineat, sed magis proferat ac manifestet: sicuti mens hominis ociosa esse non potest, sed quod in se concepit, uerbo exprimit, mediãte spiritu, qui quasi uehiculum est, quo uerbum ex imis penetralibus profertur. Finge Deum patrem esse fontem inexhaustum ac uiuum, uerbum ac filium eius esse riuum ex fonte indesinenter fluentem: spiritum esse motum ac effluxum, per quẽ aqua è sinu fontis promanat, qui motus sine aeris interuẽtu & operatione fieri nõ potest. Quòd autẽ Verbum hoc filius dei uocatur, perinde est, ac si riuũ uoces filiũ fontis, & uerbum nostrũ filium mẽtis. Sic inq;, attemperatæ sunt hæ uoces, Deus, uerbum: uel, pater, filius & spiritus ad captus nostri infirmitatẽ. De diuina quippe natura & essentia, ut illa in se existit, ne angelus quidẽ loqui, nec quisquã mortalium loquentem capere posset. Verũ de metaphora hac uerbi, uidere licet quæ annotata sunt in Cõmentarijs nostris super Ioann. cap. 1. *Quomodo uerbũ sit in Deo.* יהוה *θεὸς Deus.* *νοῦν.* *λόγον,* *Simile.* *Verbum filius Dei.*

De hoc uerbo Dei, quid nobis sentiendũ sit, nemo melius præscribet, quàm spiritus S. per euangelistã Ioannem initio primi capitis expressit, ubi dicit: In principio erat uerbũ, & uerbũ erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Hoc erat in principio apud Deũ. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factũ est nihil, quod factum est. In ipso uita erat, & uita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt. Et paulo pòst: Et uerbum caro factum est, & habitauit inter nos (& conspeximus gloriam eius, gloriam tanquam unigeniti à patre) plenum gratia & ueritate.

Duplicis generis prædicata de uerbo Dei ponuntur ab Euãgelista: diuinitatis uidelicet, & incarnationis. Ad diuinitatem pertinet, quòd dicit, uerbũ fuisse in principio, fuisse apud deũ, & fuisse Deum: deinde per illud esse facturam, uitam & lucem omnium. De hisce prædicatis, quomodo diuinitatis Christi comprobationem habeant, in Commentarijs nostris super Ioannem exposuimus. Ad incarnationem pertinet, quod dicit: Et uerbum caro factum est, &c. quod nihil est aliud, quàm, Et uerbum homo factum est: quamuis non careat ratione, quòd carnis dictione est usus. Cum autem uerbum dicit factum esse hominem, de quo iam antea, quòd Deus esset, prædicauerat, sine ulla cõtradictione, Deum hominem esse factum dicit, licet maluerit dicere, uerbum, quàm Deum factum esse carnem: unde & ecclesiæ uox esse cœpit, Deum hominem esse factum, atque ita humanam naturam diuinæ coadunatam. Sed consideremus ea quæ materiam hanc concernunt. *Duplicis generis prædicata de uerbo dei.*

Principiò, non dicit, Et Deus caro factus est: sed, Et uerbum caro factũ est. Cùm Deũ nomi- *Non dicit, Et*

Deus caro factus est.

nas, tam potest ad patrem & spiritum sanctum, quàm ad uerbũ referri. Quare si dixisset, Deus caro factus est, nullam personam diuinitatis expressisset: ac posset incarnationis prædicatum tam referri ad patrem, uel spiritum sanctum quàm ad uerbum. Cùm itaq; nec pater, nec spiritus sanctus incarnatus sit, sed uerbum, caute nõ dixit, Deus: sed, Verbum caro factũ est. Quærunt hic, quare nõ sit pater, uel spiritus incarnatus, sed uerbum. Et statuunt equidè posse patrem & spiritũ sanctũ incarnari atq; uerbum: uerùm conuenientius fuisse, ut uerbum caro fieret, primùm ob id, quòd decuerit redimi mundum, ac restaurari omnia per sapientiã, qua sunt omnia condita: deinde propterea, quòd origo filij est esse ab alio, quod patri nõ conuenit: tertiò, qd inconueniens fuerit duos esse filios, alium in diuinitate, & alium in humanitate, quare conueniens fuerit, ut qui filius est in diuinitate, filius fieret etiam in humanitate. Et ut declarent, nihilo tamen minus sacram Triaden operatam fuisse in hac uerbi incarnatione, fingunt tres puellas parare tunicam, & hanc unam ex ipsis induere. Sic, inquiunt, tres sacræ Triadis personæ operatæ quidem sunt in opere incarnationis huius, uerùm una ex illis tantum carnẽ induit. Arbitror ista nihil habere incommodi, si curiositati non seruiant. Meo tamen iudicio, incarnari oportuit, nec patrem, nec spiritum sanctum, sed uerbum, non solum ob id quòd filius est in diuinitate, perq; ipsum conditus est mundus: sed & hac potissimum ratione, quòd uerbum consilium illud est Dei, patri coæternum, de saluando genere humano propositum, in quo nostra redemptio prædestinata fuit ab æterno, in quo etiam electi sumus in adoptionem filiorum Dei, sicut Ephesiorum primo uidere licet. Quare non potuit opus redemptionis nostræ perfici, nisi per hoc uerbum, quia nec debuit, nec potuit discrepare ab æterna uoluntate Dei prædestinatione.

Nõ dicit, Christus caro factus est.

Deinde non dicit: Christus caro factus est. hoc enim perinde esset, ac si diceret: Verbum incarnatum caro factum est. Nam Christus uerbum est incarnatum, Deus & homo. Nec dicit, Christus natus est: sed, Verbum caro factum est: ut admoneat, unde cõstet Christus, ex uerbo uidelicet & carne, ut in natiuitate illius non humanam duntaxat, sed simul & diuinam naturam humanæ personaliter coniunctam consideremus. Quare periphrasim hanc Christi, uerbum uidelicet, caro factum, tanquam à spiritu sancto expressam, firma & inconcussa fide tenere & usurpare debemus: ut si rogetur Christianus, quid sit Christus: respondeat, Verbum caro factum.

Non dicit, Verbum factũ est.

Tertiò, non dicit simpliciter, Verbum factum est: sed, Verbum caro factum est. Non prædicat de uerbo, quòd sit factum, sicuti nec suprà dixit, In principio fecit Deus uerbũ: uel, in principio factum est uerbum: sed, In principio erat uerbum, qua loquutione æternitatem uerbo tribuit. Impia est Arianorum sententia, qua uerbum factum esse, pertinaciter asseruerunt.

Non dicit, Verbum homo factum est.

Quartò, non dicit, Verbum homo factum est. licet enim, sicut & suprà memini, per dictionem carnis, non carnem simpliciter, sed & animam & spiritum cum carne, hoc est, totum hominem intelligat: significanter tamen, & magna ratione maluit dicere, Verbum caro, quã Verbum homo, aut filius Mariæ, uel filius hominis factum est. 1 Primũ enim dictione carnis significatur nobis, non unum tantũ illum hominem, quem Virgo peperit, in hanc esse coadunationem à uerbo assumptum: sed ipsam humani generis naturam, propter quam redimendã ac restaurandam hæc est incarnatio uerbi ab æterno prædestinata, ut sentiẽdum nobis sit, uerbum esse factum non modò uirginis Mariæ, sed planè ipsius quoq; Adæ & Euæ filium, quod & Lucas diligenter in genealogia ipsius expresit.

Infirmitas humana à uerbo assumpta.

2 Deinde carnis uocula, etiam infirmitatis humanæ significationẽ habet, ut sciamus uerbũ Dei non sic esse hominem factum, ut ea duntaxat quæ humani sunt spiritus & animæ, sed & ipsius carnis nostræ infirmitatem, dempto peccato, assumpserit: quod & in ipso dispensationis ipsius cursu satis est expressum, dum esurijt ac sitiuit, comedit & bibit, fessus factus est, dormiuit, fleuit, contristatus fuit, & tandem mortem sustinuit, quæ omnia non sunt ab illo per simulationem ficta, sed secundum humanæ naturæ ueritatem ueraciter declarata.

Non dicit, Verbum carnem susc epit, aut sibi coniunxit.

Quintò, non dicit, Verbum carnem suscepit, aut sibi coniunxit: sed, Verbum caro factum est. Amplius quiddam est fieri carnem, quàm assumere aut coniungere sibi carnem. Nemo mox id esse dicitur, quod assumit, aut sibi coniungit. Quæ assumimus, habemus quidem: uerùm ea non mox sumus, quantumuis illa nobis proximè coniungamus. Quid coniunctius esse potest, & unitum magis quàm sempiterna illa in diuinitate personarum Trinitas? Et tamen dici non potest, quòd pater sit factus filius, aut spiritus sanctus, uel filius pater aut spiritus sanctus: uel spiritus sanctus pater aut filius, sicut hic de uerbo prædicatur, quòd sit factum caro. Quare? Quia sanctæ Trinitatis unitas naturæ diuinæ est, non personæ, hoc est, non una & eadem persona, sed una & eadem natura constat. Adhuc, Mas & fœmina sic iunguntur & uniuntur coniugio, ut in unam carnem transeant. Iam, inquit, non sunt duo, sed una caro. Et tamen nemo ueraciter dicere potest, quòd uir fœmina fiat. Quare? Quia non in unam & eandem personam copulantur mas & fœmina, sed in coniugio duæ sunt personę, eadem carne & natura coniunctæ. At uerbum caro factum dici potest, propterea quòd non simpliciter carnem nostram assumpsit, sed illi sese unitate personę coniunxit. Est autem hæc conditio

perſonalis unitatis, ut licet diuerſas naturas comprehendat: de altera tamen, quod altera eſt prædicari queat, ut in hac cauſa de uerbo prædicatur, quòd ſit factum caro. Magna diuerſitas uerbi & carnis, ſi utriuſq; naturam inſpicias. Maior non eſt cœli & terræ. Illic enim diſcrimen eſt inter creata, quæ in eo ſaltem conueniunt, quod pertinent utraque ad infirmitatem, humilitatem & corruptionem creaturarum: hic uerò in immenſum diſcernuntur, opifex & opificium, natura infinita, immortalis, omnipotens & æterna: & natura finita, mortalis, infirmiſſima & temporaria. Sic tamen diuerſiſſimæ duæ hæ naturæ diuinitatis & humanitatis, uerbi & carnis, in unam perſonam coierunt, ut per communicationem idiomatum de uerbo prædicari caro poſsit. Sic dicere poſſumus, Verbum eſſe natum ex Virgine, ediſſe, bibiſſe, creuiſſe, prædicaſſe in mundo, fleuiſſe, contriſtatum ac mortuum fuiſſe, reſurrexiſſe, & ad cœlos aſcendiſſe. Hæc omnia in Chriſto non aliter quàm in homine conſiderata, multo ſunt humiliora, quàm ut ad ſalutem, & redemptionem generis humani facere poſſe uideantur. Quare ipſa fidei noſtræ neceſsitas hoc requirit, ut carnem & opera carnis non ſeparatim, ſed coniunctim cum diuinitate uerbi conſideremus. Conſultiſsimè itaq; factum eſt ab euangeliſta, quòd non ſimpliciter dixit, Verbum carnem aſſumpſit: ſed, Verbum caro factum eſt, ut perſonalem hâc utriuſque uerbi & carnis unitatem exprimeret.

Perſonalis unitas.

Cõmunicatio idiomatum.

De eo hic nonnulli diſputant, an non æquè dici poſsit, Caro uerbum facta eſt: &, Homo deus factus eſt, atque Verbum caro: &, Deus homo factus eſt. Scio quid admittat communicatio idiomatum, & in quam ſit humana caro dignitatem in uerbo euecta: uerùm meo iudicio, noſtram decet modeſtiam, ut malimus ſecundum os ſpiritus ſancti de diuina gratia & dignatione prædicare, quid factum ſit uerbum, quàm quid facta ſit caro noſtra. Opus ipſum incarnationis huius, quod nulla unquam humana ſapientia comprehendere potuit, omnino non eſt noſtrum, ſed uerbi. Quare prædicatum quoq; illius conuenit non noſtræ carni tribuere, ſed ſoli Verbo. Satis ſit pio homini ſcire, admirari, adorare ac deprædicare quid fecerit nobis diuina dignatio, & interim gratia & effectu illius feliciter frui. Alioqui ad diuinitatis gloriam caro noſtra inde à primæua corruptione adſpirat, cui non debemus uel tantillum occaſionis obijcere, unde infletur, & humilitatis ſuæ obliuiſcatur, magisq; iactet ſuas ipſius glorias, quàm diuinæ miſerationis beneficia. Hoc quippe ſumus ingenio, ut paratiores ſimus ad qualiſcunq; & qualitercunq; acquiſitæ dignitatis glorias efflandas, quàm ad recordandũ quæ ſit noſtræ humilitatis origo, ac prædicandum benefactoris gratiam. Et hinc cordatus homo facilè uidere poterit, quare contra eos contendamus, qui carnem in Chriſto deificant, iudicemusq́ manendum in eo, ut dicamus Verbum humanificatum magis, quàm carnem deificatam.

An dici poſsit, Caro uerbum facta eſt.

Sextò, non dicit, Verbum in carnem mutatum eſt: ſed, Verbum caro factum eſt. Mutatio iſta alterationem haberet naturæ, quæ in Chriſto locum habere non poteſt, ſiue diuinam illius, ſiue humanam naturam inſpicias. Verbum non eſt mutatum, ſed naturam ſuam retinuit, nec aſſumpta caro naturam ſuam amiſit. Fieri non poteſt, ut deſinat Deus eſſe Deus. Diuina natura nec mutationem, nec finem admittit. Eſt enim immutabilis & infinita. Nec diſpẽſatio ſuſcepta ferre poteſt, ut humana natura diuinæ coniuncta, quæ propria habet, amiſerit: alioqui conſequeretur non eſſe Chriſtum uerum hominem, nec uerè conceptum, natum, paſſum, mortuum, & à mortuis excitatum: quæ tamen omnia illi ſacræ literæ palàm ac ſimpliciter adſcribunt. Quapropter rectè canit eccleſia: Deus homo factus, quod non erat aſſumpſit, & quod erat, non amiſit. Nec unitas perſonæ naturarum mutationem requirerit, ſed integras conſeruat.

Non dicit, Verbum in carnẽ mutatum eſt.

Ex anima & carne perſonaliter coniunctis, una conſtat hominis perſona. Anima cœleſtem, caro terrenam habet originem: illa immortalis & impatiens corruptionis, iſta mortalis & corruptibilis. Et tamen ſic coniungantur inconfuſæ, ut utriq; ſua natura maneat.

Simile.

Teſtimonia diuinitatis, quæ Chriſto in ſacris ſcripturis dantur, prorſus uana eſſent, ſi uerbum mutatum eſſet in carnem: rurſus nihil mererentur fidei omnia ea teſtimonia, quæ literæ Euangeliſtarum de uera Chriſti humanitate proponunt, ſi caro mutata eſſet in uerbum. Apoſtolus Coloſſenſium primo omnia conſtare per Chriſtum, inq; illo omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter inhabitare dicit. Tolle illi naturam uerbi, nullius momenti erit hoc Apoſtoli teſtimonium. Euangeliſtæ & Apoſtolus teſtantur de illo, quòd ſit de ſemine Abrahæ & Dauidis ſecundum carnem, fructus uentris Mariæ, conceptus in illius utero, & ſecundum plenitudinem temporis, quod grauidis deſtinatum eſt, à Deo natus, & quæ alia de curſu diſpenſationis illius uerum hominem conuincentia memorant: ut taceam quod teſtatur Apoſtolus, eſſe nos os de oſsibus, ac carnem de carne illius. Hęc inquam, omnia prorſus erunt falſa, ſi caro illius per Verbi coniunctionem naturam ſuam amiſit, & in diuinam tranſijt. Quare diligenter obſeruandum eſt hoc loco, contra falſos doctores, qui ueram carnis noſtræ naturã Chriſto auferunt, quòd non dicit, Verbum mutatum eſt in carnem, neq;, Verbum mutauit in ſe carnem: ſed, Verbum caro factum eſt.

Teſtimonia diuinitatis & humanitatis Chriſti uana eſſe nõ poſſunt.

Ephe. 5.

Diligentia patrum.

Magna & admodum neceſſaria cura in eo fuerunt ſancti ac docti uiri, qui in aſſerenda fidei

noſtræ puritate laborarunt, ut errores eorum refutarent, qui duas in Chriſto naturas uel negabant, uel confundebant, aut ſic alterutram confitebantur, ut alteram extinguerent: uel ambas ſic ſtatuebant, ut duas etiam perſonas aſſererent. Eſt autem mirabili aſtu ſatanæ factũ, ut ſimplicitas fidelium uſqueadeò circunuallaretur, oppoſitis ſibi inuicem hæreſibus, ut periculum ſit, ſi à dextris urgentem impietatem fugere uolueris, ne incidas in cõtrariam, & à ſiniſtris inſidiantem. Quemadmodum enim in fide ſacræ Triadis, ſi uelis declinare Sabellium, ſic unitatem naturæ in diuinitate ſtatuentem, ut Triaden perſonarum tollat, niſi cautè declines, procliue eſt, ut incidas in Arium, qui tres quidem perſonas in Diuinitate confitetur: uerùm unitatem naturæ extinguit, dum naturam uerbi à natura Dei patris, quaſi creatam ab increata, factam ab opifice diuellit: conſimili modo euenire poteſt incautis, ut dum fugiunt uenenum Manichæi, ſic diuinam Chriſti naturam extollentis, ut ueritate humanæ naturæ negata, phantaſticum corpus ac ſimilitudinem hominis, non ueritatem habuiſſe Chriſtum contendat, impingant ad ſiniſtram, & cadant in laqueos Photini, ſic ueritatem humanæ naturæ Chriſto tribuentis, ut diuinam illi prorſus adimat. Rurſus ſi Neſtorium Conſtantinopolitanum archiepiſcopum auerſari uoluerint, qui ſic duas in Chriſto naturas eſſe fatetur, ut ſimul duas in illo ſtatuat eſſe perſonas, ac unum Chriſtum ſcindat in duos: unum, qui ſit filius Dei: alterum, qui ſit filius hominis: periculum eſt, ne incidant in Eutychen Conſtantinopolitanum abbatem, qui ſic unam ſtatuit in Chriſto perſonam, ac duas negauit, ut ſimul unum duntaxat in illo tradiderit eſſe naturam, diuinam uidelicet, humana per uerbi coniunctionem abſorpta.

Sabellius. *Arius.* *Manichæus.* *Photinus.* *Neſtorius.* *Eutyches.*

Tria paria hæreticorũ eccleſiam admodũ diuexarunt.

Hæc tria paria hæreticorum eccleſiam Chriſti mirum in modum diuexarunt, uigilantia autem ac dexteritate ſanctorum patrum fortiter ſunt priſcis temporibus armatura diuini uerbi repreſſa quidem, ſed non prorſus extincta. Nam ex relictis illorum ueluti ſcintillis, nouas uidemus hoc noſtro ſeculo faces exurgere. Sunt qui Sabellium ſpirent, unam duntaxat in diuinitate perſonam ſtatuentes: ſunt qui uirus Arij ſpargant, dum Chriſtum æternum Dei filium ex ſubſtantia patris ante ſecula genitum eſſe negant. Adhuc ſunt, qui Eutychen reſuſcitantes, aſſerant naturam humanam ſic eſſe in utero Virginis à diuinitate uerbi abſorptam, ut non niſi diuina manſerit. Horum nonnulli ubi euidentibus ſacrarum ſcripturarum teſtimonijs compulſi, ueritatem carnis à uerbo aſſumptæ fateri coguntur, fatentur illam non ultra terminum terrenæ diſpenſationis, quem conſtituunt in aſcenſione Seruatoris, poſt quam contendũt nihil in illo ſupereſſe de aſſumpta hominis natura.

Scitè diſtinguẽdum inter naturã & perſonam.

Quare admonendi ſunt pij homines, ut hoſce ueterum hæreſeon renouatores ſtudioſiſsimè auerſantes, ſcitè diſtinguant inter naturam & perſonam, ne per errorem ſic unam in Chriſto perſonam ſtatuant, ut duas naturas negent: aut mixtione portẽtoſa confundant, uel dum agnoſcunt duas eſſe in illo naturas, ſuis à ſe inuicẽ proprietatibus diſtinctas, ſimul exiſtiment duas etiam in illo eſſe perſonas. Quod perſonam attinet, una eſt unius & eiuſdem Chriſti perſona: quod naturam, ſunt in illo duæ diſtinctæ quidem, ſed non à ſe inuicem diuulſæ naturæ, diuina, quæ uerbi aſſumentis: & humana, quæ carnis eſt aſſumptæ, quarum neutra mutatur in alteram, ſed ſuas unaquæq; proprias & naturales conditiones retinet. Verus homo Chriſtus cœlis illatus, ſic in die iudicij reuerſus uidebitur, quẽadmodum eſt à diſcipulis ad cœlos aſcendere uiſus: nec aliusab eo qui aſcendit, ſed idem filius hominis, ipſius quoq; teſtimonio, cum angelis in maieſtate & gloria patris redibit, & tandem regnum Deo ac patri reddet, ſicuti uidere eſt prima Corinthiorum 15.

De hiſce uolui hoc loco admonere per occaſionem eius, quòd Euangeliſta nõ dicit, Et uerbum in carnem mutatum eſt, quod placeret Photinianis: neque, Et uerbum carnem in ſe mutauit, quod arrideret Eutychianis: neque, Et uerbum carnem ſimulauit, quod pro ſe dictum Manichęi arriperent: neque, Et Deus carnem aſſumpſit, quod falſo pro ſua impietate confirmanda uſurparet Sabellius: nec ſimpliciter, Et uerbum factum eſt, quod in cœlos uſq; extolleret Arius: ſed, Et uerbum caro factum eſt. hoc eſt, uerbum ſic carnem noſtram aſſumpſit, ut eandem cum illa perſonam ſubierit, quæ unius eſt Chriſti uer[illegible]i ac ueri hominis. Quòd ſi hoc loco, Factum eſſe, idem eſſet quod, Vel mutatum eſſe, uel de[illegible]a natura in aliam tranſijſſe: conſequeretur potius uerbum in carnem, quàm carnem mutatam eſſe in uerbũ, ut quod horribile eſſet pijs mentibus, diuinam naturam in utero Virginis defeciſſe, mutatamq; eſſe, ſentire cogeremur. Aliud enim eſt, carnem fieri uerbum, quàm uerbum fieri carnẽ. Sed abſint hæc portenta. Nec caro in uerbum, nec uerbum mutatum eſt in carnem. Nihil horum uenit Euangeliſtæ in mentem, quum hoc ſcriberet, ſed unum hoc egit, ut quemadmodum reliqui Euangeliſtæ humanam, ita ipſe & diuinam & humanam Chriſti naturam exponeret.

Vnde ſit origo carnis à Verbo aſſumptæ contra Valentinianos.

Septimò, hactenus de uerbis Euangeliſtæ Ioannis, in quib. palàm duas Chriſto naturas, diuinam uidelicet & humanam tribuit, quum uerbum carnem eſſe factum dicit: iam conſequenter uideamus, unde ſit carnis à uerbo aſſumptæ origo. Valentinus ille Platonicus carnem Chriſto tribuit, non ex generis noſtri propagine deſumptam, ſed cœlo delatam. Huius ſectatores, quo fucum faciant ſacrarum ſcripturarum imperitis, citant ex illis ueluti teſtimonia

ad dogmatis ſui confirmationem: utpote Ioannis tertio, Nemo aſcẽdit in cœlum, niſi qui deſcẽdit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo. Sic filium hominis de cœlo deſcendiſſe iudicãt, ut non ſolùm uerbo, ſed & carne deſcenderit in uterum Virginis. Et Ioannis octauo: Vos de inferis eſtis, ego de ſupernis ſum. Et hoc referunt non ad corruptionem, ſed ad originem carnis. Et Ioannis tertio: Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur: qui de cœlo uenit, ſuper omnes eſt. Ergo, inquiunt, Chriſtus non ut nos de terra, ſed ut filius Dei de cœlo habet carnis ſuæ originem. Et 1. Corinthiorum decimoquinto: Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo ipſe Dominus de cœlo. Et hunc locum conſimiliter ad carnis Chriſti originem trahũt. Præterea quòd in ſymbolo fidei confitetur eccleſia fidelium, conceptum eſſe Chriſtum de ſpiritu ſancto, ad hunc ipſorum errorem detorquent, conſtituentes ſpiritum ſanctum ſic authorem carnis Chriſti, ut diuinam illi originem tribuant, humanam negent. Itaque hoc errore obcæcati affirmant, beatam Virginem nihil attuliſſe ad incarnationem Verbi, quàm quòd hoſpitium ad formationem illius præbuerit in utero ſuo: deinde geſtarit formatum, ac peperit: ut hoc pacto Chriſtus fuerit non fœtus, aut fructus, ſed hoſpes uteri uirginei, contra manifeſtum uerbum Elizabeth, quæ dicebat: Et benedictus fructus uentris tui. Sic ſentiunt Valentiniani de origine carnis Chriſti.

Orthodoxa uerò eccleſia credit & fatetur carnem Chriſti deſumptam eſſe generaliter de carne noſtra, quam communiter omnes ex ipſo generis noſtri parente Adamo naturali propagatione accepimus, ſpecialiter uerò de ſemine Dauidis & Abrahæ. Et hanc fidem confitemur, credentes teſtimonijs Euangelicis & Apoſtolicis. Lucas illam confirmat, dum generationem carnis Chriſti, quemadmodum & ſuprà monui, inde ab Adamo deducit, cui etiam ſpes facta fuerat, quòd ſemen mulieris contriturum eſſet caput ſerpentis, quod de nemine alio quàm Chriſto intelligi poteſt, ſicuti & uox mulieris cum primis ad Euam rectè refertur, ut irrefragabiliter conuincatur eſſe Chriſtum ſemen mulieris, & filium Euæ. Hoc quomodo ueraciter dici poſsit, niſi caro illius ex carne Adæ & Euæ, noſtra uidelicet communi deſumpta ſit, non uideo. Deinde quod ſpecialiter de ſemine Abrahæ & Dauidis originem ſuam habeat, luculentum eſt Euangeliſtæ & Apoſtoli Matthæi teſtimonium, quo ſtatim initio errorem Valentinianorum uelut ab ipſis Euangelij ſui primis limitibus excludens dicit: Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abrahę. Et ne locum habeant aduerſarij, neſcio quid de uarijs filiorum generibus comminiſcendi, eueſtigiò ſeriem poſteritatis Abrahæ per ſubſequentes illius generationes ex ordine contextam ſubijcit, tantùm non proclamans eſſe carnem Chriſti, non de cœlo allatam, ſed ex longa ſerie ſeminis Abrahæ deſumptam, ut Iudæos ad fidem Chriſti amplexandam hoc ſuo teſtimonio inuitet. Nec ea diligentia contentus eſt, niſi numeret etiam generationes Abrahę ad ipſum uſque Chriſtum. Quòd ſi non erat Valentinus, planè non uideo quomodo defendi poſsit hic Euangeliſta, ne ſeductionis & impoſturæ meritò damnetur.

Duobus iſtis Euangeliſtis ſuccedit Paulus Apoſtolus, qui & ipſe carni Chriſti originem tribuit, neque de cœlo, neque de ipſa diuinitatis ſubſtantia & natura, ſicuti quidam hac noſtra ætate auſus eſt aſſerere: ſed de ſemine Abrahæ, adeoque & communi noſtra carne. Sic enim Actorum decimotertio in eccleſia Iſraelis Antiochiæ Piſidiæ palàm dixit: Et amoto illo ſuſcitauit illis Dauid regem, cui & teſtimonium perhibens dixit: Inueni Dauid filium Ieſſe, uirum ſecundum cor meum, qui faciet omnes uoluntates meas. Huius ex ſemine Deus ſecundum promiſsionem eduxit Iſraeli ſaluatorem Ieſum. & Romanorum primo: Quòd ante promiſerat, inquit, per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem. & capite nono de Iudæis loquens, Quorum ſunt patres, inquit, ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia benedictus Deus in ſecula. & Galatis tertio Chriſtũ uocat ſemen illud Abrahæ: Cui factę fuerãt promiſsiones Abrahæ, inquit, dictæ ſunt promiſsiones, & ſemini eius. Non dicit, Et ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in uno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. & Epheſiorum quinto manifeſtè dicit, Mẽbra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſsibus eius. & Ebręorũ ſecundo: Quia pueri, inquit, communi cauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter particeps factus eſt eorundem, &c. & cap. 7. Manifeſtum, inquit, quòd ex Iudah ortus ſit Dominus noſter.

Hæc teſtimonia de origine carnis Chriſti ſic ſunt manifeſta, ut nihil dubitationis relinquãt in cordibus eorum, qui ſimplici & euidenti ueritati magis quã phanaticorum hominũ figmẽtis fidem adhibere uolunt: quorum tanta eſt temeritas, ut dicant Chriſtum non eſſe natum ex uirgine, ſed per illam, perinde atq; per fiſtulam quandam tranſiſſe. Et hanc ob cauſam ubi poſita eſt uocula Ex, illam deleuerunt, & ſubſtituerunt uoculam Per, ut legatur: Chriſtus nõ ex, ſed per ſemen Abrahæ & Dauidis in mundum productus. Sic ſolent qui ſua commẽta obtrudunt ſacris ſcripturis. Aut detorquent illas ad alienos ſenſus, uel ipſa etiam uerba adulterant, quod utrunq; Valentiniani fecerunt.

De ſcripturis quas citant Valentiniani.

Quod autem attinet ſcripturas, quas pro ſe citant, ſicuti ſuprà memini, facilè deprehenditur illarum abuſus ab illis qui ſciunt in Chriſto duas eſſe naturas, diuinã & humanam. Intel-

ligunt fideles filium hominis descendisse de cœlo, non quòd caro illius cœlitus demissa, sed quòd Verbum caro sit factum: & tum quoque fuisse filium hominis in cœlo, quum ista loqueretur in terra, non præsentia carnis, sed natura & maiestate uerbi, quod à patre nunquam fuit diuulsum. quo sensu & illud est capiendum, quod ex tertio capite Ioannis citatur: Qui de cœlo uenit, super omnes est. Et quod Ioannis octauo dicit, Vos de inferis estis, ego de superis sum, dictum esse non de origine, sed de corruptione carnis, quæ est ex uirili semine. Non erat Christus de semine uiri, sed operatione spiritus sancti in utero Virginis conceptus: quare de inferis & mundo in maligno posito nõ erat, sed ut uerbum de natura & essentia Dei ante tempora genitus: ut homo uerò de carne Virginis absque ullo peccato operatione spiritus sancti in tempore formatus.

Primus homo de terra terrenus.

Quod prima Corinthiorum decimoquinto legitur: Primus homo de terra terrenus, secundus homo ipse Dominus de cœlo, quod Adamum concernit, nihil habet obscuri. Notum est, quomodo ille de terra, & terrenus dicatur. Quod uerò Christus secundus Adam de cœlo dicitur, ab hæreticis peruertitur. Verus sensus est, esse Christum & Adamum ab Apostolo tanquam duo capita in genere humano ad hoc introductos, ut in illis conditionem mortalitatis & glorificationis nostræ exprimeret. Quotquot ex Adam sunt, terreni sunt, & parentis sui gestantes imaginem morti & corruptioni obnoxij. Hoc sumus autem omnes in uniuersum. Rursus electi, qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt, illi uocantur hic cœlestes, tametsi carne sint ex Adam: & prædicatur de illis, quòd tales in resurrectione futuri sint, qualis est & Christus cœlestis. Si hinc colligunt Valentiniani & Eutychiani, illi carnem Christi non esse ex carne nostra, isti non retinuisse illam ueram humanam naturam: consequitur eadem esse & electorum carnem conditione prędita. Non enim hoc tantùm dicit Apostolus, quòd secundus homo Christus de cœlo sit & cœlestis, sed manifestè & illud subijcit, Et qualis cœlestis, tales & ij qui cœlestes sunt. Et ne referas ad angelos, colligens infert: Igitur quemadmodum gestauimus imaginem terreni, sic gestabimus etiam imaginem cœlestis. Quare patet hoc tribuere fidelibus Apostolum, quòd geminam imaginem Adæ & Christi in se exprimant, unam corruptionis & mortalitatis, alteram incorruptionis & immortalitatis: sic ut illa terrenum Adamum exprimant, dum moriuntur & corrumpuntur: ista cœlestem, Christum uidelicet, ubi in fine mundi ad glorificationem, immortalitatem & incorruptionem resurgent. Hic est uerus & germanus Apostoli sensus, qui constare non poterit, nisi fateamur carnem Christi de carne nostra absq; peccato sumptam, propter uerbi coniunctionem & potentiam diuinam ad immortalitatis esse gloriam cœlis illatam. Alioqui spes nobis esse non poterit, ut post terreni hominis imaginem cœlesti conformes futuri simus. Verùm de hoc apostoli loco, uide Commentarios nostros in priorem epistolam ad Corinthios.

Qui cõceptus est de Spiritu sancto.

Quòd uerò ex eo argutantur, carnẽ Christi non esse ex Virgine, quòd in symbolo dicimus: Qui conceptus est de spiritu sancto, & ipsum planè friuolum est. Sensus huius particulæ ex uerbis angeli petẽdus est, quibus ad beatam Virginem dixit, Spiritus sanctus superueniet in te: & ut exponeret quid dixerit, adiecit, Et potentia altissimi obumbrabit tibi. Admirabatur beata Virgo, quum uirum non esset passa, quomodo paritura esset filium. Exponit angelus, futurum hoc esse nõ consueto cursu naturæ per semẽ uiri, sed ex singulari operatione diuinæ uirtutis. Nihil enim aliud intelligit, quum dicit, Spiritus sanctus superueniet in te, quàm hoc ipsum quod addit, Et potentia altissimi obumbrabit tibi. Virtus enim & potentia altissimi est Spiritus sanctus. Hic operatus est in utero Virginis, formans de carne ac sanguine illius filium hominis, & incarnationem hanc Verbi, sine ullo masculo semine perficiens. Hinc nullo modo consequitur, esse carnem Christi de natura & substantia spiritus sancti conceptam: quam sententiam tanquam absurdam & scripturis repugnantem fides Christiana non recipit, quæ in Christo agnoscit non duos patres, unum uerbi Deum patrem, alterum carnis Spiritum sanctum: sed unum duntaxat Deum patrem, qui illum ab æterno secundum diuinitatem genuit, & nouissimis temporibus uirtute spiritus sui secundum carnem uerum hominem in utero, ac de carne & sanguine Virginis, tanquam de semine Abrahæ secundum promissiones suas formauit, & in mundum hunc Seruatorem misit.

Hæc paucis de origine carnis Christi annotare uolui, in quibus etiam satis patet, quàm impiè senserint, qui ueritatem illius negarunt: quod & illi faciunt, qui nugantur illam de substantia & natura spiritus sancti esse conceptam. Etenim quemadmodum Christus Ioannis tertio ad Nicodemum dixit, Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Si de substantia spiritus sancti, & non de substantia uirginalis carnis natus est Christus, consequitur illum spiritum esse, non carnem. Substantia siquidem eius quod natum est, de substantia eius unde constat, & originem ducit, omnium rectissimè censetur. Adam terrenus uocatus est, propterea quòd sumptus esset de terra: Terra es, inquit deus, & ad terram reuerteris. Si uerò Christum spiritum esse dixerimus, quatenus ex Virgine natus est, quid aliud facimus, quã quòd hominem esse negamus, atq; ita cunctã illius dispensa-

tionem

tionem in carne susceptum, & simul uniuersam redemptionis nostræ spem ac certitudinem euacuamus? Sed absit. Ex ipsa origine carnis Christi, ex precedentibus promissionibus, ex ijs quæ passus est, quæ dixit, quæ gessit, sole clarius constat esse eum uerum hominem, imò filiũ hominis: quod uerum esse sine nostræ carnis ueritate non potest. Quare damnabiles hæreses esse affirmamus Manichæorum, Marcionitarum ac Saturninorum, qui ueritatem carnis Christi negarunt, siue hanc origine sua priuarint, siue ex carne nostra natam propter coniunctionem uerbi, natura humanitatis nostræ exuerint.

1 Octauò, de modo quoq; quæsierunt nonnulli, quo sit uerbum incarnatum. Quod me attinet, sentio planè inuestigari non posse, quomodo consueto naturæ cursu de semine uiri concipiatur, uiuificetur, alatur & crescat puer in utero matris, nedũ quomodo insolita ista & stupenda sit uerbi incarnatio perfecta. Rationẽ de illa reddere nostræ intelligentiæ non est, præterquam quatenus ipsi beatæ Virgini responsum est ab angelo, quòd uidelicet non ex uirili semine, sed spiritus sancti uirtute constet. *De modo, quo uerbum sit incarnatum.*

2 Hac intelligentia nõ contenti homines impiè curiosi, coniunctionem uerbi & carnis, hoc est, diuinæ & humanæ naturæ in utero Virginis factam esse negantes, tradiderunt Christum natum esse non nisi nudum ac purum hominem: postea uerò quum esset illi adeũda susceptа dispensatio, diuinitatem illi additam esse per unctionem spiritus sancti: quibus fortiter opponendum est quod Euangelista proclamat, Et uerbũ caro factum est: & quod angelus ad beatam Virginem dixit, Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi.

3 Cogitarunt illi, indignam rem esse dare uerbo coniunctionem eius carnis, quæ intra materni uteri claustra nouem mensibus delitescat, augescat, completo tempore nascatur, fascibus inuoluatur, in cunis foueatur, infantiæ ac pueritiæ conditionibus subiaceat, & quæ alia eiusmodi sunt, patiatur. Putant enim hæc humiliora esse, quàm quæ maiestati coniuncti uerbi conueniant. Quod scilicet cum stupore adorare debebant, temeritate cogitationum suarum diuexant.

4 Huic errori eluctata est Synodus Constantinopolitana, in eo quòd statuit beatam Virginem uocandam esse θεότοκον, id est, matrem Dei. Non quòd Deus in se nasci potuerit ex utero fœmineo, in quem nihil horum cadere potest: sed quòd homo ille, quem Virgo peperit, non solùm homo, sed propter coniunctionem uerbi Deus esset, & homo. *θεότοκος.*

5 Deinde Apollinaris Laodicenus episcopus, ut & ipse modum incarnati uerbi diuexaret, nugatus est carnem tantùm assumptam esse à uerbo, non etiam animam, cuius loco uerbum in Christo fuisse dixit. Huic opponendum est ipsius Christi uerbum, quo dixit, Tristis est anima mea usq; ad mortem. Et Ioan. 12. Nunc anima mea turbata est: quibus utiq; uerbis testatus est, non modò habere se animam, sed & talem animã, quæ tristitiæ ac perturbationi esset obnoxia: id quòd naturæ uerbi in se nullo pacto tribui potest. Quare necesse est, ut de anima hominis susceпti intelligatur. *Apollinaris.*

6 Et ne illud quoq; firmum esse putetur, quod manifesto uerborum Christi testimonio conuicti postea dixerunt, susceпisse quidem uerbum ueram hominis animam: mentem uerò, id est spiritum, non ita, sed ipsum uerbum fuisse loco mentis ac spiritus. Rursus audiendus est ipse Christus, qui de suo spiritu loquens dicit: Pater, in manus tuas cõmendo spiritum meũ, Lucæ 23. Et cap. 27. dicit Euangelista Matthæus: Iesus clamans uoce magna, emisit spiritum. Non possunt ista intelligi de uerbo Dei, neq; de spiritu sancto, sed omnino de spiritu hominis susceпti sunt dicta.

7 Horum consideratione manifestum est, non sic esse uerbum in utero Virginis incarnatũ, ut uel nudam carnem sine anima, uel carnem & animam sine spiritu hominis susceperit: sed incarnationem hanc sic esse factam, ut illa comprehendatur & anima & spiritus, hoc est, ut totus homo cum carne, spiritu & anima sit à uerbo susceptus: unde & est, quòd nonnulli malunt istam uerbi & carnis cõiunctionem uocare ἐνανθρώπησιν, quàm σάρκωσιν: propterea quòd uoce humanationis magis quàm uoce incarnationis plenitudo susceпti hominis, uel, si mauis, humanæ naturæ exprimitur.

8 Postremò adijciam etiam de ratione incarnationis huius. Generalis ac summaria ratio est, ut à peccato, regno Satanæ, & æterna condemnatione redimeretur genus humanum. Hac de re dictum est loco præcedenti. Attingit hanc Apostolus Ebræorum secundo, dicens: Quoniam igitur pueri cõmunicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum, & liberos redderet eos, quicunque metu mortis obnoxij erant seruituti. Non enim angelos assumit, sed semen Abrahæ. *De rationibus incarnationis huius.*

1 Huic annecti possunt & hæ rationes. Prima, quòd omnium indubitatissimo argumento declarandum erat, quàm sit Deus φιλάνθρωπος, id est, amans humani generis. Hoc consilio non simpliciter redimere hominem uoluit, sed illi etiam personali & individua unione coniungi. Hac ratione Apostolus χρηστότητα Christi in carne philanthropiam Dei uocat, Tit. tertio, dicens; Quando uerò bonitas & philanthropia apparuit Seruatoris nostri Dei. Quò & illud

pertinet Ioannis tertio: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum daret.

2 Secunda est, ut fratribus similis fieret. Vnde inquit apostolus, Debuit per omnia fratribus similis reddi. Etenim qui sanctificat, & qui sanctificantur ex uno omnes.

3 Tertia est, ut misericors & fidelis esset Pontifex in his quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nazanzenus ista quæ nostram salutem in hac causa concernũt, sic est more suo breuiter complexus: Propter nos, inquit, postremò natus est, ut qui dederat ut essemus, largiretur etiam ut bene simus. Imò ut nos qui propter maliciam bene esse desieramus, ad idipsum per incarnationem reduceret. ἐπιδημία θεῦ, inquit, πρὸς ἀνθρώπους, ἵνα πρὸς θεὸν ἐπανέλθωμεν, καὶ τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον ἀποθώμεθα τὸν νεὸν ἐνδυσώμεθα: καὶ ὥσπερ ᾧ τῷ ἀδὰμ ἀπεθάνομεν, ἵνα ᾧ τῷ χριστῷ ζήσωμεν, χριστῷ καὶ συγγινόμενοι, καὶ συσταυρόμενοι, καὶ συνθαπτόμενοι, καὶ συνανιστάμενοι.

Nazanzenus.

DE DISPENSATIONE GRATIAE DEI, AC SALVTIS HVMANAE, *per Christum redemptorem acquisitæ.*

DE gratia Dei ac redemptione generis humani in Christo nobis ab ęterno destinata, ac nouissimis tęporibus perfecta, adeoq; & de incarnatione uerbi locis est prędcedentibus dictum: nunc recto ordine progrediendum est: ad illius dispensationem. Loquor autem nõ de dispensatione, per quã Christus in carne sua uoluntatẽ patris sese pro nobis offerendo exequutus est, sed de ea qua parta salus orbi cõmunicatur, ut participes illius reddamur. Parata est gratia Dei, & exposita toti orbi, perinde atq; solis beneficium, calorem ac splendorem suum passim effundentis, omnibus est paratum. Verùm necesse est, ut quod tam est omnibus paratum ac promptum, utiliter accipiatur. Huc seruit partæ ac paratæ salutis dispensatio.

Gratia Dei exposita est toti orbi.

Simile.

Duæ sunt partes redẽptoris.

Duæ sunt partes redemptoris. Vna est, ut redimat: altera, ut redemptionis gratiam dispenset. Sine hac dispensatione ad finem & scopum destinatæ redemptionis perueniri non potest. Neq; enim perfecta redemptio est, nisi fructus illius ad eos usque qui redimendi erant, perueniat, & effectum suum sortiatur. In se quidem perfecta est gratia, perfectumq́ue opus redemptionis, quod unica est oblatione in cruce absolutum & consummatum: uerùm quoniam ea perfectio, qua diuinæ est iusticiæ pro peccatis totius mundi satisfactum, ad fructum salutis nostræ destinata est, rectè imperfecta censetur, nisi ad hunc destinatum scopum pertigerit, quantumuis in se plena sit & consummata. Quare ipsa perficiẽdæ & adimplendæ redemptionis nostræ necessitas, & diuinæ gratiæ consilium ac propositum, non hoc tantùm requirebat, ut offerretur pro peccatis nostris uictima expiatoria, perfecta & sufficiens: sed ut gratia redemptionis, hac uictima parta, miseris peccatoribus cõmunicaretur, & effectum suũ uirtute dispensationis fortiretur. Fieri potest, ut medicina paretur, cuius sit uirtus ad curationem ægroti sufficiens: ea nisi ritè dispensetur, ut ad sanitatem ægroti faciat, quatenus ad finẽ suum non perducitur, hactenus rectè imperfecta uocatur. Est enim imperfecta, respectu finis, quamuis id non ipsius, sed uel medici, uel ægroti uicio accidat. Consimili modo censendum etiam est de gratia redemptionis ac salutis nostræ.

Simile.

Dispẽsatio hæc triplicem considerationem habet.

De opere redemptionis non est ut hic quicquam repetamus, sed uidendum est de illius dispensatione. Dispensatio hæc triplicem considerationem requirit. Prima est, quis illam perficiat, secunda quomodo, tertia quibus.

Christus ipse dispẽsator est gratiæ Dei.

1 Si quæritur authoritas dispensationis gratiæ Dei, non est illa tribuenda alteri cuipiam, quàm ipsi Domino, qui idem est & redemptor & redemptionis dispensator, tanquam Dominus omnium, cui Deus pater omnem potestatem dedit, & ad quem etiam tanquam fontem ac thronum gratiæ accedere iubemur. Venite, inquit, ad me omnes, & ego reficiam uos. Item, Qui sitit, ueniat ad me, & bibat. Et ad mulierculam Samaritidem: Si scires, inquit, quis sit qui dicit ad te, Da mihi quod bibã, tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquã uiuã. Et, Quęrite non cibũ qui perit, sed qui permanet in uitã æternã, quẽ filius hominis dabit uobis. Et Apostolus Ephes. 4. Vnicuique nostrùm data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit, Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.

Efficacia dispẽsandæ gratiæ, solius Christi est.

Adhuc, si quęritur dispensationis huius efficacia, etiã illius respectu nemo est, pręter ipsum Christum, qui gratiam redemptionis mortalibus efficaciter dispensare possit. Ipse siquidem unus est, qui corda nostra spiritu suo aperire, illuminare, remissis peccatis iustificare, regenerare, filiosq; & hæredes Dei reddere potest. Constituit quidem Apostolos gratiæ huius dispensatores, uerùm non nisi ministerialiter: authoritatem uerò & efficaciã maiestati & uirtuti suæ retinuit. Sic intelligendum est quod Apostolus 1. Corinth. 4. dicit: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et cap. 9. Dispensatio mihi cõmissa est. Et Ephes. 3. Siquidem audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in uos. Et Tit. 1. Oportet Episcopum inculpatum esse tanquam Dei dispensatorem. Et 1. Pet. 4. Sicut boni dispensatores

ſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Reſpiciunt iſta ad miniſterium cõmiſſum, & miniſterialiter perficiuntur: quo ſenſu uocati ſunt etiam lux mundi, cum tamen reuera Chriſtus ſit lux mundi. Quicquid miniſteriali hac diſpenſatione efficitur, non miniſtris eſt dandum, ſed ipſi Domino, qui uirtute ſpiritus ſui miniſterium illorum efficax ac frugiferum reddit. Ipſe ſiquidem dixit: Sine me nihil poteſtis facere. Et, Ecce ego uobiſcum ſum, uſque ad conſummationem ſeculi.

Quomodo diſpenſatio gratiæ perficiatur

2 Si quæritur, quomodo diſpenſatio gratię Dei perficiatur, ſciendũ eſt ad eam rẽ neceſſariò requiri, ut gratia hæc ritè offeratur, & ritè accipiatur. Hæc duo nõnulli uocãt applicationẽ, & hâc tribuunt ſacrificio Miſſæ, quod applicatoriũ uocant, & hoc nomine à ſacrificio crucis diſtinguunt, quòd illud ſit expiatoriũ, & ſemel tantũ oblatum: hoc uerò applicatoriũ & quotidie repetendum, quòd in ipſo uirtus & efficacia illius deuotè adſtantibus & orantibus (præſertim ſi Miſſam data pecunia redimant) imò & mortuis applicetur. Verùm de hoc cõmento dicemus, ſi Dominus conceſſerit, ubi peruenerimus ad locum de Sacrificio noui Teſtamenti. Horum oblatio non ea eſt, quæ gratiã redemptionis ac partæ ſalutis mortalibus offerat. Fingunt ſe ſacrificium offerre Deo pro uiuis ac mortuis, & efficaciam illius penes ſe in animo applicare quibus uolunt. Vera diſpenſatio Apoſtolis à Domino cõmiſſa, expreſſum mandatum habet non ſacrificandi & offerẽdi Deo, ſed euangelizandi: hoc eſt, Euangelium in orbe prædicandi. Ite, inquit, in orbem, prædicate Euangelium omni creaturæ. Item, Docete omnes gentes. Quod autem hoc euangelizandi mandato cõmiſſa ſit diſpẽſatio gratiæ, in uerbis Apoſtoli ſatis patet, ubi 1. Corinth. 9. dicit: Vę mihi ſi non euangelizauero. Si enim uolens hoc egero, mercedem habeo: ſi uerò inuitus, diſpenſatio mihi concredita eſt. Et Epheſ. 3. cùm dixiſſet datam eſſe ſibi diſpenſationem gratiæ Dei, paulo pòſt ſubiungit, eſſe gentes cohæredes, & concorporales, & cõſortes promiſſionis in Chriſto Ieſu per Euãgelium: Cuius, inquit, factus ſum ego miniſter ſecundum donum gratiæ Dei, quæ data eſt mihi ſecundum operationem uirtutis eius. Mihi enim omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, &c. Et omniũ manifeſtiſsimè 1. Corinth. 1. Placuit Deo, inquit, per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Hinc eſt, quòd eodem capite uerbum crucis (ſic uocat Euangelium de crucifixo Chriſto) dicit eſſe uirtutẽ Dei ijs, qui ſalui fiunt. Et Rom. 1. Non me pudet, inquit, Euangelij. Virtus enim Dei eſt ad ſalutem omni credenti. Vide quantum diſtent à placito Dei, qui diſpenſationem ſalutis humanæ tribuunt Miſsis Papiſticis, quam Deus per Euangelij prædicationem fieri uoluit.

Per Euangeliũ diſpenſatur ſalus.

Quõ gratia dei rite accipiatur

Hactenus de eo diximus, quomodo gratia Dei ritè mortalibus offeratur, uidendum conſequenter eſt, quomodo ritè accipiatur. Niſi accipiatur competẽter, inefficaciter offertur. Accipitur autem audiendo, credendo & obediendo. Chriſtus dixit: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui non crediderit, condemnabitur. Et, Qui credit in me, habet uitam æternam. Et Apoſtolus, Euangelium eſt uirtus Dei, inquit, ad ſalutẽ omni credenti. Et cum dixiſſet, Placuit Deo per ſtulticiam prædicationis ſaluos facere, adiecit, credentes. Ergo gratia ſalutis fide accipitur. Requiritur autem, ut primùm audiatur Euangeliũ ſalutis. Quomodo nanq; credent in eum, inquit Apoſtolus Rom. 10. de quo nõ audierunt? Quomodo audient ſine prędicante? &c. Ergo fides ex auditu, auditus per uerbũ Chriſti. Sic propter fidem excitandam in corde hominis, opus eſt ut audiatur Euangelium. Haud quidem ſatis eſt audire, niſi quod auditur, auribus audiatur, nõ ut uerbum hominum, ſed ut uerbum Dei, 1. Theſſ. 2. & corde credatur. unde & Apoſtolus eodem cap. 10. Rom. dicit: Nunquid non audierunt? Et Ebr. 4. Etenim nobis annunciatum eſt, quemadmodum & illis. Verùm non profuit illis ſermo auditus, quòd is non eſſet cum fide coniunctus ijs qui audierant: interea tamen neceſſariò requiritur, ut uerbum gratiæ Dei audiatur.

Salus fide accipitur.

Auditus Euangelij.

Deinde opus eſt, ut audientibus aperiãtur corda ad credendum. Etenim ſi nulla acceſſerit numinis operatio intus in animo audientis, fieri non poteſt, ut animalis homo percipiat ea quæ ſunt Dei. Ratio humana clamabit eſſe prædicationem omnium ſtultiſsimam, ſuperſtitioſam, abſurdam & auerſandam: tam abeſt, ut fide illam apprehendat. Neque enim ſapientis eſſe putat credere uerbo de rebus incognitis, ſine ulla ſyllogiſtica demonſtratione propoſito. Requiritur itaq; ſingularis operatio Dei, quæ ſenſum rationis humanæ retundat, & in obſequium fidei captiuum reddat. Huius rei pulcherrimum exemplum proponitur in Actis Apoſtolorum, capite decimoſexto, de Lydia purpurarum uenditrice, de qua hæc duo memorantur: unum, quòd audierit Paulum prædicantem: alterum, quòd Dominus cor illius aperuerit, ut intenderet his quæ à Paulo dicebantur, atque ita ad fidem Chriſti peruenerit. Coniuncta uides hic, uerbum prædicationis euangelicæ, auditum aurium, & apertionem cordis. Cõcurrunt ad hanc gratiæ diſpenſationem, miniſter, homo & Dominus. Miniſter prædicat, homo quiſquis ſit, mas uel fœmina, audit: Dominus aperit cor, datq; facultatem diligenter attendendi, intelligendi ac credendi. Itaq; niſi Dominus doceat & operetur intus in corde, planè nihil eſt qui prædicando uel plantat, uel rigat. Rurſus niſi ſit qui prædicet, ac niſi uerbum prædicationis audiatur, non eſt ſperandum, ut (iuxta hanc Apoſtolicam ſeriem loquendo)

Apertio cordium.

diuinæ

diuinæ operationis uirtus fidem in corda mortalium infundat.

De obedientia credentium.

Consequenter, ut gratia salutis ac uitæ utiliter & efficaciter audiendo & credendo accipiatur, requiritur obedientia credentis: sine hac non solum frustra auditur, sed & frustra quod auditum est, creditur. Obedientia hæc resipiscentiam & innouationem uitæ includit. Conqueritur Apostolus de Galatis, quòd ueritati non obedierint, cap. 5. dicens: Quis uos impediuit, ne ueritati obediatis? Et 2. Thess. 1. uindictam Dei minatur his qui non obediunt Euãgelio. Et Rom. 6. An nescitis, inquit, quòd cui exhibetis uos seruos ad obediendum, serui eius estis cui obeditis, siue peccati ad mortẽ, siue obeditionis ad iustitiam? Gratia autẽ sit Deo, quòd cùm fueritis serui peccati, obedistis ex corde in eam formã doctrinæ, in quam traducti estis. Omnino ut incredulitas obediens est peccato, sic requiritur ut fides obediat uerbo gratiæ.

Hinc est quod idem Apostolus Rom. 1. Apostolatum se accepisse dicit, ad obediẽtiam fidei prædicandam inter omnes gentes. Siue itaq; fidem & obedientiam coniungit, siue ipsam fidem obedientiam uocet, omnino liquet fidem nec ueram esse, nec ad salutem efficacem in illis qui sic credũt Christo, ut interea inobedientes sint uerbo gratię, nullumq; fidei fructũ proferant, sed absq; resipiscentia & uitæ nouitate in ecclesia Christi uiuant. His competit admonitio illa Apostoli 2. Corinth. 6. qua dicit: Adiuuantes autem obsecramus etiã, ne frustra gratiam Dei receperitis. Gratiam Dei recipere uidentur, qui uerbum gratiæ fidem simulando accipiunt quidem, uerùm uerbo non obediunt, nec uitæ nouitatem induunt, sed in seruitute & obedientia peccati perseuerant. Hi sanè frustra gratiam Dei accipiunt, propterea quòd uirtute & effectu illius destituti non saluantur. De eo quod hostes gratiæ Dei hic obijciunt, dicentes: Ergo non sola fides iustificat, sed requiruntur etiam opera fidei & obedientiæ, respondebimus per gratiam Domini in loco De iustificatione.

Quibus gratia salutis nostræ dispensetur.

Hactenus quomodo gratia salutis ac uitæ dispensetur: uideamus iam de eo quod tertium esse diximus, nempe quibus illa dispensetur. Respiciendum hic est ad patres dispensationis huius, de quibus mentionem fecimus.

1 Quod priorem attinet, qua gratia Dei per Euangelij prædicationem ministerio Apostolico dispensatur, respõdendum hic est, dispensari illam omnibus communiter secundum institutionem Dominicam, qua iussit Euangelium prædicari in orbe uniuerso omni creaturæ, ac doceri omnes gentes. Et hactenus quoq; differunt uetus ac nouum Testamentum, quòd illius ad unam duntaxat Israelis gentem, secundum illud, Non fecit taliter omni nationi: huius uerò dispensatio ad uniuersas totius orbis nationes ac mortales omnes diuina est bonitate destinata. Huc pertinet & illud quod 1. Timoth. secundo legimus: Qui uult ut omnes homines salui fiant, & ad cognitionem ueritatis ueniant. Hoc respectu Apostolus agnouit se debitorem esse omnibus, Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus, ad annunciandum illis Euangelium Dei, Rom. 1. Et utinam hoc animo præditi sint omnes Christi ministri, ut omnibus in uniuersum gratiam salutis ac uitæ euangelizando dispensare cupiant.

2 Quod uerò posteriorem partem attinet, quæ requirit, ut gratia Dei ritè & utiliter accipiatur, fatendũ est dispensationis huius efficaciam non peruenire ad omnes. Non enim omnium est fides, & inter eos quoq; qui fidem in Christum profitentur pauci sunt, qui uerè credant, ac fructus fidei adferant: id quod eorum est, qui ex deo sunt, Ioan. 1. & 8. Nota est parabola seminantis Matth. 13. in qua per quartam sementis partem delineantur electi, qui uerbum corde bono accipiunt, & fructum adferunt. Et hinc est, quòd pauci saluãtur, quia licet multi uocantur, pauci tamen sunt electi, Matth. 20.

Si de culpa defectus huius quæritur, absit ut illam aliò referamus, quàm ad corruptionẽ & occæcationem carnis, per quã fit, ut diligant homines magis tenebras quàm lucem, malintq; carnis uoluptatibus & affectibus seruire ad perditionẽ, quàm uerbo gratiæ obtemperare ad salutem. Lux uenit in mundum, uerùm mundus sic amplexatur principem tenebrarum, ut Principem lucis pertinaciter auersetur.

Consolatio ministrorũ uerbi.

Vbi minister dispensandæ gratiæ Dei reipsa deprehenderit pauciss imos esse, qui gratiam oblatam ritè accipiant, & utiliter collocent, non est quòd animum despondeat, & munus impositum abijciat: sed cogitet potius de prophetis, Apostolis, Christo ipso, qui quamuis non prædicarent modò, sed & exemplis innocentiæ, pietatis ac mansuetudinis quosuis ad salutẽ inuitarent, & splendore quoq; miraculorum doctrinam ueritatis confirmarẽt, omnemq; incredulis excusationem adimerent, minimam tamen mortalium partem ad ueram resipiscentiam & consortium gratiæ Dei perduxerunt.

DE EVANGELIO IESV CHRISTI.

IPSA nos consequentia rerum, de quibus in locis hisce rudiores instruere uisum est, ultrò ad hoc ducit, ut post dispensationem gratiæ Dei, de qua diximus in genere, ad partes illius explicandas transeamus. Videamus itaq; de Euangelio Iesu Christi, per quod gratia salutis nostræ dispensatur in mundo.

Euangeliũ Græca uox eſt, ſonans bonũ ac optatum nunciũ. Apud bonos authores uſurpatur etiam pro dono, quod ijs datur qui fauſta nunciant: quo ſenſu & Cicero hac eſt uoce in Epiſtolis ad Atticum uſus. Deniq; quemadmodum in Eccleſia Chriſti, cœna Domini à ueteribus Euchariſtia dicta eſt, propterea quod in illa ſacrificiũ gratiarũ actionis à fidelibus, propter redemptionem à Chriſto partam offertur: ita & Ethnicis in uſu erat, ut ſacrificia dijs ſuis offerrent, ſicubi læto nuncio exhilarati eſſent, & ea ſacrificia Euangelia uocabant. Non erant illa Euangelia in ſe, ſed Euangelia uocabantur propter acceptum Euangelium, cuius gratia ſacrificabant. Sic & Chriſtiani Dominicæ mortis memoriam rectiſsimè mortem Dominicam uocare poſſunt. Hæc obiter de nomine Euangelij, quo ſenſu à priſcis fuerit uſurpatum. *Vox Euangelium.*

Quod uerò Chriſtianos attinet, ad hoſce nomen hoc ſic tranſijt, ut factum ſit illis omnium celeberrimum, & optimo iure ueluti proprium ac peculiare. Nulla nanq; in orbe uniuerſo inde ab initio mundi ad finem uſq; tam fauſta res mortalium generi contigit, quàm quę ſub nomine Chriſti paſsim in mũdo annunciari prædicariq; cœpit. Ea eſt, redemptum eſſe genus humanum per mortẽ unigeniti filij Dei, paratamq; cunctis peccatorum omnium remiſsionem ac uitam æternam, in illum credentibus. Hanc annunciationem & Chriſtus & Apoſtoli tanquam omnium fauſtiſsimam Euangelium uocarunt, ut admonerent, quo illam à nobis loco haberi conueniat. Sic Marci 1. Reſipiſcite, inquit, & credite Euangelio. Et Rom. 1. Segregatus, inquit, in Euangelium Dei. *Quõ Euangelij uox ad Chriſtianos pertinet.*

Ornatur autem hoc Euangelium in Euangelicis & Apoſtolicis ſcripturis elogijs, epithetis, & prædicatis omnium appoſitiſsimis. Principiò uocatur Euangelium Dei, 2. Cor. 11. ab authore uidelicet, unde miſſum eſt in mũdum. Sic uocatur & uerbum Dei, 2. Cor. 2. & Epheſ. 6. Magna cõmendatio eſt Euangelij, quòd non humano figmento uenit in mundum, ſed conſilio ac uoluntate Dei ab æterno prædeſtinatum, per prophetas promiſſum, ac tandem eſt præſtitum. Sapientiſsimè dicebat Gamaliel, Act. 5. ~~Si eſt ex hominibus conſilium aut opus hoc, diſſoluetur: ſi uerò ex Deo eſt, non poteſtis diſſoluere.~~ Vtinam cogitarent hoc, qui hodie pro doctrinis & mandatis hominum aſſerendis contra doctrinam Euangelij dimicant, ac cœlum terræ miſcent, diſſoluere conantes quod non humanitus, ſed diuinitus orbi eſt immiſſum. *Elogia Euangelij.* *Euangelium Dei.*

Deinde uocatur Euangelium Ieſu Chriſti filij Dei, Marci 1. uerbum Chriſti, Coloſ. 3. uerbũ Domini, Act. 6. doctrina Domini, Act. 13. doctrina Saluatoris, Tit. ſecundo, & prædicatio Domini, Rom. 16. ab eo uidelicet, de quo per Euangelium in mundo nunciatur, docetur ac prædicatur. Admonemur hiſce prædicatis, de quo ſit prædicandum in Eccleſia, imò in toto terrarum orbe: de Ieſu Chriſto uidelicet, filio Dei ac Domino noſtro. Hic nobis per euangelium nunciatur ac prædicatur, quòd ſit unicus omnium redemptor, mediator inter Deum & homines, reconciliator ac ſaluator, dominus & magiſter, rex ac ſacerdos ſummus, unicè audiendus ab omnibus, ſalus ac uita cunctis in ſe credentibus. Hoc Euangelium prędicandum eſt in Eccleſia. Qui aliud Euangelium prædicat, non Chriſti, ſed Antichriſti doctrinam adfert, quantumuis nomen Chriſti prætexat. *Euangeliũ Ieſu Chriſti.*

Tertiò, à qualitate ipſius uocatur bonum Dei uerbum, Ebr. 6. & bona doctrina 1. Tim. 4. & bonum ſemen, Matth. 13. deniq; & ipſa uox Euangelium, qualitatem hanc bonitatis includit, ſignificans eſſe bonum nuncium. Bonitas eius eſt, quòd utile eſt ad ſalutem, nihil habens in ſe quod ſit noxium. Etenim quod 2. Cor. 2. bono odori cõparatur, qui alijs ſit odor mortis ad mortem, non eſt ad qualitatem illius, ſed ad uitium eorũ qui per incredulitatem pereunt referendum. Aliàs in ſe bonum eſt Euangelium, & utiliſsimum ijs qui ſalui fiunt. Quo reſpectu & ſermo ſanus uocatur, Tit. 2. Habet inſtar medicinæ, quæ cum qualitate ſua ſit bona & ſana, uitio pereuntium redditur noxia. Et anxiè timeo, ne bonitas hæc Euangelij Dei noſtræ ſit ętati in multis pernicioſa futura, quibus multo melius eſſet nunquam cognouiſſe ueritatem, quàm quod retrolabuntur, poſtquam bonum Dei uerbum guſtauerunt. Bonitatem Euangelij Chriſti mundus nunquam agnoſcere ſuſtinuit, ſed perpetuò quaſi rem noxiam eſt auerſatus. Non eſt itaq; nouum in hoc mundo, quod abundat illorum numerus, qui quod bonũ eſt, malum: & quod malum eſt, bonum dicunt: & ponunt tenebras lucem & lucẽ tenebras: amarum dulce, & dulce amarum, quib. Dominus horrendum illud ultionis ſuę uæ minatur Eſa. 5. Qui non Chriſto ſeruiunt, ſed mundo ſeſe accõmodant, bonum hoc Dei uerbũ ſeditionis incuſant: idq; coram Principibus, quo caueãt ne locum apud illos inueniat, cum ipſi potius ſpiritu ſint ſeditionum infecti. Qui carnis ſunt uoluptatibus immerſi, iudicant bonum Dei uerbum & ſuaue Chriſti iugum omnium eſſe grauiſsimum & amariſsimum, propterea quòd reſipiſcentiam & innouationem uitę requirit, à qua illi mirũ in modum abhorrent. Et miramur hodie quî fiat, quòd tam ſunt pauci qui Euangelio conſtanter & ex animo adhęreant? Veriſimũ eſt illud: *Das Euangelium vůer nit ſchnuer, vuan das fleiſch vnd eigner nutz nit vuer.* *Bonũ Dei uerbum, bona doctrina, bonum ſemen, bonum nuncium.* *Sermo ſanus.* *Euangeliũ regni.*

Quartò, uocatur Euangelium regni Dei Marci 1. uerbum regni Matth. 13. propterea uidelicet, qđ nos è regno Satanæ ad regnũ Dei uocat, quod electis paratum eſt inde à cõſtitutione mundi, Matt. 25. ſic dicit Apoſtolus, 1. Theſſ. 2. Qui uocauit uos in regnum ſuum. Eſt autem regnum Dei geminæ conſiderationis, gratiæ uidelicet & gloriæ. Inchoatur in nobis per diſpenſationem *Regnũ Dei geminæ conſiderationis.*

ſationem gratiæ, ſi hanc fide apprehenderimus, atq; ita fit ut pulſo mundi principe regnet in nobis ſpiritus Dei, ac poſt hanc uitam deducitur ad æternam gloriam, quam omnino fruſtra ſperant, ſi tamen ſperant, quotquot regnum gratiæ Dei contemnunt & auerſantur.

Euangeliũ gratiæ Dei & uerbum gratiæ.

Quintò, ab ijs quoq; quæ nunciat, & credentibus in Chriſtum promittit, pulcherrima ſortitur elogia. Nunciat gratiã Dei, qua generi humano ab æterno deſtinatus Redemptor in mũdum eſt miſſus, & ob hanc cauſam uocatur Euãgelium gratiæ Dei & uerbum gratiæ, Act. 20. Eſt & prophetarum uerbum ueri & unici dei uerbum: uerùm frequenter illi non gratiam, ſed iram Dei nunciant, & occulta illorum referta ſunt diuinæ ultionis comminationibus. Et lex per Moſen lata mandans & urgens maledictionem minabatur immorigeris, & ſecundum teſtimonium Apoſtoli iram operatur, quare uſque adeò diſcriminatur inter legem & Euangelium, ut qui in Chriſtum credunt non ſub lege, ſed ſub gratia eſſe dicantur, Rom. 6. & à gratia excidant, qui iuſtificationem in lege quærunt. Lex præcipit, urget, & maledicit: Euangelium gratiam & remiſſionem peccatorum prædicat ijs qui credunt. Quid autem optatius, immò quid neceſſarium magis ad ſalutem ijs qui in peccatis concepti, & nati peccatum bibunt ut aquam? Omnium meritiſsimè pereunt, iraq; Dei ſunt obnoxij, qui Euangelium gratiæ Dei uel peruertunt in doctrinam meritorum, uel prorſus contemnunt. Abſit hoc à ſpiritu meo, ut homo peccator abijciam gratiam Dei, ſine qua quicquid alij præſumãt, mihi ſalutem nequaquam conſtare poſſe incunctanter, & abſque ulla diſſimulatione agnoſco & fateor: ac gratias ago Redemptori Chriſto, quòd me per Euangelium ſuum ad inæſtimabilem gratiam ſuam è carnificina conſcientiæ, quæ in Babylone regnat, tam eſt clementer uocare dignatus.

Euangeliũ ſalutis, & uerbũ ſalutis.

Sextò, nunciatur per Euangelium ſalus credentibus, quare rectiſsimè Euangelium ſalutis uocatur Epheſ. 1. & uerbũ ſalutis Act. 13. Salus, Græcè σωτηρία, non ea hic intelligitur, qua quod bene habet, incolumitatẽ ſuam ne pereat, retinet: ſed qua perditiõi eripitur ac ſeruatur, quod aliàs prorſus erat periturum. Sic ſalus per Euangelium nunciatur peccatoribus ac morti obnoxijs, qua ad uitam aſſerti ſunt deuicto hoſte antiquo, modò aſſertori ac redemptori fide ſeſe addicant, & gratiam oblatam grati amplectantur. Primum genus ſalutis, quo quæ illæſa ſunt, illæſa retinentur, conuenit angelis: poſterius uerò mortalium generi. Huc pertinet quod Apoſtolus Rom. 1. dicit: Non me pudet Euangelij, uirtus enim Dei eſt ad ſalutem omni credenti. quod ſic eſt dictum, ut intelligendum ſit non eſſe ſalutem cuiquam ſperandam, niſi credat Euangelio. Sic nanq; placuit Deo, ut per ſtultitiam prædicationis Euangelicæ ſaluos faciat credentes, 1. Cor. 1.

Verbum uitæ.

Septimò, uocatur etiam uerbum uitę, Phil. 2. Verbum uitæ, inquit, continentes ad gloriam meam in die Chriſti. Loquitur autẽ de uita non huius ſeculi, ſed de ea quæ uera eſt & æterna. Huius uitæ uerbũ uocatur Euãgelium propterea quòd illam credentib. in Chriſtũ promittit, iuxta illud: Qui credit in me, habet uitam æternã. Et, Hæc eſt uolũtas patris mei, qui miſit me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Hoc ſenſerat Petrus cum diceret: Domine, ad quem ibimus? Verba uitę æternę habes, Ioan. 6. Verbum ſerpentis antiqui, quod à uerbo uitæ abſtrahit, uerbum eſt mortis omnibus illis qui ipſi adhærent, quamuis non mortem, ſed rerum omnium proſperitatem in hoc mundo polliceatur. Nõ dicebat ad Chriſtum, Si procidens adoraueris me, æternæ morti te reddam obnoxium: ſed, oſtendens illi omnia regna mundi, Omnia hæc, inquit, tibi dabo, ſi procidens adoraueris me. Cum primos parentes noſtros ſeduceret, non dicebat, Moriemini, ſi comederitis de fructu arboris ſcientiæ boni & mali: ſed, Nequaquam moriemini, ſed eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum, Gen. 3. Sciebat aſtutiſsimus ſpiritus exitium eſſe in guſtu ſcientiæ humanæ. Quare quiſquis mortẽ timet, caueat ſibi à uerbo mortis, hoc eſt, à doctrina ſapientiæ humanę, quæ guſtum uetiti fructus offert ad mortem, & à uerbo uitæ abducit. Omnino lingua ſerpẽtis eſt, quæ docet de libero hominis arbitrio ad bonũ, deq; uiribus ac meritis humanis: hoc eſt, quæ deificat ac iuſtificat carnem noſtram, ut gratiam ac uitam quæ per Chriſtum eſt, reddat inanẽ.

Verbum mortis.

Exitium in guſtu ſcientiæ uitæ.

Octauò, habet & hoc elogium, ut uocetur uerbum reconciliationis. Nunciat enim reconciliationem inter Deum & genus humanum per Chriſtum redemptorem eſſe factam. Sic Apoſtolus 2. Cor. 5. dicit, Omnia ex Deo, qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis uerbum reconciliationis. Hoc reſpectu uocatur etiam Euangelium pacis. State igitur, inquit, lumbis circumcinctis, baltheo perueritatem, & induti thoracem iuſtitię, & calciati pedibus, ut parati ſitis ad Euangelium pacis, Eph. 6. Hinc enim nobis pax annunciatur à Deo, quòd cum illo per Chriſtum reconciliati ſumus, quotquot in illum uerè credimus. Et hęc eſt pax illa Chriſti quę ſuperat omnem ſenſum, quam mundus dare nõ poteſt, ſed auferre conatur, dum obtemperantibus ſibi pacem, diſſentientibus exitium intentat.

Verbum reconciliationis.

Euangeliũ pacis.

Nonò, uocatur etiam uerbum ueritatis. Propter ſpem, inquit Apoſtolus Coloſſ. 1. quę repoſita eſt uobis in cœlis, quam audiſtis in uerbo ueritatis Euangelij, quod peruenit ad uos, &c. Et 2. Timoth. 2. Stude teipſum probatum exhibere Deo, operarium nõ erubeſcendum, rectè

Verbum ueritatis.

ſecantem

ſecantem uerbũ ueritatis. Et Iacobi 1. Voluntariè, inquit, genuit nos uerbo ueritatis. Verbũ ueritatis autem dupliciter dicitur. Primùm more Hebręorum pro uerbo uero. Illis enim quic quid uerè dicitur דבר אמת id eſt, uerbũ ueritatis uocatur. Sic regina Shaba 1. Reg. 10. ad Salomonem dicebat אמת חיה חדבר אשר שמעתי בארצי id eſt, Veritas eſt uerbum quod audiui in terra mea. Et cap. 17. dicebat mulier Sareptana ad Eliam: Nũc cognoui quod uir Dei ſis tu, & uerbũ Dei in ore tuo אמת id eſt, ueritas eſt. Deinde pro uerbo de ueritate aliqua dicto. Vtroque modo uerbũ ueritatis eſt Euangelium. Eſt enim doctrina uera, aliena à mẽdatio, & eſt de ueritate Dei in mundũ per Chriſtum allata. Ea eſt conſilium ac propoſitum Dei de ſalute noſtra ab æterno in Chriſto prædeſtinata, cuius ille gratia dixit: Ego ſum uia, ueritas & uita. Et ad Pilatum, ueniſſe ſe in hunc mundum, Ioan. 18. dixit, ut teſtimonium perhiberet ueritati. Et ad eos qui in ſe credebant: Si permanſeritis, inquit, in ſermone meo, cognoſcetis ueritatẽ, & ueritas liberabit uos, Ioan. 8. ubi uide in Cõmentarijs noſtris, q̃ ſint de ueritate hac annotata. *Euangeliũ dupliciter uerbũ ueritatis dicitur.*

Commendatur itaque nobis Euangelium de ueritate duplici nomine, cùm quòd alienum ſit à mendacio & ſeductione, quantumuis in mundo hæreſeos ac ſeductionis accuſetur, tum quòd annunciet nobis de ueritate illa Dei, in qua ſola eſt uia ad ſalutẽ, uitam, ac ueram pacẽ cum Deo. Clamant aduerſarij eſſe doctrinam illius ſeditioſam ac catholicæ pacis diſſipatricem. Si intelligunt de pace mundi, fatemur non facere illam ad pacem, ſed magis ad ſeparationem, eorum uidelicet, qui malè ac pernicioſe in mendacio Satanæ, non in ueritate Dei cohærent. Sic Chriſtus ipſe dixit: Putatis quòd uenerim ad mittendũ pacem in terram? Non, dico uobis, ſed ſeparationem. Sunt electi ac reprobi mixti in hoc mundo. Inter hoſce malè in errore cõcordes, quid aliud introducta ueritas, quàm ſeparationem malè cohærentium adferret, qua electi diuellantur à reprobis? Hoc eſt opus uerbi ueritatis, detegentis errores & mendacium, colligentis ad ſe filios lucis, & confundentis filios tenebrarũ. Hoc eſt uentilabrum, de quo Ioãnes baptiſta clamabat ad omnes, eſſe illud in manu Domini, ad hoc, ut purget aream ſuam, cõgregetq; triticum in horreum ſuum, paleas uerò tradat igni inextinguibili. Quid tritico cum paleis? Non eſt mala, ſed bona ſeparatio, qua triticum ſeparatur à paleis. Nolunt reprobi haberi pro paleis? Oſtendant ſe eſſe triticũ, ſi uerè ſunt triticum. Verbum ueritatis probat & diſcernit utroſq;, & electos & reprobos, perinde atque uentilabrum triticum & paleas. Si electi ſunt, agnoſcãt uerbum ueritatis, & credant. Verùm de ueritate nihil eſt quod curẽt, niſi quod extinctam uellent. Pacem uolunt, eamq; non Chriſti & electorum, ſed mundi: non eam quæ ſit in ueritate, ſed quæ retineatur in mendacio. Pacem uolumus & nos. Neq; enim delectamur diſſidijs. Verùm iuxtà uolumus cum primis ueritatẽ. Non enim delectamur mẽdacio. Ante hoſce annos oſtẽdebatur magnus zelus ueritatis. Studio ueritatis orta ſunt paſſim diſſidia. Iam uerſis uelis pleriq;, qui uidebantur alumni facti ueritatis, ſtudium ueritatis uerterunt in ſtudia pacis: & quemadmodum antea propter ueritatem reſpuebant mundi pacem, ita nunc propter pacem mundi deficiunt à ſtudio & profeſsione ueritatis. Hinc eſt conſenſus ille, quo ſe annis præteritis futuris Papiſtici concilij deciſionibus ſubiecerũt, nõ quòd ſperarent illas ueritatis Chriſti fore conformes, ſed quòd illius prætextu reditum ad priſtinã pacem & concordiam honeſtiorem fore putabant. Et quoniã in hunc locum incidi, obſecro in uniuerſum omnes eos, qui Euangẽlio ac uerbo ueritatis nouiſsimis iſtis ac peſsimis temporibus nomen dederunt, ut ſummo ſtudio caueant, ne pacem affectent, quæ ueritatis profeſsionem excludat: ſed certò ſciant, cõſtare non poſſe omnem eam paeem, quæ extra ueritatem inſtituitur, nedum quæ ad ueritatis extinctionem hodie quæritur ab improbis huius ſeculi, non ueritatis alumnis. Memori mente retinendum eſt, quod ſynodus Ariminenſis Conſtantio Imperatori admonitionis gratia ad hũc modum ſignificaſſe legitur: *εἰ καὶ ὀλὼ αἰωνιδίζει σι ὀσιότητα, ὅτι ἐχ' ὥσπερ ἥρασε ὀρθῶσι & καὶ ἀλλως, ἔστω ἡμῖν, ἀλήθ τι ἢ Δικαίων αἰνατροπάν, ἀλλὰ ὄρος καὶ ταραχή.* Hoc eſt, Qui etiã pietatẽ tuã de eo inſtruent, quòd non pax, ſicuti Vrſacius & Valens dixerũt, ſed contentio & perturbatio futura eſt, ſi quid eorum quæ recta ſunt, ſubuerſum fuerit. *Factũ hoc eſt anno 1548.* *Dictum memorabile.*

Decimò, uocatur præterea etiam uerbum fidei, Romanorum decimo: Hoc eſt uerbum fidei, inquit, quod prædicamus. Verbum fidei uocatur primùm ad differentiam legis, quę propterea quòd facienda præcipit & mandat, rectè uocari poterit uerbum operum. Sic Euangelium, quoniam credenda nunciat, ab Apoſtolo uerbum fidei uocatur. Deinde & eam ob cauſam, quòd non niſi fide capiuntur, quæ per Euangelium nunciantur, ſic ut ſyllogiſticis rationibus locus eſſe non poſſet. Quare myſtæ ſapientię humanę diſcipuli Euangelij Dei eſſe non poſſunt, quia credere nec uolunt, nec poſſunt. Habet autem hic locum illud, Niſi crediderit, nõ intelligetis. Quare quemadmodũ operarij ac iuſtitiarij, qui uerbum operum, ità & philoſophi, qui uerbum ſcientiæ & ſapientiæ adorant, procul ab Euangelio & uerbo fidei tanquã illius omnium minimè capaces remouentur. De fide uerò, quam Euangelium Chriſti requirit, peculiari loco dicendum erit. *Verbum fidei.*

Vndecimò, uocatur etiam ab Apoſtolo, doctrina ſpiritus. Nos inquit, non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quę à Deo donata ſunt nobis, quę & loquimur non ſermonibus quos docet humana ſapientia, ſed in doctrina ſpiritus, 1. Cor. 2. *Doctrina ſpiritus.*

Etiam hoc elogio ſeparatur Euangelium à doctrinis humanę ſapientię, idq; duplici nomine. Primùm, propterea quòd non eſt talis doctrina & ſcientia, quę nata ſit ex corde uel mente hominis alicuius, ſed ex ſpiritu Dei. Deinde propterea quoq;, quod per humanam ſapientiã capi non poteſt, ſed requirit operationẽ ſpiritus ſancti, per quam cordibus noſtris inſinuetur. Ergo Euangelium hoc Chriſti ut ſpiritualis doctrina eſt, ita reddit etiam uerè ſpirituales homines, nec locum habere poteſt in animis carnalium & animalium, ſiue intellectum ſpectes, ſiue affectum, quem utrunq; ſpiritualem requirit. Videas hodie eos qui ſpirituales uocantur, quæ cæteris omnibus reluctari doctrinę Euangelicæ ac uerè ſpirituali. Quare cauendum eſt, ne ſecundum ea quæ faciunt illi, iudicemus de Euangelio Chriſti, ſed magis econtrario de illorum ſtudijs & operibus iudicium petamus ex Euangelio.

Euangelium reddit ſpirituales homines.

Gladius ſpiritus.

Duodecimò. Habet Euangelium Chriſti etiam hoc elogij, ut uocetur gladius ſpiritus. Sic Epheſ. 6. legimus, Et galeam ſalutis accipite, & gladium ſpiritus qui eſt uerbum Dei. Metaphorica loquutione docet, quis ſit uſus uerbi Dei aduerſus Satanã: is uidelicet, qui eſt gladij aduerſus hoſtem. At gladij huius uſus homini incredulo perinde nullus eſt, atq; ferrei gladij homini pauido & excordi. Fides hic eſt loco fortitudinis imperterritæ, quam Apoſtolus Petrus ad hoc requirit à fidelibus, ut Diabolo per illam fortiter reſiſtant. 1. Pet. ultimo: Fides uerbo Dei armata, pugnaciſsima eſt aduerſus inſultus ſatanæ.

Semen.

Tredecimò, nec illa modici momenti metaphora eſt, qua Euangelium uocatur à Chriſto ſemen, Matth. 13. Vſus ſeminis eſt, ut in terram bonam proiectum fructus proferat ſecundum ſpeciei ſuę naturam. Sic eſt comparatum & uerbum Dei. Spargitur uelut ſemen, dum in orbe prædicatur. Fructus adfert, ubi incidit in corda bona, per ſpiritus ſancti operationẽ præparata. Adfert autem fructus non alios, quàm qui naturæ ſuæ reſpondeant. Verbum fidei fidem, uerbum ſpei ſpem, uerbum dilectionis dilectionem, &c. in cordibus electorum generat. Metaphoræ huius declaratio amplior habetur Matth. 13.

Cibus.

Quartodecimò, cibus etiam metaphoricè in parabola fidelis ſerui uocatur, Matth. 24. Vt det illis, inquit, cibum in tempore. Sic paſcere pro euangelizare ponitur. Ioan. 21. Simon diligis me, inquit, paſce oues meas. Et 1. Petr. 5. Paſcite, inquit, qui in uobis eſt gregem Domini. Magna eſt efficacia, magna utilitas uerbi Euangelici. Illo renaſcimur, illo renati paſcimur, illo ad ueram pietatem docti reddimur, aduerſus quaſuis tentationes ſatanæ armamur, & ad ueram æternamq; uitam prouehimur.

Vinum nouũ.

Quintodecimò, uocatur etiam ab ipſo Domino uinum nouum. Sic enim Matth. 9. diſcipulis Ioannis, quare diſcipuli ipſius non pe. inde atq; ipſi ac phariſæi frequenter ieiunarent, interrogantibus reſpõdit: Non immittũt uinũ nouũ in utres ueteres, alioqui rumpuntur utres, & uinum effunditur, ac pereunt utres: ſed uinum nouum in utres nouos mittunt, & utraq; cõ ſeruantur. Sic per metaphoram uini noui conditionem Euangelij expreſsit, quod & eſt quaſi nouum uinum, nouo teſtamento competens noua doctrina, & in mundo quoq; pro noua doctrina habetur, eoq; nomine à ſuperſticioſis & in erroribus uel moribus ſui ſeculi obſtinatis hominibus refutatur, quemadmodum ij, qui ueteri uino impenſius ſunt addicti, nouum bibere detrectant, uetus melius eſſe dicentes, Lucæ 5. Sic Marci 1. dicebant: Quænàm eſt doctrina hæc noua? Et Act. 17. Paulo dicebatur: Poſſumúsne ſcirè, quę ſit doctrina hæc noua? Hanc Euangelij conditionem ac ſortem etiam noſtro ſeculo experimur, quo poſt tot annorum centurias adhuc nouitatis incuſatur ab illis, qui magis inueteratæ conſuetudinis, quàm ſalutiferæ ueritatis rationem habendam eſſe exiſtimant.

Præconium κήρυγμα.

Sextodecimò, uocatur etiam κήρυγμα, 1. Cor. 15. quod ſonat præconium: & euangelizare Euangeliſtis eſt κηρύσσειν, Matth. 3. 4. 10. Marci 1. quòd non ſimpliciter aliquid nunciare uel dicere, ſed cum præconio quodã prædicare ſignificat. Quid aũt ſit prædicare quicquã, Latinis auribus ſatis notum eſt. Vtinam tam ſit notum omnibus Euangelij Dei prædicationibus, quid ſit prædicare, & κηρύσσειν Euangeliũ, qualisq; affectus ac ſpiritus ad id muneris requiratur. Admodũ errant, qui ſatis eſſe putant, ſi quæ uera ſunt, ſimpliciter ad populũ dicant: Non poteſt Euangelij prędicator dici, qui non affectum & ſpiritum prædicantis ſic ſpirat, ut magno cum gaudio, ex animo, palã, alacriter, & omnibus non ſimpliciter narret, ſed prædicet, celebret, cõmendet & extollat immenſam illam redemptionis noſtræ gratiã, & ad hanc quoſuis inuitare ſatagat. Quare nihil minus ſunt, quàm Euãgelij prędicatores, qui uel neglecta Euangelij cauſa non hoc agunt ut ædificent, ſed ut phalerata dictione ſuſpendant auditorem: uel ſic frigidè dicunt, ut totum auditoriũ prorſus tepidum reddant, ipſiſq; competat illud, Tu ſi exanimo diceres, nunquid ſic diceres? Et illud Senecæ, Animum non faciunt, quia animum non habent: uel uoce de induſtria compoſita, uerius cantant quàm prædicant: uel ſic in uniſono dicunt, ut quaſi ex libro legere uideantur: aut unum hoc agunt, ut quomodocunq; ad horam dicant ad populum, ne officio ſuo deeſſe uideantur. Horum nihil competit illis, qui Euangeliũ Chriſti ex animo prædicant, ac ueri ſunt regni Dei præcones.

Obſeruent hæc miniſtri uerbi.

Euangeliũ Apoſtolorum.

Decimoſeptimò, nec illud tranſeundem exiſtimo, quod Apoſtolus Paulus Euangelium Chriſti, quod prædicauit, ſuum Euãgelium uocat, Rom. 2. dicens: In die quo iudicabit Deus occulta

occulta hominum ſecundum Euangelium meum per Ieſum Chriſtũ. Et 2. Cor. 4. Quod ſi opertum eſt Euãgelium noſtrum, in his qui pereunt eſt opertum. Quod authoritatem attinet Euangelij, Euangelium Dei eſt non Pauli, uel alterius cuiuſpiã Apoſtoli: quod uerò miniſterium concernit, Euangelium eſt Apoſtolorum, tanquam ab Apoſtolis in mundo paſsim prędicatum. Nec poterunt illi hoc non agnoſcere pro ſuo Euangelio, ubi cum Chriſto Domino ad iudicandum orbem redibunt. Oſtendat Roma, quæ ſe Apoſtolicam & catholicã doctrinã habere gloriatur, unde ſuam doctrinam acceperit, pro qua nunc tantopere cuncta turbanda eſſe cenſet. Nos ſcimus hanc uerè Apoſtolicam eſſe, quam prędicarunt Apoſtoli, & quam hodie ipſa hæreſeos impudentiſsimè damnat.

Decimooctauò, Apoſtolus 1. Cor. 1. uocat Euangelium uerbum crucis, cum dicit: Verbum crucis pereuntibus ſtultitia, hic autem qui ſalui fiunt, Dei uirtus eſt. Verbum crucis uocatur propterea, quòd de crucifixo Seruatore prædicat. Commendat nobis hoc elogio ſpiritus ſanctus non modò hiſtoriã, ſed & uirtutẽ crucis ſaluificæ, quam mundus ſtultitiæ damnat, nihil dementius eſſe iudicans, quàm ei prędicationi credere, quę uitã ęternã morte crucifixi partã eſſe prædicat. Et hodie nõnulli non parum de cruce Chriſti pudefieri uidentur, qui humilitatem carnis Chriſti auerſantes, ἀποδιωσιν illius cõminiſcuntur, & ad hãc uniuerſam redemptionis noſtræ gratiã referũt. At Apoſtolus ſic fidei crucis innitebatur, ut diceret: Ab ſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, Galat. ultimo. Et 1. Corinth. 2. nõ iudicauit ſe ſcire quicquam inter Corinthios, niſi Ieſum Chriſtũ, & hũc crucifixũ. Et Coloſſenſiũ 1. per ſanguinem crucis, quæ in cœlo ſunt & in terra, pacificata eſſe dicit. Hoc itaq; elogium competit Euangelio à modo redemptionis noſtræ, quæ in cruce eſt perfecta.

Verbũ crucis.

ἀποδιωσις. carnis Chriſti.

Decimononò, cõſiderandum & illud eſt, quòd Euangelium hoc, Euangeliũ gloriæ Chriſti uocatur ſecundę Corinthiorũ quarto, ubi ſic legimus: Deus huius ſeculi excæcauit mentes infideliũ, ut non fulgeat illuminatio Euãgelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. Et primæ Timoth. primo, Secundum Euangeliũ, inquit, gloriæ beati Dei, quod creditum eſt mihi. Cõmendatur Euangelium à fine principali, ad quem eſt ab æterno prędeſtinatum. A gloria uidelicet Dei patris, à quo: & filij, per quẽ ſumus redempti. Qui prædeſtinauit nos, inquit Eph. 1. in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, in ipſum, ſecundum propoſitũ uoluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ. Et paulo pòſt, Qui operatur omnia ſecundum conſilium uoluntatis ſuæ, inquit, ut ſimus in laudem gloriæ ipſius. Item: In quo, inquit, credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſsionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ in redemptionẽ acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius. Deniq; eodem capite uocat Deum patrem glorię, id eſt, patrem gloriоſum, eodẽ uidelicet reſpectu, & hæreditati quam in Chriſto acquiſiuimus: diuitias gloriæ, id eſt, gloriam opulentiſsimã adſcribit dicens: Vt Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti pater glorię det uobis ſpiritum ſapientię & reuelationis in cognitione eius illuminatos uidelicet oculos cordis ueſtri, ut ſciatis quę ſit ſpes uocationis eius, & quę diuitię glorię hęreditatis eius in ſanctis. Cùm itaq; Euangeliũ gloriam nobis gratiæ Dei ab æterno ſalutem noſtram prædeſtinantis, & ueritatis, quæ prædeſtinauerat implentis, & potentiæ regnum ſatanæ deſtruentis, mortemq; in carne filij uincentis, & magnificentiæ in hæreditate nobis parta relucentis, annunciet ac prædicet, eaq; prædicatio ad gloriam gratiæ, ueritatis, potentiæ ac magnificentiæ Dei celebrandam faciat, omnium rectiſsimè Euangelium gloriæ Chriſti ac Dei uocatur. Huc proſpexerunt angeli, primi Euangeliſtæ, cantantes illud, Gloria in excelſis Deo. Elogiũ hoc non poteſt competere doctrinæ, quæ de iuſtitia ac meritis operum noſtrorum in eccleſiã eſt introducta. Deinde & qui uerbum crucis erubeſcunt, de ignorantia ſua potius pudefierent, ſi intelligerent uerbum crucis Euangelium eſſe gloriæ Chriſti ac Dei.

Euangeliũ gloriæ Chriſti.

Principalis finis Euangelij.

Viceſimò, uocatur Euangelium Dei Euangelium æternum, Apoc. 14. ubi legimus: Et uidi alterum angelum uolantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum, ut euangeliзaret ſedentibus ſuper terram, &c. Miniſterium Euangelij temporarium eſt, præſenti ſeculo deſtinatum: gratia uerò & uirtus illius durat in ſempiternũ, quantumuis illi portæ inferorũ aduerſentur. Cõprehendit omnia ſecula uirtus illa & efficacia redemptionis noſtræ, quæ per Euangelium annunciatur in mundo, cuius reſpectu Euangeliũ, æternũ Euangeliũ uocatur.

Euangelium æternum.

Sunt & alia multa in ſcripturis ſacroſancti Euangelij encomia, elogia, epitheta, metaphorę & prędicata, quibus nobis ſpiritus ſanctus authoritatẽ, utilitatem, neceſsitatem, qualitatem, conditionem & miſsat illius cõmendare uoluit: uerùm quæ ex ordine recitauimus, arbitror homini pio abundè ſufficere poſſe, ſi uim illorum coſiderare, ac uel ſingula margaritarum inſtar æſtimare, mentiq; fideli perpetuò retinenda mandare, uel cuncta uno ueluti intuitu conиunctim complecti uoluerit: utpote quòd doctrina hæc Chriſti, pro qua tanta ſemper in orbe digladiatio fuit, & cui perpetuo mundi huius ſapientia pariter & potentia pertinaciſsimè reſtitit, Euangelium eſt, & Dei ac Chriſti filij eius Euangelium, bonum Dei uerbum, bona doctrina, bonus odor, ſermo ſanus, Euangelium regni Dei, Euangelium ac uerbum gratiæ Dei, uerbum ſalutis, uerbum uitæ, uerbum reconciliationis, & Euangelium pacis, uerbum ueritatis, uerbum fidei, doctrina ſpiritus, gladius ſpiritus, bonum ſemen, cibus, uinum nouum, prę-

Epilogus.

dicatio & præconium, Euangelium Apoſtolicum, uerbum crucis, Euangelium gloriæ Chriſti ac beati Dei, & Euangelium æternum.

Cur euangeliũ ſit in literas relatum.

Quærat aliquis ac dicat: Cum itaq; ſit Euangelium doctrina ſpiritus, ac miniſterium illius miniſterium non literę, ſed ſpiritus, ſicuti Apoſtolus 2. Cor. 3. meminit, ad quid eſt in literas relatum? Reſpondeo: Eadem ratione quęras Apoſtolum, cur hoc ipſum de doctrina & miniſterio ſpiritus ad differentiam literæ legis Moſaicę chartis inſcripſerit. Quęras item Dominum ipſum quare doctrinã ſpiritus per Apoſtolos in orbe miniſterio uerbi publicari prædicariq; uoluerit. Si ſimpliciter & immediatè euãgelica diſpenſatio ſpiritui datur, nõ ſolùm literę, ſed nec uocali uerbo locus in illa relinquitur. etenim quid eſt uerbum uocale aliud aurib. quàm quod litera eſt oculis? Vtrobiq; externa ſunt ſpiritualiũ ſenſuum ſigna. Quare ſi ſermo oris, utiq; & litera ad miniſterium ſpiritus pertinere poteſt. De diſcrimine autem literæ & ſpiritus ſuprà facta eſt mentio.

Cur moti ſint euangeliſtæ ad ſcribendum.

Interea tamen non eſt citra rationem factum, quòd non uerbo tantum per Euangeliſtas & Apoſtolos, ſed & ſcriptis Euangelica eſt ueritas in mundo promulgata. Ad ſcribendum moti ſunt Euangeliſtæ & Apoſtoli certa quiſq; ratione. Matthæus Hebræos ad fidem Chriſti inducere uolens Hebraicè ſcripſit. Marcus, ut & Gręcis in hac parte ſeruiretur, epitomen quandã Græco ſermone contexuit. Lucas ipſe dum Euangelio ſuo præfatur, cauſam oſtendit, quare Euangelicas hiſtorias ſcribere uoluerit. Videbat multos eſſe, qui id præſtare conarentur quidem, uerùm quoniã incerta & forſan etiam falſa quædam à maleuolis ſpargebantur, operæprecium duxit, ut quæ ab ipſis acceperat Apoſtolis, literis mandaret. Qua de cauſa ſcripſerit Ioannes, res ipſa docet. Quæ in ſcriptis cæterorũ ad diuinitatem Chriſti pertinentia deſiderabantur, peculiari uolumine adijcere uoluit. Quæ Paulo ſcribendi ratio fuerit, quorſum atti net monere? Ipſę illius epiſtolæ ſingulæ ſatis monſtrant non modò ad quos, ſed & quare ſint ſcriptę. Non poterat ubiq; coràm euãgelizare, uel quę corrigenda erant corrigere: quare pro ardore ſpiritus ſui, & fide Chriſto debita, ut ſolicitudinem taceam, qua omnium eccleſiarum curam gerebat, quod uoce præſtare non potuit, præſtitit ſcriptis. Eadem ratio mouit & cæteros, Petrum uidelicet & Ioannem. Deinde, quoniam fieri non poterat, ut quę uocali miniſterio prædicabantur ab Apoſtolis, integra & incorrupta ad alios, ſiue uicinos ſiue remotiores peruenirent, etiam hac ratione utiliſsimũ erat, ut doctrina ueritatis literis mandaretur, idq; non à quibuslibet, ſed uel ab ipſis Apoſtolis, uel ab Apoſtolorum diſcipulis.

Cur Paulus & cæteri Apoſtoli.

Tertiò conducebat ea res non ſolùm illis, ad quos uſq; ſpecioſi Apoſtolorum pedes non pertingebant, ſed ipſis etiam illorum auditoribus, ut quoniam uox audita perit, litera ſcripta manet, certam ſententiam eorum quæ audierant, ſcripta illorum legendo retinere poſſent. Conſultum præterea eſt & futuris temporibus contra innumeros errores, quos ſpiritus ſanctus inſtinctu ſatanę in eccleſiam ſubintroducendos eſſe ſciebat. Morituri erant Apoſtoli, & poſt illos exorituri nec Apoſtoli alij, nec tales qui cuncti ueri Apoſtolici eſſent, ſed falſi doctores innumeri, uiã ueritatis ſubuertentes: quare neceſſe erat, ut quę uiua uoce docuerant, poſt mortem eorum non in mentibus tantum piorum ac fidelium hærerent, ſed & literis exarata extarent. Experimur hodie quòq;, quãta nequitia ſatanas ab engraphis ad agrapha eccleſias Chriſti per ſatellites ſuos auocare nitatur. Obſecro, niſi extarent Euangeliſtarũ & Apoſtolorum ſcripta ad hæc poſtrema uſq; tempora mirabili beneficio Domini aſſeruata, quid nam reliquum de pura Chriſti doctrina haberemus inter tot tamq; portentoſa & uaria ſectarũ, opinionum ac dogmatum monſtra, quę undequaq; ſinceram Chriſti fidem extinguere & opprimere moliuntur? Dum iſta fidelis ac pius homo conſiderat, exoſculabitur diuinam prouidentiam, quę nobis ſcripta euangelica & Apoſtolica quaſi lucem quandam in medijs tenebris lucentem, inuito & reluctante ſatana per medium monſtroſarum hæreſeon, perſequutionum ac uaſtationum bellicarũ hactenus cuſtodire & ſeruare dignata eſt: tam abeſt, ut curioſę quęrat, quare literis mandata ſit euangelica doctrina.

Satan ducit à engraphis ad agrapha.

Quæ ſint Euãgelicæ doctrinæ partes.

Poſtremò uidendũ etiam eſt, quę partes ſint euangelicę doctrinę. Non ſcrutabimur eas curioſius, ſed præcipuas tantum aſsignabimus, quas nobis os ipſius Domini proponit. Marci 1. Reſipiſcite, inquit, & credite Euangelio. Et cap. ult. Euntes in mundum uniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui uerò non crediderit, condemnabitur. Et Lucæ 24. Quoniam ſic ſcriptũ eſt, inquit, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, ac prædicari in nomine eius reſipiſcentiã & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. Et Matth. ult. Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris, & filij, & ſpiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia, quęcunq; mandaui uobis. Hiſce uerbis proponitur nobis primùm factũ Chriſti, deinde inſtitutio illius, unde ſatis facile eſt colligere, quę ſint euangelicæ doctrinæ partes. Prædicauit ipſe, deinde eandem doctrinam diſcipulis in orbe promulgandam tradidit & inſtituit. Summa prędicationis ipſius comprehenſa in eo eſt, quod dixit: Reſipiſcite, & credite euãgelio. Item: Oportet in nomine eius prædicari reſipiſcentiam & remiſsionem peccatorum. Vbi doctrinã Apoſtolis prę ſcribit, prędicationem euangelij ponit, & addit dicens, Docentes eos ſeruare quæcunq; mandaui

daui uobis. Ergo complectitur euangelium tres partes. Prima resipiscentiam, secunda fidem, tartia obseruantiam præceptorum Christi requirit. Vocat euangelium peccatores ad resipiscentiam, promittit remissionem peccatorum & uitam æternam credentibus, & condemnationem minatur incredulis, ac præcipit obseruanda fidelibus. Non debent hæ partes à se inuicem diuelli. Alioqui malè prædicat euangelium, qui uel resipiscentiâ sine annunciatione gratię, uel gratiam prędicat sine resipiscentia & doctrina obedientię. De resipiscentia uerò, uel pœnitentia, deq; remissione peccatorum separatis locis dicemus.

DE SACRIS SCRIPTVRIS.

COMMODVM post locũ de Euãgelio subijcimus eũ, qui est de sacris scripturis, non quòd illæ quæ ueteris Testamenti sunt, posteriores sint euangelio, sed quòd ex illis constet Christianę fidei certitudo. Etenim quæ de Christo nobis per euãgeliũ prędicãtur, in sacris scripturis multis antè seculis promissa leguntur. Sic Paulus Rom. 1. statim initio doctrinę euangelij certitudinem expressurus dicit: Paulus seruus Iesu Christi uocatus Apostolus, segregatus in euangelium Dei, quod antè promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo. *Ex scripturis ueteris Testamenti certitudo est nostræ fidei.*

Principiò, quòd scripturę, de quibus hoc loco dicturi sumus, & quibus ecclesia fideliũ ad institutionem pietatis religiose uti consueuit, sacræ uocantur, quemadmodum eas uocat Apostolus 2. Tim. 3. dicens, Et quoniam à puero τὰ ἱερὰ γράμματα, id est, sacras literas nosti, ex eo est quòd de sacris rebus loquentes separatæ sunt ab omnibus alijs scripturis, quæ de rebus prophanis sunt scriptæ. Res prophanas autem uoco, non eas tantum, quæ ad præsens seculũ pertinent, & non nisi ea quæ mundi huius sunt, temporariamq; uitam nostram concernunt, sed & quasuis quorumcunq; seculorum ac populorum superstitiones, falsos cultus, impia sacra, & erroneas de Deo opiniones, ut excludantur ab hoc sacrarum scripturarum elogio omnia illa scripta, quę per errorem de Deo, deq; cultibus ac religione Dei prodierunt in orbem, qualia habet Maometarum Alkoran. Neq; enim merentur sacra uocari, quæ non nisi in speciem sacra sunt: uerè non sunt, quantumuis ab errantibus ac superstitiosis hominibus pro sacris habeantur, nisi quatenus pestilentem lepram, sacrum morbum, & ignem quem D. Antonij uocant, sacrum ignem, nominant. Quemadmodũ enim nec ueritatis titulus competit ijs rebus, quę ueręnon sunt, quamlibet uideantur, ac incautos & imperitos similitudine ueri seducant, nec uerè dij sunt, quos ætas prisca putauit: ita nec sacra uocanda sunt, quæ uerè sacra non sunt, sed magis impia & superstitiosa. *Scripturæ sacræ unde dicantur.* *Prophanæ scripturæ.*

DE ORIGINE SACRARVM *scripturarum.*

ANte Mosen non legimus fuisse aliquam scripturam diuinitus inspiratam. Nolim de eo cum quoquam contendere, extiterit ne ante illum scriptũ aliquod sacrum in ecclesia Dei, uel secus. Siue extiterit, siue minus, ad nostram certè cognitionem nullę sacręscripturæ peruenerunt Mosaicis antiquiores. Alioqui Christus, cuius illustrationi omnes sacræ scripturę destinatę sunt, non à Mose cœpisset, cum Lucæ 24. duobus illis discipulis suis in Emaus euntibus à Mose exorsus omnes sacras scripturas, quę ad ipsum pertinebãt exponeret: sed si qua scriptura sacra Mosaicis uetustior extitisset, utiq; de illa cum primis exordium sumpsisset. De libro Enoch affirmare poterunt, qui illum scribentem, & uel bibliothecã Noah in arca, uel prioris mundi libros per diluuium ad litus aliquod transfretantes uiderunt. Principium nobis sacræ scripturæ est illud: In principio fecit Deus cœlum & terram. *Ante Mosaicã scripturam nõ extat antiquior.* *De libro Enoch.*

Quod autem per omnia illa secula, quæ inde ab initio mundi ad Mosen usq; decurrerunt, nulla est ecclesiæ Dei scriptura data, quæ diuinitus inspirata ad cognitionem & cultum Dei, deniq; ad studium pietatis faceret: omnino haud est præter rationem factum, quicquid affirment illi, qui nullam scripturam in toto mundo priorem esse dicunt libris Enoch, qui in ecclesia reginæ Saba asseruentur, & in maiori authoritate quàm Mosis habeantur. Illud uidemus, uoluisse Deum ante diluuium & post etiam ad Mosen usq; sanctis patribus, uel per uisiones nocturnas, uel per apparitiones diurnas ea manifestare quæ ad fidem, religionem ac pietatẽ conducerent, per quos postea, qui sub illis erant instituerentur. Quasi fundamentũ quoddã diuinę cognitionis per omne illud tempus, quod ante Mosen legislatorem fuit, præijciendũ erat, cui sequens scriptura inniteretur. Crebris apparitionibus & oraculis paranda fides erat, qua crederetur habere Deum curam & rationẽ humani generis, dignariq; illum præcipuos uiros de uoluntate gratiæ suæ per oracula, apparitiones & reuelationes instruere, quorũ opera cęteri ad cognitionem diuinam, ac studium religionis perducerẽtur. Sic loquutus est Adę primùm, & post hunc sanctis patriarchis, non modò ante, sed & post diluuium, deditq; singu- *De seculis ante Mosen.* *Status ecclesiæ ante scripturas.*

lis generationibus piorum tales uiros, qui cæteris essent in religione ac uera pietate duces, usq; ad Mosen. Notæ sunt patrum illorum historiæ, ut non sit cur huc adferantur.

Initium sacræ scripturæ.

Vbi tempus erat non iam per familias priuatas, sed per numerosum populũ propagare & illustrare ueram cognitionem ac religionem Dei, in mundo parauit hominem singularem & ad hoc destinatum, ut per ipsum sacrę scripturæ sumerent initium. Huic magnis & tremendis portentis tantum parauit authoritatis, ut quę scripturus erat, non humanitus excogitata, sed diuinitus inspirata ab eo saltẽ populo crederentur, cui fides erat eius rei per miracula & portenta facta. Huc etiam faciebat, quòd initium sacrę scripturę non illius, sed Dei digitis exaratum est. Vbi per hunc sacra scriptura populo Dei tradita est, haud quidem statim omnes illæ angelicæ apparitiones in Israele cessarunt: paulatim tamen frequentia illarum imminuta est,

Prophetæ.

donec quę Moses scripserat, radices in ecclesia Dei altius fixerunt. Post Mosen missi sunt prophetæ, quibus & ipsis oracula Dei per uisiones & reuelationes innotuerunt: uerùm illi quæ uerbo sparserunt in Israele, scriptis quoq; mandarunt, ne qua esset excusatio posteris, sed dici posset illud Christi: Habent Mosen & prophetas, si illos non audierint, non credent etiamsi quis resurgat à mortuis.

Noui testamenti scripturæ quomodo introductæ.

Nec ueteris tantum Testamenti scripturæ ad hunc sunt modum introductæ, sed & noui perinde sunt dispensatæ. Inaudita sunt illis portenta præmissa, non ab ipso duntaxat Christo, sed & per Apostolos ædita, quibus nouæ fidei in mundo propagandæ uia pararetur. Subsequutę sunt postea sacræ literæ euangelistarum & Apostolorum. Vbi illæ sunt sparsæ, licet nõ subitò abruptus sit miraculorum cursus, cõfirmando euangelio seruiens, post mortem tamẽ Apostolorum rariora sunt ædita miracula. De ueris ac sinceris loquor, non de ijs quæ operationibus satanæ magis, quàm uirtuti Christi sunt tribuenda, de quibus antea diuinus Paulus quàm æderentur, fideles præmonendos esse duxit. Vide 2. Thess. 2.

Post sacras scripturas non esse temerè acquiescendum quibusuis reuelationibus.

Hæc itaq; sacræ cũ uet. tũ noui Test. scripturę dispensatio, quę utrobiq; post præmissa diuinarum reuelationũ oracula, & insignia portenta in mundũ est introducta, si rectè consideretur, planè nos admonet, post acceptas sacras ac diuinas scripturas, neq; esse quęrendas, neq; expectandas earum rerum reuelationes, quæ ad ueram fidem, pietatem, cognitionem Dei, ac uitã requiruntur. Primùm enim repugnaret hoc ordini diuinę dispensationis, quam non est prouidentia Dei mutatura. Deinde uiam aperiret angelo satanę, qui se transfigurat in angelũ lucis, ac mentibus illorum falsis reuelationibus illudere solet, qui luce sacrarum scripturarũ contempta, nescio quæ subtiliora ac spiritualiora per reuelationes speciales expectant.

DE DIVISIONE SACRARVM *scripturarum.*

SAcræ scripturæ, quarũ geminum corpus sacra Biblia uocatur, diuiduntur in uetus ac nouum Testamentum, & uocantur aliæ canonicæ, aliæ apocryphæ. Canonicę pro authenticis habentur, in causa fidei ac religionis comprobanda: quæ extra canonẽ & apocryphæ

Libri canonici uet. Test. qui.

sunt, authoritatem hanc non sunt assequutę. In Canone sunt quinq; libri Mosis, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numerorum, & Deuteronomium. Illis subiũguntur Iehosuah, Iudicũ, Ruth, Samuel, Regum, Paralipomenon, Esther, Daniel, Esdra, Iob, Psalteriũ, Prouerbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica cãticorum, Esaias, Hieremias, Threni, Ezechiel, & liber 12. prophetarũ. Hos libros uocant Hebræi propter numerum עשרוארבע id est, uigintiquatuor: duos Samuelis pro uno, duos Regum item pro uno, deniq; & duos Paralipomenon pro uno reputantes, quamuis in ipsorum quoque codicibus in duos diuidantur. Quicquid extra hos est, inquit

Lib. can. noui Test. qui.

Hieron. in prologo Galeato, inter apocrypha ponendum est. Noui testamenti canonicæ scripturę sunt, libri euangelistarum: Matth. Marci, Lucę & Ioannis, Acta Apostolorum, quatuordecim epistolę Pauli: ad Romanos una, ad Corinthios duę, ad Galatas una, ad Ephesios una, ad Philip. una, ad Colosſ. una, ad Thessalonicenses duę, ad Timotheum duę, ad Titum una, ad Philemonem una, & una ad Hebræos. Istis adduntur in Canone epistolæ Petri duæ, Iacobi una, Ioannis tres, Iudæ una, & Apocalypsis Ioannis.

Apocrypha ueteris testamẽti

Inter libros ueteris Testamenti apud Græcos & Latinos reperiuntur hi libri, quos Hebræi ad Canonis authoritatem nõ admittunt, Tobias uidelicet, Iudith, Baruch, epistola Hieremię, Oda trium puerorum, Esdrę tertius & quartus, Sapientia Salomonis, Sapientia Sirach, quẽ librũ Latini Ecclesiasticum uocant, historia Susannę, Belis, & Draconis, libri Machabæorũ,

Apocrypha unde dicta.

quibus Græci librum Iosephi addunt. Habentur isti pro apocryphis, non quòd habendi sint in aliqua secreta authoritate, sed quòd uel occulta extiterit illorum origo: uel quòd non palàm in ecclesia Dei quemadmodum canonici, sed in abscondito ac domi à priuatis legi consueuerint. Sonat enim apocryphon idem, quod secretũ & absconditum. Forsan inde irrepsit hæc uox in ecclesiam, quòd lectio talium librorum, qui secretiora & abstrusiora continent, qualis est liber Apocalypseos, quem rectius librum absconditorum uocaueris, nõ solerent ad publicam & Ecclesiasticam lectionem admitti: & quoniam non admittebantur, quicunq; nõ

sunt de canone sacræ scripturæ, successu temporis obtinuit in Ecclesia, ut omnes eiusmodi libri à canone excluſi, apocryphi, id est, abscõditi uocarẽtur. Excluſi uerò sunt à Canone, quòd magis ἀνδρωπεπιγρᾶς quàm διαπιγρᾶς scripti, & quædam canonicis scripturis non satis conformia habere uidentur: deniq; sicut Augustinus lib. II. contra Faustum Manichęum cap. 2. dicit, Nescio quorum præsumptione prolati sunt. *Apocrypha quare non sint canonica.*

Inter libros Noui testamenti sunt nonnulli, de quibus etiam ueterum sententię uariant: ut pote Epistola posterior Petri, duæ posteriores Ioannis, Epistola Iudæ, Epistola ad Ebręos, & Apocalypsis Ioannis, quę in Concilio Laodiceno cap. 59. & ultimo inter Canonicas scripturas non recitatur: quibus etiam eam quæ Iacobo inscribitur, quidam recentiores connumerant. Meæ modestiæ non est, ut de illis pronunciem, sint ne eorum, sub quorum nominibus extant, uel secus. Iudicia tamen ueterum hoc efficiunt, ut minus sim illis quàm cæteris scripturis astrictus, licet haud facile quæuis damnanda censeam, quæ in illis leguntur. *Apocrypha Noui testamenti.*

Rursus sacras ueteris testamenti scripturas diuidunt in legales, historicas, propheticas, & hagiographas. Legales uocant quinq; libros Mosaicos. hos Ebræi uocant תורה, id est, legem, uel doctrinam, & à numero חמשה, id est, quintuplicatum, Græci πεντάτευχον. Historicas appellant Iosue, Iudicum, libros Samuelis, & Regum. Propheticas nominant Esaię, Hieremię, Ezechielis, & duodecim prophetarum minorum. Hagiographas, id est, scripturas sanctorum cęteras esse dicunt. Sunt quidem & legales, & historicæ & propheticę à sanctis uiris diuino instinctu scriptæ: uerùm hasce sic uocandas esse censuerunt, quòd nec legales, nec historicę, nec propheticę prorsus sint, & propter materiarum uarietatem ægrè certum aliquem titulum recipiant. Sunt tamen, qui eas Sapientiales uocandas esse putant. Noui testamẽti scripturas diuidere possumus in Euangelicas historias, & Epistolares doctrinas. Euangelicę historię quatuor libris Euangelistarum, & quinto quem de Actis Apostolorum Lucas conscripsit. Cæteræ scripturæ Apostolorum Epistolis continentur, una dempta Apocalypsi. *Diuisio scripturarũ ueteris testamenti, in legales, historicas, propheticas, & hagiographas.*

Diuisio scripturæ Noui testamenti.

Quid uerò singulis libris sacris contineatur, & quæ sint illorum argumenta, arbitror haud esse necessarium, ut hic ex ordine recensea. Multo utilius esse puto, si diligens ac pius lector, sacras scripturas religiosa sedulitate uoluens ac reuoluens ipse sibi singulorũ librorum, imò & capitum argumenta colligat. Vereor enim ne desides ac negligentes sacrarum scripturarũ lectores reddamus, si cuncta in compendium cõtracta breuibus argumentis complectamur. Interea non damno eorum studia, qui & librorum ac capitum quoq; argumẽta sacris Biblijs præfixerunt. Quod si quis illis bene se uti posse existimat, quærat eam in præfatione, quæ Tigurinæ est æditioni de præstantia & dignitate sacræ scripturæ præmissa, & in Epistola Hieronymi ad Paulinum presbyterum de omnibus diuinæ historiæ libris, quam statim initiò Latinæ æditioni præmittere solent.

DE AVTHORITATE ET EXCELLENTIA *Canonicæ scripturæ.*

COnsequenter uidendum est de authoritate sacrum scripturarum. Quoniam usus sacrę scripturæ ad hoc est destinatus, ut imperiti diuinarũ rerum in cognitione Dei ad salutem erudiantur: fieri autem non potest, ut qui imperiti sunt, statim initio ipsarum rerũ intelligentia persuasi, ratione ueritatis ducantur: ipsa hoc requirit necessitas, ut primùm authoritate aliqua permoti, doctrinæ sese submittant, cuius spiritum & intellectum haud possunt cõfestim capere, donec exercitatos sensus adepti, res ipsas intelligant, de quibus institui cœperunt. Sic rectè authoritas quasi ianua quædam censetur, per quam in uniuersum omnibus est discipulis ad capiendam discendarum rerum scientiam ingrediendum. Quemadmodum autem nemo credendarum rerum imperitus fidem habet uerbis loquẽtis, nisi existimet eum talem esse qui non mentiatur: ita nemo obedit facile præcipienti, nisi & maiestatẽ illius agnoscat, cui prompta debeatur obedientia, & sapientiam præceptis illius tantam inesse credat, ut haud possint sine certo detrimento salutis contemni. Quàm autem necessarium sit, ut qui ipse de rebus discendis iudicare certò & infallibiliter non possunt, ab authoritate aliqua depẽdeant, per quã in ordine retineantur: ex eo satis patet, quòd qui suopte iudicio ferũtur, cum sint intellectu rudes & imbecilles, frequenter uerisimilibus rationum spectris à tramite ueritatis abducuntur, ut in uarios errores prolabantur, unde uel nunquam, uel certè omniũ ægerrimè ad ueritatis rectitudinem reducantur. Est itaq; cauendum rudibus & imperitis, ne sine ductu authentico de rebus quas non intelligunt, sentire ac iudicare præsumant. *Necessitas & usus authoritatis.*

Consimili cautione opus est discipulis omnibus, ut caueant, ne se falsę authoritati pro uera subijciant. Tam enim errat qui alieno iudicio ac ductu, quàm qui proprio seductus errat. Hoc uidelicet uiderunt primi moderatores Ecclesiæ Dei, ideoq; sacris scripturis supremam tribuerunt authoritatẽ, cuius respectu & norma omnium piorum hominum mentes in obedientia fidei retineantur, ut quæ in illis traduntur, omnium esse uerissima credant, sciantq; se ubi hanc reliquerint, omnis generis erroribus futuros obnoxios. *Authoritas fallax cauenda.*

Authoritas gemina. 1 Est autem authoritas gemina. Sempiterna ac suprema una, temporaria & inferior altera. Sempiterna ac suprema in solo Deo est, qui & semper & omnia excellit. Authoritas huius ex eo est, quòd primùm omnia condidit, deinde cuncta gubernat, tertiò potestatẽ habet in omnia: quartò, iustitia, ueritate, uirtute ac sapientia superat omnia quæ in cœlo sunt & in terra: quintò, omnis nostra uita ac salus ex illius uoluntate dependet, quæ quasi fons est bonorum omnium. Horum gratia communi mortalium omnium sensu supremam ac sempiternam authoritatem habere cognoscitur, cui sine summa impietate à nemine quicquam derogari potest. 2 Temporaria & inferior authoritas, quę legitima sit, ex Deo est, inter homines uigens, & uel naturali prærogatiua, qualis est parentum in liberos: uel iure ac potestate, qualis est dominorum in seruos: uel officio, qualis est Magistratuum in subditos ciues, & ecclesiastarum in populo fidelium: uel senio maturo & honesto, qualis est uirorum grauium erga ętatem immaturam: uel singulari sapientia & prudentia constans, qualis est doctiorum, sapientum, & prudentum erga imperitos.

Hanc authoritatem uoco inferiorem, propterea quòd non in seipsa cõstat, sed à superiore dependet, illamq; in omnib. suspicere tenetur, imò illius ministra esse uebet, & ad unũ hunc scopum collimare, ut authoritas Dei illęsa ubiq; & perpetuò maneat. Dico eam esse temporariam, propter rerum humanarum, ac dispensationis illarum mutabilitatẽ & infirmitatem, qua fit, ut qui hodie authoritatis gratia suspiciendus est, cras non sit. Ex Deo est, propterea quòd illius beneficio ad utilitatem mortalibus data prouenit, à quo est omnis paternitas, & unde omne bonum descendit. Quare conuenit, ut ab inferioribus habeatur in precio, & à superioribus nullo abusu peruertatur.

Dispẽsatio authoritatis. Vsus autem ac dispensatio authoritatis constat uel uerbo, uel facto. Qui authoritate prædi ti sunt, aut uerbis illã exercent docentes, iubentes, corripientes, admonentes, promittentes, comminantes, &c. uel factis ea facientes, quæ inferioribus ad imitationem faciant, aut aliàs conducant. De inferiori ac temporaria authoritate, non est ut in præsenti dicamus. Videndum est de suprema ac sempiterna, quam Deo soli unicè tribuimus: idq; nõ quatenus exercetur factis, sed quatenus uerbo salutis nostrę dispensatur. Quemadmodum autem factis eius tanta tribuitur authoritas, ut illa nemo mortalium in ius uocanda, sed suspicienda magis & adoranda ducat: ita conuenit, ut & uerborum eius irrefragabilis authoritas agnoscatur ab omnibus, etiamsi non mox intelligatur illorum sapientia ac ueritas.

Vnde fides sit facta sacris scripturis. Et quoniã sacra scriptura non est humana uel uoluntate, uel sapientia prolata, sed ad salutem nostram à Deo data, adeoq; uerbum habet non hominum, sed Dei, quo conuenientẽ in mentibus nostris habeat authoritatem, haud secus quàm si nobiscũ Deus ipse facie ad faciẽ loquatur: summo studio hoc egit spiritus sanctus, ut non modò quæ per eam traduntur, cœlestem sapientiam, ueritatem ac bonitatem spirent: sed & uiri illi, per quos illam tanquam diuinorum oraculorum interpretes, siue loquẽdo, siue scribendo protulit, sic essent celebri pietate ac spiritu diuinę sapientię prędiți, ut etiamsi, quemadmodum fieri solet, à sui seculi hominibus pro uiris diuinis, & diuinę uoluntatis interpretib. non sint agniti dum uiuerent: agniti tamen sint, postquam hanc uitam excesserunt. Duobus hisce argumentis fides est facta sacris scripturis, quòd sint ex Deo, & conueniens illis authoritas in ecclesia Dei conciliata, quã nobis uiri sancti summa semper diligentia cõmendarũt. Hinc est, quod Apostolus 2. Timoth. 3. cùm de utilitate sacræ scripturę admonere uellet, cum primis eam θεόπνευστον, id est, diuinitùs inspiratam uocauit. Et 2. Pet. 1. sic legimus: Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines. Ad hoc & illud facit, quod ad Apostolos suos ac discipulos Christus dixit: Non uos estis qui loquemini, sed spiritus patris uestri loquetur in uobis. Et hanc authoritatem prætexebant prophetæ dicentes: Hæc dicit Dominus. Item, Os Domini exercituum loquutum est. Hanc confirmauit Christus ipse, ubi tentatoris Satanæ ex sacris scripturis respondit, in synagoga ex libro Esaiæ legit, loca scripturarum subinde citauit, ad scrutandas sacras scripturas hortatus est, deniq; illas discipulis suis exposuit. Confirmarunt hanc & Apostoli & Euangelistæ, passim ex scripturis testimonia, pro asserenda doctrinę Euangelicę ueritate citantes. Vnde & qui Thessalonicę Paulum audiebant, quotidie scripturas scrutabantur, an sic haberent, quę ab illo dicebantur, Actorum 17. dubio procul fidem illi habituri, si quæ ex illis citabat, sic habere quemadmodum ipse dictitabat, deprehenderent, etiamsi res ipsas nondum satis perspicuè intelligerẽt. Credebant enim sacras scripturas authorem habere Deũ, prodijsse ex instinctu spiritus sancti, omnẽ mundi huius excellere sapientiam, omnem rationis humanę transcendere captum, doctrinam habere perfectam, normamq; esse credendorum, & ad salutem nostram diuinitùs datam. Quare illas diligenter scrutabantur, religiosè cauentes, ne quid aduersus ueritatem ac uoluntatem Dei temerè uel reciperent, uel reijcerent, pulcherrimo sanè & utilissimo exemplo monstrantes, quò sit pijs hominibus confugiendum, ubi de rebus fidei ac religionis controuersiæ exoriuntur.

Quoniam non statim de rebus ipsis iudicare possunt, credunt autem sacras scripturas esse datas populo Dei, ut sint instar lucis lucentis in medijs tenebris, quòd in illis omnia quæ ad

fidem

fidem ac ueram pietatem pertinent, luculenter ſunt expreſſa, quorſum confugerent ad certifi candas conſcientias, & confirmandos ueritatis ſenſus, quàm ad ſacras ſcripturas?

Canon ſacræ ſcripturæ.

In hunc uſum uoluit ſpiritus ſanctus extare certum diuinarum ſcripturarum canonem, ad quem omnia in religione Dei uel credẽda, uel auerſanda examinẽtur. Canon unde ſacra ſacri ptura Canonica uocatur, Græca uox eſt, Latinis ſonans regulam. Vſus regulæ eſt, ut ad illius rectitudinem quæcunq; proponuntur, cõferantur, ac uel probentur, uel corrigantur. Noſtra hac ætate de multis rebus obortæ ſunt controuerſiæ in eccleſia Chriſti. Qui uſitata dogmata tuentur, quoniam non hoc agunt, ut illuſtrent ueritatem Dei, & conſulant piorum conſcientijs: ſed ut Romanæ ſedis prærogatiuam ac dominatum, deinde & ordinis ac nominis ſui gloriam, nonnulli etiam uentrem ac quæſtum ſuum tueantur: pugnant pars argumentis de inoleta conſuetudine, de temporis præſcriptione, de quorundam patrum ſanctitate, de catholica receptorum & uſitatorum obſeruantia, de Romanæ ſedis excellentia & poteſtate, deq; philoſophia, uel Platonica, uel Ariſtotelica, ſumptis: pars igne, gladio, laqueis, carceribus, proſcriptionibus & Principum edictis, crudelem lanienam minitantibus. Interea qui ſaluti pariter ac paci fidelium conſultum iri cupiunt, ſententias ſuas deferunt ad canonẽ ſacrarum ſcripturarum, & harum iudicio controuerſias omnes terminari poſſe iudicant. Qua illi in re ſanè nõ modò conſilium ſpiritus ſancti, qui ad hunc modum ſacras ſcripturas eccleſiæ Dei dedit, ut eſſet certa credendorum norma, ſed & priſcæ eccleſiæ exempla, quæ per authoritatem ſacrarum ſcripturarum hæreſes oppreſſerũt, & antiquorũ patrum ſententias ſequuntur, qui hunc ſacrarum ſcripturarum uſum pijs commendarunt.

Chryſoſtomus

Legatur Chryſoſtomus ſuper Matthæum, expoſitione ſecunda, Homilia quadrageſimanona, capite 24. ubi ſic dicit: Quia in tẽpore hoc, ex quo obtinuit hæreſis eccleſias, nulla probatio poteſt eſſe ueræ Chriſtianitatis, neq; refugium poteſt eſſe Chriſtianorum aliud uolentium cognoſcere fidei ueritatem, niſi ſcripturæ diuinæ. Antea enim multis modis oſtendebatur, quæ eſſet eccleſia Chriſti, & quæ Gentilitas: nunc autem nullo modo cognoſcitur, uolentibus cognoſcere, quæ ſit uera eccleſia Chriſti, niſi tantummodo per ſcripturas. Quare? Quia omnia hęc quæ ſunt propriè Chriſti in ueritate, habent & hæreſes illæ in ſchiſmate: ſimiliter eccleſias, ſimiliter & ipſas ſcripturas diuinas, ſimiliter Epiſcopos, cęteroſq; ordines Clericorum, ſimiliter Baptiſmum, ſimiliter Euchariſtiam, & cætera omnia, deniq; ipſum Chriſtum. Volens ergo quis cognoſcere quę ſit uera eccleſia Chriſti, unde cognoſcet eam in tanta cõfuſione ſimilitudinis, niſi tantũmodo per ſcripturas? Item, ex moribus ipſis prius intelligebatur eccleſia Chriſti, quando conuerſatio Chriſtianorum, aut omnium, aut multorum erat ſancta, quæ apud impios nõ erat. Nunc aũt tales aut peiores facti ſunt Chriſtiani, quales ſunt hęretici aut Gentiles: adhuc aũt & maior cõtinentia apud illos inuenitur, quãuis in ſchiſmate, quàm apud Chriſtianos. Qui ergo uult cognoſcere quæ ſit uera eccleſia Chriſti, unde cognoſcat, niſi tantũmodo per ſcripturas? Sciens ergo Dñs tãtã cõfuſionẽ rerũ in nouiſsimis dieb. eſſe futurã, ideo mandat, ut Chriſtiani qui ſunt in Chriſtianitate, uolentes firmitatẽ accipere fidei uerę, ad nullã rem cõfugiant, niſi ad ſcripturas. Alioqui ſi ad alias reſpexerint, ſcandalizabuntur & peribunt, non intelligentes quæ ſit uera eccleſia. Hæc ad uerbum Chryſoſtomus.

Auguſtinus.

Conſimilis eſt & Auguſtini ſententia, qui Epiſtola 166. ſic ſcribit: In ſcripturis didicimus Chriſtum, in ſcripturis didicimus eccleſiam. Has ſcripturas communiter habemus: quare nõ in eis & Chriſtum & eccleſiam communiter retinemus? Hæc ille. Ad hunc modum ſancti Patres in rebus dubijs confugiendum eſſe cenſuerunt ad authoritatem canonicæ ſcripturæ, qua contempta, nihil aliud quàm fidei noſtræ uacillatio ſequi poterit, ſicut & Auguſtinus ſentit De doctrina Chriſtiana, libro primo, capite trigeſimoſeptimo, dicens: Titubabit autem fides, ſi diuinarum ſcripturarum uacillat authoritas. Quomodo aũt illa non uacillat, imò prorſus contempta & abiecta iacet, ubi non illius ſententia ad inueniendam ueritatem, & pacandum Chriſti eccleſias, quæritur, ſed armis humani magiſterij ac dominatus ueritas uiolenter opprimitur, & regnum mendaciorum ſtabilitur?

Titubat fides, ſi diuinæ ſcripturæ uacillat authoritas.

Contra eos qui cauſantur ſacras ſcripturas eſſe obſcuras.

Clamant aduerſarij, ſacras ſcripturas eſſe obſcuriores, quàm ut certa ex illis poſsit ſententia colligi. Reſpondeant Auguſtino, qui libro 2. De doctrina Chriſtiana, capite ſexto diuerſum ſentiens ſic annotat: Magnificè & ſalubriter ſpiritus ſanctus ita ſcripturas ſanctas modificauit, ut locis apertiorib. fami occurreret, obſcurioribus uerò faſtidia detergeret. Nihil enim ferè de illius obſcuritatibus eruitur, quod non planiſsimè dictum alibi reperiatur. Hæc ille. Vnde ſatis conſpicuum eſt, ſi quid alicubi obſcurius dicitur in ſcripturis, lucem illius petendam eſſe ex ijs locis, in quibus res eadẽ clarius explicatur. Verùm qui doctrinæ ueritatis malè ſunt propitij, ſic ſunt mentibus obtenebratis, ut lucem ſacrarum ſcripturarum ferre nõ ualeant. Quare quod pijs hominibus ſole clarius eſt, illis quauis eſt caligine obſcurius. Quòd ſi obſcurum eſt Euangelium Dei, his obſcurum eſt qui pereunt, inquit Apoſtolus 2. Corinthiorum quarto: quibus Deus huius ſeculi uenter, φιλοδοξία, φιλαυτία, odiũ, &c. mentes excæcauit, ut non fulgeat ipſis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti. Si obſcura eſt ſacra ſcriptura in rebus fidei ac religionis noſtræ, quomodo cõſtabit qd Chriſtus exprobrat Sadducęis, Matth.

uigesimosecúdo, dicens: Erratis, nescientes scripturas. Item Ioannis quinto: Scrutamini scripturas. Nam illæ testimoniũ perhibẽt de me. Quomodo alioqui uerum est, quod Apostolus illam comparat lucernę lucenti in loco caliginoso? secundæ Petri primo. In ueteri Testamento erat quædam figurarum obscuritas. Postquam uerò Christus lux mundi illuxit, figurarum umbras disiecit, ueritatem impleuit, atq; ita clarissimam lucem sacris scripturis intulit: quomodo conuenit Christianis hominibus, ut illas de obscuritate infament, & hoc nomine iudicium illarũ in controuersijs religionis non ethnicæ, sed Christianæ subire detrectent? Et hi sunt, qui perpetuò patres habent in ore. Quare non exemplum illorum sequũtur, qui magna dexteritate ac diligentia sacrarum scripturarum armis ac telis usi, quasuis hæreses oppresserunt? Desinant esse magni elephanti, & incipiãt esse humiles agniculi, atq; tum ingrediantur cum timore Domini sacræ scripturæ fluenta, ad quorum fundum penetrat, ut ille ait, agnus, & in quorum superficie natat elephas. Si hoc non faciunt, nemo cordatus mirabitur, quòd cum tales sint, scripturas sacras obscuras esse queruntur.

Exemplum patrum.

S. scriptura fluuius est, in quo agnus peditat, elephas natat.

QVAE DIFFERENTIA SIT INTER SACRAS *scripturas & scripta patrum, episcoporum & conciliorum.*

Quòd aduersarij ad patres confugiunt.

CAro tergiuersatrix in omnes sese formas uertit, ne ueritati Dei per omnia obedire cogatur. Quare ubi admodũ tyrannidi uidetur esse uicinũ, proprio arbitratu ac dominatu quiduis uel statuere, uel tueri in ecclesia: quoniam eiusmodi temeritas sacrarum scripturarum authoritate, ne in speciem quidem defendi potest, hanc auersantes confugiunt ad qualemcunq; prætextum patrum, episcoporum & conciliorum, quasi ea quæ mordicus defendunt, illorum prætextu ab errore uindicare queant, non hoc agentes, ut cõprobent se tueri quæ uera sunt, sed ut simulent se non esse defensores nouorum dogmatum, atq; ita iniusti dominatus inuidiam astutè declinent, causæq; suæ patrocinium sub existimatione ac sanctimonia patrum, ipsi omniũ profanissimi inueniant. Quibus si ullo modo fieri possent, id optarim ex animo, ut in omni religionis nostræ causa censura ipsis eorum esset subeunda patrum, quorum sese patrocinio in controuersijs præsentibus tueri conantur. Obsecro, ubi cõsisteret uniuersa Romana sedes cum omnibus istis personatis Episcopis, Carnalibus, Prelatis, Monachis, Academicis, Sophistis, Scotistis, Thomistis, Occamistis, & alijs id genus hominib. qui iam seculis aliquot moderamina Christianæ religionis per fas ac nephas, prece, precio, ui & armis occuparũt, si sanctorũ patrũ, ac ueterum canonũ conciliorumq; iudicio subijcerentur?

Verùm quamuis cordatis hominibus abundè notum est, aduersus authoritatem sacrarũ scripturarum non esse quorumcunque patrum & conciliorum sancita opponenda: propter eos tamen, qui pluris æquo faciunt scripta patrum, quorundam patrum sententias in mediũ adferam, unde uideant, quid discriminis statuendum sit inter illorum lucubrationes, & canonicarum scripturarum authoritatem.

Hieronymus. Hieronymus super Epistolam ad Galatas sic scribit: Spiritus sancti doctrina est, quę canonicis literis prodita est, contra quam si quid statuant concilia, nephas duco. Hæc ille.

Augustinus. Augustinus Epistola III. ad Fortunatianũ: Neq; enim quorumlibet disputationes, inquit, quamuis catholicorum & laudatorum hominum, uelut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si fortè inuenerimus, quòd aliter senserint, quàm ueritas habet, diuino adiutorio, uel ab alijs intellecta, uel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales uolo esse lectores meorum. Et Epistola 112. sic scribit: Si quid diuinarum scripturarum, earum scilicet quæ canonicæ in ecclesia nominãtur, perspicua firmatur authoritate, sine ulla dubitatione credendum est: alijs uerò testib. uel testimonijs, quibus aliquid credendum esse suadetur, tibi credere uel non credere licet.

Et libro secundo aduersus Cresconium, capite trigesimoprimo: Nos, inquit, nullam facimus Cypriano iniuriam, cùm eius quaslibet literas à canonica diuinarum scripturarum authoritate distinguimus. Neque enim sine causa tam salubri uigilantia Canon ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum liberi pertineant, quos omnino iudicare non audeamus, & secundum quos de cæteris literis, uel fidelium, uel infidelium libere iudicemus. Hæc ille.

Obsecro, si de scriptis quorumcunq; patrum secundum canonem sacrarum scripturarum, & non secundum scripta patrum de scripturis canonicis iudicare debemus, quomodo cõstabit illud, cuius & suprà memini, quòd Canonicas scripturas causantur esse obscuras, ideoq; opus esse, ut expositionibus patrum explicentur, & secundum hasce de illis iudicetur? Quis adeò stupidus est, ut ex obscuro de claro, & non magis ex claro de obscuro iudicandũ esse sentiat? Quem dabunt nobis de numero patrum, cuius scripta tanquam lucẽ ad illustrandas sacras scripturas sequamur? Si cũctos, quorũ scripta extãt, sequi uoluerimus, fiet ut quod in scri-

pturi

pturis ſacris clarum eſt, adhibitis illorũ expoſitionibus, obnubiletur, propter ſententiarum & expoſitionum diuerſitatem. Si unum duntaxat delegerimus, nec conſtabit, quisnàm ex illis deligendus ſit: nec unius ſentẽtia certas noſtras cõſcientias reddere poterit, cęteris diuerſa ſentientibus. Quid ſi conſtiterit, non eſſe ex omnium patrum numero uel unum, qui ſi hodie ad hanc uitam noſtram redeat, pro ſuis ſit agniturus, quæ ſub ipſius nomine iactantur ac circunferuntur? Conferantur noſtri temporis exemplaria, & uideatur quàm fœda paſsim reperiatur diſcrepantia. Quid ſi quæ in manibus noſtris ſunt, ad illorũ autographa cõferantur? Partim negligentia antiquariorũ, partim temeritate hæreticorum tot ſeculorum decurſu ſic ſcripta, patrum ab origine ſua degenerarunt, ut planè ſtolidiſsimus ſit, uel ſtudioſe malignus in Eccleſiam Dei, quiſquis illorum calculis cõſcientias fidelium obſtringẽdas eſſe putauerit.

Sed redeo ad Auguſtinum. Is epiſtola 19. ad Hieronymũ ſic ſcripſit: Ego ſolius eis ſcripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, ut nullum eorum authorem ſcribendo aliquid erraſſe, firmiſsimè credam. Ac ſi aliquid in eis offendero literis, quod uideatur contrariũ ueritati, nihil aliud quàm uel mendoſum eſſe codicem, uel interpretem non aſſecutum eſſe, quod dictũ eſt, uel me minimè intellexiſſe, non ambigã. Alios autem ita lego, quantalibet doctrina ſanctitateq; prępolleant, non ideo uerum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi uel per illos authores Canonicos, uel probabili ratione, quòd à uero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Nec te, mi frater, ſentire aliquid aliter exiſtimo. Prorſus, inquam, non te arbitror ſic legi tuos libros uelle, tanquã prophetarũ uel Apoſtolorum, de quorum ſcriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium eſt. Hęc ille: idq; ad Hieronymum, qui huic ſententiæ ne uerbo quidem contradixiſſe legitur: deniq; uſque adeò illa irreprehenſibilis uiſa eſt, imò diligenter obſeruanda, ut Decretis quoq; Diſtinctione nona, Canone, Ego ſolis, ſit inſinuata.

Quomodo ſcripta patrum citemus.

Verùm dicetur mihi: Si talia ſunt ſcripta patrum, ut nec aliquid habeant authoritatis, nec origini ſuę habeãtur cõformia, quorſum teſtimonia ex illis citas, ad comprobandam & extollendam Canonicę ſcripturæ authoritatem, & refutandum eos, qui illa plurimi faciunt? Reſpondeo: Quod me attinet, non requiro teſtimonia patrũ, quibus authoritas Canonicę ſcripturę tribuatur, & inter illam & ſcripta patrum diſtinguatur, contentus ipſius ſacrę ſcripturę authoritate & canone: uerùm quoniam aduerſarij ueritati negocium prætextu patrũ facere moliuntur, illorũq; ſcripta tantũ non euehunt ſupra Canonicas ſcripturas: rectè ea adduco, ubi conatibus illorum reſiſtunt, uterq; armis, quæ ipſi adferunt, non ad defendendam ueritatem, ad quam rem non ſunt per ſe ſatis firma, ſed ad retundendum ipſos armatura hac, qua ipſi accincti occurrunt. Vbi uero ex ſcriptis patrum aliquid contra nos adferunt, palàm dico, nolle me ad illorum authoritatem adſtringi. Literas enim illorũ, ut Auguſtini uerbis utar, nõ ut canonicas habeo, ſed eas ex canonicis conſidero, & ſi quid in eis authoritati canonicarũ ſcripturarũ congruit, accipio: ſin minus, cum pace illorum reſpuo. Illi uerò, qui ſcripta patrũ tanquam firmamenta nobis canonicæ authoritatis obijciunt, ſi quid contra ipſos ex ſcriptis patrum protulerimus, neceſſe eſt ut cedant, iuſtumq; prorſus, ut uicti taceant: non propter authoritatem, quam illa mereantur, ſed propter eam, quam ipſi illis tribuunt.

Vide Auguſt. lib. 2. contra Creſconium, cap. 32.

Authoritatem eccleſiæ non præiudicare ſcripturis ſacris.

Obijciunt authoritatem eccleſiæ. Eccleſia, inquiunt, antiquior eſt ſcripturis. Etenim cum Apoſtoli inciperent prædicare, nulla erat ſcriptura Euãgelij, nulla epiſtola Pauli, & tamẽ erat eccleſia Chriſti ſanguine dedicata. Ergo maior eſt authoritas Eccleſiæ, quàm ſcripturæ.

Reſpondeo: Vera Chriſti eccleſia nunquam eſt hoc argumento aduerſus authoritatem ſacrarum & canonicarum ſcripturarũ uſa, quantumuis uarijs & multis hęreſibus impeteretur, ſed perpetuò fidei ſuę puritatem authoritate illarũ defendit & aſſeruit. Quare manifeſtũ eſt, eos qui hoc argumento dogmata ſua tueri conantur, haudquaquã pugnare pro uera Chriſti eccleſia, nec pro ueritate aliqua aſſerenda, quę ſacrarum ſcripturarum poſsit authoritate defendi: ſed pro eccleſia adultera, & ſede Anthichriſti, quæ quoniã ueritatis patrocinio deſtituitur, uel ui ac tyrannide, uel falſo uſurpata ſub nomine Eccleſiæ authoritate ſeſe tueri cogitur.

Aſtus aduerſariorum.

Verùm uideamus argumenti huius ineptias. Eccleſia, inquiunt, antiquior eſt ſcripturis ſacris. Quæ Eccleſia? quibus ſcripturis? Prima illa Euangelica eccleſia antiquior eſt ſcripturis Euangelicis & Apoſtolicis. Eſt ſanè. Sed quorſum diuellunt canonicas utriuſq; Teſtamenti ſcripturas, & neglectis prioribus, de poſterioribus argumentum texunt? An ſolæ canonicæ ſunt, quæ per Apoſtolos & Euangeliſtas ſunt ſcriptæ? Nequaquam. Aſtus eſt, quòd eas quæ noui Teſtamenti ſunt, à uetuſtioribus auellunt: quemadmodum & id eſt, quòd primæ Euangelicæ eccleſiæ authoritatem extollunt. Primùm, hoc pacto facilius deprimi poſſe putarunt noui Teſtamenti ſcripturas, ſi auulſas à reliquo corpore uetuſtatis authoritate priuarent, ac tanquã recentiores Eccleſiæ poſtponerent. Deinde has potiſsimũ exauthorandas eſſe iudicarũt, quòd illarũ ſeſe authoritate magis quàm cęterarũ premi ſenſerũt. Tertiò quoniã ſacro ſancta eſt prioris Eccleſiæ exiſtimatio: hãc uiſum eſt extollere, ac ſub illi⁹ nomine adulterinã illã cõmendare. Alioqui cum Eccleſia catholica haud primũ tẽpore noui Teſtamẽti cœperit, ſed inde ab Adamo originẽ habẽs uniuerſos electos & fideles cõplectatur, poterãt aduerſus

omnes

omnes ſacras ſcripturas ad hunc modum illius antiquitatem extollere, ut dicerent: Eccleſia antiquior eſt ſcripturis. Nam cùm ſancti patriarchæ, Adam, Habel, Seth, Enoch, Noe, Abrahã, Iſaac, Iacob, &c. uiuerent, nulla erat ſcriptura uſq; ad Moſen, qui primus ſcribere cœpit. Ergo maior eſt eccleſiæ authoritas, quàm uniuerſæ ſcripturæ. Verùm hoc pacto confeſtim ſic argui poſſet: Ergo eccleſia ueteris Teſtamenti magis eſt authentica, quàm noui: lex potior Euãgelio, Moſes maior Chriſto, ſacrificia pecudum efficaciora ſacrificio Chriſti: figurę, umbrę, uaticinia pluris facienda quàm ueritas: quæ tanquam abſurda primo ſtatim auditu reſpuerentur, & ad ipſorum quoq; propoſitũ non facerent. Patet itaq; nihil agi hoc argumento, quàm quòd inepta argutia cauſæ ſuæ infirmitatem produnt. In eccleſia Chriſti non quæritur uetuſtas, ſed ueritas dogmatis. Neq; enim hinc eſt authoritas doctrinæ Chriſtianę ac ſacrę ſcripturę, quòd antiquitate, ſed quòd ueritate ac diuina origine præcellit. Alioqui Iudæi haud præter rationem uetus Moſaicæ legis uinum nouo doctrinæ Chriſti muſto prætuliſſent. Quare adhuc firmum eſt, quòd ſacræ & Canonicæ ſcripturæ authoritatem cuiuſcunq; eccleſiæ placitis, conſuetudini, conſenſui ac ritibus præferimus.

Authoritas ſacræ ſcripturæ non eſt ex eccleſia.

Adhuc obijciunt: Scriptura non eſt authentica ſine authoritate eccleſiæ. Scriptores enim Canonici ſunt membra eccleſię. Reſpondeo: Agnoſco ſcriptores Canonicos eſſe membra eccleſiæ: uerùm quod inde colligitur, ſcripturam non eſſe authenticam ſine authoritate eccleſiæ, planè nego, niſi intelligant de inferiori authoritate, quæ ſuperioris eſt miniſtra. Alioqui Canonicæ ſcripturæ authoritas ſuprema illa ac perpetua non eſt aliunde, quàm ex Deo, tanquam illius authore: & ſacri ſcriptores non eccleſiæ, ſed ſpiritus ſancti inſtinctu: ideoq; non tanquã membra eccleſiæ, ſed tanquam interpretes Dei, ac miniſtri ſpiritus ſcripſerunt. Aliàs ũtiq; membra eccleſię fuerunt non ſoli Canonici, ſed & reliqui ſcriptores, Chryſoſtomus, Baſilius, Athanaſius, Nazanzenus, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, &c. quorum tamẽ ſcripta canonicam non ſunt authoritatem conſequuta.

Sed dicent, ſacram ſcripturam non ideo eſſe authenticam, quòd qui ſcripſerunt, membra ſunt eccleſiæ: ſed quòd eccleſia authoritatẽ illi canonis dederit, cæteris ſcripturis non dederit. Reſpondeo: Verum hoc eſt, ſi ſentiunt de authoritate inferiori, quam ſcriptura ſacra ex eo habet apud rudes & inexercitatos, quòd eccleſia illam habet pro authentica & canonica, reliqua ſcripta non habent, quòd ab eccleſia in Canonẽ non ſunt recepta. Verùm hoc genus authoritatis non eſt tantæ firmitudinis, ut conſcientias fideliũ in certamine fidei pacatas ac ſecuras reddere poſsit. Quare maior eſt in ſacris ſcripturis conſideranda authoritas, ea uidelicet, quam habet à Deo authore, cuius ſuprà mentionem fecimus. Neq; hinc colligendum eſt, maiorem eſſe eccleſiæ, quàm ſacræ ſcripturæ authoritatem, quòd multi reperiuntur, qui authoritate eccleſiæ moti, ſacras ſcripturas habent pro authenticis. Illis quidem potior uidetur eccleſia, quàm ſacra ſcriptura: in ſe uerò longè ſecus habet utriuſq; conditio. Alioqui eadem ratione maioris erat authoritatis Moſes quàm Chriſtus, propterea quòd multi authoritate ſcripturæ Moſaicæ moti in Chriſtum credebat, ſecundum illud dictum Chriſti: Si Moſi crederetis, crederetis & mihi: id quod ſanè Theſſalonicenſes fecerũt, qui ſcripturas ſacras ſcrutati authoritate illarum ad fidem ſunt Chriſti perducti. Ioannis 4. ſic legimus: Ex ciuitate autem illa multi Samaritanorum crediderunt in Chriſtum, propter uerbum mulieris teſtimonium perhibentis ac dicentis: Quia dixit mihi omnia quæ feci. Secundum hanc argumentationem maior erat mulierculę peccatricis authoritas quàm Chriſti. Erat quidem initiò apud populũ ciuitatis, cui Chriſtus erat adhuc ignotus. Verùm in ſe nequaquam, nec poſtea quoque, ubi ex ipſo Chriſto audita ſalutis doctrina mulieri dicebant: Iam nõ propter tuos ſermones credimus. Ipſi enim audiuimus & cognouimus, quòd hic ſit uerè Seruator mundi. In priore Petri, cap. 3. legimus ad hunc modũ: Similiter & mulieres ſubditæ ſint uiris ſuis, ut & ij qui non credunt uerbo, per mulierum cõuerſationem ſine uerbo lucrifiant, &c. Ergo ex eo quòd maritus infidelis reſpectu conuerſationis uxoris, quam uidet honeſtam eſſe, caſtam, fidelem & obedientem, ad fidem in Chriſtum permouetur, cum prædicatione Euangelij permoueri nequiuerit, colligendum nobis eſt, conuerſationem muliebrem potiorem eſſe Euangelio? Sic quidem apparet, uerùm uiro infideli adhuc, non ei qui Euangelij ueritatem & diuinam authoritatem cognouit. Conſimili planè modo de eccleſia quoq; dicendum eſt. Habebat illa olim inſignem ſanctæ conuerſationis exiſtimationem, per quam multi ſunt ad fidem in Chriſtum perducti, qui aliàs ſacris ſcripturis & prædicatione Euangelij nunquam fuiſſent permoti. His ſanè utilis erat authoritas eccleſiæ: uerùm non erat in ſe potior ueritate Euãgelica, ſed huius authoritati ad tempus ſubſeruiebat.

Auguſtinus: Ego uerò Euangelio non crederem.

Et hinc facilè uidere eſt, quid ſentiendum ſit de eo, quod Auguſtinus contra Epiſtolam fundamenti ſcribens dixit: Ego uerò Euangelio non crederem, niſi me commoueret catholicæ eccleſiæ authoritas, quòd ſancti uiri dictũ authoritati Euangelij opponunt homines, uel imperiti

imperiti Augustinianæ dictionis, uel illam malicioſe diſsimulantes ac peruertẽtes. Argumentatur aduerſum Manichæos ad hunc modum: Noſtis me ſtatuiſſe, nihil à uobis prolatum, temerè credere. Quæro ergo quis ſit ille Manichæus? Reſpondetis: Apoſtolus Chriſti. Non credo. Iam quid dicas, aut quid facias, nõ habebis. Promittebas enim ſcientiam ueritatis, & nunc quod neſcio, cogis ut credam. Euangeliũ fortè mihi lecturus es, & inde perſonam Manichæi tentabis aſſerere. Si ergo inuenires aliquem, qui Euangelio nondũ credit, quid faceres dicẽti tibi: Non credo? Cum iſta obieciſſet Manichæis ueritatis demonſtrationem profitentibus & iactantibus, exempli uice de ſeipſo ſubiungit, qualis non tum, cùm iſta ſcriberet, ſed olim fuerit, priuſquam ad ſinceram Euangelij fidem relicta Manichæorũ hæreſi acceſsiſſet: talis uideli cet, qui non fuiſſet crediturus cuipiam, teſtimonium ex Euãgelio adferenti. Sic cõſequenter dicit: Ego uerò non crederem Euangelio, niſi me cõmoueret catholicæ eccleſiæ authoritas. Quod illi idem eſt, ac ſi diceret: Ego ſanè talis olim eram, cùm à uobis Manichęis diſcederem, ut Euangelio non credidiſſem, niſi me cõmouiſſet catholicæ eccleſiæ authoritas. Quòd aũt inter Manichæos aliquandiu uixerit, priuſquam ad catholicam fidem per ſanctum Ambroſiũ Mediolanenſem epiſcopum conuerteretur, multis in locis ex ipſius uerbis patet. Et hoc ipſo loco, contra Manichęos diſputans initio cap. 5. ſic dicit, Videamus igitur, quid me doceat Manichæus: & potiſsimũ illum conſideremus librum, quẽ fundamenti Epiſtolam dicitis, ubi totũ penè quod creditis, continetur. Ipſa enim nobis illo tẽpore miſeris quãdo lecta eſt, inclinati dicebamus, Amen. Et cap. 10. Tanquam à uobis diſcere ſtudeã, inquit, quod nouẽ anni non potui. Ergo nouẽ annis Manichęus fuerat. Quod uerò hoc genus dicendi peculiare habeat, quo Crederẽ, pro credidiſſem: & cõmoueret, pro, cõmouiſſet, uſurpare ſoleat, notũ eſt diligenti ſcriptorũ illius lectori. Libro Confeſsionũ 2. cap. 8. de furto quod puer admiſerat, ſic dicit: Quia ſi tunc amarem poma illa, quæ furatus ſum, & eis frui cuperem, poſſem etiam ſolus, ſi ſatis eſſet, cõmittere illam iniquitatem, qua peruenirem ad uoluptatem meã, nec confricatione conſciorum animorum accenderẽ pruritũ cupiditatis meæ. Sed quoniã in illis pomis uoluptas mihi non erat, erat ea in ipſo facinore, quã faciebat conſortiũ ſimul peccantium. Hæc ibi. Vbi uidemus ab illo totã periodum hac eſſe loquendi formula perfectam, qua, Amarem pro amauiſſem: Cuperẽ, pro cupiuiſſem: Poſſem, pro potuiſſem: Eſſet, pro fuiſſet: Peruenirẽ, pro perueniſſem: & Accenderem, pro accendiſſem poſuit. Senſus enim eſt: Si tunc amaſſem poma illa quæ furatus ſum, & eis frui cupiuiſſem, potuiſſem etiã ſolus, ſi ſatis fuiſſet cõmittere illam iniquitatem, qua perueniſſem ad uoluptatẽ meam, nec confricatione conſciorum animorum accendiſſem pruritum cupiditatis meæ, &c. Et capite ſequenti: At ego illud ſolus non facerẽ, non facerẽ omnino ſolus. Solus non facerem furtum illud, in quo me non libebat id quod furabar: ſed quia furabar, quod me ſolum facere prorſus non liberet, nec facerem, &c. Et hic, Nõ facerem, pro, non feciſſem: Non liberet, pro, nõ libuiſſet, dixit. Hoc genus loquutionis paſsim in ſcriptis illius occurrit, præſertim ubi de præteritis rebus aliquid narrat: id quod & hoc loco facit, ubi cõmemorat, qualis olim fuerit, priuſquã ad fidem catholicã cõceſsiſſet: talis nempe, qui non fuiſſet crediturus Euangelio, niſi uidiſſet in eccleſia catholica, unde ad credẽdum Euangelio moueretur. Quare prorſus alienũ eſt à mente illius, ſi uerba iſta, Ego non crederẽ Euangelio, niſi me commoueret catholicæ eccleſiæ authoritas: non ad ea tẽpora, quib. adhuc erat Manichęus, ſed ad ea referas, quib. iſta contra Manichęos ſcribebat: et iam nõ propter eccleſiam Euangelio credebat, ſed propter agnitã in illo cœleſtem & infallibilem ueritatẽ Dei. Inſpiciatur locus ipſe, & manifeſtum erit, uerũ eſſe quod dicimus. Pudeat igitur incogitantiæ eos, qui locum hunc ſic nobis obijciunt, ut authoritati Euangelij detrahant, illamq; infra Romanæ eccleſiæ authoritatẽ abijciant, quaſi uir ſanctus per omnem uitã ſuam ſic fuerit animatus, ut Euangelio non crediderit, niſi quantum ad fidem Euangelij per authoritatem eccleſię fuerit motus: & hoc illius exemplum proponendũ ſit fidelibus omnibus, ſicq; docendũ in eccleſia, ut cuncti ab authoritate eccleſię magis quàm Euangelij Dei pendeant. Verùm utinã talis eſſet hodie eccleſiæ Chriſti facies, authoritas & exiſtimatio, ut illius reſpectu ad credendũ Euangelio cõmouerentur non unus & alter infidelis, ſed omnes illæ nationes Iudæorũ, Turcorum, &c. quotquot à fide Chriſti abhorrent, & ab Euangelio catholica noſtra corruptione offenſi abſterrentur magis quàm inuitantur. Quid dico? Vtinam non hi ipſi, qui uerbis Auguſtini abuntur, uſqueadeò non ſint alieni à ſpiritu ueræ ac prioris eccleſiæ, ut non ſolùm corrupti ſcãdalum ſint Euangelio Dei, ſed & peruerſi eos qui Euangelio credunt, igne & gladio perſequantur. Vera, catholica & Apoſtolica Chriſti eccleſia ſaluam eſſe & maximam ſemper uoluit canonicæ ſcripturæ authoritatem. Quænám illa hodie eſt, quæ hanc tantopere eleuat, perinde ac ſi præ ſenio facta delira, ac rebus tam excellentibus & in immenſum auctis impar, de priſtinæ ſit authoritatis ſolio deturbanda, illiq; humani magiſterij ſubtilitas & maieſtas ſubſtituenda? Si uerè Apoſtolica eſt, quomodo tã eſt à priſtino ſpiritu diuerſa? Si non eſt, cuius ergo eſt, cùm Chriſti eſſe non poſsit?

Argumentum Auguſtini.

Nõ crederem: pro, Non credidiſſem.

Nouem annos Manichæus fuit Auguſtinus.

Sed ut redeamus ad propoſitum. Dicunt maiorem eſſe eccleſiæ, quàm ſacræ ſcripturæ authoritatem. Nos contrà maiorem ſacræ ſcripturæ quàm eccleſiæ eſſe aſſerimus, etiamſi eodẽ

Maiorem eſſe ſacræ ſcriptu-

ræ, quàm eccle siæ authoritatem.

modo, quo ipsi argumentari uoluerimus. Nam sacra scriptura fidem & authoritatem fecit ecclesiæ. Primùm enim legimus Acto. 17. sicut & suprà memini, Iudæos Thessalonicenses authoritate sacræ scripturæ motos accessisse ad fidē & ecclesiam Christi. Deinde Acto. 18. Apollo authoritate sacrarum scripturarum Iudæos potenter uicit, & fidē ecclesiæ Christi asseruit. Idem fecerunt & Petrus & Paulus, dubio procul & cæteri Apostoli. Cum igitur ecclesię Christi ac noui Testamenti primordia non ex Gentibus, sed ex Iudæis constiterint, certumq; sit Apostolos doctrinæ suæ fidem non miraculis tantùm, sed & authoritate sacræ scripturæ Iudæorum mentibus insinuasse, atq; ita ad ecclesiam Christi primitias Israelis permouisse, quis non uidet sacram scripturam ecclesiæ primùm non ecclesiam sacræ scripturæ fidem & authoritatem conciliasse? Sic Philippus ad Nathanaelem Ioann. 1. dicebat: Quem scripsit Moses in lege & prophetis, inuenimus Iesum. Et Christus Lucæ ult. interpretatus est discipulis suis sacras scripturas, sensumq; ad intelligendum eas aperuit: haud dubiè ad id, ut harum authoritate moti crederent & ipsi, & cæteros ad credendum inducerent. Sic Petrus in Actis conciones suas scripturis corroborat. Et Paulus ad Rom. 1. fidem facturus Apostolico suo muneri & Euágelio, quod prædicabat, mox initio dicit: Paulus seruus Iesu Christi uocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis. Si potius est quod facit authoritatem alicui eo cui facit, utique etiam hoc pacto potior est sacra scriptura quàm ecclesia.

Si ecclesiam nō audierit: et, Ecclesia columna ueritatis.

Citant pro authoritate ecclesiæ illud Matth. 18. Si ecclesiam nō audierit, sit tibi ueluti ethnicus. Et 1. Tim. 3. Ecclesia Dei uiui columna est & firmamentū ueritatis: & quæ alia sunt huiusmodi. Si hæc faciunt authoritatem ecclesiæ, utiq; scriptura conciliat authoritatem ecclesię, & non ecclesia scripturę. Alioqui, si hoc negant, quomodo persuadebunt ut obediam ecclesię? si dixero, Non obtempero ecclesiæ, unde me peccare euincent? Adferent uerba Christi & Apostolorum, si tamen adferent. Sed unde? Ex scripturis euangelicis & Apostolicis, ac dicent: Sic Christus dixit, sic Apostoli scripserunt. Atqui si dixero, Non credo scripturis istis, ita per uos institutus, qui sacræ scripturæ authoritatē eleuatis, quid faciēt? Rapient ad ignem, quē authoritate sacrę scripturæ in ueritate Dei poterant instruere. Quare omnino oportet, ut integrā relinquant illius authoritatem, aliàs nihil poterit aliud consequi, quàm sicut Augustinus dixit, ut fides Christiana titubet ac uacillet, id quod illi multo minoris faciunt momenti, quàm si uel tantilla portio Romanæ authoritatis concidat. Sit igitur hæc summa nostræ sententiæ in hac causa. Sacra scriptura authoritatem habens à Deo authore suo, tanquā diuinitùs inspirata, fidem & authoritatem fecit & facit hodie quoq; doctrinæ, religioni & ecclesiæ Christianorum: & ecclesia, si sit uerè Christi, uerè catholica & Apostolica, uicissim subseruiet authoritati sacræ scripturæ, non modò uerbis ac scriptis illam asserendo, sed & luce ueræ pietatis & iusticiæ eos, qui sacræ scripturæ nondum credunt ad exemplum prioris ecclesiæ, noctes ac dies ad credendum inuitando ac prouocando.

DE LINGVIS SACRAE SCRIPTVRAE.

Sacra scriptura duabus linguis comprehēditur.

VNiuersa sacra scriptura duabus linguis comprehēsa est, Ebręa & Greca. Ebręo idiomate conscripti sunt ueteris Instrumenti libri uigintiquatuor: Græco Noui, nisi quòd de Euangelio Matthæi & Epistola ad Ebræos affirmatur, quòd propter populum Israelis per nationes dispersum conscripta sint Ebraicè. De euangelio Matthæi testatur Sophronius, quòd Ebraicè scriptum in bibliotheca Pamphili martyris Cęsarię diligenter fuerit asseruatū, sibiq; à Nazareis Berrhoensibus in Syria describendi illius copia facta. Glossator Distinct. 9. Can. Vt ueterum librorum, Epistolam ad Romanos Latinè ab Apostolo scriptam esse dicit, sed nullum eius rei adfert argumentum. Putant forsan Romæ tum temporis nullum fuisse Græcæ linguæ usum.

Quare uetus Testamētum Ebraicè sit scriptum.

Quòd ueteris Testamenti scriptura Ebręo idiomate exarata est, manifestas habet rationes. Primùm enim erat ea lingua populi Dei, ad quem cum primis scripta pertinebant: Israeli destinabantur Ebraicè loquenti, quare commodùm Ebraicè scribebant uiri sancti, quo scripta sacra ab Israele possent intelligi. Deinde erat sacrosancta cùm propter originis uetustatem, quam inde ab Adamo per generationes patrum deductam habebat, tum propter oracula oris Dei, quæ idiomate ipsius ad patres prolata fuerant. Quare non conueniebat ut sacra scripta ab oraculis sacris in eodem populo sacro, ac simul ab idiomate populi, cui destinabantur, discreparent. Vt quid enim spiritus sanctus in eiusdem populi ecclesia bilinguis factus, alio loqueretur idiomate, & alio scriberet? Rectè ergo Moses nō Ægyptiacè, sed Ebraicè scripsit, quamuis Ægypti linguā in aula Pharaonis enutritus optimè calleret. Religiosè & utiliter primitias sacrarum scripturarum sanctę linguę consecrauit, qua postea qui in populo Dei per instinctum erant spiritus sancti scripturi uterentur, curarentq; ne scripta ipsorum à principio sacrę scripturę discreparent: sed perinde cum illo atque ædificium supernum cum iacto fundamento, ut spiritus ita & idiomatis unitate conuenirent. Dum ista consideramus, facilè

cilè intelligimus, quare hæc lingua ſancta uocetur: uidelicet non modò propter materiã earum rerum, quæ per illam exponuntur, ſed & propter primæuam originis antiquitatem, propter eccleſiam Dei, cui peculiaris fuit uſq; ad tempora Chriſti, propter oracula oris Dei, propter ſanctos Patriarchas & prophetas, & Chriſtum ipſum, qui hac ſunt lingua uſi: deniq; propter ſacroſanctas literas, quæ conſilio & inſtinctu ſpiritus ſancti per eandem ſunt prolatæ. Quicquid ſit de characteribus Ebraicis qui in uſu habentur, priſci ne ſint, quibus Moſes ac ſequentes ſcriptores ſunt uſi: uel, ut nonnulli ſentiunt, per Ezram amiſsis priſcis illis ſubſtituti, qua de re cum nemine contenderim: id tamen conſtat, ipſam ſacram linguam non eſſe mutatam, licet in Babylone Chaldaicas aliquot uoces cum dialecti uariatione contraxerit inter eos, qui Babylonicæ fuere captiuitati per annos ſeptuaginta ſubiecti. Vnde eſt quòd ſcripta Danielis propter Chaldaicam dialectum à puritate idiomatis Ebræi nonnihil diſcedunt, id quod ei populo nihil attulit incommodi, cui admodum facile fuit etiam prorſus Chaldaicè loquentem intelligere, cùm propter conſuetudinem Chaldæorum, tum propter linguæ affinitatem.

Quare Ebræa lingua uocetur ſancta.

Daniel.

Quòd uerò noui Teſtamẽti ſcriptores Euãgeliſtę & Apoſtoli non Ebraicè (niſi Matthęus & author Epiſtolæ ad Ebræos) ſed Græcè ſcripſerunt, & ipſum non eſt præter rationem factum. Attemperauit ſe ſpiritus ſanctus curſui ac dilatationi regni Chriſti, quod propagãdum erat non in Iſraele tantùm (alioqui non fuiſſet niſi Ebraicè ſcribendum) ſed ad omnes totius orbis nationes: unde & mandatum erat Apoſtolis à Domino, ut Euangelium regni Dei prædicarent in toto orbe, docerentq; omnes gentes. Quare noui Teſtamenti ſcripturas in ea uoluit extare lingua, quæ illis ſeculis celebrior eſſet, & ad plurium Gentium cognitionem & uſum propagata. Ea erat Græca, quæ tum propter imperium Græcorum, quod Romanum anteceſſerat, ad omnes ferè Gentes peruenerat. Qua de re mihi Ciceronis quoq; teſtimonium citare licet, qui in Oratione pro Licinio Archia poeta ſic dicit: Nam ſi quis minorẽ gloriæ fructum putat ex Græcis uerſibus percipi, quàm ex Latinis, uehementer errat: propterea quòd Græca leguntur in omnibus ferè Gentibus, Latina ſuis finibus, exiguis ſanè continentur. Hæc ille.

Quare nouum Teſtamentum Græcè ſit ſcriptum.

Græca lingua celebrior quã Latina.

Haud itaque conuenientiori idiomate doctrina noui Teſtamenti conſcribi potuit, quo latius ſpargeretur in orbe, quàm Græco. Hanc ob cauſam Apoſtolus Romanis etiam non Latinè ſcripſit, ſed Græcè. Neque enim ſolis illis eam Epiſtolam, ſed & cæteris nationibus deſtinabat. Et quamuis Romę in cuſtodia detentus ad eccleſias Galat. Epheſ. Philip. Coloſſ. Theſſalonic. (poſteriorem uidelicet Epiſtolam) & ad Timotheum poſteriorem, & ad Philemonem ſcriberet, haud tamen Romanè, ſed Græcè ſcripſit, cùm propter eos, quibus ſcribebat, tum propterea, ut quæ ſcribebat, latius ſpargi poſſent.

Hiſce rationibus ueteris Teſtamẽti ſcriptores Ebraicè, noui uerò Græcè ſcripſerũt. Quare res ipſa hoc poſcebat in eccleſijs Chriſti, ut hę linguę propter ſaniorẽ ſacrarũ ſcripturarũ intellectum in ſcholis ſaltem fidelium uigerent, ut ueterum librorum fides de Ebræis uoluminibus examinaretur, & nouorum ueritas Græci ſermonis norma conſtaret, quemadmodum & Diſtinct. 9. Can. Vt ueterum, legitur. Et in concilio Viennenſi ſub Clementino quinto conſtitutum fuerat, ut in ſcholis quibuſdam ſelectiorib. haberẽtur profeſſores Ebrææ, Chaldaicę & Græcæ linguæ. Verùm ea res uſqueadeò ad noſtra uſq; tempora neglecta fuit, ut miraculum fuerit, ſicubi reperiretur, qui ſaltem characteres harum linguarum cognoſceret. Quare non eſt, ut miretur homo cordatus, unde tam craſſæ tenebræ, tamq; à ſacris literis diuerſæ & peregrinę expoſitiones in eccleſias irrepſerint. Quid Auguſtino defuerit in expoſitione ſacrarum ſcripturarum, notum eſt doctis hominibus. Poterat præſtare plurimum, ſi uel tantum de Ebræa, quantum de Græca lingua, tenuiſſet. Neque enim fieri poteſt, ut in exponendis ſacris ſcripturis non careat magna luce, quiſquis in illis ſine cognitione ſacrarum linguarum uerſatur. Etenim etiamſi Græcè ſcias, non poteris ſine cognitione Ebrææ linguæ, ne in nouo quidem Teſtamento, nedum in ueteri, præſertim quum ſit uerſio Septuaginta interpretum, teſte Hieronymo, corrupta, inoffenſe uerſari, propter Ebraiſmos paſsim inſperſos, quibus ſcriptores ſacri propter conſuetudinem Ebrææ linguæ haudquaquam abſtinuerunt.

Profeſſores ſacrarum linguarum in eccleſia alendi.

Auguſtino defuit ſcientia Ebrææ linguæ.

Scio Auguſtinum plurimum dediſſe uarietati uerſionum. Nam libro ſecundo De doctrina Chriſtiana, capite duodecimo ſic dicit: Qui ſcripturas ex Ebræa lingua in Græcam uerterũt, numerari poſſunt: Latini autem interpretes nullo modo. Vt enim cuique primis fidei temporibus in manus uenit codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibimet utriuſque linguæ (id eſt Græcæ & Latinæ) habere uidebatur, auſus eſt interpretari. Quæ quidem res plus adiuuit intelligentiam, quàm impediuit, ſi modò legentes non ſint negligentes. Nam nonnullas obſcuriores ſententias plurium codicum ſæpe manifeſtauit inſpectio. Hæc ille. Verùm obſecro, unde poterit conſtare, quæ ſit uera ſententia, ex illis quas plures interpretes pro ſua quiſq; facultate exprimere ſatagunt, niſi inſpiciatur ea lingua (ut eiuſdem Auguſtini uerbis utar) quam interpretantur? Hac de cauſa eodem libro, capite decimotertio ſic infert: Igitur aut illarum linguarum, ex quibus in Latinam ſcriptura peruenit, petenda cognitio eſt, aut habendæ

De uarietate uerſionum.

bendæ interpretationes eorum, quíse uerbis nimis obstrinxerunt, non quia sufficiunt, sed ut ex eis libertas uel error dirigatur aliorum, qui non magis uerba, quàm sententias interpretando sequi maluerunt. Hæc ibi. Verùm etiamsi uersionem habeas ad uerbũ expressam, qualis est Pagnini: cogeris tamen in omnibus pendere ab alieno iudicio, nec poteris iudicare de uersionum uarietate, quare alius aliter uerterit, si prorsus cognitione sacrarũ linguarum fueris destitutus. Quam rem in eo qui docendi prouinciam sustinet, ut sacras scripturas ex officio muneris impositi exponit, planè miseram: in eo uerò, qui suopte arbitratu hoc tentat, admodum temerariam esse iudico.

Vrgendi adolescẽtes ad discendum sacras linguas.

Sunt itaq; admonendi, imò uehementer urgendi adolescentes sacræ scripturæ candidati, ut donum Dei nostris hisce temporibus concessum haudquaquam spernant, sed religiosa discendi sedulitate amplectantur: hoc est, sacrarum linguarum Ebrææ & Græcæ cognitionem studijs suis non dico quasi parergon adijciant, sed instar fundamenti in ipsum fundum mentium suarum submittant. Pio homini haud leuis peccati loco censeri debet, oblatam donorũ Dei facultatem contemnere, & quod ad usus non priuatos modò, sed & publicos ecclesię dei magna gratia datum est, susq; deq; facere, præsertim si hoc fiat ab illis, qui stipendijs ecclesiæ ad ministeria uerbi ijs locis aluntur, ubi dona gratię Dei exposita sunt, & sic in promptu, ut etiam fastidientibus obtrudantur. Incumbit hæc cura fidei illorum potissimùm, qui Præsides sunt academiarum Euangelicarum, ut studia sacrarum linguarũ inter adolescentes magno serio prouehant. Nisi hoc fiat, certo certius esse scio, breui futurum, ut doctis aliquot uiris è medio sublatis, pristinæ errorũ tenebræ, imò crassiores etiam, in ecclesijs obtineant, sic puniente Deo præsentium temporum ingratitudinem, ac donorum suorum contemptum. Est enim omnium æquissimum, ut qui benedictionem scientiæ Dei auersantur, hac ablongata maledictione errorum & ignorantiæ ad summum usq; adobruantur.

DE LECTIONE SACRARVM SCRIPTVRARVM.

Gemina sacræ scripturæ lectio.

QVoniam quę scripta sunt, nisi legantur, aliquid utilitatis adferre nequeunt, consequenter de lectione sacrarum scripturarũ uideamus. Ea gemina est. Publica una, priuata altera. Publica est, qua in cœtu fidelium sacræ scripturę palàm cunctis audientibus legebantur. Fiebat hoc per anagnostas, id est, publicos lectores. Ordinabantur illi coram plebe, sicuti in concilio Carthaginensi quarto, cap. 8. legitur, ad hunc modum: Lector cum ordinatur, faciat de illo uerbum episcopus ad plebem, indicans eius fidem, uitam & ingenium. Post hęc, spectante plebe, tradat ei codicem, de quo lecturus est, dicens ad eũ: Accipe, & esto lector uerbi Dei, habiturus si fideliter & utiliter impleueris officium, partem cum eis qui uerbum Dei ministrauerunt. Hęc ibi. Ad hunc modum & Iulianus Imp. Apostata anagnostes in ecclesia Nicomediensi cõstitutus fuerat. De hac publica & ecclesiastica lectione Socrates li. 5. cap. 22. sic annotat: Alexandriæ feria quarta, & ea quæ Parasceue nominatur, scripturæ legũtur, & doctores illas interpretantur, & omnia ad synaxim pertinentia fiunt, dempta mysteriorum cere monia. Et de hac lectione loquitur Apostolus 1. Tim. 4. cùm dicit: Attende lectioni, exhortationi & doctrinæ, dum uenio. quibus uerbis exprimit ordinem ecclesiasticũ, quo primùm ex sacris scripturis aliquid legebatur, deinde exhortatio & doctrina subijciebatur. Vsus ecclesiasticæ huius lectionis uiguit olim in omnib. ecclesijs, non modò noui, sed & ueteris Testamenti. Iosephus lib. 2. cõtrà Appionẽ de cõsuetudine Israelis sic scribit: In unaquaq; septimana ad legem audiendam conueniunt uniuersi. Nostrorum quilibet de legibus interrogatus, facilius quàm nomen suum recitat. Vniuersas quippe mox à primo sensu discẽtes in animo uelut inscriptas habemus. Et illud Luc. 4. ubi de Christo seruatore legimus, quòd die sabbathi synagogam Nazareth ingressus surrexerit ad legẽdum: & ex propheta Esaia, cuius ipsi liber datus fuerat, legerit illud: Spiritus Domini super me, &c. Esaię 61. satis innuit hãc fuisse Israeli publicam lectionem diebus sabbathorum in usu. Et huc facit locus Acto. 15. ubi memoratur quòd à temporib. antiquis in singulis ciuitatibus per omne sabbathũ lecta fuerint scripta Mosaica. De ecclesijs noui Testamenti testantur canones de ordine lectorum cõstituti, & illud decantatum apud eos, Lectionẽ quam audistis, fratres charissimi. Verùm sanctissimus hic & uetustissimus ecclesiasticæ lectionis usus in Papatu nihil nisi inane nomẽ retinuit, res ipsa prorsus est obsoleta. Et in Euangelicis ecclesijs pauci sunt, qui de illa cogitent, tã abest, ut restituatur. Hactenus ad nostra usq; tempora non fuit in Papatu tanta cõmoditas sacras scripturas publicè in aures populi legendi, quãta nunc est data per donum Dei, quo sacra Biblia lingua uulgata non in Germania nostra tantùm, sed & Italia, Gallia, Anglia, & nisi fallor, Hispania quoq; & Hungaria sic habentur expedita, ut corã populo Dei palàm & intelligenter legi queant, si pastores sint Christo & ecclesiæ illius fideliter seruientes.

Ordinatio lectorum in Ecclesia.

Iulianus Imp. Apostata.

Iosephus.

Vtilitas publicæ lectionis.

Vix autem dici potest, quanta lectionis huius utilitas esse posset, si usus illius restitueretur ecclesijs. 1 Primùm ad hoc faceret, ut publicæ doctrinę puritas illibata seruaretur. Retinerẽtur enim in ordine doctores, ac cohiberentur, ne facilè quid adferrent inter docendum, quod sacræ scripturæ sit aduersum. Esset enim publica illius lectio, frequens in auribus populi, in-

star

ſtar lucis, qua tenebræ errorum & peregrinæ opiniones redarguerẽtur. Haud ita facilè poſſet imponi eccleſię falſis doctrinis, ſi aſſueta eſſet uerbis ac ſententijs ſcripturę. Et intolerabile uideretur, ſi ab ijs quæ ex ſacris ſcripturis legerentur, doctoris uerba diſcreparent. Hoc uerò lumine ſacræ ſcripturæ eccleſijs adempto, quid aliud conſequi potuit quàm denſiſsima caligo, mater errorum omnium, quantumuis templa candelis ardentibus reſplendeant? O aſtutiam Satanæ. Terreno ſplendore auri, argenti & luminarium oppleuit eccleſias: unde nulla poteſt eſſe falſorum dogmatum ac cultuum redargutio, & interim lucem uerbi Dei, quam lectio ſacrarum ſcripturarum mentibus populi offerebat, prorſus abſtulit è medio, quo facilius doctoribus corruptis & adulteris eſſet omnis generis errores ſpargere in eccleſia. Obtinuit quod uolebat, quia paſtores eccleſiæ non gregem Domini, ſed ſeipſos paſcere uolentes, animum appulerunt ad ocium, uentrem, quæſtum & faſtum.

2 Deinde ſeruiret publica ſacræ ſcripturæ lectio illis hominibus, qui legere neſciũt: ſenibus item, paruulis & mulierculis: deniq; & illis, qui etſi legere ſciant, domi tamen ſacras ſcripturas non habent. Hos omnes contemnere, non eſt ex illius conſilio & ſpiritu, qui ex ore infantium ac lactentium perficit laudem ſuam, & quæ à prudentibus ac ſapientibus abſcondit, paruulis reuelat, ac ſtulta mundi huius & infirma uocat, ut ſapientes, & quę ſunt fortia cõfundat.

3 Tertiò, ad hoc quoq; faceret, ut conciones ſacræ plus lucis haberent in mentibus auditorum, propter aſſuetudinem uerborum ac ſententiarum ſcripturæ. Quæſo ſi docendus ſit in arte grammatica puer aliquis, cui ipſa etiam uerba eius artis prorſus ſint incognita & inaudita, poteritne ſpes eſſe fore, ut regularum ac paradigmatum intelligentiam capiat? Haud quaquam. Quare ipſa res hoc poſcit, ut primùm uerba ediſcant, ac memoriæ mandent pueri, quo facilius poſtea artis ipſius intelligẽtiam capiant. Conſimili modo habet etiam conditio intelligendarum concionum. Si auditor ignarus eſt ſacrarum ſcripturarum, ita ut ne uerba quidẽ norit, obſecro quomodo docentem intellectu conſequi poterit? Si uerò ex lectione eccleſiaſtica, uel ſaltem domeſtica uerborum ſacræ ſcripturæ noticiã aſſequutus eſt, facilè poteſt expoſitiones illorum & doctrinam aſſequi.

4 Illud poſtremò cogitent pij homines, an non fieri poſsit, ut rudis auditor eccleſiaſticũ cœtum egreſſus plura ſecum in animo reportet ex ſimplici ſacræ ſcripturæ lectione, quàm ex tota concione, præſertim eius doctoris, qui magis eruditionem & eloquẽtiam oſtentare, quàm auditorem rudem in cognitione Dei ac ſtudio pietatis ſimplici ductu inſtituere conatur.

Priuata ſacræ ſcripturæ lectio.

Priuata ſacræ ſcripturæ lectio eſt, qua legitur extra cœtum eccleſiaſticũ. Fit hoc tripliciter. Primùm in contubernijs eorum, qui ad miniſteria eccleſiaſtica olim ali cœperũt. Horum erat primariũ exercitiũ in lectione ſcripturarum. Vmbra quędã illius hęſit in monaſterijs, in quib. menſæ ſolet adhiberi lectio, niſi quod ad arbitrium ſuperiorum ſcripta, uel apocrypha, uel ſuperſtitioſa admiſcẽtur, nec accedit iuſta lectæ ſcripturæ interpretatio, quæ apud ueteres à doctiorib. ac ſeniorib. quales fuerũt Baſilius, & Auguſtinus, & Origines, lectioni ſubijciebatur.

Deinde, in domibus fidelium hoc ordine, ut uel ante uel poſt menſam paterfamiliâs, aut puer aliquis, uel ſi præterea nõ eſt qui legere ſciat, materfamiliâs aut filia, aliquid legat ex ſcripturis, cæteris auſcultantibus, atq; ita ſacras ſcripturas iuxta ſeriem librorum & capitum, legendi continuatione ad finem uſque percurrant. Hac legendi ratione domeſtica pietas plurimũ iuuari poterit, ſi timor Domini acceſſerit. Hac primi ſenſus iuuentutis ſic imbui poſſunt, ut ſecundum illud, Quod noua teſta capit, inueterata ſapit, omnis ſequutura uita ad ſenium uſq; piè ac religioſe inſtitui queat. Et hæc menſaria lectio ad hoc quoq; facere poteſt, ut inter edendum, ſi menſæ præmittatur, materia ſit & occaſio de rebus fidei ac pietatis colloquendi & conferendi, atque ita ineptos ac uanos ſermones excludendi, qui alioqui inſidioſiſsimè in menſas noſtras irrepere ſolent.

Tertiò, lectione arbitraria quæ ſeorſim fit à pijs, uel certis horis, uel ubi legendi ſeſe commoditas offert. Hac lectione legentis duntaxat animus ędificatur, quatenus ſibijpſi tantũ legit. Si uerò ad hoc legit, ut lecta cõmunicet alijs, ſicuti faciunt uerbi miniſtri, tum impletur illud Apoſt. 1. Tim. 4. Hoc faciens, teipſum ſaluabis, & eos qui te audiunt.

Contra eos qui clamant ſacrã ſcripturam nõ eſſe legẽdam à laicis.

Quoniam uerò Satan princeps ille tenebrarum, regnum ſuum non niſi in tenebris humanarum mentium habens, lucem ueritatis ex uerbo Dei in eccleſia refulgentem ferre non poteſt, quemadmodum per ſatellites ſuos & pſeudapoſtolos lectionem ſacrarum ſcripturarum cùm publicam tum priuatam ex eccleſijs abſtulit, ita noſtris temporibus indigniſsimè ferens quòd ſacra Biblia in uulgares linguas translata omnium ſunt manibus expoſita, improbè per miniſtros ac magos ſuos, principum ac regum incantatores, inſtat & urget, ne poteſtas permittatur laicis, ut uocant plebem Dei, legẽdi ſacras ſcripturas. Horum nonnulli cauſantur in ſpeciem, eſſe Biblia uerſa per hæreticos, ideoq; corrupta. Illis reſpondemus: Si hoc uerè agũt, ne populus corruptas ſcripturas legat, (ut demus hoc uerũ eſſe quod cauſantur) quin pro officio curãt, ut adſint paſsim Biblia uerſa per eos quos iudicant eſſe catholiciſsimos? Deinde reddãt rationẽ, quare tot ſeculis ſacrarum ſcripturarum lectionẽ Eccleſię fideliũ ademerint, poſtea doceãt etiã, quibus náe locis & quo periculo corruptę ſint noſtrorũ tẽporũ uerſiones.

Alij ſatis intelligentes quàm non ſit è re ipſorum futurum, ſi plebs fidelium ſacras ſcripturas liberè legat, aliud cauſantes clamant, non eſſe in uniuerſum ullas ſacras ſcripturas legẽdas à laicis, ſed harum lectionem pertinere ad Doctores Eccleſiæ, monachos & paſtores, epiſcopos & prælatos: & addunt rationem, Bibliorum lectionem gignere hæreticos, ſi permittatur laicis, ut illa liberè legant. Verum eſt, quod publicam & Eccleſiaſticam ſacrarum ſcripturarũ lectionem attinet, non eſt illa quorumuis arbitratu præſumenda & adminiſtrãda in Eccleſia, ſed deligendi ſunt ad hoc muneris uiri pij & idonei. Quòd uerò priuatam & domeſticam concernit, nemo Apoſtolorum, nemo Apoſtolicorum, nemo ueterum doctorum unquã hoc ſenſit, non licere plebi fidelium, ut ſacras ſcripturas domi ſuæ legant. Chryſoſtomus ſenſit illarũ lectionem uſq; adeò eſſe neceſſariam laicis fidelibus, ut ſuos propter illius neglectũ publicis etiam concionibus corripuerit. Quis ueſtrũm, inquit homilia 2. in Matth. reſpondete quæſo, qui aſsiſtitis, unum, ſi exigatur, pſalmum poteſt memoriter edicere, aut quamlibet diuinarum ſcripturarum portionem? Et paulo pòſt: Sed horum criminum, inquit, tandẽ illa defenſio eſt: Non ſum, inquis, ego monachus, uxorẽ habeo & filios, & curã domus. Hoc enim eſt, quod omnia quaſi una quadam peſte corrumpitis, quoniam lectionem diuinarum ſcripturarum utiq; ad ſolos monachos pertinere putatis, cum multo magis uobis quàm illis ſit neceſſaria. Qui enim uerſantur in medio, & uulnus ſuper uulnus quotidie accipiunt, ipſi Dei potius indigent medicamine. Itaq; multo eſt & grauius atq; deterius ſuperfluam eſſe legem Dei putare, quàm illam omnino neſcire. Hæc enim uerba ſunt, quæ de Diabolica prorſus meditatione promuntur. Non audis Paulum loquentem, quòd ad correptionem noſtram hæc omnia ſcripta ſint? Hæc ibi. Et homilia 28. in Geneſ. Propterea obſecro, inquit, ut ſubinde huc ueniatis, & diuinę ſcripturæ lectionem diligenter auſcultetis, non ſolum cum huc uenitis, ſed & domi diuina Biblia in manus ſumite, & utilitatẽ in eis poſitam magno ſtudio ſuſcipite. Et paulo pòſt: Tantũ igitur lucrum, oro, ne per negligentiam amittamus, ſed etiam domi uacemus diuinarum ſcripturarum lectioni. Et in Epiſt. ad Coloſ. hom. 9. ſuper illud apoſtoli, Sermo Chriſti habitet in uobis opulentè in omni ſapientia, ſic dicit: Audite quotquot eſtis mundani, & uxoribus præeſtis ac liberis, quomodo & uobis potiſsimũ præcipiat ſcripturas legere (ergo lectio ſcripturæ ſacræ ex præcepto Apoſt. competit laicis) idq; non ſimpliciter, neq; obiter, ſed magna diligẽtia. Et paulo pòſt repetit dicens: Audite obſecro ſeculares omnes, comparate uobis Biblia, animæ pharmaca. Si nihil aliud uultis, uel Nouum teſtamentum acquirite, Apoſtolum, Acta, Euangelia, continuos ac ſedulos doctores. Et paulo pòſt: Hæc demum malorum omniũ cauſa eſt, inquit, quòd ſcripturæ ignorãtur, & quę alia ibi ſubijcit. Hęc ille. Obſecro quid putabimus ſanctum hunc uirũ reſponſurum fuiſſe magis hiſce noſtrorũ temporum, qui ut totũ mundum tenebris occluſum dementent, ſcripturas plebi adimunt: & tam abeſt, ut utiles illis eſſe fateantur, ut noxias etiam eſſe fingant, & uiolenter ereptas flammis tradant? Vt nihilo mitius aduerſus monumẽta ſpiritus S. & ſalutem fidelium animati deprehendantur, quàm animatus fuit Diocletianus, infenſiſsimus Chriſtianorũ hoſtis, qui publico edicto ſacras ſcripturas cõburi iuſsit, ut in Euſeb. eſt lib. 8. cap. 3. quòd intelligeret nullum eſſe compendiũ efficatius ad extinguendam fidem in Chriſtum, quàm ſi ſacræ ſcripturæ neſcirentur.

Chryſoſtomus.

mundo

Malorum omnium eſſe cauſam, quòd ſcripturæ ignorãtur.

Verùm ne quis parem fidei Græco Chryſoſtomo tribuens, ac Latinis doctoribus impenſius adhærens, unius teſtimonium reſpuat, adijciamus ex Latinis quoq; ſententiæ huius teſtem, eumq; non aſpernandũ aliquem, ſed qui ſolet inter cæteros haberi præcipuus: Hieron. uidelicet, qui in Epiſtolam ad Col. cap. 3. ſuper illud, Verbum Chriſti habitet in uobis, eodem ſpiritu & ſenſu exponens dicit: Hic oſtenditur uerbum Chriſti non ſufficienter, ſed abundanter etiam laicos habere debere, & docere ſe inuicem uel monere. Hæc ille. Huic quoq; non eſt ſatis, ut admoneat licere laicis ut legant ſacram ſcripturam, ſed teſtatur debere hoc eos facere, idq; abundanter, ut poſsint alius alium docere & monere. Nimirum cum Chryſoſt. ſenſit eſſe hoc præceptum Apoſtolicum, quod à nemine contemni, à Doctoribus etiam urgendo & inſtando inculcari debet, præſertim illis, qui admodum de ſede & Eccleſia Apoſtolica gloriantur. Si cui libet, uideat etiam Bedam ſuper Epiſt. 1. Petri, cap. 2.

Hieronymus.

Quod diuinarum ſcripturarum lectionem hæreticos facere cauſantur, calumniam habet, qua improbè infamant uel ipſam ſacram ſcripturam, uel, ſi hoc negãt, plebem fidelium, quòd illa ſic ſit ad hæreſes propenſa, ut ex ueritate quoq; ſacrarũ ſcripturarum uenenum hæreſeos inſtar aranearum exugat. Citant ex poſteriore Petri cap. ultimo illud, Quẽadmodum & dilectus frater noſter Paulus iuxta ſibi datam ſapientiam ſcripſit uobis, etiã in omnib. ferè Epiſtolis loquens de his, inter quę ſunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parumq; firmi detorquent, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perniciem. Ergo propter quorundã temeritatem, ſacras ſcripturas ad perniciem ſuam detorquentiũ, priuandus eſt omnis populus fidelium lectione ſacrarũ ſcripturarũ, perinde ac ſi cuncti ſint tales, quales erant, quos apoſtolus hic accuſat. Obſecro, nõ eſt in ordine Eccleſiaſticorũ maximus eorũ numerus, qui omnia ipſorum ſacra prorſus prophanant? Cõcludemus igitur uniuerſos arcendos eſſe à ſacris. Multo ſanè hoc iuſtius fieret, quã quòd plebem Chriſti ſacrarum ſcripturarum lectione priuant.

Sacræ ſcripturæ lectio nõ facit hæreticos.

Verùm

Verũ cogitent interea cordati, quid hoc genus hominũ uocet hęresim. Hæresis est illis, si la tum unguẽ dissentias à cõsuetis opinionib. & ritibus. Et quoniã qui sacrã scripturã diligenter legunt, diuersum ductũ ueręq; pietatis in illis offendunt, nec possunt probare, quę à canone illa rum discrepant, cœperunt hanc notã & scripturis & lectorib. illarũ inurere, ut sacra Biblia hæ reticos gignere dicãt. Hoc est ipsissimi Satanę cõmentũ, quo nõ modò pios homines à lectio ne scripturarũ absterrere, sed & illas latẽtis cuiusdã ueneni insimulare conatur, quòd laici uitare nesciant, sciant uero Magistri nostri, & reliquus prælatorum ac religiosorum ordo.

Quomodo scripturã hæreticos gignere dicant Papistæ.

Nazanzenus in Apologetico citat Ebręorum legẽ, qua cauebatur, ne ad quãlibet scripturã quælibet ætas admitteretur: sed aliæ quidẽ cunctis ab initio, tanq̃ cõmunes, legendæ permitterẽtur, aliæ uerò nõ nisi illis qui annũ uigesimũ quintum excessissent. Et hanc legem laudat propter discretionẽ in lectione sacrarũ scripturarum in populo fideliũ propter eos seruandã, qui per ętatẽ nondũ sunt mysticarũ scripturarũ capaces, quamuis manifestiorib. ac perspicuis utiliter legendis idonei existant. Discretionem hanc nõ improbarim. Verùm ubi poterit illa locum habere apud eas ecclesias, in quibus plebs fidelium magisterio dominantiũ Paparum in uniuersum ab omni sacrę scripturę lectione arcetur? Restituatur in ecclesia Christi publica & Ecclesiastica scripturarũ lectio. Exponantur à pastoribus & doctoribus quæ leguntur. Instruatur plebs quid quiq; pro ætate, pro uitæ conditione, proq; tentationum & euentuũ qua litatẽ domi legere debeant. Admoneantur singuli, quàm conueniat ut haud illotis manibus ad lectionem eloquiorũ Dei, sed religiose, præmissis ad Deum precibus, & studio cognoscendæ ueritatis, emendandæq; uitæ accedant. Hac ratione fiet, ut pueris legenda proponantur quæ ipsis conueniunt: utpote non Cantica canticorum, nõ prophetarum oracula, non Mosaicæ legis figuræ & umbræ, non liber ille Apocalypseos, sed quæ historica sunt ex ueteri ac nouo testamento, ac simplicem manifestamq; doctrinam fidei ac morum ei ætati conuenientem continent, ut in nostris quoq; pueris locum habeat illud Apostoli ad Timotheum, in Epistola posteriore capite tertio, ubi dicit: Et quòd à puero (in Græco est, ἀπὸ βρέφους, id est, ab infantia) sacras literas noueris, quæ te possunt eruditum reddere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Iesu, &c. & illud Dauidis: In quo corrigit adolescentior uiam suam? In custodiendo sermones tuos. Psalm. 119.

Discretio legẽdarũ sacrarum scripturarum.

DE VTILITATE SACRAE SCRIPTVRAE.

HActenus de lectione sacræ scripturæ dictum est, sine qua inanis est ac frustranea omnis illa spiritus S. diligentia, per quã in usus fidelium conscripta sunt eloquia Dei: iam consequenter de illius utilitate uideamus. Scio hãc tam esse immensam, ut ne cogitatu quidẽ concipi, nedũ uerbis exprimi possit. Et Satan ipse, per id ipsum quod lectionẽ sacræ scripturæ ecclesijs Christi ademit, & tyrãnos ueritatis diuinę hostes ad hoc impulit, ut sacros codices de manibus fideliũ abreptos igni absumendos traderent, abundè satis innuit, quàm sit insignis sacræ scripturæ utilitas, ac quantum ad cognitionem Dei, & ueræ pietatis profectum, regno ipsius, regno tenebrarum & peccati, intolerabilem cõducat. Verùm propter rudiores, species aliquot utilitatis huius recẽsebimus, quæ nobis scripturarũ testimonio cõmendãtur.

Immensa est utilitas sacræ scripturæ.

Principiò, admodum ingens sacrę scripturę utilitas in eo consideranda & exoscul anda est, quòd per illam eloquia dei primùm per angelicas apparitiones ad patriarchas, deinde per ora prophetarum, & Christum ipsum ad Israelem, postea per Apostolos ad totum orbem prolata, deniq; & opera diuinæ prouidentiæ, creationis uidelicet & gubernationis, & quibus populum suum asserendo & conseruando, fidem, ueritatem & potentiam suam declarauit, ad generationes posterorum ad finem usq; mundi indesinenti cursu transmissa sunt. Conuenit huc usurpare illud Dauidis Psal. 102. Scribetur hoc pro ętate postera, & populus qui creabitur, laudabit Dñm. Quòd prophetam memoriam eorũ quę Israeli restituendo diuinitus cõtigerunt, per scripturas ad generationes posterorum ad hoc transmittendam prædixit, ut populi futuri Dominum laudent, id sanè nos factum esse per sacras scripturas omnium conuenientissimè dixerimus. Denique & illud huc conuenit, quòd Psal. 78. legimus: Quanta mandauit patribus nostris, nota facere ea filijs suis, ut cognoscant generationes posteræ, ut ponant in deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirãt, &c. Non potuerunt perpetuò in humanis agere S. patriarchæ, prophetæ, Christus & apostoli, ut eloquia Dei uiua uoce spargerent in mundo. Quare consultissimè factum est, ut quæ illi ore cum essent in mundo promulgarunt, scriptis mandarentur, atq; ita per scripturas ad finem usq; mundi cunctos doceant, instruant & corrigant, ne quis cogitet, ó si uixissem temporibus prophetarum, Christi & Apostolorum, potuissem per illos instrui in cognitione Dei.

Oracula dei ad nos usque per scripturas uenerunt.

Quod doctrinã illorum attinet, nõ sunt mortui, nõ discesserunt à nobis, nõ destituerũt nos doctrina ueritatis, sed cõpendio scripturarum loquuntur nobiscũ nõ minus ueraciter, nõ minus sufficiẽter, nõ minus salubriter, q̃ loquuti sunt cũ illis inter quos corporaliter sunt cõuersati. Sic beneficio scripturarũ habemus & nos patriarchas, habemus pphetas, habemus Christum

Per scripturas fit, quòd adhuc habemus prophetas, Chri-

stum & Apostolos nobiscũ loquentes.

stum & Apostolos, non minus quàm illi, inter quos uixerunt. Lucæ 16. adducit Christus Abrahamum ad diuitem in pœnis inferni constitutum dicentem: Habent Mosen & prophetas, audiant illos. Quomodo habebant tum temporis Mosen & prophetas? quomodo potuerũt audire Mosen & prophetas, cum illi multis antè seculis essent mortui? Habebant illorũ scripta. Ergo in scriptis habere uerba Mosis, prophetarum, Christi & Apostolorũ, est habere Mosen ipsum, prophetas, Christum & Apostolos: & audire scripta illorum, est eos ipsos audire. Reuera qui hoc pacto non audit, uel si audit non credit, non est crediturus etiamsi illi resurgant ex mortuis, ac uiua rursus nobiscũ uoce loquãtur. Igitur perpetuam operum Dei memoriã, perpetuamq; eloquiorum Dei ad nos uocem debemus sacris scripturis. Quod si aliud nihil adferret scriptura, uel huius quis satis expendat quanta sit utilitas?

Vtilis scriptura.

Deinde commendat nobis & Apostolus utilitatẽ diuinæ scripturæ 2. Tim. 3. cũ dicit: Omnis scriptura diuinitꝰ inspirata, utilis est ad doctrinã, ad redargutionẽ, ad correctionẽ, ad institutionẽ quę est in iustitia, ut integer sit homo Dei ad omne bonũ opus apparatus. Hęc ibi. Magna sanè cõmendatio scripturę. Primũ, dicit eam esse utilem. Cõfundantur omnes, qui lectionem illius quasi noxiam, Ecclesijs & fidelibus Christi adimunt. Quantumuis inueniuntur ali qui peruersi, qui illa abutuntur, disertè tamen hic utilis esse Apostolico testimonio probatur. Nec simpliciter dicit, Scriptura diuinitus inspirata: sed in genere, Omnis scriptura diuinitus inspirata, utilis est, inquit. Quod specificat dicens: Diuinitus inspirata, ad differẽtiam dictum est reliquarum scripturarum, quæ non diuinam inspirationem, sed humanæ sapientiæ magisterium spirant. Quòd uniuersaliter loquitur, Omnis scriptura, ad hoc facit, ut temeritatẽ eorum cohibeat, qui ex canone sacrarum scripturarum quas uolunt recipiunt, quas nolunt reijciunt. In summa honorem hunc diuinæ scripturæ tribuit Apostolus, quòd uniuersa sit utilis, nec quicquã in se contineat, quod sit noxium, nisi quatenus immundis omnia sunt immũda, & Christus ipse lapis est offensionis, & Apostoli odor sunt mortis ijs qui pereũt: & succus beneolentis flosculi, uenenum fit in araneis.

Species utilitatis.

Secundò, quoniam omnẽ sacram scripturã utilem esse dixit, species utilitatis huius subiungens, Ad doctrinam, inquit.

Doctrina.

Doctrina, instructio est ignorantium. Mens humana nõ sic est lumine naturæ illustrata, ut suopte acumine quæ Dei sunt, & ad salutem cognitu necessaria cognoscat. Animalis homo, inquit Apostolus, nõ intelligit ea quę sunt Dei, 1. Cor. 2. Quare opus est diuiniore quadam luce unde illustretur ac doceatur. Ea datur à spiritu sancto. Et in hũc usum accõmodata est sacra scriptura, per quã doceãtur & illuminentur paruuli. Testimonium Domini fidele, inquit Dauid Psal. 19. illuminans paruulos, pręceptum Domini lucidũ, illuminans oculos: ut rectè sacram scripturã doctrinam uoces paruulorum, nauseam uerò & fastidium prudentum ac sapientum huius mundi, imò librum clausum & obsignatum.

Doctrina scripturæ quadrimembris est.

Doctrina uerò, cuius gratia nobis data est scriptura diuina, quadrimẽbris est: Cognitionis Dei uidelicet, fidei, pietatis, & iustitię. Docemur enim ex scripturis de deo, & in cognitione illius instruimur, cuius rei methodũ initio Locorum istorũ ostẽdimus. Docemur & imbuimur ad credendũ. Primùm quòd sit Deus, & quòd remunerator sit illis qui se quęrunt. Ebr. 11. Deinde ut credamus in Christum filium eius unigenitum, salutis nostrę gratia in mundum hunc

Ioan. 5.

missum. Huic enim scripturæ testimonium perhibent, unde & ipse dixit: Scrutamini scripturas, in quibus putatis uos habere uitam æternam. Et illę sunt quæ testimonium perhibent de me. Et hanc ob causam discipulis scripturas de se exposuit, ac sensum aperuit, ut illas intelligerent. Et Apostoli testimonia scripturarum ad confirmandum fidem in Christum citarunt. Et Paulus Rom. 16. mysterium Christi à temporibus æternis tacitũ, per scripturas tempore Noui testamenti patefactum esse dicit. Sic sacra scriptura seruit nobis ad doctrinam fidei generalis pariter ac specialis. Generalis fides est in Deũ conditorem, moderatorem ac conseruatorẽ omnium. Specialis, qua credimus in Christum, & credentes saluamur, qua de loquitur Apostolus dicẽs: Et quòd à puero sacras literas nosti, quę te possunt instruere ad salutẽ per fidem, quæ est in Christo Iesu. Docemur ex scripturis de uera pietate erga deum: quomodo hic sit timendus, diligẽdus, obseruãdus ac colendus cũ primis & prę omnibus. Docemur etiã de iustitia in omni nostra uita erga eos seruanda, cũ quibus in hoc seculo siue pares siue superiores, siue inferiores uiuimus. Atq; ad hunc modũ quatuor hisce speciebus doctrina comprehenditur, ad quam Apostolus scripturam diuinitus inspiratam utilem esse dicit.

Redargutio.

Tertiò, Ad redargutionẽ inquit. grecè est πρὸς ἔλεγχον. Sonat ea uox redargutionẽ, qua si quid in causa erroneum ac falsum est, & uel uerbo profertur, uel opere admittitur, uelut adhibita luce deprehenditur, manifestatur, ac irrefragabiliter conuincitur. Redargutio ista summopere necessaria est Ecclesiæ Dei, propter studia Satanę, quibus per ministros suos peregrinas & erroneas opiniones indesinenter seminare ac spargere solet, quæ non possunt euidentius redargui, quàm luce scripturarum.

Duæ species redargutionis.

Sunt autem redargutionis duæ species. Vna est, qua falsæ & erroneæ opiniones, hæreses, falsi cultus, falsi pastores, falsi prophetę ac doctores, falsi episcopi, falsi fratres, & ipse Antichristus manifestantur ac redarguuntur. Et hinc est, quòd tenebriones isti in ecclesia Dei regnantes lu-

tes lucem ſacrarum ſcripturarum, per quam produntur ac redarguũtur, nõ modò fugiunt inſtar furum, ſed & in uniuerſum extinguere conantur. Altera eſt, qua facta noſtra redarguũtur. Per hanc uitam ſuam quiſq;, imò occulta cordis ſui, deinde & ſtudia eorũ cognoſcere poteſt, qui ſeſe ueſtimentis ouium tecti gregi Dominico inſinuant, de quibus Chriſtus dicit: Ex operibus ipſorum cognoſcetis eos. Et ex fructibus cognoſcitur arbor. Vtranq; redarguitionẽ nuſquam melius quàm ex ſacris ſcripturis petere licebit. Quare quod Apoſtolus dicit: Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Itẽ: Probate ſpiritus utrum ex Deo ſint. Deniq;, Probate uoſmetipſos: &, Probet ſeipſum homo, fieri non poteſt ſine diligenti inſpectione ſacrarum ſcripturarum. Nam ut idem Apoſtolus Epheſ. quinto dicit: Quæcunq; arguuntur, à lumine manifeſtantur. Quod latet in tenebris, non niſi luce patet. *Inſpecto fructu quæuis cognoſcitur arbor*

Quartò, Ad correctionem, inquit. Græcè eſt πρὸς ἐπανόρθωσιν, quod ſonat reſtitutionem eorum quæ prolapſa fuerant, qua ad priſtinam rectitudinem erecta rediguntur. Vbi omnia in competenti ſtatione perdurãt, nec quicquam prolabitur, illic ſanè nõ habet locum iſta ἐπανόρθωσις. Verùm in cœlis ea eſt omnium firma ac perpetua rectitudo, in terris non eſt, non modò in naturalibus ac mundanis rebus, ſed ne in diuinis quidem, etiam in ipſa Eccleſia Dei. Licet enim ueritas Dei, quæ fundamentum & columna eſt Eccleſiæ, per ſe ſit firma & immota, infirmatur tamen in nobis, ac prolabitur per noſtram infirmitatem & inconſtantiam, imò errandi ac labendi procliuitatem. Et ſtudium pietatis & iuſtitiæ, ad quod in ſacris ſcripturis inſtituimur, ſubinde opus habet correctione. Factum eſt itaque prouidentia ſpiritus ſancti, ut eadem ſcriptura ſacra quæ docet ignorantes, & redarguit delinquentes & errantes, corrigat etiam et reſtituat, hoc eſt, doceat ac monſtret, quomodo ſint corrigenda, quæ noſtro ſunt uitio prolapſa. Sacra ſcriptura regula eſt, ad quam ſunt quæuis errata cùm doctrinæ tum uitæ corrigenda. Vel hinc admoneri poterant Eccleſiæ prælati, quomodo præſentium temporum controuerſiæ in cauſa religionis ſint corrigendæ. Audiãt Apoſtolum: Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, inquit, utilis eſt ad doctrinam, redargutionem, & correctionem. Si correctionem ueram ac ſalubrem quærunt, petant eam haud aliunde quàm unde eſt omnis uera doctrina, & omnium errorum redargutio, ex ſacris uidelicet ſcripturis, diuinitus inſpiratis. Simulant ſe ad ſcripta patrum & ſtatuta conciliorum omnes haſce præſentium temporum controuerſias examinaturos & correcturos. Sic uſum Canonicæ ſcripturæ ab Apoſtolo monſtratum repudiant, & in locum huius ſubſtituunt patrum ſcripta & ſancita, quæ & ipſa non ſunt temerè acceptanda, ſed ad regulam ſacræ ſcripturæ examinanda. Eſt itaque magna utilitas ſacræ ſcripturæ etiam hactenus, quod facit ad correctionem doctrinæ prolapſæ, deinde & uitæ noſtræ per deuia à tramite ueræ iuſtitiæ aberrantis. qua de re propheta intelligit, cum dicit Pſalmo centeſimo decimonono: In quo corrigit adoleſcentior uiam ſuam? In cuſtodiendo ſermones tuos. *Correctio.* *Veritas Dei infirmatur in nobis.*

Quintò, Ad inſtitutionẽ, inquit, quę eſt in iuſtitia. Græcè eſt πρὸς παιδείαν, id eſt, ad inſtitutionẽ & diſciplinam, qualis eſſe ſolet puerorum. Spiritus S. in ſacris nos ſcripturis, perinde atq; pater pueros ſuos ad iuſtitiam inſtituit. Habent illę lac, commodum pueris, elementariam uidelicet diſciplinam, qua rudes inſtituantur, habent item ſolidum cibum adultioribus & exercitatioribus competentem. *Inſtitutio.*

Sextò, addit horum finem, ad quem dirigantur. Vt integer ſit, inquit, homo Dei, ad omne opus bonum apparatus. In Græco eſt ἄρτιος, quod ſonat ſanum & integrum. Loquitur autem Apoſtolus de integritate ac ſanitate mentis, in uera fide, pietate, & iuſtitia. Huic ſeruire debẽt præmiſſa, doctrina uidelicet, redargutio, correctio, & inſtitutio. Non debent hęc eſſe ociosa & inefficacia, ſed operoſa & frugifera. Qui ſacras ſcripturas alio fine legit, ſeipſum ſeducit, & à legitimo ſcopo abludit. Doctrina ſacra requirit hominẽ Dei, id eſt, qui ſit ex Deo, & ſtudio ueræ pietatis præditus. Nihil hic faciet filius huius ſeculi. Hunc reddit ἄρτιον, id eſt, ſanũ & integrũ, docendo, redarguendo, corrigendo & inſtituendo, atq; ita præparat ac inſtruit eũ ad cuiuſuis generis bonum opus. Intellige de operibus, ad quæ per doctrinã ſacræ ſcripturæ inſtituimur. Ea ſunt ueræ fidei & charitatis. Ad ſuperſtitioſa opera homo Dei p ſacras ſcripturas inſtitutus animũ adijcere nõ poteſt, unde fit, ut ab Eccleſia malignãtiũ pro hæretico & impio habeatur. *Finis et ſcopus utilitatis ſacræ ſcripturæ.*

Hactenus utilitatem ſacrę ſcripturę obiter inſpeximus, quam Apoſtolus 2. Timot. 3. paucis uerbis commendat. Huic & eam adijcere licet, quam Rom. 15. proponit dicẽs: Quęcunq; prę-ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam præſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Quod dicit, Quęcunq; præſcripta ſunt, in Græco eſt, ὅσα προεγράφη, quod legi poteſt: Quæcunque ante ſcripta ſunt. Senſus eſt: Quæcunque olim per Moſen & prophetas multis ſunt antè ſeculis ſcripta, non eorum duntaxat ſunt gratia ſcripta, qui tum cum ſcriberentur uiuebant, ſed etiam propter poſteros, ut illi quoque doctrinam haberent, qua inſtituerentur. Sic dicit: Ad noſtram doctrinam pręſcripta ſunt. Non ſimpliciter, ad noſtram doctrinam facere poſſunt, ſed ad noſtram doctrinam præſcripta ſunt. quaſi dicat: Ad hoc ſunt ſcripta olim, ut ad doctrinam nobis ſeruirent. Ergo non eſt humanę dandũ temeritati, quòd ſacras ſcripturas cũ ueteris tum noui teſtamẽti ad doctrinã etiam noſtri huius ſeculi uſurpamus, *Cõſolatio ex ſacris ſcripturis.*

usurpamus, sed agnoscenda hac in re prouidentia Dei, qua perpetuam omnium seculorũ doctrinam, quæ ad finem usq; mundi duret, literis mandare uoluit. Hæreat itaq; in mẽtibus piorum hominũ, quod hic Apostolus dicit: Quæcunq; antè scripta sunt, ad nostram doctrinã antè scripta sunt: sciantq; uniuersam sacram scripturam non minus esse nobis à Deo ad hoc præordinatam, ut ex illa de ueritate doceamur, quàm olim tradita fuit nostris maiorib. nec sinant sibi doctrinam diuinitus traditam uersutia falsorum Doctorum intercipi. Quod nobis instinctu & prouidentia Dei scriptum est, haud poterimus sine grandi peccato negligere.

Cõsolatur scriptura afflictos

Vt per patientiã, inquit, & consolationem scripturarum spem habeamus. Ostendit hic singularem usum scripturarum his qui tribulationibus exercentur. Sunt in illis multa præclara exempla patientiæ sanctorum, unde consolatione accepta spem diuini auxilij & rerum meliorum mente concipiamus, atq; ita in aduersis patientiam seruemus, uictores q; euadamus. Notus est locus uerborũ Christi Matth. quinto, ubi proposito exemplo prophetarum discipulos suos ad ferenda quæuis aduersa obfirmat. Et author Epistolæ ad Ebræos cap. 11. ex scripturis huiusmodi patientiæ exempla producit. Et 2. Pet. 2. adducuntur ex scripturis exempla Noe & Lot. Abundat sacra scriptura exemplis patientiæ, & cõsolationibus piorum. Sic enim illam Deus patientiæ & consolationis in usus piorum instinctu spiritus sui adornauit.

Chrysostomi consolatio.

Huius rei specimẽ in Chrysostomo uidere licet, qui de exilio suo ad Cyriacum Episcopum in exilio constitutum ad hunc modum scripsit: καὶ γὰρ ἐγὼ ὅτι ἐξελαυνόμεθα ἀπὸ τῆς πόλεως οὐκ οἶδα τοῦτο ἀκριβῶς, ἀλλ' ὑπόπτευον πρὸς ὑμᾶς. Εἰ μὲν βούλεται ὁ βασιλεὺς ἀφορίσαι, ἀφορίσει με, τῷ κυρίῳ ὁ γῆ καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς· καὶ ἂν βούληται πρίσαι, πρίσει με, τὸν ὁπόταν ἴδῃ τὸν ἐπιγεγραμμένον. Εἰ δίλει δὲ τὸ πλῆθος ἀκοντίσαι με, τὸν ἐκεῖθεν ὑπομιμνήσκομαι. Εἰ δίλει δὲ κάμινον ἐμβαλεῖν, τῶν τριῶν παίδων ἔχω τοῦτο πεπονθότας. Εἰ με δίλει τοῖς θηρίοις βαλεῖν, τὸν Δανιὴλ ἐν λάκκῳ τοῖς λέουσι βεβλημένον ὑπομιμνήσκομαι. Εἰ δίλει με λιθάσαι, λιθάσει με, στέφανον ἔχω τὸν πρωτομάρτυρα. Εἰ δίλει πίσφαλῶ λαβεῖν, λάβῃ· ἔχω Ἰωάννου τὸν βαπτιστοῦ. Εἰ δίλει τὰ ὑπάρχοντα λαβεῖν, λάβῃ αὐτά, γυμνὸς ἐξῆλθον ἐκ κοιλίας μητρός μου, γυμνὸς κὴ ἀπελεύσομαι. Ἐμοὶ παρηνεῖ ὁ Ἀπόστολος, πρόσωπον ἀνθρώπου ὁ δίλει ἐ λαμβάνει. κὴ ἐ τί αὐθρώποις ὑρίσκομεν, χεῖρῶ δὲ ἂν ἔμεν. κὴ ὁ Δαβὶδ παδσπλίσει μι λέγων: Ελάλουν ἐναντίον βασιλέων, κὴ ἐκ ἐσχυνόμεν. Hæc ille, quæ obsecro unde in promptu fuerunt, quàm ex lectione sacrarum scripturarum?

Sacra scriptura armaturam præbet aduersus tentationes Satanæ.

Præterea, ubi de Christo Seruatore nostro legimus, quòd tentatori Satanæ loca scripturæ obiecerit dicens: Scriptum est, Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod progreditur ex ore Dei. Item: Scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum. Adhuc, scriptum est: Dominũ Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Matth. quarto. An non & hanc uidemus esse sacræ scripturæ utilitatem, quod per illam aduersus tentationes Satanæ, carnis & mundi quasi panoplia quadam armamur, qua fidem, spem, & pietatem nostram tueamur? Quomodo autem armatura ista constabit illis, qui sacras scripturas non reddunt sibi legendo ac meditando familiares, ut quoties opus est ad quodcunq; tentationum genus ultro & pertinenter uelut ad manum accurrant? Nimis uerum est, quod Chrysostomus dicit, Sine armis bellum ingredimur, & quomodo uincemus? Deploratæ mentis miles est, qui ne in ipsa quidem pugna armorum suorum habet rationem. Dauid cum aduersus hostem populi Dei pugnandum esset, delegit sibi ex torrente lapides limpidissimos, fundæ suæ accommodos, quibus illum impeteret ac prosterneret. Huiusmodi lapidibus plena est sacra scriptura. Quod Dauid in pugna corporali fecit, pius homo faciat in pugna spirituali.

1. Sam. 17.

Iucunda ex sacris scripturis recreatio.

Postremò & hoc addam. Solent admodum in precio haberi quæcunque ad corporum nostrorum recreationem & oblectationem faciunt, unde uel æstu uel laboribus, uel frigore, aut fame ac siti fatigata refocillentur. Nec immeritò. Quod enim infirmum est ac fragile, nisi subinde recreetur, molestiarum continuationem ferre non poterit, sed omnino succumbet ac deficiet. Cogitabit hic pius homo de refocillatione spiritus, qua ille post uarios labores subinde recreetur. Huius autem refocillatio nusquam poterit esse suauior ac iucundior, quàm in paradiso scripturarum sacrarum, ubi arbor est scientiæ non uitæ, sed electis diuinitus destinatę, ubi in medio lignum uitæ est Christus, cuius aditus nõ occluditur per Cherubin ac flammeũ gladium, sed per instinctum spiritus sancti, ac lucem Euangelij cunctis esurientibus aperitur: ubi fluenta sunt aquarum uiuentium, unde irrigatur Ecclesia credentium, ac mentes piorum auro optimo ac lapidibus preciosis, hoc est, cœlestium charismatum opibus ditãtur: ubi sunt omnis generis ligna uisu pulchra & gustu suauia, arbores diuinitus plantatæ, ornatę ac frugiferæ, sancti uidelicet patriarchę, prophetę, & Apostoli. Vbi aura est molliter ac placidè spirãs, afflatus scilicet spiritus sancti pectora incolarum paradisi huius suauissimè demulcens. Vbi deambulantis ac salutem seducti hominis quærentis Dei uox est, non hoc tantum inclamans, Adam, ubi es? sed & cunctos ad se uocans, ignorantes instruens ac docens, peccantes corripiens & ad resipiscentiam inuitans, seductis ueræ scientiæ arborem monstrans, mortis ac perditioni obnoxios ad lignum uitæ ducens, prostratos erigens, anxios consolans, ac fatigatos refocillans.

Paradisus sacrarũ scripturarum.

Hortus uoluptatis nõ conferendus delicijs sacrarum scripturarum.

Confidenter dico, hortum illum uoluptatis, unde eiectus est Adam inobediens, uix umbrã quandã ueræ uoluptatis habuisse, qua fruuntur electi ac credentes in horto hoc sacrarũ ac diuinarum scripturarũ, in quo audiunt uoces & oracula Dei, uident apparitiones angelorũ, cõuersantur

uersantur cum sanctis patriarchis, prophetis, Christo ipso & Apostolis, afflantur aura spiritus sancti omnium iucundissima, comedunt de ligno scientiæ Dei non modò sine noxa, sed & omnium utilissimè, imò comedunt de ligno uitæ, illiusq; participes redduntur in sempiternũ, obambulant inter arbores pulcherrimas ac fertilissimas, atq; ita toti paradisi huius uoluptati bus refocillantur, ut in corporéne sint uel extra nesciãt, omniumq; eorũ quæ sunt in hoc mundo, ac simul molestiarum, curarum & afflictionum prorsus obliuiscantur.

Scripta philosophorum ac rhetorum.

Obsecro quid sunt huc collata omnium sapientum, rhetorum ac philosophorum scripta, nisi arida quædã & siticulosa solitudo, in qua plena sunt omnia sterili ieiunæ dictionis arena, in qua nihil occurrit nisi uiles inanis scientiæ myricæ, in qua sunt opiniones falsæ, bestiæ seuę ac uenenatę, in qua fatigatio est euntium, & incertitudo uiarum mater omnis generis errorũ, in qua fami ac siti non succurritur, & quod quæritur, non inuenitur. Et hæc ethnicę literaturę solitudo hodie tanti fit à filijs carnis & seculi huius, ut in illa consenescendum esse putẽt. Contrà filij Dei cõtempta inani scientia cũ propheta dicũt: Quã dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & fauũ ori meo. Et alibi: Desiderabilia super aurũ & lapidẽ preciosum multum, & dulciora super mel & fauũ. Qui sic animati sunt, horũ uoluptas & oblectatio est in lege Domini, inq; illa meditãtur noctes ac dies, meditandoq; suauissimè refocillantur. Dũ hæc dicimus, non damnamus lectionẽ secularis literaturæ, modò non sit illa cõtinua, non sit primaria, non sit usurpata ad recreãdum spiritum, non gignat fastidium legendi sacram scripturam, non teneat animos legentium ad senium usq; obstrictos, non sit magistra religionis ac fidei, sed famula. nec uindicet sibi titulum ueræ sapientiæ & eruditionis, sed habeatur suo loco, sitq; infra scripturam diuinam seruiliter abiecta: nec decipiat legentium mentes phaleratæ dictionis lenocinio, sed famelicas & inanes ad ubertatem sacrarum scripturarum à se remittat.

DE VERITATE ET IMPLETIONE *sacrarum scripturarum.*

Veritas sacrarũ scripturarũ pẽdet à ueritate Dei.

VEritas sacrarum scripturarũ pendet à ueritate dei, qui illarum est author. Qui de ueritate illarum dubitat, aut non credit eas esse ex instinctu spiritus Dei prolatas: aut si de eo non dubitat, non credit Deum mentiri non posse: uel si id quoq; credit, existimat eum mutari ut hominẽ, sic ut quod hodie uoluit, cras mutata sententia nolit: quorũ nihil eorũ est, qui de numero sunt uerè credentium. Hi siquidem prorsus nihil addubitant sacras scripturas esse ex Deo, Deum uerò nec mentiri nec mutari posse. Dicunt cum Apostolo: Sit potius deus uerax, omnis homo mendax. Et cum propheta: Eloquium Domini igne examinatũ, probatũ ac purgatum septuplũ. Sciunt illud: Ego Deus, & nõ mutor. Item illud Esa. 55. Quẽadmodum descẽdit imber & nix de cœlo, & illuc ultrà non reuertitur, sed inebriat terrã, &c. sic est uerbũ meum, quod egreditur de ore meo. Non reuertitur ad me uacuũ, sed facit quæcunq; uolo, & prosperatur in his ad quæ misi illud. Quare de ueritate Dei persuasi, simul persuasi sunt de certitudine ac ueritate eloquiorum Dei, quæ nobis in sacris scripturis proponuntur.

Quæ scripturæ peculiariter fidem ueritatis requirant.

Sunt autem in scripturis quæ fidem ueritatis peculiariter requirũt ista: Narrationes, prædicationes, doctrinæ, prophetiæ, promissiones, & minæ. Habentur præterea in scripturis præcepta & prohibitiones, quæ postulant obedientiam. At fidem ueritatis quæ recensui, singulariter & cum primis requirunt. Quanquam & in præceptis ac prohibitionibus requiritur, ut credamus esse præcepta & prohibita à Deo. Narratur aliquid in scripturis, quod uel à deo, uel angelis, uel hominibus, siue bonis siue malis sit factum: requiritur historicę ueritatis fides qua sicuti narratur, sic factũ esse indubitatò credamus. In hac classe primũ locum tenent, quæ de operibus Dei ac Christi filij eius narrantur. Reliqua secundaria sunt, non quòd minus sint uera, sed quòd inferioris sunt & ordinis & momenti. Prædicatur, id est, quasi præconio quodam commendatur, in scripturis de Deo, quòd sit iustus, bonus, uerax, fidelis, philanthropos, misericors & clemens, tardus ad iram, &c. & quòd filium suum unigenitum redemptorẽ nobis ab æterno destinarit, inq; mundum hunc miserit, ut qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam, & quæ alia per Euangelij præconia prædicata sunt in mundo. Huiusmodi & cõsimiles aliæ prædicationes ut ueræ sunt, ita & fidem ueritatis poscunt. Docet scriptura ignorantes & errantes de gratia & uoluntate Dei, uiamq; salutis & uitæ æternæ monstrat, ac simul ostẽdit quæ sit uera pietas & iustitia. Doctrina hęc, nisi ut uera ac certa accipiatur, frugifera esse nõ potest. Etenim sine fide ueritatis fieri non potest, ut ueri simus illius discipuli, & luce diuinæ cognitionis illuminemur. Habentur in scripturis pphetiæ uel per angelos ad patriarchas, uel per prophetas ad populũ Israelis prolatæ, quibus de rebus futuris præmonere dignatus est Deus. Habentur itẽ promissiones gratiæ, ad electos pertinentes: habentur cõminationes immorigeris, incredulis & impijs destinatæ. Tolle his fidem ueritatis, quantumuis in se sint ueræ, & necessariò impleantur, incredulis tamẽ non sunt efficaces, nisi ad ipsorũ perditionẽ. Quapropter primũ hoc est religionis nostræ caput, ut sine ulla dubitatione sacrę scripturæ fidem ueritatis accommodemus, siue narret, siue prædicet, siue doceat, siue uaticinetur, siue

tur, siue promittat aliquid credẽtibus, uel minetur incredulis. Sine hac ueritatis fide nihil est in omni religione nostra quod constare queat.

Adimpletio scripturarum pendet à ueritate Dei.

Ex hac ueritate sacrarum scripturarum dependet illarum adimpletio, quæ tam est necessaria, quàm necesse est Deum esse ueracem. Hinc est illud Christi Lucę 24. Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosi, & prophetis & psalmis de me. Item, Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, &c.

Impletio scripturarum.

Impletio autem scripturarum diuersimodè habet. Primũ enim, quædam à Deo ipso, Christoq; filio eius & spiritu sancto adimpletionem sui sortiuntur, quædã ab angelis, quædam ab hominibus siue pijs siue impijs, quædam ab ipso Satana & malis spiritibus adimplentur. Rursus, aliæ impletæ sunt semel, & sic perfectionem sui sortitæ, aliæ & impletæ sunt sæpius & adhuc ad finem usq; mundi cũ in electis tum in reprobis adimplentur, alię in futuro implebũtur. Verùm non est præsentis instituti ista singulatim annotare, cum diligens sacræ scripturæ lector sine ullo negocio singula inter legendum obseruare queat.

Hactenus breuiter de sacris scripturis in medium attulimus, quę pio lectori non inutilia fore iudicauimus. Peruelim aũt oẽs uerbi diuini ministros pro suis unũquẽq; uiribus huc conniti, ut quosuis ad sacrę scripturę lectionẽ cõpetẽti adhibita instructione ac directione prouocẽt. Nisi enim hoc fiat, nõ uideo quomodo diuinę ueritatis cognitio, Christianę fidei syncerita̅s ac uerę pietatis iustitięq; studiũ in ecclesia Christi nouissimis hisce tẽporib. retineri queãt.

DE MINISTRIS VERBI DEI.

Quare Deus uti uoluerit ministerio uerbi.

POST locos de Euãgelio & sacris scripturis uisum est subijcere de ministris uerbi Dei. Principiò cogitabit homo pius de consilio dei, quo ministris uti uoluit, per quos uerbum suum dispenset inter homines. Non debemus hoc tribuere ineuitabili necessitati, quasi saluti mortaliũ non potuerit alia ratione consuli, fueritq; omnino necessariũ Deo mundo consulere uolenti, ut id faceret externo externi uerbi ministerio. Potuit enim omnia quę salutem nostram concernunt & pertinẽt ad scientiam Dei, pietatem ac iustitiam, interno spiritus sui instinctu, absq; externo uerbo uerbiq; ministerio perficere: uerùm magna sapientia uti uoluit uerbo ac uerbi ministris, id quod adorare & utiliter amplecti, non temerè scrutari, multo minus cõtemnere debemus. Summopere cauendũ est ne locũ demus rationis humanæ temeritati, quæ mox ubi intelligit alia posse ratione fieri qd̃ certa ac destinata quadã diuinitus geritur, aut incipit scrutari causas, & cõsilium Dei uocare in ius, aut contemnendum esse putat, quòd non sic geritur, ut aliter nequeat.

Homines Deus aliter instruit quàm reliquas creaturas.

Nobis cõstat sic uisum esse Deo, ut homines aliter de uoluntate & gratia sua instruat, q̃ uel spiritus cœlestes quibus nõ sunt terrena corpora, uel animãtia bruta, quibus nõ est facultas rationis & intelligẽtiæ, quę est hominibus & angelis: uel creaturas reliquas, nõ modò ratione, sed & sensibus uidẽdi, audiendi, & intelligẽdi destitutas, quę tamẽ omnia uoluntati suę habet subiecta ac subseruientia. Ignis, grãdo, nix, glacies, spiritus procellarũ, quę faciunt uerbũ eius, inquit propheta, faciunt & perficiunt mãdata Dei, ac seruiunt uoluntati eius, absq; ullo externi uerbi ministerio. Aguntur occulta uirtute diuini impulsus, quo possunt utiq; agi & homines, quẽadmodũ etiã sępenumero aguntur: uerũ ita placuit inscrutabili illius cõsilio, ut causa salutis humanę ministerio uerbi in adultis dispẽsetur, quæ tamen dispẽsatio uerbi per se nihil in nobis efficit nisi instinctus & afflatus spiritus sancti accesserit. Hoc inquam, nobis constat, quicquid sit de causis. Quare conuenit ut consilio dei omnẽ curiositatẽ pariter & contemptũ abijcientes cupido & grato animo pareamus, immò magnæ gratiæ loco ducamus, quòd hac nos administrandi uerbi ratione, de uoluntate sua nostraq; salute instruere dignatur.

Diuisio ministrorum.

Sunt autem multa genera ministrorum Dei, quorum ministerijs diuersimodè in uniuersa hac cœli terręq; machina pro ineffabili sua potentia & uoluntatis suæ libertate utitur: de quorum numerosa multitudine ac uarietate seperandi nobis hoc loco sunt ij, quos ipse administeriũ uerbi sui seperauit ac sanctificauit, & etiamnũ in Ecclesijs ad id muneris eliguntur & ordinantur. Hos possumus principali diuisione in tria genera diuidere, secũdum triplicem trium principalium temporum conditionẽ. Tria illa tẽpora sunt, primũ ante legem, secundum sub lege, tertiũ post legem, quod tempus est Noui testamenti. Tribus hisce tẽporibus misit uerbũ suum Deus, sed alijs atq; alijs modis. Ante legẽ usus est ministerio angelorum, quorũ apparitionibus patriarchas de gratia & uoluntate sua certos reddidit. Tempore legis ministros uerbi misit ad populum suũ, Mosen & prophetas. Tempore Noui testamenti misit unigenitũ filiũ suum Christum, & post hunc Apostolos, Euãgelistas, doctores, &c. Ergo tria sunt principalia ministrorum uerbi genera. Verùm relictis duobus prioribus uidendum nobis est de tertio, quod Noui testamenti ministros complectitur.

Ministri uerbi
Ante legem.
In lege.
Post legem.

Diuisio ministrorum Noui testamenti.

Et hi suam habẽt diuisionem ac uarietatem. Diuisiones ministeriorum sunt, inquit Apostolus 1.

lus 1. Corinth. 12. & idem Dominus. Et eodem capite: Et alios quidē posuit Deus in ecclesia, inquit, primùm Apostolos, deinde prophetas, tertiò doctores. Et Ephes. 4. Idē dedit, inquit, alios quidem Apostolos, alios uero prophetas, alios autē euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad instaurationem sanctorum, in opus administrationis, &c. Et Act. 20. uocat ad se presbyteros ecclesiæ Ephesiorum, quos etiā uocat episcopos. Et Act. 6. eliguntur diaconi septem. Hæc igitur nomina ministrorum uerbi in nouo Testamento reperiuntur, Apostoli, prophetæ, doctores, Euāgelistę, pastores, presbyteri, & episcopi. Diaconi non erant ministri uerbi, sed mensarum Ecclesiasticarum. Per istos opus administrationis, restaurationis & ędificationis, fideliū primis ecclesiæ Christi temporibus perficiebatur. Sic Dist. 60. can. Nullus in episcopatum, palàm legitur, solos presbyteros & diaconos in primitiua fuisse ecclesia. Postea ubi creuit multitudo fidelium, cœptumq; est ecclesiā aliquanto splendidius instituere ac paulatim à simplicitate & humilitate Apostolica deficere, creuit ordo ministrorum, & prioribus accesserūt chorepiscopi, suffraganei, metropolitani, patriarchæ, archidiaconi, archipresbyteri, & inferioris ordinis subdiaconi, acoluthi, exorcistæ, anagnostes, cantores, ostiarij, ut Romanę curię satrapas cardinales ac papas cum uniuersa reliqua umbra officialium, deniq; tam multipliciū sectarū monachos, abbates, priores, suppriores, guardianos, generales, præpositos, decanos, canonicos, abbatissas & prioriſſas, &c. taceam, quorum omniū numerus sic est benedictione ac fœcunditate sacri Plutonis sanctęq; hypocriseos multiplicatus, ut mirū sit, quomodo immensæ isti ociosorum dominorum multitudini alendæ nedum saginandæ ac ditandæ populus fidelium sufficere potuerit.

Quousq; creucrit ordo ministrorum in ecclesia.

DE OFFICIIS MINISTRORUM uerbi.

NOs in præsenti posterioribus illis relictis de ministris uerbi uidebimus, quorum nobis officia ex scripturis noui Testamenti commendantur. De istis quid sentiendū sit in genere, admonet Apost. 1. Corinth. 4. dicens: Sic nos æstimet homo, ut ministros Christi, ac dispensatores mysteriorum Dei. Tria dicit, quę sentienda sint de Apostolis, prophetis, euāgelistis, pastoribus, doctoribus, presbyteris & episcopis. Primùm quòd sint ministri. ὑπηρέτας inquit. Hyperetæ sunt, qui superioris sententiæ exequendæ subseruiunt, unde & aliquando hæc uox pro ministro iudicis accipitur, sicuti uidere est Matth. 5. ubi sic legimus: Ne quando te tradat aduersarius iudici, & iudex te tradat ὑπηρέτῃ, id est, ministro, & in carcerem conijciaris. Et Petrus sedit μετὰ τῶν ὑπηρετῶν, id est, cū ministris ut uideret finem, Matth. 26. Et Pharisæi & summi sacerdotes miserunt hyperetas ut Christum caperent, Ioann. 7. Sūt itaq; hyperetæ, ministri subseruientes alienæ uoluntati, non suopte arbitratu quidlibet facientes. Huc quæso, quomodo conuenit illud Papale, Vbi maioritas, ibi est mandandi authoritas, cæteros manet obediendi necessitas? Qui se gloriantur esse successores Apostolorū, non debent extollere sese supra Apostolos, qui se haberi uoluerunt non pro dominis authoritate mandādi præditis, sed pro ministris uoluntati Domini subseruentibus.

Ministri.

ὑπηρέται.

Deinde specificationis gratia addit, cuius sint ministri. Vt ministros Christi, inquit. Minister quisquis est, eius rectè minister dicitur, cuius est uoluntati mācipatus, & cui rationem ministerij sui reddere tenetur. Magnum sanè est, esse ministrum Christi, unigeniti Dei, Regis regum ac domini dominantium, cuius regni non est finis. Verùm quàm deploratæ mentis sunt, qui sub nomine ac prætextu illius res suas agunt, & gregi fidelium dominantur, perinde ac si nunquam sint factorum suorum reddituri rationem.

Christi.

Tertio, subijcit etiam ministerij qualitatem. Ac dispensatores mysteriorū Dei, inquit. Mysteria Dei uocat quęcunq; per euangeliū Dei de Christo seruatore ad prędicandum in mundo sunt diuinitus tradita, de quibus Christus ipse Matth. 13. loquitur ad discipulos dicens: Vobis datum est scire mysteria. Et Apost. 1. Corinth. 13. Et si sciam mysteria omnia. Et 1. Corinth. 14. Spiritu autem loquitur mysteria. Totus Christus mysterium Dei est, adscōditū à seculo, nouissimis uerò temporibus reuelatum Apostolis. Vide Rom. 16. in calce. Ephes. 1. 3. 6. Col. 1. & 2. Mysterium Græcè, Latinis sonat secretum quid, & absconditū. Secretus & absconditus est Christus, secreta sunt & abscondita, quæ de illo per euangelium prædicantur, respectu sapientiæ mundi: uerùm respectu fidei electorum, lux sunt & illuminatio mentium. Sic uisum est Deo, ut absconderet ea à sapientibus & prudentibus huius mundi, & reuelaret paruulis, Matth. 11. Est igitur cōmune hoc ministerium ministrorum Christi, ut sint dispensatores mysteriorum Dei, id quod perficitur prædicatione euangelij Dei. qua de re suprà in loco de Dispensatione gratiæ Dei diximus.

Dispensatores mysteriorum Dei.

Est tamen discrimen inter eos ipsos ministros, qui ab Apostolo recensentur. Nam aliud est esse Apostolum, aliud esse prophetam, rursus aliud esse euangelistam, & aliud pastorem esse, doctorem, presbyterū & episcopū. Apostolus est, qui non uni & alteri ecclesiæ seruit, sed hoc in mandatis habet, ut passim per orbem euangelium annunciet illis gentibus, qui de Christo

Discrimen ministrorū Christi, quos Apostolus recēset. Apostolus.

nihil dum acceperunt. Illis competit peculiariter, quod mandatum est à Domino dicente: Ite in orbem uniuersum, prædicate euangelium omni creaturę. Et: Euntes in mundũ docete omnes Gentes. Huic ministerio conuenit nomen Apostolatus. Sonat enim Apostolus legatum.

Propheta. Propheta est, qui instinctu spiritus Dei afflatus futura præuidet ac prędicit. Hic afflatus erat promissus temporibus noui Test. sicuti citatur Act. 2. ex Ioele, Et prophetabunt filij uestri & filię uestrę, &c. Tales erant prophetę Agabus & quatuor filię Philippi, & qui Antiochię fuisse

Sic Ambrosius sentit. memorantur, Act. 13. Et ipsi Apostoli afflatu prophetico prædíti fuere. Sunt tamen qui pro-

Euangelista. phetas hic intelligant non uates, sed eos qui sacras scripturas ad populum exponunt, quo sensu uox ista ab Apostolo 1. Cor. 14. usurpata uidetur. Euangelistã esse quid sit, uariè exponitur. Breuiter, uel est qui prędicat, uel qui literis mandat historias & doctrinam Euangelij. Priore sensu Timotheo dicit Apostolus: Opus fac Euangelistæ, 2. Tim. 4. & Act. 21. Philippus, unus de septem diaconis, uocatur Euangelista. Posteriore, imò utroq; uocãtur Euãgelistæ, Matth.

Pastores, doctores, presbyteri, episcopi. Marc. Lucas & Ioannes, qui & uoce uiua & scriptis euãgelium Christi propagarũt. Pastores & doctores ijdem sunt, qui & presbyteri & episcopi uocantur. Hi deputantur certis ecclesijs docendis ac pascendis. Pastores autem uoce metaphorica à pascendo, id est, docendo, unde

Hier. Sic presbyter ætatis, episcopus officij nomen est. & doctores dicuntur: presbyteri uerò, quòd cæteris sunt & ætate & sapientia seniores (nam seniores ea uox sonat) episcopi autem propterea uocantur, quòd cura ipsis sit cõmissa super populum Domini, ut illi in causa salutis uigilanter prospiciant, & si quid noxij immineat, in tempore singulos pręmoneãt & resistãt. Quos Athenienses ad ciuitates suas mittebant, uisendi gratia, quid in illis gereretur, uocabant episcopos. Et episcopus erat, qui rebus uenalibus, & ad quotidianum usum necessarijs erat pręfectus. Sic transijt hęc uox ad curam Ecclesiasti-

Quòd ijdẽ sint pastores ac doctores et presbyteri, & episcopi. cam, ut pastores, doctores & presbyteri uocentur episcopi, quos hodie nonnulli uocant Superattendentes. Quòd autẽ ijdem sint pastores ac doctores, quemadmodum idem est pascere ac docere, arbitror esse manifestum, id quod & Hier. annotat ex eo, quòd non dicit Apostolus, Alios pastores & alios doctores: sed cõiunctim, Alios autem pastores & doctores. Deinde eosdem esse presbyteros & pastores, ex eo patet, quod 1. Petr. 5. legimus, Seniores ab Apostolo admoneri, ut gregem Dei pascant. Tertiò eosdem esse presbyteros quoq; & episcopos & pastores, ex eo patet quòd Act. 20. legimus ad hunc modũ: A Mileto autẽ missis Ephesum nuncijs, accersiuit presbyteros ecclesię, qui cum peruenissent ad ipsum, dixit eis: Vos scitis à primo die, &c. & aliquanto pòst: Attendite igitur uobis & cuncto gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos ad pascendum (ποιμαίνειν) ecclesiam Dei, &c. Quos Lucas uocat presbyteros ecclesiæ Ephes. hos Paulus uocat episcopos: & dicit, eos ad hoc esse à spiritu sancto positos, ut pascãt ecclesiã Dei. Sic palàm uidemus, eosdem esse presbyteros, episcopos & pastores: deinde in una & eadem ecclesia simul & coniunctim plures fuisse episcopos, idq; à spiritu sancto positos, quemadmodum ex eo quoq; uidere est, quod Philip. 1. legimus: Paulus ac Timotheus serui Iesu Christi omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, unà cum episcopis ac diaconis. Ecce & Philippis plures simul erant episcopi. Erant autem illi seniores ecclesiæ. Et ubi in epistola ad Titũ, cap. 1. legimus: Huius rei gratia reliqui te in Creta, ut quę desunt, pergas corrigere, & cõstituas oppidatim presbyteros, sicut ego tibi ordinarã. Si quis est inculpatus, &c. Oportet enim episcopum inculpatũ esse, &c. an non hic quoq; uidemus, eundem esse presbyterum & episcopũ? Et 1. Petr. 5. loco suprà citato tres hæ uoces πρεσβυτέρους, ποιμάνατε, & ἐπισκοποῦντες, ad eosdem ab Apostolo scriptę leguntur: unde uideas Apostolorum tempore in ecclesia Christi eosdem fuisse presbyteros, pastores, & episcopos. Quod sic cui lubet, legat hac de re Distinctione 93. Can. Legimus, quæ ex scriptis Hieronymi citantur.

Vsus seniorum in ecclesia. Est itaq; prorsus indubitatũ in prima & Apostolica ecclesia sic fuisse per Apostolos dispositum, ut seniores ecclesiæ ἐπισκοποῦντες, id est, gregis Dominici curam gerentes, cõmuni opera ministeria docendi ac regendi obirẽt, essentq;, ut ita dicam, ἀνέφαλοι, id est, nulli capiti ac prędi subiecti: quales hodie quoq; in nonnullis ecclesijs uerbi ministri reperiũtur, inter quos nemo cæteris est superior officio & potestate, etiamsi alius alio sit uel eruditione, uel dono sermonis, aut sapientiæ potior. Verùm post Apostolorum tempora, cum inter seniores ecclesiarum, sicuti Hieronymo placet, dissensiones & schismata subnascerentur, & ut mihi uero simile est, tentatio illa de maioritate mẽtes seniorum pastorum ac doctorum inuaderet, paulatim cœpit de numero seniorum unus aliquis eligi, qui reliquis pręponeretur, & in sublimiori gradu positus, Episcopus nominaretur: atq; ita quod cæteri antea communiter, ipse solus ac singulariter uocaretur. Profuerit ne, uel secus consiliũ hoc ecclesię Christi, quo tales sunt episcopi, magis consuetudine, ut Hieronymi uerbis utar, quàm Dominicę dispositionis ueritate introducti, qui maiores essent presbyteris, melius est posterioribus seculis declaratum, quàm dum hæc consuetudo primùm introduceretur, cui debemus omnem illam principalium & equestrium episcoporum insolentiam, opulentiã ac tyrannidem, imò omnium ecclesiarum Christi corruptionem, quam si Hier. cerneret, dubio procul consiliũ agnosceret non spiritus sancti ad tollenda schismata, sicuti prætexebatur, sed ipsius satanæ, ad uastanda ac perdenda prisca pascendi Dominici gregis ministeria: quo fieret, ut haberet ecclesia nõ ueros pastores,

doctores,

doctores, presbyteros & episcopos, sed sub nominum istorum laruis, ocioſos uentres, ac magnificos principes, qui non modò non pascant ipsi populum Domini doctrina sana & Apostolica, sed & improbissima uiolentia caueant, ne id per quenquam alium fiat. Hoc scilicet cõsilio satanę factum est, ut habeant ecclesiæ pro episcopis potentes dominos ac principes, magna ex parte ex ordine nobilium ac satraparum seculi delectos, qui cùm suapte tum cognatorum potentia suffulti, pro arbitratu suo in grege Dominico dominentur. Verùm relictis illis, redeamus ad ueros diuini uerbi ac Christi ministros.

Duo genera uerorum Christi ministrorum.

Horum duo sunt genera. Vnum eorum, qui principijs euangelicæ dispensationis singulariter deputati fuerunt, utpote Apostoli, prophetæ & euangelistæ. Hi nullis fuerunt certis ecclesijs constanter addicti. Alterum eorum, qui ad ordinem pertinent ministerij, quo per omne noui Testamenti tempus populus fideliũ regendus est, ac pabulo uitę pascendus: ut pote pastores, doctores, presbyteri & episcopi. Isti certis ecclesijs deputantur, & officium eorum est, ut prædicent euangelium Dei, doceant errantes, corripiant peccantes, erigant infirmos, resistant contradicentibus, & mysteria gratiæ à Christo data, ecclesijs dispensent. Episcopis illis, qui Apostolorũ tempora sequuti sunt, prescribebatur munus huiusmodi ἐπισκοπῆς ad populum, sacra administrare, pœnitentiam dare, curam cleri & populi gerere tam in ciuitate, quàm in agro, ordinare, uisitare, ut res ecclesię ritè seruẽtur ad dispensentur curare, deniq; patrocinia reorũ apud principes suscipere. Quòd si in hac statione episcopi mansissent, melius haberent ecclesię, uel si nostrorum temporum pastores ac prælati ad hasce canonicas normas redirẽt, spes esset, fieri posse ut status & ordo ecclesiasticus reformaretur, presentiumq; temporũ controuersię luce uerbi Dei è medio tollerẽtur. Apostolus requirit ab episcopo Tit. 1. ut sit tenax fidelis sermonis, qui est secũdum sanam doctrinã, ac potens exhortari per doctrinam sanam, & conuincere contradicentes. Et ad Tim. Epist. 1. cap. 3. Vt sit aptus ad docendum. Et ca. 4. Vt attendat lectioni, exhortationi & doctrinę. Et cap. 5. Vt peccãtes coram omnibus arguat, quo cæteri timorem habeant. Item, Ne manus citò cuiquam imponat, hoc est, ne quemuis temerè ad ministerium ecclesiasticũ ordinet. Et 2. Tim. 2. Vt rectè secet sermonẽ ueritatis. Et. cap. 4. Vt prædicet sermonem, instet tempestiuè, intempestiuè, arguat, increpet, exhortetur cum omni lenitate & doctrina, & opus peragat euangelistæ. Et prima Petri quinto, requiritur à senioribus & episcopis, ut pascant gregem Christi, sintq; illius exemplaria, curam eius agentes non coactè, sed uolentes, &c.

Quid episcopis post Apostolorum tempora præscriptum fuerit.

Quid Apostolus requirat ab episcopo.

Ex his, opinor, satis patet, officium presbyterorum & episcoporum in ecclesia Christi, esse ut doctrina sana pascãt gregem domini, sintq; uerè pastores ac doctores. Simulãt hodie pseudepiscopi curam pastoralem, quando ad peragendũ synaxin episcopaliter, ut putant, uestiũtur. Induunt stolam candidam aliquanto longiorem solito, & accepto cingulo, nõ quali usus est Baptista, sed lineo lumbos cingunt, ac uestem oblongam ac laxam cõstringunt, quo gressum non impediat, atq; ita pulchrè existimant se facere, quod per similitudinem dixit Dominus: Sint lumbi uestri præcincti. Pedibus calciãtur calceis non quotidianis, sed pastoralibus, qualibus uti solent egressuri in campum, uel longius aliquò profecturi. Et sic implent illud Apostoli Ephes. 6. Calciati pedibus, ut parati sitis ad euangelium pacis. Stolæ superimponũt pallium, & mitra oblonga pro pileo pastorali, ueluti contra cœli inclementiam tegunt caput. Ab hac depẽdent duo religacula, quorum usus pastoribus est, ut pileum contra uim uentorũ religare seruareq; possint. Sic induti sumunt baculum pastoralem, quasi iamiam gregem Dominicum educturi ad pascua. Hęc forma uestiendi à Gręcis episcopis usurpata est, ad morem pastorum Orientalium & Asiaticorũ, qui sic uestiuntur, dum pascunt pecudes. Quid fit? Sic indutus laruatus pastor non pascit gregem Domini, quantumuis pastoraliter uestitus, sed sacrum peragit eo gestu, ritu & idiomate, ut omnia sint ecclesię Dei nihil aliud, quàm pompatica quędam & inania spectacula, auro, argento, purpura, byſſo, luminaribus, nolis, campanis, cantilenis, organis musicis, ac regio quodã strepitu sic instructa, ut si ex Apostolis aliquis adstaret, hanc esse episcopalem gregis Dominici pasturam, ne per somniũ quidẽ diuinare posset. Et hæc faciens episcopus, semel atq; iterum in anno munus suum sufficienter adimplet, quicquid interea gerat. Ordinationes ministrorum, & si quid aliud præterea faciendum est, quod habeatur pro ecclesiastico, demãdat partim suffraganeo, partim uicario. Munus docendi iniungit doctori uel monacho cuipiam, sic adiurato, ut ne hiscere quidem ausit, præterquã quod conceptis est legibus præscriptũ. Quid interea presbyteri? Horum alij sunt canonici, id est regulares, alij irregulares. Vtriq; nihil faciunt aliud in ecclesia Dei, quàm quod cantillant & missant, palàm cõtra id facientes, quod à Gregorio papa, lib. 4. cap. 88. in Registro prohibitum est, ne quis psalmos in ecclesia cantet, nisi inferiores ordines, utpote subdiaconi: diaconi uerò lectioni & prædicationi incumbant. Si diaconis inconueniens est cantare in ecclesia, quanto quæso magis hoc dedecet presbyteros? sic neq; Apostolicum canonem, neque pontificium decretum seruant.

Epiſcopi laruati.

Gregorius papa de cantu ecclesiastico.

Veniamus ad eos ministros, pastores & episcopos, qui diuersi ab istis, nihil aliud faciũt in ecclesia Christi, quàm quod prædicant & docent. Habent isti certos dies per septimanã, qui

De quibusdam Euangelij ministris.

Obſeruent hũc locum diligenter Euangelij miniſtri.

bus concionentur. Rectè hoc quidem. Docent non aliunde, quam ex ſacris ſcripturis. Et hoc probatur. Illud uerò probandum non eſt, quòd ex horum numero admodũ multi nec ex animo, ſed perfunctoriè ac frigidè dicunt, ut conueniat ipſis quod Seneca alicubi dicit: Animũ non faciunt, quia animum non habent: & illud oratoris Romani, Tu ſi ex animo diceres, nun quid ſic diceres? Nec uerbum Domini pertinenter & utiliter ſecantes ad ædificationem audi torum accommodant, ſed admodum ſeſe officium adimpleſſe putant, ſi utcunq; ad horam di xerint. Et interea ſtudia & facta populi non obſeruant, multo minus corrigunt, neq; curant, quàm promoueat populus in ſcientia Dei, fide Chriſti ac uera pietate: neq; ipſi lectioni ſacra rum ſcripturarum attendunt, neq; authores ſunt populo, ut illas domi legant, nec rationem habent pauperum & peregrinorũ, nec uiſitant ęgrotos, parum ſoliciti quomodo illi & qua fide ex hac uita diſcedant, atq; ita nec fideliter, nec prudenter, adeoq; nec utiliter in miniſterio Chriſti uerſantur. Magni ſanè momenti eſt, quòd nec peregrina dogmata in eccleſia Chriſti ſpargũt, ſed doctrinã ex ſacris ſcripturis deſumptam proponunt: nec ritus ſuperſtitioſos uſurpant, ſed ſimplici adminiſtratione ſacramentorũ, ſecundum conſuetudinem primæ eccleſiæ contenti ſunt: uerùm in eo culpabiles deprehenduntur, quòd recta & utilia nõ ex animo, ſed obiter peragunt, & quę iuxtà fideli ſunt facienda miniſtro, prorſus negligunt. Dum ſic miniſtrant, haud quidem ſuperſtitiones & errores inducunt in eccleſiam, id quod ſeculis eſt præcedentibus factum: interea tamẽ in diuerſum latus inclinantes cauſas obijciunt populo, quibus paulatim incidat in adiaphoriam religionis omnium peſtilentiſsimam, & Epicuriſmum imbibat, omnis religionis uidelicet uaſtationem & extinctionem. Sub horum miniſterio nemo uereatur, ne naſcantur hypocritę ſuperſtitioſi, cultores ſimulacrorũ & iuſticiarij. Hac ſolicitudine abundè liberant & ſe & alios. Quòd ſi hoc beneficium uniuerſum Chriſtianiſmum includeret, eſſent prorſus inculpabiles. Iam quum nõ modò id requiratur à fidelibus, ne ſint ſuperſtitioſi, hypocritę, iuſticiarij & cultores ſimulachrorum, ſed & ut ſint uerè fideles, ſani in fide Chriſti, in timore Dei, in ſpe & charitate, ac nouitate uitę: puto nimis eſſe manifeſtum, quàm non ſit hoc genus hominum in miniſterio Chriſti inculpabile. Quare illos obteſtor in Domino, ut miniſterium ſuum non dimidiato, ſed ad plenum obire implereq; ſatagant.

De diaconis.

Hactenus de officio miniſtrorum uerbi pauca quędam, quę neceſſaria uidentur admonuimus. Prętер hoſce fuerũt ſub Apoſtolis primùm Hieroſolymis electi & ordinati diaconi, quorum uſus & in reliquas eccleſias translatus eſt, poſtea uerò primaria inſtitutione obſoleta nomen inane remanſit. Primęua autem illorum inſtitutio Act. 6. ſic habet: Creſcente numero diſcipulorum ortum eſt murmur Gręcorum aduerſus Hebręos, eo quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano uiduę ipſorum. Cęterùm duodecim illi cùm iuſſiſſent adeſſe multitudinẽ diſcipulorum, dixerũt: Non eſt placitum, ut nos derelicto ſermone Dei miniſtremus menſis. Circumſpicite ergo fratres, uiros ex uobis ſpectatæ probitatis ſeptẽ, plenos ſpiritu ſancto & ſapientia, quibus delegabimus hoc negocij. Nos uerò deprecationi & adminiſtrando ſermoni incumbemus. Et placuit hic ſermo coram tota multitudine. Et elegerunt Stephanum, &c.

Diaconi fuerunt miniſtri pauperum.

Ergo diaconi, id eſt miniſtri, ad hoc inſtituti fuerunt, ut in quotidiano, alimonię uidelicet, miniſterio ſeruirent menſis, ne Apoſtoli à miniſterio uerbi impedirentur. Hi fuerunt eleemoſynarij diſpenſatores eorum, quę in ſubſidia pauperum, peregrinorum, uiduarum ac pupillorũ à fidelibus in conuentibus eccleſiaſticis, & aliàs offerebãtur. Euſebius in hiſtoria Eccleſ. prę fuiſſe eos publicis eccleſiæ rebus dicit. Poſtea cœperunt in eccleſia canere, ſicut in hiſt. Athanaſij uidere eſt, & ex decreto Gregorij patet, cuius ſuprà facta eſt mentio. Ad hæc quoniã in priore forma euchariſtię diſpenſandę, collectę fiebant, & egenis diſtribuebantur, idq; per diaconos perficiebatur, factum eſt ut adhibiti ſint ad diſpenſationem ſacramenti. Deinde cœpit illis iniungi munus euangelium in ſynaxi legendi uel cantandi. Tandem etiam prędicationibus publicis ſunt præfecti. Sic factum eſt, ut hodie diaconi in eccleſia multum ſint à prima inſtitutione diuerſi. Apoſtoli nolebant publicis rebus occupari, ſed id muneris ponebant in humeros diaconorũ, quo ipſi precationibus & uerbi miniſterio incumbere poſſent. Hodie ſucceſſores Apoſtolorum, relicto uerbi miniſterio, quod olim in uſus pauperum diaconorum erat munus, hoc ad fomenta libidinis ſuæ uſurpant ipſi. Et utinam eccleſię, quas uocant euangelicas, diaconatum ſuo loco habeant.

Temerariũ eſt ſi quis ſeipſe ingerat in miniſterium.

DE ELECTIONE ET ORDINATIONE *miniſtrorum uerbi.*

Duplex electio miniſtrorum.

QVoniam inconueniens eſt & inferendę temeritatis, ſi quis ſibijpſe honorem miniſterij Dei uindicet, cum ne Chriſtus quidem ſeipſe clarificauerit, ut pontifex fieret, Ebr. 5. cõ ſequẽter uidendum eſt de electione & ordinatione miniſtrorum. Diximus ſuprà, duo eſſe genera miniſtrorum uerbi. Secundum horum diuerſitatem duplex eſt etiam illorum electio: una planè diuina, altera eccleſiaſtica. Diuina eſt, qua electi fuerũt à Deo, Moſes, Aaron, Prophetę, Baptiſta, Chriſtꝰ, Apoſtoli. Hoc genus electionis perficitur partim opera & afflatu

ſpiritus

ſpiritus ſancti: ſic prophetę partim cœlesti oraculo, ſic Moſes & Aarō: partim à Domino ipſo, ſic Apoſtoli fuerūt electi. Eccleſiaſtica electio eſt, qua nec prophetæ, nec Apoſtoli, ſed ſeniores, epiſcopi, paſtores ac doctores ad opus miniſterij eliguntur. Horū electionem à conſuetudine primæ eccleſiæ degeneraſſe uidemus. Cùm in locū Iudæ ſubrogandus eſſet aliquis qui numerum duodenarium adimpleret, adhortante Petro factum hoc in medio fratrū, id eſt, diſcipulorum & credentium, qui tum numero circiter centū uiginti aderant. Factum eſt autem hoc modo. Delegerunt ex eo numero duos, dubio procul, quos exiſtimabant utroſq; non inidoneos fore ad id miniſterij, Ioſephū uidelicet, qui uocabatur Barshabas, & Iuſtus cognominabatur, & Mathiam. Hos ſtatuerunt in medio fratrum, & pręmiſſa ad Deum precatione orantes, ut ille quem ſibi eligeret, oſtenderet, ſortem miſerunt, ſeruantes morem ueterum, & cecidit ſors ſuper Mathiam. Hunc itaq; cōnumerarunt cum undecim Apoſtolis. Deinde cùm eligendi eſſent diaconi, conuocarunt Apoſtoli multitudinem diſcipulorum, iuſſeruntq; ut ex ipſis eligerent uiros ſeptem, plenos ſpiritu ſancto ac boni teſtimonij. Elegerunt, & electos ſtatuerunt in conſpectum Apoſtolorum, qui orantes ad Deum, manus illis impoſuerunt. Sic eligebantur illi quoq; in conuentu fidelium, & electi per Apoſtolos, impoſitis manibus ordinabantur. Hunc eligendi & ordinandi modū dubio procul in uſu retinuerunt Apoſtoli. Quare quod Act. 14. legimus Paulum & Barnabam Iconij, Lyſtræ & Antiochię presbyteros conſtituiſſe, non eſt aliter intelligendum, quàm quòd id factum ſit in conuentu fidelium, quos prę-ſentes in fide confirmabant. Huius rei ſatis manifeſtum eſt ex eo indicium, quod Lucas dicit: Et cùm cōſtituiſſent illis per ſingulas eccleſias presbyteros, & oraſſent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderant. Ergo ieiunātes & orantes, quod in cœtu fidelium fieri ſolebat, ordinarunt presbyteros, à fidelibus electos: & poſt eam ordinationē commendauerunt eccleſiam Domino, ac diſceſſerunt. Hanc formam eligendi & ordinandi presbyteros & epiſcopos cōmendauit etiam cooperarijs ſuis Apoſtolus, Tito ac Timotheo. Sic Tit. primo dicit: Huius regi gratia reliqui te in Creta, ut ea quę deſunt, corrigas & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi. Quis enim credat aliter illū diſpoſuiſſe Tito, quàm ipſe ac reliqui Apoſtoli habebant in uſu?

Degeneratio electionis à cō ſuetudine primæ eccleſiæ.

Exemplo itaq; & diſpoſitione Apoſtolica in prima eccleſia presbyteri, paſtores & epiſcopi, diaconi quoq; ab ipſa plebe in cōuentu eccleſiaſtico per χειροτονίαν, id eſt, eleuationem manuum eligebantur: quam uocem Lucas Act. 14. & Paulus 2. Cor. 8. uſurparūt: atq; ita legitimè electi ab epiſcopis & ſenioribus, qui electioni aderant, oratione & impoſitione manuum confirmabantur & ordinabantur. Et hæc forma electionis ad Cypriani uſq; tempora in eccleſijs durauit, id quod ex ipſius uerbis uidere licet. Sic enim lib. 1. epiſt. 4. ſcribit: Propter qđ plebs obſequēs præceptis Dominicis, & Deum metuens à peccatore præpoſito ſeparare ſe debet, nec ſe ad ſacrilegi ſacerdotis ſacrificia miſcere, cùm ipſa maximè habeat poteſtatē uel eligēdi dignos ſacerdotes, uel indignos recuſandi. Quod & ipſum uidemus de diuina authoritate deſcendere, ut ſacerdos plebe pręſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus atq; idoneus publico iudicio ac teſtimonio comprobetur, &c. Et paulo pòſt, Vt plebe pręſente uel detegātur malorum crimina, uel bonorum merita prędicentur, & ſit ordinatio iuſta & legitima, quę omniū ſuffragio & iudicio fuerit examinata, quod poſtea ſecundū diuina magiſteria obſeruatur in Actis Apoſtolorū. Et ibidē: Propter quod, inquit, diligēter de traditione diuina & Apoſtolica obſeruatione ſeruandū eſt & tenendū, quod apud nos quoq;, & ferè per prouincias uniuerſas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrādas ad eam plebem, cui præpoſitus ordinatur, epiſcopi eiuſdē prouincię proximi quiq; cōueniāt, & epiſcopus deligatur plebe pręſente, quę ſingulorū uitā pleniſsimè nouit, & uniuſcuiuſq; actū de eius cōuerſatione perſpexit. Hęc ille.

Per χειροτονίαν eligebantur miniſtri.

Cyprianus.

Et Diſtinct. 23. Can. In nomine Domini, &c. ſic legitur: Certus ac legitimus electionis ordo perpenditur, ſi perſpectis diuerſorum patrum regulis ſiue geſtis illa beati Leonis papę prędeceſſoris noſtri ſententia recolatur. Nulla, inquit, ratio ſinit, ut inter epiſcopos habeantur, qui nec à clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à comprouincialibus epiſcopis cum metropolitani iudicio conſecrati.

Canones.

Et Can. ſequenti, Qui epiſcopus: Cum in his omnibus, inquit, examinatus fuerit inuentus plenè inſtructus, tunc cum omni conſenſu clericorum & laicorum, & cōuentu totius prouincię epiſcoporum, maximeq; metropolitani uel authoritate, uel præſentia ordinetur epiſcopus, &c. Vide etiam Diſtinctionem ſexageſimamtertiam ſacrorum Canonum.

Ad hunc itaq; modum eligebantur olim presbyteri, epiſcopi & diaconi, quem eccleſiæ in uſu retinuerunt uſq; ad tempora Chriſtianorum principum & magiſtratuum, quorum conſenſus ad electionem epiſcoporum requirebatur. nec immeritò. Non enim conuenit, ut quæ publicè ſunt agenda, deinde & plebem ipſis ſubiectam publicè concernunt: deniq; talia ſunt, ut etiā religionis gratia ad ipſos pertineant (niſi dicturi cum phanaticis Anabaptiſtis ſumus, principes & magiſtratus Chriſtianos eſſe, & ad eccleſiam fidelium pertinere non poſſe) ſine ipſorum cōſcientia & cōſenſu perficiantur. Paſſus eſt hoc Romanus pontificatus, donec cōmodum uiſum fuit, ut electio epiſcopi Romani citra Romani imperatoris cōſenſum nihil ha-

Cōſenſus principum ac magiſtratuum.

Imperatori ius fuit eligendi Rom. Pontificem, quod postea cassatũ est.

beret roboris. Sic Imperatori datur eius eligendi pontificem, Distinct. 63. Can. Adrianus papa: & electio Romanorum pontificum à Ludouico conceditur Romanis, Distinct. eadem. Vbi uerò iudicarunt consensum hunc Imperatoris non respondere ipsorum uotis, prærogatiuam Romanæ & Apostolicæ ecclesię astu satanę cõfictam prętexentes, etiam hanc consuetudinem & ius Imperatorum, perinde atq; ius plebis respuerunt. Et hoc audacius fecerunt, ubi aliorum regum & principũ animos sibi deuinctos habuerunt. Sic tandem crescente sub Christianis principibus episcoporum potentia, pariter & quęstu, ac simul obruentibus ecclesiam dissensionibus ac schismatum studijs, uetus illa, primæua, diuina, Apostolica & legitima ministrorum uerbi electione & ordinatione repudiata, cœperunt ecclesijs obtrudi homines incogniti populo, non ritè electi, sed uel studijs partium, uel arbitratu principum, aut episcoporum interdicente fauore, prece, precio, introducti: qua de re hæc nostra tempora abundè testantur. Sic agasones Romanorum carnalium, cortisani, lenones, milites, &c. in Germaniã ad occupandas ecclesias, pręsertim opulentas, mitti uidimus, quorum nunquam ulla cognitio ad plebem Christi peruenerat. Et hoc catholicum omnino factum est, ut iam nulla sit in

Quomodo legitima electio repudiata sit.

Ad Nepotianũ de uita clericorum.

Romanis ecclesijs ministrorũ uerbi electio: quod & Hieronymus suo tempore cœpisse conquestus est, ubi dicit: Multi ecclesias ædificant, & columnas substruunt, &c. ministrorum uerò Christi nulla est electio. Curritur ad suffraganeos episcoporum certis anni temporibus, & allata qualicunq; pecunia unguntur & ordinantur à nemine electi. Et episcopi citra legitimã electionem, à solis Cenonicis in latebris citra conscientiam plebis eliguntur. Et ipsa ordinationis prisca simplicitas in nescio quàm est pompã secularem, magis quàm Christianam mutata. Verùm quid refert, quomodo & à quibus ac quales ordinentur, qui non ad ministerium uerbi, hoc est, ad pascendum, sed ad deglubendum oues Christi, & non Christo, sed Romanæ curię, suoq; ipsorum uentri seruituri ordinantur? Neq; enim tam refert à quibus & quomodo, quàm ad quid ministrorum fiat electio. Ipsi ecclesiastici status, ordines, doctrina, ritus, sacra & ministeria ab institutione Dominica degenerarunt, quid mirum si & electionum & ordinationum mutatæ sunt formæ?

Hodie non refert, quomodo & quales ordinentur.

Obiecto de ecclesijs Euangelicis.

Sed obiecerit forsan ecclesias eas quisquam, quæ nostra ętate cùm quæ in doctrina & religione Christiana desiderabantur reformasse uideri uelint, & ipsæ non adhibita plebe ministros uerbi eligunt, sed à magistratu traditos accipiunt. Cogor hac de re quid sentiam dicere, haud propter eos, qui hoc nobis obijciunt, sed propter rudiores & imbecilliores, qui licet in uerbo Domini fideliter ministrent, de uocatione sua tamen subinde addubitare solent, sitne legitima, uel secus, propterea quòd non sunt electi & ordinati ad formam Apostolicam, qua olim usæ sunt ecclesiæ. Planè fatendum est, fuisse olim ministros Christi præsente & consentiente plebe electos, & à senioribus per impositionem manuum ordinatos & confirmatos, quemadmodum suprà ostendimus: deinde & eam eligendi formam esse Apostolicam & legitimam: tertiò, conformem esse libertati ac potestati ecclesiæ, cuius Cyprianus meminit: eam uerò, qua plebi Christi cœperunt obtrudi homines non ab ipsa electi, cõuenire ecclesiæ non liberæ, sed seruituti subiectæ: quartò pulchrè ad hoc facere, ut & minister bona cum conscientia præsit gregi Dominico, à quo est in pastorẽ & doctorem & episcopum electus, & grex Domini uicissim illi sese facilius moderandum ac pascendum præbeat, quàm ei qui pręter ipsius est conscientiam, uoluntatem & electionem introductus. Hæc inquam, omnino sunt certa & irrefragabilia. Verùm si consideres diuersum ecclesię statum, cogeris fateri id quod in se Apostolicum, legitimum, usitatum, & liberæ est ecclesiæ conueniens: primis quidem ecclesiæ temporibus prodesse potuisse, nostris uerò non ita. Tum enim nõ erat numerosa adeò plebs fidelium, ut citra tumultum in publicis conuentibus omnium nequiret suffragijs eligi minister, id quod hodie fieret difficillimè. Deinde non erant animi fideliũ catholicis erroribus & falsis cultibus obcæcati, sed hærebant adhuc à doctrina & religione, quam acceperãt ab Apostolis. Quare commodè fieri poterat, ut in medio plebis cõmunibus suffragijs uerus eligeretur Christi minister. Postquam uerò aucta est in immensum credentium multitudo, & cœperunt obtinere in ecclesijs schismata, deinde passim inualuit catholica cæcitas & ignorantia, & amissa Apostolicę doctrinę puritate regnarũt falsa dogmata, & uera religio commutata est uarijs superstitionum generibus, non potuit amplius communi plebis assensu sincerus eligi Christi minister: ut non sit pręter rationem, quòd uetus eligendi forma dudum est in Romanis ecclesijs callido episcoporum studio repudiata, & ne in Euangelicis quidem statim restitui potuit, propterea quòd non potuit confestim haberi communis & catholicus plebis consensus ad eligendum Euangelicæ doctrinæ ministrum. Quapropter pro conditione temporum ipsa requirebat necessitas, ut paucorum hominum opera, qui iudicio pręualerent, & ecclesiæ Christi consultum cuperent, Magistratus & principes ad hoc inducerentur, ut subditis suis fideles ac doctos pastores præficerent, qui illos uerbo uitæ ad ueram Christi cognitionem instruerent, quantumuis multi adhuc essent, qui doctrinam ueritatis auersarentur. Propter hasce temporum circumstantias, ut non potest in omnibus statim ecclesijs Apostolica electionis & ordinationis forma restitui: ita non est, quur minister Christi à pio Magi-

Cõsuetudinem apostolicarum ecclesiarum hodie prodesse ecclesijs nõ posse.

Necessitas nostrorum temporum.

stratu

ſtratu uel Principe ad prædicandum Euangelium uocatus, de uocatione ſua, ſit ne recta & Chriſtiana uocatus, hæſitet ac fluctuet: ſed cogitandum eſt, ubi corruptus eſt eccleſiæ ac religionis ſtatus, alium eſſe quærendum modum rebus corruptis conſulendi, quàm eum qui uſitatus fuit in eccleſijs, quum omnia eſſent ſalua & integra.

Qui legitimè uocati nõ ſunt, quæſtionem de uocatione mouent.

Qui magis epiſcoporum authoritatem, quàm fidelium ſalutem defendere moliuntur, ubi miniſtros Chriſti à Magiſtratu uocatos, de doctrinæ falſitate conuincere nõ poſſunt, quæſtionem ipſi nec electi legitimè, nec uocati, de uocatione mouent, dicẽtes: Quis te Suffraganeus in ſacerdotem ordinauit? Quis Epiſcopus ad munus eccleſiaſticũ uocauit? Sic Chriſtum ſacerdotes interrogabant in templo: Qua poteſtate hæc facis? & quis dedit tibi hanc poteſtatem? quaſi dicerent: Templi huius poteſtas ac ius docendi penes nos eſt. Quæ facis, nõ facis poteſtate legitima. Non de ipſo facto quæſtionem mouebant, quod culpare non poterãt, ſed de poteſtate calumniam ſtruebant. Conſimili modo & iſti, quoniam nec manifeſtos errores & abuſus authoritate uerbi Dei tueri, nec doctrinam ueritatis de mendacio redarguere poſſunt, confugiunt ad poteſtatem & authoritatem epiſcopalem, perinde ac ſi hanc inculpatã ac legitimã poſsideant, cùm nec officium epiſcopale adimpleant, nec poteſtatem uerorum epiſcoporum habeant. Quapropter nec iſtorũ latratus alicuius faciat uerus ac ſincerus Chriſti miniſter, ſed teſtimonio conſcientiæ ſuæ, ac uocatione qua per legitimum Magiſtratum uocatus ad munus docendi peruenit, contentus, alacri ſpiritu in opere Domini pergat.

Quæ conſuetudo ſit eligendi miniſtros in eccleſia Bernatũ.

Quoniam autem in hanc materiam incidimus, arbitror haud fore ingratum lectori, ſi commemorẽ, quomodo in celebri hac Bernenſi eccleſia eligantur & confirmẽtur uerbi miniſtri. Vbi neceſsitas eccleſiæ hoc requirit, ut miniſter eligatur, denunciatur miniſtris uerbi à Senatu, ut circunſpiciant de aliquo, quem idoneum fore iudicent, & hunc communibus ſuffragijs eligant, deq; eo ad Senatum referant. Si talem ab illis eligi contigerit, cuius fides, eruditio & doctrina non ſit ſatis conſpicua, remittitur à Senatu ad miniſtros, ut examinetur, & facto examine, referatur denuò ad Senatũ, qualis eſſe uideatur, idoneús ne, uel ſecus. Si idoneus, confirmatur à Senatu illius electio, ſi mittendus ſit ad eccleſiã aliquam in agro: ſi uerò in ipſa eſt ciuitate miniſtraturus Domino, defertur illius electio ad maiorem Senatũ, qui conſuetis Senatoribus, & numero aliquo ciuium ex plebe conſtat. Hic colligũtur ſuffragia per χειροτονίαν, quibus is qui electus eſt uel confirmatur, uel repudiatur. Sic electio quidem penes miniſtros uerbi eſt, confirmatio uerò penes Senatum. Miniſter electus, & à Senatu confirmatus, ſi miniſtraturus eſt in agro, literas à Senatu acceptas, defert ad eius loci præfectum: deinde ubi commodum eſt, eccleſiæ in qua eſt Domino ſeruiturus, ſiſtitur & præſentatur. Præſentatur autem non ſine authoritate Senatus & eccleſiaſtici ordinis. Mittuntur enim ad eam præſentationẽ Senator aliquis & uerbi miniſter, qui pro concione publica electum paſtorem plebi præſenti deputat & commendat: idq; non ſine precibus ad Dominum, ut ille miniſtro ſuo toto miniſterij illius curſu gratia ſpiritus ſui adeſſe dignetur, quo eccleſiæ ipſi concreditæ utiliter, & ad nominis ipſius gloriam præeſſe poſsit. Hanc electionis, confirmationis ac præſentationis formam ſic comparatam eſſe cenſeo, ut ſi quod in uſu eſt, cùm ab ipſis miniſtris, tum à Senatu nõ perfunctoriè, ſed ſeriò & ex animo, idq; cum timore Domini, & ſtudio iuuandi eccleſias geratur, nec abſq; fructu, nec citra decorum miniſterij geri poſsit. Quòd ſi ſtudium hoc defuerit, adeoq; eccleſiaſticæ electiones ad debitum finem non peruenerint, dandum erit hoc non ipſi formę eligendi, confirmandi ac præſentandi, ſed ſocordiæ ac ſtupiditati eorum, qui quod utiliter geri poterat, ſuo uicio inutile reddunt.

Addam & illud: Quoniam potens reſpublica Bernatum ditionem habet amplam, & eccleſijs Euangelicis refertam, duo conſtituta habet gymnaſia literaria, in ipſa ciuitate unum, Lauſannæ alterum: in quibus perpetuò iuuenes aliquot ſacris literis candidati numero certo aluntur. Ex his ſumuntur ad Diaconatum in eccleſijs obeundum, ſi qui non inidonei uidentur, atque hi in munere Diaconatus tantiſper exercentur, dum poſcente neceſsitate ad gradum presbyterij aç paſtoratus ſubuehi queant. Præterea aluntur etiam ibi non pauci exules in futuros Eccleſiarum uſus, qui utinam omnes beneficium hoc grato animo agnoſcant. Oro Dominum, ut quæ bene ſunt in hac republica conſtituta, conſtantem, diligentem, fidelem & efficacem perpetuò ſortiantur exequutionem. Hactenus de electione & ordinatione miniſtrorum uerbi.

DE POTESTATE MINISTRORVM.

Controuerſia huius loci.

MAteria hæc mirũ in modum perpetua quadam eſt contentione per eos diuexata, qui magis ad eminentiam ſuperioris poteſtatis, quàm ad legitimã miniſterij diſpenſationem contenderunt, dominari in eccleſia uolentes magis quàm miniſtrare. Et hodie quoq; tentatione hac impetuntur etiam ex illis pleriq;, qui tyrannide Romani pontificis reiecta, eccleſias Chriſti in libertatẽ à Chriſto partã aſſeruiſſe uideri uolunt. Boni aliàs homines, & miniſterio docendi fideliter ac ſeduló incumbentes, exiſtimant hac ſe ratione profuturos

ecclesijs, si ministerium uerbi à contemptu quo passim afficitur ac negligitur, uindicent, ac prisco honori restituãt. His sese rursus haud mali & ipsi docti etiam, & in uerbo Domini laborantes opponunt, metuentes ne per illorum studium ac zelum non satis cautum, ostium paulatim reducendæ in ecclesias pristinæ dominationi aperiatur: hoc est, ne illi authoritate sua, quam ex ministerio uerbi habent, uiam aperiant falsis & infidelibus ministris, potestate per ipsos uindicata in diuersum abutendi. Et hunc metum haud existimant esse uanũ, dum principia Papisticę dominationis respicientes considerant, quàm illa sit specioso prætextu, & magnorum sanctorumq; hominũ zelo statim post Apostolorũ tempora in ecclesias introducta. Sicubi illi contendunt, ministrum esse supra omnes: isti ex diametro obijciunt, ministrũ esse infra omnes. Et huiusmodi dimicationes nonnunquam usq; eò inualescunt, ut pro concione publica ad plebem uerbo Domini pascendam impotẽtius, & nõ sine lœdorijs incredibili detrimento Ecclesiæ prorumpant. Populus carnalis, & libertatem carnis magis quàm spiritus affectans, plausibilius istorum sententiã amplexatur, qui asserunt ministrũ uerbi non modò nõ esse supra omnes, sed & esse infra omnes. Et uereor, ne plus nimio futuri sint infra omnes, qui fideliter Christo seruiũt. Relictis itaq; horũ axiomatis, uel hoc nomine periculosis, qd ad extrema sunt extẽsa, moderatiꝰ de potestate ministrorũ sentiẽdi occasionẽ illis prębere conabimur, qui nõ modò, quæ aliquo sensu recta, sed & quæ utilia sunt ecclesijs, amplecti cupiunt.

An aliqua sit ministris Christi in ecclesia potestas.

Principiò, omnino fatendum est, adiectam esse ministerio uerbi ac dispensationi mysteriorum Dei potestatem aliquam, quę sit utilis, & ad ædificationem efficax, imò saluti nostrę, quę per Christũ est, necessaria. Innuitur illud parabolicôs à Christo ipso, quum Matthæi 24. dicit: Quis putas fidelis seruus est, & prudens, quem cõstituit Dominus super familiã suam, ut det illis cibum in tempore? Significat se daturum discipulis suis potestatem super ecclesiam suã, qualis eorum est, quibus à patrefamiliâs commendatur familia domestica, ut illi cibum competentem subministrent. Et Marci 13. Sicut homo, inquit, qui peregrè profectus reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem, & suum cuiq; opus, & ianitori mandauit, ut uigilaret. Vigilate igitur, &c. Hæc dubio procul sic ad discipulos dixit, ut innueret, quæ futura esset ipsorum cõditio in domo Dei, postquam ab ipsis ad cœlestia migrasset. Et Apostolus cum 2. Corinth. 10. dicit: Etsi amplius quippiam glorier de potestate nostra, quã dedit Dominus nobis in ædificationem, & non in destructionem uestri, non pudefiam. Et cap. 13. Propterea hæc absens scribo, ne cum præsens fuero, rigidus sim iuxta potestatem, quam dedit mihi Dominus ad ædificationem, & non in destructionem, &c. satis perspicuè monet, traditam esse à Domino aliquam potestatem ministris uerbi, si ueri sint, & officium suum fideliter obeant, quæ faciat ad ædificationem, & non ad destructionem.

Quod genus potestatis competat ministris.

Deinde uidendum est, quod genus potestatis ministris uerbi concessum sit à Domino. Arbitror operæprecium hic esse, ut uideamus, quæ nam potestatis genera locũ habeant in hac præsenti causa. Potestas omnis, aut est iuris, aut officij, aut iusti & ęqui: aut liciti, aut facti. Potestas iuris est, qua quis dominium habet in res proprias, suo, non alieno iuri subiectas. Hoc sensu uocẽ ἐξουσίαν usurpauit Petrus Act. 5. cum ad Ananiam de uendito agro diceret: Non'ne prorsus tibi manebat, & uenũdatus ἐν σοὶ ἐξουσία ὑπῆρχεν: id est, in tua potestate erat? Et Apostolus Romanorũ 9. Aut non habet figulus ἐξουσίαν τοῦ πηλοῦ, id est, potestatem luti? Sic potestates uocãtur Principes & dominatores. Hęc potestas iuris tradita est Christo filio Dei à Deo patre. Data est mihi, inquit, omnis potestas in cœlo & in terra. Hãc adimit Petrus ministris Christi, cũ dicit: Neq; ut dominiũ exercẽtes, 1. Pet. 5. & à se reijcit Apostolus, dicẽs: Nõ dominamur fidei uestræ. Et hortatur fideles, ne illis sese subijciant, qui dominiũ in ipsos exercere uolũt, cũ dicit: Nolite fieri serui hominũ. Quare qui hanc sibi potestatem in domo Dei uendicant, hoc agentes, ut non sint ministri Christi, sed domini ecclesię, iniurij sunt cum primis in maiestatẽ Christi, deinde & in Ecclesię libertatem. Quotquot hoc faciunt, omnino pertinent ad regnũ Antichristi, qui in Ecclesia locum Christi occupans, ac cunctã sibi potestatẽ illius uendicans, non hoc tantum nomine, quòd Christo aduersatur, sed & quòd pro illo Ecclesiæ sese obtrudit, rectè Antichristus, id est, aduersarius pariter & uicarius Christi uocatur. Quemadmodũ enim Antistrategos non is tantũ uocatur, qui Duci sese opponit, sed & is qui pro Duce, cum non sit, militibus sese obtrudit ac uenditat: propterea quòd prępositio ἀντὶ Græcis & contra, & pro significat: ita & Antichristus is est, qui & aduersarius est, & uicarius Christi. Quare quisquis in Ecclesia potestatem iuris sibi sumit, ac dominiũ in peculiũ Domini exercet, membrũ & cõsors est Antichristi. Et hi potissimũ sunt, qui hodie pro sede ac potestate Antichristi tuenda, cœlum terra miscent, ne capite nequitiæ huius amisso in ordinem redigantur.

Antichristus.

Potestas iuris duplicis generis.

Est aũt potestas iuris duplicis generis. Alia siquidẽ est data, & aliũde acquisita: alia neq; data, neq; quouis modo aliũde cepta. Prior est Christi filij Dei, q à Deo patre potestatẽ omniũ, q̃ in cœlo sunt & in terra, tãquã unigenitus filius hęreditario accepit. Posterior est Dei patris, qui ex seipso non aliũde potestatẽ habet in omnia, tanquã Dñs in res ꝓprias, & creator in suas creaturas, à quo oĩs est potestas, siue par siue inferior: par in Christo unigenito, inferior in creatis tã cœlestib. q̃ terrenis. uerũ de primaria hac & suprema potestate nõ est ut hic dicam⁹.

Potestas

Potestas officij est, quæ datur ministris ab eo, cuius sunt ministri. Duæ sunt huius partes. Vna est, qua quod Domino ministrant, à culpa temeritatis liberãtur: propterea quòd nõ suopte arbitratu, sed ex impositio officio ministrant. Ab hac potestate alieni sunt, qui currunt cũ pseudoprophetis, cùm non mittantur. Nemo nõ ritè electus & uocatus sine culpa ministrat, etiãsi quę aliàs facienda sunt faciat. Altera potestatis huius pars est, qua quæ minister ex officio facit, rata sunt coram illius Domino, & authentica esse debent coram ijs, quibus est minister à Domino prętectus, haud secus quàm si ab ipso Domino fierent. Vtraque pars pendet à uoluntate eius, cuius est potestas iuris. Hæc facit, ut ministro ab illo electo potestas sit ministrandi, & secundum officij sui qualitatẽ ministrandi. Priorem rectè uocabis potestatẽ ministrandi, posteriorem potestatem sic uel sic ministrandi. *Potestas officij.*

Adhuc potestas hæc officij gemina est: determinata & indeterminata. Determinata est, quatenus præscriptũ habet, cuius limites ministro transgredi non licet: utpote, si legato præscribatur à Principe quid agendum ipsi sit, quid non, determinatã accipit legationis potestatem. Quòd si de suo adiecerit quicquam, uel ademerit, transgressionis notam & culpam incurrit. Indeterminata est, qua in rebus secundarijs, quæ causæ primariæ non officiunt, liberũ est ministro facere & ordinare quæ emolumentis heri sui commoda fore iudicauerit, nisi nominatim sint ab illo prohibita. *Potestas determinata & indeterminata.*

Omnis hæc officij potestas uerissimè competit ueris Christi ministris. Potestatem habent Domino in ecclesia ipsius ministrandi. Potestatem habent omnes qui credunt in Christum, & ex Deo nati sunt, ut sint filij Dei: potestatem uerò ministrãdi in ecclesia Christi non habẽt omnes, sed ij tantùm, qui hanc legitima electione acceperunt. Non debet hæc pars potestatis contemni ab illis qui ad ministrandum Christo ritè sunt uocati. Nec censendi sunt pro ueris Christianis, qui hanc in ministris Christi non suspiciunt. Vbi illa concidit in ecclesia, ut illud Hieronymi, Ministrorum Christi nulla est electio, locum habeat: manifestum cognosce collabentis Christianismi indicium. Hodie de potestate episcoporum, archiepiscoporum, metropolitanorum, patriarcharum & Rom. pontificis admodum multa iactant, qui lucem ueritatis extinguere conantur: qui tamen, si urseris, primam hanc ministrorum Christi potestatem in episcopis illis, archiepiscopis, metropolitanis, patriarchis & Romanis pontificibus, hoc est, Christianæ ecclesię satrapis, nulla diuinę institutionis ueritate comprobare poterũt. Doceãt nos, esse hosce ueros Christi ministros. Non pugno de episcopatu in se, sit ne cõnumerandus ministerijs Christi: sed de eo controuersia est, sint ne tales episcopi, quos nostra secula nimis patienter tolerant, inter ueros Christi ministros numerãdi. Timendum illis planè est, ne sint in die iudicij horrendum illud audituri à Domino: Discedite à me operarij iniquitatis, nõ noui uos. Deinde & alteram potestatis huius partem habent ministri Christi, ut non simpliciter illi ministrent, sed ministrent ei in uerbo gratię, euangelio regni, doctrina uitæ ac ueræ salutis, & dispensatione mysteriorum Dei: quod genus ministerij non statim quibusuis ministris Dei competit. Quis autem dignitatem & excellentiam illius satis perpenderit, nedum uerbis expresserit? Quid est quod eminentia potestatis huius tam uidetur esse uulgaris momenti hominibus illis, qui relicto prædicandi ac docendi ministerio, nescio quam potestatẽ quiduis in ecclesia mandandi cõminiscuntur & usurpant? Vbi maioritas est, inquiunt, ibi est & mandandi authoritas. Quare non sic dicunt, Vbi ministerium Christi est, ibi est docendi ac prædicandi potestas? Et ex eorum quoq; numero, qui euangelium Christi prædicant, pauci sunt, qui potestatem hanc prædicandi uerbum uitæ loco potestatis à Deo datæ habeant, & alicuius faciant. Huic potestati annexum est illud Christi: Qui uos audit, me audit. Et, Quicquid solueritis in terra, solutum erit in cœlis. ac rursus: Quicquid ligaueritis in terra, ligatum erit in cœlis. Idem est ac si diceret: Sic uolo esse ratum uestrum ministeriũ, ut uerbum uestrũ æquè sit authenticũ, ac si à me ipso proferretur: & qui illi credunt, sic uerè soluantur à peccatis in terra, ac si ab illis soluantur in cœlo: rursus, qui non credunt, sic uerè peccatis suis manent obnoxij ac ligati in terra, ac si ligentur in cœlo. *Quæ potestas competat Christi ministris.*

Verùm ista authentica ministerij firmitudo locum habet apud eos, qui in potestate determinata consistunt, nec limites illius excedentes de suo quicquam citra uerbi Dei præscriptũ adferunt. Pendet enim ista authoritas planè à uerbo Dei, quod quamuis ab homine ministro profertur, haud tamen hominis est, sed Dei uerbum, ideoq; non secundum humilitatẽ ministri contemptum, sed secundum maiestatem ac ueritatem Dei diuinam meretur authoritatẽ. Tunc itaq; rectè ac uerè Christus ex ore ministri auditur, quando non suum, uel alterius cuiusquam, sed ipsius Christi uerbum prędicat, atq; ita determinata ministerij sui potestate legitimè utitur. Qui talem ministrum spernit, omnino Christum ipsum spernit. *Determinata potestas.*

Habent etiam ministri Christi indeterminatam quandam potestatẽ, quam in ijs rebus esse dicimus, de quibus nihil est expresso uerbo determinatum à Domino: & tamẽ aliqua ratione ad hoc conducũt, ut ministeriũ ipsorum uel cõmodius, uel utilius impleatur, aut aliàs ad ædificationẽ ecclesiarũ uel sunt utilia, uel etiam necessaria. Quod Apostolos attinet, nõ erat ipsis aliquis locus determinatus, in quo euãgelizarent ac docerẽt: sed mandatũ acceperãt à Domino, ut *Indeterminata potestas.*

no,ut prędicarent Euangelium paſsim in toto orbe, ac docerẽt omnes gentes. Erat itaq; illis hactenus indeterminata prædicandi poteſtas, quatenus ubiq; terrarum nulli eccleſiæ addicti prędicare poterant. Huiuſmodi indeterminata poteſtas erat etiam Euangeliſtis & prophetis: uerùm epiſcopis, presbyteris ac paſtoribus non ita. Nam hi ſunt alligati eccleſijs, quibus legitima ſunt electione & ordinatione deputati. Non conuenit ut epiſcopus poteſtatem miniſterij ſui ad alias eccleſias trâsferat, ſed ut ei fideliter miniſtret, in qua eſt electus ac cõfirmatus: quemadmodum non conueniſſet Apoſtolo apoſtolatum ſuum tranſmutare in epiſcopatũ, & uni eſſe eccleſiæ addictum, id quod falſo tribuitur apoſtolo Petro. Quare uiderint epiſcopi, qui cùm ne uni quidem eccleſiæ legitimè miniſtrent, epiſcopatus ſui poteſtatem nõ ad pauculas aliquot eccleſias, ſed ad integras etiam prouincias extendunt. Legant Chryſoſtomum in epiſtolam ad Titum, cap. 1. Per ciuitates, inquit. Neq; enim profectò uolebat inſulam totam uni uiro permitti, ſed unicuiq; propriam curam ac ſolicitudinem indici. Hæc ille. Hinc uides, quid ſentiendum ſit de eo, quod in Epiſtola Pelagij papę ad hunc modum legitur: Sciote prouinciam eſſe, quę habeat decem uel undecim ciuitates, & unum regem, ac totidẽ minores poteſtates ſub ſe, & unum epiſcopum, aliosq; ſuffragatores decem uel undecim epiſcopos, &c. Hic decem epiſcopi cum ſuis eccleſijs, hoc eſt, integra prouincia, unius epiſcopi poteſtati ſubijciuntur. Tandem factum eſt, ut epiſcopi ciuitatum etiam ipſum epiſcopatus nomẽ amiſerint. Imò eouſq; excreuit impudentia epiſcopalis faſtigij, ut in gulam unius metropolitani epiſcopi inuolent plures epiſcopatus, quales hodie habentur, & Romanus omnes Chriſtiani orbis epiſcopatus & eccleſias patentiſsimo rictu deuoret, uindicãs ſibi uniuerſalem & indeterminatam poteſtatem in uniuerſum gregem Domini, cùm ne uni quidem eccleſiæ ſeruiat, niſi hoc ſit ſeruire, omnium conſcientijs & loculis laqueos inijcere.

Chryſoſtomus

Pelagius papa

Vide Diſtinct. 93. Can. Legimus.

Cyprianus.

Vbicunq; fuerit epiſcopus, ſiue Romæ, inquit Hieronymus, ſiue Egubij, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Rhegij, ſiue Alexandrię, ſiue Thebis, ſiue Guarmatię, eiuſdem meriti eſt, eiuſdem & ſacerdotij. Potentia diuitiarum & paupertatis humilitas, uel ſublimiorem, uel inferiorem epiſcopum non facit. Cęterùm omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. Hæc ille. Et beatus Cyprianus de Simplicitate clericorum: Hoc erant utiq;, inquit, & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio prædíti & honoris & poteſtatis: ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut eccleſia una monſtretur. Et paulo pòſt: Quam unitatem ſimpliciter tenere & uindicare debemus, maximè epiſcopi, qui in eccleſia præſidemus, ut epiſcopatum quoq; ipſum unum atque indiuiſum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei ueritatẽ perfida præuaricatione corrumpat. Epiſcopatus unus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Et libro 2. Epiſtola 1. Cæterùm ſcimus quoſdam, inquit, quod ſemel imbiberint, nolle deponere, nec propoſitum ſuum facilè mutare: ſed ſaluo inter collegas pacis & concordię uinculo quędam propria, quę apud ſe ſemel ſunt uſurpata retinere. Qua in re nec nos uim cuiquam facimus, aut legem damus, cùm habeat in eccleſiæ adminiſtratione uoluntatis ſuæ arbitrium liberum unuſquiſq; præpoſitus, rationem actus ſui Domino redditurus. Et libro quarto, Epiſtola ſecunda & ſeptima, eadem de epiſcopis ſcribit: Neq; hic, neq; Hieronymus cum iſta ſcriberẽt, de poteſtate patriarcharũ, metropolitanorũ, & primatu Romani pontificis cogitarũt, ſed eandem cunctis epiſcopis curam & poteſtatem in ſua cuiq; eccleſia competere ſenſerunt.

Electio Matthiæ & ſeptem diaconorum.

Sed redeamus ad indeterminatam miniſtrorum Chriſti poteſtatem. De conſtituendo aliquo in locum Iudæ, nihil erat Apoſtolis determinatum à Domino, quemadmodum neq; de diaconis, ſenioribus & epiſcopis: & tamen Matthiam conſtituerunt Apoſtolum, & ſeptẽ diaconos eligi curarunt, & Paulus & Barnabas ſeniores eccleſijs ordinarunt, poteſtate uidelicet
1 indeterminata, qua & Tito iniunctum fuit, ut ſeniores & epiſcopos in Creta conſtitueret. Re
2 quirebat hoc eccleſiarum ędificatio & neceſsitas. Hac poteſtate diſpoſuit Paulus, ut una die
3 ſabbathi collectæ fierent in eccleſia Corinthiorum, 1. Cor. ult. Vt frater inter fratres diſsidentes iudicaret, 1. Cor. 6. Ne fidelis cõiunx ab infideli diſcederet, 1. Corint. 7. Vt uir capite nudo,
4. 5 mulier uelato orarent. In cœna Dominica alius aliũ expectaret, & ſignificauit, ſe ubi ueniſſet
6 ad eos, cætera ordinaturũ, 1. Cor. 11. & 1. Cor. 14. cõſtituit, ne quis in eccleſia lingua ignota ſine
7 interprete loqueretur, & ut prophetę duo aut tres dicerẽt, cæteri dijudicarẽt, quę ad tempus
8 illi eccleſiæ ad ædificationem facere poterant. Et eodem cap. Ne mulier doceat in eccleſia.
9 Et 2. Theſſ. ult. Ne fideles cum eo cõmunicẽt, qui ambulat inquietè, & nihil operans curioſe
10 agit. Et 1. Timot. 2. Vt preces & obſecrationes pro omnibus hominibus & principibus quoq;
11 fiant in eccleſia. Et cap. 3. Quales debeant eligi presbyteri & epiſcopi. Et cap. 5. Quæ uiduæ
12 aſſumi, & quæ uitari debeant: deinde, quòd aduerſus presbyterum non debeat accuſatio ad-
13 mitti, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Hæc & alia conſimilia, de quibus nihil erat præſcri-
14 ptum à Domino, conſtituerunt in eccleſia Apoſtoli poteſtate indeterminata, cuius ſcopus eſt, ut in eccleſia fiant omnia ad ædificationem, honeſtè & ordinatè, 1. Corinth. 14. Conſimilis poteſtas conuenit etiam epiſcopis, presbyteris ac paſtoribus: ſed unicuiq; in ſua eccleſia, & in ijs rebus, quę ad ędificationẽ fidelium, honeſtatẽ & ordinẽ ſeruandum conducere poſſunt: ſic tamẽ, ut quicquid inſtituendũ eſt, quod ipſam plebem obſtringat, cũ plebis conſenſu

inſtitua-

inſtituatur, nec diutius in uſu retineatur, quàm donec propoſito reſpõderit, & utile eſſe potuerit. Tyrannidis & affectati dominij ſpeciem habet, ſi paſtor onera, cum Phariſæis ac ſacerdotibus Iudaicis, plebi fidelium citra communem illius conſenſum authoritate, imò magis temeritate propria impoſuerit. Vidit hoc Chryſoſtomus, quamuis magnę ciuitatis epiſcopus. Sic enim ſuper Epiſtolã ad Titũ ſcribit: Nam is qui externè ac mundana poteſtate ſubnixus eſt, quoniam lege imperat, ac neceſſariò illi obtemperatur, meritò ſæpius contra ſubiectorũ uoluntatem atq; ſententiam dominatur. Porrò is qui uolentibus & gratias agentibus præeſſe uult, ſi ea lege præſumit, ut conſilio proprio tantum omnia faciat, quaſi nemini rationẽ reddi turus, tyrannicè potius, quàm populariter huiuſmodi exercet officium. Iã uide nũ quid aliud agat pontificia poteſtas, & an iuxta hanc ſententiam tyrannidis notam effugere poſsit.

Dies precationum.

1 Abſq; ulla tyrannidis ac dominij nota poſſet miniſter Chriſti adhibitis populi ſuffragijs, inſtituere in eccleſia ſibi concredita, ut exempli gratia dicam, dies precationũ & ieiuniorum temporibus calamitoſis, quo diſcant fideles humiliari in conſpectu Dñi, & clementiam illius ambire. Haudquaquam fieret hoc ſine exemplis cùm ueteris, tum noui Teſtamenti eccleſiæ.

Collectæ.

2 Deinde, quoniam conſuetudo hæc & antiqua eſt, & cum primis eccleſiaſtica, ut publicæ fiant collectæ, hoc eſt, uoluntariæ fidelium cõtributiones, quibus egeni tam peregrini quàm indigenæ ſuſtententur: arbitror & hoc eſſe in poteſtate miniſtrorum, ut in cœtu eccleſiaſtico per ſuffragia plebis, & ordo huius inſtituti & modi & diaconi conſtituantur, quorum fide ac cura hæc quoq; pietatis pars perficiatur. Huius rei exempla ſunt in Actis, in epiſtolis Pauli, in hiſtorijs Eccleſiaſticis, & in Apologetico Tertulliani.

Diſciplina eccleſiaſtica.

3 Tertiò, ad eandem quoq; indeterminatam miniſtrorũ poteſtatem pertinet, neceſsitas diſciplinæ eccleſiaſticæ, ſine qua uerum pietatis ſtudium retineri in plebe non poteſt. Hęc diſciplina includit correctionem morũ, cùm priuatorum, tum publicorum: deinde & iudicia eccleſiaſtica, quorũ mentio fit in Apologetico Tertulliani. Hiſce quoq; de rebus non conſtituet miniſter ſuopte arbitratu, ſed erit ad inſtitutionem earum director, & adhibebit ſuffragia & conſenſum ſuæ plebis, ne quicquam inuitæ eccleſiæ imponatur. Deniq; curabit, ut plebs ipſa uiros graues, timentes Dei, ac boni teſtimonij deligat, quorum cura & uigilantia diſciplina eccleſiæ adminiſtretur, & ſi quid grauioris momenti accidat, ad ipſam eccleſiã referatur. Hęc tamen omnia, quæ ad indeterminatam poteſtatem referimus, ad illas tantùm pertinent eccleſias, quæ Chriſtianum magiſtratũ non habent, quales erant olim, priuſquam principes Chriſtiani fierent. Plurimum nanq; diſcriminis eſt inter eccleſias illãs, quę Chriſtianum magiſtratum non habent, ſed ſubiectæ ſunt infidelibus, & eas quarum principes ac magiſtratus Chriſtiani ſunt & ipſi, adeoq; ad corpus eccleſiæ pertinẽt, & Chriſto Domino, etiã magiſtratus ſui officio, ſeruiente: corruptis ſubditorum ſuorũ moribus & flagitijs, legitimè & competenter reſiſtunt. Non poteſt autem hic certi quicquam præſcribi, ſed fideles & prudẽtes miniſtri pro conditione temporum, publici ſtatus, ac neceſsitatis eccleſiaſticæ diſciplinam hanc ſic attemperabunt, ut omnia decenter, honeſtè, & ad ædificationem eccleſiæ inſtituantur.

Exceptio.

Conuentus eccleſiaſtici.

4 Quartò & illud conſtituet miniſter adhibito plebis conſenſu, quoties, & quibus in ſeptimana diebus congregandi ſint conuentus eccleſiaſtici, ad audiendum uerbum uitæ, & orandum ac pſallendum. Nam & hic quoq; opus eſt, ut nihil proprio arbitratu cõſtituat, ne plebs non ſuapte ſponte, ſed ad miniſtri arbitrium ad conciones eccleſiaſticas coacta, uel negligentius conueniat, uel animis & auribus adſit inuoluntarijs, ideoq; & minore cum fructu diſcedat. Huc etiam referenda ſunt, quæ ordinem concernunt baptizandi, cœnam Dominicam celebrandi, nuptijs benedicendi, ac mortuos ſepeliendi.

Miniſterium prædicandi, legendi, pſallendi, catechizandi.

5 Quintò, quæ miniſterium prædicandi, legendi in eccleſia, pſallendi & catechizandi concernunt, puto ea ſine iniuria plebis ab ipſo miniſtro pro cõmoditate ſua & eccleſiæ poſſe conſtitui. Et hactenus obiter quidem de poteſtate miniſtrorum, tam determinata, quàm indeterminata: uerùm ea commemorauimus, quæ etſi in ſe non ſufficere uidentur uſibus & neceſsitatibus eccleſiæ, ad hoc tamen conducere poſſunt, ut ubi non eſt omne pietatis ac religionis ſtudium extinctum, per ipſa poſsint ad ulteriora quoque fieri progreſſus. Quare progrediamur ad reliqua poteſtatis genera.

Poteſtas iuſti & æqui.

Poſt poteſtatem iuris & officij, diximus eſſe poteſtatem iuſti & æqui. Hac licet uti miniſtro in ijs, quę ipſi ex iuſto & ęquo debentur. Debetur autem miniſtro primùm uictus neceſſarius & honeſtus, unde non modò uiuat ipſe cum domeſticis ſuis, uxore & liberis, ſed & ſuppetat ipſi ad accipiendum peregrinos & fratres. Iuſtum hoc eſſe & æquum non ſolùm communi ſenſu & exemplis ueteris Teſtamenti, ſed & ipſius Domini uerbis, & apoſtolico quoque teſtimonio comprobatur: Dignus eſt, inquit Chriſtus, operarius cibo ſuo, Matthæi 10. & Apoſtolus 1. Corinth. 9. An non habemus poteſtatem, inquit, manducandi & bibendi? An non habemus poteſtatem ἀδελφὴν γυναῖκα, id eſt, ſororem uxorem circunducendi (intellige in Apoſtolatu) quemadmodum & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? Aut ſolus Barnabas & ego, non habemus poteſtatem hoc faciendi? Quis militat ſuis ſtipendijs unquam? Quis plantat uineam, & de fructu eius non edit? Aut quis paſcit gregem, & de lacte

gregis

gregis non edit? Num ſecundũ hominem hæc dico? An non & lex eadem dicit? Non obliga bis os boui trituranti. Num boues curæ ſunt Deo? uel non propter nos omnino dicit? Propter nos enim ſcriptum eſt, quòd ſub ſpe debeat qui arat, arare: & qui triturat ſub ſpe, ſpei ſuæ particeps eſſe. Si nos uobis ſpiſtitualia ſeminauimus, magnũ eſt ſi nos ueſtra carnalia meſſue rimus? Item, An neſcitis quòd ij qui in ſacris operãtur, ex ſacro uiuunt? Qui altari aſsiſtũt, de altari participant. Sic & Dominus ordinauit, ut qui Euangelium annunciant, ex Euangelio uiuant. Hæc Apoſtolus. unde ſatis patet, quę ſit iſta miniſtrorum Chriſti poteſtas, qua iuſtè & æquè accipiunt à populo Domini, unde cum ſuis uiuant. Militare, plantare, paſcere gregem, terrena ſunt: & tamen communi mortalium ſenſu iuſtum eſt, ut qui ea faciunt, de hiſce labori bus ſuis uiuant. Quanto magis iuſtum & æquũ eſt, ut qui ſpiritualia ſeminat in eccleſia Dei, de terrenis illius bonis, quæ ad uictum ſunt neceſſaria, metat? In lege qui ſacris figuralibus, umbratilib. & elementarijs ſeruiebant, de miniſterio ſuo uiuebant: an nõ multo eſt æquius, ut qui uerbum ueritatis, lucis, uitæ ac ſalutis diſpenſant, de ſuo miniſterio accipiant unde uiuant? maximè, cum Dominus ita conſtituerit, ut qui Euangelium annunciant, ex Euangelio uictum capiant. Eſt itaq; hæc poteſtas iuſti & æqui, ut miniſter Chriſti de miniſterio ſuo uiuat: cuius rationem habere debẽt utriq; & miniſter & populus. Miniſter, ut ſciat hanc poteſta tem non competere, niſi ijs qui officium ſuum fideliter obeunt, ne incidat in turpe ocium, & perfidum miniſterij ſui neglectum cum Papiſticæ eccleſiæ dominis, qui beneficium ſeparant ab officio: populus, ne rem indignam putet, ubi de bonis ſuis communicat illis, à quibus in cauſa ſalutis ſecundum uoluntatem & ordinationem Domini inſtituitur.

Poteſt miniſteri uti honore ſibi debito.

Deinde, debetur miniſtro uerbi ſingularis honor. Presbyteri, inquit Apoſtolus 1. Timot. 5. qui bene præſunt, duplici honore digni habeantur: maximè ij, qui laborant in ſermone & do ctrina. Non eſt ſinceri miniſtri, ut ambiat honores: interea tamen non recuſabit eos, qui ſibi, imò officio ipſius, à fidelibus offeruntur. Cauebit enim non ſolùm, ne φιλοδοξίαν ipſe incurrat, ſed & ne populus Domini erga miniſtros Chriſti obbruteſcat, & indecenter ſeſe gerens, iram Domini aduerſum ſe prouocet. Quare utetur & hac poteſtate ſua, quatenus ad ædificationem fidelium facere iudicauerit.

Poteſtas liciti.

Sequitur poteſtas liciti. Hanc à poteſtate iuſti & æqui ſic diſtinguo, ut quemadmodũ per illam rectè facit miniſter, uictum & honorẽ capiens ab illis quibus in Domino miniſtrat, ita per iſtam licitè poſsit poteſtate iuſti & æqui non uti, ſed gratis euangelizare. Huius rei exemplum habemus in Paulo, qui gratis nonnullis eccleſijs prędicauit, uictum interea labore manuum ſuarum quærens, ne quod maleuolis daret offendiculum, & poteſtate iuſti & æqui ad impedimentum profectuum Euangelij abuteretur, non ut cæteris miniſtris prędiudicaret, & poteſtatem miniſterio annexam damnaret. Sic 1. Cor. 9. dicit: Atqui non ſumus uſi hac poteſtate, ſed omnia ſufferimus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti. Hoc fecit nulla alia poteſtate, quàm liciti. Licitum eſt cuiuis de iure ſuo cedere, & poteſtate iuſti & æqui in ijs quæ ſibi debentur, non uti, modò hoc faciat citra detrimentum uel ſuorum, uel aliorũ: ubi non expedit quod ex poteſtate iuſti & æqui facere poteris, non peccas, ſi abſtineas. Imò laudẽ mereris cum Apoſtolo, ſi illius fueris ſecutus exemplum. Quid hic de illis dicemus, qui cũ paternis, uel aliàs proprijs bonis uiuere poſſent, nihilominus eccleſiaſticos prouẽtus uſurpãt?

Hieronymus.

1. quæſt. 1. Can. Clericos, citantur hæc Hieronymi uerba: Clericos illos conuenit eccleſiæ ſtipendijs ſuſtentari, quibus parentum & propinquorum nulla ſuffragantur bona. Qui autem bonis parentũ, & opibus ſuis ſuſtentari poſſunt, ſi quod eſt pauperum, accipiunt, ſacrilegiũ profectò committunt, & per abuſionem talium, iudicium ſibi manducant & bibunt, &c. Vbi obſerua, quod ſtipendia Eccleſiæ uocat bona pauperũ. Tolle hoc genus hominũ ab uſu bonorum Eccleſię, obſecro, quis numerare poterit eorum multitudinem, qui canonis huius uir tute à præſepibus Eccleſiaſticis arcebuntur?

Quòd Paulus Timoth. circuncidit.

Et hoc ad poteſtatem liciti referendum eſt, quod Thimotheũ Apoſtolus propter Iudæos circuncidit. Acto. 16. & quòd legaliter Hieroſolymis propter credentes ex Iudęis purificatus eſt, Act. 21. quodq; omnium ſe ſeruum faciens cum liber eſſet: Iudæis factus eſt quaſi Iudæus, his qui ſub lege erant, quaſi ſub lege: illis qui ſine lege erãt, quaſi ſine lege eſſet, infirmis quaſi infirmus, & omnibus omnia, ut omnino aliquos ſeruaret. Conſimili poteſtate poterit etiamnum uti Chriſti miniſter in rebus indifferentibus, ſtudio pacis, ad propagandum Euangeliũ, ubi aliquem ueritati locum eſſe uiderit. Opus eſt autẽ diligenti diſcretione hac in re, ne pro indifferentibus habeat, quæ uel uerbo Dei repugnant, uel propter ſuperſtitionem & falſos cultus iuſtam merentur abominationem.

Poteſtas facti.

1 Poſtremò reſtat poteſtas facti. Hæc facultas eſt faciendi ea quæ ad officium pertinent. Eſt autẽ bimembris: ut ſcias uidelicet, & poſsis. Sine hac nihil proderit omnis reliqua poteſtas. Quorſum enim profuerit poteſtas officij, ſiue determinata, ſiue indeterminata, ſi uel neſcias, uel nequeas ea facere, quæ ad obeundum ſuſceptum munus requiruntur? Qui ſcientia uerbi Dei, & prudentia illud rectè ſecandi deſtituitur, quamuis ſit aliàs ad dicendum inſtructus, facultatem docendi non habet. Rurſus: Si noueris quidem omnem ſcripturam, nec ſis imprudens

dēs in opere Dñi, niſi adſit facultas ac donū ſermonis, haud poteris implere miniſteriū impoſitū. quare omnino neceſſaria eſt Chriſti miniſtro hęc quoq; potestas & facultas faciēdi officiū.

2 Datur aūt illa à Domino. Cauſabatur Moſes, nō eſſe ſibi facultatē hāc obeundi munus impoſitū, propterea quòd eſſet lingua impeditiore. Verū audiebat à dño: Quis fecit os hominis? Nōnne ego? Perge igitur. Ego ero in ore tuo, doceboq; te quid loquaris. Exodi 4. Et cū Hier. idē cauſaretur, miſit Dñs manū ſuā, & tetigit os eius, ac dixit: Ecce dedi uerba mea in ore tuo: Hier. 1. Et ad Apoſtolos dixit Dominus: Vos non eſtis qui loquemini, ſed ſpiritus patris ueſtri loquetur in uobis. Matth. 10. Et Luc. 21. Dabo uobis os & ſapientiā, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij ueſtri. Apoſt. 2. Cor. 3. de ſeipſo fatetur, eſſe ſe inſufficientem ad hoc, ut aliqd quaſi ex ſe cogitet, quòd huc facere poſsit, ſed ſufficientiā ſuam eſſe ex Deo, qui ſe idoneū miniſtrū Noui teſtamēti fecerit. Quod Apoſtolus de ſe dixit, de quouis miniſtro dici poteſt. Omnibus cōpetit illud Chriſti: Sine me nihil poteritis facere. Ioan. 15. Quapropter, niſi Dominus ipſe dederit Eccleſiæ ſuæ miniſtros idoneos, neceſſaria poteſtate, uolūtate ac facultate ad obeundum miniſterium ſalutis inſtructos, habebimus quidem multos ocioſos uētres, ac titulares dominos, uerūm ſynceros operarios ac diſpenſatores myſteriorum dei nullos. Rogandus ergo eſt, ut ipſe extrudat operarios in meſſem ſuam, qui non diſputent uerbis, ac contendant de poteſtate & authoritate: ſed ueram, legitimam, & utilem Eccleſijs poteſtatem diuinitus inſtructi reipſa oſtendant & exerceant.

Sint hęc dicta de poteſtate miniſtrorū uerbi. Scio me nō ſatisfacere cunctorum palato. Per me tamen integrū eſt cuiuis, uel plura, uel magis appoſita adferre in medium. Męo iudicio uiri moderati eſt, præſertim in hac cauſa, abſtinere ab hyperbolis tam rerū quam uerborū, & amputare omnia quæ uel ad contemptum miniſterij, uel ad ſpeciē dominatricis eminentiæ à carnalibus hominib. rapi poſſunt. Miniſteriū Chriſti, & libertas Eccleſię, nō ſunt ſic inter ſe oppoſita, ut ſtante iſta cadat illud: uel illo aſſerto, nequeat iſta conſiſtere. Omniū conuenientiſsimè poterit ſyncerus paſtor & miniſter in libera Eccleſia ſeruire Domino, ac poteſtate ſua uti: & rurſus, Eccleſia abſq; ulla libertatis ſuæ iactura legitimo paſtori, & miniſterium ſuum fideliter obeunti, docendam ſeſe, regendam ac moderandam tradere, ut ne tantillum quidem de poteſtate illius quam accepit à Domino, detritum ac derogatum eſſe cupiat, ſiquidem nouerit datam illam eſſe non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem.

DE INCVLPABILI VITA ET *honeſtate miniſtrorum.*

QVales eſſe miniſtri Chriſti, paſtores, presbyteri & Epiſcopi, & quomodo ſe gerere debeant, canone nobis nō ficto, ſed uerè Apoſtolico pręſcribitur. Habetur hic 1. Tim. 3. & Tit. 1. Ad Tim. ſic ſcribit Apoſtolus, Indubitatus ſermo. Si quis Epiſcopi munus appetit, honeſtū opus deſiderat. Oportet igitur Epiſcopū irreprehenſibilē eſſe, unius uxoris maritum, uigilantē, ſobriū, modeſtum, hoſpitalē, aptū ad docēdum, non uinolentū, non percuſſorem, non turpiter lucri cupidū, ſed æquum, alienū à pugnis, alienū ab auaritia, qui ſuæ domui bene præſit, qui liberos habeat cum omni reuerentia. Quod ſi quis proprię domui præeſſe nō nouit, quomodo Eccleſię Dei curā geret? Non nouitiū, ne inflatus in condemnationē incidat calumniatoris. Oportet aūt illum & bonū habere teſtimoniū ab extraneis, ne in probrū incidat, & laqueum calumniatoris. Diaconos itidem cōpoſitos, non bilingues, nō multo uino deditos, nō turpiter lucri auidos, tenentes myſteriū fidei cū pura conſcientia: atq; hi probentur prius, deinde miniſtrent ſic ut nemo poſsit illos criminari. Vxores ſimiliter cōpoſitas, nō calūnioſas, ſobrias, fidas in omnibus. Diaconi ſint unius uxoris mariti, qui liberis rectè præſint, & proprijs familijs. Nā qui bene miniſtrauerint, gradum ſibi bonū acquirunt, & multā libertatē in fide quæ eſt in Chriſto Ieſu. Hęc ibi. ad Tit. 1. cōſimilia leguntur, quę in Eccleſia Chriſti iam dudum παλαιὰ eſſe cœperunt. Sed uideamus ex ordine ſingula.

Epiſcopatus opus.

1 Principiò, prędicat de epiſcopatu, eſſe illum opus. Si quis, inquit, epiſcopatum, uel munus epiſcopi appetit, honeſtum opus deſiderat. Ergo non recipit ocioſum & ignauum hominem. Nunc epiſcopatus nihil ſunt, niſi grandes prælaturæ, dignitates ac dominationes, & hoc nomine appetuntur, præcipuè propter cenſus.

Epiſcopatus opus honeſtū.

2 Deinde uocat opus epiſcopatus honeſtū. Gręcè eſt, καλὸν ἔργον ἐπιθυμεῖ, quod reddi poteſt, Bonum opus affectat. Magis tamen placet uerſio Eraſmi, quæ habet, Honeſtum opus deſiderat. Nam Græca uox καλὸν, honeſtū, pulchrum, pręclarum & egregium quid ſonat, magis quā bonum: & is ſenſus accōmodatior eſt argumento Apoſtoli. Omnino egregium ac honeſtum eſt epiſcopi munus. Fatetur hoc Apoſtolus, propter eos, qui propterea ad epiſcopatus erant aſpiraturi, ut eſſent ſupra cæteros conſpicui. Sed uide quorſum hoc fateatur.

Sit epiſcopꝰ irreprehēſibilis.

3 Tertiò, Oportet epiſcopum irreprehenſibilē eſſe, inquit. Sic eſt in Gręco, ἀνεπίλημπτον. In uocula, Igitur, illatio eſt huiuſmodi. Omnino certus ſermo eſt, honeſtum ac pręclarum opus eſſe, munus epiſcopi. Verū hoc eſt. At munus honeſtum & egregium, hominē requirit non uulgarem

ac reprehensibilem, unde aliquid ignominiæ ac dedecoris cõtrahat, ac contẽptibile reddatur: sed quæ honesta sunt, ab honestis sunt obeunda. Oportet igitur, uel respectu honesti muneris tales homines ad episcopatus eligere, qui non sint aliqua in re reprehẽsibiles, & in morẽ uulgi leues, uani ac facinorosi. Scitè dictũ est illud, Dist. 25. Can. Vnũ orarium: Talis eligatur, cuius cõparatione cæteri grex dicantur. Sensit eligendum esse uirum egregium ac præclarum.

Quid sit esse irreprehẽsibilẽ.

ἀνέγκλητος.

In Græco est ἀνεπίλημπτον, id est, irreprehensibilem. Irreprehensibilis autem est, nõ is, qui nihil admiserit peccati, sed qui sic uiuit inter homines, ut nequeat meritò ob crimen aliquod in ius uocari, uel aliàs reprehendi. Ad Tit. 1. sic dicit: Si quis est ἀνέγκλητος, id est, inculpabilis. ἐγκαλῶ enim significat aliquẽ in ius uocare, & de crimine aliquo accusare. Vnde est ἀνέγκλητος, qui sic uiuit inculpatè, ut nullius criminis gratia in ius uocari possit. Vtrobiq; idem sensus est. Vulgata Latina habet ad Titum: Oportet enim episcopum sine crimine esse. At Apostolus hoc non dicit, sed quod oporteat episcopum usq; adeò uacare culpa, ut à nemine in ius uocari ac crimi nis accusari possit, etiam inter hostes & aduersarios. Erasmus uertit inculpatum. Meo iudicio ἀνέγκλητος est, non qui nunquam sit culpatus à maleuolis, sed qui iure culpari nequeat: ut uertendum sit, Si quis est inculpabilis, magis quã, Si quis est inculpatus. Alioqui ne Christus quidem ipse in episcopum eligi posset, quem impij homines grauiter accusarunt: sic u. inculpatũ uocare nequeas, inculpabilem uerò omnium rectissimè. Quare quemadmodum ad Tim. ἀνεπίλημπτον uertit, non irreprehensum, sed irreprehensibilem: sic ad Tirum illud ἀνέγκλητος reddi debebat, non inculpatus, sed inculpabilis. Eandem uocem ad Tim. ubi est ἀνεγκλησίαστος, uertit rectius ad hunc modum, Sic ut nemo possit illos criminari.

ἀνεπίλημπτος.

Crimen.

Annotarunt autem ueteres, crimen esse non quoduis, sed tale peccatum, quod sit accusatione ac cõdemnatione dignũ. Ergo non requirit Apostolus tales homines, qui prorsus sint alieni ab omni peccato, & angelis rectius quàm hominibus accensendi, cum eiusmodi in hac uita nequaquam reperiantur: sed, qui de nullo crimine accusari queant, nec sint ne filijs quidẽ huius seculi reprehensibiles.

Vitæ integritas qualis in ministro requiratur.

Requiritur autem ista uitæ integritas in eo, qui eligendus sit ad ministerium Christi, nõ solum post electionem in ipso ministerio, ut in illo uiuat inculpatè, sed & ante electionem. Et hoc scopo scribit Apostolus Timotheo ac Tito, ut eos eligi curent, qui non modò in ipso ministerio futuri sint irreprehensibiles, sed & qui priusquã eligantur, cùm in Ecclesia positi baptismum, tum antea inter extraneos sic uixerunt, ut nullius criminis accusari damnariq; ualeant, imò bonum etiam testimonium ab illis referant.

In ipso ministerio gemina requiritur integritas, qua minister & inculpatè ministerium suũ obeat, & irreprehensibiliter uiuat. Qui supra cathedrã Mosaicã sedebant, etiamsi bene docebant, malè tamen uiuentes, rectè à Domino reprehendebãtur. Quæ dicunt, inquit, facite: quę faciunt, facere nolite. Matth. 23. Rursus, qui cum in speciẽ inculpatè uiuãt, malè tamen docẽt, tã non sunt inculpabiles, ut prioribus etiã peiores existãt. Quid de illis dicendũ est, qui & malè uiuunt, & peius docent? Magna itaq; necessitate adactus apostolus utrobiq; cũ in uita tum in ministerio requirit, ut inculpatè se gerat minister. Sed uideamus sequentia.

Vnius uxoris maritum.

Vnius uxoris maritũ, inquit. Descendit ad species eorum, quæ ad hoc requiruntur in ministro, ut sit irreprehensibilis. Dictum enim erat in genere, oportere Episcopum esse irreprehensibilem. Id fusius consequenter explicat. Vtrobiq; hic & Tit. 1. primam hanc speciem ponit, de coniugio dicens, Vnius uxoris maritum. Poterit hic quæri, quomodo hoc ad propositum faciat, si minister eligatur, qui sit unius uxoris uir, ut non sit reprehensibilis. Si unius uxoris esse maritum, ministrum constituit inculpabilem, & dignum qui eligatur: ergo nullius uxoris esse maritum, indignum & culpabilem reddit. Si hoc dixerimus, reijciemus omnes eos qui uel ex utero matris nati eunuchi, uel ab hominibus, uel à seipsis propter regnum Dei castrati, nuptijs abstinuerunt, quorum tamen multi Ecclesijs Christi utiliter seruierunt: & Dominus ipse non satis prudenter dixit, Qui potest capere, capiat: sed dicendum magis erat, Nemo uestrùm abstineat à coniugio, ne sitis inidonei ac indigni meo ministerio. Hæc omnino consequuntur, si Apostolus in ministro Christi simpliciter & necessariò requirit, ut sit uxoratus. Quid igitur dicemus?

Quæst. 1. An requiratur à ministro, ut sit uxoratus.

Respondemus. Nõ simpliciter dicit: Vxoratum, uel, Si sit uxoratus: sed, unius uxoris maritum. Ergo non hoc simpliciter requirit, ut eligatur non nisi uxoratus, unde colligendũ sit non esse eligendum agamum, id est, innuptũ ac cœlibem: sed, ut eligatur unius uxoris maritus, ut significet non esse eligendum polygamum, id est eum qui plurium sit uxorum maritus.

Quæst. 2. De secundis nuptijs.

Rursus dici poterit: Ecquid peccati est, si quis mortua priore cõiuge secundam, & hac mortua, tertiam ducat, cum & Abraham mortua Sarah duxerit Keturã, & hic ipse Apostolus Roman. 7. & 1. Cor. 7. eiusmodi coniugium alienum esse dicat à peccato, modò fiat in Domino? Respondendum hic est, non loqui apostolum de hoc genere secundarum nuptiarum, quibus post mortem prioris coniugis ducitur altera: sed de polygamia, qua plures uxores simul & coniunctim habentur, qui mos apud Israelitas illicitus non erat, & apud ethnicos etiamnum durat. Quod in Ecclesia cœperunt digami uocari, qui post mortem prioris uxoris secundam

Digami qui.

dam ducunt, alienum est à mente scripturæ, cui non est digamus, nisi qui simul duas habet uxores. Nec de alio genere monogamiæ loquitur hic Apostolus, quàm qua una tantum habetur, quale fuit coniugium Isaac. Hanc monogamiam requirit in ministro Christi, ne si polygamus eligatur, grauis & onerosus sit Ecclesiæ cui præficitur: uel ut alij exponunt, notam sustineat intemperantiæ, quam alienam esse conuenit ab omnibus quidem fidelibus, præcipuè tamen à ministris, presbyteris, pastoribus & episcopis. Hoc uidelicet respectu dicit, Vnius uxoris uirum: quod nihil est aliud, quàm qui non sit polygamus, plures simul habens uxores, sed una contentus moderatè uiuat.

Quare monogamiam requirat Apostolus in ministro.

Digamiam diuexarunt episcopi in Ecclesia, prȩter mentem Apostoli, ac consuetudinẽ temporum Apostolicorum, interpretantes bigamum esse eum, qui mortua priore coniuge aliam ducit. Sequuti Scholastici & Canonistę diuiserunt bigamiam in ueram, interpretatiuam, & similitudinariam. Vt uera sit, quando habentur plures legitimę uxores, si ambæ fuerint cognitæ: interpretatiua, quando ducitur corrupta, & quando maritus debitum reddit uxori adultere: similitudinaria, quando qui cum Deo contraxit per uotum solenne, postea uxorem ducit de facto: item, quando quis duas uxores habuit diuersis temporibus, unã de iure, alteram de facto, & cognouit ambas. Vel si simul habuit duas uxores, unam de iure, alteram de facto, uel ambas de facto, & cognouit ambas: item, si existens in sacris, nupserit. Hæc illi. quæ Paulo, cum conderet canonem de eligendis ministris, nunquam uenerunt in mentem. Deinde quærunt, in quo genere digamiæ potestas dispensandi sit penes Rom. pontificem tantũ, & in quo dispẽsare possit quilibet episcopus. Nos ista relinquentes, sentiamus Apostolum loqui de uera digamia, quæ tempore ipsius pro digamia habebatur, qua uidelicet Lamech duas, & Iacob totidem uxores simul habuisse legitur. Hæc quippe digamia etiã apud ethnicos intemperantię notam habuit, propterea quòd una uxor, si libidinis intemperantiam tollas, abundè satisfacit legi coniugij: illa uerò, qua post mortẽ uxoris prioris ducitur alia, nec peccato obnoxia est, nec de intemperantia accusari potest. Est enim conciliatrix illius non intemperans libido, sed necessitas, cùm naturæ tum uictus domestici. Prorsus iniquum ac diabolicum est, notam intemperantiæ inurere causæ & licitæ & necessariæ. Qui cum uxore prima ad mortem usque uiuit, propter monogamiam à nota intemperantiæ liberatur. Quare? Quia una est contentus. Qui eadem mente & cõtinentia præditus uxorem primam primo statim, uel secundo uel decimo post nuptias, uel quolibet anno mortis interuentu non sine dolore & luctu amittit, obsecro, si aliam necessitate impulsus duxerit, quid nam admittit, quod aliqua possit ratione improbari? Prior ille non habuit nisi unam. At hanc habuit semper usq; ad mortem. posterior & ipse non habuit nisi unam, si usum coniugij spectes. Nunquã habuit duas. Dum habuit uxorẽ, habuit non duas, sed unã tantum. Dualitas uxorum morte intercluſa non coijt in unum & idem coniugium coniugijq; usum, quare nõ reddidit digamum. De morte prioris doluit, contristatusq; fuit, aliam nunquam optauit. Hac ablata non secundam ducere gestiuit, sed prioris usum sibi ac domui suæ restaurare graui necessitatis telo adactus fuit. Quare damnabiliter multa de hoc genere digamiæ constituta esse apparet, quale & illud est, quod uetuerunt, ne presbyter secundis nuptijs interſit conuiua. Quod si fecerit, pœnitentiam postulet. Vide capita Græcarum synodorum.

De digamia.

Secũdæ nuptiæ post mortẽ prioris coniugis.

Verùm ne sensum hunc de meo in uerba apostoli adferre uidear, non grauabor citare uetustos aliquot doctores, qui illa consimili modo exposuerunt. Chrys. 1. Tim. 3. sic habet, Oportet igitur episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris uirum. Non hoc ueluti sanciens dicit, quasi non liceat absq; uxore episcopum fieri, sed eius rei modum constituens. Iudæis quippe licitum erat etiã secundò matrimonio iungi, & duas κατὰ ταυτὸν, id est, simul & eodem tempore habere uxores. Honorabiles enim nuptiæ. Hæc ille, idq; ex professo uerba exponens Apostoli, Quod si quis diuersum ex eo adduxerit, quod uir idem in Epistolam ad Titum ad hunc modum dicit: Nã qui defunctę uxori beneuolentiã nullam seruasse deprehenditur, quo pacto hic Ecclesiæ præceptor optimus esse poterit? sententiam nostrã haudquaquã infirmabit, sed potius authoritatem tanti uiri eneruabit, in cuius scriptis tam diuersa eiusdem rei expositio siue ab ipso posita, siue per alios inserta deprehenditur.

Expositio Chrysost. & Hieronymi.

Huic adiungimus Hier. qui ad Oceanum scribens: Ex Iudæis, inquit, erat apostolus. Prima Christi Ecclesia de Israel reliquijs congregabatur. Sciebat lege cõcessum, & exemplo patriarcharum ac Moysi familiare populo nouerat in multis uxoribus liberos spargere, ipsis quoq; sacerdotibus huius licentiæ patebat arbitriũ. Præcepit ergo ne eandem licentiã Ecclesiæ sibi uendicent sacerdotes, ne bina pariter & trina sortiantur coniugia, sed ut singulas uno tempore uxores habeant. Hæc iste. Etiamsi cæteri locum hunc Apostoli ad aliud digamiæ genus trahunt, satis tamen ex hisce uerbis patet, non esse nostram sententiã neotericã, aut per nos confictam, sed talem, quæ etiam in doctorum ueterum scriptis inueniatur.

Hieronymus.

Verùm quorsum attinet contendere de digamis, cum monogami quoq; reiecti sint à ministerio, & coniugium illorum impuritatis & intemperantiæ contra manifestas scripturas, & institutionem Dei damnatum? Apostolus dicit: Oportet episcopum irreprehensibilem esse,

Quod Papistæ monogamos à ministerio reiiciunt.

unius uxoris maritum. Qui se successores Apostolorum esse gloriantur, canonem apostolicũ inuertunt, perinde ac si dictum sit ab Apostolo, Oportet episcopũ irreprehensibilem esse, nullius uxoris maritum. Sic enim uxoratos à ministerio Christi arcent, quasi reprehensibiles sint propter coniugium, & inidonei qui ad ministerium eligantur, cũ Apostolus unius uxoris uirum uocet usq; adeò irreprehensibilẽ, ut idoneũ esse ad episcopatũ decernat, Distin. 28. Nicolaus Papa dicit presbyterum uxoratum ualde esse reprehensibilem, Can. consulendum. Quis non uidet, quàm non sint conformes sententiæ, qua Apostolus unius, & qua isti nullius uxoris uirum ad ministerium Christi requirũt: ille unius uxoris uirum irreprehensibilem esse sentit, isti tanquam impurum auersantur?

Apostolos fuisse uxoratos.

Apostolus Ebr. 13. coniugiũ prædicat esse honorabile inter omnes, & cubile illius impollutum. Apostolos ipsos non modò habuisse uxores, sed & circumduxisse, ex eo patet, quod Paulus 1. Corinth. 9. dicit: An non habemus, inquit, potestatẽ sororem uxorem circunducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?

De illis qui dicũt Apostolos opulentas secũ circumduxisse mulierculas.

Eneruant hunc locũ, qui exponũt de opulentis mulierculis, quas Apostolos sumptus euangelici gratia circunduxisse uolunt, sed uideamus q̃ præter rationẽ sic sentiãt. 1 Principio nõ obseruant argumentum Apostoli. Loquitur enim de sumptibus, quos ministri iure possunt ab illis exigere, quibus Euangelium prædicant, ac non sibi tantum, sed & suorum necessitatibus impendere, quos secum in conuictu habent. Hoc dicit reliquos Apostolos fecisse, se uerò apud Corinthios nõ fecisse, ne cuiquã illorum esset oneri. Iam si intelligas de talib. matronis, quæ cum Apostolis circueuntes sumptus prædicandi Euangelij necessitatib. illorũ suppeditauerint, quæro an qui eiusmodi mulierculas circũduxisse memorantur, necessarios sumptus à fidelib. acceperint, uel secus. Si acceperunt, ad quid ergo mulieribus istis opus erat, ut inter Euangelizandũ circũducerentur? Si nõ acceperunt, ergo idẽ fecerũt, quod de se hoc cap. scribit Apostolus. Atqui sic omnino inter se & illos discriminat, ut dicat se iure suo nõ esse usum, quo utebantur tum reliqui Apostoli. Ergo necesse est, reliquos Apostolos uictum ab ecclesijs sibi ac suis necessarium sumpsisse. Si sumpserunt, quemadmodum hic memoratur, quid restat aliud, quam circumduxisse apostolos non mulierculas opulentas ad ministrandi sumptus gratia, sed uxores suas, quæ unà cum ipsis Ecclesiasticis sint sumptibus usæ?

Nec est quod dicant, in hoc diuersum quid egisse Paulũ à reliquis Apostolis, quòd sumptus labore manuũ quæsiuit, nõ ab opulentis matronis accepit, sicut alij Apostoli fecisse creditur. Nã sic quoq; abluditur ab argumẽto apostoli. Haud enim hoc agit, ut doceat se non esse usum mulierularum opulentarũ subsidio cũ reliquis Apostolis, sed neglecto iure suo nihil à Corinthijs accepisse, inq; eo se non fecisse, quod faciebant Apostoli reliqui. Alioqui, quid quæso refert, utrũ à mulieribus fidelibus uictum sumpserit, uel reliquas ecclesias grauarit, ut licuerit sine sumptu Corinthijs tradere Euangelium Christi, id quod de seipse 2. Cor. 11. hisce uerbis cõmemorat: Quoniam gratis Euangeliũ Dei euangelizaui uobis. Alias Ecclesias expoliaui, accipiens stipendium ad ministerium uestrum. Si de eo intellexerimus, quòd non circunduxerit diuites feminas, à quibus necessarium uictum sumpserit, quum id perinde in potestate haberet atq; cæteri Apostoli: quis non uidet omne argumentum Apostoli, & discrimen illud inter ipsum & reliquos Apostolos, prorsus interire? Nam sic inuenientur & ipsi cæteri Apostoli nõ accepisse sumptus ab Ecclesijs, quibus prædicabant, sed aliunde, sicut & Paulus: ipsi à mulierculis opulentis, Paulus ab alijs Ecclesijs.

Sic loquitur apostolus de iure ministerij, ut non simpliciter doceat licere undecunq; uictũ ad prædicandum sumere: sed quod liceat ab illis accipere, quibus prædicatur Euangeliũ. Hoc se non fecisse, fecisse autem reliquos Apostolos scribit. Ergo illi non ab opulentis matronis, sed à fidelibus quibus prædicabant, sumptus pro iure Apostolatus acceperunt. Hoc iure quo modo usi essent Apostoli, si subsidia prædicandi Euãgelij sumpsissent nõ ab ipsis Ecclesijs, sed ab opulentis mulierculis, in hunc usum circumductis?

2 Deinde 2. Cor. 11. & 12. significat se ob id non esse usum potestate sua, ne illis esset oneri, ne quenquã ipsorũ uidelicet grauaret. Iam si ad ius Apostoli pertinet circunducere mulieres diuites, à quibus sumatur uictus, ne Ecclesiæ grauentur: quomodo non fecit hoc Paulus, ne Corinthios grauaret, cũ id illis nõ oneri, sed releuationi fuisset? Cum ergo se potestate sua usum non esse dicit, quo gratis collocaret illis Euangeliũ, ideoq; mulierem sororem non circumduxisse, sicut reliqui Apostoli: satis innuit, non loqui se de mulierculis opulentis, quæ sumptus præstiterint Apostolis, sed de talibus, quæ unà cũ Apostolis sumptus acceperint ab Ecclesijs, atq; ita reliquos Apostolos prędicasse Euangelium non gratis, sed pro iure suo uictum sibi & uxoribus suis ab Ecclesijs quibus prædicabant accepisse.

3 Tertiò. Si de muliere aliqua intelligit, quæ uxor non sit, quid erat opus cum dixisset, An non habemus potestatem circunducendi sororẽ, adiungere, γυναῖκα? Etenim quæ poterit esse soror, quæ non sit mulier, si uox ista de sexu tantum muliebri sumẽda est? At soror esse potest, quę nõ sit uxor. Cũ ergo dixisset sororẽ, adiecit γυναῖκα: ut planè stupidus sit, si quis animaduertere nolit, ob id adiectum esse τὴν γυναῖκα, ut declararetur, dici non de quauis sorore, sed de

uxore

uxore fideli. Quod si quis de muliere infideli dicat, Bona spes est, mulierem hanc accessuram Christo: uenit enim cum fratre uiro ad Ecclesiam, puto satis patêre, non dici hoc de alio uiro quàm illius marito fideli. Etenim alioqui non esset opus adiungere dictionem uiri, si de quouis fideli, qui non sit maritus, diceretur. Si dicat præceptor quisquam: An non habemus potestatem, adolescentem discipulum uirgis castigandi? quis non intelligat, illũ loqui non de quouis adolescente, sed de eo, qui suus sit discipulus, atque ita discipuli dictionem specificationis gratia adiecisse? Consimili modo Apostolus, γυναῖκα hic adijcit, ut de qua sorore loquatur, declaret, de ea uidelicet, quæ sit uxor.

4 Quartò, accedit & hoc, quod cum Apostoli cum primis sit, non solum à malo, sed & à specie mali prorsus esse alienũ: obsecro, quomodo uitassent Apostoli speciẽ mali, si legitimis uxoribus domi relictis, cum alijs opulentis mulierculis orbem circuissent?

5 Quintò. Addo & illud, quod nõ simpliciter dicit, se nõ circunducere sororẽ γυναῖκα: sed instando rogat, an non potestatẽ habeat circumducendi sororẽ γυναῖκα. Loquitur absq; ulla contradictione de potestate Apostolatus. Ergo, si de opulentis matronis loquitur, quæ sumptus præstent ad prædicandum, habuerunt Apostoli id potestatis, ut quasuis diuites feminas sedibus suis euocatas circuire secũ cogerent, quoties uellent. Rogo, quis concedet hoc ius Apostolo, ut quamuis opulentã mulierculam potestate sua cogat omnia relinquere, ac secum circuire orbem? Si quis apostolus hoc exigat à mulieribus (ut ius habet quisq; exigendi debitũ subsidium) quæso quis non meritò detestetur? Adhæc, quur non magis uirũ aliquẽ diuitem secũ sumeret? An solæ feminæ sunt diuites, ut sumptus Euãgelio subministrare solæ possint? Vel, an erga fœminas tantũ habet id potestatis Apostolus, & nõ æquè erga uiros? An non honestior comitatus esset, si uir quisquá prædicantẽ Apostolum comitetur, ac sumptus suppeditet, quá si id faciat mulier, quæ nõ sit uxor? Quod si omnino à mulierculis petendũ erat subsidiũ Euangelicũ, quorsum attinuisset circueũdo sectari Apostolũ, cũ alia ratione sumptus multo potuissent honestius & cõmodius per alios suppeditare? Quare cõmentũ hoc de opulentis mulierculis incõuenientius est Apostolatui, quá ut fidem cordatorum hominum mereatur.

De coniugio Apostolorũ, testimonia Ignatij & Clement. Eusebius.

Quod aũt coniugati fuerint Apostoli (ne quis hic disceptet) testantur ipsorum discipuli, Ignatius & Clemens. Ignatius in Epistola ad Philadelphicum inter cætera sic scribit: Sicut Petrus & Paulus & reliqui Apostoli, qui nuptijs fuerunt sociati, qui nõ libidinis causa, sed & posteritatis subrogandæ gratia coniuges habuerunt. Clemens non solum uxores eos habuisse, sed & circũduxisse asserit. Citat hunc Eusebius in Ecclesiastica historia lib. 3. ca. 30. ad hũc modũ: Clemens sanè hic, cuius uoces annotauimus, scribunt aduersum eos, qui nuptias spernũt (uides antiquũ malum) inter cætera etiam hæc dicit, An & Apostolos improbant? Petrus enim & Philippus & uxores habuerunt, & filias etiam uiris nuptum dederunt. Sed & Paulum apostolum non tædet in quadam epistola sua mentionem uel salutationẽ facere cõparis suæ, quá se ideo negat circumducere, ut ad prædicationẽ Euãgelij expeditior fiat. Hæc ille. Et hác sententiá Leo papa quoq; posuit cõtra epistolã Nicetę abbatis, sicuti legitur Dist. 31. Can. Omnino. Omnino, inquit, cõfitemur nõ licere episcopo, presbytero, diacono, propriá uxorẽ causa religionis à cura sua abijcere, sed ut ei uictum & uestitũ largiatur: sed nõ ut cum illa carnaliter ex more iaceat, sicut & sanctos Apostolos legimus egisse, beato Paulo Apostolo dicente, Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut & frater Domini, & Cephas? Vide insipiens, quia non dixit, Nunquid non habemus potestatem sororẽ mulierem amplectendi, sed circũducendi, sic ut mercede prædicationis sustentarẽtur ab eis, nec tamẽ deinceps ulterius foret carnale inter eos coniugium. Hęc ibi. quæ hactenus ueritati suffragantur, quòd testantur Apostolos fuisse uxoratos, uxoresq; suas in Apostolatu suo circumduxisse, ut ex Euangelio cum ipsis alerentur.

Leo papa Distinct. 31. Can. Omnino.

De gestis Apostolorũ magis esse credẽdum discipulis Apostolorum, quã posterioribus.

Quid igitur? An non æquius esse censebimus, ut de Apostolorum gestis magis credamus illorum discipulis, quá ijs qui admodum diu post Apostolorum tempora uiuentes, quiduis in Ecclesia Dei præsumere ac tradere cœperunt? Ignatius secundus post Petrum Antiochenę ecclesiæ præfuisse scribitur. Vide Euseb. Eccles. hist. lib. 3. cap. 36. Clementis in Epistola ad Phil. fit mentio ab ipso Paulo. Prior Apostolis Petro & Paulo cum reliquis non solum tribuit coniuges, sed & propagationem posteritatis, tanquam legitimum coniugij usum, in uotis illis fuisse testatur. Alter & Apostolis coniugiũ attribuit, & ipsa quoq; Apostoli uerba, non ea tantũ, de quibus loquimur, sed & illa quæ in epistola ad Philipp. sunt, de legitima illius coniuge exponit. Si matronas diuites & non legitimas suas uxores circumduxerunt Apostoli, quomodo ignorarunt hoc illorum discipuli, cognouerunt uerò tam serò illos sequuti Hieronym. Chrysost. & alij istis quoq; posteriores? Clemens, citante Eusebio, loco & capite prædicto, scribit Apostolum Petrum, cum uideret uxorem suam ad mortem duci, post tergum illi inclamasse ac dixisse: O chara coniunx, memento Domini. Obsecro, ubi nam putabimus hoc esse factum, & quando? An non apparet tum esse factum, quando & ipsi Petro subeundum erat martyrium? uel putabimus nihil illi fuisse periculi, cum uxorem ad martyrium cõstanter subeundum aperta acclamatione admoneret? Quis non uidet hunc Apostolum uxorem suam

Nota.

ad mortem usque secum in Apostolatu circumduxisse?

Argutatio Hieronymi refelli tur.

Argutatur Hieronymus in uerbo Circumducendi. Non dicit, inquit, mulieres ducendi, ne de uxoribus dicere putetur: sed, Circũducendi per prouincias, quę necessaria de facultatibus suis subministrarent. Verùm quidnam fidei meretur huius testimonium, quod discipulis Apostolorum contradicit? Verũ est, non dicit, ducendi, sed circumducendi. Non enim loquitur de potestate nubẽdi, & uxores ducẽdi (nihil enim ad propositum fecisset) de qua egerat cap. 7. sed de potestate sumendi necessarios sumptus ab Ecclesijs, ad sustentationẽ nõ Apostoli tãtum, sed & coniugis, si qua in illius tanquã legitimi mariti comitatu sit. Et hac potestate dicit se non usum, atq; adeò nec sibijpsi sumptus à Corinthijs accepisse, multo minus uxorẽ suam circumduxisse, quæ illorum facultatibus aleretur. Apparet enim ista de uxorum comitatu ad auxesim iuris Apostolici pertinere, ut intelligamus non ministris tantũ, sed & uxoribus illorum deberi uictum ab Ecclesijs, quibus in Domino seruiunt.

Constat itaq;, cùm ex ipsis Apostoli uerbis, tũ ex testimonijs Ignatij & Clementis, Apostolos fuisse uxoratos, & uxores suas in Apostolatu non deseruisse, sed circumduxisse. Quare nõ debemus assentiri illorum iniquitati, qui & exemplis Apostolorum, & canoni Apostolico de constituendis episcopis, qui unius sint uxoris mariti, Diabolico impulsu resistentes, coniugatos à ministerio Christi quasi carnales & impuros arcere cœperunt.

Siritius Papa.

Papa Siritius manifestè doctrinam dæmoniorum spirãs, ausus est contra honestatẽ coniugij usurpare uerba Apostoli Rom. 8. quib. sic dicit: Qui in carne sunt, Deo placere nõ possunt. Decernit aũt eo loco cõtra coniugiũ ministrorũ Christi, quasi qui cõiuges sunt, & in legitimo cõiugio uiuũt, hoc genere uitæ sint in carne, Deoq; placere nequeant. Debet at Apostolus inter opera carnis Gal. 5. recensere cõiugiũ, & Ebr. 13. dicere: Immundũ est coniugiũ inter Christianos, & torus pollutus, nec requirere ad episcopatũ unius uxoris uirũ. Quin Diabolica hac Papæ sententia omnes coniuges etiã laici fideles, qui in matrimonio uiuunt, damnantur, & à gratia Dei excluduntur. Et hoc est quod futurum prævidit Apostolus 1. Timoth. 4.

Concilium Nicenum.

Contra hanc impietatẽ Satanicam pugnarũt aliquot cõcilia, utpote Nicenũ, anno Salutis 313. & Gangrense, anno 333. congregatũ. De Niceno cõcilio legitur Dist. 31. ad hũc modũ: Nicena synodus uolẽs corrigere hominũ uitã, in ecclesijs cõmorantiũ, posuit leges, quas Canones uocamus. In quorũ tractatu uidebatur aliquibus introducere legẽ, ut episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, cũ coniugibus, quas ante consecrationẽ duxerant, nõ dormirẽt. Surgẽs aũt Paphnutius cõfessor cõtradixit, honorabiles confessus nuptias, & castitatẽ dicẽs esse cũ propria coniuge cõcubitũ. Suasit itaq; cõcilio, ne talẽ poneret legẽ, grauẽ esse asserẽs causam, quæ aut ipsis, aut eorum coniugibus occasio fornicationis existeret. Et hoc quidem Paphnutius (licet nuptiarum esset inexpertus) exposuit, Synodusq; laudauit sententiam eius, & nihil ex hac parte sanciuit, sed hoc in uniuscuiusq; uoluntate, non necessitate permisit.

Hęc ibi. in quib. ista obseruabit diligẽs lector. 1 Primũ, episcopos, presbyteros, diaconos & hypodiaconos fuisse tum tẽporis uxoratos. Eligebantur enim secundũ canonẽ apostolicũ, qui unius uxoris essent uiri. 2 Deinde Satanã instigasse patres concilij, ut quos Deus coniunxerat, ipsi authoritate Synodali separarẽt. Etenim quid aliud erat, „phibere usum cõiugij, quã coniuges à se inuicẽ separarent? Si tyrannus dicat episcopo, Patiar ut sis ecclesiæ tuę episcopus, hac lege, ut officiũ tuum in illa non exerceas: quid hoc esset aliud, quã episcopũ & ecclesiam seiungere, ac totum ministeriũ Christi euacuare? 3 Tertiò, non esse nouũ in ecclesia, si unus homo rectius sentiat, quã totũ conciliũ, nec sentiat tantũ, sed & decretis cõcilij cõtradicat. Quare iniquissimũ est, si paucorum recta sentẽtia multitudine errantiũ obruatur. Cogitet ergo episcopus coniugatus, nõ ligari se corã Deo, ne totius orbis legibus, matrimonium suũ damnãtib. unus resistere nõ debeat. 4 Quartò, in eo qd Paphnutius corã Synodo cõfessus est, honorabiles esse nuptias, & concubitũ cũ propria uxore nõ esse immunditiã, aut incõtinẽtiã, sed castitatẽ, eãq; sententiã Synodus laudauit, uidemus, quid de illis sentiendũ sit, qui contra authoritatẽ Apostolicam pariter & Synodalẽ, coniugia episcoporũ & presbyterorum immunditiæ, incontinentiæ ac libidinis dãnant. 5 Quinto, & illud obseruandũ est, qd Paphnutius, dubio procul spiritus sancti instinctu, legem contra coniugium ministrorum Christi latam grauem fore asseruit scortationis occasionem. Obsecro, quidnam uerius prædici potuit? Cœlum ac terra, nedum oculus diuinæ Maiestatis, infrenem illam, uagam, multifariam, & catholicam episcoporum, sacerdotum, Monachorũ, & Nonnarum scortationem, ne quid detestabilius dicã, iam olim abominantur. Vaticinium hoc Paphnutij exhorruit Synodus, sequuta Pontificum pertinacia ne ipsam quidẽ scortationum immunditiã palam & ubiq; regnãtem exhorret. Nolebat sancta Synodus lege sua ministris Christi occasionẽ obijcere immũditiæ, ideoq; rem hanc omnẽ liberam esse uolens, necessitatis uinculum reiecit. Posteri Pontifices nullis possunt quantumuis horrendæ libidinis exemplis permoueri, ut libertate coniugij restituta Ecclesias tam grauibus scandalis liberent. Pius secundus, priusquã Pontifex factus

Pius 2.

calicẽ scortationis Babylonicæ Regib. porrigendum in manus sumpsisset, palã dixit: Sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias, maiori restituendas uideri. Quare ergo cum Pontificatum

catum esset adeptus, non restituit Ecclesijs, quod tam grauibus de causis restituendum esse sciebat? Scilicet, non est hoc Romanorum Pontificum, ut quod iustum & æquum est, imò necessariũ Ecclesijs, statuant: sed ut ne ab alijs tale quid tentetur, totis uiribus, igne, gladio, &c. impediant. Sed hactenus de Nicæno concilio, quod etiam Euangelio Christi adæquant, quicum primis sanctionibus illius aduersantur.

Synodum Nicenam quinquennio præcesserat Ancyranum concilium. In eo decretum erat de Diaconis, non licere illis, si in ordinatione sua cõtinentiam spopondissent, postea nubere: si uerò non spopondissent, posse eos licitè nubere. Ea res principiũ habebat omnis mali, quod postea subsequutum est. Nicenum concilium paulo pòst sequutum, etiam ijs qui ante ordinationem nupserant, legitimum connubij usum adimere conabatur. Sic instigabat Satan, in angelum lucis transformatus, urgens & impellens Ecclesiarum pastores, ut barathro perditionis non rimas tantum, sed patentissimas ualuas aperirent. *Concilium Ancyranum.*

Gangrense Cõcilium, anno Domini 333. tempore Syluestri 1. celebratum grassanti malo resistere cupiens, Can. 4. sic statuit: Si quis discernit presbyterum coniugatum, quasi occasione nuptiarum offerre non debeat, & ideo se ab oblatione eius abstinet, anathema sit. Hic Canon satis innuit id quod in Niceno erat Concilio piè & utiliter cõstitutum, intra subsequentes uiginti annos usq; adeò contemni cœpisse, ut coniugati ministri indigni haberentur, qui Ecclesijs Christi ministrarent, propterea quòd coniugium legitimum ab ijs qui doctrinam Dæmoniorum amplexabantur quasi immundum exufflaretur. Ipsi Canones satis indicant, quomodo malum hoc radices egerit. Eodem concilio decretum est Can. 9. ad hunc modum: Si quis uel uirginitatem uel continentiã professus, nuptias quasi abominabiles damnat, &c. anathema sit. Et Can. 10. Si quis propter Deum uirginitatem professus in coniugio positos per arrogantiam uituperauerit, anathema sit. Et Can. 14. Si qua mulier derelicto uiro discedere uoluerit, soluto uinculo coniugali nuptias coudemnando, anathema sit. Ergo qui uirginitatẽ & cœlibatum uouebant, nuptias damnabant, & cõiugatos uituperabant. Hinc consequebatur coniugiorum dissipatio, ac separatio cõiugum. Viri uxores, & uxores uiros suos deserebãt, & sub specie continentiæ uinculum Dei rumpebant, uxores comã sibi amputabãt, quam à Deo sexus muliebris pro uelamine & argumento subiectionis accepit, sicuti eiusdem concilij Ca. 17. uidere licet, & malum eò usq; crescebat, ut prætextu religionis & continentiæ parentes filios suos quos alere debebant neglexerint, can. 15. & filij parentes suos deseruerint, can. 16. Hęc in Ecclesia Christi doctrina dæmoniorum ante mille ducentos annos peperisse deprehenditur. *Concilũ Gangrense.*

Et sexta Synodus, sicuti citatur Dist. 31. Can. Quoniam, eidem malo uolens resistere, sic decreuit: Si quis præsumpserit contra Apostolicos Canones, aliquos presbyterorũ & diaconorum priuare à contactu & à cõmunione legalis uxoris suæ, deponatur. Similiter & presbyter aut diaconus, qui religionis causa uxorẽ suã expellit, excõmunicetur: si uerò in hoc permanserit, deponatur. Hæc ibi. uerũ nec huius Synodi authoritas currenti malo frenum imponere potuit. Interea tamen nõ defuerunt uiri cordati, qui Apostolico canoni, & Nicenę synodo acquiescentes, securã matrimonij castitatem magis quàm nouũ illud & periculosum cõtinẽtiæ genus amplecterentur, quorũ etiam Hieronymi tempore plurimi inueniebantur. Vnde lib. 1. aduersus Iouinianum uir ille sic scribit: Si aũt Samuel nutritus in tabernaculo duxit uxorem, quid hoc ad præiudicium uirginitatis? Quasi non hodie quoq; plurimi Sacerdotes habeant matrimonia, & Apostolus Episcopum describat unius uxoris uirũ, habentẽ filios cum omni castitate. Hæc ibi. Tandem in uniuerso Occidente sub tyrannide Rom. Pontificum legitimi coniugij libertas, honestas, & castitas ministris Christi prorsus est adempta, idq; tum potissimũ, cũ crescente in Ecclesia hypocrisi, superstitione ac Simonia, simul multitudo ociosorũ hominum, ac uentris gratia ad sacra anhelantium excresceret, & omnia templis, sacellis, aris, cœnobijs implerentur, iamq; non trigenarij, sed imberbes ac salaces adolescentes passim sub uoto continentiæ ordinarẽtur. Notum est quid Germaniæ nostræ anno 1074. sub Hilteprandto, qui Greg. 7. dictus est, acciderit. Is, sicuti uidere est in Chronico Sigeberti Gemblacẽsis, sacerdotes uxoratos à diuino officio remouit, & laicis missas eorum audire interdixit. Quid factum est? Pauci continentiã seruant, multi hanc, alius causa quæstus, alius spiritu iactantiæ simulant: magna pars incontinentiam periurio & adulterijs cumulant, conscientiæ eorum qui clanculum uxorib. suis iungebantur, miserè diuexantur, plebs fidelium de ministerio coniugatorum sacerdotum contemptim sentit, atq; eò delabitur ut inuenti sint, qui sacramentum Dominici corporis à presbyteris coniugatis cõsecratum pedibus conculcauerint, & calicem Domini in terram effuderint. Cum ad hunc modum sacerdotes alij propter coniugium, alij propter scortationẽ quæ prohibitionem coniugij euestigiò subsequebatur, passim essent contemptui obnoxij, hac occasione arrepta multi hypocritæ, falsiq; doctores in Ecclesia exurgentes, populum post se traxerunt. Hinc sunt tam multa ac uaria monachorum genera. Sic ordo ministrorum Ecclesiæ opera Satanæ corruptus, dignus est factus qui iuxta Seruatoris sententiam instar salis infatuati foras proijciatur, ac pedibus prætereuntium atteratur. Quantum autem incrementi malum hoc intra quingentos hosce annos acceperit, res ipsa clamat. *Sexta Synodus. Hieronymus. Romana tyrannis coniugium presbyteris ac ministris prorsus ademit. Gregorius 7. Ordo ministrorum Ecclesiæ corruptus.*

Populus, qui olim ministerio coniugatorum offendebatur, paulatim didicit uti officijs scortatorum, concubinariorũ, adulterorum, incestuariorum, uirginum stupratorum, & quorum non? Nulla est tam manifesta, tám impudens, tam pertinax, tam horribilis ac portentosa libido, quæ iam populum occæcatum offendat, & indignum aliquem sacerdotio constituat: sola coniugij legitimi honestas & castitas repudium est irreconciliabile in ecclesia Romanorum passa, ac digna iudicata, quæ ubicunq; & quomodocunq; ad ius amissum aspirare tentauerit, gladio & igni crudeliter subijciatur, aduersus quam uiolentiam illi nec institutio diuina, nec Apostolica doctrina, nec priscæ Ecclesiæ consuetudo, nec uetustorum conciliorum sanctiones, neq; tam manifesta Ecclesiastici ordinis corruptio, neq; tot pereuntium animarum myriades patrocinari poterunt.

QVARE SIT CONIVGIVM MINIstris Christi ademptum.

Propositũ Satanæ.

MIrabitur quisqam quánam ratione tanta sit pertinacia coniugium ministris Christi ademptum. Occurrunt hac de re cogitanti duæ primariæ caulæ. Prima concernit propositum Satanæ, qui prætextu cœlibatus Ecclesias horrendis libidinum exemplis opprimere uoluit. Huius respectu lex ista contra coniugium ministrorum lata, ab Apostolo doctrina dæmoniorum uocatur, 1. Tim. 4. Ex fructu cognoscitur arbor, quicquid moliantur, qui uaticinium Apostoli ad Tacianum, Montanum & Eucratitas referunt. Vt hostis humani generis rectè cẽsetur, qui etsi non omnes homines, multos tamẽ perdit: & ut uerè tyrannus est, qui etiamsi non in omnes, in quosdam tamen tyrannicam uiolentiam exercet: ita reuera hostes sunt & oppressores legitimi coniugij, qui usum illius non uni & alteri, sed innumeræ ministrorum multitudini suapte temeritate contra expressum canonem Apostoli adimere non dubitãt. Prohibẽtes nubere, inquit Apostolus. Nõ addit, Omnibus. Si nemini prohibent isti, nõ poterit ad ipsos referri uaticiniũ Apostoli. Prohibẽt aũt innumeris, ergo uaticinio isto nolint uelint perstringuntur & ipsi, nõ minus quã Montanistæ, Taciani & Eucratitæ. Hæc est prima causa inducti in Ecclesiã cœlibatus, nimis uera & efficax, quãtumuis illã agnoscere nolũt.

Opes Ecclesiasticæ.

Altera est, ut opes Ecclesiasticæ & retineri & cumulari possent. Crescentibus illis metus corripiebat episcopos, ne quid illis detrimenti per episcopos ac presbyteros coniugatos acciderit, præsertim si filios, filias, nepotes, &c. haberent, in quos bona ecclesiastica deriuarentur. Et ne quis hoc de meo in medium adferri putet, citabo fide dignissimum consilij huius testẽ, Pelagium uidelicet Romanum pontificem, cuius hęc sunt uerba, Decretis pontificum inserta Dist. 28. De Syracusanæ urbis antistite, inquit: Optaueramus in ipso initio gloriæ uestrę desiderijs obedire, nisi nos multiplex ratio, non paucis temporibus ordinationẽ sacerdotij ipsius differre coegisset: ob hoc autem quòd uel personæ qualitas, sicut & uos melius nostis, uel superstes uxor, aut filij per quos ECCLESIASTICA SOLET PERICLITARI SVBSTANTIA, nostros animos diutius ab eius ordinatione suspenderet. Et paulò pòst: Inter huiusmodi ambiguitates illud consultius iudicauimus faciendum, ut congrua prouidentia causam propter quam principalis constitutio habentem filios & uxorem, ad episcopatus ordinẽ promoueri prohibet, salua dispositione concilij muniremus. Qua de re summo studio ab eodem Syracusanæ urbis Episcopo, priusquam à nobis in Episcopum contigerit ordinari, huiusmodi exegimus cautionem, per quam & suam fateretur, quantula esse præsentis temporis habita rerum descriptione substantiam, & nihil unquam per se, aut per filios & uxorem, siue quamlibet propinquam aut domesticam, uel extraneam fortè personam de rebus audeat usurpare ecclesiæ, & uniuersa tempore episcopatus sui quæsita Ecclesiæ suæ dominio sociaret, nihil ultra id quod modò descriptum est, filijs suis uel hæredibus relicturus. Hæc ibi. Vnde manifestum esse puto, ob quam causam tanta sit pertinacia coniugium ministris Christi, episcopis ac presbyteris ademptum, cautumq; ne uxorati, præsertim si essent illis liberi, eligerentur: qui uerò electi essent, ab uxoribus abstinerent. Querebatur scilicet opulentia ecclesiastica, qua obtenta, omnis illa hypocrisis euanuit, qua puritas sacerdotalis ordinis

Erasm. Roter.

& officij prætexebatur. Vidit hoc Erasmus Roterod. qui in Annotationibus suis 1. Tim. 3. post graues querelas admodum scitè subiungit dicens: Sed etiam atq; etiam uereor, ne census ecclesiastici castrẽt hodie clericos uerius quàm pietas, dum metuimus, ne quod tenemus intercipiatur, aut certè nihil accedat.

Hisce duabus de causis introductus & assertus est hactenus cœlibatus Sacerdotalis, & repudiatum matrimoniũ. Opulentię autem Ecclesiasticæ fructus qui sint, nihil attinet hic referre. Inspiciatur sacerdotalis ac Pontificalis fastus, quem splendor Regius uix poterit adæquare, inspiciatur luxus plusquàm Sybariticus, inspiciatur ferocia planè bellica, inspiciãtur ocia, quàm sint illa turpia & detestabilium uiciorum, imò criminum feracia, ut non sit frustra iam olim iactatum illud, Religio peperit diuitias, at filia suffocauit matrem.

Hæc uolui obiter in causa hac, reuera digna, quam Principes Christiani cognoscant & curent,

rent, adferre in medium, quo miseris & corruptis Ecclesiæ rebus consulatur. Clamat sex illa incorrigibilis immunditiæ, Etsi in usu quidem fuerit olim, ut uxorati ad ministeria Ecclesiæ eligerentur, nunquam tamen esse auditum, licuisse electis, ut post ordinationem in ministerio constituti nuberent. 1 Redeant primùm ad canonem Apostolicum, & eligant unius uxoris uiros, filios habentes subditos & morigeros, ac tum de eo disputent, liceat ne ministro episcopo, presbytero ac pastori nubere. 2 Permiserunt sibijpsi potestatem prohibendi, quod non prohibuit Apostolus, quanto magis potestatem habet minister faciendi, quod nusquam ulla est authoritate Apostolica prohibitum? 3 Licet episcopo esse coniugem. Sit unius uxoris uir, inquit Apostolus. Si esse licet, quomodo fieri non licet? Digamum esse non licet episcopo, fieri ergo non licet. Qualem enim eligere non licet, talem illum fieri quoq; non licet. Licet eligere unius uxoris uirum. Ergo hunc post electionem etiam unius uxoris uirum fieri nihil est quod prohibeat. Quod si non licet episcopo ut coniunx fiat, utiq; non licet illi ut sit coniunx. Quicquid enim licitè fieri non potest, non debet in earum rerum genus reponi, quæ & licitæ sunt & honestæ. Est autem episcopo unius uxoris coniugium & licitum & honestum, ergo licitum & honestum & hoc illi est, ut fiat unius uxoris maritus. *An liceat episcopo ducere uxorem.*

Quod dicunt, nunquam esse auditum, quòd presbyter & episcopus quisquâ duxerit uxorem, planè friuolum ac falsum esse uel ex eo conuincitur, quòd Dist. 31. ex decretis Stephani Papæ ad hunc modum legitur: Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarũ, aliter huius S. Romanæ ecclesiæ. Nã illarũ sacerdotes, diaconi, aut subdiaconi matrimonio copulantur, istius autem ecclesię nullus sacerdotum à subdiacono usq; ad episcopum licentiam habet coniugium sortiẽdi. Hęc ibi. An non palàm ac disertè dicit: Sacerdotes, diaconos ac subdiaconos in Ecclesijs Orientalibus matrimonio copulari? Non dicit, coniugatos eligi, quod tamen & ipsum ex traditione apostolica fiebat, sed matrimonio copulari. Si matrimonio copulabãtur, ergo uxores utiq; in ministerio constituti ducebant. Et hoc fecerunt Orientales Ecclesiæ, ab Apostolis conditæ, traditiones Apostolicas seruantes, à quibus Romanæ sedis temeritas iam olim deficere cœpit. Tandem ista nubendi libertas in Ecclesijs Græcorum in arctum est restricta, quemadmodum anno 1540. in colloquio Vuormacienſi ex Græcis, qui illic erant, cognouimus. Diacono, postquam electus est, uirginem ducere licet in uxorem. Quod si adhuc agamus ordinatꝰ fuerit in sacerdotẽ, etiã sic illi nubere licet, si id faciat πρὶν ἢ ἱερατεῦσαι, id est, priusq; munus sacerdotale obire cœpit. Si uerò postquã sacrificauit, uxorẽ duxerit, à sacerdotio reijcitur. Quare qui ordinantur in sacerdotes, confestim nubunt, ut fiant coniuges priusquam sacris manum admoueant. Existimo consuetudinẽ hanc inde ortã, quod offenderetur populus nuptijs magis quàm cõiugio sacerdotũ, propterea quòd lęuitas quędam in illorũ nuptijs per inde atq; reliquorũ concurreret. Alioqui quid refert quando nubas, anténe uel post officij primordia, cũ toto ministerij cursu coniugem esse, & peracto sacro ad usum cõiugij redire liceat? Conuenítne tantũ esse discriminis inter nuptias & ipsum coniugium, ut sacerdoti ministeriũ suum obeunti non sit illicitum coniugiũ, sint uerò illicitę nuptiæ? Quid sunt nuptiæ, nisi sacra honestissimi matrimonij initiatio & principiũ? Si sanctum est coniugiũ, sanctũ est illius etiam principium. Si arbor bona est, & radix bona sit necesse est. Omnino reprehensibilis est hęc cõsuetudo, qua post inchoatum ministeriũ quod esse licet, fieri non licet, cui proximus defectionis gradus est, ut quod fieri licere nolũt, paulatim esse quoq; prohibeatur. Satis enim indicari uidetur, quod utcũq; tolerẽt cõiugiũ in ministris, ac pluris faciant ministeriũ cœlibis ministri quàm uxorati, dum ministrum coniugem fieri uetant. Sed redeamus ad canonem Apostoli: Vnius uxoris maritum, inquit. Ostendimus non reijci ab Apostolo coniugium, sed polygamiam, qua plures simul habentur uxores. Sunt itaq; assuefaciendi fideles, ut de coniugij honestate ac castitate reuerentius ac religiosius sentiant, nolintq; religiosiores uideri ipsis Apostolis, qui & ipsi conjuges fuerunt, & uxores suas in ministerio Apostolatus sui circunduxerunt: deniq; episcopos, qui unius uxoris mariti sint, eligendos esse statuerunt. Deinde poscit talem uirum, qui sit νηφάλιον. Sonat ea uox sobrium. Sic uertit uulgatus interpres: quoniam uerò qui sobrij sunt, minimè sunt dormitabũdi, sed plerũq; uigilantes & attenti in ea quæ sunt curanda, uertit Erasmus uigilantem, satis commodè. Nam uigilantia cum primis requiritur ab episcopo, id est, speculatore ac superattendente, ut attentus sit ad speculandum omnia, quæ gregi Dominico accidunt, ne si somnolentus sit, incidat in illud prophetæ, Speculatores eius cæci omnes, nesciunt uniuersi, canes muti non ualentes latrare, uidentes uana, dormientes & amantes somnia, &c. Esa. 56. Quid autem perniciosius speculatore somnolento & ebrio temporibus belli poterit accidere ciuitati? De nouissimis hisce temporibus prædictum est à Domino, dormitaturos omnes. Si dormientibus omnibus ipsi quoq; speculatores dormierint, quisnã pro grege domini uigilabit? quis dormientes ac stertẽtes excitabit? Est itaq; summopere necessarium, ut ad episcopatus eligantur uiri non desides, pigri, negligentes, ac dormitabundi, sed qui mente sint alacri, uigilanti & attenta, in ijs quæ agenda susceperunt. Non conuenit, ut qui alijs est præfectus, integras noctes, nedum interdiu dormiat. Notũ est illud Poetæ, ὁ χρὴ παντύχιον νύδ' ἔμεν βουληφόρον ἄνδρα. *An unquam episcopi duxerint uxores.* *De Ecclesijs Græcorum.* *Nuptiæ quid sint.* *Vigilantem.*

Tertiò,

Sobrium. Tertiò, addit σόφρονα, quæ dictio ſonat eũ, qui ſanus ſit mente. Eſt enim σωφροσύνη idem quod *σωφροσύνη.* σωτηρία τῆς φρονήσεως, id eſt, ſanitas ac ſalus mentis. Sic Chryſoſt. homil. 20. in Epiſtolam ad Rom. καὶ γὰρ καὶ τοῦτο σωφροσύνη λέγεται, ἀπὸ τῆς σώας τὰς φρένας ἔχειν. Eraſmus uertit, ſobriũ: uulgatus interpres, prudentem. Sanitas mentis eſt, integra & illæſa mentis conſtitutio, ne qua ſit parte uel odio uel inuidentia, uel prauo aliquo ſtudio, aut aliàs incurabili defectu intelligentiæ ac iudicij uiciata. Neceſſaria planè conditio. Etenim utut uigilans ſit epiſcopus, niſi hac ſit mentis integritate præditus, plus nocebit Eccleſię quàm proderit. Reijciuntur itaque homines ſana mente deſtituti, iudicio & animo corrupti, & ſi quid ſapientiæ habent, ad malum habentes magis quàm ad bonum.

Modeſtum. Quartò, κόσμιον inquit. Eraſmus uertit modeſtum: uulgata uerſio habet, ornatum. Significat uirum bene moratum & compoſitum. Eſt enim κόσμος compoſita & concinna rerum diſpoſitio, cui opponitur ἀκοσμία, id eſt, confuſa rerum perturbatio, cum nulli rei ſuus ordo ac ſtatus conſtat, quod & ἀτακτῶν dicitur. Et ἀκοσμῶ idem eſt quod indecẽter ac perperã ago. Requirit ergo apoſtolus uirum compoſitum, ac moribus ei muneri conuenientibus decẽter ornatũ. Multũ efficaciæ habet in obeundo munere iſta κοσμία. Ornat enim omnes honeſtas ac pias actiones, ac reddit eas etiam ethnicis hominibus ſpectabiles & acceptas. Cõtrà, quicquid indecenter geritur, plurimum de pondere ſuo amittit.

Hoſpitalem. Quintò, φιλόξενον inquit. Reddunt cõmuniter hoſpitalẽ. Significat uirũ qui peregrinos amanter complectatur, hoſpitio accipiat, & pro uirib. iuuet. Dotem hanc neceſſariò requirit Apoſt. in miniſtro. Eſt enim hæc ſors fidelium, ut propter Chriſtũ fedib. ſuis pulſi reddantur peregrini & exules in mũdo. Quare epiſcoporũ cum primis eſt, u.. os propter Chriſtũ hoſpitio accipiant, ne ab infidelib. abacti dum nihil ſolatij inter conſortes fidei inueniunt, mole calamitatũ preſsi concidant, & ad ſeculum redeant. Et à populo Iſraelis philoxeniã hanc requiſiuit Deus Deut. 10. cum ſe peregrinos amare, illisq; uictũ & amictum dare dicit, ac ſubiũgit: Et uos ergo amate peregrinos, quia & ipſi fuiſtis peregrini in terra. Amplius quiddam eſt eſſe philoxenũ, quàm xenodochum, id eſt, amatorem peregrinorum, quàm hoſpitalem. Non mox amans eſt peregrinorũ, qui eos hoſpitio accipit, id quod obiter, & neſcio quo reſpectu fieri poteſt.

φιλόξενον & ξενόδοχον.

Doctorem. Sextò, διδακτικὸν, inquit. Vulgatus interpres habet, doctorem. Significat non ſimpliciter doctorem, ſed facultate docendi præditum, & ad docendum appoſitum. Non quæritur in epiſcopo titulus doctoris, magnis ſumptibus in Academijs acquiſitus, ſed ut ſit facultate pariter & ſtudio docendi inſtructus. Particulam hanc Tit. 1. fuſius expreſsit ad hunc modum: Tenacem eius qui ſecundum doctrinam eſt fidelis ſermonis, ut potens ſit etiam exhortari per ſanam doctrinam, & contradicentes conuincere. Sanam doctrinam & fidelem ſermonem uocat euangelicam doctrinam. Huic prædicandæ tenaciter inhærendum eſſe dicit epiſcopo. Et ponit duas illius partes: unam, qua doceantur ignorantes: alteram, qua conuincantur contradicentes. Et hoc primarium eſt epiſcopi munus, ut perſeueranter doceat fideles, & redarguat contradicentes. Cætera quæ hic præſcribuntur, talia ſunt, ut à quouis Chriſtiano rectè requirantur: publicum uerò docendi munus non niſi ab eo, cui id ex officio incumbit, niſi quòd patrisfamiliâs eſt, ſuos domi docere & inſtruere in cognitione Dei, ac uera pietate. Confer huc noſtrorum temporum titulares epiſcopos. Obſecro quotuſquiſque eſt, qui munus docendi ad ſe pertinere cogitet? In Germania carnalis quidam epiſcopus, cùm uerum ſe epiſcopum eſſe ſimulare uellet, ſemel atque iterum ſuggeſtum ad hoc ſeorſim paratum aſcendit, & populum quem à ueritate ac libertate Euangelica ad tenebras & iugũ Papiſmi reducere conabatur, ex ſcheda partim, partim ex inſtinctu ſuggeſtoris, quẽ à tergo habebat, alloquutus eſt: quaſi hoc ſit eſſe didacticon, & ſemel atq; iterũ uulgo ſeſe pro ſuggeſtu oſtẽtare, ſit eſſe tenacem fidelis ſermonis & ſanæ doctrinæ. Verùm fabula illa quæ non ex animo, ſed ſimulanter ac ſtudio malo agebatur, citò deſijt. Erat enim adeò ridicula, ut & ſuæ farinæ hominibus, præſertim cæteris epiſcopis, pudorem incuteret.

Duæ partes ſanæ doctrinæ.

Factũ Germani cuiuſdã Cardinalis.

Nõ uinolentũ. Septimò, ad mores uitæ regrediens, addit: μὴ πάροινον. Eraſmus ac uulgatus interpres uerterunt, Non uinolentum. πάροινος eſt nõ is qui aliquoties uino nimio inebriatur, ſed qui deditus eſt uino, etiamſi non ſic bibat, ut inebrietur. Sonat aſsidentem uino, eum qui aſsiduus eſt ad uinum, ut ſic dicam. Qui ſic comparatus eſt, prorſus eſt inconueniens ei muneri, quod ſingularem ſobrietatem ac uigilantiam requirit. Hac ratione uetuerunt Canones, ne miniſtri eccleſiæ tabernas uinarias ingrediantur. Vide in Concilio Laodicenſi, Can. 24. Scio uocẽ hanc πάροινον plerunq; à Græcis uſurpari, pro eo qui inſtar uinolenti debacchatur, ſæuit, & ferociter agit. Verùm ſimpliciorem ſenſum eſſe iudico, quem aſsignaui. Neq; enim debacchantẽ duntaxat Apoſtolus, ſed & eum excludit, qui uino eſt impenſius deditus.

πάροινος.

Nõ percuſſorẽ Octauò, Non percuſſorem, inquit. Græcè eſt, μὴ πλήκτην. Sonat quidem ea uox percuſſorem, uerùm hoc loco uidetur magis pro eo poſita, qui lingua, quàm qui manu percutiat, ut reijciatur is, qui linguam habet acerbam, & conuicijs deditam. Conuenit tamen epiſcopo, ut nec manu, nec lingua uerberet, qualiter ſolent homines ira perciti, ſed & manum & linguam habeat ab hoc uicio alienam, animo uidelicet præditus miti ac placido, quo ſpiritũ referat Domini

mini sui, qui ne in hostes quidem aliquid ferociæ ostendit.

Nonò, non αἰσχροκερδῆ, inquit. dictio à turpi & lucro composita, sonat turpilucrem, turpiter quæstuosum, inhonesto quæstui intentum. Erasmus uertit, turpiter lucri cupidum. Vulgata uersio habet Tit.1. turpis lucri cupidũ. At Apostolus nõ hoc tãtùm requirit ab episcopo, ne sit turpis lucri cupidus, quasi possit episcopo qualiscunq; lucri studiũ cõpetere, modò nõ sit turpe: sed ne sit omnino lucro intẽtus, propterea quòd id turpe sit in episcopo. Nemo lucris inhians turpitudinẽ in lucro affectat, sed emolumentũ suũ quærit, illiq; bonus est odor lucri quauis ex re, honesta perinde ac turpi. Quare αἰσχροκερδὴς non est turpis lucri, sed cuiusuis turpiter cupidus. Qui hoc morbo laborat, nihil pensi habet, unde quæstũ faciat, modò facere possit, nemini parcit, nec parentibus, nec fratribus, nec cognatis & amicis, nec uiduis, nec orphanis & pupillis, nec egenis, nec eiusdem fidei consortibus, nec fidei suæ cõmissis: nec conscientiam Dei reueretur, nec nominis & officij sui rationem habet, sed perinde ad odorem lucri aduolat, atque uultures ad putida cadauera. Vertit se in omnes formas, quo undique aliquid lucri emungat. Nemini fidus, omnium fortunis insidiatur, fallax, uafer, simulator ac dissimulator, & omnia cõminiscendi artifex, nullam non occasionem captat, qua sese sacris & profanis depeculandis ac deglubendis ingerat. Quærimũsne turpissimi huius uitij exempla? quasi non passim in ipsis ecclesiæ prælatis occurrant, & omnium maximè in curia Romana, quæ ut iam olim uulgò iactatur, non petit ouem sine lana. Huius nundinationes nec modum, nec fundum, nec finem, nec pudorem habent ullum. Innumeris modis ex omnibus nationibus, ex omnis generis casibus & causis pecunias incredibilis auariciæ mancipia emungunt, ut omnium uerissimè illis competat poeticum illud, Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?

Nõ turpiter lucri cupidum.

αἰσχροκερδὴς

Curia Romana.

Quàm sint alieni ab hoc uicio episcopi nostri seculi, nulla diuinatione opus est. De Germanis episcopis, prælatis, abbatibus ac uniuersis ecclesiasticis iam olim Germanorum, de Gallis Gallorum, de Hispanis Hispanorum, de Polonis Polonorum, de Italis Italorum, de Hungaris Hungarorum, imò & Turcorum, conscientia iudicare potest: de Romano episcopo, qui seipse per fas & nefas, contra maiorum decreta & canones, nedum contra mentem Christi, uniuersalem totius Christiani orbis episcopum constituit, & omnium Christianorum loculis & conscientijs laqueos iniecit, uicissim omnibus Christianis iudicium competit.

Episcopi.

Et quoniam in hunc de αἰσχροκερδίᾳ Romanæ curiæ locũ incidimus, ipsa indignitate rei cogor illi paululum immorari, ac aliquem saltem gustum illius lectori proponere, idq; non in ijs quæ aliquando per occasionem admittuntur, sed in certis, fixis ac constitutis, in quibus sese quotidiana & usitata illorum nundinatio prorsus papaliter exercet.

DE CAVSIS MATRIMONIALIBVS.

IN causis matrimonialibus, pro contractu quarti gradus, taxa est turonen. septem, ducatus unus, carlini sex.

Si qui gradus huius impedimentum scientes carnaliter commixti sunt, taxantur turonensib. 16. duc. 4.

Pro legitimatione prolis suscipiendæ in dicto gradu, specialis taxa est turon. 9. duc. 1. carl. 10.

Qui ignorantes hoc impedimentum carnaliter copulati sunt, soluunt turon. 9. duc. 1. carl. 10.

Qui ignoranter contraxerunt, & scienter consummarunt, pendunt turon. 7. duc. 1. carl. 6.

Qui scienter contraxerunt, & non consummarũt, taxantur turonen. 9. duc. 1. carl. 10. Verùm quando matrimonium scienter contractum & consummatum est, tunc componendum est cum datario.

Si per ordinariam authoritatem diuortiati prolis ante diuortium susceptæ legitimationem petierint, dabunt turon. 9. duc. 1. carl. 10.

De contracto matrimonio in tertio consanguinitatis uel affinitatis gradu, taxa est turon. 14. duc. 3. carl. 4. Et præterea componendum semper est cum datario.

In secundo cõsanguinitatis uel affinitatis gradu, dispensatur tantùm per signoriam Papæ, aut sede uacante per summum pœnitentiarium: & taxa est turon. 50. duc. 12. carl. 6.

In primo gradu affinitatis dispẽsatur in foro cõscientię tãtùm, & taxa est tur. 30. duc. 7. carl. 6.

Diuortium simplex taxatur turon. 7. duc. 1. carl. 6.

Qui cõtraxerunt in cognatione spirituali, taxantur tur. 17. duc. 3. carl. 9. Si cognatio huiusmodi fuerit duplex, taxa est turon. 30. duc. 7. carl. 2

In compaternitate dispensatur tantùm per signoriam Papæ, uel sede uacante per signoriam summi pœnitentiarij: & taxa est turon. 50. duc. 12. carl. 3.

Quando adulter, uel is qui fidem de contrahendo dedit, uel de facto contraxit, machinatus fuerit mortem alterius coniugi cum effectu, nunquam cum illo dispensatur, ut cum altero contrahat, sed in iam contracto tantùm dispensatur (dummodo negocium sit penitus occultum) in foro conscientiæ tantùm: & taxa est turon. 36. duc. 9.

Si quis mortem coniugi ſuæ machinatus eſt, effectu non ſequuto, nec fide alteri data, diſpenſatur ut mortua coniuge, cum altera contrahat, & taxatur turonen. 9. duc. 2. carl. 9.

Si quis in matrimonio conſtitutus uiuente adhuc uxore ſua, contraxerit cum altera, ignorante ipſum eſſe coniugatum, poſt obitū uxoris ſuæ tenetur iſtam habere coniugem: nouo tamen conſenſu interueniente, nec poteſt fieri diuortiū, niſi ad inſtantiam alterius ignorantis: & taxa eſt tur. 9. duc. 2. carl. 9.

Si quis coniugem ſuam plures annos abſentem obijſſe credens, aliam duxerit, in eo matrimonio maneat, & durante hac credulitate debitum coniugale exactus reddat, non autem exigat. Si prior coniunx redierit, ſecūda relicta, priori adhærebit: & taxa eſt tur. 9. duc. 2. car. 9.

Cum eo qui uouit perpetuam caſtitatem, diſpenſatur in foro conſcientiæ tantùm, & taxa eſt tur. 16. duc. 3. carl. 6.

Cum eo qui uouit, quòd religionem intrare uelit, non tamen ſolenniter, diſpenſatur ut contrahat matrimonium, in foro conſcientiæ tantùm: & taxa eſt tur. 15. duc. 4.

Si clauſula acceſſerit, quòd mortua cōiuge, uotum ſuum omnino adimplere teneatur, diſpenſatur tamen, & taxa eſt tur. 7. duc. 2. carl. 3.

Si quis in ſacris ordinibus conſtitutus (modò id ſit occultum) uxorem duxerit, diſpenſatur cum illo, ut poſsit in coniugio manere, donec uxor uixerit, poſtea abſtineat à matrimonio, & in illo conſtitutus, officium beatæ Mariæ uirginis ſaltem diebus feſtis dicat per modum ſatisfactionis: & taxatur tur. 15. duc. 4.

De Ebræis.

Vt Ebræus poſsit habere ſynagogam in domo propria, taxatur tur. 30. duc. 7. carl. 6.

Pro licentia erigendi de nouo publicam ſynagogam, taxa eſt tur. 60. duc. 15.

Pro licèntia medendi cum aſsiſtentia taxatur Ebræus, tur. 6.

De promotis & promouendis ſuper defectu ætatis.

In ſexto anno, uel cum primùm ſextum attigerit, pro prima tonſura tenetur ſoluere tur. 9. duc. 2. carl. 9.

In decimoſexto uel cum primùm decimumſextum attigerit, ad ſubdiaconatum taxatur, tur. 12. duc. 3. carl. 8.

In decimoſeptimo taxatur tur. 6. duc. 2.

In decimooctauo ad diaconatum, tur. 12.

In decimonono turon. 6.

In uigeſimoſecundo ad presbyteratum turon. 12. duc. 2. carl. 10.

In uigeſimoquarto turon. 6.

Licentia ſuſcipiendi ordines.

Qui ſuſcipit primam tonſuram, & quatuor minores ordines non ab ordinario ſuo, taxatur turon. 4. duc. 1. carl. 9.

A quocunq; accipiātur, ad omnes ſacros ordines, uel duos, uel unū tantū, tur. 12. duc. 2. car. 10.

Extra tempora ad omnes ſacros ordines, uel ad duos, nel ad unum tantùm, turon. 10. duc. 2.

A quocūq; recipiēte munus benedictionis pro abbate, tur. 24. duc. 6. Et pro epiſcopo, tur. 24.

De corpore uiciatis.

Super defectu alicuius membri, diſpenſatio ad clericalem characterem, & quatuor minores ordines, taxatur tur. 6. duc. 2.

Super defectu alicuius mēbri diſpēſatio ad ordines, uel ad exequutiuū ordinē, tur. 16. duc. 4.

Si ſuper defectu digitorum, ad quæcunq; ſimplicia beneficia, tur. 12. duc. 3. carl. 6.

Super defectu uiſus oculi dextri, taxa. turon. 16. duc. 4.

Super defectu oculi ſiniſtri, dummodo chartam teneat in medio altaris, & non ſit magna deformitas, taxatur turon. 30. duc. 7. carl. 6.

Super defectu utriuſq; uel alterius genitalium, tur. 6. duc. 2.

Pro illo qui ſibijpſi membrum uirile abſcidit, tur. 12. duc. 3. carl. 6.

De malè promotis.

Qui minorennis promotus eſt, turon. 7. duc. 2. carl. 3.

Sine dimiſſorialibus literis pro irregularitate, turon. 7. duc. 2. carl. 3.

Si cum retentione beneficij, turon. 13. duc. 3. carl. 8.

Qui extra tempora promotus eſt, tur. 7. duc. 2. carl. 3.

Et pro retentione beneficij, turon. 13. duc. 3. carl. 8.

Qui ficto titulo promotus eſt in ueteri forma, hoc eſt, qui nō iurauit, nec teſtes induxit, tur. 7. duc. 2. carl. 3.

Qui prætermiſsis quatuor ordinibus per ſaltum promotus eſt, tur. 6. duc. 2. carl. 2.

Si prætermiſſo ſubdiaconatu, uel diaconatu de expreſſo, tur. 12. duc. 3. carl. 7.

Si prætermiſsis ambobus, tur. 18. duc. 4. carl. 9.

Qui eodem die ad duos uel plures ordines promotus eſt, tur. 6. duc. 2.

De

De his qui miniſtrant, non promoti.

Si in ſubdiaconatus, uel diaconatus ordine hoc fecerint, taxa eſt tur.12.duc.3.carl.6.
Si cum retentione beneficij, tur.18.duc.4.carl.9.
Si miniſterium altaris exercuerint, & ſacramenta adminiſtrauerint, cum presbyteri non ſint, taxa eſt tur.36.duc.9.

De illegitimis.

In prima forma, hoc eſt, ad omnes ordines & unũ beneficiũ etiam curatũ, tur.5.duc.1.carl.1.
Et cum clauſula permutandi, Si petatur, ſemel tantùm, tur.7.duc.7.carl.3.
Si illegitimus tacito defectũ huiuſmodi ſe fecerit ad aliquos ordines promoueri, tax. tur. 7. duc.7.carl.3.
Vt illegitimus poſsit unum beneficium permutare, tur.6.duc.2.
Vt duo, tur.12.ducat.3.carl.6.
Vt tria, tur.18.ducat.4.carl.9.
Vt poſsit deſeruire beneficio patris illo præſente, uel abſente, tur.6.duc.2.
Pro expoſito, tur.6.duc.2.

De regularibus illegitimis.

Pro religioſis mendicantibus, taxa eſt tur.6.duc.1.carl.8.
Cum ijſdem mendicantibus ad miniſtrũ prouincialem, uel prioratũ, uel ad alias quaſcũq; dignitates, & cum non mendicantibus ad abbatialem dignitatem diſpenſatur, tur.15.duc.4.

De coniugatis cum unica & uirgine.

Vt illi poſsint poſt obitum uxoris promoueri ad ordines, taxa eſt tur.6.duc.2.
Si uolunt gaudere priuilegijs, taxantur tur.9.duc.2.carl.9.

De bigamis.

Vt gaudeant clericali charactere, & quatuor minoribus ordinibus antea ritè ſuſceptis, taxantur tur.12.duc.3.carl.4.
Si uerò addatur clauſula, Si contingat cum alia contrahere, taxa eſt tur.18.duc.4.carl.9.
Si addatur diſpenſatio ad beneficia ſimplicia pro bigamo non habente uxorem, adduntur turones 12. & taxa eſt tur.24.duc.6.
Qui tacita bigamia, cum eſſet coniux, fecit ſe clericali charactere inſigniri, taxatur tur. 21. duc.5.carl.6.
Pro milite bigamo contra ſtatuta ſacrę militiæ uel ordinis diſpenſatur, ut gaudeat priuilegijs militiæ, & maneat in matrimonio, tur.18.duc.4.carl.9.
Pro bigamo non habente uxorem, ut poſsit ad quatuor ordines minores promoueri, taxa eſt tur.12.duc.3.carl.6.
Pro bigamo, qui eo tacito ſuſcepit ordinem, diſpenſatur ad altaris miniſterium, in foro conſcientiæ tantùm, & cum clauſula, Nullis, &c. tur.35.duc.9.
Pro bigamo, cum quo fuit diſpenſatum per Papam ad ordines ſacros & canonicatum, diſpenſatur ad duo beneficia ſimplicia compatibilia, tur.24.duc.6.

De abſolutionibus & diſpenſationibus.

Pro eo qui interfuit bellis, neminem tamen occidit, uel mutilauit, neque ad id auxilium contulit, tur.36.duc.9.

Qui iudicarunt uel ſcripſerunt in cauſis criminalibus.

Taxantur pro quolibet, tur.36.duc.9.

Qui uiolentam manum iecit in clericum, uel presbyterum.

Taxatur turonen.6.duc.2.
Qui in abbatem uel prælatum generalem alicuius ordinis, tur.12.duc.3.carl.6.
Qui in epiſcopum uel ſuperiorem prælatum, tur.24.duc.6.

De mutilatione.

Pro clero cum ſuius limitationibus conſuetis, tur.18.duc.4.carl.9.
Si petatur ſimplex abſolutio abſq; diſpenſatione aliqua, tur.6.duc.2.
Si quis mutilauit abbatem uel generalem, adduntur turones 6.
Si epiſcopum, adduntur tur.12.
Si laicus laicum, datur in foro conſcientiæ, & taxatur tur.6.duc.2.

De homicidio uoluntario.

Cum homicida uoluntario in minoribus ordinibus conſtituto, diſpenſatur ad unum beneficium ſimplex, ſi id non ſuffecerit, ad ſecundum: ſi ne ſecundum quidem, ad tertium, & unà cum abſolutione taxatur tur.12.duc.3.carl.6.
Et ut gaudeat priuilegijs clericalibus, tur.18.duc.4.carl.9.
Et cum inhibitione taxa.tur.30.duc.7.carl.6.
Et ad tria beneficia, ſi petat, tur.18.duc.4.carl.9.

Si petatur usq; ad congruam sustentationem, tur. 24. duc. 6.
Et cum inhibitione, tur. 36. duc. 9.
Si defunctus non est mortuus ex uulnere, sed alio quodam casu, nec percutiens animum habuit occidendi, dispensatur etiam ad altaris ministerium, & quæcunq; beneficia ecclesiastica, tur. 36. duc. 9.
Absolutio ab homicidio pro episcopo, uel abbate, uel generali alicuius ordinis, uel militiæ sancti Ioannis tax. tur. 50. duc. 12. carl. 6.
Pro priore monasterij, uel protonotario Apostolico, tur. 40. duc. 10.
Cùm homicida uoluntario occulto cõstituto in sacris dispẽsatur ad altaris ministeriũ, & quę cunq; beneficia ecclesiastica, in foro cõscientię tantùm, & cũ clausula, Nullis, tur. 36. duc. 9.
Si plures in eodem homicidio conuenerint, pro duobus tax. tur. 50. duc. 12. carl. 6.
Si unus in pluribus homicidijs interuenerit, eodem tempore & eodem conflictu, taxatur tur. 36. duc. 9.
Si uerò diuersis conflictibus, pro duobus, taxatur tur. 50. duc. 12. carl. 6.
Si petatur absoluto ab homicidio pro communitate aliqua, taxa est arbitraria, pro ratione loci, prout dominis, correctori & officialibus pro tempore uisum fuerit.

De homicidio casuali.

Pro clerico, taxatur tur. 6. duc. 2.
Si datur assistentia, fit de speciali, & taxatur tur. 12. duc. 4.
Si petitur absolutio ad cautelam, taxatur tur. 18. duc. 4. carl. 9.
Et si addatur assistentia, tur. 30. duc. 7. carl. 6.
Si qui occidit, diligentiam quam debuit, non adhibuit, tax. tur. 24. duc. 6.
Et si addatur assistentia, taxatur tur. 36. duc. 9.
Et si dabat operam rei illicitæ, ut pote uenando, uel ludendo, & baculum uel lapidem iaciendo, & similibus, tax. tur. 36. duc. 9.

De homicidio necessario.

Si clericus hoc admisit, sese necessario defendendo, tur. 6. duc. 2.
Si addatur assistentia, tur. 12. duc. 4.
Si petierit absolutionem ad cautelam, tur. 21. duc. 5. carl. 6.
Si cum inhibitione, tur. 36. duc. 9.
Pro homicidio pro defensione alterius admisso, qui aliàs euadere non potuit, dispensatur ad altaris ministerium, tur. 30. duc. 7. carl. 6.
Pro episcopo uel abbate, &c. absolutio ab homicidio siue uoluntario, siue casuali, siue necessario, taxatur tur. 50. duc. 12. carl. 6.
Pro priore monasterij, &c. tur. 4. duc. 10.

De presbytericidio.

Pro laico, cum forma, in pœnitentia publica, pro una persona tantùm, taxatur tur. 6. duc. 2.
Pro clerico simplici, uel presbytero in sacris constituto, executione suorum ordinum sibi penitus interdicta, tur. 6. duc. 2.
Si plures fuerint, dummodo in uno & eodem negocio, pro primo taxatur integraliter, & pro quolibet aliorum pro medietate.
Si unus plura presbytericidia commiserit eodem tempore, & in eodem conflictu, non taxatur ultra 6.
Si uerò diuersis temporibus, pro primo taxatur integraliter, & pro quolibet aliorum pro medietate tantum.
Si presbytericida petierit commutationem pœnitentiæ publicæ in occultam simul cum absolutione, tur. 18. duc. 4. carl. 9.
Si hoc petat is qui plura admisit presbytericidia, tur. 18.
Qui episcopum uel alium superiorem prælatum occidit, tur. 36. duc. 9.
Qui abbatem, uel alium prælatum generalem, tur. 24.
Dispensatio pro presbytericida, ut possit obtinere beneficia ecclesiastica, tur. 2. duc. 2.

De laicidio.

Laicidium in forma pro uno laico tantùm, tur. 3. duc. 1. carl. 4.
Si unus plures in uno conflictu occidit, taxatur pro uno tantùm.

De parricidio.

Parricidium, matricidiũ, fratricidiũ, sororicidiũ, taxatur pro uno tantùm, tur. 4. duc. 1. carl. 8.

De uxoricidio.

Taxatur perinde atq; parricidium.
Si occisor petierit licentiam contrahendi cum alia, tur. 8. duc. 2. carl. 9.
Et pro alijs qui marito in eo negocio auxilium præstiterunt, augetur taxa duobus turonensib. pro quolibet.

De in-

De infanticidio.

Pro uno tantum, tur. 4. duc. 1. carl. 8. si pater, uel mater, aut cõsanguineus infantem oppresserit: si uerò extraneus, taxatur tanquam de laicidio.
Pro uiro & uxore simul, turon. 6. ducat. 2.

De abortu.

Pro muliere, quæ cepit potum ad necandum fœtum, uel patre, qui dedit potum matri, turon. 4. ducat. 1. carl. 8.
Pro extraneo, qui procurauit abortum alterius, tur. 4. duc. 1. carl. 5.

De ueneficijs & incantationibus.

Pro muliere uenefica uel incantatrice, postquã superstitiones abiurauit, in quolibet supradictorum casuum taxatur turon. 6. ducat. 2.

De hæreticis.

Absolutio ab hæresi priusquam abiurauit, cum rehabilitate, in ampla forma, & cum inhibitione, datur pro turon. 36. ducat. 9.
Pro laico, cum absolutione infamiæ, turon. 12. ducat. 3. carl. 6.
Et cum inhibitione, adduntur turones duodecim, turon. 24. ducat. 6.

De sacrilegio, furto, incendio, rapina, periurio, & similibus.

Absolutio cum rehabilitate in ampla forma, cum inhibitione, in quolibet dictorum criminũ, turon. 36. ducat. 9.

De Simonia.

Absolutio simplex pro Simoniaco, seu mediatore laico uel clerico, tur. 36. duc. 9.
Et cum dispensatione super irregularitate, quoad ordines sacros, & illorum exercitium, tur. 6. duc. 2.
Si cum dispensatione ad obtinenda alia beneficia, præter illud super quo fuit facta Simonia, materia erit componenda cum Datario Papæ.
Si petatur absolutio, tantum in foro conscientiæ datur, etiam cum retentione beneficij super quo facta fuit simonia: siue ex eo fructus perceperit, siue nõn, cum clausula: Nullus, &c. Et tunc non est componendum cum Datario, sed taxatur turon. 30. ducat. 7. carl. 6.

De lapsu carnis.

Absolutio à lapsu carnis super quocunq; actu libidinoso commisso per clericum, etiam cum monialibus intra & extra septa monasterij, aut cum consanguineis uel affinibus, aut filia spirituali, aut quibusuis alijs, siue ab unoquoq; de per se, siue simul ab omnibus absolutio petatur, cum dispensatione ad ordines & beneficia, cum inhibitione, turon. 36. ducat. 3.
Si uerò cum illis petatur absolutio, etiam à crimine cõmisso contra naturam, uel cum brutis, cum dispensatione, ut suprà, & cum inhibitione, turon. 90. ducat. 12. carl. 6.
Si uerò petatur tantum absolutio, à crimine contra naturam uel cum brutis, cum dispensatione & cum inhibitione, turon. 36. ducat. 9. *De Sodomia et bestialitate.*
Absolutio pro moniali, quæ se permisit plures cognosci intra & extra septa monasterij, cum rehabilitate ad dignitates illius ordinis, etiam Abbatialem, turon. 36. ducat. 9.
Absolutio pro concubinario, cum dispensatione ad ordines & beneficia, tur. 21. duc. 5. carl. 6.
Et cum inhibitione, turon. 36. ducat. 9.
Pro laico à lapsu carnis super quocunq; actu libidinoso, in foro conscientiæ, turon. 6. duc. 2.
Ab incestu pro laico, in foro conscientiæ tantum, turon. 4.
Si petatur pro utroq;, uidelicet uiro & muliere, in utroq; foro, turon. 18. ducat. 4. carl. 9.
Si cum inhibitione pro uno tantum, turon. 24. ducat. 6.
Si pro utroq; cum inhibitione, turon. 36. ducat. 9.
Absolutio ab adulterio pro laico, in foro conscientiæ, turon. 4.
Ab adulterio cum incestu pro una persona tantum, turon. 6.
Pro adultero & adultera simul turon. 6. ducat. 2.

De uarijs excessibus.

Absolutio pro eo, qui corpora excõmunicatorũ Ecclesiasticę tradidit sepulturę, tur. 6. duc. 2.
Si cum dispensatione super irregularitate & ad beneficia obtinenda, turon. 9. ducat. 2. carl. 9.
Si etiam cum retentione obtentorum, turon. 12. ducat. 3. carl. 6.
Absolutio pro illo, qui celauit cadauer defuncti, ut beneficia impetraret, turon. 6. ducat. 2.
Si cum dispensatione super irregularitate ad obtinenda beneficia, turon. 9. ducat. 2. carl. 9.
Si etiam cum retentione beneficij obtenti, turon. 12. ducat. 3. carl. 6.
Absolutio pro presbytero, qui celebrauit in loco interdicto ignoranter, turon. 6. ducat. 2.
Si uerò scienter, non tamen in contemptum clauium, si interdictum erat authoritate ordinaria positum, absolutio simplex, turon. 6. ducat. 2.

Si uerò à Papa, turon.12.duc.3.carl.6.

Abſolutio pro presbytero, qui coniuges in ſecundo matrimonio benedixit, qui iam in primo benedicti fuerant, turon.6.ducat.2.

Si cum diſpenſatione ſuper irregularitate, turon.9.ducat.2.carl.9.

Si cum retentione beneficij obtenti, turon.12.duc.3.carl.6.

Si presbyter aliquos clandeſtinè matrimonio copulauit, & miſſam coram eis celebrauit, abſolutio pro ipſis coniugibus, turon.6.ducat.2.carl.3. Et pro laicis qui interfuerunt, augetur taxa turon.3.pro quolibet.

Abſolutio pro illo, qui obſtitit ne literæ Apoſtolicæ exequutioni demandarentur, ſi clericus eſt, cum diſpenſatione ad obtentum & ad obtinendum, & abſolutione infamiæ, & aſsiſtentia, turon.36.duc.9.

Pro clerico abſolutio ſimplex, turon.12.ducat.3.carl.6.

Abſolutio pro mercatore, qui tranſportauit haſtas ad partes infidelium, & nullum lucrum reportauit, turon.12.ducat.3.carl.6.

Si lucrum reportauit, taxatur ſimiliter, & componendum eſt cum Datario Papæ.

Abſolutio pro eo, qui bona defuncti pro mercede ſeruitiorũ defuncto impenſorum retinet, & admonitus non reſtituit, dummodo non excedant debitam mercedem, in foro conſcientiæ tantum, turon.6.ducat.2.

Abſolutio pro epiſcopo, qui certis annis, & terminis prefixis iurauit limina Apoſtolorum uiſitare, & adhuc non uiſitauit, cum iniunctione quòd decæterò promiſsionem hanc ſeruare uelit, turon.12.ducat.3.carl.6.

Abſolutio à ſpirituali excommunicationis ſententia, authoritate ordinaria lata, tur.6.duc.2.

Si uerò authoritate Apoſtolica, turon.12.duc.3.carl.6.

De irregularitate.

Abſolutio & diſpenſatio generalis ab irregularitate, turon.50.ducat.13.

Si uerò etiam cum abſolutione generali à quibuſcunq; delictis, turon.80.ducat.20.

Si ſuper irregularitate incurſa ab eo, qui iudicauit in criminalibus uel in ſimilibus ſine abſolutione pro præterito, etiam cum abolitione infamiæ, & cum inhibitione uel ſecus, turon.30.duc.7.carl.6.

Et cum abſolutione pro præterito, quando ea indiget, turon.36.ducat.9.

Si uerò petatur ſimul cum diſpenſatione de præterito, etiam quod in futurum poſsit iudicare uel aduocare, turon.45.

Si uerò petatur cum utroq; diſpenſatio, ſcilicet de præterito & futuro, etiam abſolutio de præterito, quando non indiget, turon.50.ducat.12.carl.6.

Pro eo, qui medendo incurrit irregularitatem, turon.36.ducat.9.

Si uerò petatur etiam licentia in futurum, turon.50.ducat.12.carl.6.

De ſepulturis.

Abſolutio ad inſtantiam cognatorum defuncti excõmunicati, ſiue uiolenter mortui, ut eius cadauer in terra benedicta ſepeliatur, turon.6.ducat.2.

Pro abbate uel epiſcopo, turon.12.duc.3.carl.6.

Abſolutio pro altero coniugum uiuente, altero defuncto, qui clandeſtinè contraxerant, turon.4.duc.2.carl.9.

De commutationibus ſeu relaxationibus pœnarum.

Relaxatio exilij ſiue carceris perpetui ſimplex, turon.40.ducat.10.

Si petatur diſpenſatio ſuper irregularitate, etiam cum retentione beneficij obtenti, & abſolutione à delicto, turon.60.ducat.15.

Relaxatio exilij ſiue carceris à decem annis uſq; ad decimumquintum, turon.36.ducat.9.

Cum diſpenſatione ſuper irregularitate, & cum retentione beneficiorum, turon.50.ducat.12.carl.6.

Relaxatio exilij ſiue carceris à 5. uſq; ad decem annos, ſimplex & cum abſolutione ſimplici à delicto ſiue diſpenſatione, taxatur tur.23.& duc.6. Et pro aſsiſtentia adduntur turon.6.

Ad quinquennium relaxatio ſimplex, &c. turon.12.ducat.3.carl.6.

Relaxatio ſuſpenſionis pro presbytero, qui morbo caduco laborauit, & propterea per ordinarium ſuſpenſus fuit, & iam per biennium eo morbo non laborauit, turon.6.ducat.2.

Et mandatur epiſcopo, ut eum celebrare permittat, alio presbytero aſsiſtente.

De relaxatione iuramenti.

Relaxatio iuramẽti ad effectum agendi, pro una perſona in uno contractu, tur.7.duc.2.car.3.

Et cum inhibitione & abſolutione infamiæ, turon.36.ducat.9.

Si ſint plures in eodem negocio, pro quolibet adduntur turones tres.

Si ſint diuerſi contractus in eodem negocio inter eaſdem perſonas, pro quolibet contractu ultra primum augentur turon.3.

Relaxatio iuramenti pro illo qui iurauit in una uniuersitate sumere gradum, quem posit sumere in alia, turon. 6. duc. 2.
Relaxatio iuramenti quod absq; salutis æternę interitu seruari non potest, puta in malis promissis, uel turpi uoto, turon. 6. duc. 2.
Et aliter taxatur episcopus, aliter abbas, uel prælatus generalis.

De commutatione uoti.

Commutatio uoti religionis non solennis, in foro conscientiæ tantum, tur. 15. duc. 4.
Consimiliter commutatio uoti castitatis non solennis, in foro conscientiæ tantum, turon. 15. duc. 4.
Absolutio à transgressione dicti, uoti religionis, ut ualeat remanere in matrimonio, cum adiecta clausula: Quòd si coniugi superuixerit, uotum omnino adimplere teneatur, similiter in foro conscientiæ tantum, turon. 15. duc. 4.
Consimilis est absolutio & taxa uoti castitatis.
Prorogatio uoti sepulchri Dominici, uel S. Iacobi in Compostella, aut liminũ apost. Petri & Pauli, propter aliquas legitimas causas, turon. 9. duc. 2. carl. 9.
Si uerò ad biennium tantum, turon. 4.
Commutatio uoti sepulch. Dominici, turon. 12. duc. 3. carl. 6.
Et componitur cum Datario Papæ.
Commutatio uoti S. Iacobi in Compost. turon. 12. duc. 3. carl. 6.
Et componitur cum Datario Papæ.
Commutatio uoti S. Petri & Pauli de urbe, turon. 12. duc. 3. carl. 6.
Et componitur cum Datario Papæ.
Commutatio uoti alterius cuiusq;, turon. 6. duc. 2.
Commutatio ieiuniorum & aliarum abstinentiarum, uel alicuius habitus, tur. 6. duc. 2.
Si petatur pro pluribus personis habentibus connexionem inter se, taxatur pro primo integrè, & pro alijs pro medietate pro quolibet. Si uerò sunt personę penitus diuersæ, taxatur pro unoquoq; integrè.
Si uerò petatur pro capitulo uel conuentu aut collegio insigni, tax. ad turonenses centum, si commutatio sit perpetua.

De commutatione orationum.

Commutatio orationum pro militibus religionum, turon. 10. duc. 3. carl. 6.
Commutatio siue reductio diuini officij pro patiente defectum uisus, uel propter aliquod aliud impedimentum, turon. 12.
Si uerò mutatur de ritu unius Ecclesiæ ad ritum alterum, turon. 9. duc. 2. carl. 9.
Commutatio officij pro conuentu uel capitulo, turon. 60. duc. 15.
Et si cum facultate anteponendi uel postponendi, turon. 100. duc. 25.

De commutatione ultimæ uoluntatis.

Taxatur turon. 12. duc. 3. carl. 6.
Si petatur potestas transferendi ossa, uel missas, uel Ecclesiam, & similia, ultra adduntur turon. 6.

De reductione Missarum.

Reductio Missarum propter tenuitatem fructuum, turon. 12. duc. 3. carl. 6.
Et cum assistentia, turon. 18. duc. 5.
Si ad petitionem Rectoris pro se & successoribus cum assistentia, tur. 30. duc. 7. carl. 6.
Si petatur à collegio, uel capitulo, aut uniuersitate, turon. 40. duc. 10.
Si cum commutatione ultimæ uoluntatis testatoris, taxæ reductionis adduntur turon. 6.

De confirmatione.

Confirmatio concordiæ pro priuatis personis, licitæ tamen, & iuxta Canonicas sanctiones factæ, turon. 12. duc. 3. carl. 6.
Si pro confraternitate uel uniuersitate uel monasterio, turon. 24. duc. 6.
Confirmatio concordiæ super rebus Ecclesiasticis, si fiat in forma, Si in euidentem, taxatur iuxta ualorem, &c.
Si uerò non fiat in forma, Si in euidentem, turon. 12. duc. 3. carl. 6.
Confirmatio alienationis rerum Ecclesiasticarum taxatur iuxta formam, Si in euidentem.
Confirmatio statutorum super certo numero beneficiorũ seu beneficiatorum, cum uel sine assistentia, turon. 40. duc. 10.
Confirmatio statutorum pro Ecclesia cathedrali, turon. 80. duc. 20.
Si uerò pro collegiata, turon. 60. duc. 15.
Si petatur confirmatio unius statuti tantum expressi, si sit alicuius momenti, & Ecclesiæ cathedr. turon. 40. duc. 10.
Si uerò non uidetur magni momenti, taxatur ex arbitrio officialium.

Confirmationes erectionum uel reſeruationũ iuris patronatus, taxantur prout ipſæ erectiones uel reſeruationes. Et ſic de ſimilibus.
Confirmatio unionis perpetuæ factæ per ordinarium ex cauſa in qua à iure permittitur, turon.50.

De beneficijs iuris pro pauperibus.

Alternatiuum beneficium, uel ceſsionis bonorum, uel termini quinquennalis ad electionem maioris par.tur.5.duc.1.carl.6.
Si cum derogatione ſtatuti induentis certam formam reddendi, tur.8.2.5.
Capitulum Odoardus pro clerico, tur.5.1.6.
Si cum abſolutione à cen.turon.6.1.9.
Si cum diſpenſatione ab irregularitate, tur.9.2.9.
Capitulum Peruenit, pro clerico & beneficiato, tur.6.1.9.
Si pro epiſcopo, duplicatur taxa.

De declaratorijs.

Declaratoria iuris, ſiue Religionis, ſiue homicidij, ſiue alterius cuiuſcunq; tax.tur.6.2.1.
Exceptis matrimonialibus, quæ taxantur, tur.7.2.1.

Perinde ualere.

Pro eo qui perdidit literas teſtimoniales aliquorum ordinum, tur.6.2.
Pro eo qui omiſit in literis aliquid narrare, quod ſi narraſſet, illas nihilominus obtinuiſſet, nec aliquid in taxa alteraſſet, tur.6.2.
Si uerò id quod eſt omiſſum non tam facile fuiſſet conceſſum, non tamen alteraſſet taxam, tax.turon.6.2.
Si autem alteraſſet taxam, ſi quidem in minus quàm ſex, tur.6.
Si in plus, taxabitur ultra 6. ad totum illud plus in quo prior taxa alterata fuiſſet.

De licentijs & indultis.

Licentia transferendi parochialem Eccleſiam, uel collegiatam cum omnibus ſuis iuribus in monaſterium, turon.24.6.
Et ſi cum prophanatione prioris loci, tur.40.duc.10.
Licentia erigendi fontes baptiſmales, tur.24.6.
Licentia erigendi collegiatam, uel commutandi parochialem Eccleſiam, tur.100.
Licentia erigendi parochialem Eccleſiam, uel fontes bapt. uel monaſterium, tur.24.
Licentia erigendi ſeu transferendi cœmiterium, uel oratorium uel capellam, tur.12.3.6.
Cum prophanatione prioris loci, turon.24.6.
Et ſi petatur ad inſtantiam uniuerſitatis, duplicatur taxa.
Licentia transferendi reliquias de loco ad locum, de conſenſu quorum intereſt, non tamen ab urbe, turon.9.2.9.
Licentia pro annexa filiali dependente à parochiali Eccleſia, ut in illa Miſſæ & alia diuina officia celebrari poſsint in perpetuũ, & corpora defunctorũ ſepeliri, & ſacramentũ Euchar. adminiſtrari, dempto feſto Paſchali, tur.40.10.
Si uerò ut & fontes bapt. inibi erigantur, tur.50.12.6.
Licentia celebrandi in capella non conſecrata, tur.12.3.6.
Etiam cum licentia transferendi, uel erigendi unam capellam, tur.18.4.6.
Reſeruatio iuris patronatus pro ſe & hæredibus, tur.40.10.
Licentia erigendi apothecas in porticu Eccleſiæ, tur.12.3.6.
Licentia erigendi confraternitatem cum confeſsionali pro utriuſq; ſexus confratribus, altari portatili, & licentia in locis interdictis ſepeliendi, & Euchar. ſacramentum recipiendi, feſto Paſch. excepto, turon.120.30.
Mutatio dedicationis, ſeu inuocationis ſancti, &c. turon.12.3.6.
Licentia celebrandi ubiq;, turon.9.
Licentia celebrandi bis in die, ad uitam unius tantum, tur.12.3.6.
Si ad petitionem collegij uel capituli, aut uniuerſitatis ſiue congregationis presbyterorum ſecularium, turon.100.25.
Licentia pro conſulibus unius oppidi, tempore interdicti, quod poſsint in eorum capella facere celebrari d. officia, & inibi ſepeliri, cum clauſulis conſuetis, tur.100.
Altare portatile, turon.8.2.6.
Si pro uiro & uxore, turon.9.2.9.
Si etiam pro liberis, pro qualibet perſona augetur taxa tur.4.
Licentia celebrandi ante diem, turon.12.3.6.
Licentia publicandi indulgentias Cardinalium abſq; ordinarij licentia, tur.6.2.
Licentia recitandi horas can. ſecundum ritum alterius diœceſis quàm ſuæ, tur.6.2.

Secundum uſum Rom. Eccleſiæ, turon. 6.2.
Eadem licentia pro regulari, turon. 9.2.9.
Licentia anteponendi & poſtponendi horas can. turon. 9.2.9.
Et ſi petatur ſimul etiam ſecundum uſum Rom. Eccleſiæ uel alterius, turon. 12.3.6.
Et ſi licentia anteponendi & poſtponēdi tantū, petatur pro cōuentu uel capitulo, tur. 60.15.
Licentia teſtandi & diſponendi de bonis, pro clerico ſeculari tur. 12.3.6.
Pro regulari, dummodo non de acquiſitis ex bonis monaſterij, tur. 24.6.
Pro epiſcopo titulari, turon. 36.9.
Pro alio epiſcopo, turon. 50.12. Pro abbate uel Commen. totidem.
Pro Priore, turon. 36.9.
Pro protonotario Apoſtolico, turon. 18.5.
Licentia eligendi confeſſorem in forma, pro una perſona tantum, tur. 6.2.
Pro uiro & uxore, turon. 7.2.3.
Pro liberis & alijs coniunctis pro qualibet perſona augetur taxa turon. 1. Si non exprimitur illorum numerus, augetur turon. 4.
Pro confraternitate, capitulo, uel uniuerſitate in perpetuum taxa eſt arbitraria, & habenda eſt ratio qualitatis illorum.
Pro regulari de licentia ſui ſuperioris, turon. 6.2.
Sine licentia ſuperioris, turon. 12.3.6.
Vt poſsit ſtare extrà, turon. 6.
Licentia utendi lacticinijs temporibus prohibitis, pro una perſona tantum, turon. 6.2.
Pro tota familia, turon. 12.3.6.
Pro pluribus coniunctis, turon. 12.3.6.
Pro capitulo, collegio, congregatione uel uniuerſitate, in perpetuum taxa eſt arbitraria.
Pro oppido & illius diſtrictu, etiam pro clericis, fratribus, & monialibus cuiuſcunq; ordinis, turon. 200.50. Habenda eſt tamen ratio oppidorum.
Si pro communitate ratione loci frigidi, & ob penuriam piſcium & olei oliuarum, quæ quidem communitas talibus lacticinijs uti conſueuit à iuuenili tempore, turon. 100.25.
Licentia percipiendi fructus in abſentia, reſidendo in altero beneficiorum, uel in Romana curia, uel ſtudendo in loco ubi ſtudium uiget generale, turon. 9.2.9.
Licentia transferendi oſſa unius cadaueris, turon. 6.2.
Si uerò plurimorum cadauerum eiuſdem familiæ, pro quolibet taxatur integrè.
Licentia uiſitandi per alium in archidiaconatu, turon. 36.9.
Derogatio fundationis alicuius beneficij, in qua cauetur quod nullus poſsit obtinere beneficiū, niſi ſit actu presbyter, uel quod illud obtinens non poſsit obtinere aliud, tur. 12.3.6.
Licentia deferendi corpus Chriſti, ſi ſemel tantum in anno, tur. 12.3.6.
Si bis, turon. 20.5.3. Si ter, turon. 30.7.6. Si quater, turon. 40.11. Si quinquies, turon. 50.12.6. Si ſexies, turon. 60.15.
Et ſic ulterius, pro qualibet uice addendo decem.
Licentia deferendi merces ſemel uel pluries ad partes infidelium, uel alias exercendi mercaturā etiā locorū ordinariorū, & quorumcunq; dominorū temporaliū, etiā regū, Imperatoris, ſeu quorumuis aliorū licētia minimè requiſita, cū derogationib. ampliſsimis, tur. 24.6.
Licentia portandi frumentū ad partes infideliū, uidelicet per totam Barbariā, uſq; ad tria milia groſſarum ſaluiarum, iuxta tenorem priuilegij & literarum Apoſtolicarū, tur. 50.12.6.
Licentia pro uicario, quod in abſentia epiſcopi poſsit quæcunq; ornamenta eccleſiaſtica, citra tamen corporale, calices & patenas benedicere, turon. 50.12.6.
Pro abbate, pro uſu tamen ſui monaſterij ad eius uitam, turon. 40.10.
In perpetuum uerò, taxatur turon. 200.50.
Licentia medendi tam pro clerico ſeculari, quàm regulari, turon. 30.7.6.
Si cum abſolutione de præterito, turon. 36.9.
Si pro epiſcopo, turon. 50.12.6.
Licentia pro presbytero, quòd poſsit ſtudere medicinæ & mederi cum abſolutione de præterito, ſi artem huiuſmodi exercendo in aliquo exceſsit, turon. 40.10.
Licentia audiendi leges pro clerico ſeculari, turon. 9.2.9.
Pro regulari in conuentu, turon. 12.3.6.
Extra conuentum, turon. 12.3.6.
Si ſine licentia ſuperioris, extra conuentum ad ſeptennium, turon. 18.4.9.
Si cum facultate deſeruiendi beneficio eccleſiaſtico, & prædicandi, tur. 21.6.6.
Licentia procurandi ſeu aduocandi pro clerico ſeculari, tur. 30.7.6.
Si cum abſolutione de præterito, turon. 36.9.
Licentia exercendi officium notariatus, turon. 12.3.6.
Licentia exercendi officium iudicis ſecularis in ciuilibus tantum, tur. 24.6.

Si uerò etiam in criminalibus cum limitationibus consuetis,turon.37.
Licentia mutandi nomen proprium,turon.9.2.9.
Licentia mutandi cognomen uel signum,turon.6.2.
Licentia reconciliandi Ecclesiam seu cœmiterium,turon.12.3.6.
Licentia obtinendi canonicatum,in cathedrali,pro cõstituto in duodecimo suæ ętatis anno, non obstãtibus Regulis in contrariũ editis,tur.12.3.6. Pro cõstituto in tredecimo,tur.6.2.
Licentia celebrandi inter Græcos Græcè,& Latinos Latinè,turon.9.2.9.
Licentia uisitandi sepulchrum Dominicum,turon.4.1.6.
Pro episcopo de non promouẽdo nec suscipiendo munus cõsecrationis ad annũ, tur.30.7.6.
De non promouendo ad septennium,turon.9.2.9.
Licentia celebrandi capite cooperto,turon.12.3.6.
Si pro episcopo uel abbate,turon.24.6.
Licentia de non residendo pro episcopo titulari,turon.18.4.9.
Licentia obtinendi duo beneficia dissimilia sub uno & eodem tecto,turon.12.3.6.
Licentia, quòd episcopus titularis non teneatur uisitare limina Apostolorum Petri & Pauli, propter locorum distantiam,& non perpetuò,turon.24.6.
Si perpetuò,turon.50.12.6.
Licentia pro spurio, quòd possit recipere à patre laico uel clerico seculari usque ad summam ducentorum ducatorum ex legato uel donatione,turon.12.3.6.
Idem à patre regulari,habente alias facultatem disponendi,à patre uerò regulari non habente disponendi facultatem,turon.24.6.
Licentia piscandi Dominicis uel alijs festis diebus, pro redemptione captiuorum ad quinquennium,turon.12.3.6.
Si pro conuentu,confraternitate uel communitate,turon.50.10.6.
Licentia pro capitulo cathedralis Ecclesiæ, quòd possit aliquas pecunias pro reparatione & manutentione ciuitatis contribuere,turon.24.6.
Licentia adoptandi, ut possit in omnibus bonis succedere, sine tamen præiudicio cognatorum,turon.12.3.6.
Licentia uescendi carnibus à Sarracenis interfectis, pro quodam domino temporali, & sua familia,turon.30.7.6.
Licentia pro muliere honesta cum tribus uel quatuor matronis ingredi monasterium monialium quater in anno,insolita forma,turon.12.3.6.
Licẽtia,quòd pater possit filiã introducere in monaster.ut bonis imbuatur morib.tur. 12.3.6.
Licentia recipiendi habitum militiæ sancti Iacobi de Spata,à quocunq; prælato,tur.60.15.
Licentia recipiendi habitum militiæ Iesu Christi,uel alterius,turon.30.7.6.
Et pro muliere etiam sancti Iacobi,turon.40.10.
Licẽtia recipiendi habitũ tertij ordinis S.Francisci de pœnitentia nuncupati,à quocunq; antistite,seu persona in dignitate ecclesiastica constituta,pro coniugato,turon.12.3.6.
Indultum, quòd miles sancti Iacobi possit matrimonium contrahere cum uidua, quod per statuta militiæ est prohibitum,turon.12.3.6.
Licentia pro religioso,ut possit esse confessor monialium,etiam alterius ordinis,tur.15.4.
Licentia prædicandi pro prædicatore egregio,turon.36.9.
Et ut concioni eius interessentes certas dies indulgentiarum consequantur,tur.40.10.
Licentia doctorandi pro clerico seculari uel regulari,turon.12.3.6. Si cum licentia superioris ipsius:sin minus,turon.18.4.9.
Licentia pro Abbatissa uisitandi domos & terras monasterij sui, unà cum tribus aut quatuor monialibus,turon.24.6.
Licentia pro fratre ordinis minorum de obseruantia, quòd possit habere procuratorem, qui pecunias quas ipse sua industria acquisiuit, exigere & recipere, ac in unius ipsius fratris filium conuertere possit,turon.12.3.6.
Licentia utendi camisijs lineis,& dormiendi in linteaminibus pro Regulari,tur.12.3.6.
Licẽtia pro moniali,quòd nõ possit reduci ad strictiorẽ ordinẽ quàm professa fuit, tur.12.3.6.
Licentia pro toto monasterio petente reduci ad strictiorem obseruantiã, quàm professi fuerint,non mutando superiorem,turon.40.10.
Licentia transferendi de ordine ad ordinem parem,tur.15.4.Si ad arctiorem,tur.12.3.6.
Si totum monasterium petit transferri ad alium ordinem,tur.50.12.6.
Si de ordine ad ordinem longiorem,turon.24.6.
De monasterio ad monasterium eiusdem ord.professionis, habitus & obseruantiæ regularis eiusdem prouinciæ,turon.4.1.8.
Si alterius prouinciæ,turon.12.3.6.
Si cum usufructu,dote,& supellectilibus,adduntur turon.6.
Licentia ducendi uitam eremiticam,turon.12.3.6.

Absolutio ab apostasia pro uagabundo uolente redire ad ouile, turon.12.3.6.
Licentia deserendi habitum subtus, turon.12.3.6.

Marrania.

Marrania in amplissima forma componitur. Pro clerico, turon.60.15. Pro laico, turon.40.10.
Et in utroq; casu componendum est cum Datario papæ, nisi sedes uacet, tunc datur pro clerico turon.80. & pro laico turon.60.
Verùm quando non datur in ampla forma, sed ad exercendum aliquod officium unde uiuat, cuius ipse peritiam habet, uel pro presbytero ad effectum celebrandi, turon.12.3.6.
Nisi sit ad effectum aduocandi uel medendi, tunc taxatur turon.24.

Conclusio huius materiæ.

Quæ hactenus recensuimus, quibus ueterum disciplina in nundinationem pecuniariam mutata est, multitudine ac uarietate casuum & causarum, quamuis minuta uideantur, uberrimum quæstum adferunt Romanis harpyis: uerùm pondere suo sunt quæstuosissima, quæ pro pallijs episcopalibus ex omnibus Christiani orbis prouincijs emunguntur. ubi præter capitalem taxam comparandæ sunt, bulla principalis, bulla commissionis, bulla absolutionis, bulla ad capitulum, bulla ad clerum, bulla ad populum, bulla ad uasallos, bulla ad Archiepiscopum, bulla ad regem, & forma iuramenti: soluendumq; in consistorialibus pro munere cõsecrationis, pro munere benedictionis: ut retētiones, deuoluta, & pensiones taceã. Quàm sit iniqua & turpis annatarũ exactio, quid attinet meminisse? Germani principes anno 1522. oratori pontificio Nornbergæ in Comitijs imperialibus, inter cætera Germanicæ nationis grauamina, etiam de istis obiecerunt, uerùm surdo fabulam. De ecclesijs cathedralibus & Abbatijs Galliarum taxatis, summa conflabatur sexcentorum nonaginta septem milliũ, septingentorum & quinquaginta francorum, sine prælaturis, quas non taxabant, alijsq; inferioribus dignitatibus & beneficijs, quæ ferè summam hanc adæquant. Si cogites de reliquis nationibus, quis nam est adeò artis calculandi peritus, qui summam Catholicam numerando consequatur? Quid dicam de indulgentijs, quibus Romana ἀισχρομηδία sedem suam egressa, toto est orbe Christiano omnium impudentissimè uagata? Quid de gratijs, reseruationibus pectoralibus, mentalibus, regressibus generalibus & specialibus, accessibus, incorporationib. & unionibus dicam? Ipse infernus tam non est fœcundus malorum spirituum, quàm est curia Romana fraudum, aucupationum, laqueorum, nundinationum, quæstuum, & omnis generis rapinarum. Sumit sibi potestatem in omnia spiritualia & secularia, dispensandi, absoluendi, indulgendi, commutandi, laxandi, restringendi, confirmandi, declarandi, derogandi, reseruandi, & quid non? tandem & ad inferos ruendi.

Pallia. *Bullæ.* *Annatæ.* *Gallia.* *Indulgentiæ.* *Gratiæ.*

Vultures Rõ. sedis.

Vsus opum Rom. ecclesiæ.

Miraberis forsan, Lector, quorsum portentosæ illæ turpissimi quæstus opes in Babylone hac coaceruentur. Primus illarum usus est, ut fulciatur foris regnum hoc Babylonicum, ubi in conscientijs fidelium ruere cœperit. Secundus est, ut sustentetur splendor plusquã regius, luxus, & incredibilis deliciandi libido. Tertius est, ut alantur uultures ex omnibus nationibus ad cadauer hoc putidum aduolantes, quibus hoc in more est, ut rictu indesinenter aperto & insatiabili rapinis inhient Vicecãcellarij, magistri plumbi, magistri ceremoniarum Barbati, Protonotarij, Officiales, Sacrum collegium, Cubicularij, Portionarij, Milites sancti Petri, Ianizeri, Camerarij, Parafrenarij, Ostiarij, Cantores papæ, Mazerij, Custodes portæ ferreæ, custodes cathenæ, custodes horti secreti, Notarij correctores, abbreuiatores, aduocati, solicitatores, facoistę ferrarij, clerici capellæ: ut grandes illas & purpuratas purpuratæ meretricis harpyias, agasones, pusiones & scorta taceam, quorum ad hanc curiam numerus conse cratus est infinitus. Possem hic adiungere, quomodo rapina inter hosce Romani Simonis mystas diuidatur: uerùm & mihi & lectori hactenus alioqui satis nauseæ utcunq; Camerina hac mota concitaui. Quis iam mirabitur, unde motus Benedictus papa xij. qui sedit circa annum Domini millesimum trecentesimum trigesimum sextum, cum rogaretur, ut numerum Cardinalium auctiorem redderet, id se libenter facturum responderit, si modò nouum mundum creare posset. Nam hic qui iam existit, aiebat, uix præsentibus Cardinalibus sufficit. Author Engelhusen.

Dictum Benedicti papæ 12.

Reditus ad Canonem Apostolicum.

Redeamus igitur ad Canonem Apostolicum, iuxta cuius præscriptum requiritur in episcopo, ne sit turpiter lucro deditus: atq; ita irrefragabiliter monstratur, Romanum episcopum omnium esse indignissimum, qui uel unius Ecclesiolæ sit episcopus, nedum omnium episcoporum & ecclesiarum caput: nisi forsan in apostasia Antichristiana solus est omnium dignissimus inuentus, qui Simoniacorum ac pseudoepiscoporum sit coryphæus, & omniũ ecclesiarum ipsissima perditio.

Sed æquum.

Decimò: Sed ἐπιεικῆ, inquit. Vulgata uersio habet, Sed modestum. Erasmus uertit, Sed æquum. Composita uox est ab ἐπὶ & εἰκός. Sonat autem εἰκός, probabile, consentaneum, par, decens, & æquum. ἔστιν ὁ φύσει τῷ ἐπιεικεῖ ἐναντίωμα νόμῳ, ἢ ἀλλήλοις διὰ τὸ κακίας. Est igitur ἐπιεικής, homo sic moderatus, ut in rebus gerendis nihil tribuens affectibus, id sequatur, quod uidetur esse decens, æquum & probabile. Virtus hæc summopere necessaria est omnibus præpositis, qua co

ἐπιεικής.

hibean-

hibeantur,ne dum ſummum ius perſequuntur,ſumma iniuria ſubditos afficiant.

Alienum à pugnis.

Vndecimò,ἄμαχον,inquit. Sonat uirum minimè pugnacem. Quemadmodum autem Latinis pugnare non ſemper ad pugnas gladiatorias refertur, ſed & frequenter pro iurgijs ac litigationibus uerborum ponitur:ita & uox μάχη Græcis eſt bifariam in uſu. Quare ſentiendum eſt,Apoſtolum hic non ſolùm bellacem hominem,ac gladiatorem, ſed & litigioſum ac iurgatorem ab epiſcopatus munere reijcere. Quod hic una uoce comprehenſum eſt, ſecundæ Timothei ſecundo aliquanto fuſius eſt expreſſum. Sic enim ibi in calce capitis legimus:Stultas autem & temerarias quæſtiones reſpue,ſciens,eas párere μάχας, id eſt,pugnas. Porrò ſeruum Domini non oportet pugnare,ſed placidum eſſe erga omnes,propenſum ad docendum,tolerantem malos cum manſuetudine, erudientẽ eos qui obſiſtunt, ſi quando det illis Deus pœnitentiam ad agnoſcendum ueritatem, &c. Dum monet Timotheũ, ut ſtultas ac temerarias quęſtiones reſpuat, propterea quòd generant pugnas: & addit,non conuenire ſeruo Domini,ut pugnet: ſatis indicat,loqui ſe de pugnis rixarum, diſceptationum,cõtentionum, ac litigationum,quæ ex friuolis quæſtionibus inter eos naſcuntur,quorum propoſitum eſt opiniones ſuas tueri magis,quàm ueritatem Dei propagare.Genus hoc pugnandi admodum turbauit eccleſias, & inſidioſiſsimum ſemper fuit epiſcopis & doctoribus. Pugnæ huius palæſtræ ſolent eſſe Synodi epiſcoporum, quas imperiti homines putant unicum eſſe diſsidiorum remedium.Memorabilis eſt hac de re ſententia Gregorij Theologi, in Epiſtola ad Procopium, ubi ſic ſcribit: Ita quidem animatus ſum (ſi,quod uerum eſt,ſcribere oportet) ut quodcunq; epiſcoporum Cõcilium fugiam,propterea quòd hactenus nullius omnino Synodi finem aliqua utilitate præditum, & unde res malè habentes non magis exacerbatę,quàm curatæ ſint, uidere licuit. Ea enim eſt illis libido cõtendendi,& ambitio dominandi,ſuntq; ita diſputãdo inſuperabiles,ut ſi iudicio quiſquam cum illis uelit agere,citius alterius cuiuſdã malitiæ reus agatur,quàm quæ illorũ eſt,uincat ac diluat. Hæc ille.Et Scholaſtici doctores abundè morbi huius exempla ediderunt. Quid enim acerbius in Eccleſia geri poterit, quàm & lingua eſt,& calamo inter homines contentioſiſsimos in cauſa religionis geſtũ? An ſunt ἄμαχοι Thomiſtę, Scotiſtæ,Occaniſtæ,Albertiſtæ? An non pugnant inter ſe,dum ſuam quiq; hæreſim canonizare,cęteros uerò damnare ſtudent? dum diſputant,ſit ne Theologia de Deo,ut de ſubiecto, ratione infiniti,uel attributali:an Theologia ſit ſciẽtia, ſubalternatáne, uel in lumine medio, practica uel ſpeculatiua,uel affectiua? an in diuinis ſit aliqua productio intrinſeca,utrum ens dicatur uniuocè de Deo & creatura: an habeat propriũ conceptũ, an ſit analogum:an quidditas rei materialis ſit primum obiectum intellectus ex natura potentiæ, an oporteat ponere ſpeciem in intellectu,an eſſentia diuina generet,uel generetur:utrum unitas diuinarum perſonarum ſit collectiua,an filius ſit de ſubſtantia patris quaſi de materia, an eſſentia diuina generetur ſubiectiuè, an productio filij ſit ex uoluntate patris, uel ex neceſsitate, & naturalis: utrum generatio diuina ſit uniuoca uel æquiuoca: an in Deo ſit compoſitio ex materia & forma,utrũ ſpiritus ſanctus producatur per actum uoluntatis, an pater & filius principient uniformiter ſpiritum ſanctum: utrum perſonæ diuinæ ſint æquales ſecundum magnitudinem, an æqualitas in diuinis ſit relatio realis, an Deus potuerit facere mundum meliorem: & innumera alia,de quibus inter ſe contentioſiſsimè & acerbè digladiantur.

Synodi epiſcoporũ palæſtræ contentionum.

Greg. Theologus de Synodis.

Scholaſtici doctores.

De pugnis noſtrorum temporum.

De noſtrorum temporum pugnis quid dicam,in quibus de indulgentijs Papiſticis,de primatu Sedis Romanæ,de humanis conſtitutionibus, de cibis papaliter interdictis, de ſacrificio miſſę Romanę, de uotis Monachorũ & Nonnarum, de cœlibatu ordinis Eccleſiaſtici, de ſimulachris templarijs,de ſacramentis acceſſorijs, de cõmunicatione ſub una ſpecie tantùm, de purgatorio igne, quo loculi fidelium expurgantur,de libero arbitrio, de meritis operum, de inuocatione ſanctorum,& conſimilibus alijs,non uerbis & ſcriptis tantùm,ſed & igne,gladio,laqueo,& exilijs pugnatur? Tales epiſcopos non recipit Canon Apoſtolicus.

Non amantem argenti.

Duodecimò,ἀφιλάργυρον inquit:hoc eſt,non amantem argenti.Non dicit,non habentem argentum,uel,non contingentem argentum: ſed,non amantem,non ſtudioſum argenti.Amor pecuniæ alienus eſſe debet à miniſtro uerbi. Reddit enim hominem auarum,tenacem,ac turpilucrem. In hoc autem tria ſunt metuenda. Primum,ne hoſpitalitatem & curam pauperum negligat.Secundum,ne quæ in uſum hunc data ſunt à fidelibus,perfidè interuertat.Tertium, ne coaceruandæ pecuniæ intentus,miniſterium ſuum minus fideliter impleat.

Qui domui ſuæ bene præſit.

Tredecimò, Qui ſuæ domui, inquit, bene præſit: qui liberos habeat ſubiectos cum omni honeſtate. Quod ſi quis propriæ domui præeſſe non nouit, quomodo eccleſiæ Dei curam geret? Cauet,ne eligatur aliquis, de quo non ſit expreſſum aliquod argumentum, quòd competenter ſit curam acturus eccleſiæ. Et quoniam uoluit eligi unius uxoris maritum, ne eam conditionem exiſtimemus ſufficere in epiſcopo, nec referre quàm ſuæ domui bene uel malè præſit: addit & hanc cautionem, ne eligatur qui ſibi ac ſuis ſit inutilis, quamuis ſit unius tantum uxoris maritus. Rationem adijcit dicens: Quòd ſi quis propriæ domui præeſſe non nouit, quomodo Eccleſiæ Dei curam geret? Vulgò dicitur: Qui ſibijpſi malus eſt, cui bonus erit?

Requiris

Requirit autem scientiam gubernandi, cum non simpliciter dicit: Quod si quis proprię domui non præfuerit: sed, Quod si quis propriæ domui pręesse non nouit. Et stultus potest habere uxorem, domum ac liberos, uerùm domui suę pręesse non nouit. Hic quomodo ecclesię Dei pręesse sciret? Reuera planè diuinę scientię res est, gnauiter ac fideliter posse præesse ecclesię Dei. Dij uocantur, qui alijs sunt prępositi a Deo, etiam in temporalibus. Hic requiritur regimen, quod non uiolentia & potentia more seculi, sed fideli ac prudenti dispensatione mysteriorũ Dei, admonendiq;, corrigendi, docendi, consolandi, & erigendi sedulitate constat, quo fideles in cognitione Dei ac uera pietate imbuti ędificentur. Magnum quid est, liberos habere subiectos cum omni reuerentia & honestate. At multo facilius est teneram ætatem iure paterno retinere in obediẽtia, ut sint ductiles ac morigeri: quàm uiros & mulieres malè institutos, disciplinę insuetos, sui ipsorum iuris, plerunq; iuxta seculum diuites, sapientes, honoratos & potentes, authoritate uerbi in ordinem redigere, ut instar paruulorum patientes sint doctrinæ, admonitionum, correctionum, & ad emendandam uitam ductiles, ne uel animis frangantur & concidant, uel à sancto proposito resiliant: quemadmodum multo minoris negocij est teneram uirgulam, quàm grandes ac robustas arbores quóuis flectere, & cauere prudenter, ne si immoderatius quid tentetur, frangantur potius quàm flectantur. Itaq;, qui liberos suos molles adhuc & teneros regere nescit, quomodo præesse sciet ecclesiæ Dei, in qua sunt robora inueterata, & sic plerunque in sublime erecta, ut magnæ sit industriæ ac diligentiæ opus, si detur illa ad humilitatem Christianæ uitæ ac disciplinæ posse salubriter ac uoluntariè deflectere? *Scientia gubernandi.*

Quartodecimò: Non νεόφυτον, inquit. id est, recens insitum, in Christianam uidelicet fidem & ecclesiam. Monet cauendum esse, ne qui iam primùm Christianus esse cœpit, mox eligatur in episcopum. Et addit rationem: Ne inflatus incidat in iudicium, uel in condemnationem Diaboli. Haud quidem per se illicitum est talem eligere, qui nuper ad Christianismum uenerit, si cætera sit idoneus: uerùm ea res non caret discrimine & periculo. Metuendum enim est, ne nondum satis in fide, modestia, & submissione spiritus confirmatus, nouo episcopatus honore ueluti musto quodam inebrietur & infletur, existimans se talem esse, qui uel eruditione, uel prudentia, uel probitate uitæ cæteros antecellat, eamq; ob causam ecclesiæ gubernandæ præficiatur. *Non neophytum.*

Quod dicit, Ne incidat in iudicium diaboli, aliter atq; aliter exponitur. Per diabolum intelligitur uel ipse malus spiritus, sic dictus, quòd sit calumniator fratrũ: uel homo calumniator. Si de malo spiritu intellexerimus, gemino sensu capi potest. Primo, ne satan per organa sua struat eiusmodi inflato episcopo calumniã, reddatq; illum probris obnoxium. Altero, ne sic inflatus & arrogans episcopus, incidat in idem iudicij & cõdemnationis, in quod incidit diabolus, propter arrogantiæ ac superbiæ malitiam. *Ne incidat in iudicium diaboli.*

Si de homine calumniatore, sic quoq; bifariam exponi potest. Primùm sic: Ne inflatus condemnetur à delatoribus & calumniatoribus, imò non ipse modò, sed & ecclesia cui prefectus est, & ipsa Christiana religio, horũ iudicijs & calumnijs reddatur obnoxia. Deinde ad hunc modum: Ne inflatus ex pastore fiat calumniator, atq; ita incidat in condemnationem debitã calumniatoribus. Est hoc ingenium superbiæ, ut ex episcopis faciat diabolos, ex pastoribus lupos, ex patribus oppressores ac tyrannos. Vtinam ecclesia huius metamorphoseos nulla unquam uidisset exempla. Habent autem isti quatuor sensus nihil contradictionis. Possunt omnes in eiusmodi episcopo habere locum. *Ingenium superbiæ.*

Quintodecimò: Oportet autem illum & bonum habere testimonium ab extraneis. Etiam ab extraneis, inquit: id est, infidelibus, ad Christũ non pertinentibus, alienis à religione Christiana, siue ethnicis siue Iudæis, oportet episcopum habere bonum testimoniũ. Intelligit autem de bono testimonio non fidei, doctrinæ & religionis, quod nemo pius referet ab infidelibus, religionis nostræ hostibus: sed bonorum morum, probitatis, modestiæ, humanitatis, placiditatis, & uitæ inculpatæ: ut dicant extranei, Vir bonus, probus, integer, humanus & honestus est, sed Christianus hoc unum habet reprehensibile. *Bonum habere testimonium.*

Adijcit rationem: Ne in probrum incidat, & laqueum diaboli. Id est, ne possit obnoxius esse calumnijs ac probris detractorum, atq; ita reddi non modò inutilis ad propagandum inter extraneos Christi fidem, sed & ecclesiæ Dei dedecorosus & inhonestus. Neque enim iustam proterit habere docendi & contradicentes reuincendi parrhesiam, qui suo uicio extraneorum probris quasi quodam laqueo irretitam habet conscientiam, pariter & linguam. Et si hac uoluerit nihilosecius uti, impudentiæ potius notã prędcedenti probro adiunget quàm ut aliquid fructus referat.

Hactenus de episcopis & presbyteris præscripsit ad Timotheum Apostolus, quales eligi & esse debeant. In ea quæ est ad Titum nonnulla adduntur: utpote, Ne sit qui eligendus est αὐθάδης, id est, ingenio præfracto, proteruo, duro & inflexibili, qui de sua ipsius sententia discedere nescit. Duricies ista speciem habet arrogantię, quam cõuenit esse alienã à mente episcopi. Et præterea incõmoda est muneri eius, qui se moribus & captui eorũ accõmodare debet, quibus *Tit. 1. Ne sit αὐθάδης.*

quibus est præpositus, & cum Paulo fieri omnia omnibus, ut aliquos saltem lucrifaciat. Duricies ista intractabilis ingenij uiciosa est in causis indifferentibus, in quibus prudentia & charitas Christiana, propter retinendam pacem, & captandam ædificationis occasionem, aliorum sententijs, modò non impijs, locum dare possunt. Cęterùm ubi puritas fidei ac doctrinę Christi periclitatur, ibi quouis saxo duriorem & intractabiliorem esse, uirtus & constantia est non solùm digna episcopo, sed & cunctis fidelibus summopere necessaria.

Ne sit ὀργίλος. Deinde addit & illud, ne sit ὀργίλος, id est iritabilis, & procliuis ad irascendum. Requirit igitur uirum, qui sit ארך אפים, id est tardus ad irâ: quales esse solent ingenio placido, miti, & humano præditi. Procliuitas ad irascendũ peculiaris est arrogantibus, præfractis, & iusticiarijs hypocritis. Est & illa muneri episcopali admodum inconueniens, & plerunq; noxia. Ira siquidem uiri, iustitiam Dei non operatur.

φιλάγαθος, δίκαιος, ὅσιος, ἐγκρατής. Tertiò, φιλάγαθον inquit, id est, amantem boni: δίκαιον, id est, iustum: ὅσιον, id est, pium ac sanctum: & ἐγκρατῆ, id est, temperantem. Duo paria uirtutum contexuit, quorum primum ad alios, posterius ad ipsum episcopum sese extendit. Sit episcopus amans bonorum omnium, propterea quòd sunt boni, delecteturq; illorum consuetudine & familiaritate. Ea res plurimum conducet honori Euangelico.

Sit iustus, hoc est, probus & benignus. loquitur de ea iusticia Apostolus, quę compassionẽ habet erga peccatores, nõ dedignationẽ. Non dicit, Sit sine peccato, quod fieri nequit: sed requirit iusticiam quæ sit benignitas ac probitas animi, ab omni nequicia & iniquitate aliena. Hanc uocamus nos Germani, *frumbkait*, & iustos homines, *frumme vnd truwe menschen*.

Pium esse, uel sanctum, & temperantem, pertinet ad sanctitatem ac temperãtiam uitę episcopi. Requirit Apostolus uirum, qui sit alienus à uita impura & prophana, amans uitæ castę, puræ ac sanctæ. Vbi animaduertendum obiter est, coniugium legitimum non reddere hominem impurum & impudicum, quandoquidem requiritur hic unius uxoris uir, habẽs liberos, & simul castus ac sanctus. Locum habet hic quod suprà de Paphnutio memini, qui in concilio Nicæno, congressum cum uxore castitatem esse dixit.

Temperantia quid sit. Temperantia quid sit, notum est. Vox Græca sonat continentem, qui affectibus suis imperat, ne quid in uita sua, quod sit inhonestum & intemperans admittat. Germanicè uocem hãc satis pertinenter exprimimus, dum quod Græci uocant ἐγκρατῆ, nos *einhalten*, uel *enthalten* dicimus. Virtus hæc uehementer necessaria est episcopo. Etenim qui seipsum cohibere, suosq; ipsius affectus temperare nequit, quomodo alios moderari poterit?

Tenacem fidelis sermonis. Quartò, adijcit & illud, Tenacem eius qui secundum doctrinam est fidelis sermonis, ut potens sit etiam exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes conuincere. Sed de hac conditione episcopi diximus suprà, ubi poscitur ut sit διδακτικός.

Sunt enim multi immorigeri, &c. Illud hic est animaduertendum, quod subiungitur: Sunt enim multi ἀνυπότακτοι, ματαιολόγοι, φρεναπάται, id est, non subditi, uaniloqui, mentium seductores, quibus obstruendum est os, qui totas domos subuertunt, docentes quæ docenda non sunt, turpis lucri gratia. Ergo tum potissimum requiritur episcopus potens in doctrina sana, quando numerus eorũ multiplicari incipit, qui uerbo ueritatis immorigeri, uana dogmata serunt, & simpliciũ mentes opinione scientiæ seducunt, idq; faciunt turpis lucri gratia: quemadmodum tum maximè opus est duce industrio ac uigilanti, quando undiq; imminent insidię hostium. At ea est sors ecclesię postremis hisce temporibus, ut quo plus est periculi ex insidijs seductorum, hoc sint episcopi ac pastores ignauiores. Et quod adhuc peius est, ubi cœperũt muti esse in ecclesia episcopi, illis ipsis uaniloquis ac mentium seductoribus munus docendi permiserunt.

De Diaconis. *σεμνοί.* *μὴ δίλογοι.* De diaconis, primę Timothei 3. prescribens requirit, ut sint & illi unius uoxoris mariti, qui liberis suis rectè prę sint, & proprijs familijs, uiri σεμνοί, id est, graues & honesti. Erasmus uertit compositos, uulgata Latina habet pudicos. Intelligit Apostolus de ijs, qui sint nõ leues ac uani, sed moribus & aspectu graues atq; honesti. Deinde, ne sint δίλογοι, id est, bilingues, qui ex uno ore calidum ac frigidum spirent, quod uicium in seculari quoq; uiro, nedum in sacro & Christiano plurimum habet dedecoris, & in ministro uehementer solet esse exosum. Vult diaconos esse uiros ueraces, & constantes in uerbis.

Non multo uino dediti. Addit, Non multo uino deditos. Non dicit, Vinum non bibentes, sed non deditos multo uino. Reddit enim hoc uicium ministros inutiles, & nonnunquam noxios etiam, ut turpitudinem ebrietatis taceam.

Tenentes mysterium fidei. Subiungit, Non turpiter lucri auidos. Quales suprà requirit episcopos, tales hic & diaconos requirit: Tenentes mysterium fidei, cum pura conscientia, inquit. Doctrinam salutis ac fidei Christianę uocat mysterium fidei. Non dicit autem, Docentes, sed tenentes mysterium fidei. Neq; enim ad hoc eligebantur diaconi ut docerent, sed ut curam rerum Ecclesiasticarũ, uiduarum, pupillorum, ac pauperum gererent.

Est autem sententia hæc Apostoli multum ab illis diuersa, qui in huiusmodi ministerijs satis esse putant, si eligantur uiri seculariter industrij, quicquid sit de mysterio fidei: quasi inter Christianos nihil referat, quales sint in fide Christi, qui ministeria externa obeunt.

Atq;

Atq; hi probẽtur prius, inquit, deinde miniſtrent ἀνεγκλητοι ὄντες, id eſt, ſi fuerint inculpati inuenti. Monet, ne temerè quiſquam præficiatur muneri Diaconatus, ne per incuriã irrepat homo uel ignauus & inutilis, uel turpis ac uanus, uel perfidus ac noxius. Quare iubet, ut probentur primùm, qui ſunt eligendi, ut quales ſint, certis experimentis deprehendatur: actum demum ad Diaconatum eligantur, cum fuerint inuenti inculpati. *Probentur prius.*

Exiſtimo autem probari eos cõſueuiſſe dupliciter. Primùm per teſtimonia uitæ anteactæ: deinde in ipſo miniſterio, quod aliquandiu obibant nondum electi, ac per manuum impoſitionem confirmati, donec probati uel reijcerentur, uel ordinarentur. *Quõ probari conſueuerint.*

De uxoribus quoq; Diaconorum præſcribit. nam & illæ ſuo modo ad miniſterũ hoc pertinebant, „& aliàs plurimùm refert ad honorem miniſterij, quales ſint miniſtrorũ uxores. Vxores, inquit, ſimiliter σεμνὰς, id eſt, graues & honeſtas. Exiſtimatio uiri per uxorem uanam ac leuem haud parum labefactatur. Addit: Non διαβόλους, id eſt, non delatrices, non calumniatrices: νηφαλίους, id eſt, ſobrias: πιστὰς ἐν πᾶσι, id eſt, fidas in omnibus. Requirit uxores Diaconorum, quæ alienæ ſint à uulgaribus muliercularum moribus. Solent enim eſſe plerunq; leues, detractrices, bibulæ, & parum ſeruantes debitæ fidei, præſertim in regionibus illis Orientalibus. *De uxoribus Diaconorum.*

Hæc obiter de Canone Apoſtolico, quo docetur, quàm debeant eſſe epiſcopi & diaconi, in ſumma, uiri tales, qui nec ſint inhoneſti, nec culpabiles apud exteros, nec inutiles, multo minus noxij Eccleſijs. Canonis huius reſpectu obtinuerat in prima Eccleſia, ut rarò inueniretur qui ſe in miniſtrum Chriſti eligi & ordinari pateretur, ita ut cogendi eſſent qui eligebantur, & inuiti ad Epiſcopatus trahẽdi. cuius rei meminit Auguſtinus epiſtola ducenteſimaquarta, ad Donatum presbyterum Donatiſtam ſic ſcribens, Attende quid apoſtolus dixerit: Qui epiſcopatũ deſiderat, bonum opus deſiderat. Et tamen tam multi ut epiſcopatũ ſuſcipiant tenentur inuiti, perducuntur, includũtur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec adſit eis uoluntas ſuſcipiendi operis boni. Hęc ille. At hodie aliud ſeculũ, alij mores. Nemo cogitur, ultrò accurrũt omnes. Quare? Quia Canonẽ hunc egregiè contemnunt. Quod ſi de hoc præſcripto Apoſtoli nõ diſceſsiſſent Eccleſię, haberemus nunc in religione Chriſtiana multo minus errorum, falſorum dogmatũ, flagitiorum, turpitudinis ac impuritatis, & nefandæ ſymoniæ. Quis autem ſatis deplorauerit miſerrimam hanc Eccleſiarum uaſtationem ac deſolationem, quam ordinis Eccleſiaſtici degeneratio peperit? Qui debebant eſſe doctores, facti ſunt ſeductores: quos conueniebat eſſe epiſcopos Eccleſiarum, uidemus factos eſſe principes terrenarum ditionum. Quorum erat paſcere gregem Domini, paſcunt ſeipſos, & oues Dominicas aut deuorant ipſi, uel lupis ac reliquis beſtijs obijciunt. Quos Eccleſia habuit olim presbyteros, id eſt ſeniores, horum locum occupant iam homines & ætate immaturi, & moribus ſcurræ omniũ leuiſsimi. In ſumma, lux mundi uerſa eſt in caliginem, ſal terræ prorſus infatuatus omnem acrimoniam amiſit. Interea cum pauciſsimi inueniantur fideles uerbi Dei miniſtri, omnia ſpectris titulariũ epiſcoporũ, presbyterorũ, prælatorum, doctorum, ſacerdotum, &c. paſsim implẽtur: quorũ conuerſatio ſic eſt turpis, prophana ac dedecoroſa, ut cordati homines nequeãt nõ agnoſcere horribilem irã Dei, in Eccleſias Chriſtiani nominis iã olim grauiter ſuccenſam. *Cõcluſio & epilogus Canonis Apoſtolici.*

DE EMENDATIONE MINISTRORUM *uerbi Dei.*

SCio non eſſe ſperandam ullam ueram ac ſolidam eorum emendationem, qui ſub Romano Simone, non Petro, ſed Iudah militantes, & uerbi Dei & Canonis Apoſtolici diſciplinam pedibus conculcarunt: ac brachio ſeculari confiſi, frontemq; meretriciã induti, erubeſcere neſciunt. Malum hoc antiquum & inueteratum eſt, nec medicam recipit iſta podagra manum. Quis unquam, inquit Chryſoſtomus, clericum citò reſipiſcentẽ uidit? Sal infatuatus, quo condimento reparabitur? Sed ipſius uerba fuſius recitabo, quæ in ſecunda expoſitione ſuper Matthęum, homilia quadrageſima legũtur: Nihil autem impoſsibilius, inquit, quàm illum corrigere, qui omnia ſcit: & tamen contemnens bonum, diligit malum. Omnia enim quæcunq; ſunt in ſcripturis, propter quotidianam meditationem ante oculos eius inueterata & uilia æſtimantur. Nam quicquid illic terribile eſt, uſu uileſcit. Propterea clericus, qui ſemper meditatur ſcripturas, aut omnino ſeruaturus eſt, & erit perfectus: aut ſi cœperit illas contemnere, nunquam excitatur in illis ut timeat. Quis unquam uidit clericum citò pœnitẽtiam agentem? Sed & ſi deprehenſus humiliauerit ſe, non ideo dolet quòd peccauit, ſed confunditur quòd perdidit gloriam ſuam. Putâsne Dominus quaſi crudelis, cleris pœnitentiã denegauit dicens, Si ſal infatuatus fuerit, in quo condietur? Sed quaſi naturalem rem eſſe cõſiderans, quia non eſt qui doceat illum errantẽ, qui errantes alios corrigebat: ideo addit & dicit, Amen dico uobis, quòd publicani & meretrices præceſſuri ſunt uos in regnũ Dei. Hæc ille. Quare quæ de emendatione miniſtrorũ Chriſti dicturi ſumus, haud propter eos ſubijciemus, qui deploratè & inueteratè ſunt corrupti: ſed propter eos, qui ad miniſterium uerbi poſtremis hiſce temporibus uocati ſunt, quibus hanc mentem optamus à Domino, ut in timore Dei uerſantes *Falſorũ paſtorum nõ eſt ſperãda emẽdatio.* *Chryſoſt.*

santes præcedentium ueſtigia caueant, ne in idem cum illis perditionis barathrum incidẽtes, & ſeipſos & Eccleſias Chriſti irrecuperabiliter perdant.

Arduũ eſt, conſtanter manere in munere rectè obeundo.

Arduum prorſus eſt, conſtanter ad finem uſq; in eo quod bene cœperis perſeuerare, & tamẽ omnino neceſſarium cum primis miniſtro uerbi. Procliues ad errandũ, delinquendumq; ſumus omnes, donec in hac carne uerſamur. Satan circumiens inſtar leonis, & quærẽs quem deuoret, potiſsimum inſidiatur paſtoribus. Officium docendi errantes, admonendi negligentes, corripiendi peccantes, erigendi languidos, & cõuincendi aduerſarios, laborem poſcit improbum & infractum. Symmyſtæ ipſi (quod expertus ſcribo) plerunq; rectè ſecantem uerbũ Dei ſtimulis odij exagitati à tramite obeundi officij quibus poſſunt modis abſtrahunt. Populus ſtupidus, ignauus, & impœnitens etiam Moſi & Aaroni negocium fecit, & occaſionẽ culpæ obiecit, Num. 11. 20. Vt poſtrema hæc noſtra tempora taceam, quibus hoc fatale eſt, ut flagitijs incorrigibiliter abundent. Hiſce & multis alijs de cauſis periculoſum planè eſt miniſterium uerbi. Quare ſummopere neceſſarium eſt ut ſeruetur inter miniſtros diſciplina quędam emendationis, & communicatio conſolationis, ut & delinquentes corrigantur, & qui animo ſub onere concidunt, fraternis conſolationibus ac mutuis ſubleuationibus erigantur.

Quadrimembris diſciplina corrigendi miniſtros.

Videtur autem ipſa cauſæ huius qualitas quadrimembrem diſciplinam requirere, qua uel delinquentes emendẽtur: uel ſi id fieri nequeat, neceſsitatibus Eccleſiæ ſuccurratur. Optima hæc & plena eſt emendatio, qua & miniſter delinquens, & delictum nocens Eccleſiæ corrigitur. Ad hanc ueluti ſcopum quendam correctoria diſciplina dirigi debet. Quòd ſi miniſter incorrigibilis deprehenditur, ratio eſt habenda Eccleſiæ, ne quid inde damni ad illam pertingat. Et hæc cura Eccleſię in ipſa quoq; correctione miniſtri principaliter eſt ſpectanda. Sed uideamus ex ordine diſciplinæ huius partes.

Correptio delinquentis miniſtri.

1 Prima eſt, correptio delinquentis miniſtri, de qua præcipit Apoſtolus primę Timoth. 5. dicens: Aduerſus presbyterum accuſationem ne admiſeris, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Eos qui peccant, coram omnibus argue, ut & cęteri timorem habeant. Non uult, ut temerè ad quamuis accuſationem corripiat miniſtrum, propterea quòd plerunq; citra culpam querelis ſunt ſubditorum obnoxij, qui præſunt. Rurſus cauet hoc præſcripto, ne prorſus nullam accuſationem admittat, id quod inter miniſtros delinquendi ſecuritatem gigneret. Quare addit, Niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Atq; ita & innocẽtiæ miniſtrorum patrocinatur, & ſimul delinquendi ſecuritatem amputat, dum accuſationem incertam reijcit, certam & fide dignã admittit. Quod ſubiungit, Eos qui peccant, coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant: ad præcedentia pertinet, & de redarguendis peccantibus miniſtris pręcipitur. Non eſt quoduis & cuiuſuis peccatum palàm coram omnibus redarguendum, propterea quòd non eſt manifeſtandum peccatum occultum, ſed ſecretò emendandum. Vbi uerò miniſter ſic peccat, ut timendum ſit ne ſcandalo ſit Eccleſiæ, & exemplo ſuo delinquendi licentiam inducat, quod genus periculi non eſt in quorumuis peccatis timendum: hic neceſsitas curandę eccleſiæ requirit, ut ſic peccans miniſter redarguatur coram omnibus, ad incutiendum timorem alijs, ne prauo illius exemplo inficiantur. Sic Paulus Petrum coram omnibus reprehendit, cũ uideret eum non rectè ambulare in Euangelio Chriſti. Galat. 2.

Peccantes corã omnib. argue.

ἐλέγχειν.

Sonat autem ἐλέγχειν, qua uoce utitur hic Apoſtolus, idem quod conuince. Vnde colligere licet, teſtes aduerſus presbyterum teſtificantes audiendos eſſe, non ſeorſum & ſecretò, ſed palàm coram omnibus: & hoc eſſe peccantem ἐλέγχειν, id eſt, conuincere & arguere coram omnibus, ut poſtea quàm teſtibus euidenter conuictus fuerit, uel uerbis corripiatur, uel pro delicti grauitate condignam ſententiam ſubeat.

Translatio miniſtri.

2 Secundus emendandi modus eſt, qui fieri poteſt per translationem. Vſus huius eſt, quando miniſter occaſionibus quibuſdam, quas locus in quo miniſtrat obijcit, ad peccandum ſollicitatur. Vtpote, ſi ſit uino plus æquo addictus, miniſtret autem eò loci, ubi frequentes ſunt tabernæ uinariæ, & plebs ipſa ad bibendum procliuior: res ipſa monet ut qui talis eſt, cum cæterà ſit non inidoneus, in aliquem locũ transferatur, ubi minus occaſionis ad delinquendum inueniat: uel, ſi miniſtret in Eccleſia celebriori quiſquam, qui illi adminiſtrandæ par eſſe nequeat: uel ſi doctior quiſquam minori ſit Eccleſię deputatus, qui maiori præeſſe poterat, qualis erat Nazanzenus: uel ſi qua ſimultas inter plebem & miniſtrum fuerit exorta, nec ſpes ſit poſſe ſolidam fieri compoſitionem & conciliationem: uel ſi miniſter contemptibilis factus ſit in oculis plebis, uſurpandum eſt hoc translationis remedium.

Quod ſi quis deprehenſus fuerit non ſatis idoneus ad munus Epiſcopale, ad quod tempore neceſsitatis, cum melior non daretur, ab Eccleſia fuerat electus: ubi offertur à Domino magis idoneus aliquis, poſcit ipſa ratio emendandi defectus Eccleſiæ, ut transferatur uel ad aliã minorem Eccleſiam, uel ad minoris momenti miniſterium: ut qui fuerat epiſcopus, ſit iam in numero eorum qui epiſcopo cooperantur in opere Domini: & qui presbyter fuerat, inter diaconos connumeretur.

Depoſitio ab officio.

3 Tertia ratio emendationis eſt, depoſitio ab officio. Eſt aũt huius geminus uſus. 1 Vnus, quo qui peccauit, ad tempus deponitur, donec corrigatur & emendetur. Vocant hoc genus depoſi-

depositionis, suspensionem. Quòd si tempore suspensionis huius sic se gesserit depositus, ut perspicuum præbuerit ueræ emendationis argumentum, præficitur alij cuipiam Ecclesiæ, in qua possit Domino ministrare sine offendiculo populi. 2 Alter est, perpetuâ habens depositionem, qua deponitur qui uel delicto uel defectu laborat incorrigibili, siue corporis, utpote si sit factus mutus, uel cæcus, uel leprosus: siue animi, si fuerit factus deploratè à fide & ab Ecclesia Christi abalienatus: siue morum, si flagitijs grauioribus, aut minus grauibus, incurabiliter tamen laborauerit. De hoc genere depositionis multa reperiuntur in Canonibus Apostolorum, ut uocant, & Conciliorum tam generalium quàm prouincialium. Sic deponebantur episcopi ac presbyteri, qui seculares curas obibant, qui scortati fuerant, uel in periurio deprehensi, qui fideles etiam delinquentes percusserant, qui per pecuniam ordinati fuerant, qui Ecclesias per potentiam secularem occupauerant, qui alea ludebant, qui inebriati fuerant, qui usuras à debitoribus exegerant, qui populum suum negligẽtius docebant, qui militię uacauerant, quales iam multi habentur castrenses episcopi & Cardinales, &c. In hos & consimiles omnes pronunciatur uno uerbo, Deponantur. Si standum est antiquis cõcilijs & canonibus, quemadmodum hodie uociferantur aduersarij doctrinæ Christi, obsecro, quotusquisq; præsentium temporum episcopus, presbyter, &c. depositionis sententiam euadet?

4 Quarta & postrema ratio est per excommunicationem, qua depositi propter impœnitentiam etiam à communione fidelium excluduntur. Et reuera indigni sunt communione fidelium, qui sic se gerunt, ut non modò ministeriũ Christi, sed & ipsam religionem Christianam flagitijs suis, propriæ salutis obliti, contaminent. *Excommunicatio ministri.*

Hactenus de emendatione ministrorum uerbi quædam perstrinximus. Quærunt hic, per quos disciplina ista administrari debeat. Respondeo: Primum ecclesiæ populus potestatẽ habens eligendi dignum ministrũ, habet etiam, teste Cypriano, potestatem indignũ recusandi. Deinde, qui iudices sunt censoresq; morũ in Ecclesia, ex officio tenentur redarguere peccantem ministrum, si duobus aut tribus testibus fide dignis coram Ecclesia Dei conuictus fuerit. *Per quos disciplina hæc administrari debeat.* *Lib. 1. Epist. 4.*

Tertiò, ijdem cum consensu & suffragijs plebis deponent ministrum uel ad tempus, uel in uniuersum: uel excommunicabunt tandem, iuxta qualitatem peccati uel defectus illius. Sola translatio de Ecclesia ad Ecclesiam, non unius Ecclesiæ iudicio fieri potest. Neq; enim æquũ est, ut Ecclesia Ecclesiæ quenquam præter ipsius consensum obtrudat. In quibusdam nostrorum temporum Ecclesijs gerũtur ista iudicio & sententia Christiani magistratus, præter perpetuam depositionem, & excõmunicationem, quarum neutram habent in usu. Verùm de eo quid Christianus magistratus in causa religionis possit, suo loco dicemus. Olim cœperũt ista geri in Synodis episcoporum, quas singulis annis binas in singulis celebrabant prouincijs. Hic deponebantur episcopi, & in illorum loca substituebantur alij per cõtentiones & studia partium, sine conscientia & suffragijs Ecclesiarum, quibus erant præpositi: quã præsumptionem probare non possum. Sic enim & iura Ecclesiarum infringebantur, & schismatum occasiones obijciebantur, quibus mirum in modum turbabatur & discindebatur ecclesiarum concordia, ut mirum non sit, tandem horribilem esse ruinam perpessas Græcorum Ecclesias, quarum episcopi morbo contentionum ac libidine mutuæ condemnationis mirum in modum & incurabiliter laborarunt.

DE FIDE.

QVEMADMODVM Seruator Marci ultimo, cũ opus Apostolici ministerij discipulis mandasset, dicens, Euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ: mox de fide subiecit, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: & sicut Apostolus Rom. 10. fidem dicit esse ex auditu, auditum uerò per uerbum Christi: ita existimo post locum de Ministerio ac ministris uerbi, admodum esse conueniens, ut eum qui de Fide est subijciamus, quem hisce capitibus partiri lubet. utpote, Quid sit fides, quę sint illi⁹ partes, quàm sit necessaria, unde acquiratur, quomodo detur, quibus detur, quando detur, quę sint illius alimenta, quę incremẽta, & quę efficacia. *Dispositio huius loci.*

I. QVID SIT FIDES.

QVoniam nulla unquam superstitio, quamuis absurda & auersanda in mundũ hunc omnis generis erroribus obnoxium prodijt, quæ non in multorum cordibus locum inuenerit: factum est, ut ex hac credendi quiduis leuitate uox fidei etiam inter Christianos haud cõstanter suo loco habeatur, ita ut plerisq; fides nihil aliud sonet quàm opinionẽ quandam de Deo, de Christo filio eius, de spiritu sancto & nonnullis alijs rebus in Ecclesia uulgatis. Et reuera illi qui ueram fidem non sunt dono Dei consequuti, quamuis inter Christianos sint nati, educati, & sacramento initiationis sanctificati: haud tamen aliter de fide sentire possunt, quàm quòd sit opinio quædam de rebus, quas iudicio & intellectu humano capere nequeamus. Nequeunt enim aliter de illa iudicare, quàm sicut est in ipsorum cordibus compa- *Fides in plerisque nihil est aliud, quàm opinio.*

rata: in quibus sic est comparata, ut quę credunt, nulla alia ratione credant, quàm quòd ea passim apud eos creduntur, ad quos ipsi pertinent, & inter quos sunt in fide à puero instituti. Et hæc credendi ratio non modo apud pseudochristianos, sed & apud Iudæos, Turcos, & quosuis alios totius orbis est populos uulgata & cõmunis, ac quibusuis erroribus obnoxia. Neq; enim fieri potest, ut non seducatur, qui sine certa ueritatis luce omnia ea credendo amplectitur, quæ in ipsius gente passim credũtur: nec ea alia ratione credit, quàm quod fidem eorum uidet esse genti suę catholicam, ad quam & natiuitate, & educatione, & religione pertinet. Et quid aliud spirát hodie, quibus perpetuò in ore est fides catholica, & ecclesia catholica? Haud enim obscurè significant, id se habere pro uero & germano, quod uidẽt esse catholicum, quasi multitudo populorũ non sit erroribus obnoxia, & ueritas peregrina in terris, fidesq; non multorum, sed paucorũ, electorum uidelicet: ob quam causam & Apostolus Christianam fidem, fidem electorum Dei uocauit. Tit. 1.

Quid sit fides.

Diligenter itaq; uidendum est quid sit fides illa, quæ nec sit opinio tãtum, nec erroribus ullis obnoxia esse possit. Definitionem huius posuit Apostolus ad Ebr. cap. 11. ubi sic dicit: Est autem fides eorum quæ sperantur ὑπόστασις, & earum rerum quæ non uidentur ἔλεγχος. De fide in hac definitiõe duo prædicat. 1 Primũ est, quòd sit ὑπόστασις & ἔλεγχος, quibus prędicatis omnem opinionis ac hęsitationis incertitudinem à uera fide prorsus reijcit. Est enim ὑπόστασις subsistentia firma & immota, & ἔλεγχος euidens & certa rei comprehensio. Itaq; si fides hypostasis est & elenchos, consequitur primùm, non admittere illam aliquid dubitationis in animo credentis, ut liqueat eum qui hæsitat, non fide, sed opinione duci: deinde, necessariò uera esse, quæ uera fide creduntur. De falsis namq; non poterit haberi certa & indubitata fides. De ueris possunt dubitare innumeri, quamuis ueritati dubitatione sua nihil adimant: de falsis uerò nemo certus esse potest, talemq; habere fidem quæ sit hypostasis & elenchos, nec totius etiam orbis quantumuis catholica opinio aliquid potest rebus falsis tribuere ueri. Nulla Turcorum quamuis infinita multitudo, Maometanæ impietati gloriã ueritatis opinione sua conciliare, & Christianæ illam fidei adimere potest.

Quæ prædicẽtur de fide.

ὑπόστασις, & ἔλεγχος.

De rebus falsis non potest haberi certa fides.

2 Alterum fidei prædicatum in hac illius definitione est, quòd sit rerum sperandarum, & earum quæ non uidentur. Verbo sperandi respicit ad ea quæ nondum habentur præsentia, sed adhuc expectantur futura. Per id quod dicit, Et non uidentur, intelligit ea quæ sunt inuisibilia & spiritualia, ab oculis carnis abscondita. Et his quoq; uerbis perspicuè inter opinionem, quam humana ratio de rebus uel absentibus uel inuisibilibus concipere potest, & uerã fidem discriminat, dum illi tribuit, quòd in rebus futuris & inuisibilibus certam habeat hypostasim & euidentem comprehensionem, quod nulli humanæ potest opinioni adscribi.

Rerum sperandarum, & eorum quæ non uidentur, esse fidem.

Quod Ioan. 20. ad Thomam dixit Seruator, Quia uidisti me Thoma, credidisti: non repugnat definitioni fidei, quam ex Apostolo adduximus. Est enim eo loco Christus more uulgato loquutus, quo fides aliquando uocatur, quod magis scientia est quàm fides: sicut etiam frequenter fides dicitur, quod opinio uerius est quàm fides. Quod uerò subijcit, Beati qui nõ uiderunt, & crediderunt: & manifestè definitioni huic concordat, & ueram fidem ab ea quę impropriè fides uocatur, discriminat, ac simul illam extenuat, istam uerò quę uerè credentiũ est, felicitatis encomio prædicat & extollit: disertè hoc ipsum in illa commendans, quod Apostolus in definitione hac expressit dicens, Et earum rerum, quæ non uidentur elenchos.

Quia uidisti me Thoma, credidisti.

Hactenus definitionem fidei posuimus, quam habet doctrina Apostolica. Est autem ea magis rei quàm nominis: perinde ac si definiturus Ecclesiã dicas, ex Apostolo 1. Tim. 3. esse illam columnam & firmamentum ueritatis. Si definitionem nominis quæras, cõstat fidem esse constantẽ assensum cordis ad ea quę uel narrantur, uel promittuntur uerbo. Est enim credere, assentiri auditis. Verùm Apostolo magis placuit rei quã nominis ponere definitionẽ, quo Christianæ fidei certitudinẽ exprimeret, illamq; à falsa fide, quę opinio est, non fides, distingueret.

Definitio nominis.

II. QVAE SINT FIDEI PARTES.

Tres partes fidei nostræ.

QVo totam nostrã fidem cognoscere liceat, inspiciendæ sunt illius partes. Sunt hæ tres. Prima est, qua de Deo quædam: Secunda, qua Deo, ut Deo: Tertia, qua in Deum, ut in Deum, indubitatò credimus. Existimo tribus istis partibus, quantũ satis est pio homini, comprehendi quicquid toti inest fidei. Et quamuis haud sit obscura illarum diuisio, paucis tamen, propter rudiores, singulas explicare placet.

Credere de deo quid sit.

1 Principiò, de Deo quædam credimus, utpote quòd sit Deus, quòd sit unicus, & præter eũ nullus alius: quòd sit omnipotens, creator cœli ac terræ: quòd sit iustus, beneficijs afficiens iustos, & pœnas sumens de reprobis: quòd sit bonus, clemens, & misericors erga resipiscentes: quòd sit uerax, ac fidei seruans: quòd sit sempiternus, & quæ alia multa de illo in scripturis prædicantur. Ad hanc classem pertinent & ea quæ de Christo filio Dei ac spiritu sancto credimus. De Christo, quòd sit unigenitus dei, uerbũ Dei caro factũ, uerus deus & uerus homo,

Dominus,

Dominus, redemptor, seruator ac mediator noster unicus: quòd pro nobis sit crucifixus, mortuus, sepultus, excitatus, assumptus ad cœlos secundum carnem, & quòd ad dexteram patris sedens uenturus sit in fine mundi huius ad iudicandum uiuos & mortuos, & quæ alia de illo literæ habent Euangelicæ & Apostolicæ. De spiritu sancto, quòd sit eadem diuinitate patri & filio æqualis: quòd sit illuminator mentium, paracletus, doctor, consolator, renouator ac moderator electorum Dei.

Primus fidei gradus.

Et hic gradus fidei primus est, plurimumq; refert quomodo sit in cordibus nostris fundatus. Ab illo procul absunt, qui dicũt in corde suo, Non est Deus: deinde & illi, qui licet Deum esse credant, haud tamen credunt aliter, quàm sicut uulgò catholica opinione putari uident. tertiò illi quoq;, qui de Deo uel non omnia quæ conuenit, uel alia siue aliter quàm conuenit credunt: id quod illis euenire necesse est, qui de Deo non fidem secundum scripturas sacras mente concipiunt, sed opiniones proprij cordis fingunt, illasq; pro uera fide amplectuntur. Vt exempli gratia, reperiuntur qui de Deo sic colligant: Misericors est Deus erga omnes eos quos condidit. Ergo saluabit omnes, damnabit neminem. Vt quid creasset, si damnare uoluisset? Nihil odit eorum quæ fecit, fecit autem omnes, quomodo ergo damnaret quos non odit? Nemo igitur damnabitur, sed saluabuntur omnes, etiam dæmones. Qui hoc de Deo credunt, non credunt, quod sit uerum: sed quod falsum est, uerum esse opinantur, quia non attendunt uerbo Dei, sed suis ipsorum figmentis. Et hinc potissimum oriuntur hæreses.

Credere Deo.

2 Deinde, secunda fidei parte credimus etiam deo, hoc est uerbo eius fidem damus, tanquã Dei uerbo, de cuius ueritate prorsus infallibili impium sit dubitare. Sic credimus & Christo filio Dei, dum uerbo illius, tanquam uerbo unigeniti Dei à patre ad nos missi, credimus. Hic fidei gradus secundus est, ex primo consurgens. Nequit enim fieri, ut qui rectè de Deo credit, non etiã credat illi in omnibus: rursus, ut qui in primo gradu deficit, in hoc secundo rectè consistat. Et ad hanc classem pertinet obedientia illa, quam uerbum Dei à fidelibus requirit. Viderint hoc loco, quotquot doctrinis hominum magis quàm uerbo Christi obediunt.

Secundus fidei gradus.

Qui in secundo hoc fidei gradu utroq; pede solidè consistunt, non solum credũt Christo dicenti, Qui credit in me, habet uitam æternam: sed & in reliquis omnibus quæ dixit, fidem illi dabunt. Reperias innumeros, qui quod placet in uerbis Christi, credant: quod displicet, in quæstionem uocent ac diuexent. qualia sunt, Nolite resistere malo: item, Rationem reddent homines de omni uerbo ocioso: item, Diligite inimicos uestros. item, Qui amat animam suã, perdet eam. Et, Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus: & quæ alia sunt huiusmodi, à quibus & ratio & caro nostra abhorret. Hoc genus hominum non credit Christo ut Christo, sed ut placida ipsis dicenti. Credere illi ut Christo Dei, est illi credere in omnibus, nec de ullo illius sermone quicquam dubitare.

Credere in Deum.

3 Tertia fidei parte, nõ modò de Deo, & Deo, sed & in Deũ credimus. Est autem credere in Deum, spem omnem in Deum dirigere, firmaq; fiducia ab illius bonitate pendere. Et hic tertius est fidei gradus, ex duobus prioribus emergens. Quisquis enim & de Deo, & Deo rectè credit, non poterit non à promittentis ueritate ac bonitate fiducialiter ac toto corde pẽdere.

Tertius fidei gradus.

Tres hæ fidei partes pulchrè Ioan. 14. in uerbis Christi exprimuntur, ubi dicit: Non credis quòd ego sum in patre, & pater est in me? Item: Credite mihi, quòd ego sim in patre, & pater in me. Item: Amen amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet. Et in principio capitis: Creditis in Deum? & in me credite. Ad primam fidei partem pertinet, quod dicit: Non credis quòd ego sum in patre, & pater est in me? Erat hoc de Christo credendum, cuius rei adhuc ignari erant Apostoli. Ad secundam referendum est quod subijcit: Credite mihi, quòd ego sum in patre, & pater in me. Requirebat, ut hoc dicenti sibi crederent. Ad tertiam pertinet quod dicit: Amen amen dico uobis, qui credit in me, &cæt. Et Creditis in Deum, & in me credite: quibus uerbis fiduciam in se perinde atq; in Deum requirit. Hoc genus credendi Germanicè uocamus, *vertrauen*. Quare uerti posset, *vertrauuent jr Gott? so vertrauuent auch mir.*

De discrimine partium fidei.

Est autem luculentum in tribus istis fidei partibus discrimen: idq; nõ modò ordinis & graduum, sed & applicationis. Priores duæ applicari possunt, ac debent etiam, nõ modò ad Deũ ac Christum filium eius, sed & ad prophetas & Apostolos: tertia uerò soli cõpetit patri, filio, ac spiritui sancto. De Mose siquidem, prophetisq; reliquis, & Apostolis rectè credimus, quòd fuerint serui Dei, Deo chari, & ex spiritu sancto loquuti. Deinde rectè etiam credimus Mosi, prophetis & Apostolis, tanquam seruis ac legatis Dei, quatenus ex spiritu sancto sunt loquuti. Hæc fides nanq; usq; adeo non derogat fidei quæ Deo ac Christo eius debetur, ut illam magis in nobis confirmet. Vnde & Christus dixit: Si Mosi credideretis, credideretis & mihi: de me nanq; ille scripsit. Tertia uerò pars fidei nec Mosi, nec prophetis, nec apostolis, imò ne angelis quidem accommodari debet. Nõ conuenit ut credamus in Mosen, prophetas, Apostolos, aut quoscunq; alios sanctos, & angelos, quia non conuenit ut diuinitatis illis honorem tribuamus: tribueremus uerò, si spe ac fiducia ab illis penderemus. Scio Exodi 14. sic esse scriptũ in Ebræo ריאמינו ביהוה ובמשה עבדו, id est, Et crediderunt in Dominum & in Mosen seruum

Credimus Mosi, prophetis et apostolis, sed nõ in Mosen, in prophetas & in Apostolos.

Obiectio.

eius. Et cap. 19. Et dixit Dominus ad Mosen, Ecce ego ueniam ad te in caligine nubis, ut audiat populus dum loquor tecum, וגם בך יאמינו לעלם, id est, Et etiam in te credant in seculũ. Vnde uideri possit, perinde credendum fuisse in Mosen, atq; in Deum ipsum. Id quod eo sensu, quo nos in Deum credere, id est, fiduciam collocare dicimur, probari non potest. Ebræis litera beth non mox idem quod nobis præpositio In sonat, quod omnibus Ebraicæ scientibus est in confesso. Quare Hieronymus haud inconsultò uertit Exod. 14. Et crediderunt Domino & Mosi seruo eius. Et Exod. 19. Et credat tibi in perpetuum: ad quem modum & Septuaginta reddiderunt. Habent Ebræi suos loquendi modos, quos Ebraismos uocamus. Hos eruditus interpres sic uertat, ut nihil incommodet sensui. Nobis aliud est credere in Mosen, quàm Ebræis תאמין במשה. Rectè ergo Augustinus super Ioan. tractatu 29. dicit: Credimus Paulo, sed non credimus in Paulum: credimus Petro, sed non credimus in Petrum. Item super uerba Christi, Creditis in Deum, & in me credite: Consequens, inquit, est, ut si in Deum creditis, & in me credatis. quod sanè consequens non esset, si Christus Deus non esset. Viderint ergo, qui fidem in sanctos requirunt à fidelibus. Grauissimè & in Deum, & in sanctos eius peccant, quib. nolentibus etiá tribuunt quod soli Deo conuenit: & nec Christo cõpeteret, si Deus nõ esset. Hactenus de tribus fidei partibus, illarumq; gradibus & discrimine obiter dictum esto.

Augustinus.

III. QVAM NECESSARIA *sit fides.*

Ex quorum necessariorũ genere sit fides.

TErtio loco uidendum est de necessitate fidei. Necessariorũ uaria sunt genera, secundum uarias necessitatis causa: de quibus in præsenti non est dicendi locus. Fides ex illis est necessarijs, quę ob id sunt necessaria, quòd ad acquirendum aliquid necessariò requirũtur, per se alioqui nulla cogente causa necessaria, nec aliquam coactionem cõtra animi inuiti sententiam adferentia: qualia sunt illa quę aliter fieri nequeunt. Talis non est fidei necessitas. Nemo enim cogitur ad credendum inuitus, sed perinde atq; ad uidendum necessariò requiritur ut oculos aperias: sic ad consequendum ea quæ per gratiam Dei in Christo promittuntur, necesse est ut accedat fides. Quod siquis illa non appetit, nihil est quod eum cogat ad credendum. Vt si quis uidere nolit, nulla necessitate ad aperiendum oculos cogitur. Si uerò uel delectatur uidendo, uel aliqua tenetur uidendi necessitate, tum omnino necesse est ut oculos ad uidendum aperiat. Consimili modo, qui nulla tenentur æternæ salutis cura, nulla illi necessitate ad credendum coguntur, quia sine fide perire possunt: qui uerò saluari cupiunt, necessariò de fide cogitabunt, sine qua saluari nequeunt.

Simile.

Vnde necessaria sit fides.

1 Quòd autẽ fides illa, de qua diximus, quòd sola sit uera & Christiana, necessaria sit ad consequendum salutem, ex eo primùm intelligi potest, quòd Deo, qua ille est natura & ingenio, nemo incredulus placere potest. Quomodo namq; placeret illi incredulus, qui omnium est ueracissimus & fidelissimus? Hinc illud est Ebr. 11. Sine fide impossibile est ut quisquam Deo placeat. Si Deo sine fide placere potest nemo, consequens est, ut sine fide nemo beatus esse queat. Etenim quomodo beatus esse poterit, qui Deo non placet? Non placet autem incredulus. ergo, &c. Tale est & illud, Superbi Deo non placent: resistit enim illis. Ergo superbi non saluantur. Humiles illi placent. Dat enim illis gratiam. Igitur impossibile est Deo placere sine humilitate. Item, Qui impœnitens est, deo non placet. Secundum enim impœnitens cor tuũ, inquit Apostolus Rom. 2. thesaurizas tibi irá. Ergo sine resipiscentia impossibile est Deo placere. Necessaria igitur ad salutem est resipiscentia, sicuti necessaria est fides, & uera animi humilitas. Quare? Quia sic comparatum est ingenium Dei.

Ingeniũ Dei.

1. Petri 5.

Propositũ Dei

2 Secundò, accedit etiam singulare illud propositum Dei, quo placuit illi, ut quoniam mundus sapientiam ipsius in sua sapientia non cognouit, per stultitiam prędicationis saluos faciat credentes: 1. Corinth. 1. Et Ioan. 3. dixit Christus seruator, ideo patrem dedisse filium suum, ut quisquis in ipsum credit, nõ pereat, sed uitam æternam habeat. Et Roman. 3. dicit Apostolus, posuisse Deum filium suum propitiationem per fidem in sanguinem ipsius. Itaque necessaria est ad salutem fides etiam hoc consilij ac propositi Dei respectu, sicuti necessaria est eruditio ad consequendum honores eruditis destinatos. Quis enim citra consilij ac propositi huius rationem salutem consequi poterit? Hæc est uoluntas Dei, ut credentes in Christum filium ipsius, saluentur. Salus est in illius uoluntate ac manu, quam pro sua, non nostra uoluntate dispensat. Nostrum autem non est, ut propositum ac consilium Dei in ius uocemus, diuexemusq; illius uoluntatem, quare sic statuerit, ut credentes in Christum seruentur: sed potius hanc illius uoluntatem adorare, & intimis uotis precari conuenit, ut fide hac donemur, sine qua seruari non possumus.

Huius uitæ incolatus.

3 Tertiò, necessitatem fidei parit nobis etiam præsentis huius uitæ & incolatus nostri qualitas, in quo peregrinamur à Deo, & nondum sumus in conspectu illius præsentes. Hinc est illud Apostoli, secũdæ Corinth. quinto: Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem. At hoc genus uitæ fidem ergà Deum sic necessariò

ceſſariò requirit, ſicuti futura uita nullũ illius habebit uſum, in qua Deum facie ad faciẽ uidebimus, coramq; in cõſpectu illius uerſabimur. Cogita de filio, qui extra domum paternã peregrè inter exteros uiuat. Hic quoniã abſens eſt à domo paterna, nec per ſpeciem in cõſpectu patris ambulare poteſt, neceſſe habet, ut literis & nuncijs à patre miſsis credat, ac fide erga patrẽ ſinceraq; fiducia cuncta gerat: hoc eſt, ut fide prouidentiæ, beneuolentiæ ac ueritatis paternę in omnibus nitatur, nec dubitet eſſe ſe illi charum, nec defuturum cum neceſsitatib. ſuis, denique futurum aliquãdo ut in conſpectũ illius ubi ipſi uiſum fuerit, reuocetur. Hoc modo ſignificat nos Apoſtolus peregrinos eſſe à deo patre noſtro in hoc corpore, tãtiſper dum terrã hãc incolimus: fieriq; non poſſe, ut per ſpeciem coram illo uiuamus, id quod poſt hanc demum uitam futurũ eſt: atq; ideo neceſſe eſſe, ut per fidem ambulantes, uerbo ac nuncijs illius, prophetis, Chriſto, Apoſtolis, &c. credamus, donec ex hac peregrinatione reuocati, cõſpectui Dei patris noſtri ſiſtamur. Quare hac quoq; ratione neceſſaria nobis eſt fides. *Simile.*

4 Quartò: Et eorum qualitas, quæ ad conſequutionem ſalutis ſunt neceſſaria, talis eſt, ut fidem neceſſariò requirant, quòd ſine illa apprehendi nequeãt: perinde atq; in rebus humanis ea eſt artium ac ſcientiarum qualitas, ut ad diſcendũ humanæ rationis acumen neceſſariò requirant, eo quòd ſine intelligendi facultate, qua beſtiæ deſtituuntur, apprehendi nequeant. Sic comparatæ ſunt res diuinæ, ut quomodo humanæ intellectũ, ita ipſæ fidẽ requirant. Primùm neceſſariũ eſt, ut cognoſcamus deum patrẽ eſſe conditorem omniũ, ac uerbo ſuo feciſſe omnia. At hæc cognitio nõ poteſt haberi beneficio rationis noſtræ, ſed ſola fide apprehenditur. Ideo Apoſtolus Ebr. 11. dicit: Fide intelligimus, cõdita eſſe ſecula uerbo dei. Deinde neceſſarium eſt, ut cognoſcamus etiã Chriſtũ filiũ Dei miſſum à patre in hũc mundũ, ut peccatores redimat ac ſeruet. Ioan. 17. dicit Chriſtus: Hæc eſt uita æterna, ut cognoſcant te Deũ patrẽ, & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ filium tuũ. At hęc quoq; cognitio tam nõ cõprehenditur humano intellectu, ut illi magis ipſiſsima uideatur eſſe ſtultitia: 1. Cor. 2. Igitur neceſſe eſt, ut fide acquiratur. Sic Petrus Ioan. 6. non ſimpliciter dicit, Et nos cognouimus: ſed pręmittit, Et nos credidimus: ac tum ſubijcit, Et cognouimus quod tu es Chriſtus filius Dei. Huc etiã illa pertinent, quę reſurrectionem, aſcenſionẽ, ſacerdotiũ ac regnum Chriſti perpetuum, quod ad dexteram patris conſtitutus adminiſtrat, & aduentum illius ad iudicandum unà cum futura reſurrectione & uita æterna concernunt, quæ omnia ſine fide capi non poſſunt. *Qualitas rerũ diuinarum. Simile.*

5 Quintò: Et ea quoq; fidem neceſſariò requirũt, quæ ſpiritus ſanctus in cordibus noſtris ad ſalutem noſtram operatur, dum peccata nobis Chriſtus propter fidem in ſanguinẽ ipſius condonat, Rom. 3. atq; ita nos iuſtificat: ibidem, & cap. 4. & 5. dum nos in filios Dei adoptat: 1. Ioã. 1. dum corda noſtra purificat, Act. 15. efficacesq; nos per dilectionẽ ad opera bona reddit, Galat. 5. Dum ad inuocandum patrem noſtrum mouet: Roma. 10. ad reſiſtendum Satanæ, 1. Pet. ult. & ad perſeuerantiam in tribulationibus, Rom. 5. & ad expectationem Seruatoris noſtri, Ebr. 10. confirmat. Etenim hæc omnia uirtute gratiæ Chriſti ſic in electis fiunt, ut nihil ex illis ſit quod in aliquo mortalium fiat, ſi fides Chriſtiana nõ adſit. Verũ de iſtis dicendũm erit, ubi conſideranda erit fidei efficacia. *Operationes ſpirituſ. in cordibus electorũ.*

VNDE ACQVIRATVR FIDES.

ET hoc, inquit Sapiens, magna ſapientia eſt, ſcire unde ſit donum. Facultatẽ credendi habemus à natura, diuinitus inditam. Nemo mortalium eſt, qui non credat aliquid, nõ credat quibuſdam, non credat in quoſdam. Et Euah niſi credidiſſet ſerpenti, de pomo uetito non comediſſet. De hac credendi facultate non loquimur hoc loco, cum illa inſit naturaliter omnibus, ſed fide in Deum ac Chriſtũ eius. Sic planè corrupta eſt natura humana, ut licet facultatem habeamus credendi, nemini tamen minus credamus quã Deo: & licet uim habeamus amandi, citius tamen amemus quoſuis quàm Deum. *Sap. 8.*

Non loquimur autem de fide illa, quæ magis opinio eſt quàm uera fides, ac uarijs ex cauſis in animis mortalium concipitur. Primùm ex admiratione eorum quæ mirandis modis præter conſuetum naturæ curſum fiunt. *Vnde ſit fides inanis, quæ eſt opinio.*

Talis erat eorum fides, de quibus Ioan. 2. in fine capitis ſic legitur: Cum autem eſſe Hieroſolymis in Paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine eius, uidentes ſigna eius quæ faciebat. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eo quòd ipſe noſſet omnes, & quia haud opus ei erat, ut quis teſtimonium perhiberet de homine. ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine. Hæc ibi. Quare non probabat horum fidem Dominus? Quia uidelicet nõ erat uera ac ſyncera. Credebant ad tempus, paulo pòſt ad incredulitatem relapſuri. Sic credebant deo ac Moſi ſeruo eius Iſraelitæ, cum uidiſſent Ægyptios in mari rubro ſubmerſos. Exod. 14. cum tamẽ mox eſſent ad conſuetam incredulitatem, ac cordis duriciem redituri. Et Simon ille Magus cum uidiſſet ſigna ac uirtutes maximas editas à Philippo, ſtupens admirabatur & credebat, quin & baptizabatur, & Philippo adhærebat. Quã autem uerè crediderit, poſtea patuit. Vide Actorum 8. Et Capernaitæ, de quibus Ioan. 6. cum mãducaſſent & ſaturati eſſent mirabiliter,

sic credebant, ut Christum in Regem erigere conarentur.

Deinde eiusmodi fides & illa est, quæ concipitur ex luce quadam ueritatis tam perspicuè expressa, ut ratio consentire cogatur: quod sæpenumero illis usuuenit, qui per occasionem aliquam, ad audiendum uerbũ ueritatis accedunt. cuius rei exemplum in seruis Pharisęorum habetur, quos ad capiendum Seruatorem miserant. Hi cum audissent illum docentem, sic ad credendum ei permouebantur, ut ad suos reuersi, interrogatiq; cur ipsum nõ adducerent, respon derent, Nunquam sic loquutus est homo, sicut hic loquitur. Ioan. 7.

Tertiò: Consimilis & eorum fides est, qui authoritate præcipuorum quorundam hominũ moti credunt. Accidit hoc Augustino, cum Manicheorum labe infectus Mediolanum uenisset, illicq; Ecclesiam uideret, & Ambrosium docentẽ audiret. qua de re intelligẽdum est, quod contra epistolam fundamenti scribens dicit: Ego sanè Euangelio non crederẽ, id est, non credidissem, nisi me authoritas Ecclesiæ permoueret: id est, permouisset. Sic enim loqui solet, id quod diligenti lectori satis est manifestum, sicuti & suprà alicubi admonuimus.

Quartò: Tali fide credunt, qui consensu multitudinis moti credunt. quales sunt qui hodie decisiones conciliorum expectant, in quibus ea statuantur, quæ pluribus probentur.

Istis adiungendi sunt & illi, quos prolixa ac diuturna consuetudo ad credẽdum mouet. Hi perpetuò iactant nescio quot secula: quasi consuetudo sine ueritate non sit erroris uetustas. De huiusmodi fide, quæ ex hisce causis nascitur, non est ut unde sit, operosius quęramus. Nascitur è sterili rationis humanæ solo, & natat in superficie cogitationum humanarũ instar spumæ, non penetrans ad fundum cordium. Et sic sunt hæ causæ comparatæ, ut non modò Pseudochristianos, sed & Turcos in erroribus ipsorum detineant, una illarum dempta, quam secundo loco recensuimus.

Origo ueræ fidei est ex dono Dei.

Veræ & sinceræ fidei originem quærimus. Illa donum Dei est, teste Apostolo Ephes. 2. Gratia, inquit, seruati estis per fidem, & hoc non ex uobis: Dei enim donum est. Omne autem donum desursum est, inquit Iacob. cap. 1. descendens à patre luminum. Ergo & fides uera desursum est, descendens à Deo, patre luminum. Sic Paulus Roman. 12. dicit: Sicut unicuique diuisit Deus mensuram fidei. Et Galat. quinto, recenset fidem inter fructus spiritus. Et 2. Corinth. 4. Habẽtes autem eundem, inquit, spiritum fidei. Vbi spiritum posuit pro dono spiritus, significans fidem esse donũ spiritus. Et Philip. 1. Vobis, inquit, datum est, ut in eum credatis. Hisce testimonijs satis comprobatur, fidẽ esse ex Deo, esse donum Dei, nec ullum hic esse meriti aut uirium nostrarum locum. Hinc est quod Ioan. 6. opus Dei uocatur à Christo, de quo August. Non dixit, inquit, hoc est opus uestrum: sed, Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quẽ misit ille, ut qui gloriatur, in Domino glorietur.

Orandum pro dono fidei.

Monet hæc consideratio, ut qui uera fide destituuntur, ad eum clament, qui solus illam per spiritum suum in cordibus nostris operatur. Tanta namq; est philãthropiæ Dei gratia, ut non modò uitam ac salutem ęternam miseris peccatoribus, si in se credant, promittat: sed etiã hoc ipsum largiatur, ut in se credant. Vsqueadeò uidelicet nihil hac in re nostrum est, de quo caro nostra gloriari possit. Neq; enim hactenus tantum perditi sumus, ut egeamus redemptione, peccatorum remissione, salutis ac uerę uitę dono, sed usq; adeò deprauata est mens nostra, ut ne fidem quidem ex nobis & de nostro adferre possimus, per quam cœlestis gratiæ capaces reddamur. *Simile.* Misertus itaq; nostri Dominus perinde facit atq; solet fidelis medicus, qui non solum medicinã adfert ægroto unde sanetur: sed si opus sit, & id efficere queat, in hoc etiam illi succurrit, ut quam adfert, capere possit medicinam. Nemo fidelis medicus dicit ægroto, Habes hic medicinã unde saneris, accipe & utere: sin minus, morere: sed si obstrusa sunt illi oris ac gutturis organa, ut oblatam medicinã recipere nequeat, studiosissimè hoc agit, ut quo poterit modo occlusos meatus aperiat, & ægrotum medicinæ capacem reddat. Sic clementissimus noster medicus, non solum remissionem peccatorum, adoptionem, salutem ac uitam æternam immeritis ac perditis proponit, sed & fidem hanc in nobis operatur, per quam omnis gratiæ ac salutis huius participes reddamur. Dicamus igitur ægroti ac salutis cupidi: Medicinã quidem domine paratã uidemus, qua seruemur, uerũ obturata sunt corda nostra, ut eã fide capere nequeamus: aperi igitur illa, ut quod credentib. promittis, credẽdo capere possimus. Qui pusilla sunt fide, cum Apostolis dicãt: Domine adauge nobis fidẽ. Qui fide ualent, agnoscant donum Dei, ac celebrent illius gratiam. Vident plerosq; dono hoc fidei destitui, orent pro illis ad Dominum, fidei authorem ac largitorem, quo & ipsis spiritum fidei largiatur.

V. QVOMODO FIDES DIVINITUS detur.

Quõ dona dei conferantur.

OStendimus fidem ueram esse donum Dei. Dona autẽ Dei bifariam conferuntur. Quædam ab illo immediatè sine ullo humano ministerio dantur, utpote, anima, uita, intellectus, uoluntas, appetitus eorũ quæ uitæ sustentandæ conducunt, amor, odiũ, metus mali, facultas uidẽdi, audiẽdi, olfaciẽdi, gustãdi, tangẽdi. Et externa illa, sol, lux, dies, nox, aer, æstas,

æstas, hyems, &c. Quædam uerò mediante humano ministerio acquiruntur: ut sunt, corpus, alimenta corporis, fruges, panis, uinum, uestimenta, & quę alia sunt eiusmodi: item pax publica per magistratum, artes, scientiæ, linguæ, usus & experientia rerum, &c.

Deinde quędá sic dantur, ut accipiens ea accipere se non sentiat: ut dum anima corpori infunditur, & uita datur. Quædam uerò cũ sensu & intellectu accipientis dantur, qualia sunt ea quę & adultis dãtur, & uel corpore, ut corporalia dona: uel spiritu, ut spiritualia, sẽtiri posſũt.

De quibus donis dei sit fides.

Fides aũt, de qua nunc loquimur, de illis donis Dei est, quæ & accedente ministerio humano diuinitus conferuntur, & accepta sentiuntur. Quòd autẽ illa cõmuniter sic detur, satis notum est ex scripturis. Apostolus 1. Corinth. 3. comparat ministros Christi plantatoribus ac rigatoribus, & dicit: Quis est Paulus? quis est Apollos? Ministri sunt, per quos credidistis. Qui plantat nihil est, qui rigat nihil est, sed qui dat incrementum Deus. Hinc, opinor, satis patet, dare Deum fidem mediante aliquo ministerio, & id fieri per homines: quibus tanquam ministris ad hoc utitur, ut per illos fidem acquiramus. ad hæc, sic uti Deum humano ministerio, ut interim ipse efficaciter operetur.

Quõ fides humano ministerio detur.

Iam consequenter uidendum est, quomodo per humanum ministerium detur à Deo fides. Nam omnino requiritur, ut aliquid adferat ac subministret ille qui minister est Dei, quod ad concipiendum fidem in Deum faciat. Quid autem illud sit, Apostolus Rom. 10. perspicuè declarat, cum dicit: Quomodo credent in eum, de quo non audierunt? Quomodo audient, sine prædicante? Quomodo autem prædicabũt, nisi mittantur? Sicut scriptum est: Quàm speciosi sunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona? Sed non omnes obediunt Euangelio. Esaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? ergo fides ex auditu, auditus autem per uerbum Christi. Hæc ibi. Vnde perspicuum est, ministrum Dei, per quem sit acquirẽda in Christum fides, adferre uerbum, idq; Christi: id est, Euangelium de Christo, & ex huius auditu gigni fidem in Christum. Huc facit & illud prima Corinth. 1. Placuit Deo per stulticiã prædicationis saluos facere credentes. Quare & Christus Apostolos tanquam Euangelij huius ministros in orbem emittens dicebat: Ite in orbem uniuersum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Marci ultimo. Itaq; concurrunt in hoc opere Dei, primũ gratia dei, deinde uerbum, tertiò minister prędicans ac docens, quartò auditus uerbi, quintò operatio Dei in animo & corde audientis. Et huius rei exemplum omnium luculentissimum Actor. 16. in purpurissa proponitur, cui per diuinam gratiã missum est Euangelium salutis, prædicante illud apostolo Paulo. Hoc mulier illa audiuit aure corporis: Deus uerò cor illius aperuit, ut attenderet & crederet.

Quæ hic concurrant.

Est itaq; necessaria uerbi Christi prædicatio. Quare grauiter peccãt, qui uel adimunt illam Ecclesijs, & interea lingua incognita missant & boant in templis, plebiq; rudi & imperitę surdas & mutas imagines proponunt, uel aliud prędicant quàm quod mandatum est à Domino. Multum refert quid prædicetur. Etenim pro qualitate doctrinæ gignitur qualitas fidei. Si prędicatur Christus, gignitur fides in Christum: si diuorum præconia, quid gigneretur aliud quã fides, inuocatio, & cultus diuorum? Qui Maometum prædicant, Maometanæ fidei seruiunt: qui operum nostrorum merita extollunt, fiduciam in illa excitant. Et illi grauissimè peccant, qui ministerium uerbi, ac lectionem sacrarum scripturarũ, uelut humanam uocem & mortuam literam spernunt, obijcientes illud Christi, contra mandatum Christi, Erunt omnes à deo docti. qua de re uide in Commentarijs nostris super Ioan. cap. 6.

Multum refert quid prædicetur.

Consequenter & illud considerandum est: Dona dei cuncta ac singula, tam corporalia quã spiritualia, siue immediatè ab illo, siue cum medio aliquo dentur, cum mensura quadam conferuntur. Nemini dantur omnia, nemini cõceditur ullius doni talis perfectio, ut perfectior in eo uel ipse uel alius quispiam fieri nequeat. Quisquis sapiens est, sic sapit cum mensura, ut sapientior fieri possit. Sic comparata sunt omnia dona dei mortalibus concessa, sic comparatũ est & fidei donum. Testatur hoc apostolus Rom. 12. dicens: Sicut unicuiq; Deus diuisit mensurã fidei. Qua in re obseruanda sunt ista.

An fides sine mẽsura detur.

Primùm, mensuram fidei non esse credentibus omnibus eandem ac parem. Fides ipsa eadẽ est omnibus & una. Ephes. 4. at fidei mensura non item: sed alijs datur maior, alijs minor. Qua re nec in illis quæ ex fide nascuntur, aut illam comitantur, pares sunt fideles, utpote in cognitione, dilectione ac timore Dei, in spe, dilectione proximi, patientia, ac studio pietatis. Omnino in Apostolis quoq; impar fuit fidei mensura.

Fides eadẽ, sed mensura illius dispar.

Deinde mẽsuram fidei diuina prouidentia sic diuidi, ut nemo sit electorũ cui minus detur quàm ad salutem ipsius sufficiat. Mensura fidei hoc in se continet, ut sit sufficiens unicuiq; portio. Qui ampliorem accipit, non plus: & qui minorem, non minus salutis habet. ut & hoc loco uerum sit illud Exod. 16. Non habuit amplius qui plus, nec minus qui minus collegerat.

Mensura fidei sufficiens ad salutem.

Quòd autem amplior nonnullis quã reliquis fidei mensura datur, non est præter singulare consilium diuinæ prouidẽtiæ, quæ sic ista moderatur, ut quibus plura sunt certamina subeunda, maior etiam fidei mensura cedat. Constituit quosdam in exemplum aliorum, inq; illis specimina quædã gloriæ ac uirtutis suæ mundo proponit, quales fuerunt Abraham, Isaac, Iacob, Moses,

Quare nõnullis plus fidei detur quã cæteris.

Moſes, Samuel, Dauid, prophetæ, Apoſtoli, martyres: ideoq; illis abundantiorem etiam fidei menſuram largitur, non ut per hanc plus ſalutis acquirant, ſed ut gloriæ ipſius ſingulariter illuſtrandę ſeruiant, & infirmioribus præſint. Perinde atq; in corpore humano plus roboris eſt oſsibus quàm carni, non quòd ipſis hinc plus ſit uitæ, ſed ut imbecillem carnem ſuſtineant: in terea tamen quod attinet ipſam corporis uitam, nec carni nec minutioribus oſsibus quicquá decedit, ſed iſta quoq; tantum acceperunt uirium, quantum ad uitæ communicationem ſuffi cit. Nec eſt membrum aliquod in corpore tam infirmum, modò ſit ſpiritu uitæ prædituũ, quod non æquè ſit uerum ac uiuum corporis membrum, atq; ea quæ potiora ſunt & inſigniora: nõ ut hoc plus ſint corporis membra quàm minutiora, ſed ut corpori magis quàm illa ſeruiant. Ad hunc modum diuina prouidentia in corpore Chriſti, electorum uidelicet Eccleſia ſapienter ac fideliter unicuiq; membro menſuram fidei impertit: cunctis, quantum ſatis eſt ad ſalutem: præcipuis quibuſdam, quantum illorum uel miniſteria, uel afflictiones ac tentationes ſingulariter perferendæ requirunt.

Simile.

VI. QVIBVS DETVR à Deo *fides.*

Dona Dei alia omnib. alia nõ omnib. dantur.

QVoniam fides donum Dei eſt, conſequenter uideamus, quibus nam illa detur. Etiam hactenus dona Dei diſcriminantur, quòd non omnibus omnia, ſed alia alijs dantur. Quædam communiter dantur omnibus, ut ſunt quæ ad uitam hanc conſeruandam neceſſariò requiruntur, & indiſcriminatim bonis ac malis conferuntur, in quorum claſſem Chriſtus ſolem ac pluuiam reijcit dicens: Qui producit ſolem ſuum ſuper bonos & malos, ac pluit ſuper gratos & ingratos. Quædam uerò non omnibus, ſed quibuſdam duntaxat dantur: ut ſunt opes, honores, ſapientia, prudentia, robur & potentia, rerum gerendarum proſperitas, longitudo uitæ, & id genus alia. Huius generis ſunt etiam cœleſtia illa & ſpiritualia dona, quæ ad ueram ſunt ac ſempiternam felicitatem neceſſaria: qualia ſunt, fides, ſpes, charitas, patientia, timor Domini, ſtudium ueræ pietatis, & conſimilia alia. Sic fides itaq;, de qua loquimur, nõ datur omnibus. Et hinc eſt quod Apoſtolus 2. Theſſ. 1. dicit: Non enim omniũ eſt fides. Et Rom. 10. Non omnes obediunt Euangelio. Eſt autem obedire euãgelio nihil aliud, quã uera illi fide aſſentiri, & bona cum fiducia in illo acquieſcere. Sit ergo prima iſta loci huius cõſideratio, ueram in Chriſtũ fidem non eſſe omnium: hoc eſt, non eſſe ex donis illis Dei uulgaribus, quæ cõmuniter & indiſcriminatim præſtantur omnibus: ſed ex ſelectis, quæ paucis quibuſdam per diuinam prouidentiam conferuntur.

Non eſt omnium fides.

Nõ datur fides reſpectu qualitatis, meriti, uel dignitatis noſtræ.

Deinde tale donum Dei fides eſt, quod neq; qualitatis noſtræ, neq; meriti, neq; dignitatis reſpectu detur cuipiam. Etenim ſi ſic daretur, daretur potioribus, & negaretur humilioribus: atq; ita potentes, magnates, opulẽti, ſapiẽtes ac prudentes in hoc ſeculo fideles: abiecti uerò, pauperes & humiles, infideles & increduli inuenirẽtur. Verũ cum diuerſum deprehendatur, id quod & apoſtolus 1. Cor. 1. & Chriſtus ipſe Matth. 11. teſtantur, manifeſtum eſt, non dari fidẽ à Deo ſecundum acceptionem perſonarum, qualitatum ac dignitatum humanarum. Neq; datur propter iuſticiæ noſtræ merita. Aliàs iuſtis ac pijs tantũ daretur, peccatoribus uerò & impijs negaretur: cum tamen Chriſtus ipſe in mundum hunc, ſe non propter iuſtos, ſed propter peccatores ueniſſe dicat: & Apoſtolus de Deo teſtificetur, quòd impios & peccatores iuſtificet. Quare manifeſtum eſt, nec negari illam propter præcedentem impietatem, nec dari propter præcedentia iuſticiæ merita. Quanquã quis dabitur ex omni mortalium genere ſic ante cœleſtem gratiam iuſtus, ut dignus haberi debeat dono hoc Dei, cum omnes ſint peccatores, ac deſtituantur gloria Dei. Rom. 3.

Donũ fidei pẽdet ab electione Dei.

Itaq; cum nec dignitatis nec meriti alicuius reſpectu detur fides, & non omnibus, ſed quibuſdam tantũ conferatur, patet donum illius à libera pendere diuinæ uoluntatis electione, ita ut quorũ uult miſereatur Deus, & quos uult induret, ſicut Apoſtolus Rom. 9. diſputat. Quare cẽſemus dari fidẽ hanc ſolis electis, quos ipſe Deus ante conditũ mundũ in Chriſto Ieſu ad hoc elegit, ut in illis gloria gratię ipſius illuſtretur. Epheſ. 1. Hinc eſt quod apoſtolus Tit. 1. fidẽ hanc fidem electorum Dei uocat. Et Lucas in Actis cap. 13. dicit: Et crediderunt quotquot erant præordinati ad uitam. De hac libera electione Dei loquitur Chriſtus, cum Ioan. 6. dicit: Omne quod dat mihi pater, ad me ueniet. Et cap. 8. Qui ex Deo eſt, uerbũ Dei audit. Propter ea uos non auditis, quia ex Deo nõ eſtis. Sic Apoſtolus ad Romanos 11. electionem, id eſt, electos, ex Iſraele conſequutam eſſe dicit, quod Iſrael non ſit conſequutus.

Non eſt reijcienda publica Euangelij prædicatio.

Hinc tamen non eſt argutandum, quid neceſſe ſit palàm coram omnibus prædicare Euangelium Chriſti, uerbum fidei, cum nõ ſit omnium fides, ſed electorum tantũ. Donec enim in hac uita ſumus, mixti ſunt malis boni, nec ſeparãtur electi à reprobis uſq; ad diẽ iudicij. Matt. 13. quorum cognitio non miniſtris uerbi, ſed ipſi electori Deo ſeruatur. Ad hęc, non hic eſt tantum Euangelicæ prædicationis finis, ut ſeruentur electi, ſed etiam ut omnis excuſatio adimatur incredulis, ſicut & Chriſtus ipſe Ioã. decimoquinto dicit: Si nõ ueniſſem & loquutus eſſẽ,

peccatum

peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent. Accedit institutio Dominica, qua iussi sunt Apostoli per totum terrarum orbem omni creaturæ prædicare euangeliũ, Marci ultimo. Et ipsum exemplum prophetarum, Christi & Apostolorum publicam Euangelij prædicationem defendit. Nam & ipsi indiscriminatim ac publicè in aures omniũ uerbum fidei ac salutis sparserunt, de quibus tamen dici non potest, quòd margaritas gratiæ Dei temerè proiecerint ante porcos.

Fides argumentũ habet diuinæ electionis.

Hæc obiter dicta de eo sint, quòd fides in Christum non est de uulgaribus donis Dei, sed selectis: non omnium, sed electorum tantum. unde colligimus, posse nobis illam esse indubitatum electionis argumentum, quemadmodum pertinax incredulitas notam habet reprobationis. Electionis ac reprobationis iudicia inscrutabilia sunt in se, nec cognosci possunt electi, & à reprobis discerni, nisi ex hac fide, perinde atq; arbor bona ex fructu. Quare non est, ut multis & curiosius de electione ac reprobatione disputemus. Probemus potius nos ipsi, secũdum admonitionem Apostolicam, num simus in fide, sitq; in nobis Christus: uel num de numero simus hominum reproborum, 2. Corinth. ultim. Spiritus fidei in cordibus electorum ignis instar est, nec sic latêre potest, ut sentiri nequeat. Testatur de nobis fides, qui simus, electi ne uel reprobi. Cauendum tamen est, ne feramur hic iudicio præcipiti. Non enim mox de reprobis est, quisquis non credit in præsenti. Qui hodie non credit, crediturus forsan est tempore quo minus speratur. Vocationis tempus in manu Dei est, qui electos suos uocat ad fidem, alios mane, alios meridie, alios uesperi. Et Paulus de electis erat, quamuis serò post Apostolos reliquos ad fidem uocaretur.

Nemo temerè est reprobus censendus.

VII. QVANDO DETVR *fides à Deo.*

Quibus utilis sit hæc consideratio.

EST & hæc consideratio haud inutilis, præsertim illis, quibus hoc est iniunctum à Domino, ut sint in ipsius Ecclesia ministri, per quos ad accipiẽdam fidem electis ministretur. Cogitabunt illi, quoniã fides ista donum dei est, ut ex præcedentibus patuit, ita ut nec à meritis, nec uiribus humanis pendeat, omnino consequens esse, ut tempus illius, quo detur, non in arbitrio humano, sed solius Dei sit prouidentia constitutum: qui quemadmodũ quos uoluit elegit, ita etiam electos ad fidem per ministerium uerbi uocat, quo ipsi tẽpore placuerit. Hinc est quòd Apostolus de sui uocatione ad hunc modum loquitur Galatis primo: Cum autẽ placuit ei qui me segregauit ex utero matris meæ, & uocauit per gratiam suam, &c. Non potuit de tempore uocationis suæ ad fidem certius loqui, quã ut illud placito Dei deputaret.

Tẽpus quo fides datur, nulli ætati, nulliq; qualitati uitæ est alligatum. Similia.

Est autem placitum hoc diuinæ dispositionis in uocandis ad fidem electis nec ætati ulli, nec qualitati uitæ alligatum. Vocatur alius in adolescentia, alius in iuuentute, alius in ætate uirili, alius in senecta, alius in extremo uitæ articulo. Donec durat præsentis uitæ tẽpus, durat etiam tempus uocationis cœlestis, quod perinde habet atq; tempus ætatis. Arbores naturã frugiferæ aliæ initio æstatis, aliæ paulo pòst, aliæ in medio, aliæ post medium, aliæ tandem in fine fructus suos adferunt. Nec minus habetur frugifera quæ in fine, quã quæ initio fructificat: infrugifera uerò est, quæ nec initio, nec in medio, nec in fine quicquã fructus adfert. Etenim post elapsam æstatem sperari non potest, ut quæ in illa sterilis fuit, fructum ferat in hyeme: quòd facultas fructificandi non hyemi, sed æstati sit diuinitùs deputata. Cõsimili modo qui in extremis uitæ suæ ad fidem uenit, non minus inter fideles censendus est quã qui in adolescentia credere cœpit. Nota est historia latronis, cui iam iã in cruce morituro donum fidei contigit. Qui uerò in hac uita prorsus nunquã fidelis efficitur, de illo sperandum non est, ut in hyeme uitæ huius nostræ æstatem sequutura ad fidem perueniat. Etenim morte corporis nostri eò rapimur, ubi nullus est fidei locus, quæ in hac uita & datur & terminatur.

Matthæi uocatio.

Rursus uocatur alius in medio peccandi cursu, alius studio ac zelo dei intentus, alius in ad flictione & tribulationibus: alius, dum ueritati aduersatur, & fideles persequitur: alius in negocijs huius uitæ constitutus. Matthæus Apostolus & Euangelista cum uocaretur, sedebat ad teloneum, sicuti memorat ipse capite nono: quod utiq; uitæ genus sic erat tum temporis in eo populo comparatum, ut telonearij, quos publicanos uocant, peccatoribus accenserentur. Tales uocati sunt & peccatores illi, cum quibus Christus seruator non sine offendiculo iusticiariorum comedit ac bibit. Horum exempla satis docent, etiam in ipso cursu peccandi uocari nonnunquam ad fidem eos, quos ad uitam sibi Deus elegit. Deinde in studio ac zelo Dei uocati sunt Simeon, Anna uidua, Ioseph ab Arimathia, Eunuchus Candacis reginę, Cornelius, Lydda purpurissa, & consimiles alij multi. In afflictionibus & tribulationibus uocati sunt, quos Christus malè affectos ac miseros curauit, quorum calamitas causa fuit accelerandi ad Seruatorem. Paulus cum acceptis literis Damascum ad persequendum fideles proficisceretur, in ipso persequutionis cursu uocatus est. In negocijs humanæ uitæ uocati sunt piscatores, Petrus, Iacobus, Ioannes, &c. Item pastores in agro Bethleem, gregem suum tempore nati Christi pascentes.

Dum

De nulla ætate nulloq; uitæ genere desperandum.

Dum hæc perpendimus, facilè intelligimus, quàm de nulla sit ætate, nulloque uitæ genere desperandum: nec tempus uocationis cœlestis per omnia ad occasionem Euangelicæ prædicationis sic alligandum, quasi nunquã sit donum fidei accepturus à deo, qui non statim initio lucis Euangelicæ credit: nec ad fidem peruenire queant, qui uel in uitę genere peccatis pollu to constituti sunt, uel ueritati aduersantur, & fideles persequuntur. Non est ullum peccati genus tam enorme, quod gratiam hanc cœlestis uocationis impediat, dempta superbia & hypo crisi Scribarum & Pharisæorum, quibus Seruator Ioan. 5. dixit: Quomodo potestis uos credere, qui gloriam alius ab alio captatis? Resistit enim deus superbis, & detestatur hypocritas, præsertim eos qui maliciam suam specie pietatis palliant. De hoc hominum genere ægrè sperari potest, ut ad fidem Christi conuertantur.

De fide infantium.

Priusquã ad sequentia progrediamur, puto paucis admonendum esse Lectorem rudem, de opinione eorum qui de fide infantium disputant, putantes & illis dari à Deo fidem alijs inter baptizandum, alijs ante baptismum, alijs adhuc in utero materno constitutis. Meo iudicio ac cipiunt illi uocem fidei pro occulta spiritus sancti operatione, qua in electis operatur pro libe ra uoluntate Dei, secundum gratiam præuenientem, qua de iudicare non possumus. Semen quoddam infundit illis, quod reprobis negatur. Verũ ubi de fide loquimur, separamus illam ab hoc semine occulto, & definimus secundum scripturas, quid sit, & unde sit: quæ sanè definitiones non possunt habere locum in recens natis infantibus, donec per ætatem fidei huius possint esse capaces. Agnouit hoc & Augustinus, qui epist. 23. ad quęstionem Bonifacij sic scri bit: Itaq; paruulum, etsi nondum fides illa, quæ in credentium uoluntate consistit, iam tamen ipsius fidei sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere respondetur, ita etiam fidelis uocatur, non ad rem ipsam mente annuendo, sed ipsius rei sacramentũ percipiendo. Et super Ioan. tract. 80. Hoc uerbum fidei tantum ualet in Ecclesia dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamuis nondum ualentem corde credere ad iusticiam, & ore confiteri ad salutem. Hæc ille.

VIII. DE ALIMENTIS FIDEI.

Non est accepisse satis, nisi quod acceptũ est alatur.

SIngulare quidem donum est accepisse fidem, uerùm non est accepisse satis, nisi quod acce ptum est semel, perpetuò conseruetur, prouehatur, & per omnem hãc uitam exerceatur. Est enim fides perinde comparata, atque sunt uirtutes naturaliter infusæ, & ad præsentis uitæ conseruationem necessariæ: quas non est accepisse satis, nisi prouehantur, & crescant: ut pote facultas rationis, quam in prima quæ carnis est natiuitate accipimus, quæ omnino alen da est, prouehenda, & ad uitæ nostræ necessarios usus exercẽda. Sic fides hæc Christiana, quę ueluti ratio quædam est secundæ natiuitatis ac noui hominis, ad spiritualem uitam instar infantis alenda est & prouehenda.

Quòd autem prius de alimentis & incrementis fidei quàm de efficacia & operibus illius di cimus, non fit eam ob causam, quòd fides à Deo data nihil habeat efficaciæ, nisi prius alatur, & ad iusta incrementa perducatur: cum ista sic concurrant, ut & statim uirtutem & efficaciam suam pro præsenti mensura exerat, & tamen simul ali prouehiq; necesse habeat, perinde atq; uis illa uitalis in recens nato infante simul & nutritur & operatur: sed ideo de alimentis & in crementis fidei priore loco dicimus, ut ordinem quendam dicendo seruemus, & confusionem eorum quæ dicenda sunt, excludamus.

Vnde sit alimẽtum fidei.

Alimentum autem fidei principaliter à Deo est, unde est & ipsa. Nisi ille quæ dedit, alat ac prouehat, persistere, & ad iustum usum peruenire nõ possunt. Neq; enim illa sic sunt condita, ut conseruatione & prouectione opificis sui nõ egeant: neq; ipse talis est opifex, qui quod se mel condidit, negligat, & ope sua destituat: sed quæ condidit, spiritu suo conseruat etiam & prouehit. Hinc illud Dauidis est: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Et Seruator: Pater meus, inquit, usque modò operatur. Germani parentis est, prolem quam genuit alere ac prouehere. Quapropter dubitandum non est sic fidelem esse Deum, ut quemadmodum electis suis fidem largitur, ita hanc quoque alat in illis, prouehat & conseruet. Nec debet hoc mirum uideri, cum sic in quouis semine terræ nascentium ac fructificantium faciat, dum in illo non modò generando, sed & iustis incrementis prouehendo operatur. Oremus itaque illum, ut fidem quam in corda nostra dedit, ipse in nobis alat, dicamusq; cum propheta: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. & cum Apostolis, Domine, adauge nobis fidem: cumque patre filij lunatici, Credo Domine, succurre incredulitati meæ.

Psalm. 68.
Lucæ 17.
Marci 9.

Quibus medijs alatur fides.

Porrò, sicut hæc fides à Deo quidem est, & tamen mediante uerbo gratiæ confertur: ita & alimenta incrementaq; illius à Deo quidem sunt, medijs tamen quibusdam acquiruntur, quo rum primum ac præcipuũ est illud ipsum uerbum gratiæ, unde nata est fides, ut fidelis ille, interior ac nouus homo uerbo Christi natus, Iacobi 1. & 1. Petri 1. perinde etiã eodẽ quo natus est

Enutritus uerbis fidei.

uerbo

uerbo enutriatur, 1. Timoth. 4. atq; infans eodem ſanguine unde natus eſt, in lac conuerſo, alitur ac prouehitur. Sic hortatur fideles Apoſtolus dicens: Et uerbum Chriſti habitet in uobis opulentè. Coloſſenſ. 3. In eo ſiquidē eſt Dominici gregis paſtura paſtoribus cōmendata, Ioā. ultimo, 1. Petri 5. quę tum eſt ouibus Chriſti cognata & utilis, quando ex uerbo Chriſti, unde illę naſcuntur, ſumpta proponitur. Quàm itaq; crudele & cōtra naturę ductum eſt infanti recens nato lac maternum, tanquam cognatum alimentum temerè negare, uel inuertere, uel miſcendo corrumpere, aut in locum illius ſubſtituere, unde infans nō creſcat, ſed tabeſcat, & tabe confectus emoriatur: tam atrox, imò atrocius facinus eſt, uerbum gratiæ Chriſti, gregi Dominico adimere, uel corrumpere, & humana illi cōmenta immiſcere, unde nouus homo extabeſcat, non creſcat: occidatur, non in uera uita ſeruetur ac prouehatur. *Simile.*

Deinde uerbo fidei & gratiæ cōiungendus eſt uſus orandi ac pſallendi. Haud quidē opus eſt Domino, ut uerbis inſtruatur à nobis quib. opus habeamus: neq; tam eſt difficilis ut dare nolit, niſi uerbis exoratus: uerùm nobis ſic cōducit, ut quæ neceſſaria ſunt, ab ipſo petamus, & orando fidem noſtram exerceamus & paſcamus. Verū ea de re in Cōmentarijs noſtris ſuper Matthæū, cap. 6. ante Dominicæ orationis expoſitionē admonuimus. Quod uſum pſalmorum attinet, dici poteſt illud Tertulliani: Certè fidem ſanctis uocibus paſcimus. Hac de re uide in Præfatione noſtra, quam Commentarijs in Pſalmos præmiſimus. *Vſus orandi et pſallendi.* *Apol. cap. 39.*

Ad eundem ſcopum pertinet & uſus Euchariſtę, cœnę ac memorię Dominicę, cuius ſymbolum rectè nobis ſub pane eſt ac uino, cibo uidelicet ac potu, propoſitū. Dum enim de pane ac calice Domini participamus, memoriáq; illius celebramus, & ſacrificiū laudis offerimus, ſacroſancto hoc myſteriorum uſu fidem in Chriſtum exercemus ac paſcimus, ut in illa magis ac magis creſcentes contra uniuerſa ſatanę machinamēta corroboremur. Et hanc ob cauſam uerba Dominicę inſtitutionis, adhortationem, explicationem myſterij, orationem, & gratiarum actionem lingua intelligibili ac palàm, Eccleſiæ Chriſti fideles miniſtri ac paſtores proponere debent, quo horū auditu fides in cordibus piorum paſcatur. Vt itaq; Baptiſmus ſymbolum habet regenerationis, ita Euchariſtiæ myſterium alendi noui hominis uſui ſeruit. *Vſus Euchariſtiæ.*

IX. DE INCREMENTIS *fidei.*

POſt conſiderationem alimentorum fidei, conſequenter de incrementis quoq; & auctibus illius ex ordine uidebimus. Materia eſt ampla, fateor, uerùm nos pro noſtro modulo nō amplitudinem ac profunditatem illius, ſed ſuperficiem duntaxat inſpiciemus. Eſt autem incrementum fidei duplicis generis. Primùm quo numerus fideliū uel in Eccleſia aliqua, uel in mundo creſcit & multiplicatur: ad quem modum Apoſtolus uerbū ueritatis Euāgelicę in uniuerſo mundo ſuo tempore creſcere ac fructificare dixit, Coloſſ. 1. & Lucas in Act. cap. 6. & 19. Eſt & hoc genus incrementi reuera admirabile, ſi reſpicias eos qui illius fuere, & ſunt hodie quoq; miniſtri, & quā ex paruis ortum ſit initijs. quò pertinent quę Chriſtus de regni Dei incremētis ſub parabola grani ſynapis & fermenti loquutus eſt, Matth. 13. Virtus incremēti huius iam olim deſinere, & illud Apoſtoli 2. Theſſ. 2. Niſi uenerit defectio primū, &c. adimpleri cœpit. Videbimus tamen in fine mundi, & admirabimur infinitam illam fidelium Chriſti multitudinem, in quam fides in mundo hoc peſsimo excreuit. *Incrementum fidei duplicis generis eſt.*

Alterum fidei incrementū eſt, quo illa in cordibus fideliū creſcit & augeſcit. Habet & hic auctus ſuos, quibus per gratiam Dei quotidie inualeſcit: primū, ut quę antea credere nequiimus, quantumuis uera ſint, & in uerbo Dei propoſita, hodie credamus: deinde, ut quę hactenus tenuiter credidimus, iam certius & firmius credamus. Sic illi Ioannis quarto dicebant: Iā nō propter ſermones tuos credimus, ſed ipſi audiuimus & ſcimus, quōd hic uerè ſit ſeruator mundi. Vtroq; modo creſcebat fides Theſſalonicenſiū, 2. Theſſ. 1. Et huiuſmodi incremen tum fidei pendet ab augmento cognitionis Chriſti, ut non fruſtra moneantur fideles, 2. Petri ult. ut in gratia & cognitione Domini noſtri & ſeruatoris Ieſu Chriſti creſcant.

Cauendum tamen eſt, ne ſit noxia inflatio, quod incrementum eſſe fidei putatur. Fides ſi creſcat ſine charitate (qualis erat eorū ad quos Paulus dixit, Tu fidem habes? habe penes teipſum coram Deo: &, Tu fide ſtas? Noli altum ſapere, ſed time) non eſt ſanum incrementum, ſed noxiæ inflationis tumor.

VNDE COGNOSCATVR INCREMENTUM *fidei.*

PAſtoris eſt obſeruare Dominicas oues, & cognoſcere illarū incremēta, quo ſciat quomodo illis alimēta cœleſtis pabuli diſpenſet: & ſi qua eas tabes uel morbus corripuerit, quo modo in tēpore ſuccurrat. Poteſt aūt incrementū fidei obſeruari primùm in dilectione mutua erga fratres, deinde in patientia ac tolerantia tribulationū. Sic Apoſtol. 2. Theſſ. 1. cum *Incrementū fidei cognoſcitur ex dilectione & patiētia.*

dixisset, Quoniá crescit fides uestra: adiecit, Et charitas uniuscuiusq; uestrûm inuicẽ, ita ut & nos ipsi de uobis gloriemur in ecclesijs Dei, pro patienta uestra & fide in omnib. persequutionibus uestris & tribulationib. quas sustinetis. Contrà, hæsitatio & anxia sollicitudo argu it fidei imbecillitatẽ. Sic Petro Matth. 14. dicebatur: Modicę fidei, quare dubitasti? Et qui tẽpore tentationis retrocedunt, imbecilles esse in fide conuincuntur. Sic erat fides Petri infirma, cum uoce ancillæ tentatus Dominum negaret.

QVIS SIT TERMINVS ET MENSVra crescendi in fide.

EST modus in rebus, inquit ille, sunt certi deniq; fines, Quos ultra citraq; nequit cõsistere rectũ. Quærendũ igitur est, sit ne hic quoq; certus aliquis modus incrementorũ fidei, & quis nam sit ille talis, in quo fidei plenitudo & perfectio consistat. Principiò dubitare non debemus esse aliquã fidei mensuram, quæ detur à Domino. Deinde, hanc non esse omnibus eandem. Tertiò, unicuiq; electorum tantũ dari fidei, quãtum ratio salutis exposcit. Verũ hac de re & suprà admonui articulo quinto. Cum itaq; nihil hic sit dubij, reliquũ est, incremẽta fidei sic esse cõparata, ut mensuræ illius cõueniant. Necesse est enim, ut in unsiquoq; electorum fides tantum accipiat incrementi, quantum ad consequendam illius mensurã diuinitùs destinatam requiritur. Spica trigecupla tantũ incrementi non requirit, quo ad mensuram ac maturitatem suam perueniat, quantum sexagecupla. Et sicut in unquoq; humano corpore ꝓ uniuscuiusq; mensura & quantitate necessaria sunt incrementa corporalia, donec ad iustam mensurã perueniat: ita habet & conditio fidei ad suam mensuram prouehendæ, nisi quòd illius incrementa nullo certo annorũ numero, sicuti corporalia, absoluũtur, sed perpetuis auctibus opus habent, donec uiuimus in hac carne. Nemo enim usqueadeò fide creuit unquam in hac uita, quin si diutius ipsi uiuẽdum fuisset, ulterius crescere potuerit. Hinc est quòd Apostolus, cum iam Romæ esset in carcere, ac Christũ multis annis prædicasset, Philip. 3. scripsit: Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim, sed sequor an aliquo modo apprehendã. Fratres, ego me non arbitror apprehendisse.

Incremẽta fidei sunt mẽsuræ illius conuenientia.

Similia.

Philip. 3.

Quæstio. Quodnam sit incrementum fidei, quod & singulis cõpetat, & commune sit omnib.

Quæritur ergo hoc loco, cum omnibus electis detur à Domino fidei mensura, & illa nõ sit omnibus eadem, & tamen singulis ad salutem sufficiens, nec talis existat quę certo annorum spacio absoluatur, sed connitendum ad eam sit, donec sumus in hac uita: quæ nam illius talis posit esse consideratio, quæ & singulis competat, & communis sit omnibus.

Responsio.

Apostolus huic quæstioni satisfacit Ephes. 4. ubi ministeriũ uerbi electis à Christo ad hoc datum esse dicit, ut cuncti ad unitatẽ fidei & cognitionis Christi perueniamus, crescamusq; in illa ad mensuram ætatis plenitudinis Christi, nec simus amplius pueri, qui fluctuemus & circũferamur quouis uento doctrinæ, &c. Vnde apparet, quousq; omnes pariter & singuli in fide Christi crescere debeamus. Præscribit enim nobis ætatem uirilem, quæ sic sit usu rerum ac sensuum firmitudine solidata, ut haud facilè, quod pueris accidere solet, friuolis & inanib. suadelis arte malorũ hominũ compositis circumueniamur. Et ut simul innuat, qua in re uirilis huius ætatis debeat cõsistere perfectio, ne uidelicet uel de corpore uel intellectu humano loqui uideatur, adijcit, Plenitudinis Christi. Est aũt plenitudo Christi, secundum imaginem corporalis ætatis illius, qua dispensationem suam obiuit in carne, hoc loco usurpata, gemina consideranda. Prima, ad quam Christus in corde uniuscuiusq; fidelium sic crescit, ut nõ sit amplius in eis paruulus, sicut erat in Corinthijs: sed uir consummatus ac perfectus. Altera, per quam in extremo die idem Christus acceptis omnibus membris suis, quorum ipse caput est, plenus quodammodo reddatur, & perfectus.

Crescendum itaque nobis est in fide Christi ad mensuram ætatis illius, quæ uirilis erat, sic ut & ille in nobis grandescat: & nos in corpore eius cum reliquis illius membris, tanquam & ipsi membra, pro sua quisq; mensura iustam perfectionem, soliditatem ac firmitudinem fidei acquiramus. Quàm autem necessarium sit, ut extremis istis temporibus fidem nostram sedula & competenti alimonia quotidie alamus, & ad uirile illius robur cõnitamur, adiecta ab Apostolo ratio satis admonet, qua dicit, Ne fluctuemus & circumferamur quouis uento doctrinæ, per uersutiam hominum, per astutiam qua nos adoriuntur, ut imponant nobis. Etenim si unquam locum habuit hæc admonitio, utiq; nouissimis istis temporib. habere debet. Excitemus igitur nos inuicem, ut hoc diligentius confortandæ fidei gratia cœlestib. pabulis incumbamus, quo maior illius incumbit necessitas. Parata sunt pabula uerbi Dei, nec deest cõuiuator ac pastor Christus: modò cupidè, quotidie, cum deuotione ac sancto proposito alimentis istis utamur. Verè pinguis est panis Christi, commodissimus ad sagi-

Vulgò dicimus: Iß weidlich, daß du bald groß werdest.

nandum fidelium mentes, si nulla impediat nausea, qua cum carnali Israele dicamus: Anima nostra nauseabunda est super cibo hoc leuissimo.

X. DE EFFICACIA FIDEI.

LOcus hic omniũ eſt ampliſsimus, & iuxtà maximopere neceſſarius, ac dignus quẽ ſumma cum diligentia cuncti fideles inſpiciãt & perpendant. Et enim ſine illo nihil ſunt omnia quæ hactenus de fide annotauimus. Quid enim eſt fides inefficax, niſi quædam opinio, unde nemo ſeruari poteſt: & id quod ſtomacho eſt materia nõ nutriens, ſed inutiliter occupans & grauans? Potiſsima rerum cognitio in eo eſt, ut uires & uſum earũ cognoſcamus. Si teneas quid ſit ignis, unde & quomodo acquiratur, & quomodo ali debeat: uires uerò, & uſum illius nec ſcias, nec ſcire labores, an nõ quod potiſsimũ in igne eſt, & cognitu cũ primis neceſſarium, ignoras? Sic eſt & fidei conditio cõparata. Quapropter quoniã imperitiores rẽ nos modici momenti ſuperfluo quodã ſtudio extollere, alij uerò etiã hoc agere iudicant, ut data opera funem cõtentionis cum aduerſarijs trahamus ac tẽdamus, dum ſumus in cõmendanda fide frequentes, operæprecium fuerit præſentem locum diligenter introſpicere. *Fides inefficax quid ſit. Simile.*

QVOMODO FIDEI TRIBVATUR efficacia.

VOcat Apoſtolus Gal. 5. fidẽ efficacẽ, cum dicit: Nã in Chriſto Ieſu neq; circũciſio quicquã ualet, neq; pręputiũ, ſed fides, quę per dilectionẽ eſt efficax. Aſcribitur aũt illi efficacia, nõ quod per ſe quicq̃ operetur, cũ omnia per gratiã diuinæ operationis perficiantur, Phil. 2. ſed quòd Deus partim propter, partim per illã in nobis operatur. Sic dicit Chriſtus: Confide filia, fides tua te ſaluã fecit. cum tamen uirtus ex ipſo egreſſa ſanitatem mulieri contuliſſet, ſicut ipſe quoq; dicebat: Tetigit me aliquis. nam ego noui uirtutem̃ eſſe ex me egreſſam. Et alibi legitur: Et uirtus de illo exibat, & ſanabat omnes. *Quomodo fidei adſcribatur efficacia.* *Matth. 9.* *Lucæ 8.*

PARTES HVIVS EFFICACIAE.

HAbet autem efficacia fidei ſuas partes, in quas illam methodi gratia diſtribuere poſſumus, è quibus in præſenti hæ occurrunt. Primùm gignit, deinde apprehendit, tertiò operatur quædam: quæ ex ordine uidebimus.

1 Principiò fides, mox atq; dono Dei concepta eſt, quaſi filiam quandam gignit, ueram reſipiſcentiam: idq; adeò cõfeſtim, ut cœlitus eam ſecum uelut pediſſequã adferre uideatur, cuius rei exempla paſsim extãt in ſcripturis. Zacheus mox atq; ad fidem Chriſti ueniſſet, Ecce, inquit, Domine, dimidium bonorũ meorum do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. quæ uerba omnino ueræ habebant reſipiſcentię indiciũ. Et Actorum 2. cum nonnulli ad ſermonem Petri credere cœpiſſent, ſtatim cõpuncti corde proruperũt dicẽtes: Quid faciemus uiri fratres? Et Act. 19. multi ex illis qui credere cœperãt, ad Apoſtolos ac ceſſerunt, actuſq; ſuos aperuerunt, nimirum ſpiritu reſipiſcentiæ moti. ac rurſus multi qui curioſa ſectati fuerant, curioſarum artium libros coram omnibus combuſſerũt, quorum preciũ erat denariorum quinquaginta millium. Hiſce exemplis manifeſtum eſt, fidem confeſtim ex ſe gignere ueram reſipiſcentiam. id quod in Niniuitis apparuit, Ionę. 3. Et crediderũt, inquit, Niniuitę Domino, & prædicauerunt ieiuniũ. Et hinc eſt quod Auguſtinus in libro de Perfectione iuſticiæ, fidei dat initiũ corrigendi cor. Conſtat igitur fidem ſine reſipiſcentia tam nõ eſſe ueram fidem, quàm ignis ſine calore non eſt uerus ignis. De reſipiſcentia uerò, quidnãm illa ſit, & quas habeat partes, ſeparato loco dicendum erit. *Gignit fides reſipiſcentiam.* *Lucæ 19.*

2 Dixi fidem apprehendere quędam, de quibus ſecundo loco uideamus. Primũ, apprehendit gratiam reconciliationis & iuſtificationis. Teſtantur hoc palàm literæ Apoſtolicę. Rom. 3. dicit apoſtolus: Iuſticia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes eos qui credũt in eum. Item, Vt ſit ipſe iuſtus & iuſtificãs eum qui eſt ex fide Ieſu Chriſti. Et cap. 5. Iuſtificati igitur ex fide, pacem habemus. De iuſtificatione ſuo loco dicemus. *Apprehendit fides.* *Reconciliationem & iuſtificationem.*

2 Deinde apprehendit fides adoptionem filiorũ Dei, qua de Apoſtolus Epheſ. 1. dicit: Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtũ in ipſum, ſecundum propoſitũ uoluntatis ſuę, in laudem glorię gratię ſuę. Et Gal. 4. Vbi uenit plenitudo tẽporis, miſit Deus filium ſuũ factũ ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quòd incõparabilis hæc adoptionis gratia fide in Chriſtũ ex ſingulari dono Dei apprehendatur, Ioan. 1. patet, ubi legimus: Quotquos aũtẽ receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius, &c. Quantæ ſit aũtẽ dignitatis fieri filiũ Dei, ac quantæ felicitatis reddi hæredem Dei, quis animus intellectu cõſequi, & quæ lingua exprimere poterit? Si filij ſumus, inquit Apoſtolus Rom. 8. & hæredes ſumus: hęredes Dei, & cohęredes Chriſti. Atq; hinc colligit, non eſſe pręſentium temporum paſsiones condignas ad futuram gloriam, quæ ſuo in nobis tempore reuelabitur. *Adoptionem.*

3 Tertiò apprehendit fides ſpiritum quoque Dei, ſpiritum filiorum. Sic dicit Apoſtolus *Spiritũ Dei.*

Roman.8.Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore,sed accepistis spiritũ adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.Et Gal. 4. Quoniá autẽ estis filij Dei, misit Deus spiritũ filij sui in corda uestra,clamantẽ Abba pater.Quòd autem hic spiritus fide apprehendatur,ex eo notũ est,quòd Seruator Ioan.7.dicit: Si quis sitit,ueniat ad me,& bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura,flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ.Hoc autem dixit de spiritu,quẽ accepturi erant credentes in ipsum.Et Ephes.1.In quo,inquit,& uos cum audissetis uerbũ ueritatis,Euangeliũ salutis uestræ,in quo & credentes obsignati estis, spiritu promissionis sancto,qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis, in laudẽ gloriæ ipsius. Et Gal.3.An ex operibus legis spiritum accepistis,uel ex auditu fidei? Patet igitur spiritũ hũc Christi,spiritum filiorum Dei, fide apprehendi, & esse illum obsignationem electorum & pignus hæreditatis nostræ,quatenus est spiritus filiorum & hæredum Dei.

Verã scientiã Dei. 4 Quartò,apprehendit fides etiam ueram scientiam Dei ac Christi eius,quam mundus hic capere non potest. Spirituſsanctus lucem accendit in cordibus fidelium,ut indubitatiò sciãt ea omniũ esse uerissima,quæ fide credunt.Sic Petrus Ioan.6.dicebat:Ad quem ibimus? uerba uitæ æternę habes,& nos credidimus & cognouimus,quòd tu es Christus filius Dei uiui. Et Christus cap.8.ad eos qui in se credebãt,dixit: Si manseritis in sermone meo,uerè discipuli mei eritis,& cognoscetis ueritatem. Hinc est illa certitudo fidei,cuius suprà in definitione illius mentionem fecimus.Sic Ioan.dixit: Scimus quòd sumus filij Dei. In causa ac religione Dei omnia sunt cæca & dubia humanæ rationi, fidei uerò certa ac lucida.

Vitã æternam. 5 Quintò,apprehendit fides in Christũ uitam illam æternã, in qua uera est & summa felicitas.Sic dicit Seruator ipse Ioan.3.Vt omnis qui credit in eum,nõ pereat,sed habeat uitã ęternã. Item,Qui credit in filiũ,habet uitã æternã. Et cap.5. Amen amen dico uobis, qui uerbum meum audit, & credit ei qui misit me,habet uitã ęternã. Et cap.6. Hęc aũt uoluntas est patris mei,qui misit me,ut omnis qui uidet filiũ,& credit in eũ,habeat uitã æternã. Itẽ eodem: Amẽ amẽ dico uobis,qui credit in me,habet uitam ęternã.Et cap.20.dicit Euangelista:Hæc autẽ scripta sunt, ut credatis, quòd Iesus est Christus filius Dei, & ut credentes uitam habeatis in nomine ipsius. Sic enim placuit Deo, ut per stulticiã prędicationis saluos faciat credẽtes,sitque Euangelium de Christo uirtus ipsius,ad salutem omni credenti.

Dona Dei, quæ ab illo petimus. 6 Sextò,fides apprehendit dona Dei,quæ ab illo petimus, quorũ consequutio sine fide sperari nõ potest.Testantur hac de re multa Euangelicæ scripturę loca,& illud Christi: Fides tua saluã te facit.&,Fiat tibi sicut credidisti. Quare Iacobus cap.1.dicit:Postulet autem in fide,nihil hæsitans.Et Christus Marci 11. Amen dico uobis, quæcunq; orantes petitis, credite quòd accepturi sitis,& euenient uobis.

Operatur fides quadrifariam. Simile. Tertiò,diximus fidem ueram quædam operari.Neq; enim loquimur de fide inani,ineffici ac mortua,quę non sit fides,sed opinio,dum iustificationem illi tribuimus, quãtumuis hoc nobis impingant aduersarij.Quis adeò stolidus est,ut dum arbori ea tribuit quæ non nisi bonę sunt arboris, p̃dicata illius ad quãuis uelit arborẽ absq; ullo discrimine referre? Videamꝰ igitur quę nam illa sint,quę fides operatur.Non est autem animus omnia recensere,quod omnino est impossibile:sed ea duntaxat,quæ in scripturis occurrunt. Sunt illa quadruplicis generis.Quędã enim erga Deum,quædam erga proximum, quædam erga ipsum credentem,& nonnulla etiam contra satanam operatur:quę obiter percurremus.

Erga Deum pax cõsciẽtiæ. 1 Principiò,operatur fides in iustificatis conscientiam erga Deum pacatam,quietam ac bonã per Christũ. Sic testatur Apostolus, Roman. quinto dicens:Iustificati ergo ex fide,pacem habemus ad Deum,per Dominum nostrum Iesum Christũ. Suprà diximus, fidem apprehendere gratiam recõciliationis & iustificationis, partam per sanguinem Christi: hic uerò obseruandum est,eandem fidem operari etiam sensum recõciliationis huius in cordibus fidelium, ut pacatæ sint eorum conscientię,possintq; bona cum fiducia dicere,Quis est qui condẽnet? Christus est qui mortuus est,&c. Sine hac fide fieri non potest,ut pacatã habeamus conscientiam erga Deum. Ad tempus quidem studio traditionum humanarũ quieta redditur conscientia, uerùm ubi sensus iudicij Dei & stimulus peccati in corde exurgunt, omnis illa inanis fiducia ueluti nubecula quædam euanescit.

Dilectio. Deinde operatur fides dilectionẽ erga Deum & Christũ eius. Sensus enim acceptę gratię, & spiritus filiorum Dei quẽ fide apprehendi diximus, non possunt nõ operari dilectionẽ hãc in corde credẽtis.Et hoc est quod Christus Luc.7.sub parabola duorũ debitorũ proponit dicens:Nõ habentib.illis unde redderent,donauit utrisq;. Quis ergo eum plus diligit? Et cum Simon respondisset,Puto is cui plus donauit.Rectè,inquit,iudicasti.Quòd autẽ dilectio mulieris peccatricis ex fide fuerit,ex eo patet, quòd ad illam cõuersus Dominus dixit: Fides tua te saluam fecit,uade in pace.Nimirum fides illius & remissionem peccatorum apprehẽderat, & dilectionem erga Christum in corde ipsius operata fuerat.

Spes. Tertiò,operatur etiam spem futuræ glorię filiorum Dei. Sic Apostolus Rom.5. post commendationem fidei,de spe hac subijcit dicens:Et gloriamur in spe gloriæ filiorũ Dei. Et hinc

est

eſt quòd in definitione fidei Ebr.11.ſic legimus: Fides eſt rerum ſperandarum hypoſtaſis. quibus uerbis ſatis innuitur, ſpem rerum futurarum certam ac firmam eſſe ex fide. Sic Abraham contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium. Promiſsioni Dei credebat indubitanter: ideoq; quod credebat, etiam contra ſpem, quam naturæ curſus adferre potuiſſet, futurum ſibi ſperabat.

Fiducia accedẽdi ad Deum.

Quartò, operatur fiduciam accedẽdi ad Deum in Chriſto. Sic Epheſ. tertio: In quo, inquit, habemus parrheſiam, & acceſſum in fiducia, quæ eſt per fidem eius. Ad hunc acceſſum hortatur credentes Apoſtolus Ebr. 4. dicens: Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratię, ut conſequamur miſericordiam, &c. Exemplum huius proponitur nobis in muliere hęmorrhoiſſa, quæ quoniam fide dicebat in corde ſuo, Si tantum fimbriam ueſtimenti eius tetigero, ſalua ero: hac fide animata accedebat ad thronum gratiæ, & auxilium eſt conſequuta. Matth. 9. Et hac fiducia nõ pro ſe tantum accedunt ad thronum gratiæ fideles, ſed & pro alijs. Sic facie bãt qui paralyticum per tectum demiſerunt, quorũ fidem Chriſtus uidiſſe memoratur, Marci ſecundo. Acceſſum hunc interuertunt illi, qui quęſtũ in Eccleſia prætextu pietatis ſectantur, & fictis uerbis negociãtur. Fides omnino operatur inuocationem, adorationẽ, & cultũ eius in quem creditur. Quomodo inuocabunt eum, inquit Apoſtolus, in quem nõ credunt? Et cęcus illuminatus Ioan. 9. cum dixiſſet, Credo Domine, cõfeſtim adorauit eũ in quẽ credebat. Et hinc eſt, quòd ſanctos inuocant, adorant & colunt, qui in illos credunt.

Fides operatur inuocationem & cultum.

Confeßio ueritatis.

Quintò, operatur etiam cõfeſsionem ueritatis creditę & cognitæ. Sic Apoſtolus fidem & confeſsionẽ cõiungit dicens: Corde creditur ad iuſticiam, ore cõfeſsio fit ad ſalutẽ. Rom. 10. Et 2. Corinth. 4. Habentes, inquit, eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Credidi, propter quod loquutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur.

Obedientia.

Sextò, Fides etiam uocanti Deo obedit. Sic Abraham cum uocaretur, fide obediuit, ut exiret in locum, quem accepturus erat in hæreditatem, neſciens quò iret. Ebr. 11. Et filium ſuum iuſſus obtulit. Sic Apoſtolus fidei obedientiam coniungit, Roman. 1.

Perſeuerantia.

Septimò, operatur etiam perſeuerantiã manendi cum Chriſto, quãuis ab illo multi deficiant. Hinc dicebat ille: Ad quẽ ibimus? uerba uitę æternę habes, &c. Ioan. 6.

Commendatio ſpiritus.

Octauò: Vbi moriendũ eſt, animã & ſpiritũ Dño cõmendat. Sic latro in cruce, & Stephan⁹ Act. 7. Et hoc ultimũ eſt op⁹ fidei erga deũ. poſt redditũ enim ſpiritũ, nõ eſt ampli⁹ fidei loc⁹.

1 Sunt ergo hæc fidei opera, erga Deum: bona conſcientia, dilectio Dei, ſpes rerũ futurarũ, fiducia accedendi ad thronũ gratiæ, inuocatio, adoratio & cultus, confeſsio ueritatis, obedientia, perſeuerantia, & commendatio ſpiritus iamiam ad Deum redituri.

Operatur fides erga proximum.

2 Deinde exerit fides efficaciam ſuam etiam erga proximos, primùm erga eiuſdem fidei cõſortes, poſtea in genere erga quoſuis mortales. Quemadmodũ enim dilectio nõ temerè & indiſcriminatim, ſed ordine quodam aliter electos & fideles, aliter exteros complectitur: ita & fides per dilectionem operans hoc ordine efficaciam ſuam exerit, ut præponat fideles cæteris mortalibus, quamuis omnib. benefacere ſtudeat. Sic docet Apoſtolus Galat. ſexto dicẽs: Dum tempus habemus, operemur bonũ erga omnes, præcipuè uerò erga domeſticos fidei.

Concordiam operatur fides erga fideles.

Erga hos operatur, principiò concordiam in Chriſto, & mutuam coniunctionem. Eſt autem illa duplex: interna uidelicet, & externa. De interna eſt illud Actor. 4. Multitudinis autẽ credentium erat cor unum, & anima una. De externa illud eſt, Act. 2. Qui credebãt, erant pariter.

Studium Eccleſiaſticorum cœtuum.

Hinc eſt ſtudium Eccleſiaſticorum cœtuũ. Nec mirum. cõſtituit enim fides in Chriſtum filios Dei, ut fideles ſint inter ſe fratres, imò membra in corpore Chriſti ſub capite Chriſto. Nota eſt hiſtoria mulierculæ fidelis, quæ ne mortis quidẽ minis cohiberi potuit, quo minus ad Eccleſiam fidelium, in Domino congregatam, eo ipſo temporis articulo properaret, cum illam præfectus Imperatoris Valentis immiſſo milite uniuerſam interimere uellet.

Socrat. lib. 4. Eccleſiaſt. hiſt. cap. 18.

Operatur fides affectum charitatis fraternæ.

Deinde operatur affectum fraternum per charitatẽ, per quã eſt efficax: Galatis 5. Quod ſit autem charitatis ingenium, uel ex uerbis Apoſtoli primæ Corinth. 13. diſcere poſſumus: ſiquidem uiua illius experientia noſtro hoc ſeculo deſtituimur. Et Rom. 12. ſatis admonemur, quo modo membra corporis Chriſti comparata inter ſe eſſe debeant.

In genere uerò erga mortales omnes reddit fides cor humanum, benignum, manſuetũ, tractabile, humile & beneficum, etiã erga inimicos: miſeretur, condolet, congaudet, impertit, ſolatur, cibat, ueſtit, &c. Et hæc eſt lux illa bonorũ operũ, de qua Chriſtus fidelibus ſuis Matt. 5. præcipit dicens: Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona, &c.

Operatur fides erga ipſum credentem patientiã in aduerſis.

3 Tertiò, operatur fides etiam erga ipſum credentem. Primùm patientiã in omnis generis tribulationibus. Hinc eſt quòd Apoſtolus ſecunda ad Theſſalonicenſes primo, fidẽ & patientiam ſic coniunxit, ut ex patientia tribulationẽ uirtus fidei declaretur. Sic enim ibi legimus: Gratias agere debemus Deo ſemper de uobis fratres, ut par eſt, quòd uehementer augeſcit fides ueſtra, & exuberat mutua ueſtra omnium charitas cuiuſque in alterum, adeò ut nos ipſi de uobis gloriemur in Eccleſijs Dei, de patientia ueſtra & fide, ſuper omnibus perſequutionibus ueſtris & afflictionibus quas ſuſtinetis, &c. Vbi dixit, quòd uehementer augeſcit fides ueſtra, eius rei documenta expreſſurus, ſubijcit uberem charitatem & firmã rerum aduer

ſarum tolerantiam. Imò non modò patientiam hanc fides, ſed & gloriationẽ in tribulationib. parit. Rom. 5. dicit Apoſtolus, Iuſtificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deũ, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem & contigit nobis, ut fide perduceremur in gratiam hanc, in qua ſtamus, & gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei. Nec id ſolum, uerũ etiã gloriamur ſuper afflictionibus, &c. Et Ebr. 10. cum uirtutem & efficaciam fidei in credẽtibus deprędicare uellet, dicit, eos rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſtinuiſſe.

Tollit anxietatem animi. Deinde tollit anxietatem animi in diſcrimine cõſtituti. Vnde eſt illud Eſa. 28. Qui credide rit, non feſtinabit: id eſt, nõ erit anxius & hæſitabundus, non trepidabit. Nouit enim cũ Apoſtolo, cui credat. Trepidabat in mari Petrus, ex imbecillitate fidei: Matth. 14. Trepidabat totus Iſrael, cum audiſſet relationẽ exploratorũ: haud trepidabãt uerò Ioſue & Caleb. illi ex defectu, iſti beneficio fidei. Num. 13. 14. Trepidabat Saul, quia parum habebat fiduciæ, atq; ideo anxius feſtinabat offerendo contra prędceptum Dei: 1. Samuel. 13. Sic tollit etiam ſolicitudinẽ uictus, qua de re uide Matth. 6. Si enim gramen agri Deus ſic ueſtit, inquit, quãto magis uos, modicæ fidei? Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus?

Adfert conſolationes. Tertiò, habent fideles fidei beneficio paratas in Domino conſolationes. Vnde & Chriſtus Ioan. 14. cum admoneret diſcipulos ſuos, unde conſolationem in aduerſis peterent, dixit: Ne turbetur cor ueſtrum. Creditis in Deum, & in me credite. Non dixit: Bono animo eſtote, breui morientur qui uos perſequuntur: uel, Cogitate uos eſſe in mundo, officina illa multarũ tribulationum: aut, Bene ſperate propter rerũ uices, quibus plenus eſt hic mundus: ſed direxit animos illorũ ad Deũ ipſum, in quem credebant, ut ex illo cõſolationẽ turbati peterent. Nuſquam enim maior eſt bonitas & miſericordia, nuſquam maior cognitio eorum, quibus corda noſtra diſcruciãtur, nuſquã maior ſcientia & potentia ad auxiliandũ, quã in ipſo Deo, ut non fruſtra pater miſericordiarũ & Deus totius cõſolationis dictus ſit ab Apoſt. 2. Cor. 1. Cũ dicit: Creditis in Deũ, & in me credite, omnino fidẽ requirit. Ea ſiquidẽ ſola eſt, quę ſe bonitati Dei ſic accõmdare poteſt, ut efficaciã ac ſenſum illius percipiat, ac conſolationẽ cordi perturbato adferat, dũ promiſſionib. gratię credit, & quę de Deo in uerbo eius prędicantur cõplectitur.

Mortificat carnem. Quartò, mortificat etiam fides carnem cum ſuis cõcupiſcentijs, animumq; reddit humilẽ & modeſtum, & pleraq; alia operatur in corde credentiũ, quę breuitatis ſtudio trãſimus: qualia ſunt, quòd corda credentiũ purificat, Act. 15. & quòd res arduas ac periculoſas propter Dominũ aggreditur & perficit: ſicuti de Dauide legimus, qui fidei uirtute confirmatus, Goliath, Philiſtæos, ac reliquos populi Dei hoſtes fortiter ſtrauit. deinde & de Gideone & alijs, qui per fidem uicerunt regna, &c. & de Moſe, qui dignitatem aulæ Regiæ contemnens, populi ſe afflicti participem reddidit, Ebr. 11.

Efficax eſt fides cõtra ſatanã & mundũ. 4 Quartò, efficax quoq; fides eſt cõtra ſatanam & mundum. Pugnat enim aduerſus ſatanã in tentationib. qua de re Apoſtolus Epheſ. 6. ſic dicit: In omnib. ſumentes ſcutum fidei, quo poſſitis omnia tela ignea nequiſſimi extinguere. Ergo quod ſcutum eſt militi contra hoſtiũ iacula, id fides eſt credenti cõtra tentationes ſatanæ. Tale eſt & illud 1. Petri ult. Sobrij eſtote & uigilate, quia aduerſarius ueſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quẽ deuoret, cui reſiſtite fortes in fide. Verũ aduerſarij noſtri alij neſcio quas ſuperſtitiones, alij externa ſacramẽta ſatanę obijciũt. Mundum quoq; uincit fides electorum. Sic 1. Ioan. 5. Hæc eſt, inquit, uictoria quę uincit mundum, fides ueſtra. Quis eſt autem qui uincit mundum, niſi qui credit Ieſum eſſe filiũ Dei? Admirabilis planè uictoria. Qui uinci & extirpari uidentur in oculis mundi, uictores ſunt mundi. Eſt aũt mundum uincere, omnem illius maliciam, ſapientiã, potentiam ac delicias quoq; uincere. Fit hoc bifariã. Primò, in cordibus noſtris, dũ reliquias mundi in nobis ipſis calcamus. Deinde externè, dum tentationes, perſequutiones, & illecebras mundi ſuperamus. Hactenus de fide: uideamus iam de electis, quorum eſt fides.

Mundum uincere quid ſit.

DE ELECTIONE.

QVONIAM in præmiſſo fidei tractatu, articulo ſexto, citatis ſacræ ſcripturę teſtimonijs fidem diximus non eſſe omnium, ſed electorum tantùm, pendereq; illam à libera diuinæ uoluntatis electione: exiſtimo operęprecium eſſe, nec inconueniens rectę locorũ diſpoſitioni, ut hic de electione ac reprobatione quędam ſubijcamus, non quòd fidem ſequatur electio, quaſi eligamur demum ubi credere cœpimus: ſed quòd poſt conſiderationem fidei, non incommodè ad electionem, quaſi poſt inſpectum riuum ad ipſum fontem inſpiciendum reducimur. Scimus autem materiam hanc in ſeipſa planam & perſpicuam ſcrupuloſitate ingenij noſtri, & libidine contendendi reddi ſpinoſam & intricatam. Quare quoad eius à me fieri poterit, curabo ut quàm ſimpliciſsimè & pauciſsimis, iuxta ſacræ ſcripturæ certitudinem quæ pijs hominibus utilia eſſe iudicauero, dicam: utpote, Quid ſit eſſe electum, Sit ne electio Dei, quotuplex ſit, quando, quo reſpectu, in quo: quos, quales, & ad quid elegerit: & poſtremò, an aliquos reprobarit.

Diſpoſitio huius loci.

I. QVID

I. QVID SIT ESSE ELECTVM.

ELectum esse bifariã accipitur in scripturis. 1 Primùm pro eo quod est ex alijs cõsimili bus in usum aliquem esse electum: ut si quis uel potestatem uel optionem habens eligẽ di, eligat sibi quod uoluerit: etiãsi quod eligit, cæteris, unde eligit, nihilo sit potius, imò nonnunquam etiã deterius. id quod in rebus humanis frequenter usuuenire uidemus, præsertim quando uel ex ignorantia, uel stulto quodam affectu, quod nobis arridet eligimus. Et utinam non accidat hoc illis, quibus est potestas eligendi ministros Ecclesię. 2 Deinde, pro eo accipitur quod est eximium esse ac præcellens: quod etiamsi non eligatur, electum tamen uocatur. Et hoc sensu Ebræi sæpenumero uocem בחור, & Græci ἐκλεκτὸν, & Latini electum, & Germani *auſſerwelt*, usurpant. Sic aurum optimum uocatur electum: sic eximia & mascula iuuentus bello accommoda, electa dicitur. Ad Abrahamũ dicebant: In electis sepulchris nostris sepeli mortuũ tuum. Gen. 23. hoc est, in optimis nostris sepulchris. Sic optimates Aegyptiorũ, qui cum Pharaone submersi sunt, electi principes uocantur, Exo. 15. Et Esaias positũ se dicit, sicut sagittam electam, id est, optimã & eximiam, cap. 49. Multum autem refert, quo sensu capiamus ea quæ de electis Dei in scripturis leguntur. Quare hac de re mox initio præsentis tractatus lectorem duximus præmonendum, nõ posteriorẽ, sed priorem nos uocis huius sensum in hac causa tenere: quandoquidẽ posterior, gratiæ Dei, ad quam totus hic locus pertinet, non bene conuenit. Sic electos Dei intelligimus eos, qui ab illo sunt ex omni mortalium multitudine singulari consilio electi.

Electũ esse bifariam accipitur.

II SITNE ELECTIO DEI.

ESt hæc quæstio bimembris. Primùm, an possit hoc Deo competere, ut de multitudine mortalium eligat aliquos quos saluet: & non potius, ut indiscriminatim absq; ulla electione saluet omnes, sicuti creauit & fecit omnes. Deinde, an elegerit aliquos. Ad primũ respõdemus ex posteriori. Quòd elegerit aliquos, abundè patet in scripturis sacris, utpote Ephes. 1. Elegit nos, inquit, ante constitutionẽ mundi. Et 1. Corinthiorũ 1. Quæ stulta sunt, elegit Deus. Vnde & Christus dixit: multos esse uocatos, & paucos electos. Matth. 20. & propter electos breuiari dies malos: ibidem cap. 24. & electos colligendos esse ab angelis: ibidẽ. & facturum Deum electorum suorum uindictam: Luc. 18. Et Apostolus Rom. 8. Quis accusabit, inquit, electos Dei? Cum itaq; constet, elegisse sibi Deum aliquos, quos saluet, quis adeò est impius, ut in quæstionẽ uocet, liceãtne & competat illi, ut hoc faciat? Nemo sanę mentis negat hoc iuris Deo, ut de suo faciat quod sibi placuerit. Cum enim Dominus sit omniũ quæ in cœlo sunt & in terra, cõsequens est ut potestatem habeat in omnia, ut uel indiscriminatim idem faciat cum omnib. uel ex omnib. eligat, p̃ sua uoluntate, cum quib. agat aliter quã cum reliquis. Cum conderet mundum, condidit eum ut uoluit. Cum discriminaret ea quæ condidit, discriminauit ut uoluit, cœlũ à terra, ignem ab aquis, tenebras à luce, bestias à bestijs, germina à germinibus, tempora à temporibus, & hominẽ ab homine: nec par est, ut discriminationis huius gratia in ius uocetur à quoquam. Et quomodo conueniet, ut negemus illi potestatẽ de hominis salute statuendi pro ipsius arbitrio? Vel omnino negãdus est esse Deus, ac potestatẽ habere in omnia: uel fatendum est, potuisse illũ iure suo, ac posse etiamnum, de homine constituere quidlibet, nec admittere contra iusticiam quicquã, quiduis constituat. Argumentũ hoc tractat Apostolus Roman. 9. ad cuius mentẽ totam hanc quæstionẽ referimus.

Elegisse Deum aliquos.

Deo ius esse eligendi quos uult.

III QVOTVPLEX SIT ELECTIO DEI.

VErsantib. in scripturis triplex electio Dei occurrit. Prima est saluandorũ, secunda populi Israelis, tertia ministrorum. Ad tertiã pertinent quę Num. 16. leguntur: Quos elegerit, inquit Moses, appropinquabunt ei. Item: Quemcunq; elegerit, ipse sanctus erit. Et quę huiusmodi alia de Sacerdotibus, Leuitis, Prophetis, Regibus, & iudicib. in ministeriũ à Domino electis, in scripturis leguntur, quò & ea pertinent, quæ de electione Apostolorum & ministrorum Christi in nouo Testamento habentur. Ad secundã referenda sunt illa Deut. 4. Te elegit Dominus Deus tuus. Et cap. 14. Elegit te, ut sis ei in populũ. & cap. 26. Hodie elegit te Dominus Deus, ut sis ei populus peculiaris. Neutra harum duarum electionum Dei salutem necessariò includit. Manifestum est, non esse populum Israelis uniuersum saluatum, ne illum quidem qui uniuersus sub nube & in mari baptizatus fuit, & uniuersus cibum spiritualem manducauit, & potum spiritualem de petra spirituali, quæ Christus erat, bibit: quandoquidem ex illo plures Deo displicuerunt, & prostrati sunt in deserto, primæ Corinthiorum decimo. Et Christus cum diceret, Nónne ego uos duodecim elegi, & ex uobis unus diabolus est? Ioan. 6. satis indicabat, & Iudam electum quidem esse, uerùm de saluandis non esse. Nec de sacerdotibus, Leuitis, Prophetis, regibus, principibus & iudicibus à Deo in populo ipsius electis dicere possumus, quòd omnes sint saluati. Quare de duabus hisce electionibus Dei

Electio Dei triplex est.

Iudas electus, & non saluatus.

non est ut in præsenti dicamus, quandoquidem de ea dicere constituimus, quę saluandorum est tantum: prima uidelicet, qua de articulo præcedenti diximus. Hanc uisum est distinguere à reliquis duabus, propter rudiores, ne per errorem indiscriminatim aliam pro alia usurpent.

IIII. QVANDO ELEGERIT NOS DEVS.

NOn est hæc consideratio spititui sancto negligenda uisa, quare nec nos illam transire debemus. Quoniam omnino constat, esse quosdam electos, ne qua sit in Ecclesia disceptatio, quando suos eligat Deus: & ne illorũ inualescat opinio, qui illum, perinde atq; nos homines solemus, non nisi iam existentes ac cæteris meliores eligere existimant, diserte expresit particulam hanc Apostolus dicens, Qui elegit nos antequam iacerentur fundamenta mundi. Ephes. 1. Atqui priusquam mundus fieret, nemo mortalium erat uspiam. Elegit igitur nondum existentes: tantum abest, ut qua maneat electis gloriandi occasio. Quid discrimis erat inter nos, priusquam origo generis nostri cœpisset? Prorsus nulla, nisi qua Deus ipse nondum existentes discriminauit.

Elegit nos Deus nondum existentes.

Commendat nobis hæc consideratio stupendum illud cõsilium Dei, quo de salute nostra disposuit in seipso, priusquam conderet mundum. Quid enim aliud est eligere nondũ existentes, quàm prouidere ac statuere de salute illorum priusquã nascantur? Incredibile est, quanta certitudo salutis in cordibus fidelium ex eo nascatur, quòd credunt se Deo fuisse curę ante conditum mundum, electosq; ab illo esse ad salutem, priusquam essent. Colligunt hinc omnium certissimè, fieri non posse ut deserat eos Deus iam conditos & existentes, quos priusquam essent, ante conditum mundum elegit, ac saluti destinauit. In hac quippe electione, quã necesse est omnium esse certissimã, omnia ea comprehenduntur, quæ salutem electorũ concernunt. Vnde & Augustinus in Soliloquijs cap. 28. electos perire non posse dicit, quòd illis omnia cooperẽtur in bonum, etiam peccata. Non habemus obliuiosum Deum, qui iam senio confectus, oblitus sit eorum quos ante conditum mũdum elegit, quorum omnium nomina tenet, & numerum. Quæ nobis sunt præterita & futura, multisq; seculis à se inuicẽ distincta, imò ipsum mundi exordium & finis, omnia sunt in conspectu Dei præsentia. Quare qui ultimus de numero electorum nascetur in hoc mundo, nõ minus potietur hac electionis gratia, quàm qui natus est primus. Nostra consilia & proposita tẽpore langueſcunt: cõsilium Dei manet ad finẽ usq; eadem efficacia integrum ac firmũ, nec ullo seculorum decursu infirmatur. Et hac firmitudine perdurat Ecclesia electorum in hoc mundo, nec ullis potest satanæ ac mundi machinis subuerti & extingui, quia electio Dei subuerti nequit. Electa est ante mundum, ut esset in mundo officina gratiæ, & post mundum splendor gloriæ Dei. Quare necesse est, ut nõ modò perduret inuicta in hoc mundo, sed & in fine triumphet de mundo. Et hęc cõsideratio, meo iudicio, utilior multo est fidelibus hominibus, quàm sit disputatio quorundã de numero electorum, possit ne ille augeri ac minui, uel secus. quam magister Sententiarũ libro 1. distinctione quadragesima attingit. Certum esse electorũ numerum, agnouit & Augustinus: & ipsa electionis certitudine constat. uerùm multis disputare, possitne ei numero aliquid adi uel demi, existimo curiosius esse quàm ut homini pio conueniat.

Augustinus.

Disputatio de numero electorum inanis ac temeraria.

Illud hic obiter admonuero, propter eos qui scripta Augustini legũt, ut quod libro 1. ad Simplicianum, quęstione secunda dicit: Vnde quod dictum est, Quia elegit nos Deus ante constitutionem mundi, non uideo quomodo sit dictum, nisi præscientia cautè legant. Neque enim præsciendo tantum, sed & prędestinando sumus electi. Solet quidem Augustinus aliquando præscientiam ponere pro destinatione: uerùm satius est, ut scripturæ uerbis assueti, electionem ac prædestinationem seperemus à præscientia. Quę prędestinauit Deus, utiq; præsciuit etiam: uerùm non mox prædestinauit quicquid futurum præsciuit, nisi dicturi sumus futura illum mala non modò præsciuisse, sed & prædestinasse. Quod autem Apostolus Rom. 8. dicit, Quoniam quos præsciuit, eosdem & præfiniuit, non est de præscientia illa generali intelligẽdum, qua cuncta præsciuit: sed de approbatione, qua quæ approbamus, agnoscere dicimur. quo sensu & Christus dicturus est: Discedite, &c. non enim noui uos, Matth. 7.

Prædestiatio seperanda à præscientia.

V. QVO RESPECTV ELEGERIT SVOS DEVS.

VIx aliquid in rebus humanis geritur, quod minus citra singularem respectum geratur, quàm electio eorum, quæ in nostrum peculium & usum ex multis alijs eligimus. Alius aliò respicit. Communiter tamen omnes respectu qualitatis eorum quæ eligenda sunt, ad eligendum ea pellicimur. Afficimur autẽ partim iucundis, partim utilibus. In iucundis eligẽdis credimus oculis nostris, quib. inter uenusta & deformia discernimus. Ad electionẽ utilium utimur iudicio plerunq; corrupto, unde & sępenumero fallimur. In summa, quęrimus nos ipsos, & eligendo seruimus non eligendorũ saluti, sed nostris affectibus. Hæ sunt

Nos eligimus respectu qualitatis eorũ quæ eligimus, Deus uerò non ita.

nostrę

noſtrę uię. Videamus iam de uijs Dei, an & ipſe ad qualitatem eligendorum, eligendo ſuos reſpiciat. Primùm, cum eligeret nos ante conditum mundum, quid inueniebat in nõdum exiſtentibus, cuius nos reſpectu eligeret? Deinde, etiamſi pręſciret quales eſſemus futuri, tamen ne ſic quidem reperit in nobis, unde ad eligendum nos moueretur. Naſcimur omnes natura filij irę. Tales nos fore præſciebat, unde magis reprobandi quàm eligẽdi cauſas habebat. Nec eſt ut dicamus, elegiſſe eum reſpectu futuræ noſtræ pietatis & iuſticiæ. Etenim ſi qua ineſt nobis pietas & iuſticia, ineſt nobis non ut cauſa, ſed ut fructus electionis ac gratiæ Dei. Nã, ut magiſter Sent. rectè dicit, Elegit quos uoluit gratuita miſericordia, non quia fideles futuri erãt, ſed ut fideles eſſent: eisq; gratiã dedit, non quia fideles eſſent, ſed ut fideles fierent. Quare cõſtat, electionem noſtri haudquaquã eſſe aliquo qualitatis noſtræ reſpectu factã. Neceſſe eſt igitur, ut reſpectum electionis noſtræ in ipſo Deo eligente nos quęramus. Huc enim nos cogit propriæ uilitatis & deprauationis ſenſus. Dauid dixit: Domine quid eſt homo quòd memor es eius, & filius hominis quòd uiſitas eũ? Nos hic multo iuſtius dicemus, Domine quid eſt homo quòd elegiſti eũ, cũ non eſſet: & filius hominis quòd prædeſtinaſti eum, cum malũ ac deprauatum fore præſcires? Apoſtolus ad Epheſ. 1. cauſam hanc ſic explicat, ut totam ad Deum, nihil ad nos referat. Reſpectum electionis noſtræ transfert ad beneplacitum, uoluntatem, propoſitum, & gratiam Dei. Iuxta beneplacitum, inquit, uoluntatis ſuæ. item, Iuxta diuitias gratiæ ſuæ. Et iuxta beneplacitum ſuum, quod propoſuerat in ſeipſo. &, Prædeſtinati ſecundum propoſitum ipſius. Hæ ſunt itaq; cauſæ electionis noſtrę. Elegit nos, quia ſic ipſi placuit, ſic uoluit, ſic propoſuit in ſeipſo. Hic conquieſcendum nobis eſt, nec quærendę ſunt cauſarum iſtarum cauſę. Quare ſic ipſi placuerit, ſicq; uoluerit & conſtituerit, non eſt irreligioſa temeritate inquirendum ac diuexandum, ſed infinitę ipſius bonitati ac diuitijs gratiæ deputandum. Chriſtus ſeruator, cum Matth. 11. dixiſſet, Gratias ago tibi pater, Domine cœli ac terræ, quòd abſconderis hæc à ſapientibus & prudẽtibus, & reuelaris ea paruulis: cauſam huius non retulit aliò quàm ad beneplacitum Dei patris, ſubijciens ac dicens: Certè pater, quia ſic placitũ fuit ante te. Et Apoſtolus, cum diſputaret de electione ac reprobatione, cauſas illarũ diſertè & cõſtanter ad uoluntatẽ Dei retulit dicens: Itaq; cuius uult miſeretur, & quẽ uult indurat, Rom. 9. Conſideranda igitur eſt electionis ac ſalutis noſtræ firmitudo, in eo quod beneplacito, uoluntate ac propoſito conſtat eius, cui uoluntas eſt liberrima, ius ſummum in omnia, ueritas immutabilis, placitum in ſempiternum ſtabile, propoſitum efficaciſsimum, & potentia nulli impedimento obnoxia. Huc accedit, quòd iſta cum natura diuinę bonitatis cõueniunt, cuius proprium eſt miſereri ac benefacere mortalibus. Solent autẽ placita ac propoſita naturalia in creatis etiam mutabilitati obnoxijs, omnium eſſe tenaciſsima: quanto magis in natura diuina nullius omnino inſtabilitatis capaci? Quare impoſsibile eſt, ut electio noſtri, ſecundum illius placitum, uoluntatem ac propoſitum facta mutetur, & irrita reddatur.

Reſpectus electionis noſtræ in ipſo Deo quærendus.

Elegit nos Deus, quia ſic ipſi placuit.

Firmitudo electionis noſtræ.

VI. IN QVO SIMVS ELECTI.

QVamuis electionem noſtri nullius noſtræ qualitatis aut dignitatis, ſed ſolius placiti, uoluntatis ac propoſiti Dei reſpectui tribuendam eſſe conſtat, nec ullam datur huius aſsignare cauſam, pręterquam immenſam illius bonitatem: haud conuenit tamen, ut nullo eam nobis credamus cõſtare medio, in quo diuina maieſtas homines ſibi tam à natura ſua diuerſos, ac tot modis miſeros futuros ante mundi cõſtitutionem elegerit. Etenim electio iſta ſic eſt comparata, ut eligentis & electorum ſeparationem ferre nequeat. Quemadmodum enim reprobatio omnem coniunctionem reproborũ ac reprobantis excludit: ita electio electos cum eligente coniungit, quæ diuerſiſsimarum naturarũ diuinæ & humanæ coniunctio abſque mediatoris alicuius glutino fieri non potuit. Calidum & frigidum non poſſunt uniri, niſi in medio aliquo utriuſq; capaci: multo minus fieri potuit, ut cum Deo, qui ignis cõſumẽs eſt, homo quauis glacie frigidior, ſine mediatore aliquo uniretur. Hæc nihil habent obſcuri, niſi apud eos qui nec diuinæ maieſtatis eminentiam, nec humanæ infirmitatis ac corruptionis uilitatem conſiderantes, cũ Deo ſe ſine mediatore, ritibus & operibus neſcio quibus, coniungi poſſe putant. Quis autem mediator ille ſit, in quo nos Deus ante mundi conſtitutionem elegerit, ſibiq; perpetua coniunctione coadunarit, Apoſtolus Epheſ. 1. diligenter exprimit dicens: Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtib. in Chriſto, quemadmodũ elegit nos in ipſo antequam iacerentur fundamenta mundi. Ergo electi ſumus à Deo patre in Chriſto filio eius electione ęterna, ante tempora uidelicet quib. poſtea factus eſt mundus. Qua in re uidemus ſic eſſe cõſtitutum ab ęterno, ut ſeruemur per mediatorem Chriſtum filium Dei: atq; ita prædeſtinatũ eſſe, ut ſuo tempore naſceretur in carne noſtra Verbum illud ęternum, ut per quod eramus creandi, in illo etiam eligeremur redimendi ac ſaluandi. Sic fides in mediatorem ac ſeruatorẽ Chriſtum, fundamentum habet omnium antiquiſsimum, æternum uidelicet, & ante tempora ſecularia iactum. Sic nos quoq; in Chriſto eramus, priuſquam mundus fieret, uigore uidelicet electio-

Electio noſtri nõ conſtitit ſine aliquo medio.

Mediator inter Deum & nos.

Antiquiſsimũ fidei noſtræ fũdamentum.

electionis huius æternę. Nō elegit nos uelut existentes in illo prius quàm eligeremur: sed elegit ut essemus in illo, perq; eum seruaremur. Chrysostomo illud ἐν αὐτῷ, id est in ipso, idem est, quod δι' αὐτοῦ, id est, per ipsum. Sic enim uerba Apostoli exponit: ὃ δὲ λέγει, τοιοῦτόν ἐστι, δι' ὃ εὐλόγησεν ἡμᾶς, διὰ τοῦτο καὶ ἐξελέξατο. Verùm, meo iudicio, quemadmodū nō cōuenit, ut de Christo, tanquā mediatore nostro dicamus, quòd sit elector nostri: ita nō cōuenit ut per eum nos electos esse dicamus, sicut conuenit, quod in illo nos à Deo patre electos esse dicit. Elegit nos Deus propter Christum, elegit in Christo. Propter Christum, tanquā mediatorem: in Christo, tanquā in capite electorum ac saluandorum. Et mediator, & caput, & saluator electorum non est primū à carnis natiuitate factus, sed ab æterno à patre constitutus, inq; illo & propter illum electi sumus priusquàm nati. Vbi de capite ac mediatore saluādorum constituit Deus, simul de saluandis per illum tanquam membris constituit, quam cōstitutionem Apostolus electionē in Christo factam uocat. Quare mysterium hoc electionis nostræ non debemus dimidiatum ac diuulsum, sed utrisq; illius partibus coniunctis plenum & integrum sincera fide summaq; cum religione, admiratione & gratitudine in Christo mediatore, capite ac seruatore nostro, inspicere: & ad certitudinem salutis nostræ in cordibus nostris confirmandam considerare, quomodo eodem consilio Dei, eadem ęternitate, adeoq; & firmitudine electio nostri cū mysterio Christi nitatur & subsistat.

Elegit nos Deus in Christo & propter Christum.

VII. QVOS ELEGERIT DEVS.

POterit hæc consideratio curiosior uideri, quàm pio homini cōueniat. Sanè sic comparatum est carnis nostrę ingenium, ut curiositate magis quàm utilitate inducti, ubi quosdā à Deo electos esse audimus, & quosdam reprobatos, qui' nam electi sint, & qui reprobi, scire cupiamus: cui curiositati non est ut hoc loco seruiamus. Deinde, poterit etiā imposibi le uideri, ut ad cognitionem electorum ac reproborū, quantumuis diligenti inuestigatione perueniamus. Et reuera sic est ista cognitio incomprehensibilis, ut tam propter inuestigabile consilium dei, quo sumus electi ab æterno, quàm propter electorum humilitatē, obscuritatē, infirmitatē, & crebras afflictiones, cognosci nequeat à mundo, qui sint electi & qui reprobi. Verùm nec curiosa nec incōprehensibilis est hęc consideratio ipsis electis Dei, quemadmodū est mundo. Charissimi, nūc filij Dei sumus, inquit Ioānes: &, Mundus nō nouit nos. Quod mundo curiosum est, & incōprehēsibile, nobis cognitu est & utile & posibile. Quare nō debemus hanc considerationem negligere, sed de cognoscendis electis animū, moderatè tamē & religiosè, intendere. Non est autē hic æternum illud consilium Dei scrutandum, quo elegit quos uoluit. Est enim illius abyssus inscrutabilis. De electis iudicaturi, primùm ipsi quoq; electi sint necesse est. Nihil hic loci est reprobis. Deinde non solum electos eos esse oportet, sed & uera fide ac spiritu Dei imbutos. Inuenies electos nondum illuminatos. Hi quandiu tales sunt, de electis iudicare non possunt. Talis erat Paulus, cum Ecclesiam electorum persequeretur. Si cognouisset electos, haudquaquā eos tanto fuisset odio insectatus, & dignos qui è medio tollerentur arbitratus. Tertiò, electos ab electis cognoscendos, à Deo sic formari & institui oportet, ut certis filiorum Dei notis insigniti posint ab electis, tanquam similes à similib. cognosci. Priusquā enim uocentur, illuminentur, iustificentur & innouētur, perinde atq; informes adhuc fœtus, ne ab electis quidem & illuminatis cognosci possunt. Imò etiā tales facti nondū cognoscuntur ab electis, nisi certis argumentis tales esse comprobentur. id quod accidit Paulo, quem electi ac fideles Hierosolymis etiam post uocationem, illuminationē & inuocationem non agnouerūt: neq; illi se iungi pasi sunt, donec certis essent argumentis de cōuersione illius edocti. qua de re uidere est Act. 9. Cum enim Hierosolymam uenisset, postquam conuersus esset ad Dominum, & Damasci fidem Christi magno serio defendisset, ac se discipulis coniungere tentaret, timebant eum omnes, non credentes quòd esset discipulus. Quo exemplo docemur, non cognosci electos ne ab electis quidem, nisi certa extent filiorū Dei indicia. Quàm autem miserum sit, si electus nihilo magis cognoscatur ab electis & fidei suæ consortibus, quàm à reprobis & impijs, haud opus est ut admoneamus. Non placent Domino eiusmodi tenebræ in Ecclesia ipsius. Ideo sic electos suos ornat & insignit, ut mutua cognitione sese inuicem reuerenter & amanter complectantur.

Electis Dei nō est impoßibile cognoscere electos.

Exemplū Pauli.

Non est autē ut in cognoscendis electis curiosius agamus. Pro electis habēdi sunt omnes fideles, in quibus nulla apparēt argumēta, quòd alieni sint à uera fide & spiritu filiorum Dei. Christianis scribēs Apostolus, nihil minus quàm morosus censor, simpliciter & in genere dicit: Qui benedixit nos, qui elegit nos, qui prędestinauit nos, & gratificauit nos in dilecto filio suo, &c. Sic absq; ulla scrupulositate sentiebat de fidelibus, agnoscens eos pro electis, prædestinatis, benedictis & redemptis. Quid uidebat in illis? fidē uidelicet in Christum, & dilectionem in omnes sanctos, id est, Christi fideles. Hisce notis cognoscebat electos. Igitur secundū easdem & nos iudicemus de fidelib. Christi, agnoscentes eos & cōplectentes pro electis Dei, quos ille sibi in Christo elegerit ab æterno. Dici non potest, quantum momenti ad hoc habeat ista consideratio, ut non modò opus Dei in electis diligentius obseruemus, sed & nos inuicem

Qui sint habēdi pro electis.

inuicem cõpetenti honore prosequamur, & uinculo philadelphiæ arctius coniungamur. Nõ uideo, quomodo ut Christianũ uenerari & amanter complecti possim, de quo dubito an ad numerũ electorũ Dei pertineat, uel secus. Non uideo autẽ quomodo de electione eius dubitare debeam, quem nullis certis argumentis tanquam infidelem & à Christo alienũ reprobis cõnumerare possum. Non uideo quomodo conueniat eum habere prò reprobo, de quo uere citer pronũciare nõ possum, quòd alienꝰ sit à Christo, in quo electi sumus ab ęterno. Quid restat igitur aliud, quàm ut fideles & amãtes Christi, in illo à Deo patre electos esse sentiamus?

Quomodo nos ipsos cognoscamus an simus electi

Hactenus breuiter annotauimus, quomodo cognoscamus eos, quos sibi Dominus elegit ab æterno. Quoniam autem electus non nisi ab electo cognosci potest, reliquum est ut uideamus, quomodo nos ipsi cognoscamus, an electi simus uel secus. Potest quidẽ hoc ijsdem notis deprehendi, quibus cognoscimus alios, fide uidelicet in Christum, & dilectioni in sanctos illius, eiusdem nobiscũ fidei cõsortes. quòd pertinet illud 2. Corinth. ultimo: Vosmetipsos tentate num sitis in fide, ipsi uos probate. An non cognoscitis uosmetipsos, quòd Iesus Christus sit in uobis? nisi fortè reprobi estis. Verùm additum est nobis in hunc usum adhuc peculiarius testimoniũ spiritus sancti, quo de loquitur Apostolus Rom. 8. in hunc modum: Quicũq; spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater. Ipse namq; spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Obsecro quisnam dari potest certior de gratia electionis & adoptionis testis, quàm ipse spiritꝰ Dei? Si angelus quispiã de cœlo testaretur, esse me electum ab æterno, & adoptatũ in filium, quis non eiusmodi testimonium plurimi faciendum esse sentiret? At in hoc secretum electionis, quæ facta est ab ęterno, ne angelica quidẽ natura pertingit, nisi per specialem reuelationem. Spiritus uerò Dei ut secretorum omniũ est conscius, ita & de illis testari potest omniũ certissimè. Deinde cui certius testificari potest, quàm spiritui nostro? Donec testimonia uerbi Dei hærent in aurib. nostris, & intellectu animali, admodum infirma est illorum persuasio: uerùm ubi spiritus Dei spiritui nostro de gratia electionis & adoptionis testatur, hic omnis dubitatio excluditur. Est igitur fidelis homo, spiritu Christi imbutus, ex illius testimouio de gratia electionis & adoptionis, & consequenter redemptionis quoq; & æternæ salutis certus. Et hac certitudine cũ propheta dicit: Custodi Domine animã meam, quoniã sanctus sum. Et cum Ecclesia electorum: Benedictus Deus ac pater Domini nostri Iesu Christi, qui elegit nos, qui prædestinauit nos, qui adoptauit nos, ac gratificauit in dilecto filio suo. Qui nullo sensu electionis huius tãgitur, quomodo cum gratiarum actione dicet: Benedictus Deus, qui elegit nos? Etenim nisi gratiam hanc Dei in seipso agnoscat, Ecclesiæ electorum cõnumerare se non poterit. Poterat Apostolus dicere: Qui elegit uos, qui prædestinauit uos, &c. Verùm quoniã ex electis erat & ipse, & hanc gratiã in se Dei agnoscebat, qua ad corpus Ecclesię electorum pertinebat, nõ dixit, Qui elegit uos: sed, Qui elegit nos. Electus enim electis de cõmuni electionis, adoptiõis, redemptionis ac salutis gratia scribebat. Hac itaq; consideratione uidemus, quàm procul absint à certitudine hac cœlestis gratiæ, qui doctrinã electionis ac prædestinationis sic iudicãt esse abstrusam, imò periculosam, ut nullam illius putẽt in Ecclesia mentionẽ esse faciendam, cum in ea sit omniũ firmissima salutis nostrę anchora. Si ueri Christiani sunt, ex eo utiq; sunt, qđ uerè credunt in Christũ. At ea fides locũ in illis habere nõ potest, qui de gratia electionis & adoptionis dubitãt, ex qua, quasi quodã fonte, omnia illa renati hominis charismata fluũt.

Vide August. Psal. 85.

VIII. QVALES ELEGERIT DEVS.

NOndum existẽtes elegit, quemadmodũ suprà articulo quarto uidimus. Nondũ existẽtium autẽ nulla potest esse qualitas. De eo igitur qui nondum existit in rerum natura, qualis sit, prædicari non potest. Prius enim est esse, quã aliqualem esse: uel certè, ut ut hac de re disputetur, aliqualem esse prius quàm esse, statui nõ potest. Quare quod quærimus, quales elegerit ab æterno Deus, non est referendum ad ipsum electionis articulum (ubi nõdũ erant articuli temporum) sed ad tempora quib. olim erant electi in hoc mũdo, à principio illius ad finem usq; nascituri. Hic uidendum est, qualesnam sint electi, dũ nascuntur, & priusquam ad gratiam diuinę cognitionis ac salutis uocẽtur: an discrimine electionis ac reprobationis, quod ante mundi constitutionẽ factũ est, fiat, ut aliter cõcipiantur, nascantur, & uiuãt electi, & aliter reprobi. De generis nostri origine & propagatione testatur Scriptura, quòd in ipsis primis nostris parentib. natura nostra sit peccato infecta, & morti facta obnoxia: qua de re & suprà in loco de Lapsu hominis admonuimꝰ. Quęritur ergo hic, an infectio illa peccati, & quæ hanc concomitantur, nõ in reprobis tantũ, sed & electis locũ habeant? Ad hanc quęstionem audiendus est Apostolus, qui Rom. quinto sic scribit: Sicut per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad cõdemnationem, ita & per unius iustificationem propagatur bonum in omnes homines ad iustificationẽ uitæ. Et ne quis hic causetur, quemadmodum posterior uniuersalis, In omnes homines ad iustificationem uitæ, in electis tãtum

Quæstio. An aliter concipiãtur & nascantur electi, & aliter reprobi.

Responsio.

locum

locum habet: ita priorem illam, In omnes homines ad condemnationem, ad reprobos tantũ esse referendam, obstat collatio Adæ & Christi, qua malum ex Adamo propagatum imputatur omnibus ex illo prognatis, & bonum uicissim omnibus qui per Christum iustificantur. Iam si soli reprobi ex Adamo sunt nati, in solos eos deriuatur hoc malum: si uerò ex illo proueniunt & electi, utiq; & illi cum reprobis eiusdem mali consortes nascuntur, à quo non nisi unius Christi iustificatione liberantur, in quo etiã ab æterno sunt electi, sicuti suprà articulo 6. uidimus. Et hinc est quòd Apostolus, electus ad electos scribens dicit: Eramus natura filij iræ, quemadmodum & cæteri. Ephes. 2. Et propheta Dauid, ipse quoq; electus, cũ dolore clamat: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Psal. 51.

Et electi nascũtur in peccatis.

Liquet igitur, electos quoq; ex contagione uiciatę naturę nasci in peccatis, & eam ob causam dignos esse qui condemnentur, uerum beneficio Christi per gratiã saluari. Neq; nascuntur tantũ tales, sed & in peccatis uiuunt, impij, peccatores, & inimici Dei. Sic enim ad amplitudinem dilectionis Dei extollendam scribit Apostolus Rom. 5. dicens: Christus enim cum adhuc essemus infirmi iuxta temporis rationem, pro impijs mortuus est. Item: Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quòd cũ adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit. Item: Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortẽ filij eius. Si mortuus est Christus pro impijs, peccatoribus, & inimicis Dei: tales autem electi non sunt: ergo pro electis nõ est mortuus, sed pro reprobis tantum: nec electos Deo, sed reprobos tantum recõciliauit: atq; ita cõsequitur, electos uel non saluari, uel extra Christum saluari, quod utrunq; electioni ab æterno factæ repugnat: reprobos uerò solos in Christo saluari, quod reipsa falsum esse comprobatur. Igitur ne in hæc absurda incidamus, indubitatò tenendum, est, electos omnes perinde atq; reprobos, nasci natura filios iræ, peccato & morti obnoxios: & priusquam uocentur ac iustificentur, in peccatis uiuere, erroribus inuolui, & concupiscentijs seruire, nec saluari nisi per gratiam mediatoris ac seruatoris Christi. Et hæc sententia plurimum facit ad agnoscendam diuinæ ac liberæ electionis gratiam, nullis electorum meritis, sed solo mediatoris Christi interuentu cõstantem, ne qua gloria maneat ulli carni, sed sola bonitas & misericordia Dei in ipsa quoq; electione agnoscatur & deprædicetur. Quare quod Iacobi 2. cap. legimus, elegisse Deum pauperes mundi, diuites in fide, hæredes regni, &c. nõ sic est accipiendum, quasi demũ tales existentes elegerit: sed quòd ab æterno electos, tales tempore uocationis per gratiam ac spiritum Christi reddiderit.

IX. AD QVID NOS ELEGERIT DEVS.

POsset quidem in eo quòd hominem initiò ad imaginem ac similitudinem suam, ad imaginem uidelicet Dei, condere dignatus est, satis euidenter cognosci, quàm nõ uulgari felicitati illum, sed singulari admodum & illustri ab æterno destinarit, quòd ipsius propositum cum irritum reddi nequeat, per Christũ in electis perfici necesse est: uerùm causam hanc Apostolus Ephes. 1. luculenter exposuit, unde quæ in illa cõsideranda ueniunt, petere licet. Quemadmodum, inquit, elegit nos in ipso antequam iacerentur fundamẽta mundi, ut essemus sancti & irreprehensibiles coram illo per charitatem, &c. Item, Qui prædestinauit nos, ut adoptaret in filios per Iesum Christũ in sese. Item, Vt laudetur gloria gratiæ suę, qua charos reddidit nos per dilectũ, per quẽ habemus redemptionẽ per sanguinem ipsius, remissionẽ peccatorũ, iuxta diuitias gratiæ suæ, de qua nobis ubertim impertiuit in omni sapientia & prudentia, patefacto nobis arcano uoluntatis suæ, &c. Item: Per quẽ & in sortem asciti sumus. Item: Vt simus in laudem gloriæ illius. Itẽ, Obsignati estis spiritu promissionis sancto, qui est arrabo hęreditatis nostræ, &c. Hæc Apostolus. quorum cõsideratione causam hãc bimembrem esse deprehendimus, ita ut pars illus Deum eligentẽ, pars nos ab illo electos cõcernat. Quod ipsum cõcernit, elegit nos nullo proprij cõmodi respectu, sed ad hoc tantũ, ut gloria gratiæ ipsius illustretur. id quod Apostolus tertiò inculcat, quo admoneat glorificandã nobis esse in hac electionis nostræ causa nullam nostrã dignitatem aut uirtutem, sed solam diuinæ bonitatis gratiam. Insunt multa Deo summa dignissima laude, utpote potentia, sapientia, ueritas, iusticia, bonitas, gratia & misericordia, &c. Verùm singulari consilio ad hoc nos elegit, ut gratiã suã in nobis illustraret. Et hæc illustratio gratiæ Dei sic est comparata, ut tantùm de illa deteratur, quãtũ nostrę dignitati, uirtuti ac meritis tribuitur. Quare haud modicè in illã peccãt, q̃ merita & iusticias eorũ q̃ saluãtur extollũt, illisq; & electionis & salutis causam tribuũt. Horũ iudicio debebat Apost. in causa hac electionis nostri cõmẽdare nõ gratiæ, sed iusticiæ Dei gloriã.

Causa hæc finalis bipartita est.

2 Quod nos uerò electos à Deo cõcernit, ad hoc generaliter electi sumus, ut in sempiternũ felices reddamur. Ad summã hanc uerę felicitatis pertinẽt, quę ab Apostolo per partes recensentur. Quid enim reddi sanctũ & irreprehensibilem, adoptatum in filium Dei, charũ, redemptum, à peccatis clementer absolutũ, sapientia & scientia diuinæ uoluntatis ac propositi illustratum, in sortem hæreditatis ascitum, & spiritu sancto tanquam arrabone hæreditatis obsignatũ, aliud esse censendum est, quàm reddi in sempiternum felicem, & in gloriam filiorũ, ac

hæredem

hæredem Dei assumi? Si rectè propheta felicem eum esse canit, cui peccata remittuntur: quanto magis felices censendi sunt, qui ad hoc electi sunt ab æterno, ut in filios dei adoptentur, sancti & irreprehensibiles ac cœlestis hæreditatis consortes reddantur? Gratia hæc diuinæ electionis est incomprehensibilis, ideoq; nunquam à nobis satis æstimata. *Psal.32.*

X. DE REPROBIS.

VT uerum fatear, non possum eorum probare contentiones & studia, qui ut nonnulli in causa cœnæ Dominicæ de manducatione impiorum, ita ipsi in hac materia diuinæ electionis de reprobis, sic cõtendunt, ut totam hanc causam altercationibus suis odiosam reddant: &, quod dolendum est uehementer, liberam electionis gratiam, in qua fundamentum est nostræ salutis, quantum in ipsis est, densissimis tenebris inuoluant. Mihi sanè tanti est electionis gratia, de qua hactenus tenuiter magis, quàm conueniebat diximus, ut de reprobis ne cogitandum quidem esse existimem, nedum in ecclesia Dei tanta cum acerbitate digladiãdum. Multis de gratia hac disputauit Apostolus, quo illam fidelibus commendaret: de reprobis uerò uix uno & altero loco mentionem fecit. *Fugiendæ contentiones de reprobis.*

Quoniam uera sunt quæ hactenus de electione & electis ex ipso Apostolo diximus, omnino consequitur, esse quosdam reprobos, eos uidelicet qui nõ sunt de numero electorum: nisi dicturi sumus, electos esse in uniuersum omnes. quæ sententia sacris scripturis admodum repugnat. Quemadmodum alij mortalium ex deo sunt, alij ex Deo non sunt, Ioan. 8. ita alij sunt electi, alij reprobi. Et Apostolus 2. Cor. ult. separans à fidelibus reprobos, dicit: An nõ cognoscitis uosmetipsos, quòd Iesus Christus in uobis sit, nisi forsitan reprobi estis? At spero uos cognituros, quòd nos nõ simus reprobi. Si electi sunt omnes, reprobus nemo sit necesse est. Nequit enim fieri, ut qui electus est & prædestinatus, in reprobum euadat, & damnetur. Vnde ergo est quòd Apostolus hic dicit: Nisi reprobi estis? si nulli sunt reprobi, sed electi omnes? Concedamus igitur oportet, esse alios electos, alios reprobos. *Esse quosdam reprobos.*

Deinde concedendũ & illud est, reprobos uocari eos qui à Deo sunt reprobati, uel ut Hieronymi uerbo utar, abiecti. Magister Sententiarum dicit lib. 1. dist. 40. Prędestinauit eos quos elegit, reliquos uerò reprobauit. Item: Reprobauit quos uoluit, nõ propter futura merita quę pręuideret, ueritate tamen rectissima, & à nostris sensibus remota. Reprobos hic nõ uocamus eos, qui propter innatam malitiam sunt reprobi, & diuersi à sinceris & bonis: quẽadmodum argẽtum reprobum, quod adulterinum est, uocatur: sed eos, quos Deus reiecit ac reprobauit, cum eligeret quos uolebat. Sic duplici nomine reprobi sunt. Primùm, quòd à Deo sunt reprobati. Deinde, quòd propter innatam malitiam mali sunt ac reprobi. Hoc posteriori modo & illi sunt reprobi, qui ad numerum electorum pertinent. Nam ipsi quoq; in peccatis sunt concepti, & natura filij iræ: sicuti suprà ostendimus. Verùm quemadmodum illi propter electionis gratiam, non reprobi in scripturis, sed electi: ita isti, propter reprobationem non electi, sed reprobi uocantur. Obijciunt hic Apostoli uerba, quibus ille 1. Tim. 2. ad hunc modum de Deo loquitur: Nam hoc bonum est & acceptum coram seruatore nostro Deo, qui cũctos homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Si cunctos homines Deus, inquiunt, uult fieri saluos, quomodo firmum esse potest, quòd aliquos tantum quos saluet, elegerit, cęteros uerò reprobarit? Ad hanc obiectionem in Commentarijs nostris super epist. ad Rom. cap. 9. respondimus. In præsenti adferam expositionem Augustini, quę in Enchiridio illius cap. 102. sic legitur: Qui omnes homines uult saluos fieri, nõ quòd nullus hominum esset, quem saluũ fieri nollet, qui uirtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuisse pœnitentiam, si fecissent: sed ut omnes homines, omne genus hominum intelligamus, per quasdam differentias distributum, Reges priuatos, nobiles ignobiles, sublimes humiles, &c. Et paulo pòst: Præceperat enim Apostolus, ut oraretur pro omnibus hominibus; & specialiter addiderat, Pro regibus, & his qui in sublimitate sunt, qui putari poterant fastu & superbia seculari à fide Christianę humilitatis abhorrere. Proinde dicens, Hoc enim bonum est coram saluatore nostro Deo: id est, ut etiam pro talibus oretur: statim ut desperationem tolleret, addidit: Qui omnes homines uult saluos fieri. Hæc ibi. Et ad Vitalẽ epist. 106. sic dicit: Sed sicut illud quod dictum est, Omnes in Christo uiuificabũtur, cum tamen multi æterna morte damnẽtur, ideo dictum est, quia omnes quicunq; uitam æternam percipiunt, non percipiunt nisi in Christo: ita quod dictũ est, omnes homines uult Deus saluos fieri, cũ tã multos nolit saluos fieri, ideo dictũ est, quia omnes qui salui fiunt, nisi in ipso uolente non fiunt, & si quo alio modo illa uerba Apostolica intelligi possunt, ut tamen huic apertissimæ ueritati, in qua uidemus tam multos uolentibus hominibus, sed Deo nolente, saluos non fieri, contraria esse non possint. Hæc Augustinus. in quibus uidemus uerba Apostoli non sic esse intelligenda, quòd ex omnibus mortalibus neminem reprobarit Deus: sed quòd nullum genus hominum à salute sua & ueritatis agnitione excluſum esse uelit. Nisi hunc sensum retineamus, consequẽs erit ut dicamus, uel uoluntatem Dei irritam non modò fieri posse, sed & fieri, quod planè est impium: uel ne- *Hier. ad Hedibiã. quæst. 10. Reprobos esse qui à Deo sunt reprobati.* *Obiectio. Qui uult omnes homines saluos fieri. Augustinus.*

minem damnari ac perire, sed omnes in uniuersum saluari: neminem etiam absq; cognitione ueritatis ex hac uita decedere, quod palàm est falsum. Dicunt, quomodo reprobauit aliquos, cũ omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire uelit? Respõdeant: Si hęc est uoluntas Dei ut nemo damnetur, an illa impleatur uel secus. Si nõ impletur, ergo inanis est & irrita, contra illud, Omnis uoluntas mea fiet. Quanto rectius August. loco suprà citato dicit, Omnipotens non potest inaniter uelle quodcunq; uoluerit. Et alio in loco: Omnipotẽtia uoluntatis Dei semper inuicta est. Si impletur, ergo nemo damnatur, nemo est qui non aliquando ad cognitionem ueritatis perueniat. Quis autem sanę mẽtis hoc dixerit? Taceo, quòd uerba Apostoli contra apostolum exponunt. Etenim si neminem damnari uult Deus, quomodo Esau in utero matris constitutum odio habuit? quomodo iram ostendere uolens, & notam facere potẽtiam suam, tulit multa animi lenitate uasa iræ, apparata in interitum? quomodo quẽ uult indurat? quomodo tradit in reprobum sensum? quomodo mittit efficaciã erroris, ut credatur mendacio? Est itaq; admodum infirmum, quod ab hisce hominibus manifestæ ueritati ex uerbis Apostoli objicitur. Si quæras, quando sint à Deo reprobati reprobi, & quomodo, & quare, & an mutari non possint, quamuis horum inquisitionem multum habere curiositatis existimem, dicam tamen paucis quid hic sentiri possit. 1 Primùm, quoniã electio saluandorum ante mundi facta est constitutionem, consequens esse, tum damnatorum quoq; factã esse reprobationẽ. 2 Deinde, reprobatos eos esse hoc ipso, quod non sunt electi & præordinati ad uitam. Sic magister Sent. lib. 1. dist. 40. Deum ab ęterno quosdam non eligendo reprobasse dicit. 3 Tertiò, causam reprobationis nõ esse nobis inuestigãdam: est enim occulta, nec collocandam in futuram reproborum malitiam. quemadmodum nec electionis causas ad futura electorum merita referimus, sed soli uoluntati Dei tribuendam, qui ut elegit quos uoluit, ita & reprobauit quos uoluit. Ambros. de uocatione gentium libro 2. cap. 7. stupendum est dicit, quòd quales adoptat electio, tales reprobat abdicatio. Et August. causam huius occultam esse posse, iniustam esse non posse dicit, ad Paulinum epist. 59.

Quando, quomodo & quare reprobati sint à Deo reprobi.

Reprobos certi nõ possc.

4 Quartò, quemadmodum electi suo tempore uocati, credunt, resipiscũt, iustificantur, & saluantur, nec à salute hac excidere possunt: ita reprobos nec obedire uocanti Deo, nec credere, nec resipiscere, nec iustificari, nec saluari posse. Et hinc est quod magister Sẽt. loco suprà citato, neminem prædestinatorum damnari, & neminem reproborum saluari posse dixit. Hæc obiter dicimus, citra cuiusquam aliter sentientis præiudicium. Cæterùm cauebit pius homo, ne temerè de reprobis iudicet, sed iudicium illorum permittat ei, qui solus eorum nomina tenet, quos ante quàm cœlum & terram faceret, secundum abyssum iudiciorum suorum occultorum, semper autem iustorum à numero electorum separauit. Quantum in nobis est, conemur seruare omnes, oremus pro omnibus, amanter complectamur omnes, ac benefaciamus omnibus, nec desperemus de quoquam temerè: quandoquidem absconditũ est à nobis, quid de unoquoque finaliter constitutum sit à Domino.

DE POENITENTIA.

Dispositio huius loci.

INAESTIMABILIS planè est hæc diuinæ clemẽtiæ gratia, qua peccatores per euangelium regni Dei ad resipiscentiam uocantur. Quare pars hęc doctrinæ Dei omnibus est peccatoribus salutis suæ cupidis toto corde amplexanda. Et utinam ad hæc usq; tempora candidè esset fidelibus in ecclesia proposita. Vt ordine de illa dicamus, uidebimus primò quid sit pœnitentia: deinde, unde sit: tertiò, quæ sint illius partes: quartò, quæ sit illius efficacia: quintò, quæ necessitas.

I. QVID SIT POENITENTIA.

Scholastici.

Pœnitentia.

μετάνοια.

Lactantius.

DEfiniunt pœnitentiam Scholastici hoc modo: Pœnitẽtia est uirtus, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus, & plangenda ulterius committere nolumus. Et hanc faciunt aliam solennem, aliam publicam, aliam priuatam, aliam confitẽti à sacerdote communi modo, aliam regulariter pro quolibet peccato mortali impositam. Sic quod aliunde pecatori agendum imponitur, pœnitentiam uocant: cum uera pœnitentia, uel pœnitudo, æstus sit & dolor in corde resipiscentis natus, si uim uocis spectes. Nos, quod sacra scriptura Græcè uocat μετάνοιαν, resipiscentiam uocamus, qua peccator relicta delinquẽdi stultitia ad se redit, ac pristinam animi sententiam in melius mutat. de qua uoce Lactantius libro Institutionum sexto, cap. 24. sic scribit: Quem facti sui pœnitet, errorem suum pristinũ intelligit. Ideoq; Græci melius & significãtius μετάγνωσιν (quę idem est quod μετάνοια) dicũt, quã nos Latinè possumus dicere resipiscentiam. Resipiscit enim, ac suam mentem quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatq; seipsum dementię, & confirmat animum suum ad rectius uiuendum: tum illud ipsum maximè cauet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur. Hæc ille. Huius resipiscentiæ pars est pœnitẽtia, uel pœnitudo cordis. Quod Græci uocant μετάνοιαν, id

prophetæ pro more ſacræ linguę alio uocabulo uocant תשובה, id eſt, cõuerſionem, ad Deum uidelicet, de qua angelus ad Zachariam patrem Baptiſtæ ac prædicatoris reſipiſcentiæ dixit: Et multos filiorum conuertet ad Dominũ Deum ipſorum. Hinc toties illa inculcantur Iſraeli à prophetis, Conuertere Iſrael ad Dominum Deum tuum. Item: Conuertimini ad me, & ſalui eritis. Et, Nolo mortem peccatoris, ſed ut cõuertatur & uiuat. Et, Si dixero ad impium, morte morieris, רשב מחטאתו id eſt, & cõuerſus fuerit à peccato ſuo: quod interpres reddidit, Et pœnitentiã egerit à peccato ſuo. Horum itaq; conſideratione ad ueram pœnitentiam pertinet, ut agnoſcat peccator ſua peccata, doleat ipſi ex animo quòd peccauit, reſipiſcat & mutet mentẽ & malæ uitæ ſtudia, ac conuertatur ad Dominũ, credens illius promiſsis, imploransq; & ſperans miſericordiã. De uoce non eſt ut admodũ litigemus. Mihi tamẽ Hebræi propius ad id accedere uidentur, quod potiſsimum eſt in pœnitentia: poſt quos Græcorum μετανοια, & ultimo loco Latinorũ pœnitentia cõſiſtit. Si has tres uoces, pœnitentiam, reſipiſcentiã, & conuerſionem ad Deum, coniunxeris, puto in illis habiturum te plenius quod ad hanc cauſam definiendam pertinet, quàm ſi in ſola pœnitentię uoce hęſeris, præſertim in ſenſu quem illi Scholaſtici & eccleſiaſtici tribuerunt, quem ſuprà obiter attigimus. Impoſita ab illis pœnitentia, etiamſi iuxta canones imponatur, & ſolenni pompa publicè peragatur, qualem anno 1548. Auguſtæ Vindelicorũ in comitijs Imp. flagellatores Hiſpani oſtentabãt, falſa & hypocritica eſſe poteſt: quam nos uerò deſcribimus, hypocriſim non recipit, ſed in ueritate tantum conſiſtit, ſine qua non modò pœnitentia nulla eſt, ſed & ludibrium in conſpectu Domini, quicquid ſecundum humanas conſtitutiones & canones pœnitẽtiales foris oſtentatur. Supremus pœnitẽtiarius Chriſtus ueram pœnitentiam & imponens & definiẽs dicebat: Vade, & noli amplius peccare Sic Germanicè quoq; illã definimus, *nit mehr thun*. Et Ambroſius: Vera pœnitẽtia eſt, inquit, ceſſare à peccato. Pœnitentiarij Eccleſiaſtici uocem pœnitentię eò deduxerunt, ut abundè ſe pœnituiſſe delictorum putarit plebs ſeducta, ſi quod pœnitentię loco impoſitum eſſet, ad prę ſcriptum à pœnitentiario numerum, modum, tempus ac terminum ſeruaſſet: etiamſi ne micam quidem ueræ pœnitentiæ in corde ſenſiſſet, nedum opere impleſſet.

תשובה. *Conuerſio.* *Ezech. 33.* *Vera ac plena pœnitentia.* 1. *Pœnitentia.* 2. *Reſipiſcẽtia.* 3. *Conuerſio.* *Vade, & noli amplius peccare.*

II. VNDE SIT VERA POENITENTIA.

IN loco de Fide, diximus reſipiſcentiã gigni ex fide. Et ſic rectius ſentimus, quàm ſi illã ex timore pœnę naſci diceremus. Loquimur enim de pœnitentia electorũ & ſaluandorũ, nõ de ea qua reprobos malefactorũ pœnitet, ubi ſenſu iræ Dei iuſti iudicij, condemnationis æternæ mortis tanguntur: cuius exemplũ in Iudah proditore monſtratũ eſt. Reprobi, ut nõ audẽt peccare formidine pœnę, non uirtutis amore: ita eiuſdẽ formidinis ſenſu tacti pœnitentiã peccati in corde experiũtur, & foris quoq; oſtendũt: à qua prorſus eſſent alieni, ſi de ſecuritate & impunitate perſuaderi poſſent. Electos uerò, qui ex Deo ſunt, peccaſſe pœnitet mox atq; deũ ſe offendiſſe admoniti cognouerũt. id qd' ipſos habet peſsimè, etiãſi cederet prorſus impunè.

Pœnitentia ex fide.

Auguſtinus libro expoſitionis inchoatæ in epiſt. ad Rom. Pœnitentiæ meritũ, inquit, gratia præcedit. Item: Neminem peccati ſui pœnitet, niſi admonitione aliqua uocationis Dei. Ergo pœnitentia uera, primùm eſt ex gratia Dei, deinde ex uerbo diuinæ uocationis & admonitionis, tertiò ex fide uerbi, ſine qua priora duo prorſus eſſent inania, quantum attinet effectũ, licet in ſe ſint optima. Magnum ſanè bonum eſt uocari per gratiam Dei ad reſipiſcentiam: uerùm in uanum illud offertur reprobis, qui etiamſi initio reſipiſcere uidentur: haud tamen perſeuerant, quia gratiam Dei non ex animo & ueraciter, ſed in ſpeciem & ad tempus accipiunt, id quod Apoſtolus metuebat in illis, quos hortabatur, ne gratiam Dei in uanum reciperent. Multa ſunt autem exempla, quibus monſtratum eſt, eſſe pœnitentiam ex gratia Dei, uerbo admonitionis, & fide. Sic reſipuerunt, qui uerbo gratiæ per Apoſtolum Petrum prolato crediderunt, Act. 2. Sic Dauidem peccatorũ ſuorum pœnituit, cum de illis per prophetam Nathan admoneretur. Interea tamen non eſt alligata manus Domini, quo minus ſenſum pœnitẽtiæ uel per flagella, uel euẽtu aliquo terribili mortalibus incutiat. quale erat quod accidit Paulo Act. 9. & cuſtodi carceris, Act. 16. Verùm ea ratio uocandi ad pœnitentiam non eſt communis, ſed rara, & ſingularis conſilij: communis uerò eſt, & ſecundum generalem inſtitutionem Dei uſitata, qua peccatores tempore diuinitus conſtituto per euangelium gratiæ ad fidem & reſipiſcentiam, adeoq; & ueram ſalutem uocantur. Rom. 2. dicit Apoſtolus: An diuitias bonitatis illius ac tolerantiæ, lenitatisq; contemnis, ignorans quòd bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? Ergo bonitati Dei debemus, quòd ad pœnitentiam uocamur. Et 2. Tim. 2. Seruum Domini, inquit, non oportet pugnare, ſed placidum eſſe erga omnes, propẽſum ad docendum, tolerantem malos cum manſuetudine, erudientem eos qui obſiſtunt: ſi quando det illis Deus pœnitentiam, ut agnoſcant ueritatem, & reſipiſcant è diaboli laqueo, &c. Ergo pœnitentia & donum Dei eſt, & datur per miniſteriũ uerbi, doctrinę & eruditionis, accedente operatione ſpiritus ſancti. Et hoc notum eſſe debet Euangelij Dei miniſtris, quo & manſuetiores ſint erga peccatores, & miniſterio ſuo cum infracta tolerantia incumbant.

Auguſtinus. Vnde ſit uera pœnitentia. *2. Cor. 6.* *Communis ratio uocandi ad pœnitentiam.*

III. QVAE SINT PARTES POENITENTIAE.

Scholastici. QVoniam Deũ offendimus peccatores corde, ore & opere, ponunt Scholastici tres quasi correspondentes pœnitentiæ partes: contritionẽ uidelicet cordis, confessionem oris, & satisfactionem operis. Verùm, quẽadmodum suprà monuimus, cõtritio cordis ipsa est pœnitentia. Sumunt aũt pœnitentiam pro tota & perfecta resipiscentia, cuius uolunt has esse partes. Ideo magister Sent. dicit: In perfectione aũt pœnitentiæ tria obseruanda sunt, compunctio cordis, confessio oris, & satisfactio operis. Sic uolunt perfectam hanc esse pœnitentiam, quæ tribus istis partibus absoluatur. 1 Nos uerò cõprehendimus eam contritione & dolore spiritus, mutatione mẽtis & conuersione ad Deũ. Apostolus dolorẽ hunc uocat tristiciam facientẽ ad resipiscentiam & salutem, 2. Cor. 7. Nam quæ secundũ Deũ est, inquit, tristicia μετανοιαν εις σωτηριαν αμεταμέλητον κατεργάζεται. Et hæc pars resipiscẽtiæ haud modici momenti est in conspectu Domini. quod uidere est in eo quod Dauid Psal. 51. canit dicẽs: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritũ & humiliatum deus non despicies. In hoc dolore est pudor de admisso peccato, & humilitas animi seipsum condẽnantis & abijciẽtis. 2 Ex hoc consequitur mutatio mentis, per quam peccator longè aliter quàm fuerat antea, redditur animatus. Sic innouantur & mutantur prioris uitæ studia, usqueadeò ut nouus homo reddatur. Sic mutatus Zachęus dicebat: Domine, dimidium bonorũ meorum do pauperibus: & si quid quem defraudaui, reddo quadruplũ. Quàm erat ille iam resipiscẽtiæ beneficio diuersus à priori? 3 Tertiò, concomitatur dolorẽ hunc, & mutationem mentis, conuersio ad Deum. Quemadmodum enim peccatoris animus, dum studio peccandi deditus est, à deo auertitur, elongatur & abalienatur: ita per resipiscentiam ad Deum conuertitur, ut quem antea contempserat, iam timeat, colat, & obseruet. Hisce nos partibus resipiscentiam complectimur. Interea tamẽ confessionẽ peccatorũ nõ reijcimus, quatenus illa testimoniũ habet ex scripturis. De hac paucis annotabimus in præsenti. Nã in Matthæo nostro iã antea de illa fusius aliquanto diximus.

Dolor cordis.

Mutatio mentis.

Conuersio ad Deum.

DE CONFESSIONE PECCATORVM
ex sacris scripturis.

Confessio peccatorum gemina. COnfessionem peccatorum geminam reperimus in scripturis: ~~unam quæ Deo, alteram quæ proximo fiat~~. De priori est illud Psal. 32. Dixi, confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. & illud Publicani Luc. 18. Deus, propitius esto mihi peccatori. Hoc genus cõfessionis trifariã fieri potest. 1 Primũ, priuatim, ad exemplum publicani, cuius iam mentionem fecimus. Deinde, communiter, sic ut tota Ecclesia ~~unanimiter~~ dicat: Tibi peccauimus Domine. Vide huius exemplũ, 1. Sam. 7. & 1. Reg. 8. in uerbis Salomonis. Huc pertinet confessio illa ecclesiæ, quæ fit publicè per uerba ministri. Tertiò, ab ijs qui peccatum suum coram ecclesia confitẽtur, cuius exemplum Iosue 7. legitur, ubi qui de anathemate Hiericho furatus fuerat, coram ecclesia Dei, cum sorte deprehẽsus esset, dicebat: Verè ego peccaui Domino meo Israel, & sic & sic feci. Talis olim publica confessio in usu fuit in ecclesia: ~~qua de uide in Matthæo nostro cap. 3. ibi, Confitentes peccata sua.~~

Confessio ad Deum trifariã fieri potest.

2 Posterior confessio est, qua qui in proximum suum peccauit, pœnitentia ductus, hoc illi confitetur, & petit ut ignoscat. Huius mentionẽ facit Christus Lucæ 17. dicens: Si peccauerit in te frater tuus increpa illũ: & si pœnituerit ipsum, remitte illi. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit, ad te dicens, Pœnitet me, remittes illi. Et huc pertinet illud Matt. 5. Si offers munus tuũ ad altare, & recordatꝰ fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuũ ante altare, & uade recõciliare fratri tuo. Et hoc uolebat Iacob. cũ scriberet: Cõfitemini alter alteri peccata uestra, & orate alius pro alio, ut saluemini.

Duplici cõfessionum genere & Deo & fratribus reconciliamur. Hoc duplici confessionum genere & Deo & fratribus reconciliamur, quæ reconciliatio sine peccatorũ remissione fieri non potest. Remittit Deus confitenti sibi, ac dicenti, Deus propitius esto mihi peccatori. quod in publicano patet, & in uerbis Dauidis, quibus dicit: Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Remittit etiam illi, qui cum fratre suo reconciliatur, in cuius remissionis argumentũ dicit, Et tunc ueniens offer munus tuum. Et utinã utrunq; hoc cõfessionis genus in usu legitimo mansisset in ecclesia, quo cũ deo & fratribus recõciliati, plus haberemus pacis, & minus offensarũ.

DE PAPISTICA CONFESSIONE, QVAM
Auricularem uocant.

Cõfeß. aur. nõ esse iuris diuini. HAnc asserimus, neq; esse iuris diuini, neq; fuisse in usu ecclesiæ temporibus Apostolorũ & sequentium patrum, neq; facere ad remissionem peccatorum. Quod non sit iuris & præcepti diuini, ex eo satis patet, quòd neq; Christus neq; Apostoli quicquã de illa præceperunt. Citant illud Ioan. 20. Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur

tuntur eis. & quorum retinueritis, retenta erunt. Et Matth. 16. Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris super terrã, ligatum erit & in cœlis: & quodcunq; solueris super terram, solutum erit & in cœlis. Et Matth. 18. Amen dico uobis, quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Et illud Matth. 8. ad leprosum: Vade, ostende te sacerdoti. Et Iacobi 5. Confitemini alter alteri peccata uestra. Et 1. Ioan. 1. Si cõfiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Hisce locis S. scripturarum probare conantur, auricularem & Papisticam confessionẽ esse iuris ac præcepti diuini. Videamus igitur, an quod asserunt, solidè & pertinenter probent. Principiò manifestum est, quæ Ioan. 20. ad Apostolos dicũtur, pertinere non ad auricularem confessionẽ, sed ad munus Apostolicũ, ad quod in orbem erant prædicandi euangelij gratia emittendi. Vnde & dixit illis: Sicut misit me pater, ita & ego mitto uos. ac tum insufflauit in eos dicens: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Prædicaturi erant resipiscentiam & remissionem peccatorum in nomine ipsius. Huic prædicationi credentes salui, non credentes condemnationi obnoxij erant futuri: sicuti Marci ultimo dixit. Hoc ipsum hic alijs uerbis pronunciat dicens, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt. Ligarunt igitur Apostoli incredulos, & soluerunt resipiscentes & credentes prædicatione euangelij, qua remissionem peccatorum omnibus credentibus sub nomine Christi annunciarunt. Quid hic loci est auriculari confessioni? Vrgent illi, dictum esse à domino, Quorum remiseritis peccata, &c. Vicissim nos illis obijciamus, quæ præmissa sunt: Sicut misit me pater, ita & ego mitto uos. Itẽ: Accipite spiritum sanctum. Nusquam lego Christum misisse in orbem confessionarios, ut ita dicam, qui secreta cordium scrutarentur: sed Apostolos emissos lego, illisque datum spiritum sanctum, cuius instinctu & uirtute euangelium regni palàm prædicarent in orbe. *Responsio.*

Deinde ad locum Matthæi 16. idem quod ad istum respondemus. est enim eadem materia. Quod hic Petro promisit, illic post resurrectionẽ & ipsi & cæteris Apostolis omnibus commisit. Funibus peccatorum, inquit Hieron. in Esa. cap. 14. unusquisq; constringitur, quos funes atq; uincula soluere possunt & Apostoli, imitantes magistrum suum qui eis dixerat: Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Soluũt autem eos Apostoli sermone Dei, & testimonijs scripturarum, & exhortatione uirtutum. Et in Matth. cap. 16. dicit: Istum locum episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de pharisæorum supercilio assumunt, ut uel damnent innocentes, uel soluere se noxios arbitrentur: cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum uita quæratur.

Tertiò, quod Matth. 18. dictum est à Domino: Amẽ dico uobis, quæcunq; ligaueritis super terram, &c. non ad solos Apostolos, & uerbi ministros, sed ad ecclesiam, imò ad unumquemq; fidelium pertinet, quemadmodum & præcedentia & sequentia conuincunt. Et Theophylactus ad hunc modum exponit: Si tu offensus, inquit, habes eum qui te iniuria affecit, sicut publicanum & gentilem, erit ille & in cœlo talis. Si autem solueris eum, hoc est, ignoueris, erit ei & in cœlo condonatum. Non enim solùm quæ soluunt sacerdotes, sunt soluta, sed quæcunq; & nos iniuria affecti uel ligamus uel soluimus, & ipsa erunt uel ligata uel soluta. Hæc ille. Et Aug. de uerbis Domini, super Matthæum serm. 16. cap. 18. conformiter exponit dicens: Cœpisti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terra, sed ut iustè alliges uide. Nam iniusta uincula dirumpit iustitia. Cum autẽ correxeris, & cõcordaueris cum fratre tuo, soluisti illum in terra. Cum solueris in terra, solutus erit & in cœlo. Vide quomodo patres isti non uiderint in hisce uerbis, quod ex illis postea Romanistæ extorquere cœperunt. Quasi autem obscurus sit horum intellectus, prætexunt, sensum eorum manifestari ex praxi ecclesiæ: praxim uocantes, quod rectius uocarent seductionem & tyrannidem Romanistarum.

Quartò, quorsum ad mundatum à se leprosum dixerit Dominus, Vide ne cuipiam dixeris: sed uade, ostende te sacerdoti, cùm ex uerbo ostendendi, tum ex eo quod subiecit dicens, Et offer in testimonium illis, satis est manifestum. Vel hoc loco abundè patet, quàm torqueant scripturas Romanæ tyrannidis defensores. Secundum legem erat leprosus iste per sacerdotẽ segregatus à cœtu populi Dei. Secundum legem non potuit redire ad communicationem populi Dei, nisi iudicio sacerdotali pro mundo approbatus. cum ergo mũdasset eum Dominus, iussit abire ad sacerdotem, nõ ad confitendum peccata sua, neq; ut per illum mundaretur: sed ut agnita & comprobata ipsius mundicia, quam ipsi contulerat, offerret iuxta præscriptum legis, Leuit. 14. eaq; oblatio maliciam sacerdotum damnaret, qua leprosus mundantem blasphemabant. Obsecro, quid loci hic est confessionis Papisticę assertoribus? Si esse putãt, reliquum est ut soli mundati eant ad sacerdotes, illisque nõ peccata, sed iustificationem sui, quam fide à Christo acceperunt, in testimonium ipsis comprobandam ostendant. *Matth. 8.*

Quintò, illud Iacobi, Confitemini alter alteri peccata uestra, iam antea diximus pertinere ad confessionem qua frater fratri, quod in ipsum peccauit confiteatur, & ueniã petat. Non dicit, Confitemini suo quisq; sacerdoti, & absoluamini ab illis: sed, Alter alteri, inquit, confitemini, & orate alius pro alio, ut saluemini. Si hoc de cõfessione auriculari dictũ est, consequitur, *Iacobi 5.*

perinde confitendum esse sacerdoti in aures laici, ut uocant, & laico pro sacerdote orandum quo saluetur, quàm laico confitendum in aures sacerdotis, & sacerdoti orandum pro laico. Et si orare hic idem est quod absoluere, ergo non minus pertinet ad laicum ut sacerdotem absoluat, quam ad sacerdotem ut absoluat laicum. Puto Romanistas citius deserturos hanc causam, quàm conditionem istam à Iacobo præscriptam accepturos. Vidit hoc Scotus, qui super hunc locum sic scripsit: Nec mihi uidetur hoc præceptum dedisse Iacobus, nec à Christo acceptum promulgasse. Primùm enim, unde fuisset ipsi authoritas obligádi totam ecclesiam, cum esset tãtum episcopus ecclesiæ Hierosolymitanæ? Nisi dicas illam ecclesiam in principio fuisse principalem, & per consequens illum fuisse principalem episcopum, quod non concedunt Romani. Deinde non magis dicit cõfessionem fiendam sacerdoti, quàm alij. Subdit enim statim, Et orate pro inuicem ut saluemini. ubi nullus dicet eum instituisse præceptum diuinum: sed intellectus eius est, sicut in illo uerbo, Confitemini alterutrum, persuasio ad humilitatem, ut scilicet generaliter confiteamur nos apud proximos esse peccatores, iuxta illud: Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, &c. Hęc Scotus, quem singularis ingenij gratia Subtilem uocant. Quid est ergo commentum Eccij, quo in locis suis dicit: Verum est, Iacobum nõ cum præcisione determinasse cui sit confitendum, quia iam Christus expresserat absoluentes peccatores, ideo sufficiebat Iacobo exprimere illud quod erat necessarium ad absolutionem, scilicet confessionem, non speciatim indicans iudicem. Quomodo non expresit quis cui confiteri debeat, cum dicit, alter alteri? Vidit hoc Scotus, non uidit Eccius: uel certè improbè dissimulauit, & cognitam ueritatem suppresit.

Scotus libr. 4. Senten. dist. 17. quæst. 1.

1. Ioan. 1.

Commentum Eccij.

Sextò, quod citant ex 1. Ioan. 1. Si cõfiteamur peccata nostra, &c. pertinet ad confessionem qua nos peccatores esse cum publicano euangelico in cõspectu Dei humiles confitemur. Augustinus sic exponit: Si non dixeris Deo quod es, damnat Deus quod in te inueniet. Non uis ut ille damnet? tu damna. Vis ut ille ignoscat? tu agnosce, ut possis Deo dicere, Auerte faciem tuam à peccatis meis. Dic illi etiam illa uerba in ipso Psalmo, Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Hæc ille. Vnde satis patet, intelligenda esse hæc uerba de confessione peccatorum coram Deo facienda: sicut & id quod sequitur satis innuit, cum dicit, Fidelis est, & iustus, ut remittat nobis peccata nostra. quæ uerba nullo modo sunt ad sacerdotem, sed ad ipsum Deum referenda. Nam talem hunc nobis commendat Apostolus, quo facilius inducamur ad confitendum illi nostra peccata.

Ecce hæc sunt infirma Papistarum argumenta, quibus conscientias imperitorum ad hanc auricularem confessionem hoc prætextu impulerunt, quòd sit iuris ac præcepti diuini. Vidit Scotus non posse hoc certò ex scripturis sacris probari, ideoq; sic concludit admodum dubitanter: Vel igitur tenendum est quòd sit de iure diuino, promulgato per euãgelium Ioan. 20. uel sit illud non sufficit, dicendum est quòd sit de iure diuino positiuo, promulgato à Christo Apostolis, sed ecclesię promulgato ab apostolis absq; omni scriptura, sicut multa alia tenet ecclesia oretenus per apostolos sibi promulgata sine scriptura. cuius fundamentum est illud Ioan. Multa quidem & alia signa fecit Iesus, &c. Hæc ille. Quoniam scripturam sacram non satis certò huc applicari posse uidebat, adiecit commentũ hoc de iure positiuo sine literis: quod tam facilè contemnendum est, quàm temere adducitur, nec ullo pacto probari potest.

Scotus.

Et hinc est quod glossator Decretorum, De pœnitentia distinct. 5. cap. In pœnitentia, sic dicit. Sed melius dicitur, confessionem institutã fuisse à quadam uniuersalis Ecclesiæ traditione, potius quàm ex noui uel ueteris Testamenti authoritate. Item ibidem: Ergo necessaria est confessio in mortalibus apud nos (Latinos) apud Græcos non, quia nõ emanauit ad illos traditio talis. Hæc ille. Sed quæ fuit, & quando, & ubi facta traditio illa uniuersalis ecclesię? Et si uniuersalis ecclesia sic tradidit, quomodo non Græcos, sed solos Latinos ligauit? An in solis Latinis est ecclesia uniuersalis? Sic sunt omnia hæc, quibus confessionem suam stabilire moliuntur inania figmenta, ad decipiendum imperitos excogitata: manifestumq; est, nihil illam esse minus, quàm iuris ac præcepti diuini.

Glossator decretorum.

Confessionẽ auricularem non fuisse in usu patrum.

2 Quod autem nec Apostolorum nec subsequentium patrum temporibus in usu catholico fuerit, primùm ex eo facile liquet, quòd nulla illius uspiã mentio neq; in Apostolicis neq; patrum scripturis reperitur. Quod in Ecclesiasticis historijs Socrates libro quinto, cap. 19. de presbytero pœnitentiario, & de confessione peccatorum propter discessum Nouatianorum instituta, & postea sub Nectario Constãtinopolitano propter facinus diaconi abrogata, scribit, etiam Eccio teste ad confessionem auricularem nõ pertinet, sed ad eam quæ solennis erat pœnitentiæ. qua de re uide in historia Trip. lib. 11. cap. 35. Deinde & scripta patrum præcipuorum satis docent, confessionem hanc in ecclesia haud fuisse ipsorum temporibus in usu. Chrysostomus ~~super epistolam ad Hebræos homil. 31. sic~~ dicit: ~~Non dico tibi ut te prodas in publicum~~, neq; ut te apud alios accuses: ~~sed obedire te uolo prophetæ dicẽti, Reuela~~ Domino uiã tuam. Ante Deum ergo confitere peccata tua, apud uerum iudicem cum oratione delicta tua pronuncia, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria: & tunc demum spera misericordiam te posse consequi, si habueris in mẽte peccata tua continuè, &c. Et ~~in Psal. Miserere, homil. 2.~~ Pec-

Chrysostomus.

cata

cata tua, inquit, dicito ut deleas illa. Si confunderis alicui dicere quòd peccasti, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico, ut confitearis conseruo tuo, ut exprobret. Dicito Deo qui curat ea. Hæc enim si non dixeris, nunquid ignorat ea Deus? &c. Et Homilia de confessione & pœnitentia sic dicit: Nunc autem neq; necessarium testibus præsentibus confiteri. Cogitatione fiat delictorum exquisitio, absq; teste sit hoc iudicium. Solus te Deus confitentẽ uideat, Deus qui non exprobrat peccata tua, sed soluit, &c.

Et Augustinus lib. Confessionũ 10. cap. 3. Quid mihi ergo est cum hominibus, inquit, ut audiant confessiones meas, quasi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendũ uitam alienam, desidiosum ad corrigendũ suã. Quid à me querunt audire qui sim, qui nolunt à te audire qui sint? Et unde sciunt, cũ à meipso de meipso audiunt, an uerũ dicam: quandoquidem nemo scit hominũ quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui est in homine? Hæc ille. Iam cogitet cordatus Lector, Si confessio auricularis in usu fuit tẽporib. Chrysosto. in Græcorũ, & Augustini in Latinorum Ecclesijs, an conuenerit eos talia contra totius Ecclesiæ consuetudinem & sententiam scribere: & non magis quosuis adhortari, ut peccata sua sacerdotibus confiterentur? Puto uiros hosce longè aliter scripturos fuisse, si quod post ipsos introductum est in Ecclesiam, ipsorum fuisset temporibus in usu. *Augustinus.*

ORIGO AVRICVLARIS CONFESSIONIS.

SEd rogabit forsan Lector aliquis, undénam cõfessio ista originem suam duxerit. Meo iudicio, postquam seueritas publicæ confessionis & pœnitentiæ partim propter magnates qui Christo accesserant: partim propter segnem primùm, deinde & culpabilem uitam episcoporũ ac presbyterorũ in Ecclesiastico ac prisco usu retineri non posset, prima defectionis pars à publica confessione ad priuatã ac secretam, pœnitentia publica aliquandiu manẽte, deinde à publica pœnitentia quoq; ad secretã, facta est. Sic existimo eam confessionẽ, de qua loquimur, sensim esse in Ecclesias introductã: idq; eo facilius, quòd illa Gentibus quoq; per sacerdotes eidolorũ imposita fuit, sicut ex historia Lysandri patet, cui in Samothrace oraculum consulenti sacerdos iusit, ut quod maximè sceleratum gessisset in omni sua uita, cõfiteretur. ad quem ille: An hoc tuo, inquit, uel Deorũ iussu facere oportet? Cùm sacerdos respondisset, Deorũ: Tu igitur, inquit, discede hinc, ac dijs dicam, si percontẽtur. Ex hac historia uidemus, quo spiritu confessio ista auricularis per sacerdotes conscientijs sit mortaliũ obtrusa. Non solùm ex humana est traditione, sed & nequissimo quodam & astutissimo consilio satanæ introducta, id quod innumera mala quæ ex illa sunt nata, luce clarius demonstrant.

Vide de pœniten. distinct. 1. cap. Quamuis. Dictũ Lysandri ad gẽtilem sacerdotem.

2 Restat ut probemus, eam nec facere, nec requirendam esse ad remissionem peccatorũ. Nihil de meo adferam. Ipsa Pontificia decreta abundè hoc testantur. Sic enim in illis, De pœnitentia, distinct. 1. ~~legimus. Can. Si cui. Sicut authoritas~~ testatur, uoluntas remuneratur, non opus. Voluntas enim in cordis contritione, opus uerò in oris confessione est. Luce clarius constat, cordis ~~contritione, non oris confessione peccata dimitti.~~ Et ~~can. Facilius. Hoc idem~~ probatur, inquit, authoritate illa prophetica: In quacunq; hora peccator fuerit conuersus, & ingemuerit, &c. Non enim dicitur, Ore confessus fuerit: sed tantùm, conuersus fuerit & ingemuerit, uita uiuet, & non morietur. ~~Et can. Qui natus. Cum~~ ergo ante confessionẽ, inquit, ut probatum est, sumus resuscitati per gratiam, & filij lucis facti, euidentissimè apparet, quòd sola cordis contritione, sine confessione oris peccatum remittatur. Et can. Omnis. Non ergo in confessione peccatum remittitur, quod iam remissum esse probatur. Fit itaq; confessio ad ostensionem pœnitentiæ, non ad impetrationem ueniæ. Et can. eodem, in glossa: Duplex est confessio, interior & exterior. De interiori, scilicet quæ deo fit, dicitur, quòd sine confessione non dimittuntur peccata. Et can. Quis aliquando. Hæc ergo, inquit, secreta confessio leuium siue occultorum criminum Deo offerenda est. Ea uerò quæ de publica satisfactione, uel oris confessione dicuntur, de publicis & manifestis criminibus intelligenda sunt. Et ibidem: Prẽmissis itaq; authoritatibus, pro manifestis criminibus manifesta probatur offerenda satisfactio. Latentia uerò peccata non probantur sacerdoti necessariò confitenda, & eius arbitrio expianda. Et can. Quidam Deo. Confessio itaq; quæ soli Deo fit, inquit, quod est iustorum, purgat peccata: ea uerò quæ sacerdoti fit, docet qualiter purgentur peccata. Hæc & alia consimilia ui ueritatis extorta sunt, & Decretis Pontificijs inserta: unde satis conuincuntur Papistæ, seductionem esse, qua confessioni auriculari peccatorum remissionem adscribunt. Sic puto patet, nec esse illam iuris ac præcepti diuini, nec fuisse tempore Apostolorum ac patrum in usu, nec facere ad remissionem peccatorum. Quare canon ille in Decretalibus Innocẽtij tertij ante 356. annos editus, Omnis uidelicet utriusq; sexus fidelis, postquam ad annos discretionis uenerit, omnia sua solus peccata saltẽ semel in anno fideliter cõfiteatur proprio sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam proprijs uiribus studeat adimplere, &c. non Apostoli Christi est, sed tyranni conscientias fidelium humana temeritate (ne quid durius dicã) inedicibili carnificina afflictantis. Sed hactenus de confessione, uideamus iam de satisfactione. *Confessionẽ auricularem non facere ad remissionem peccatorum. Decreta Pontificia.*

De satisfactione. Satisfactionem uocant Scholastici opus pœnitentię, à sacerdote post auricularem confessionem iniunctum. Et hic admodum solliciti sunt ne minor ac leuior sit satisfactio, q̃ quæ peccatorum grauitati respondeat. Doctrina hæc satisfactionis serenitatem gratiæ Christi uehementer obscurat: cõscientias uel falso securas reddit, dum se satisfeciſſe putant: uel miserè afligit, dum nesciunt, quando pro uno, nedũ omnibus peccatis satisfecerint in conspectu Dei: deinde & Papali nundinationi ad indulgentiarum quæstum, & sacerdotalium Missarum negociationi ad liberãdas è purgatorio animas, omnes ualuas aperuit. Quare meritò detestabilis est omnibus pijs. Euangelica doctrina annunciat nobis remissionem peccatorum per sanguinem Christi, cuius effusione satisfactum est non pro nostris tantũ, sed & totius mundi peccatis. Vbi hæc gratia locum habet, non potest locum habere satisfactio. Ferendum esset, si quem admodum fides in Christum imputatur credentibus pro iustitia, ad exemplũ Abrahæ, Rom. 4. ita & resipiscentiam pro satisfactione clementer & gratuitò imputari dicerẽt. quemadmodum in filio prodigo cernere licet, cuius reditum ac pœnitẽtiam pater pro sufficientissima satisfactione clementia planè paterna acceptauit, nec quicquam ultrà ab illo popoſcit. Hic sensus satisfactionis non derogat gratiæ Dei, sed illam uehementer illustrat: uerùm non facit ad quæstũ & nundinationẽ Papisticã, facit autem ad pacificationẽ conscientiarũ. Quare nos illũ retinebimus: & Papę, sacerdotib. ac monachis suas falsarũ satisfactionũ merces relinquemus.

Quàm noxia sit doctrina satisfactionis.

Est & aliud satisfactionis genus, qua quisque proximo suo, quem læsit, obstrictus tenetur. Adhuc, nõ negamus eam quoq; satisfactionẽ, qua Ecclesiæ ueris resipiscentiæ fructibus satisfaciendũ ab illis est, qui eam publicis criminibus offenderunt. At neq; istam plurimi faciũt negociatores Ecclesiastici, in cuius tamen obseruantia patres plus æquo seueri fuerunt.

IIII. QVAE SIT EFFICACIA *uerę pœnitentiæ.*

Pœnitẽtia quid operetur in reprobis & electis.

MAior est pœnitentiæ uirtus, quàm ut per omnia recenseri possit illius efficacia. quare non est ut quæ illa gignit, assequitur & operatur, adamussim omnia persequi conemur: sed ea tantum annotabimus, quæ iam occurrunt. Quædam communiter tam in reprobis quàm in electis: postea in electis, quæ non in reprobis: tertiò in reprobis, quę non in electis, pro diuersitate iræ & gratiæ Dei operatur & assequitur.

Aperit oculos mentis. 1 Communiter primùm aperit oculos mentis, ut uideamus & intelligamus quàm malè, stultè & iniquè egerimus. Inter peccandum cæci sumus, quod fit studio satanæ, quo nos in omne genus errorum & malorũ non inducat modò, sed & inductos detineat. Notus est locus Apostoli Eph. 4. ubi mentionẽ facit tenebrarũ, obscurati intellectus, ignorantiæ & cæcitatis, quæ tribuit illis qui extra Christum in peccatis uiuunt. Has tenebras omnes resipiscentia discutit, & oculos mentis aperit. Non eget res ista exemplis, per se patet. Et hanc ob causam μετανοια, de qua uoce suprà annotauimus, & à nonnullis μετάγνωσις dicta est.

Affligit animũ 2 Deinde affligit animũ, & conficit dolore, quẽ conscientia peccati sic cõcipit, ut egrè possit eximi. Hinc pœnitudinẽ dictã uolunt, uoce à pœna deducta. Alij uocant compunctionem, alij contritionẽ. Huius generis dolorẽ expertus est Dauid, sicuti uidere est Psal. 32, & nonnullis alijs. & Petrus cũ ad se reuersus acerbè fleret: & mulier peccatrix, cũ pedes Domini lachrymis suis lauaret. Et Iudas proditor nõ fuit expers eiusmodi doloris, cũ argentũ proijceret in templũ, ac diceret, Peccaui, tradens sanguinẽ iustũ. id quod & exitus illius probauit. Incomparabiles aũt pœnitudinis huius ęstus experiẽtur impij in die iudicij, de quib. Sap. 5. sic legimus: Videntes autẽ impij turbabuntur timore horribili, & obstupescent gemẽtes prę angustia spiritus, & dicẽt intra se pœnitentiã agentes, Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, &c.

Dãnat admissa 3 Tertiò, damnat admissa, & facit ut dignũ se iudicet peccator, qui puniatur. Cain dicebat: Maior est iniquitas mea, quàm ut ueniam merear. Ecce eijcis me hodie, &c. Gen. 4. Sic Iudas quoq; factum suum peccati damnauit, & de seipso manu propria pœnas sumpsit. Et Dauid in Psalmis aliquot facta sua pœnitendo condemnauit.

Mutat mentẽ. 4 Quartò, mutat mentẽ, ut quę antea placuerũt, improbare incipiamus, longè aliter quàm antea animati. Consequitur hoc ex præcedenti, quanquam haud æqualiter in omnibus. Hæc operatur pœnitentia tam in reprobis, quàm in electis.

Liberat à laqueis diaboli. 5 Quintò, electos liberat à laqueis diaboli, à quo ad tempus uocationis usq; captiui tenentur. An fortè, inquit Apostolus, det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendum ueritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius uoluntatem. 2. Tim. 2. quę uerba ad impios ac reprobos pertinere non possunt, quibus non datur pœnitentiæ, resipiscentiæ, & liberationis huius donum.

Deo recõciliat 6 Sextò, resipiscentes Deo recõciliat, & in gratiam illius restituit. Hæc gratia & reconciliatio per Euangelium sub nomine Christi prędicatur. Hac de causa secunda post naufragium tabula uocatur à nonnullis. Imò sic mundos coram deo reddit, ac si nihil peccauerimus unquã. Vnde Esa. 1. Si fuerint peccata uestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.

7 Septimò,

7 Septimò, corrigit admissa, & innouat studia uitæ. Sic Zachæus qui ante resipiscentiam alienis bonis inhiauerat, postquam pœnitere cœperat, sua est pauperibus largitus. *Corrigit admissa.*

8 Octauò, reddit humiles & submissos. Ideo Dauid cum dixisset, Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, adiecit, & humiliatum Deus non despicies. Sic pœnitentiam & humilitatem coniunxit. *Reddit humiles.*

9 Nonò, reddit nos mansuetos quoque erga alios peccatores. Etenim quêadmodum pharisaica propriæ iustitiæ opinio inflatos ac superbos, ita peccatorum nostrorum agnitio mansuetos erga peccatores reddit. Omnino nondum sua peccata cognouit, qui seuerus est ac superbus alienorum iudex. Cum itaq; tantorum bonorum ferax sit pœnitentia, non immeritò dictum est à Christo, quòd gaudium sit angelis in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm supra nonaginta nouem iustis, Math. 18. *Reddit mansuetos erga peccatores.*

10 Decimò, quod consequutionem gratiæ Dei ac reconciliationis attinet, in reprobis prorsus est inefficax: quia non est in illis uera, sed falsa. De Esau Ebr. 12. legimus, quòd non inuenerit pœnitentię locũ, quamuis cum lachrymis inquisisset eam. Nec ipsum uerè pœnitebat, neq; amissam benedictionem & latæ sententiæ mutationem recuperare poterat, q̃uis illachrymaretur. Et Iudam proditionis pœnituit, uerùm gratiam reconciliationis non est consequutus. *Inefficax est in reprobis.*

11 Vndecimò, quo maior est & acerbior, hoc magis ad desperationem sollicitat impios. Sic Cain dicebat: Peccatum meum maius est, quàm ut ueniam merear. Et hoc Iudæ quoq; exemplo comprobatur, qui nisi magnitudine pœnitentiæ ad desperationem esset adactus, se ipse laqueo non suffocasset. Huius rei innumera edita sunt exempla. *Ad desperationem adducit impios.*

12 Postremò, quid facit aliud impiorum pœnitentia, quàm quòd adhuc in carne uiuentibus gustum præbet æterni supplicij, quod post hanc sunt uitam passuri? Vt rectè illam futurarum pœnarum principium esse dixeris? Sic, puto, paucis delineauimus, quæ sit tam in reprobis, quàm electis, pœnitentiæ uis & efficacia. *Gustũ præbet impijs æterni supplicij.*

V. QVAE SIT POENITENTIÆ necessitas.

QVemadmodum suprà de necessitate fidei loquentes, ex quo illa sit necessariorum genere ostendimus, ita faciendum est & hoc loco. Necessitas alia est coactionis, alia naturalis consequentiæ, alia conditionis. Pœnitentiam necessariam dicimus neq; coactionis, neque naturalis consequentiæ, sed conditionis necessitate: qua fidem quoq; necessariam esse diximus. Nemo cogitur inuitus ut resipiscat, nemo naturali consequentia necessatiò ad resipiscendum perducitur (aliàs communiter resipiscerent omnes) sed conditionaliter necessaria est pœnitentia, quod paucis explicari posse putamus. *Qua necessitate necessaria sit pœnitentia.*

1 Primùm, sic natura nos corruptos esse constat, ut nemo sit qui in carne hac ueneno peccati infecta sine peccatis uiuere possit, ne illi quidem qui singulari instinctu Dei iustitiæ studẽt, & in lege dei meditãtur noctes ac dies. Vnde illud est: Nemo est qui faciat bonũ, & nõ peccet, Eccles. 7. & 1. Reg. 8. nedum qui prorsus sunt carnales, & à sensu Dei alieni. Propter hanc igitur naturæ nostrę corruptionem necessaria nobis est pœnitentia, per quam delicta nostra corrigamus. Est enim illa malefactorum emendatio, & reditus ad innocẽtiam: quemadmodum ei qui scribit, utut diligenter scribat, necessarium est, ut relegendo quæ scripsit, errata cognoscat & emendet. Cum ergo necessitas ista communiter omnibus ad uitæ nostræ emendationem incumbat, consequitur pœnitentiam communiter omnibus esse necessariam. *Propter naturæ nostræ corruptionem.* *Simile.*

2 Deinde, quoniam sine clementia Dei saluari potest nemo, etiam hanc ob causam necessaria nobis est pœnitentia. Est enim illa sic comparata, ut non sit ad eam accessus nisi pœnitentibus: hoc est, ut peccata non remittantur illis, quos peccasse non pœnitet. Sine peccatorũ aũt remissione nec recõciliatio cum Deo, nec salus ulli potest mortalium cõtingere. Nemo enim est, qui iustitiæ Dei, soluendo quod debet, satisfacere queat. Quare etiam hoc nomine omnino nobis saluari cupientibus, necessaria est pœnitentia. Hinc toties ad pœnitẽtiam in scripturis uocamur. Conuertimini ad me, inquit, & salui eritis. Item: Si conuersus fuerit impius à uia sua mala. Et: Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Item: Resipiscite & credite Euãgelio. Et: Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiã. Quàm magna est aũt hęc gratia, qua resipiscentibus per clementiã Dei ignoscitur, & pœnitentia illorũ pro innocẽtia reputatur: tã est æqua ista cõditio, qua nõ nisi pœnitẽtibus peccata remittũtur. Nemo tã est mote mẽtis, & ab æquitatis sensu alien⁹, ut indignã rẽ putet, si resipiscere nolentib. remissiõis gratiã negari uideat. Vt enim omnibus durũ & inhumanũ, pœnitenti & misericordiã oranti nolle ignoscere: sic cõtrà omnibus ęquissimũ esse uidetur, ut remissiõis gratiã sub cõditione pœnitentiæ ac resipiscẽtiæ oblatã respuentibus haud ignoscatur, sed merita supplicia inferãtur. *Propter necessitatem clementiæ Dei.*

Quæsierit forsan aliquis, sint ne certæ quædam rationes, propter quas non conueniat, ut à Deo recipiantur in gratiam nec pœnitẽtes, nec ueniam & misericordiam orantes, quantũuis miserationes eius omnia ipsius opera excellant, & solem suũ producat super bonos & malos, pluatq; *Quib. rationibus non sint in gratiã recipiẽdi impœnitẽtes*

pluratq; super gratos & ingratos, ac benefaciat modis innumeris non modò nescientibus, sed & inuitis. Quamuis communi omnium sensu æquissimum sit, ut non pœnitentibus nõ ignoscatur: tamen sunt præter hanc æquitatem aliæ quoq; rationes, propter quas fieri nequit, nec conuenit, ut impœnitentibus, & gratiam clementiæ Dei contemnentibus peccata remittantur. De illis in præsenti eas recensebo, quæ & manifestæ sunt & indubitatæ.

Ne iustitiæ dei nimium derogetur.

1 Prima est, ne nimium iustitiæ Dei derogetur. Misericors est Deus, sed simul & iustum esse conuenit. Iustitia illius ferre non potest, ut gratiæ contemptoribus ignoscatur. Iustus iudex esse non poterit, nisi pœnas sumat de impœnitentibus. Quare satis loci est gratiæ, si non extinguat in uniuersum iusti iudicis iustitiam: quod faceret omnino, si etiam impœnitentibus peccata remitterentur. Etenim nemo præterea relinqueretur, in quem iusti iudicij posset exerceri iustitia: atque ita sublata & inania essent omnia, quæ de iustitia Dei tanquam iusti iudicis in scripturis leguntur.

Ne gratia Dei contemnatur.

2 Deinde, & ipsa gratia Dei, si ex æquo tam impœnitentibus, quàm pœnitentibus parata esset & exposita, prorsus cõtemneretur, nec ullum uel utilitatis, uel necessitatis sensum in cordibus [illegible]ium retineret. Quis enim salutem suam gratię Dei acceptam ferret, aut seriò expeter[illegible] impœnitentibus, & gratiam contemnentibus, salutem contingere constaret? Sic post iustitiam Dei ipsa etiam illius gratia extincta iaceret. Oppositæ, inquit ille, iuxta se posita illucescunt. Si tollatur oppositum iusti iudicij Dei, quid aliud consequetur, quàm gratię & misericordiæ obscuratio? Non rectè dicetur clemens Rex & princeps, qui nec malos iusto iudicio punit, nec emendatis resipiscentiæ gratia parcit, sed cunctos ex æquo ferri sinit. Ea demũ uera clementia est, quæ sic impenditur resipiscentibus, ut simul iusto iudicio animaduertatur in reprobos & impœnitentes. Hanc iustitia illustrẽ, & ipsa uicissim iustitiã spectabilẽ reddit.

Ne omnes ualuæ peccatis aperiantur.

3 Tertia ratio est, ne omnes ualuæ peccatis aperiantur. Etenim si & impœnitentes saluarentur, nullus timori Dei esset locus. Ablato autem timore Dei, summa regnaret peccandi tam securitas quàm temeritas. Hoc respectu Apostolus iram iusti iudicij Dei minatur impœnitentibus dicens: Ignoras quòd te benignitas Dei ad pœnitentiam adducit? Secundum duritiã autem tuam, & impœnitens cor, coaceruas tibi iram in diem irę & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet unicuiq; secundum opera sua, Rom. 2.

Ne indiscriminatim omnes saluentur.

4 Quartò, si gratia Dei impœnitentibus quoq; perinde atq; pœnitentibus esset exposita, ne cessariò consequeretur, saluandos fore indiscriminatim & ex æquo omnes, non homines modò, sed & dæmones: atque ita sublatum esset uniuersum illud diuinæ electionis ac reprobationis discrimen, de quo, loco præcedenti diximus: ac simul omnis ueræ pietatis & iustitię ratio ex animis mortalium prorsus auferretur. Hisce rationibus, quas manifestas esse iudico, satis patet, quàm nec iustitiæ ne gratiæ Dei conueniat, ut peccata non pœnitentibus tantùm, sed & impœnitentibus, ac ueniam non petentibus remittantur.

DE IVSTIFICATIONE.

CELEBRIS est hic locus, ac multorum scriptis nostro hoc seculo diligẽter illustratus. Quare haud necessarium fore putamus, ut operosiorem de illo tractatũ instituamus. Quamuis enim impugnetur sana hæc iustificationis doctrina ab omnis generis sectarijs, pręsertim illis qui doctores sunt meritorum & operum humanorum: tam est tamen solidis & inuictis sacræ scripturæ fulcris stabilita, ut ne à portis inferorum quidem conuelli queat. Nec immeritò. Omnis enim nostra salus, & omnis conscientiarum nostrarum tranquillitas à iustificatione hac, quam per Christum habemus, dependet. Quapropter consultissimè in huius illustrationem & confirmationem pij ac docti uiri omnes suos neruos intenderunt: quorum laboribus meas quoq; cogitationes, tanquam modicas stillulas largissimis illorum fluentis adijciam.

I. IVSTIFICARE QVID SIT.

Quid Latinis & scolasticis.

LAtinis auribus iustificare idem est quod iustum facere: quemadmodum magnificare, facere magnum: sanctificare, facere sanctum. Et hic uocis istius sensus placuit scholasticis Theologis, quem etiamnum sectatores illorum mordicus retinent. Augustinus quoque locis aliquot constanter uerbum iustificandi exponit hoc sensu, cum dicit, Credẽs in eum qui

Quid Paulo.

iustificat impium: id est, ex impio pium facit. Verùm apostolus Paulus, ex cuius potissimũ scriptis doctrina hæc iustificationis desumpta est, usus est uerbo iustificandi non eo sensu qui Latinis auribus probetur, sed quo utitur illo sacra scriptura secundum morem linguæ sanctæ, in qua fuit & natus & educatus, & à pueris institutus. Huic uerbũ חצשריק, id est iustificare, idẽ est quod à culpa absoluere, & iustum pronunciare. cuius oppositum est חרשיע, id est, improbitatis & impietatis aliquem damnare. Nec puto fieri posse, ut uerbum hoc iustificare, in omni

sacræ

ſacræ linguæ ſcriptura idem eſſe inuenias, quod, ex iniuſto aliquem reddere & facere iuſtum. quem ſenſum ſi locis ſcripturæ tribuere uelis, in quibus hoc uerbum uſurpatur, partim erit impoſsibilis, partim abſurdus, & à uero alienus. Sed percurram ſcripturæ loca quàm poſſum diligenter & fideliter.

Geneſis 44. uer. 16. cum ſcyphus Ioſeph in ſacco Biniamin eſſet inuentus, nec haberêt fratres eius, quo innocentiam illius comprobarent ac tuerentur, dicebat ad Ioſephum Iudas: Quid loquemur domino meo? quid dicemus? ורבח נצטדק, & quo iuſtificabimur? Deus inuenit iniquitatem ſeruorum tuorum. Quibus uerbis nihil dicit aliud, quàm, non eſt quo nos innocentes eſſe declaremus, quo à reatu furti abſoluamur. Eſt enim manifeſtatum iudicio Dei, qui ſumus, negare non poſſumus, &c.

Exodi 23. uer. 7. Innocentem, inquit, & iuſtum ne occidas, כי לאאצדיק רשע, id eſt, Quia nõ iuſtificabo impium. Hoc eſt, non abſoluam à culpa impium, nõ erit mihi innocens. Deut. 25. uerſu primo: Cum fuerit lis, inquit, inter uiros, & acceſſerint illi ad iudicium & ad iudices, וצדיקו את הצדיק והרשיעו את הרשע, id eſt, iuſtificate iuſtum, & improbificate (ut ſic dicam) improbum & impium. Quid dicit aliud, quàm, abſoluite iuſtum, & condemnate impium? Secundo Samuelis cap. 15. uerſ. 4. dicebat Abshalom: Quis ponat me iudicem in terra, & ad me ueniat omnis uir, cui ſit cauſa & iudicium, ואצדקהיו, id eſt, ut iuſtificem eum. Hoc eſt, ut abſoluam eum, & pronunciem eum eſſe iuſtum. In primo Regum cap. 8. uerſu 32. ſic inter cætera orat ad Dominum Shlomoh: Cum peccauerit uir in proximum ſuum, & exegerit ab eo iuramentum, ut faciat iurare eum, & uenerit iuramentum ante altare tuum in domo hac, tu exaudias in cœlo, & facias & iudices ſeruos tuos לחרשיע רשע לתת דרכו בראשו ולחצדיק צדיק לתת לו כצדקתו, id eſt, ut condemnes impium, dando uiam eius in caput eius: & iuſtifices iuſtum, dando illi ſecundum iuſtitiam eius. Hoc eſt, ut merita ultione declares impium eſſe ſontem, & iuſtum liberando eum manifeſtes eſſe iuſtum & innocentem. Iob 27. uerſu quinto ſic dicit, חלילה לי אם אצדיק אתכם, id eſt, Abſit à me, ut uos iuſtificem. Hoc eſt, iuſtos pronunciem, pro iuſtis habeã. Pſalm. 51. uer. 6. Tibi, ſoli tibi peccaui, & malũ coram te feci, inquit Dauid, למען תצדק בדברך, id eſt, propterea iuſtificaberis in uerbis tuis: hoc eſt, pro iuſto declaraberis. Pſal. 82. uer. 3. עני ורש הצדיקו, id eſt, afflictũ & pauperẽ iuſtificate. Loquitur iudicibus, hortaturq; eos, ut iuſto iudicio abſoluant & liberent pauperes & oppreſſos. Pſal. 143. uer. 2. Ne intres, inquit, in iudiciũ cum ſeruo tuo, כי לאיצדק לפניך כל חי, id eſt, Quia non iuſtificabitur coram te omnis uiuens. Hoc eſt, nemo habebitur coram te iuſtus & innocens, ſed damnabiles erunt omnes, ſi iudicio iuſto de illis pronũciare uolueris. Prouerb. 17. uerſ. 15. dicit Shlomoh, מצדיק רשע ומרשיע צדיק, id eſt, Qui iuſtificat impium, & condemnat iuſtũ, abominatio coram Deo ſunt ambo. Nemo abominabilis eſſet coram Deo, ſi ex impio faceret iuſtũ: nec qui talis eſſet, facilè ex iuſto faceret impium. Verùm qui impium pronunciat eſſe iuſtũ, & iuſtum condemnat quaſi ſit iniuſtus, is demum meritò eſt abominabilis. Eſa. 5. uerſ. 23. de reprobis & iniquis iudicibus ſic legitur, מצדיקי רשע עקב שחד, id eſt, Qui iuſtificant impium pro munere. Et cap. 43. uerſ. 9. Dent teſtes ſuos, inquit Dominus, וייצדקו, id eſt, & iuſtificentur. Et eodem, ספר אתה למען תצדק, id eſt, Narra tu ut iuſtificeris. Hoc eſt, ſi ſe putant eſſe iuſtos, adferant teſtes, quibus comprobẽtur eſſe iuſti. Item: Si quid habes quod pro te faciat, expone quo iuſtũ te eſſe comprobes, & iuſtus eſſe pronuncieris. Et cap. 45. uer. 25. dicit, ביהוה יצדקו וי, id eſt, In Domino iuſtificabuntur, & gloriabuntur omne ſemen Iſrael. Hoc eſt, Id illis pro iuſtitia reputabitur, quod Domini ſunt, illiq; fide adhærent, & hoc ſe nomine felices reputabũt. Hoc eſt quod dicit, Et gloriabuntur. Sicut impij & condemnantur & confunduntur, ita fideles in Domino & iuſtificantur, & de gratia illius gloriantur. Et cap. 50. uerſu 8. קרוב מצדיקי, id eſt, Propè eſt qui iuſtificat me, quis contendet mecum. Hoc eſt, non deeſt mihi iuſtus iudex, qui cauſam meam tueatur, ac pro me pronunciet. Et capite 53. uerſu 14. ſic de Chriſto legimus, בדעתו יצדיק צדיק עבדי לרבים, id eſt, In ſcientia ſui iuſtificabit iuſtus ſeruus meus multos. Sciẽtiam Chriſti uocat, qua cognoſcitur à nobis fide, qua Petrus dicebat: Et nos credidimus & cognouimus, quòd tu ſis Chriſtus filius Dei. Per hanc iuſtificat nos Chriſtus. Quomodo? Quia, inquit, iniquitates eorum ipſe portabit. quibus uerbis rationem iuſtificationis huius exprimit. Ezech. 16. uerſu 49. Et Samaria, inquit, ſecundum dimidium peccatorum tuorum non peccauit, & multiplicaſti abominationes tuas præ illis, ותצדקי את אחיותך, id eſt, iuſtificaſti ſorores tuas, in omnibus abominationibus tuis quas feciſti. Hoc eſt, quoniam atrociora admiſiſti, declaraſti, ſorores tuas ad te collatas, pro iuſtis eſſe habendas. Loquitur de iuſtificatione, quæ fit comparatione deteriorum.

Reſtat unus locus Danielis 12. ubi ſic legimus: Et qui ad intelligentiam inſtituunt, ſplendeſcent ſicut ſplendor firmamenti, & qui מצדיקי, id eſt, iuſtificant multos, ſicut ſtellæ in ſeculũ & in perpetuum. Vbi uerbum iuſtificandi poſitum eſt neq; pro facere iuſtum, neq; pro abſoluere ab omni culpa, quod utrunq; ſolius eſt Dei. ſed pro inſtituere ad iuſtitiam, quod faciunt in Eccleſia miniſtri uerbi.

Hæc de locis ueteris Teſtamenti, in quibus abundè patet, nõ eſſe uſpiam uerbũ iuſtificãdi

eo sensu positum, quem illi tribuunt homines sacræ linguæ ignari, quibus iustificare nihil est aliud quàm ex iniusto & impio facere iustum, sed ubique usurpari pro absoluere à culpa, pronunciareque uel declarare iustum. Iam quamuis abundè sufficiens sit ueteris Testamenti prę iudicium ad hunc sensum comprobandum, transeamus tamen ad Noui scripturas, & illas quoque inspiciamus.

Matth. 11. dicit Seruator: Et iustificata est sapientia à filijs suis. Lucas addit, Omnibus. Licet hunc locum aliter atque aliter exponant, manifestum tamen est loquutum esse Christum nec Græcè nec Latinè, sed Ebraicè inter Ebræos, lingua sancta, & sensu consueto. quare cum sapientiam Dei à filijs suis omnibus iustificatam esse dixit, nihil aliud dixit, quàm, nihil illam omisisse erga filios suos, populum uidelicet regni, quē instar filiorum educauerat, quod ad salutē illorum facere posset, adeoque liberam illam esse ab omni perditionis ipsorum culpa. Et sic Chrysostomus quoque exponit. Esset autem prorsus absurdum, si exponas, sapientia iustificata est à filijs suis: hoc est, ex iniusta beneficio filiorū mutata est in iustam & innocentē. Matth. 12. Ex uerbis tuis, inquit Dominus, iustificaberis, uel ex uerbis tuis condemnaberis. Hoc est, Ex uerbis tuis uel iustus declaraberis, uel iniustitiæ condemnaberis. Verba non reddunt, sed declarant iustum uel iniustum. Lucæ 7. Et omnis populus, inquit, audiens, & publicani, iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. Ergone publicani, ipsi iniusti, hominem aliquem, nedum Deum, ex iniusto iustum facere possunt? Absit hæc absurditas. Iustificauerunt Deum, hoc est, agnouerunt & approbarunt iustitiam Dei, cum à Ioanne baptizarentur, quam pharisæi baptismum illius respuentes contemnebant. Et cap. 10. Ille, inquit, uolens iustificare seipsum. & cap. 16. Vos estis, inquit, iustificantes uosmetipsos coram hominibus. Seipsum iustificare, hypocritarum est, & nihil aliud quàm iustitiam simulare. Et cap. 18. Et publicanus procul stans, nec oculos uolebat ad cœlum attollere, sed percutiebat pectus suū, dicens: deus propitius esto mihi peccatori. Dico uobis, descendit hic iustificatus in domum suam magis q̄ ille. Vocat hunc iustificatum, id est, impetrata clementia dei à peccatis absolutum, propter confessionis humilitatem ac fidem, qua peccatorum suorum remissionem impetrauit, quemadmodum & Lyranus exponit. Actor. 13. sic legimus dicentem Paulum: Notum igitur sit uobis uiri fratres, quòd per hunc uobis remissio peccatorum annunciatur, & omnium eorum à quibus non potuistis per legem Mosis iustificari, per hūc omnis qui credit, iustificatur. Et hic satis patet, iustificari idem esse quòd à peccatis absolui: quod fit per remissionē peccatorum, quæ sub nomine Christi prædicatur. Cum enim dixisset, Quòd per hūc uobis annunciatur remissio peccatorum, & subiungendum esset, Et ab omnibus quorum uobis remissio per legē Mosi contingere non potuit: sensum hunc sic expressit, Et ab omnibus à quibus nō potuistis per legem Mosis iustificari, per hunc omnis qui credit, iustificatur. Iustificari igitur à peccatis, est à peccatis per gratiam remissionis absolui, & ab illorum reatu liberari. Rom. 2. Non enim qui audiunt legem, iusti sunt apud Deum: sed qui legem factis exprimūt, iustificabuntur: hoc est, pro iustis habebuntur, iusti pronunciabuntur. Erasmus uertit, Iusti habebuntur. Rom. 3. Vt iustificeris, inquit, in sermonibus tuis. De hoc suprà ex Psal. 51. Ibidem: Ex operibus legis, inquit, non iustificabitur omnis caro in conspectu eius. Id est, non habebitur iusta. Et, Iustificantur gratis per illius gratiam, inquit: hoc est, gratis à peccatis absoluuntur. Iustus nō iustificatur gratis & per gratiam, sed iustitiæ suæ merito. Quare necesse est ut intelligatur de iustificatione, qua peccator per gratiam à peccatis absoluitur. Concordant sequentia. Item: Arbitramur igitur fide iustificari hominem, inquit, absq; operibus legis. Et: Quandoquidem unus Deus, qui iustificābit circuncisionem ex fide, &c. nihil aliud dicit, quàm, per fidem cōtingere absolutionem à peccatis, quæ per legem contingere non potest. Eodem sensu constanter utitur hoc uerbo & in sequentibus. Vt cap. 4. Credenti in eum qui iustificat impium. & cap. 5. Iustificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum. Et, Multo igitur magis iustificati nunc in sanguine eius. In sanguine Christi iustificari quid aliud est, quàm merito sanguinis Christi à peccatis absolui? Et Rom. 6. Qui mortuus est, iustificatus est à peccato. Hoc est, liberatus & absolutus est à peccati imperio, ne huic amplius ad seruiēdum sit obstrictus. Et cap. 8. Quos uocauit, eos, inquit, & iustificauit. Simpliciter quidem utitur hic iustificādi uerbo: uerùm probabilius est, ut intelligamus eo sensu, quo usus est illo in tota præcedenti disputatione, quàm diuerso. Et cap. eodem: Deus est qui iustificat, inquit, quis est ille qui condemnet? Ipsa iustificationis & condemnationis antithesis satis euincit, quod dicit, Deus est qui iustificat: idem esse quod, Deus est qui à peccatis absoluit, & iustos pronunciat. Et 1. Cor. 4. Nullius, inquit, mihi conscius sum, sed non per hoc iustificatus sum. Hoc est, non ideo iustus habeor, quòd nullius mihi sum conscius. Iustitia mea non constat propria innocentia, sed gratia Dei per Christum. Et cap. 6. Atque hęc fuistis quidem, uerùm abluti estis, uerum sanctificati estis, uerùm iustificati estis per nomen Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri. Hęc omnia referēda sunt ad remissionem peccatorum, quam per nomen domini Iesu, & operationem spiritus sancti credentes fuerāt consequuti. Ob hanc gratiā dicit eos à præteritis peccatis ablutos, sanctificatos & iustificatos, quo caueant ne denuò ad illa recurrant, & acceptam gratiā inanem reddant. Quare

nihil

nihil aliud dicit, quàm, Ecce iam absoluti estis à pristinis peccatis, cauete in posterum ne tale quid admittatis amplius. Et ad Gal. cap. 2. Scientes, inquit, quòd non iustificatur homo ex operibus legis. Et cap. 3. Vt ex fide iustificemur. Item: Quoniam ex lege nemo iustificatur corã Deo. Et cap. 5. Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini. Nihil aliud contendit, quàm hoc ipsum quod ad Romanos copiosiore disputatione asseruit. quare eodẽ oportet sensu accipiamus hic quoq; iustificandi uerbũ, quo illic. Et 1. Tim. 3. de Christo dicit: Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu, &c. Hoc est, iustus declaratus, & comprobatus est testimonio spiritus. Et ille, inquit, testimonium perhibebit de me. Et ad Tit. 3. Secundum suam misericordiam, inquit, nos saluos fecit, &c. per Iesum Christum seruatorem nostrũ, ut iustificati illius gratia, hæredes efficeremur iuxta spem uitæ æternæ. Nec hic aliter iustificatos nos intelligit, quàm quo sensu ea de re in Romanis & Galatis disseruit, à peccatis uidelicet absolutos, & in gloriam filiorũ Dei acceptos. Et Iacob. 2. Abraham, inquit, pater noster, non ne ex factis iustificatus est, cum obtulisset filium suum super altare? Non dicit Abrahamũ per id operis iustum esse factum, cum fuerit antea iustus: sed, iustum declaratum & comprobatum.

Hactenus utriusq; testamenti locos recensuimus, & quasi in tabella quadam uisendos exposuimus, in quibus uerbum iustificandi usurpatur: quo uideat Lector, quàm non abs re suprà dixerim, non facilè inueniri in scripturis aliquem locum, in quo iustificare idem sit, quod ex iniusto facere ac reddere iustũ, nisi quis eam loquutionem eo sensu accipiat, quo Germanicè dicimus, *Er hat ihn mussen frumm machen*: de eo qui quod malè de quopiam loquutus est, in iudicio recantare, deq; illo testificari ac fateri cogitur, quod per iniuriam malè de illo sit loquutus, nec sciat quicquam de eo quod uirum probum dedeceat. At hoc sensu, *frumm machen*, iustificare, nihil est aliud, quàm iustum pronunciare ac testari. Quare sentimus in hac iustificationis nostri causa, non esse alium recipiendum uerbi istius sensum, quàm eum qui totius scripturę deprehenditur, & quo Apostolus illo in hac ipsa est causa tam multis locis usus: ut idem sit, iustificari hominem coram Deo, quod, à peccatis per gratuitam remissionem absolui, ac pro iusto haberi. Et hæc eo fusius annotauimus, quo constet nobis certa uocis huius significatio, sine qua multum in Ecclesia contendimus, & parum ædificamus. Agnouit eam & Bernardus de Annunciat. Mariæ, Sermone primo, sic dicens: Adde adhuc, ut credas quòd per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet in corde nostro spiritus sanctus, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem. Hæc ille.

II. QVIS SIT QVI NOS IVSTIFICET.

IN re manifesta non erat laborandum, nisi instigante satana surrexissent in Ecclesia seducto res, dicentes, Nos sanctificamus, nos iustificamus: quorũ seductionẽ ab Augustino quoq; reprehensam legimus, cuius hæc sunt uerba tract. 1. in 1. epist. Ioannis: Fratres, Iesum Christum iustum habemus aduocatum apud patrem, ipse propitiatio est peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, hæresim nõ fecit: hoc qui tenuit, schisma nõ fecit. Vnde enim facta sunt schismata? Cum dicunt homines, nos iusti sumus: cũ dicunt homines, nos sanctificamus immundos, nos iustificamus impios, nos petimus, nos impetramus. Ioannes autem quid dixit? Et si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christũ iustũ, &c. Hęc ille. quibus nihilo rectius perstrinxit Donatistas, quàm hodie, si in uiuis esset, perstringeret eos qui sibi ipsi tantopere omnẽ in ecclesia potestatẽ sanctificandi & iustificãdi homines uindicãt, & alijs quoq; turpi quęstu uendunt. Verũ relictis illis, quibus imminet iudicium omnium grauissimum, uertamus nos ad eũ qui solus potestatẽ habet, ut peccata remittendi, ita & iustificãdi, & quos iustificat, saluãdi. Quòd Deus aũt solus peccata remittat, Esa. 43. patet, ubi dicit: Ego, ego sum, qui deleo iniquitates tuas. Quod iustificet, testatur Apostolus dicẽs, Credẽti aũt in eũ q iustificat impiũ, reputatur fides eius ad iustitiã. Is Deꝰ est, in quẽ solũ credimus. Et: Deꝰ est qui iustificat, quis ille est qui condẽnet? Sacrilegi & impij sunt, qui gloriã hãc soli Deo cõpetẽtẽ potestati suę uindicãt. Nemo Apostolus hoc facit, sed ei seruiũt omnes sinceri ministri euangelizando & pœnitentiam prædicando, qui solus peccata remittit, & impios iustificat.

Augustinus.

Deus iustificat

Rom. 4.
Rom. 8.

Tribuitur aũt gratia iustificationis huius etiam Christo, cui pater potestatẽ dedit in terra peccata remittẽdi. Esai. 53. sic legimus: In scientia sui iustificabit seruus meus multos. Et Act. 13. Notum sit uobis uiri fratres, quòd per hunc uobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, àquibus nõ potuistis per legem Mosis iustificari, per hunc omnis qui credit, iustificatur. Loquitur autẽ de Christo, quẽ Deus suscitauit à mortuis. Cauendum uerò est, ne opus hoc iustificationis referamus uel ad diuinam illius, uel ad humanam naturã solam, sed ad integrum ac totum Christum, dicamusq;, Christus Dominus est iusticia nostra. Contendunt nonnulli, iustificationis gratiam ad solam esse diuinitatem Christi referendam. Meo iudicio, quàm periculose quod solius Dei est, soli datur homini, tã periculose ab opere iustificationis, redemptionis & salutis nostræ dispensatio uerbi incarnati in carne perfecta excluditur.

Christus iustificat.

8. Trias iustificat. In priore ad Cor. cap. 6. datur opus hoc iustificandi Trinæ maiestati Dei, cum illic dicit Apostolus: Atq; hæc eratis quidem, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis per nomen Domini Iesu, & per spiritũ Dei nostri. Sic iustificat nos Deus pater in filio suo Domino nostro Iesu Christo, per spiritũ suum sanctum, cuius ablutionis, sanctificationis, & iustificationis sacramentum est Baptismus, quo in nomen patris, & filij, & spiritus sancti secundum diuinam institutionem baptizamur.

III. QVMODO IVSTIFICET NOS DEVS.

Remissiõe peccatorum iustificamur. PRiori articulo de uerbo iustificandi diximus, iustificari in hac causa secundũ sensum scripturæ sacræ idem esse, quod per gratiam à peccatis absolui, & pro iusto haberi. Ergo sic nos iustificat Deus, ut remittat nobis peccata, tegat illa, nec imputet amplius, sed imputet magis iustitiam, nõ nostram, quæ nulla est: sed quæ est ipsius filij, Domini nostri Iesu Christi, & hac nos imputatione iustitiæ saluos reddat & beatos. Sic Apostolus iustificationẽ hanc Romanis quarto exponit, ne quid de nostro adferre uideamur. Quemadmodum & Dauid, inquit, explicat beatificationem hominis, cui Deus imputat iusticiam absq; operibus, dicens: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata: Beatus uir, cui non imputat Dominus peccatũ. Satis patet, iustificationem, quę per gratiã absq; operibus imputatur, esse remissionem peccatorum, & facere ad salutem. Cum enim dicendum esset, Beati quos Deus iustificat absq; operibus, dicit: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus uir cui non imputat Dominus peccatum.

Quomodo hoc iustificationis genus Deo iusto iudici conueniat. Sed quæritur hoc loco, quomodo conueniat Deo, qui iudex est omniũ iustissimus, ut iustificet, id est, pro iustis habeat, & iustos pronũciet eos, qui iusti non sunt, sed impij potius, iniusti & peccatores, cum pro iustitia sua magis condemnet tales, & iustificet iustos, quod & Salomon ab eo petit, dicens, Vt cõdemnes impium, dando uiam eius in caput eius: & iustifices iustum, dando illi secundum iustitiam eius, 1. Reg. 8. & pronunciet eos esse abominationẽ coram Domino, qui iustificant impium, & condemnant iustum. Prouerb. 17. imò præcipiat iudicibus, ut iustificent iustum, & condemnent impium, Deut. 25. quin palàm etiam testetur de seipso dicens, Innocentem & iustum ne occidas, quia non iustificabo impium. Exod. 23. Si iustus iudex est, & iustificat non impium, sed iustum, impium uerò condemnat, & id iustitię præcipit iudicibus, abominaturq; eos qui iustificant impium: quomodo cõuenit, ut hoc ei iustificandi genus demus, quod cum iniquitate & falso coniunctum est, ideoq; iusto iudici competere non potest, quo uidelicet iustificet iniustos, peccatores & impios, habeat pro iustis qui sunt iniusti, & manent improbi, perinde atq; iniqui iudices pro muneribus iustificant facinorosos, & in causa iniusta iustos pronunciant & absoluunt?

Hac cogitatione moueri uidentur omnes illi, qui doctrinam hanc Apostoli de imputatione iustitię uel totam condemnant, uel sinistra interpretatione eneruant: quia nec illam ritè intelligunt, nec Apostolo de illa palàm differenti iudicia sua debita cum reuerentia submittũt.

Et iustus est Deus & misericors, idq; libera potestate, quam habet in omnia. Nos uerò ad hanc obiectionem facilè respondemus. Si Deus tantum iustus est iudex, & non simul misericors: uel, si sic iustus est, ut sine detrimentõ iustitiæ suæ misericors esse nequeat: si sic, inquam, iudiciarię iustitię obstrictus est, ut non liceat ipsi quorum uult misereri, & à peccatis absoluere reos, quod tamen permultos sibi principes & magistratus liberè permittere uidemus, consequitur, inania esse quæcunq; in S. scripturis de gratia & misericordia Dei leguntur, nec tantum illi potestatis esse in ipsius creaturas, quantũ est homini in suos subditos, imò minus quàm est figulo in suum lutum. qua re quid potest magis impium cogitari? Si uerò sic iustus est Deus, ut simul sit & misericors, sicq; punit fontes, ut simul quorum uult, liberè ac licitè misereatur, peccatoresq; à peccatis absoluat, nec queat ob eiusmodi misericordiam

Duplex thronus Dei. gloria & encomio iustitię priuari, quid aliud consequitur, q̃ duplicẽ illi esse thronũ: iudicij unũ, gratię alterũ. & ad thronum iudicij pertinere, quando iustificat iustum, & condemnat impium: ad alterum uerò, qui gratiæ est, referendum esse, quando impium nõ condemnat, quod iustè facere poterat, sed misericorditer à reatu peccatorum absoluit & iustificat?

Separãt remissionem peccatorum à iustificatione. Sed inquiunt, Scimus Deum esse non solum iustum, sed & misericordem, ac licere illi fatemur, libera clementia sua remittere peccata, quibus uoluerit, & absoluere à reatu illorum & condemnatione quos uoluerit: uerum hoc nequaquam sic facit, ut eum quem scit esse impiũ, pro iusto habeat, & iustum esse pronunciet, imputetq; illi iustitiam, cum ab omni sit iustitia alienus. Quare misericordiã illius, & peccatorum remissionem non agnoscimus esse iustificationem, sed à iustificatione separamus, qua nõ imputatione, sed uerè & efficaciter ac sic iusti reddimur, ut iam non iniustitiæ, sicut antea, sed iustitiæ uiuamus, & quod iustũ est faciamus, atq; ita uerè iusti simus, iuxta illud: Filioli, nemo uos seducat. Qui facit iusticiã, iustus est, sicut & ille iustus est, 1. Ioan. 3. Opera Dei uera sunt, & efficacia. Si quẽ iustificat, uerè sit iustus oportet. Et hæc iustificatio, qua nos ex iniustis iustos facit, tribuitur illi cum gloria: ea uerò cum ignominia, qua pro iustis habere dicitur eos qui adhuc sunt iniusti & impij.

Respon-

Reſpondeo: Apoſtolus, doctor gratiæ Dei, & iuſtitiæ gratis imputatæ, non ſic inſaniebat, ut Deum diceret impiũ habere pro iuſto, uel per errorem & ignorantiam, quaſi neſciat eum eſſe impiũ: uel per incuriam, qua ſuſq; deq; faciat quid quiſq; uiuat: uel per iniquitatem, qua approbet illius iniuſtitiam, quemadmodum in hoc ſeculo fieri uidemus, dum iudices aut errantes, aut iniqui, aut negligentes abſoluunt impium, & condemnant iuſtum. Abſit hæc cogitatio à mentibus piorum. Cognoſcit Deus omnes, diligit iuſtos, & odit operantes iniquitatem. Verùm ut plenitudinem gratiæ illius extollat, remiſſionem peccatorum uocat iuſtificationem, qua iuſtitiã gratis imputet reſipiſcentibus, & in ſe credentes perinde nõ damnet, ſed ſaluet, ac ſi prorſus ſint innocẽtes ac iuſti. Hoc ſignificãs dixit, Deũ iuſtificare impiũ, idq; gratis: nec tacuit de circunſtãtijs iuſtificationis huius, quæ magnã illi lucẽ adferũt, nec ullas cõtẽdendi cauſas relinquũt hominib. non cõtentioſis, ſed ueritatẽ cum timore Dei quærentibus.

Miror uehementer, quare pleriq; fratres ab Apoſtolica hac loquutione abhorreant, qua iuſtificari dicuntur qui à peccatis & merita condemnatione per gratiam Dei liberãtur & abſoluuntur, cum ſit in ſcripturis uſitatiſsima. Si rectè dicitur iudex iuſtificare iuſtum, & הרשיע, id eſt impijficare, ut ſic dicam, impium, dum illum in iudicio abſoluit, iſtum condemnat, cum tamen nec iuſtum queat facere iuſtum, nec impium faciat impium: ac rurſus iuſtificare impiũ, & impijficare iuſtum, dum hunc in iudicio condemnat, & illum abſoluit, licet nec iuſtum reddat impium, nec impium iuſtum: quomodo non uident loquutionem hanc humano more transferri ad Deum, ac rectè illi dari, quòd iuſtificet eos quos à cõdemnatione, iuſto iudicio iuſtos, ſi quos reperit, per gratiam impios & peccatores abſoluit.

IIII. QVO RESPECTV IVSTIficemur à Deo.

QVi iuſti ſunt, ubi à reprobis accuſantur, declarata ipſorum iuſtitia abſoluuntur, atq; iuſtitiæ ipſorum reſpectu iuſtificantur, ſi iuſtus ſit iudex. Abſit ut ſecus de Deo ſentiamus. Iuſtificat & ille inſontes & iuſtos innocentiæ & iuſtitiæ ipſorum reſpectu, nec ullum condemnat iuſtum. Sed qui ſunt illi mortalium omnium, qui ſic iuſti ſint, ut in conſpectu illius propriæ queant iuſtitiæ reſpectu iuſtificari? Sic Dauid dicit: Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine. Quare? Quia, inquit, non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. intellige, reſpectu propriæ iuſtitiæ. Nihil reperit in nobis, quod noſtrum ſit, cuius nos poſsit iuſtificare reſpectu. *Iuſtificat deus & iuſtos. ſed illi ubi ſunt?*

Accidit in ſeculo plerunq;, ut qui reus eſt, propter merita præcedentia iuſtificetur & abſoluatur. Cenſentur enim qui benemeriti ſunt, digni eſſe quibus ignoſcatur. At ſecus habet in conſpectu Dei. Hic nulla merita iuſtificationem ſic præcedunt, ut illorum reſpectu iuſtificemur. Alioqui conſequeretur, iuſtificari nos nõ gratis & indignos, ſed meritò ac dignos: quod gratiæ Dei aduerſatur, quam, ut Auguſtinus ad Vitalem epiſt. 107. ſcribit, nulla humana merita præcedunt. Vileſceret etiam gratia redemptionis, quæ eſt per ſanguinem Chriſti, & gloria miſericordiæ Dei humanorum meritorum dignitati cedere cogeretur, atque ita iuſtificatio noſtri non eſſet donum clementiæ Dei, ſed merces operantis hominis. In ſumma, Chriſtus fruſtra eſſet mortuus. *Nec propter præcedentia merita.*

Videmus & hoc in ſeculo fieri, ut abſoluatur reus reſpectu ſatisfactionis, quam promittit, qua ſatis fiat & iudici, & ijs quos læſit. Nec hic reſpectus locũ habere poteſt in hac cauſa. Eſt enim impoſsibile nobis pro uno aliquo peccato, nedum omnibus noſtris iniquitatib. & trãſgreſsionibus ſatisfacere, quarum non eſt numerus. Aliàs ſic quoq; fruſtra mortuus eſſet pro nobis Chriſtus. *Nec propter futuram ſatisfactionẽ iuſtificamur.*

Cũ ergo nec proprię noſtrę iuſtitię, nec pręcedentiũ meritorũ, nec futurę noſtrę ſatisfactionis reſpectu iuſtificemur, ut conſtet iuſtificari nos gratis dono Dei, puto manifeſtũ eſſe, iuſtificari nos ſolo bonitatis, dilectionis, gratię & miſericordię illius reſpectu. Hinc ſunt illa Apoſtoli Rom. 3. Omnes peccauerũt ac deſtituũtur gloria Dei, iuſtificãtur aũt gratis per illius gratiam. Et ad Epheſ. 2. Sed Deus qui diues eſt in miſericordia propter multã dilectionem ſuam, qua dilexit nos, etiam cum eſſemus mortui per dilecta, uiuificauit nos, &c. Et Tit. 3. Secundũ ſuam, inquit, miſericordiã nos ſaluos fecit, &c. Vt iuſtificati illius gratia hęredes efficeremur uitę æternę. Quemadmodum igitur electionis, redemptionis, & uniuerſę ſalutis noſtrę, ita & iuſtificationis nulla poteſt alia dari cauſa, quàm diuinę bonitatis, dilectionis, miſericordię & gratię uoluntas, qua quos uoluit ante mundi conſtitutionem elegit: quos elegit, prędeſtinauit: quos prædeſtinauit, uocat, iuſtificat & glorificat. Quare conuenit, ut in hac cauſa cum primis gratiam & miſericordiam dei agnoſcamus, deprędicemus & glorificemus. *Iuſtificari nos ſolo gratiæ dei reſpectu.*

V. IN QVO IVSTIFICEMVR.

QVemadmodum ſuprà in loco de Electione quæſiuimus medium electionis noſtræ, ita quærendum eſt & hoc loco, quo medio iuſtificemur, Deoq; reconciliemur. Eſt autem

Duplex iustificationis medium.

duplex medium in hac causa. Vnum, in quo iustificamur: alterum, per quod iustificationis huius gratiam apprehendimus. Vtrunq; necessariũ est: neutrum enim sine altero iustificat. Medium in quo iustificamur, uerbum est incarnatum, Christus Dominus, unigenitus Dei, quẽ pater misit Redemptorem, mediatorem, reconciliatorem & seruatorem. Opus mediationis huius perfectum est in cruce, in qua sanguinem suum pro peccatis nostris satisfaciens agnus immaculatus effudit, & hanc nobis iustificationem ac reconciliationem impetrauit. Huc respicit Apostolus, cum dicit: Iustificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem quę est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorem per fidem in ipsius sanguine, &c. Rom. 3. Et cap. quinto: Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quòd cũ adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit: multo igitur magis iustificati nũc sanguine eius, seruabimur per eum ab ira. Et hanc ob causam dicit Christum factũ nobis esse â Deo sapientiam, iustitiam, sanctificationem ac redemptionem, 1. Cor. 1. De hoc medio iustificationis nulla est contentio inter eos qui sacris scripturis nituntur, & sincerè Christiani uideri uolunt. Immò uix reperitur Christianus, qui palàm neget iustificari ac reconciliari nos Deo in Christo mediatore ac redemptore: quamuis multi sint, qui quod ore fatentur in speciem, diuersis dogmatibus destruant.

Mediũ in quo iustificamur, Christus est.

An Christus iustificet ut aduocatus & intercessor.

Sunt qui iustificari nos in Christo propterea putãt, quòd aduocatus noster est & intercessor, impetrans nobis remissionẽ peccatorũ. Haud quidem neganda est intercessionis ipsius mediatio, qua aduocatus noster factus interpellat pro nobis, quod de illo memoratur 1. Ioan. 2. & Ebr. 7. ac pertinet ad munus sacerdotij illius. Verùm non in hoc tantũ iustificatio nostri consistit: sed in eo potissimum, quòd peccata nostra in se transtulit, proq; illis sustinẽdo mortem diuinæ iustitiæ satisfecit, ac nobis suam ipsius iustitiam communicat.

Iustificamur nõ partim per Christum, partim per nos.

Deinde sunt qui sic nos iustificari putãt in Christo, quòd partim ille, partim nos pro peccatis nostris satisfaciamus: quod quid est aliud, q̃ opus salutis nostrę non integrum Christo, sed dimidiatũ relinquere, ac gloriã quoq; illius infringere, quo caro habeat unde glorietur, cum tamen sacra scriptura omnem illi gloriationem in hac causa potissimum auferat? Pharisęus, quoniam gloriam Deo non dabat integram, & sibi cõfusionem, ad exemplum publicani, condemnationi mansit obnoxius. Quare ut plenæ redemptionis gloriã seruatori demus, non est opus iustificationis ac reconciliationis diuidendum, nec aliquid illius carni uindicandum.

Alterũ mediũ per quod iustificationem apprehendimus.

Transeamus nunc ad alterum iustificationis mediũ, quo gratiam iustificationis in Christo apprehendimus. Ipsam iustificationẽ non diuidimus, dum duo illius media cõstituimus, nec gloriam gratiæ Christi diminuimus. Integritas enim illius in opere est redemptionis, etiamsi nos illam non apprehendamus. Sed quod est alterũ hoc mediũ? Doctores meritorũ ponunt opera bona, uoluntq; per illa constare iustificationem coram Deo. At iustificari operibus, est mereri proprijs factis remissionem & absolutionẽ à peccatis, adeoq; & salutẽ. quæ sententia rationis quidem iudicio probatur, uerùm Apostolicæ & orthodoxę doctrinæ διὰ διὰ πάντων ad uersatur. Iustificant quidem opera, quatenus iustificare idem est quod iustũ declarare: perinde atq; canicies senem reddere dicitur, propterea quòd senectutis habet argumentũ, uerùm coram hominibus, nõ coram Deo, nec absolutionem à peccatis & liberationẽ à merita condemnatione apprehendunt, alioqui falsum esset quod Apostolus dicit: Iustificantur autẽ gratis per illius gratiam. Etenim operanti merces imputatur secundum debitum, non secundũ gratiam. Quare hominũ istorũ error crassior est, quàm ut eos fallat, qui uel modicè sacras scripturas inspexerunt. Nec conueniens est ei sensui, quo iustificare idem esse uolunt, quod iustũ facere. Opera siquidem non præcedunt iustificandũ, sed sequuntur iustificatũ, teste Augustino de Fide & operib. cap. 14. & opera ex gratia sunt, non ex operibus gratia, teste eodẽ epist. 106. Nos relictis illis audiamus Apostolũ, de medio hoc apprehẽsionis disertè pronunciantẽ.

Non iustificamur per opera.

Quomodo opera iustificẽt.

Rom. 4.

Iustificamur per fidem.

Rom. 3. Iustificantur, inquit, gratis per illius gratiã, per redemptionẽ quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorem PER FIDEM, in sanguine ipsius. Ibidem: Arbitramur igitur iustificari hominem FIDE, absq; operibus legis. Item: Quandoquidem unus Deus, qui iustificat circumcisionem EX FIDE, & præputium PER FIDEM. Et cap. 4. Ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iusticiã. Ibidem: Ex fide datur hæreditas, ut secundum gratiam firma sit promissio. Item: Non scriptũ est autem propter illum tantum imputatum fuisse illi: sed etiam propter nos, quibus imputatur credentibus in eum, qui excitauit Iesum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus fuit propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri. Et cap. 5. Iustificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum: per quem & contigit nobis, ut fide perduceremur in gratiam hanc in qua stamus Et Gal. 2. Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores, quoniam scimus non iustificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: & nos in Christum Iesum credidimus, ut iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Et cap. 3. Præuidens autem scriptura, quòd ex fide iustificet gentes Deus. Et Philip. 3. Vt reperiar in illo, non habens meam iustitiam ex lege, sed eam quæ per fidem est Christi, quæ ex Deo est iustitia super fide.

Exhis

Ex his & alijs consimilibus testimonijs manifestum est, alterum illud medium, quo iustificationis gratiam apprehendimus, esse nec opera, nec qualitatis alicuius nostræ dignitatẽ, sed fidem in Christum, cui etiam salus & uita æterna multis Euangelicæ doctrinæ testimonijs tribuitur: quæ quoniam passim sunt obuia, in præsenti non adducimus. Sunt autem intelligenda non de historica tantum fide, quamuis & illa ante omnia requiritur, sed de ea qua promissionibus Euangelij credentes totos nos firma cũ fiducia Christo seruatori ac redemptori addicimus. Propter hanc fidem, qua Christo coniungimur, à peccatis absoluimur, & à reatu illorum liberamur ac iustificamur, idque gratis per gratiam. Quare rectè docent, qui fidem hanc uocant fiduciam, promissionibus Euangelij innitentem. Nec rarò, imò frequentissimè in Scripturis hic uocis istius sensus occurrit, quo credere pro confidere, & fides pro fiducia ponitur: cuius testimonia adijcerem, nisi hoc ante me diligenter esset à doctissimo uiro Philippo Melanchthone in Locis posterioribus præstitum. Nec conuenit alius sensus huic prędicato, quo fides iustificare prædicatur. Est enim omnium manifestissimum, per historicam fidem non cõtingere iustificationem: alioqui iustificaretur & diabolus, qui & ipse credit, nec quicquam de historia Christi dubitat. Quare necesse est, ut intelligatur hoc prædicatum pertinere ad fiduciam, qua promissionibus Euangelij credẽtes, confidimus nos per sanguinem Christi redemptos esse, & Deo patri reconciliatos.

Fides iustificans, est fiducia in sanguinem Christi.

Qui ratione magis quàm uerbo Dei mouentur, quoniam propositum diuinæ uoluntatis non considerant, inquirunt in hanc fidem: & quia non satis dignam inueniunt, propter quam iustificetur homo peccator, Deoq; reconcilietur ac saluetur, alij aliud comminiscuntur, quod illi quasi pondus quoddam maioris meriti ac precij adijciant, cuius accessione cumulata coram Deo iustificationem hanc apprehendere possint. 1 Sic sunt, qui coniungant illi obedientiam & obseruantiam mandatorum Dei, & quæuis bona opera. 2 Rursus sunt, qui adijciant illi dilectionem Dei, & utriq; cõtendunt, non solam fidem iustificare, sed operibus & dilectioni Dei coniunctam. 3 Præterea cœperunt nonnulli iustificationem tribuere fidei, non quatenus remissionem & absolutionem à peccatis, sed quatenus Christum ipsum apprehendit, ut ille habitet in cordibus nostris, & essentiali nos iusticia sua innouet, & iustos reddat. 4 Adhunc sunt, qui sola quidem nos fide per remissionem peccatorum iustificari concedũt: uerùm restringunt illud ad principium conuersionis nostræ, quo primùm in Christum credere incipimus. De his ex ordine paucis uideamus.

Obiectiones aduersãtium.

Principiò, gratias ago Deo patri per Christum seruatorẽ, quòd fiduciam misericordiæ suæ quã in corda nostra libero dono effundit, alijs oculis intuetur, & pluris facit propter Christũ quàm uel ueteres, uel noui Scholastici. Commendata debebat hæc fides esse non proprię qualitatis, sed propositi Dei respectu, quo constituit illam credentibus in Christũ propter ipsum iusticię loco imputare. Nec adeò leuis momenti doctoribus istis esse debebat, qui hoc ipso quod dubitare nos docent de gratia Dei, satis produnt quàm non sit nostrarũ uirium, sed singulare donum Dei credere in Christum, & firma fiducia in illius gratia conquiescere.

Qui fidem in causa iustificationis non sufficere dicunt, ideoq; illi opera adijciunt, quibus adiuta iustificet, omnes eos sacræ Scripturę locos coaceruant, in quibus aliqua fit mentio operum, mercedis, retributionis & iudicij Dei, quo unicuiq; secũdum facta ipsius reddetur, quasi nos de fide inani & inefficaci loquamur, & opera bona reijciamus, dum secundum Apostolicæ doctrinę canonem, fidem absq; operibus & gratis iustificantem solam iustificare dicimus. Scimus fidem nihil minus esse quàm ociosam: de cuius efficacia suprà, ubi de illa separato loco diximus, pleraq; annotauimus. Scimus opera fidei accepta esse in conspectu Dei, & requiri à fidelibus & iustificatis, ut sint bonorum operum tanquam fructuum feraces: quemadmodum infrà seorsum annotabimus. Verùm hic est quæstio, an ad iustificationẽ ac reconciliationem cum Deo aliquid conferant opera. Dicunt illi, fides non sola, sed unà cum operibus iustificat. Quod perinde est, ac si dicas, Bonitas arboris non sola, sed unà cum fructibus fertilem facit arborem. Nos contrà: Solam fidem iustificare dicimus. Aliud est esse solam, & aliud iustificare solam. Solam, id est inefficacem, sine fructu bonorum operum, esse non dicimus. At quantumuis non sit sola, sola tamen iustificat: quocunque sensu iustificandi uerbum accipiant. Iustificat enim non quatenus efficax est per dilectionem, sed quatenus misericordiam Dei & absolutionem à peccatis & condemnatione apprehendit. Etiam quatenus corda innouat & purgat, hoc est iustos homines reddit, non adminiculo operum, sed sola iustificat, quo ipsi sensu uerbum iustificandi accipiunt. Nam sic quoque opera præcedit, quæ ex se gignit. Prius arbor bona fiat necesse est. Deinde sequuntur fructus, qui arborem non reddunt bonam: ex qua nisi bona esset, haud prouenirent, sed bonam esse declarant. Sic de fide quoq; & operibus sentire debemus. Quare admodum inconueniens est, quòd negant fidem solam, uel absq; operibus iustificare. Nec sine manifesta iniuria uocant hanc doctrinam nouam & hæreticam, cum & pleriq; ex patribus disertè sint hac loquutione usi.

De illis qui opera fidei adijciunt in causa iustificationis.

Simile.

Quomodo fides sola iustificet.

Ambrosius super epistolam ad Romanos, cap. 4. Iustificati sunt gratis, inquit, quia nihil operantes, neque uicem reddentes, SOLA fide iustificati sunt, dono Dei. Et ibidem: Credenti

Ambros. ius est uocem Sola:

denti autem in eum, &c. Si decretum dicit à Deo, ut cessante legè, solam fidem gratia Dei posceret ad salutem. Item: Hoc ipsum, inquit, munit exemplo Prophetæ. Beatitudinem hominis dicit, cui Deus acceptam fert iusticiã siue operibus. Beatos dicit, quibus hoc sanxit Deus, ut sine labore & aliqua obseruatione, sola fide iustificentur apud ipsum. Et Rom. 9. Sola fides, inquit, posita est ad salutem. Vide quoties hic uir uoculam Solam usurparit & inculcarit, quã aduersarij nostri hæreseos damnant. Et ad Rom. 4. Manifestè beati sunt, inquit, quibus sine labore uel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata teguntur, nullis ab his requisitis pœnitentiæ operibus, nisi TANTVM ut credant. Hæc ille. Sed uideamus & alios.

Hilarius. Hilarius in Matthæum, Canone nono, Remittũtur tibi peccata tua, inquit. Mouet scribas, remissum ab homine peccatum. Hominem enim tantum in Christo Iesu contuebantur, & remissum ab eo, quod lex laxare non poterat. Fides enim sola iustificat.

Athanasius. *Chrysostomus* Athanasius ad Galatas tertio: Quoniam lege nemo iustificatur, &c. Nunc planè demonstrat, inquit, fidem ipsam uel Solam iustificandi uirtutem habere. Chrysostomus in epistolam ad Romanos, homilia secunda, ibi: Iusticia enim Dei reuelatur in ipso, &c. Non enim sudoribus, inquit, & laboribus illam comparabis, sed ex diuinæ gratiæ dono, quod ex supernis est, gratis ut accipias oportet: unum hoc solum de tuo adferens, ut credas. Et homilia septima, ibi: Vbi est igitur gloriatio? Hic uirtutem Dei ostendit, inquit, quòd non solùm saluauit, sed & iustificauit, & in gloriationem induxit, nullis ad hoc usus operibus, sed fidem tantum exigens. Et cap. 8. ibi: Spe salui facti sumus. Hoc enim tantum obtulimus Deo donum, quòd ipsi futura promittenti credimus, & per hanc solam uiam saluati sumus. Et super epistolam ad Ephesios, homilia quinta, ibi: Nunc autem in Christo: Aut fidem, inquit, dicit, decretũ illam uocans. Ex sola quippe fide nos saluauit. Hæc ille.

Origenes. Et Origenes super epistolam ad Romanos, capite tertio, multis contendit, solam fidem iustificare, soliusque fidei iustificationem sufficere. idque probat exemplis latronis, mulieris peccatricis, & publicani.

Basilius. Et Basilius homilia de Humilitate sic habet: Dicit autem Apostolus, Qui gloriatur, in Domino glorietur. ubi dixit: Quoniam Christus factus est nobis à Deo sapientia, iusticia sanctimonia & redemptio, ut, sicut scriptũ est, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Nam ea demùm perfecta est & integra gloriatio in Deo, quando neq; de sua quisquam ipsius iusticia superbit, sed agnoscit, uera destitutum iusticia, sola esse in Christum fide iustificatum.

Hæc & consimilia multa leguntur in scriptis Patrum: unde uidere licet, haud primos esse nos, qui uoculam hanc Solam, ad exprimendum Apostoli sensum, & illustrandam gloriã gratiæ Dei usurpamus, cum usi sint illa ante nos ipsi Patres, quorum scripta tantũ non Canonica scripturæ adæquant aduersarij. Clamant non haberi illã in uerbis Apostoli. Dicant hoc Patribus, quos pro columnis Ecclesiæ haberi uolunt. Cum illis contendant potius q̃ nobiscum. Si hæresis est dicere, Sola in Christum fides iustificat: hæreseos damnent ipsos Patres, immò constituant eos hæresiarchas, necesse est. Non accipiant personas, sed iusto iudicio iudicẽt. Quod illi absq; hæresi dixerunt, agnoscant, & à nobis dictum, alienum esse ab hæresi.

Chrysostomus Viderunt illi doctrinam hanc facere ad gloriam gratiæ Dei: & Chrysostomus super epistolam ad Colossenses, homilia quinta, uocauit eam gloriam & diuitias mysterij Dei. & in epistolam ad Romanos, homilia octaua, ibi: Quid igitur dicemus Abrahamum, &c. sic dicit: Fide enim saluari eum qui opera non habet, nihil fuerit insolentiæ. Eum uerò qui rectè factis ornatus est, non ex ipsis, sed ex fide iustum fieri, hoc admirabile est, & quod potissimùm fidei potẽtiam manifestat. Aduersarij uerò, dum iustificationem nostri non ex sola fide, sed ex operibus quoq; constare docent, quid aliud faciunt, quàm quòd gloriam gratiæ Dei obscurant, & operum nostrorum merita extollunt? Non uident necesse esse, ut sola fide constet iustificatio, quã doquidem gratis cõfertur. Si uoculam Solam non ferunt, abijciant & uoculam Gratis. Etenim si gratis iustificamur per fidem, teste Apostolo: consequitur, iustificari nos non fide & operibus, sed fide sola. Si non fide sola, sed simul & operibus, ergo non gratis, sed ex debito. Si ex debito, & non gratis, ergo gloria gratiæ Dei prorsus nulla relinquitur. Huc abit illorum contentio. Et hoc est studium satanæ, qui totus gloriæ gratiæ Dei aduersatur.

De illis qui dicunt, nos initio quidẽ conuersionis, uerùm postea non ita, sola fide iustificari. Sed hic nonnulli, ubi se tot Patrum sententijs adobrui, uec citra impudentiam uoculam Solam abijcere posse uident, eò confugiunt, ut concedant quidem, iustificari hominem Solã in Christum fide, uerùm adiungant, fieri hoc initio tantum fidei, quando primùm in Christum credere incipimus: ut intelligamus Paulum hoc astruere, quòd neque gẽtibus peccata obfuerint, quin mox atque in Christum credere cœperunt, sola fide sint iustificatæ: neque Iudæis ad Christum, initiò uenientibus opera profuerint, sed illis quoque fides iusticiæ sit loco imputata. Et hoc sic astruunt, ut obtineant, eosqui iam sunt fide iustificati semel, post eam iustificationem ubi denuò peccarunt, non iam fide, id est gratis, ut antea: sed operibus, id est satis factione iustificari posse.

1 Istis respondemus, hoc effugium prorsus esse friuolum & inane. Etenim si uerbum iustificandi, nobiscum pro absolui à peccatis acceperint, manifestum est, eam nobis iustificationem

per

per omnem nostram uitam esse necessariam, quæ gratuita peccatorum remissione constat: nisi uanum sit quod secundum institutionem Dominicam oramus, Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Ioannes dicit, utiq; credẽtibus & iustificatis: Filioli, si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non dicit, Ipse erat propitiatio pro peccatis nostris, iam uerò oportet ut ex operibus uestris iustificemini, & pro peccatis uestris ipsi satis faciatis: sed proponit ecclesiæ Dei iugem ac perpetuam in Christo propitiationem, id est peccatorum remissionem & iustificationem. 2 Si uerò de iusticia intelligunt, quæ iustificationis huius est effectus, qua corda purgantur, & uita innouatur, neq; illa sic competit fidei, ut ad initium tantum illius pertineat, & reliqua uita iusticiâ operum requirat, per quam saluemur. Hoc enim perinde esset, ac si dicas animam initiô quidem solam uiuificare corpus, postea uerò non ita: quasi omnis uiuificatio per omnem uitã non ab anima, sed ab operibus pendeat. Iustus ex fide uiuit, inquit Apostolus. Vita iustorũ multis est uirtutibus ornata: & tamẽ nullius ex illis, sed solius fidei est, quòd purgatis cordibus piè in cõspectu Dei uiuũt. Hæc obiter ad istorũ commentũ respõdere uoluimus. 1. Ioan. 2.

Simile.

Obijciunt nobis locum Iacobi. At ille, quisquis fuit, etiamsi diuersa à sententia Pauli diceret, ueritati tamen præiudicare non posset. Manifestũ est, loqui illum de fide inani & mortua, quam passim Pseudochristiani uerbis iactabant, ut uideatur uulgi concertationem exprimere uoluisse, qua fidem alius iactabat, alius opera unde fides comprobaretur, requirebat. Paulus uerò, cum fidei iustificationem tribuit, non de mortua & inani, sed uera & uiua loquitur. Huc pertinent illa Iacobi: Quæ utilitas, fratres mei, si fidẽ dicat aliquis habere se, facta uerò non habeat? Num potest fides saluum facere illum? Non dicit simpliciter, Si fidem aliquis habeat: sed, Si dicat aliquis habere se fidem, innuens perstringere se inanem eorum iactãtiam, qui se fidem habere dicebant, cum non haberent nisi mortuam & inanem. Sic subiungit, Quòd si frater aut soror nudi fuerint, & egentes quotidiano uictu, dicat autem aliquis uestrûm illis: Abite cum pace, calescite & saturamini, non tamen dederitis illis quæ sunt necessaria corpori, quę erit utilitas? Sic fides, si facta non habuerit, mortua est per se. sed dicet aliquis: Tu fidem habes, & ego facta habeo. Ostende mihi fidem tuam ex factis tuis, & ego ostendam tibi fidem meam ex factis meis. Et ut intelligamus, quàm illi fidẽ inaniter iactauerint, subijcit dicês: Tu credis quòd Deus unus est? Recte facis. Et dæmonia credũt, & contremiscũt. Non dicit, Tu credis in Christum? uel, Tu credis promissionibus Dei, tu confidis Deo: sed, tu credis quòd unus sit Deus. Vnitatem Dei Apostoli initio prædicationis suæ asserebant inter gentes, contra errorem πολυθεΐας. Hanc fidem pleriq; accipiẽtes sic in ea hærebant, ac si una sufficeret ad salutẽ: eamq; adeò iactabant, ac si mox perfectè Christiani essent, quòd unum credebãt esse Deum, cum hoc ipsa quoq; dæmonia credant. Hactenus non est hic Iacobus de ipsa fide promissionum Dei loquutus, de qua loquitur apostolus Paulus, ubi de iustificatione disserit, quæ non potest esse ociosa & mortua. Quare impertinenter exemplum Abrahæ subijcit, dicens: Vis uerò scire, ô homo inanis, quòd fides absque factis mortua sit? Abraham pater noster, nõnne ex factis iustificatus est, cum obtulisset Isaac filium suum super altare? Vides quòd fides cooperata fuerit factis illius, & ex factis fides perfecta fuerit? & impleta Scriptura, quæ dicit: Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iusticiam, & amicus Dei uocatus est, &c.

Iacobus. De alia fide Iacobus, et de alia Paulus loquitur.

Confundit uocabulum fidei. Nam hactenus taxans fidem inanem & mortuam, de ea loquutus est, qua credimus unum esse Deum, quæ sanè in multis est ociosa & inanis. In exemplo Abrahę uerò non hoc prædicatur in Scripturis, quòd crediderit ille hoc tantum, unum esse Deum: sed quòd fidem habuerit promissionibus Dei, quod sic exprimitur: Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iusticiam. At hæc fides electorum tantum est: illa uerò, qua credimus unum esse Deum, communis est & bonis & malis, ipsis etiam dæmonibus: hæc ad iustieiam coram Deo imputatur, illa non ita: hęc uiua est, & per Spiritum Dei efficax, illa sine hac inanis & mortua.

Hæc confusio uocabuli fidei tenebras offundit Lectori: quare diligenter est obseruandum, de alia atq; alia fide loqui Paulum & hunc Iacobum. Quanto quæso satius fuisset ueram illam & propriè Christianam fidem, quam ubiq; prædicat Apostolus, ab ea quæ communis est & Iudæis & Christianis, & hodie Turcis quoque & dæmonibus, diligenter & perspicuè distinguere, quàm utranque confundere & tam diuersam ab Apostolica doctrina ponere sententiam, qua uelut colligens dicit: Videtis igitur quòd ex factis iustificetur homo, & non ex fide tantum? cũ Apostolus ex eo quod Scriptura dicit, Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iusticiam, firmissimè argumentetur ad hunc modum: Quid igitur dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Nam si Abraham ex operibus iustificatus fuit, habet quòd glorietur, at non apud Deum. Quid enim Scriptura dicit? Credidit Abrahã Deo, & imputatum est ei ad iusticiam. Ei uerò qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Porrò ei qui nõ operatur, sed credit in eum qui iustificat impiũ, imputatur fides sua ad iusticiam, &c. Et in calce Capitis: Nõ scriptum est autem propter illum tantum, imputatũ fuisse illi: sed etiã propter nos, quibus imputabitur credentibus in eum qui

excitauit Iesum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus fuit propter peccata nostra, & exi citatus est propter iustificationem nostri. Hæc Apostolus, de cuius doctrina non dubitamus.

Confer nunc ad argumentationem hanc Apostoli, conclusionem, Iacobi istius qua dicit: Videtis igitur quòd ex factis iustificetur homo, & non ex fide tantùm? & uide quàm sit diuersa: ut tac eã, quòd nec iustificationis Scriptura meminit in historia immolati Isaac, nec operũ Abrahæ in eo loco, ubi dicit: Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iusticiam. Quare rectius collegisset ad hunc modum: Videtis igitur, quòd Abraham non solùm unũ esse Deum credidit, sed promissionibus quoque illius fidem habuit, & ea illi fides ad iustitiam imputata ociosa non fuit, sed insigni facto efficax inuenta. Hæc de fide obseruari debent hoc loco.

Deinde quod opera attinet, manifestum est, iustificationem Abrahæ, quæ illi ex fide contigit, qua de Geneseos decimoquinto, multis annis opus immolationis Isaac, de quo Geneseos ũi-
Hebr. 11. gesimosecundo, antecessisse. Fuit ergo factum illud hominis iam antea per fidem promissionum Dei iustificati. Quare non potuit concurrere fidei in causa iustificationis. Fide quidẽ ob tulit filium suum eâdem prorsum, qua antea fuerat iustificatus: atq; ita fides & factum coniuncta fuerunt. uerùm iustificatio Abrahæ quę iam præcesserat, fidei tantùm erat imputata. Dicant igitur, qui locum hunc Iacobi doctrinæ Apostoli obijciunt, uerbo iustificandi usum esse aliter Iacobum, & aliter Paulum. Iacobum, pro iustum declarari, qui sensus rectè datur operibus fidei: Paulum, pro absolui à peccatis, & haberi apud Deum pro iusto. Nisi hoc dixerint, nõ poterunt tueri Iacobum istum, quin contrarius sit Apostolo, ideoq; reprobandus.

Aug. 83. quæstionũ, quæst. 76. Glossa ordinaria ex Augustino sic Paulum & Iacobum concordare dicit: Quôd Abraham per fidem sine operibus iustificatus est, de operibus quæ præcedebant intelligitur: quia per opera quæ fecit iustus non fuit, sed sola fide. Hic de operibus agitur quæ fidem sequuntur, per quæ amplius iustificabatur, cum iam per fidem fuisset iustus. Vnde Paulus dicit: Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur. Hæc oblatio est opus & testimonium fidei & iusticiæ. Hæc ille super epist. Iacobi. Si oblatio Isaac testimonium fidei & iusticiæ Abrahæ fuit, ergo per illam non fuit iustificatus, sed iustus declaratus.

An fides cũ dilectione iustificet. Qui dilectioni quoque iustificationem propterea adscribunt, quo obtineant, fidem non iustificare solam: adferunt illud Christi, Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Ecce, inquiunt, manifestè datur dilectioni peccatorum remissio. Si iustificari est à peccatis ab
Lucæ 7. solui, ergo non sola fides, sed & dilectio iustificat. His respondemus, dilectionem mulieris illius non fuisse causam remissionis peccatorum, sed argumentum & declarationem. Remissionem peccatorum obtinuerat fide in Christum, per quam iustificata diligebat illum impense, eamque dilectionem palàm exprimebat. Quòd ergo Christus hic dicit: ἀφίωνται αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆ αἱ πολλαί, non est legendum, Remittantur, sed, remissa sunt peccata eius multa. Nam uerbum ἀφίωνται, teste Suida, Doricum est, idem quod, remissa sunt. Deinde uocula ὅτι non causam significat hoc loco, sed probationem eius quod præmissum est. Tertiò, uerbum ἠγάπησε, id est, dilexit, Hebraismum habet, quo præteritum positum est pro præsenti. Hebræi sic loquuntur, כי אהבתמאד id est Quia dilexit multum: pro, quia diligit multum. Destituuntur enim uerbis præsentis temporis, quare loco illorum uel præteritis uel futuris utuntur. Constat autẽ Christum nec Græcè loquutum esse, nec Latinè, sed Hebraicè. Quòd itaque dicit, Remissa sunt ei peccata multa: probat per id quod subijcit, Quia diligit multum. quasi dicat: Quòd me tanto pere diligit, non est mirum. Facit hoc meritò. nam multa sunt illi peccata remissa. Sic dicimus: Consequutus hic est quod uoluit, quia lætatur ac ridet. Item: Læsus est plurimum, quia irascitur plurimum. Item: Hic esurit multum, quia comedit multum. Manifestum est igitur, prorsus infirmum esse, quòd locum hunc aduersarij contra doctrinam iustificantis fidei obijciunt. Poterant huius admoneri cum ex præmisso simili duorum debitorum, de quibus interrogatus Simon, uter plus creditorem debita remittẽtem diligat? respondit, Existimo quôd is cui plus condonauit. tum ex eo quod subijciẽs Dominus dixit, Cui autẽ minus remittitur, is minus diligit. quod ipsorum sensu sic erat proferendum, Qui autem minus diligit, huic minus remittitur. Quare quod ad mulierem conuersus dixit, ἀφίωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι, legẽdum est, Remissa sunt tibi peccata. Quod autem peccatorum suorum remissionem non dilectione, sed fide impetrauerit hæc mulier, ex eo patet, quòd cum conuiuæ intra se cogitarent, Quis est hic qui etiam peccata remittit? ad illam dixit Dominus, Fides tua te saluam fecit, uade in pace. Quomodo saluam fecit fides, nisi propterea quòd peccatorum remissionem credendo impetrauerat?

Sententia Hosiandri. Illis, qui efficientem iustificationis nostri causam non obedientiam, mortem ac sanguinem, sed diuinitatem Christi constituunt, separantq; peccatorum remissionem à iustificatione, sic ut affirment peccatorum remissionem præmitti, deinde sequi iustificationem, quæ contingat per essentialem iusticiam Christi, secundum diuinitatem in nobis habitantis, respondẽt iam alij, inter quos sunt Hamburgenses & Luneburgenses. Quare nos breuiter respondemus: Non posse probari, quòd contra doctrinam Apostolicam iustificationem separant à peccatorum remissione, sicuti patet ex præcedentibus: nec esse causam cur hoc faciant, cum constet fi de iustificatos regenerari per Spiritum Christi, & ad bona opera dirigi: nec illud recipiendum

esse,

esse, quòd diuinâ in Christo naturâ separant in hac causa ab humanitate, obedientia & morte Christi. Scimus Christum habitare in cordibus nostris per spiritum suum, & innouare nos ut simus noua creatura, ad omne bonum opus parati: uerùm in hoc articulo non quærimus unde regeneremur in nouos homines, sed unde iustificemur coram Domino, ea iustitia, qua pacem coram illo in conscientijs nostris habeamus, salui simus, & in iudicio Dei aduersus condemnationis sententiam securi consistamus. Hæc autem præstat nobis mors Christi, iustificans & à peccatis liberans in se credentes, non infusa illa & essentialis iustitia, quæ quoniam nõ contingit perfecta in hac uita, conscientias nostras pacare non potest. Verùm hactenus de eo satis sit dictum, in quo coram Deo iustificemur. Possunt hęc prodesse pijs, & satisfacere minus contentiosis: reliquorum cura ad nos non pertinet.

VI. AD QVID NOS IVSTIFICET Deus.

MAgni & inæstimabiles sunt iustificationis huius fructus. Iustificat nos Deus, & absoluit à peccatis, non ut iustificati ignominiâ nomini & gratiæ ipsius malè uiuendo inferamus, quasi peccata non detestetur: sed ut & gloriæ suæ & simul salutis nostræ rationem habeat. Sunt autem ex fructibus iustificationis huius potissimum isti, qui iam occurrunt. 1 Primus est, ut gloria iustitiæ, id est probitatis Dei, ostendatur & illustretur. Hoc uult Apostolus dicens: Iustificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus recõciliatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, &c. Et cap. 4. Ad promissionem Dei non hæsitabat Abraham ob incredulitatem, sed robustus factus est fide, tribuens gloriam Deo, certa persuasione cõcepta, quòd is qui promiserat, idem potens esset & præstare. Ergo qui credit promissionibus Dei, glorificat illum, dans ei gloriam & ueritatis & potentiæ. Et in hunc finem iustificatur, ut illustretur gloria bonitatis illius. *Fructus iustificationis.* *Gloria gratiæ Dei.* *Rom. 3. & 4.*

2 Deinde cedit hæc iustificatio ad pacem conscientiarum nostrarum, de qua Apostolus Rom. 5. dicit: Iustificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christũ. Vbi obtinet pax ista, ibi non est locus dubitationi, quam docent Scholastici nostro seculo. Dubitatio nanq; & pax ista conscientiæ ex diametro inter se pugnant. Imò non modò pacem conscientiæ, sed & gloriationem habemus ex iustificatione, quæ nec ipsa cum dubitatione consistit. Ea autem est, qua gloriamur sub spe gloriæ Dei, & super afflictionibus quoq;. uide Rom. 5. Tam uidelicet abest, ut dubitandum nobis sit de gratia Dei in Christo Iesu, ut uelit nos esse conscientijs pacatis erga se, & ex animo quoq; gloriari super spe gloriæ ipsius, eamq; nos ob causam gratis iustificet, propter fidem in Christum. *Pax conscientiarum.*

3 Tertiò facit hæc iustificatio ad sanctimoniam uitæ, & studium iustitiæ. Huius admonet iustificatos Apostolus Roman. 6. tam in principo quàm in calce capitis, ubi dicit: Nunc uerò manumissi, hoc est absoluti & liberati à peccato, habetis fructum uestrum in sanctificationẽ. Et 1. Corinth. 6. Neq; scortatores, neq; cultores simulacrorũ, neq; adulteri, neq; molles, &c. regni Dei hæreditatem accipient. Et hæc eratis quidem, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis per nomen Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri, &c. quibus uerbis admonet eos, ut quoniam iustificati sunt, in posterũ pietati, sanctimonię uitæ, & iustitię studeant. Hanc ob causam datur iustificatis spiritus Christi, per quem ad nouitatem uitæ immutentur, quæ nouitas per spiritum Dei accepta, non ipsa est iustificatio, sed iustificationis fructus. *Sanctimonia uitæ.*

4 Quartò, tendit hæc iustificatio, quę per fidem in Christum est, ad gloriam quoq; iustificatorum. Hac de re loquitur Apostolus Roman. 8. dicens: Quos uerò pręfiniuit, hos & uocauit: & quos uocauit, eos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & glorificauit. Loquitur in præterito, propterea quòd iustificatos Deus ad futuram filiorum Dei gloriam destinauit, quam spe adhuc expectamus. *Gloria iustificatorum.*

5 Quintò, iustificat nos Deus per gratiam gratis in Christo, ut saluemur, & uitę æternę participes reddamur. Meminit huius Apostolus in epistola ad Titum capite tertio, dicens: At postquam bonitas & philanthropia apparuit seruatoris nostri Dei, non ex operibus quæ sint in iustitia, quæ fecissemus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis ac renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos opulentè, per Iesum Christum seruatorem nostrum, ut iustificati illius gratia, hæredes efficeremur iuxta spem uitæ æternæ. Hæc ibi. Et sermonem doctrinę huius uocat indubitatum, propter infallibilem illius ueritatem & certitudinem. Quare uehementer aduersariorum stupiditatem miror, qua fit, ut doctrinæ huius lucem non uideant, & gratiam inæstimabilem non sentiant, quam tantopere in electis Dei impugnãt. Hęc breuiter de loco iustificationis annotare uoluimus, propterea quòd copiosiora de illo tradita sunt ab alijs: & nos iam antea in scriptis nostris, præsertim in epistolam ad Romanos, pleraq; ad illam pertinentia annotauimus. *Salus & uita æterna.*

DE

DE BONIS OPERIBVS.

POST iuſtificationem electorum, quæ per fidem eſt in Chriſtum Ieſum, uidendum eſt de bonis operibus, propter eos potiſsimùm qui doctrinam ueritatis Apoſtolicæ, qua ſola nos fide iuſtificari dicimus, alij culpant, quaſi bona opera reijciamus, deq; fide inani & ocioſa loquamur: alij probant quidem, ſed malè collocant, perinde ac ſi ſalutem ſint eiuſmodi fide conſequuturi, uel conſequuti iam, quæ nihil operis boni faciat, nec requiratur à credentibus, ut bonorum operum tanquam fructuum ſint feraces. Quanquã utriq; parti abundè per ea ſatisfieri poterit, quæ ſuprà de fide diximus, quàm ſit illa nihil minus quàm ocioſa, ſed multis modis efficax, & quæ pietatis ſunt & charitatis in credentibus operetur.

Bene eſſe operandum omnibus.

1 Principiò, quemadmodũ omnia ſic ſunt à Deo condita, ut non ſint inania, ſed utilia & bona, iuxta illud, Et uidit Deus cuncta quę fecerat, & erãt ualde bona: ita cõdidit & hominẽ, nõ ut eſſet ocioſus & ignauus, ſed ut indeſinenter quæ bona ſunt & utilia, pro ſua quiſq; cõditione & facultate diuinitus accepta operaretur. Hunc quidẽ creationis noſtrę finem ſatan inducto peccato peruertit: uerũ Chriſtus in ordinẽ reſtituit, ad hoc in mundũ miſſus, ut opus ſatanę deſtrueret. Per hunc regeneramur, ut noua creatura facti utiles ſimus, & bonorũ operũ ueluti fructuũ feraces. Hinc eſt illud Apoſtoli ad Epheſ. 2. Ipſius enim ſumus factura, conditi in Chriſto Ieſu ad opera bona, quę pręparauit Deus, ut in illis ambulemus. Et Tit. 2. Qui dedit ſemetipſum p nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populũ acceptabilẽ, ſectatorẽ bonorũ operũ. Et huc tendunt multę Dominicę & Apoſtolicæ adhortationes. Quales ſunt Matt. 5. Sic luceat lux ueſtra corã hominibus, ut uideãt opera ueſtra bona, & glorificent patrẽ ueſtrũ, qui eſt in cœlis. Et Gal. 6. Ergo dum tempus habemus, operemur bonũ ergo omnes, maximè autẽ erga domeſticos fidei. In hunc uſum datæ ſunt ſacrę ſcripturę. Omnis enim ſcriptura diuinitus inſpirata, inquit Apoſtolus 2. Tim. 3. utilis eſt ad docendũ, ad arguendũ, ad corripiendũ, ad erudiendũ in iuſtitia, ut perfect⁹ ſit homo Dei ad omne opus bonũ inſtructus. Conſtat igitur, non ſic iuſtificari nos fide, ut poſt iuſtificationẽ ſimus inutiles, ſteriles & infrugiferi: ſed potius ut bonis operibus indeſinenter incumbentes, gloriã gratiæ Dei illuſtremus, & omniũ oculis quaſi quandã nouæ creaturæ lucem obijciamus. Quis plantat arborem, & circa radices illius fodit, eò tantũ ſpectans ut ſit arbor, & non magis ut ſit bona arbor, & bonos fructus ferat? Sic regeneramur in Chriſto, & iuſtificamur, non ut Chriſtiani ſimus nomine tantum, ſed ut ex malis reddamur boni, bonitatemq; à Chriſto acceptã bonis operibus declaremus. Dum hæc docemus, nec damus occaſionem aduerſarijs doctrinã iuſtificationis, quaſi opera bona reijciat, cõdemnandi: nec in culpa ſumus, quòd pſeudoeuãgelici in euangelio magis Epicurum quàm Chriſtum uiuunt.

Similc.

Quæ ſint bona opera.

2 Secundo loco uidendum eſt, quęnam opera bona ſint ſecundũ Chriſtianę religionis normam cenſenda. Variatur hic admodum. Qui partim quæſtũ in Eccleſia Chriſti magis quàm ſalutem fidelium ſpectant & ſectantur, partim ſuperſtitionibus excęcati ſunt, opera bona eſſe tradunt, ſi in templis audiantur quotidie neſcio quot Miſſæ, ante imagines procumbatur, certę preculę ad certos diuos emurmurentur, illiſq; abundè offeratur, ſacerdotibus, monachis & nõnis omnia largiter ſuppeditentur, ſtatuta prælatorũ ſtudioſe ſeruentur, & quę eiuſmodi ſunt alia deuotè fiãt. Verùm bona opera, quę à fidelib. requiruntur, aliena ſunt ab omni ſuperſtitione, nec ulli loco, aut perſonæ, aut tempori alligata. Sunt enim quaſi quidã totius uitę noſtrę fructus, de animi noſtri bonitate teſtantes, & cœleſtis patris noſtri ingenium referentes, quę non modò à fidelibus, ſed & infidelibus pro bonis agnoſcantur, cauſamq; illis Deũ patrẽ noſtrũ glorificandi præbeant, Matth. 5. Opera bona ſunt opera fidei, quæ per dilectionẽ operatur. Sunt opera Dei, quę ille in nobis & per nos operatur. Matth. 25. ſpecificat ex illis quædam Chriſtus dicens: Eſuriui, & dediſtis mihi cibum: ſitiui, & dediſtis mihi potũ, &c. Et Apoſtolus opera charitatis bona uocare ſolet. Vide 2. Corinth. 9. & 1. Tim. 6.

Refert quo animo bona opera fiant.

Hic tamẽ uidendũ eſt, quo animo fiant, quæ in ſe ſunt bona, dilectionisne & miſericordiæ affectu, uel alia quapiam de cauſa. Neq; enim mox bonorũ operũ dignus eſt laude, qui pauperes cibat, potat ac ueſtit, non ſtudio benefaciendi, ſed magis gloriam in conſpectu hominum uenandi. Quare non mox bona ſunt opera quę putantur, ſed requiritur primùm ut talia ſint quę proſint proximis, deinde ut ex corde bono ac fideli affectuq; charitatis proueniant.

De uſu bonorum operum.

3 Tertiò inſpiciendus eſt bonorũ operũ uſus. 1 Primus eſt, ut illuſtretur gloria patris noſtri cœleſtis. Hunc Chriſtus ipſe tradit, Matth. 5. dicens: Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona, & glorificent patrem ueſtrum, qui eſt in cœlis. Quòd ſi nullus alius eſſet bonorum operũ uſus, quàm unus hic, à Chriſto ipſo monſtratus: non debebãt tamen doctores operum, bonorũ nobis operum abrogationem propterea impingere, quòd illa iuſtificare negamus. Quemadmodum enim ſummum hoc eſt fidelibus uotum, ut glorificent nomen Domini ac Dei ſui: ita ſanè maximi illis eſt momenti loco, ſi illud bonis ſuis operibus glorificare queant, etiamſi nihil prętera hoc ſtudio conſequantur.

2 Secundus bonorum operum usus est, quòd ex illis de electione & uocatione nostra certi in conscientijs nostris reddimur, dum per ea gratiam & uirtutem Christi quotidie magis ac magis experimur: quemadmodum in oppositio malitiam cordium nostrorũ opera mala magis ac magis exprimunt & comprobant. Et huc facit locus 2. Petri 1. ubi sic legimus: Quare fratres potius operã date, ut electionem & uocationem uestram firmam efficiatis.

3 Tertius est, quòd fides nostra bonis operibus exercetur, alitur, prouehitur & corroboratur. Et hoc pacto monet Timotheum suum Paulus, ut uelut igniculum quendam, donum in se Dei excitet. 2. Tim. 1. Quemadmodum enim ignis combustione lignorum augescit ac robustior redditur, ita in Christianis pietas ac fides studio bonorum operum alitur ac uegetatur, perinde atq; usu & exercitio rerum habitus acquiritur.

4 Quartus est, quòd per opera nostra bona proximi ad idem pietatis studium prouocantur, dum illius in nobis uiua quędam exempla cernant, quę imitentur. Sic Paulus 2. Corinth. 9. de eleemosyna scribẽs dicit: Et uester zelus prouocauit plurimos. Et Ebr. 10. Cõsideremus nos inuicem, ut prouocemus ad charitatem & bona opera, &c. quod non de uerbis tantum, sed & bonorum operum est exemplis intelligendum.

5 Quintus est, quòd studio bonorum operum necessitatibus pauperum, egenorum, uiduarum, orphanorum, exulum, captiuorũ, infirmorũ, &c. subuenitur, quod genus utilitatis planè diuinum resipit ingenium. Imò non his modò consulitur, sed & cõmunis nostra fragilitas & indigentia mutuo benefaciendi studio sustentatur. Neq; enim bonitas illa, ad quam conditi sumus, in operibus misericordię tantum terminatur: sed & omnem nostram uitam & communem conuictum complectitur, in quo ut membrum membro, ita homo homini mutuę operæ adiumento connectitur. Quare non homines sunt, sed inanes hominum figuræ, qui per omnem uitã ociosi inueniuntur, ut ad nihil aliud quàm ad cõsumendas fruges nati uideãtur.

An bona opera, & quare Deo placeant.

Hactenus tertio loco de usu bonorum operum admonuimus, iam quarto uidendum est, Deó ne illa, & quas ob causas placeãt. Quòd illi placeãt, uidere est in uerbis Apostoli, quibus Col. 1. sic dicit: Vt ambuletis dignè Domino, ut per omnia placeatis, in omni opere bono fructificantes. Ergo qui in quouis genere bonorũ operum fructificant, per omnia Domino placent. Causę in promptu occurrunt. Bonorum quidem nostrorum siue uerborum siue operũ non eget diuina maiestas. Et tamen placent illi, quæ bene à nobis fiunt, primùm ob id quòd sunt fidei fructus. 1 Qui fidem credentiũ probat, quomodo nõ simul fidei illorũ fructus probaret? Quemadmodũ opera extra fidẽ facta improbat, ita ex fide sincera promanãtia probat.

Quòd bona opera ex spiritu Dei fiunt.

2 Deinde propterea placent illi bona opera, quòd ex ipsius spiritu fiunt. Etenim sicut Apostolus Philip. 2. testatur, operatur ipse in nobis & uelle & perficere, pro bona sua uoluntate. Et August. rectè dicit, quòd sua ipsius opera in nobis coronet. Sunt quidẽ imperfectè bona, quæ bene & ex spiritu Dei operamur, propter nostram imperfectionem: uerùm quatenus ex ipso sunt, fieri non potest quin ipsi tanquam authori probentur.

Quòd ad gratificãdum Deo fiunt.

3 Tertia ratio est, quòd quæ fideles faciunt, ipsius Domini Dei sui gratia faciunt, cui in omnibus gratificari cupiunt. Hunc in illis animum quomodo non probaret? Cauendum tamen est, ne hic locum illis demus, qui neq; ex fide sincera, neq; ex spiritu Dei, sed ex superstitione, pro catholica cõsuetudine pleraq; hac intentione faciunt, quòd putent ea Deo probari, cum illi uehementer displiceãt. Notum est illud Christi: Frustra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Errant hac in re plurimùm Iudæi, Turci, & Pseudochristiani.

Quòd iustum ac bonum est, diligitur à Deo.

4 Quarta causa est, quòd pro iustitia sua quod iustum ac bonũ est diligit. Sic diligit opera bona, iusta & æqua, ipse omnium iustissimus: quemadmodum è contrario non solum ipsam cordis mali impietatem & iniustitiam, sed & omnes impietatis & iniustitiæ fructus, quacunque tandem specie uenditẽtur, detestatur. Odisti, inquit Dauid, omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendaciũ. Et in Actis cap. 10. dicit Petrus: In omni gente quicunq; timet Deum, acceptus est illi.

Bona opera propter ueritatẽ Deo probantur.

5 Quintò, quoniam & uerax est, etiam ob id illi bona opera probantur, quòd ex uera pietate, bonitate ac fide proueniunt, quam ille ueritatem ubiq; respicit. Detestabilis est corã Deo & hominib. omnis hypocrita. Cõtrà, ueritatẽ diligit Deus non modò in ijs, quę bene fiunt ab electis & fidelibus, sed & in illis, q̃ citra omnẽ dissimulationẽ peccata sua ueraciter cõfitẽtur.

Hisce de causis, & adhuc alijs quas nõ recensuimus, cõstat omnino placere Deo bona fidelium suorũ òpera, ut nõ modò quia multis modis sunt utilia, sed & quia Domino admodum placẽt, studendum nobis sit bonis operibus. Etenim parũ pius sit oportet, quẽ hæ duæ causæ non mouent. Sordidum & insincerum pectus est, quod nõ nisi mercedem & remunerationẽ operum suorum spectat, & quicquid facit meriti loco habet, cui Deus obstrictus esse debeat.

Sordidum est quærere mercedem.

Qua tamen bonitate est diuina maiestas, bonis fidelium operibus retribuit, mercedemq; dat, nemini quicquam debens. Hinc sunt illa: Gaudete & exultate, quia merces uestra multa est in cœlis. Matth. 5. Et cap. 10. Qui dederit uni ex minimis meis potũ aquę frigidæ, amen dico uobis nõ perdet mercedẽ suam. Et cap. 25. Venite benedicti patris mei, &c. Esuriui enim, & dedistis mihi cibum. Et Ebr. 6. Non est iniustus Deus, ut obliuiscatur laboris uestri.

De retributione donorum operum.

Dum

Non esse operibus nostris triuendum meritum.

Dum hæc legimus, non debemus ea referre ad bonorũ nostrorum operum merita, sed ad bonitatem Dei, memores dicti Dominici, quo dicit: Etsi omnia feceritis, dicite, inutiles serui sumus: & eius, quo iustitia nostra panno menstruatæ mulieris comparatur à propheta. Horũ recordatio prorsus extinguet proprij meriti respectum, quem doctrina gratiæ Dei impugnamus. Vę uniuersę nostræ iustitiæ, inquit ille, si remota misericordia iudicetur. Christiana igitur hæc est sententia omnium mentibus inculcanda: Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Operetur dextera nostra quæ bona sunt, ac Deo placita. Et interea pendeãt corda nostra à sola diuinæ bonitatis gratia, nec scribat sinistra in calendarium, quæ utrunq; bene fiunt à dextra. Sit commentarius bonorum operum nostrorum in manu non nostra, sed Dei. Aestimẽtur illa non nostra, sed bonitatis illius censura. Quicquid uel in hac uel in futura uita rependerit, gratiæ illius, non meritis nostris deputemus.

Augustinus.

Fides & opera nõ sunt contraria, sed subordinata.

Hoc itaq; pacto sentiendo ac docendo nihil derogamus doctrinæ iustificationis & gratiæ Dei, nihil Christiano bonorum operum studio, nihil bonitati Dei mercedem dantis, cum nemini quicquam debeat. atq; ita puto nihil controuersiæ relinquitur in locis sacræ scripturæ, siue illa fidem nobis, siue bona opera commendent. Subordinata sunt, non contraria, fides & opera. Quare quemadmodum non offendimur, dum audimus Deum pro gratia sua uitam ęternam polliceri credentibus in Christũ, ac fidei illarum imputare iustitiam: ita nõ debemus offendi, ubi audimus Deum esse iustum, detestari iniquitatem, ac diligere iusticiam, remunerare fideliũ bona opera, & pœnas sumere de impijs ac reprobis. Vtrunq; in Deo est, tã ut perdat reprobos iusto iudicio, quàm ut propter Christum saluet electos mera sua gratia: tam ut mala reproborum opera condemnet, quàm ut bona fidelium per gratiam suam propter eundem Christum acceptet ac remuneret.

Summa huius loci.

Abijciatur itaq; & explodatur doctrina meritorum nostrorum, & propriæ iustitiæ fiducia. Prædicetur doctrina fidei in Christum fideliter, requirãtur à fidelib. efficacis fidei fructus, ne sint instar sterilium arborum: monstretur illis bonorum operum usus: & admoneantur interim quàm non conueniat illis proprij meriti spes ac fiducia, qui sanguine Christi redempti, toti sunt eius à quo sunt redempti, illiq; debẽt omnia, & ne cogitare quidem, nedum opere perficere proprijs uiribus, quod bonũ sit possunt: & quibus cum propheta dicendum est, Ne intres in iudiciũ cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo ullus uiuẽs: & in oratione Dominica, Remitte nobis debita nostra. Sufficiãt hęc paucis delibata. Iá enim antea in Cõmentarijs nostris in Matth. Ioannẽ, & Psalm. aliquoties de hac materia diximus.

DE MERITIS ERGA DEVM.

Meritum quid sit.

QVAMVIS ex doctrina gratię, quæ est in Christo Iesu, satis poterit instrui pius ac fidelis homo, quid de meritis, quæ sint coram Deo, sentire debeat: propter rudiores tamen contra Scholasticorum commenta cõmuniendos, seperatim de illis pauca quædam dicenda putamus.

Meritũ quid sit haud opus est ut definiatur. 1 Accipitur aliquando pro ipso opere, quod meritorium censetur: quo sensu Augustinus alicubi oportere dicit, ut merita prę cedant pręmium. aliquando pro præmio, quod dignè operanti datur. prior sensus ipsum operantem, posterior eum cõcernit, qui mercedem dat operanti. Disputat hic Occam, quomodo meritum & pręmium habeant se opposito modo ad actiuitatem merentis & præmiantis, eo quòd de ratione meriti sit, ut sit actiuè à merente, & de ratione pręmij, ut sit passiuè in pręmiato magis, propterea quòd pręmium debeat esse actiuè à pręmiante: & quomodo sit eiusdem mereri & præmiari, mereri actiuè, & præmiari passiuè. Sic isti loquuntur. Sanè præmium esse non potest, nisi respectu meriti: meritum uerò esse potest, etiamsi non sequatur uel supplicium uel præmium. Ideo meritum non uocamus præmium, præmium uerò frequenter meriti uocabulo exprimimus.

Meritum triplex apud scholasticos.

Meritum congrui.

Meritũ digni.

Meritum condigni.

2 Deinde ponunt Scholastici triplex meritum. Primum, meritum congrui: secundum, meritum digni: tertium, meritum condigni. 1 Cõgrui meritum quidá esse uolunt, quando licet indignus sit cui datur, nec actio illius talis sit ut mereatur, eũ tamẽ cui fit, decet ut det. ut, licet peccator non mereatur gratiam, conuenit tamen Deo ut pœnitenti pro sua bonitate ignoscat, & gratiam largiatur. Quidam uerò dicunt meritum congrui esse, quando homo ex proprio bono motu naturaliter elicito primam gratiam promeretur, quam uocant gratiam præuenientem. 2 Meritum digni uocant, quãdo iustus rogat pro peccatore. dignum enim esse dicũt, ut iustus exaudiatur. Sic quando peccatori propter orationẽ iusti datur gratia, tribuũt hoc merito digni. id est iusti, pro ipso intercedentis. 3 Meritum condigni esse uolunt, quando homo prima illa gratia adiutus, bonis operibus dignum sese reddit æterna uita. Sic enim bene agens dignus est, inquiunt, qui pro labore suo præmia accipiat. Sic sentiunt hominem proprijs

propriis suis uiribus & uolũtatis suæ motu naturaliter elicito promereri primam gratiam, deinde primam illam gratiam non saluare, sed ad salutem bonis operibus condignè promerendam humanas uires adiuuare.

3 Primùm quod attinet meritum congrui, alienum est à sacris Scripturis, quòd meritum uocant, ubi non est meritũ. Quod enim meritum est in immerito? Quocunq; sensu meritum congrui accipiant, non est meritum, sed mera gratia. Deinde nec meritum digni propriè meritum est, quia præmium illius non confertur digno, sed indigno. Etenim etsi propter preces iusti benefit peccatori, beneficium tamen hoc non ut prẽmium cõfertur digno, sed ut gratia impenditur indigno. Vbi iustus aliquis rogat pro aliqua persona, inquiunt, quæ est in peccato, meritum digni est, si exaudiatur. Dignũ quippe est, ut iustus exaudiatur. Si sic obstrictus est Deus iusto, ut nisi exaudiat eum pro peccatore orantem, rem indignam faciat, & merito illius nõ ut par est respondeat, quorsum opus est, ut ab eo oretur, & precibus interpelletur? Quin dicit iustus ille & dignus ex merito, Pro meo in te merito Deus par est ut peccatori huic meo interuentu ignoscas? si merito dandum est, ubi propter iustum ignoscit Deus peccatori? Nec est ut dicant, iustum quidem nõ deputare hoc suo merito, nec sentire de se, quòd dignus sit, qui exaudiatur: Deum tamen sic esse animatum erga iustum, ut habeat eum pro benemerito, ac digno quẽ orantem exaudiat. Nemo enim sic iustus est, ut magis ex merito suo quàm ex gratia Dei si quid orat impetret. Diuersa sunt à se inuicẽ oratio & meritum. Oratio quippe gratiam, meritum uerò præmium respicit. Meritũ condigni locum quidẽ habet in reb. humanis inter homines: in causa uerò salutis nostræ, & erga Deum non ita, sicuti postea declarabimus. *Iudicium de diuisione Scholastico rum.*

In summa, quod principium ad salutem naturalibus motibus, & uiribus humanis naturaliter elicitis, & quod gratię fidei non salutẽ, sed auxilium quoddam ad salutem bonis operibus condignè promerendam tribuunt, aliena sunt hęc à Scripturis, & mera cõmenta Scholastico rum cœlesti gratiæ prorsus repugnantia. Est hæc Pelagiana pestis totis uiribus repellenda, tenendumq; firmiter, nec gratiam nos nec salutẽ uiribus & operibus nostris aliquo merito siue congrui, siue digni, siue condigni promereri posse, sed omnia esse gratiæ Dei in Christo simpliciter ac ueraciter deputanda. Gratia seruati estis per fidem, inquit Apostolus: idq; non ex uobis, Dei donum est: non ex operibus, ne quis glorietur. Secundum scholasticam Theologiam dicendum erat: Primam quidem gratiam bono cordis uestri motu, naturaliter elicito promeruistis, uerùm salutem nondum adepti estis: sed oportet ut illam bonis operibus de cõdigno promereamini. Cum Christus dicit: Qui credit in me, habet uitam æternam, non satis Scholasticè loquitur. Debebat enim dicere, Qui ex elicito bono motu in me crediderit, primam gratiam promerebitur: uitam æternam uerò tum habebit, cum bonis illam fuerit operibus condignè promeritus. Nec Paulus uitam æternã uocat meritum condigni, sed donũ Dei. Quàm procul igitur doctrina hæc de merito congrui & condigni abest à sacris Scripturis, doctrinaq; Christi & Apostolorum, tam est procul ab auribus & cordibus fidelium abijcenda. *Pelagiana pestis.* *Ephes. 2.* *Rom. 6.*

Poterant ista sufficere in causa tam manifesta: uerùm quoniam rudioribus seruimus, inspiciamus omnem nostram uitam: uideamusq;, quænam illius portio talis sit, ut de meritis nostris erga Deum gloriari possit, & non magis opus habeat gratia & misericordia Dei.

4 Principiò, nõ puto fieri posse, ut promereatur aliquid qui nondum est in utero matris cõceptus. Attendite, inquit Augustinus, antequam conditi essemus, nihil boni merebamur: & ideo gratia est, quòd conditi sumus, cum nihil boni mereremur. Hæc ille. Sic gratia locum habet in nondum conditis, ubi meritum esse non potest. Nisi sic cum Origine ineptire placet, ut ante hunc mundum alium fuisse mundum sentiamus, in quo merita nostra uel bona uel mala præcesserint, secundũ quæ in hoc præsenti uel felices uel infelices nascamur, atq; ita uniuscui usq; anima pro meritis suis, quæ in præcedenti mundo bene uel malè uiuendo contraxerit, in hoc præsenti condigna præmia recipiat. Sic ineptire oportet eos, qui omnium eorum quæ homini contingunt præcedentia merita quærunt. Nobis uerò certum est, nihil meriti esse posse, nondum in hunc mundum conditis. *Nullum meritum in nõdum concepti.* *De uerbis Apostoli, Serm. 11.* *Vide Augustinum de Genesi ad literam lib. 6. ca. 9. & lib. 10. cap. 7.*

5 Deinde, si inspiciamus eam uitæ nostræ partem, qua postquã concepti sumus, ad partum usq; in utero matris ex informi fœtu paulatim formamur, uiuificamur, ac fouemur, an illic nobis meriti aliquid uindicare poterimus? Nec hoc puto quenquam dicturum. Notum est illud Apostoli Romanorum nono de Iacobo & Esau: Cum nondum nati essent, inquit, aut aliquid boni egissent, uel mali: ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex uocante dictum est ei, Maior seruiet minori: sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau odio habui. Vbi nec bonum est opus, nec malum, quomodo esse poterit meritum? Imò quomodo meritum est, ubi peccati labes est, ex ipsa conceptione contracta? Pelagiani uerò & ipsi meriti humani extollendi quàm gratiæ Dei studiosiores, quæsierunt in duobus istis paruulis, unde dogma suum fulcirent. Ecce, inquiunt, Esau & Iacob inter uiscera materna luctantur, & dum nascuntur, alter supplantatur ab altero, atque in pede præcedentis manus consequentis & tenentis inuenta, perseuerans quodammodo lucta conuincitur. Quomodo ergo in infantibus hæc agentibus nullum est uel ad bonum uel ad malum propriæ uolun- *Nullũ meritum in nondum natis.* *Pelagiani de Esau & Iacob.*

tatis arbitrium, unde præmia ſiue ſupplicia meritis præcedentibus ſubſequantur? Ad iſta reſpondet Auguſtinus in epiſt. 106. ad Bonifacium, contra Pelagianos ſcripta ad hunc modum:

Auguſtinus. Ad hæc nos dicimus, ideo motus illos & tanquam litigium paruulorum ſignum rerum fuiſſe magnarum, quia non fuit arbitrium, ſed prodigium. Neq; enim daturi ſumus & aſinis liberũ arbitrium uoluntatis, quoniá huius generis iumentum, ſicut ſcriptũ eſt, & ſubiugale ſine uoce, hominis uoce reſpondens uetuit prophetæ dementiá. Hi aũt qui talesnon prodigioſos motus, ſed uoluntarios actus, nec de paruulis, ſed à paruulis factos eſſe cõtendũt, quid Apoſtolo reſponſuri ſunt? qui cum & hos geminos ad documentum gratuitæ gratiæ cõmemorandos uideret, Nondum enim natis, inquit, nec aliquid agentibus boni aut mali, ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex uocante dictũ eſt, Quia maior ſeruiet minori, &c. Et ſubdit: Nempe doctor gentium in fide & ueritate iſtos geminos nondum natos nihil boni aut mali egiſſe teſtatur, ut gratia commendetur, ut quod dictũ eſt, Maior ſeruiet minori, non ex operibus, ſed ex uocante dictum intelligatur, ut ſecundum electionẽ Dei propoſitum maneret, non meritum hominis anteiret. Hæc ille. quæ non ita magnoperè conſideranda uideri poterant, niſi ſeculum hoc non modò nouorum ferax eſſet dogmatum, ſed & ad reuocanda uetera, iam olim ſepulta procliue.

Nec infantiæ noſtra meriti prærogatiuam habet. 6 Tertiò, tranſeamus ad recens nati hominis infantiam. Nec illa ſic eſt mentis intelligentia, uoluntatis arbitrio, ac uiribus operandi inſtructa, ut aut uelle aut operari quicquam quod ſit meritorium poſsit. Et hoc non modò in ethnicorum ac reliquorum infidelium, ſed & fidelium infantibus uerum eſſe conſtat, quos ſignaculo gratiæ Dei obſignamus. De his Auguſt. epiſtola paulo ſuprà citata diſertè dicit, quòd dum illis regenerationis, quæ per Chriſtum eſt, gratia confertur, nec ſenſum habeant eius gratiæ quam accipiunt, nec aliqua erga illam ſint uoluntate, nec ante, nec in ipſo actu, nec poſt: imò quòd tantum beneficium nõ ſolum non libentibus, uerumetiam reluctantibus datur, quod eis ad magnum imputaretur ſacrilegium, ſi iam in his aliquid ualeret uoluntatis arbitrium. Ergo nec infantia noſtra dogmatis huius de meritis humanis capax eſſe poteſt.

Nec in adultis eſt meritum. 7 Quartò: Vbi iam tranſacta pueritia & copore & rationis facultate adoleuimus, an ibi benè de Deo mereri poſſumus? Quomodo poſſemus mereri à Deo præmium ſalutis, cũ ſimus natura filij iræ, impij, peccatores, inimici Dei, cæci, non intelligentes ea quæ Dei ſunt, & prorſus carnales, ad omne bonum opus reprobi, facientes non Dei, ſed carnis uoluntatem, alienati à uita Dei, &c. donec Spiritu Dei regeneremur, & ex infidelibus fideles reddamur? Sic Augu. lib. contra Pela. & Celeſt. de gratia Chriſti cap. 26. Et ſi cõſenſerit nos gratia Dei accipere charitatem, non ſic ſentiat, quaſi ulla bona noſtra merita præceſſerint. Nam quæ merita bona tũc habere poteramus, quando Deum non diligebamus? ut enim acciperemus dilectionem qua diligeremus, dilecti ſumus, cum eam nondum haberemus. Hæc ibi. Nimis impium eſt, gratiam uocationis fidei, conuerſionis, illuminationis, iuſtificationis ac regenerationis habere loco præmij, quod meritis humanis debeatur. Nec eſt ut obijciant nobis, multos eſſe bonos homines in cæcitate uel Ethnica, uel Iudaica, uel Turcica, aut etiam Antichriſtiana, qui probitate ſua & bonis operibus promereantur à Deo ut fiant credentes. Sic enim gloriam gratiæ Dei extinguunt, dum ſalutis noſtræ principia non gratiæ Dei, ſed meritis tribuunt. Donum Dei fides eſt, non meritum. Gratia Dei præcedit omnia tam fidei quàm operum merita.

Cornelius. 8 Obijciunt Cornelium, de quo in Actis capite decimo legimus, quòd acceptæ fuerint illius eleemoſynæ, & orationes in conſpectu Dei exauditæ, priuſquam credidiſſet in Chriſtum. Re-

Auguſtinus. ſpondet Auguſtinus libro de Prædeſtinatione ſanctorum, capite ſeptimo: Nec tamen ſine fide, inquit, aliqua donobat & orabat. Quicquid & antequam in Chriſtum crederet, & cum crederet, & cum credidiſſet, bene operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum eſt, ne fortè quis

Epheſ. 2. extollatur. Hæc ille. Sanè etiam in Cornelio locum habet illud Apoſtoli: Gratia enim eſtis ſaluati per fidem, & hoc nõ ex uobis. Dei namq; donum eſt: non ex operibus, ne quis glorietur. Quòd ſi quis hoc negat, reliquum eſt ut dicat: Merito ſuo ſaluatus eſt Cornelius, & non gratia Dei: ex ſeipſo, non ex Deo. Dei namque præmium fuit, bonis ipſius operibus debitum de quo potuit gloriari. Si hæc impia ſunt, fateatur igitur iuſticiarius, & Cornelium non ſuo merito, ſed gratia Dei fuiſſe iuſtificatum.

Nec in conuerſis & fidelibus eſt meritum. 9 Quintò. Progrediamur iam ad eam uitę noſtræ partem, in qua tanquam Chriſtiani & fideles in Deum ac Chriſtum eius credimus, credentes iuſtificati ac regenerati ſumus, Deum ac proximum diligimus, & bonis operibus nomen patris noſtri qui in cœlis eſt glorificamus: uideamusq; an non tales cum ſimus, rectè nobis bona merita uindicemus, & æternæ uitæ præmia ſperemus, iuxta illud poetæ: Et ſpes ex meritis quæ uenit, æqua uenit. Sanè fateamur neceſſe eſt, eſſe bonis piorum operibus multum in cœlo mercedis repoſitum. Multa ſunt Scripturæ ſacræ teſtimonia, quibus docemur, futurã eſſe remunerationem eorum quæ propter Deũ â pijs uel bona fiunt, uel aduerſa tolerantur. Sic Matth. 5. dixit Dominus: Gaudete & exultate, quia merces ueſtra multa eſt in cœlo. Et cap. 10. Qui dederit uni ex minimis meis, inquit, potum aquæ frigidæ, amen dico uobis, nõ perdet mercedẽ ſuam. Verùm aliud eſt per bonitatem

tatem Domini dari mercedem, & aliud dicere quod meriti sumus ac digni, quibus à Deo uita æterna mercedis loco detur. Dum mercedem dat Deus, dat pro sua gratia, non pro debito. Et nos, dum bene operamur, cogitare debemus de dicto Christi, Cum omnia feceritis, dicite: In utiles serui sumus, potius quàm gloriari de meritis uestris, & à Deo poscere mercedem. *Mercedem dat Deus pro sua gratia.*

1 Primùm enim, cum non sumus nostri iuris, sed toti ad ius Domini pertineamus, à quo sumus primùm conditi, postea & precio sanguinis à peccato & æterna morte redempti, iuxta illud 1. Cor. 6. Empti estis precio magno. Et Rom. 14. Domini sumus, siue uiuamus siue moriamur. Nemo nostrùm sibi uiuit, &c. quid'nam meriti prætexere, & quod præmium ab illo exigere poterimus, cuius toti sumus? Vel tollamus igitur omnimodam hãc potestatem Dei, quã in nos totos tanquam peculium suum habet: uel agnoscamus, non cõpetere seruis, ut de meritis erga herum suum glorientur, & præmia poscant. Non possunt enim hæc duo sic coniungi, ut non sit cedendum alterutri. Si herus fidem ac sedulitatem serui sui habet loco meriti, dignumq; censet, quem manumittat ac libertate donet, bonitati illius dandum est, non debito. Neque enim obstrictus illi est hoc nomine, quòd fidelis est, & fideliter seruit. Sic enim facit quod facere debet: & nisi faceret, meritò dignus esset supplicio. Nemo nisi singulariter bonus, gratias agit debitori, si reddat quod debet. Et admodum impudens sit oportet, qui quasi bene meritus, præmium sibi ob id poscit, quòd debita soluit. Qui seruus est, qui debitor est, qui quod debet facit ac præstat, de merito gloriari non potest. At tales sumus, etiam ubi iusti sumus, & quod præceptum est ac bonum facimus. *Non sumus nõstri iuris.*

2 Deinde accedit & hoc, quòd non modò serui sumus ac debitores Deo in omnibus, sed & usque adeò omnis boni egeni, ut ne cogitare quidem quod bonum est, nedum opere præstare possimus ex nobis tanquam ex nobis: sed necesse habeamus, ut omnis sufficientia nostra per diuinam nobis gratiam sub ministretur, 2. Corinth. 3. Quare & Philip. 2. disertè tribuitur Deo, quòd ipse in nobis operetur & uelle & perficere, pro bona sua uoluntate. Ergo quòd bonum uolumus, & quod uolumus opere præstamus, non est nostræ uel uoluntatis uel facultatis, sed & uoluntas est & opus Dei pro bona sua uoluntate in nobis & uelle & perficere operantis. Vnde igitur est nobis fides? unde charitas? unde spes? unde religio Dei? unde patientia in aduersis? unde uoluntas bona? unde uires ad bene quod bonum est operandum? Si ex nobis, habemus unde gloriemur. Si non ex nobis, sed ex libera & gratuita Dei gratia, quid aliud consequitur, quàm ut bonitati Dei agamus gratias potius quàm ut de meritis gloriemur? Dicunt, meritum censeri secundum bonam hominis uoluntatem: at unde est homini non bono bona uoluntas, nisi ex eo qui solus est bonus, & unde quicquid bonũ est suppeditatur? Quomodo meritum esse potest in opere non nostris, sed ipsius Dei uiribus præstito? *Non sumus sufficientes ad cõgitandũ bona.*

Sed obijciunt illud Apostoli: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: quod reliquum est, reposita est mihi corona iusticiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex, 2. Tim. 4. An non utrunq; inquiunt, commemoratur ab Apostolo, & opus bonum à se præstitum, & præmium à Deo expectatum? Respondet August. in homilijs 50. hom. 14. sic dicens: Reddet, inquit, mihi Dominus coronã iustus iudex. Debet ergo. Quid reddet? Reddet ergo iustus iudex. Non enim opere inspecto potest negare mercedem qui opus inspicit. Bonum certamen certaui, opus est. Cursum cõsummaui, opus est. Fidem seruaui, opus est. Super est mihi corona iusticiæ, merces est. Sed in mercede te nihil agis, in opere nõ solus agis. Corona tibi est ab ipso, opus autem abs te, sed non nisi ipso adiuuante. Et aliquãto pòst: Cum ergo, inquis, bona retribuit, præuenit se, dando bona quibus retribueret bona. Ecce retribuit mercedem his bonis, operibus bonis. Bonum certam certanti, cursum consummanti, fidem seruanti retribuit bona. Sed quibus bonis? Quæ ipse dedit, An non ipse dedit, ut bonum certamen certares? Si non ipse dedit, quid est quod alio loco dicis? Plus illis omnibus laboraui: Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Ecce iterum dicis: Cursum consummaui. Non & ipse dedit, ut cursum consummares? Si non ipse dedit, ut cursum consummares, quid est quod alio loco dicis: Non uolentis, neq; currentis, sed miserẽtis est Dei? Fidem seruaui. Seruasti? Agnosco & probo, fateor, seruasti. Sed nisi Dominus custodierit ciuitatem, in uanum uigilat qui custodit eam. Ab illo ergo ipso adiuuante, ipsoq; donante, & bonum agonem certasti, & cursum consummasti, & fidem seruasti. Da ueniam Apostole, propria tua non noui nisi mala, Da ueniam Apostole. Dicimus, quia tu docuisti. Audio confitentem, non inuenio ingratum. Prorsus tua à te tibi parata non nouimus nisi mala. Cum ergo Deus coronat merita tua, nihil coronat nisi dona sua. Hæc ille quibus fatetur quidem opus bonum ab Apostolo præstitum, & præmium ab illo expectatum: uerùm sic tribuit opus illius dono & gratiæ Dei, ut propriè ac ueraciter non sit in illo meritum hominis, sed gratia Dei, adeoq; & corona illa futura non habeat propriè rationem præmij, sed magis gratiæ Dei sua in Apostolo dona coronantis. Iam si ne in Apostolo quidem meritum boni operis locum ueraciter & legitimè habet, quem dabimus in quo habeat? *Obiectio. 2. Tim. 4. Bonum certamen certaui. Augustinus. Da ueniã Apostole, propria tua nõ noui nisi mala.*

3 Tertiò. Si diuinam maiestatem nullius egentem, sed magis omnia omnibus suppeditãtem consideremus, quod'nam erit illud bonum nostrum opus, quo illi prodesse possimus? Bono- *Deo prodesse non possumus.*

Psal.16. rum meorum non eges, inquit Dauid. Quale autem meritum esse potest in opere, cuius nulla utilitas ad Deũ pertingit? Imò, quod adhuc amplius est, cuius utilitas, si qua est, ad nos ipsos redit? Qui iustus est, & bene operatur, suo ipsius, non Dei bono iustus est, & bene operatur: quemadmodum qui malus est & malè operatur, sibijpsi malus est, & malè operando incommodat. *Simile.* An qui sanus est corpore, & ualetudinem suam rectè uiuendo, operando, edendo ac bibendo curat, hoc faciendo aliquid à medico meretur præmij? Non puto. Suo, non medici, bono talis est, ac talia facit. Consimili modo, qui mentis sanitatem dono Dei consequitur, & per eiusdem gratiam, ea facit quę ad custodiam illius conducunt, eum ne dicemus nescio quid præmij mereri à Deo, quòd talis est dono illius factus, & gratiam acceptam suo ipsius bono diligenter credendo, sperando, diligendo, operando ac patiendo ope illius adiutus cõseruat? *Obiectio.* Quis adeò stupidæ mentis est, ut hoc dicat? At coronat tales, inquis. Coronat in illis sua ipsius dona, quæ sunt illorum bona, atque ita omnia gloria gratiæ ipsius salua permanent. Vbi uerò omnia sunt gratiæ Dei, quid reliquum erit meritis hominum? Nam ubi gratia est, ibi merito nullus est locus, si rationem meriti propriè consideremus.

Imperfectio nostra. Esa.64. 4 Quartò: Si examinãda sint opera nostra, & iudicio Dei iusto & exacto subijciẽda, quis nã adeò humanæ est imperfectionis ignarus, ut non agnoscat, timenda magis esse supplicia propter defectus & uicia quibus iusticia nostra culpabilis redditur, quàm ulla expectanda præmia, ac de nescio quibus meritis gloriandum? Putamúsne uanum esse quòd Proheta iusticiam nostram uniuersam similem esse clamat non niui ac lanæ albæ, sed panno mulieris menstruatæ, ipso aspectu abominabili? Nec est ut de iusticia carnis nõdum iustificati hominis exponamus. Etiam de Christianorum iusticia, quæ secundum operum ipsorum & affectuum sit qualitatem censenda, clamat Augustinus lib. 9. Confessionum dicens: Væ uniuersæ nostræ iusticiæ, si remota misericordia iudicetur. Quale igitur meritum est, quod iudicij & iusticiæ *Augustinus de S. Virg. ca. 42.* censuram ferre non potest, & non nisi per misericordiam à condemnatione liberatur? Reuera melius est confiteri peccata cum publicano, quàm gloriari ac præsumere de meritis nostris cũ Pharisæo. Talia sunt merita nostra, ut illarum enumerationi præferatur peccatorũ confessio.

Amplitudo futuræ gloriæ nõ admittit meritum humanũ 5 Quintò: Si conferamus inæstimabilem æternæ uitæ ac felicitatis gloriam cum non modò operibus nostris quantumuis bonis, sed & passionibus quibuscunq; dabimus ne illis tantum meriti, ut digncs nos reddant, qui sempiternis illis bonis fruamur? Non sunt condignæ passiones, inquit Apostolus, huius temporis ad futurã gloriam quæ reuelabitur in nobis. Rom. 8. Si passiones nostræ propter Christum illatæ non sunt condignæ ad futuram gloriam, quomodo condigna sunt opera? quomodo habent rationem meriti, cum amplitudini futuræ gloriæ ex æquo non respondeant? In expectatione meriti præmij consideranda est utrinq; laboris & præmij qualitas, pariter & mensura, ne præmium minoris sit momenti quàm meritum: uel, ne meritum magnitudini præmij non respondeat. Quicquid enim in præmio meritum excellit, non merito, sed gratiæ est deputandum. Quantulum autem est iusticiæ nostræ meritum, si ad infinitam illam æternæ felicitatis gloriam æstimetur? Ne gutta quidẽ est amplissimo ac profundissimo Oceano comparata. Dum ista consideramus, quid aliud relinquitur, quàm ut statuamus nullum esse hominis meritum erga Deum, nec ante nec post illius conceptionem, nec ante nec post illius natiuitatẽ, nec ante nec post illius cõuersionem ac regenerationẽ: sed quicquid illi est meriti ab initio fidei usq; ad perseuerantiæ consummationem, donum atque opus esse diuinum, sicuti testatur Ambros. lib. 1. de Vocatione gentium, cap. 7. ut rectè Bernardus dicat, sic merita nostra omnia dona esse Dei, ut homo magis propter ipsa debitor sit Deo quàm Deus homini.

Vltimò, de statu nostro post mortem. 11 Postremò, quod attinet statum animarum nostrarum post mortem corporis, puto neminem esse qui tribuat illi facultatem merendi. Cum hinc exieris, inquit Augustinus recipieris pro meritis, & resurges ad recipienda quæ egisti. Tunc Deus coronabit non tam merita tua quàm dona sua. Hæc ille. Et Hieronymus, quamuis recitet opinionem eorum qui contendunt, postquam de hoc seculo migrauerimus, & offendere posse creaturas rationales, & promereri: illud tamen Ecclesiast. 9. Mortui nesciunt quicquam, & non est eis amplius merces, sic exponit: Viuentes metu mortis possunt bona opera perpetrare, mortui uerò nihil ualent ad id adijcere quod semel secum tulère de uita. Item: Nec iustè possunt agere, nec peccare, nec uirtutes adijcere, nec uicia. Hæc iste. Sanè omnino aliud est tempus operandi, & aliud pro eo quod operatus fueris in hac uita recipiendi. Et in iudicio futuro, iudicabitur non de operibus uel meri- *2. Cor. 5.* tis, quæ facta sint post mortem, sed quæ in hoc corpore sunt gesta, sicuti Apostolus loquitur. Quare constat, nihil esse nobis meriti non modò ante hanc uitam nostram, & in ipsa uita, sed & post mortem.

Epilogus. 12 Licet itaq; concedendum, immò fatendum sit, esse mercedem eorum, quæ facimus paratam in cœlo: iuxtà tamen fatendum est, coronare Deum in nobis non merita nostra, sed sua dona. ideoq; quicquid mercedis accepturi sumus, impropriè esse mercedem, propriè uerò gratiam: & quæ bona facimus, non nostrum esse, sed ipsius opus in nobis, & per nos ab ipso factum. Multa namq;, ut Augustinus dicit, facit Deus in homine bona, quæ nõ facit homo: nul-

la uerò

la uerò facit homo, quæ non facit Deus ut faciat homo: contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium libro secundo, capite octauo. Quapropter summopere cauendũ est, ne sic merita humanà statuamus, ut gratiam Christi euacuemus, & iusticiam Dei contemnamus. Meritum enim & gratia inter se sic pugnãt, ut sicut Bernhardus super Cantica sermone 67. dicit, non sit quò gratia intret, ubi iam meritum occupauit.

13 De illo paucis admonendi sumus, quòd merita sanctorum ac iustorum posteris prodesse dicunt. Hieronymus in Ezechielem, cap. 14. sic hoc concedit, ut dicat merita patrum prodesse filijs, si à malo conuertantur. Et Augustinus in Quæstionibus super Exodum libro secundo, capite centesimo quadragesimonono dicit: Cum merita nostra nos grauant, ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit. Indubitatum est, benefacere Deum, & impendere misericordiam non solùm iustis ac se diligentibus, sed & illorum posteris in mille generationes: Exodi uigesimo. Verùm tria hæc simul tenenda sunt. Primùm, referendum hoc esse ad bona temporaria, non ad æternam uitam. Deinde, adijciendam esse conditionem, si se non reddant incorrigibili impœnitentia gratia hac indignos. Tertiò, totum hoc quoq; magis esse bonitati ac gratiæ Dei, quàm sanctorum meritis dandum. *De meritis sanctorum.*

DE REMISSIONE PECCATORVM.

RELICTIS doctoribus meritorum, transeamus ad inspiciendam potius remissionem peccatorum, sine qua saluari potest nemo, & qua obtenta perit nemo. In loco de Iustificatione, quæ est per fidem in Christum, iustificari idem quidẽ esse diximus, quod à peccatis absolui: uerùm ipsam peccatorum remissionẽ nondum peculiari tractatu considerandam proposuimus, quod in præsenti quantũ pijs prodesse poterit, faciemus.

Principiò, non est ut hic definiamus quid sit peccatum, quandoquidem de illo suprà loco separato diximus. De remissione illius uidendum est. Dicitur remitti peccatum, quando peccatori clementer ignoscitur: retineri uerò, quãdo non ignoscitur, sed pœna exposcitur. In peccato sunt tria: Factum, iniquitas uel culpa, & reatus. Factum ipso actu trãsit, iniquitas manet, illi reatus uel debitum cohæret, quo rei sumus condemnationis ac meriti supplicij. Cum ergo peccatum remittitur, non remittitur factum, quod aliàs per se euanuit, sed iniquitas facti unà cũm reatu ac debito. Propter iniquitatem, uel transgressionem, aut inobedientiam uocatur factum, quod iniquè admissum est, peccatum; & propter reatum, appellatur debitum. Legimus ergo in Scripturis de remissione iam peccatorum, iam iniquitatum, iam debitorum, quæ eadem est prorsus. Cum oramus in oratione Dominica, Et remitte nobis debita nostra: nihil aliud petimus, quàm ut nobis peccata & iniquitates nostræ per paternam clementiam remittantur, ac merita condemnatio condonetur. *Remitti peccatum quid.* *In peccato sunt tria.*

Quàm autem necessaria sit mortalium generi peccatorum remissio, tribus rationibus omnium certissimis intelligi potest. Prima est, quòd nemo mortalium est, qui ab omni sit peccato purus, ne infans quidem unius diei. Concipimur & nascimur in peccatis omnes. Deinde in omni nostra uita iniquitatem bibimus ut aquam, nec est homo qui faciat bonum, & non peccet. Et ne ad infideles hoc tantùm referatur, Apostolus Christianis scribens, dicit: Si dixerimus quòd peccatum non habeamus, nos ipsi seducimus, & ueritas eius in nobis non est, 1. Ioan. 1. Sit angelis quidem haud necessaria peccatorum remissio: nobis, qui ex Adamo descendimus, omnio necessariam esse constat, quandoquidem peccatores sumus omnes. Secunda ratio est, quòd per peccatum morti & æternæ condemnationi reddimur obnoxij. Vnde est quod Apostolus Ephes. 2. naturà nos iræ filios esse dicit. Per peccatũ separamur à Deo, inimiciq; illius efficimur, sine cuius gratia nulli hominum poterit spes esse salutis. Tertia est, quòd soluendo satisfaciendoq; non sumus. Debitis grauissimis à prima conceptione constringimur, pro quorum ne uno quidem satisfacere poterimus. Non habemus quod respondeamus iusticiæ Dei, ne unum quidem pro mille. Quid igitur consequitur aliud, quàm ut aut remittantur nobis peccata, aut prorsus pereamus? Neque enim poterit nos quisquam eripere de manu Dei, iudicis omnium iustissimi: nec dimittimur impunè, nisi peccata nobis remittantur. Et hinc est quòd Dauid beatos eos uocat, quibus iniquitates remittũtur, & peccata teguntur: significans eos esse omnium infelicissimos ac perditos, quibus illa retinentur. Magna igitur, imò maxima ratione instruimur à Domino, ut pro remissione peccatorum nostrorum ad Deum patrem nostrum clamantes dicamus: Et remitte nobis debita nostra. Nisi enim hoc fiat, impossibile est ut saluemur. *Quàm necessaria sit peccatorũ remißio.*

Cum itaq; tam sit necessaria peccatorum remissio, ut sine illa nemo possit saluari: operępre cium fuerit exponere quædam, quæ pio homini in hac causa cognitu sint utilia. Vtpote cuius sit remittere peccata, quibus illa remittantur, quibus medijs remissio hæc impetretur, quibus *Dispositio.*

conditionibus conferatur, an omnia peccata remittantur, an impetrata semel remissio possit fieri irrita: an' non culpa tantum, sed & pœna remittatur: & an post mortem remittantur peccata, quæ in hac uita non sint remissa.

I. CVIVS SIT REMITTERE PECCATA.

Sap. 8. Sapientiæ est scire, cuius sit donum.

QVemadmodum Sap. 8. hoc ipsum sapientiæ esse dicitur, scire cuius sit donum, quod est petendum: ita & in hac causa sentiendum est, sapientiæ esse cum primis necessariæ, scire cuius sit donum: & à quo petenda gratuita peccatorum remissio, ne incidamus in seductores, qui sibi uindicant ipsi potestatem remittendi peccata, & in causa tam necessaria quæstum sectando simplicioribus imponunt, illorumq; & loculos exhauriunt, & conscientias uel torquent retinendo, uel falsò secu rasreddunt, remittendo ipsorum peccata.

Remissio debitorum.

Puto autem remissionem peccatorum eandem absq; controuersia habere rationem, quam habet remissio debitorum: ut sicut debita remittere non potest nisi creditor, cui debetur: ita & peccata remittere nequeat, in quem non est peccatum, sed is tantum qui peccato est læsus & offensus. Si quis aliena debita remittat, fallitur debitor, si credat se liberatũ esse uinculo debiti: & iniuria afficitur creditor, sine cuius conscientia & uoluntate debita ad ipsum pertinentia remittuntur, ac debitor ipsius absoluitur: quam remissionem mox iure suo reddit irritam, & debitum nihilo secius à debitore requirit. Consimili modo, si quis peccata in se non admissa remiserit, fallit eum cui remittit, & peccat in eum qui læsus est, & solus potestatem habet in se admissa peccata uel remittendi uel retinendi: atq; ita & reum non liberat, & offendit eum cuius ius temerè inuadit.

Qui peccat, peccat in Deũ, uel mediatè uel immediatè.

Hæc sunt certa. Porrò certũ est & illud, quòd quisquis peccat, in Deum uel immediatè uel mediatè peccet. Immediatè, quando contra primæ: mediatè, quando contra secundæ tabulæ præcepta peccatur. Populus Israel, cum deos alienos sectaretur, eidola erigeret, nomen Domini Dei sui in uanum sumeret, & sabbata prophanaret, immediatè contra Deum: cum uerò parentes contemneret, proximũ occideret, adulteria & furta admitteret, falsum contra proximum testimonium diceret, & bona aliena concupisceret: in proximos quidem, uerùm mediatè, & in Deum tanquam cõmunem omnium Dominum ac legislatorem peccabat. Quod de Israelitis exempli gratia dicimus, conuenit & nobis, ut secundum hanc rationem de quouis peccati genere iudicemus. Igitur ex duabus hisce præmissis propositionibus, quarũ maioris loco est, In quem peccatur ab omnibus, illius est omnium uel remittere uel retinere peccata: minoris uerò, In Deum autem peccatur ab omnibus, consequitur hęc conclusio: Ergo Dei est omniũ aut remittere aut retinere peccata. Quare qui Lucæ quinto dicebant, Quis est quĩ peccata remittat nisi solus Deus? haudquaquam errabant: unde neq; à Christo quod dicebãt negabatur, imò miraculo per diuinam uirtutẽ confirmabatur, qua se eãdem esse potentia cum patre, solo uerbo paralyticum sanando declarabat. Sic clamat per prophetam Deus, Ego sum: ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas propter me. Esa. 43.

In Deum peccatur ab omnibus.

Dei est remittere peccata.

Obiectio. Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata. Itẽ, Sicut et nos remittimus.

Sed dixerit quisquam: Si Deus solus remittit peccata, ut sit rata & firma remissio, quid est quod Ioan. 20. discipulis à Domino dictum legimus: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt? Deinde quid est quod in oratione Dominica dicimus: Sicut & nos rtmittimus debitorib. nostris? Et quod Lucæ 17. à Domino dicitur: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illũ: & si pœnituerit ipsum, remitte illi: & si septies in die peccauerit, & septies in die conuersus fuerit, ad te dicens: Pœnitet me, remitte illi. An non manifestum est, non solum Deum, sed & Apostolos & unumquemq; fidelem remittere peccata?

Triplex est potestas remittẽdi peccata.

Respondeo: Triplex est peccata remittendi potestas. Prima est authoritatis, secunda ministerij, tertia priuati uniuscuiusq; iuris. Ad primam pertinet, quę solius est Dei: ad secundam, quæ Apostolorum & ministrorum: ad tertiam, qua quis fratri in se peccanti remittit. A' prima omnis nostra salus dependet. Nisi enim Dominus ipse peccata nostra remittat, frustrà remittit minister, & frustrà nos fratribus remittimus. Dicis: Atqui remittuntur eis, inquit, quorum uos peccata remiseritis. Ergo & ministro remittente peccata, rata est remissio. Est sanè, si remiserit cui ipse Dominus remittit. Si uerò quem Dominus ligat, ipse absoluerit: & quẽ ille absoluit, ipse ligauerit, non poterit ratum esse in cœlis quod facit, quia non ad præscriptum ministerij facit. Firmitudo namq; remissionis ab authoritate & sententia ipsius Domini pendet. Ministri est, per prædicationem Euangelij annunciare gratiam hanc omnibus, qua credentibus in Christum peccata remittuntur: & iram Dei, qua incredulorum peccata retinentur. Sic remittit fidelibus & resipiscentibus, incredulis & impœnitentibus non remittit. Et tamen totũ hoc quod facit, ad authoritatem Domini, cuius est minister, pertinet. Cum dico, solum principem ligare ac soluere captiuos, de authoritate principali intelligo, à qua pendet ministrorum opus, qui ipsius iussu ligant & soluunt. Quod tertiam, id est priuatã peccata remittendi potestatẽ attinet, qua frater fratri in se peccanti remittit, est illa hactenus libera quatenus liberũ est unicuiq; de iure suo cedere in gratiam proximi: quatenus uerò nõ sumus nostri, sed Domini,

liberum

liberum nobis non est, remittere uel retinere fratrum peccata in nos admissa, sed mãdato Domini remittere iubemur, cũ dicit, Remitte illi: & graui cõditione cõstringimur, q̃ Matt. 6. expressit, dicens: Si non remiseritis hominibus, nec pater uester remittet uobis peccata uestra.

Est aũt & hoc tertium remissionis genus in cœlo ratum, si peccata fratribus nõ simpliciter, sed resipiscentibus, confitentibus, ac ueniã rogantib. remiserimus. Culpabile equidem nõ est, si etiam non resipiscentibus remiserimus, quod nos attinet: imo nõ remiserimus tantũ, sed & cũ ipso Domino dixerimus: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciant. Verùm eiusmodi remissio nihil illis prodest coram Domino, qui non remittit nisi resipiscentibus, ac ueniã orantibus. Sic omnis illa remissio peccatorum, quæ ad salutem nostrã est necessaria, à solius Dei gratia pendet. De hac tamen materia plura, si quis cupiat, in Matthæo nostro, cap. 6. ibi: Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos, &c. legi poterunt. *Lucæ 23.*

II. QVIBVS PECCATA REmittantur.

SI consideremus eos qui peccatorum suorũ remissionẽ per gratiam Dei acquirunt, quem admodũ electorum, ita & istorũ modicus est numerus, respectu reproborum, quorũ peccata in sempiternũ retinent. Verùm nos hic nõ quærimus, quibúsnam gratia hęc remissionis contingat: sed potius quib. sit annunciãda ac proponenda. Hic nõ est ut certos quosdã statuamus, quib. solis peccatorũ sit prædicanda remissio. Cõmuniter ad illã uocãtur omnes, Iudęi & Gręci, docti & indocti, sapiẽtes & insipiẽtes, diuites & pauperes, senes & paruuli, uiri & mulieres. Quemadmodũ enim concluſit Deus omnes sub incredulitatẽ, ut omnium misereretur: ita uult gratiam hanc misericordiæ suæ proponi omnibus. Sic Deus dilexit mundum, inquit Seruator, ut filiũ suum unigenitũ daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam, Ioan. 3. Et 1. Ioan. 2. sic legimus: Sed etsi quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrẽ, Iesum Christũ iustũ: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nõ aũt pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Puto aũt mundi dictione intelligendum esse uniuersum genus mortaliũ, unde hic mundus à principio ipsius ad finem usq; cõstat. Cum igitur pro mundo filium suum Deus dedisse, & ille pro totius mundi peccatis propitiatio esse dicitur, quid aliud significatur, quàm gratiã remissionis peccatorum destinatam esse mortalibus omnibus, ut omni creaturæ sit annunciandũ illius Euangelium? Hactenus philanthropia Dei considerãda nobis proponitur, qua ille non uult quenquã perire, sed omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem ueritatis uenire, 1. Tim. 2. Habet tamen generalis hæc gratia suas conditiones, de quibus in sequentibus.

Quibus sit annuncianda peccatorum remissio.
Rom. 11.
Ioan. 3.
1. Ioan. 2.

III. QVIBVS MEDIIS PECCATORVM remißio acquiratur.

LIbera quidẽ est & gratuita prorsus peccatorum remissio, ut sit nõ debita meritis nostris, sed mera & indebita gratia: ipsa tamen æquitate poscitur, ut non sine certis medijs & conditionibus conferatur & accipiatur. De medijs hoc præsenti, de conditionib. sequenti articulo dicemus. Quemadmodũ aũtem iustificationis, de qua suprà, ita & remissionis peccatorum duplex est agnoscẽdum mediũ: unũ, in quo: alterũ, per quod conferatur & accipiatur. Medium, in quo, est Christus, unicus omniũ mediator, reconciliator & redẽptor, cui oẽs prophetæ testimoniũ perhibẽt, quod remissionẽ peccatorũ accipiant per nomen eius oẽs qui credũt in eum, Act. 10. Cuius sanguine à peccatis nostris lauamur, quẽ Deus constituit propitiationẽ pro peccatis totius mundi, inq; illo mũdũ sibi reconciliauit. De hoc medio inter Christianos nulla, quã ego sciam, est controuersia. Confitemur omnes esse Christũ agnum illũ Dei, qui tollat peccata mũdi, cuius sanguis in cruce pro peccatis nostris sit effusus. Mediũ uerò per quod, geminum existit. aliud enim est per quod confertur, & aliud per quod accipitur peccatorum remissio. Medium cõferendi uocãt Scholastici applicatoriũ. Nisi meritũ Christi, inquiunt, applicetur isti uel illi, nulla culpa peccati deletur, cum solũ in uirtute passionis Christi deleatur: & ideo cum sacramenta sint immediatum applicatiuũ passionis Christi ad nos, oportet, si culpa debeat dimitti, quòd per aliquod sacramentum uel de facto exhibitũ uel in uoto fiat. Sic illi loquuntur: nullis tamen Scripturis probant, sacramenta medium esse, per quod conferatur peccatorum remissio. Nos uero simpliciter mediũ cõferẽdi illam dicimus esse uerbum gratiæ, per quod remissio annunciatur, siue id fiat in genere ac publicè, siue specialiter ac priuatim. Videtur quidem remissio peccatorum tribui baptismati, ubi Act. 2. Petrus dixisse legitur: Resipiscite, & baptizetur unusquisq; uestrùm in nomine Iesu Christi, in remissionẽ peccatorum, & cum Paulo ab Anania diceretur, Surge & baptizare, & ablue peccata tua. Verùm distinguẽdũ est inter realem gratiæ huius, & sacramentalem collationẽ. Realis est, quæ per interná gratiã: sacramentalis, quæ signo externo confertur. Deinde licet uerbum & signum coniungantur in

Duplex mediũ 1. In quo remittãtur peccata.

2. Per quod remittantur.

An remißio peccatorũ tribui poßit baptismati.

ſacramentis,& quod uerbo geritur,ſacramentalitet etiã geratur in ſigno: quod tñ remiſsionẽ peccatorum attinet,locum habet illa in Baptiſmate quidẽ,in cœnę Dñicæ uerò ſacramẽto nõ ita.deinde referenda eſt ad peccata cùm originale,tũ ea actualia quæ baptiſmũ anteceſſerunt. Nos uerò loquimur de remiſsione peccatorũ,quæ nõ ſemel tantũ & initialiter,ſed per omnẽ nqſtrã uitã conferat, quam non poſſumus ad Baptiſmũ,ſacramentũ haud iterabile,nec debemus ad cœnã Dñicam referre,quòd illa inſtituta ſit nõ ad remiſsionẽ peccatorũ uel conferendã uel accipiendã,ſed ad mortis Chriſti rememorationẽ.Nõ enim dixit Dñs, Hoc facite ad remiſsionẽ peccatorũ:ſed,hoc facite in mei rememorationẽ. Quod uerò cœnę Dñicę ſacramento tribui nõ poteſt,neq; Miſſæ Papiſticę cõuenire poterit. Niſi dicturi ſunt,illã non modò aliã eſſe ab iſta,ſed & maioris momenti & efficacię q̃ ſit iſta. Quare admodũ nugãtur,qui tribuunt illi applicationem meriti Chriſti,ſpecialiſsimã,ſpecialem & generalem,ſecundũ intentionem ac uoluntatẽ Miſſantis ſacrificuli: cõtra quas nugas infrà in loco cõtra Miſſam hãc dicturi ſumus. Nos relictis illis , medium cõferendi remiſsionẽ peccatorũ ipſum dicimus eſſe uerbum gratiæ,per quod nobis gratia remiſsionis & reconciliationis,& initiò conuerſionis noſtræ & per omnẽ uitã annunciatur,tã in genere ac publicè,quàm ſpecialiter ac priuatim. In genere,ut in Actis cap.2.& 3.ab apoſtolo Petro. ſpecialiter ac priuatim,ut à Chriſto ipſo factũ legimus, cum ad paralyticũ diceret, Bono animo eſto fili,remittuntur tibi peccata tua:& à proheta Nathã,cum Dauidi diceret,Et Dominus tranſtulit peccatum tuũ. Accipiendi uerò medium eſt non modò quo capaces reddimur huius gratiæ,ſed & quo illã ubi offertur,accipimus. Capax illius eſt cor contritum & humiliatum. Verùm aliud eſt eſſe capacẽ,aliud reipſa accipere. Stomachus eſuriens capax eſt cibi:niſi tamen capiat edatq; cibum qui eſurit,nõ reficitur. Sic cor contritum capax quidem eſt remiſsionis peccatorum:uerùm niſi illam reipſa capiat, conſcientia peccati non pacatur. Capit autẽ illam,dum uerbum gratiæ fide accipit. Cum Iudas diceret,Peccaui tradens ſanguinẽ iuſtum: capax quidẽ hactenus erat gratiæ huius,quòd cor illius pœnitudinis dolore torqueretur:uerùm quoniam fide deſtituebatur,non accepit illã, ſed deſperando perijt. Quare ubiq; requiritur fides, qua promiſsiones cœleſtis gratiæ ad uitam & ſalutem æternam accipiantur.

Nec Cœna Dominica confert remiſsionẽ peccatorum, nec Miſſa Papæ.

Medium conferendi remiſsionẽ peccatorũ eſt uerbũ gratiæ.

Matth. 9.

2.Sam.12.

Medium accipiẽdi remiſsionẽ peccatorũ eſt fides.

Cum autem fidei damus,quòd remiſsionem peccatorum accipiat,non excludimus confeſsionẽ peccatorũ,& orationẽ:perinde atq; boni fructus non excluduntur, dum arboris bonitas cõmendatur:neq; ſpiritus & ſonitus uocis excluduntur,quando uis eloquentiæ prædicatur:neq; incuruatio & manuũ extenſio,quando orationi aliquid efficaciæ datur,fides accipiens peccatorũ remiſsionẽ reddit peccatorẽ confitentẽ & orãtem. Quare cũ 1.Ioan.1. legimus, Si confiteamur peccata noſtra,fidelis eſt & iuſtus,ut remittat nobis peccata noſtra: non debemus de confeſsione intelligere,quę non ſit ex fide uerbi,quo de peccatis arguimur & conuincimur. Et cũ ſecundum doctrinã Chriſti orantes dicimus,Et remitte nobis debita noſtra:puto manifeſtum eſſe,orare nos ex ſpiritu fidei. Quapropter rectè totũ hoc deputatur fidei, qđ per illam ad accipiendum reconciliationis gratiam perficitur.

Nõ excluditur cõfeßio peccatorũ & oratio.

IIII. QVIBVS CONDITIONIBVS *peccata remittantur.*

IN Chriſto quidem tanquam propitiatorio noſtro,mediatore ac reconciliatore unico,peccatorum nobis remiſsio per Euangelij uerbũ offertur,& ut donum gratiæ ac miſericordię Dei fide accipitur: certæ tamen conditiones exiſtunt, ſine quibus gratia hæc aut non acquiritur,aut acquiſita non retinetur. 1 Prima eſt,uera ac cõſtans reſipiſcentia. Hãc requiripatet in ipſo Euangelicæ prædicationis exordio, quo cùm præcurſor, tum ipſe Dominus uſus eſt, dicens:Reſipiſcite,eſt enim in propinquo regnũ cœlorum,Matt.3.& 4.Requiritur aũt nõ hypocritica,ſed uera.unde & Ioannes à Phariſęis & Sadducęis dignos poſcebat reſipiſcentię fructus:ſignificans procul abeſſe debere uanã hypocriſim ab illis,qui ex animo reſipiſcere uideri uolunt. Deinde requiritur non modò uera,ſed & conſtans,qua fiat ut in poſterum abſtineamus à peccatis. Sic Chriſtus dicebat: Vade,& noli amplius peccare. Hoc dicens,ſignificat fruſtrà remitti quod poſt remiſsionem iteratur. Quorſum curatur morbus,qui ſemel curatus data opera reuocatur? Vt igitur remiſsio peccatorum ſine uera reſipiſcentia non obtinetur,ita obtenta ſine conſtanti illius cuſtodia non retinetur. 2 Secunda conditio eſt,ut recõciliemur fratrib.in quos peccauimus:& uel ſatisfaciamus illis,ſi ita fieri queat, uel ut nobis ignoſcãt,petamus. Qui quę fratris ſunt iniquis modis abſtulit,fruſtrà ſperat ignoſci ſibi à Deo,niſi malè ablatum reſtituat, ſi reſtituere poterit. Vnde illud eſt:Peccatũ non remittitur:niſi ablatũ reſtituatur. Agnouit hoc qui dicebat: Si aliquẽ defraudaui,reddo quadruplum. Hinc ſunt illa: Si offers munus tuũ ad altare,& recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te,uade prius recõciliari fratri tuo,ac tũ ueniẽs offer munus tuũ. Hæc autẽ recõciliatio nõ poteſt aliter fieri,quàm uel ſatisfactione,uel cõdonatiõe. Quare utrãq; ad illã referimus. 3 Tertia eſt,ut ipſi quoq; clementiã cœleſtis patris noſtri imitãtes,debitorib.noſtris ignoſcamus, omniaq;

Vera & conſtans reſipiſcẽtia.

Reconciliatio fraterna.

Remiſsio fraternorum debitorum.

niaq; illis debita remittamus. Hãc Christus disertè expresit, cum nos orare ac dicere docuit: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitorib. nostris. Et post formulã orationis subiecit: Proinde si remiseritis hominibus errata sua, remittet & uobis pater cœlestis. Quòd si nõ remiseritis hominib. errata sua, nec pater uester remittet errata uestra: Matth. 6.

Hæ sunt conditiones ad remissionẽ peccatorum acquirendam & retinendam necessariæ. Interea tamen non est ut demus illis aliquod iusticiæ nostræ meritum, & gratiæ Dei detrahamus. Neq; enim uel resipiscendo, uel fratri reconciliando, uel peccatis illius ignoscendo, iusto Dei iudicio satisfacere poterimus: cui abundè satis detrahitur, dum resipiscentibus, & cum fratre reconciliatis peccata remittuntur, de quibus meritæ sumi poterant pœnæ. Satis datur misericordiæ & clementiæ Dei, si peccata sic remittantur, ut nõ solùm peccanti personæ ignoscatur, sed & malũ corrigatur. Suprà in loco de Pœnitẽtia rationes ostendimus, propter quas non sit ignoscendum impœnitentibus: quæ hic quoq; considerari possunt.

V. AN OMNIA PECCATA *remittantur.*

QVi filium suum misit in hũc mundũ, ut saluet quod perierat, haud quædã duntaxat, sed omnia nostra peccata remittit. Ad hunc enim susceptæ dispensationis finẽ conducere non posset, si quædã remittens, cætera retineret. Sic enim perinde nobis pereundũ esset, ac si nulla prorsus peccata remitteret. Vnicum peccatum totum genus humanũ perditioni reddidit obnoxium. Quomodo non etiamnũ unico peccato, si de illo remota sit misericordia iudicandum, cõdemnationis rei redderemur? Ratio igitur incarnationis Dñicæ constare non potest, nisi omnia nostra delicta & peccata clementer remittantur. Sine plena peccatorũ omnium remissione nec latroni dixisset, Hodie mecũ eris in paradiso: nec staret illud Ioan. 5. Amen amen dico uobis, qui sermonẽ meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitã æternã: & in iudicium nõ ueniet, sed transiuit à morte in uitã. Etenim ubi aliqua peccata retinentur, non possunt ista habere locũ. Quid enim est non remittere omnia, sed quædã retinere, quàm non in uniuersum à peccatis absoluere reũ, sed illum adhuc obnoxium retinere iudicio? Qui non totum debitum, sed partem tãtum debiti remittit, utiq; propter reliquam partem quam non remittit, debitorem iuri suo ac iudicio retinet obstrictum.

Dispẽsationis Christi, & salutis nostræ ratio requirunt, ut omnia nobis peccata remittantur.

Si nõ omnia peccata remittuntur, retinentur igitur uel minora, uel maiora. Vtrũ dixerimus admodam erit diuinæ clementiæ inconueniens. Quorsum enim minora retinerẽtur, si maiora remitterẽtur? Qui mille florenorum debita gratis remittit, quã nam ratione denariorum aliquot solutionẽ posceret? Esto inuenias hominem qui hoc faciat, de Deo certè absurdũ est tale quid cogitare. Rursus, si minuta tantũ remitterentur, maiora uerò retinerentur, quomodo id genus imperfectæ gratiæ saluti nostræ conducere posset, quandoquidẽ ne pro uno quidem peccato diuinæ iusticiæ satisfacere possumus? Si pro maioribus soluendo sumus, & pro minoribus, atq; ita non est necessaria nobis remissio, & frustrà est quòd minora remittuntur. Si uerò soluendo non sumus, quid restat aliud quàm ut pereamus, nisi omnia remittãtur? At hoc inconueniens est clementiæ Dei, qui salutis nostræ gratia filium suum misit in hunc mundum, ut quæreret & saluaret quod perierat.

Si non omnia peccata remitterentur, quid inde sequeretur.

Astipulatur huic sententiæ, quod in parabola sua Dñs haud dimidiatã & imperfectã nobis, sed plenã & perfectã pẽccatorum remissionẽ ad hoc in Deo cõsiderãdam proponit, ut & nos fratribus nostris omnia debita condonemus. Sic inducit hominẽ regem, qui uni seruorũ suorum decem millia talentorum debenti debitum omne, cum soluendo non esset, clementer remiserit. postquã uerò ille consimilem gratiam conseruo suo negasset, indignatus exprobrarit ac dixerit: Serue sceleste, totũ debitum illud remisi tibi, cum obsecrasses mẽ: non'ne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus eram? Hac parabola Dominus satis declarat, requiri hoc à nobis, ut omne debitum remittamus fratribus, propterea quòd nobis omnia per diuinã clemẽtiam remittuntur. Quomodo dabimus hoc Deo, quod cùm plenam à nobis debitorum remissionem poscat, ipse nobis ex patre tãtum remittat? Quomodo nobis in homine rege clementia Dei figuratur, si nõ omne debitum remittit Deus: quemadmodũ ille nõ dimidiatum, sed totum seruo suo remisisse memoratur?

Parabola Christi.

Cogitemus igitur, quantã oporteat esse gratiam, qua'non leuia tantum, sed & grauiora peccata per infinitam clementiã Dei gratuitò remittuntur. Etenim si sic cõparatus est Dñs, ut nõ aliqua tantum, sed simul omnia peccata remittat: cõsequitur, nullum esse tam graue quod nõ remittatur ab eo qui omnia remittit. In omnibus enim potissimum locum habent quę cęteris sunt grauiora. Quemadmodũ itaq; de medico prædicari nõ potest, tam esse illi perfectã medicandi facultatem, ut omnes morbos curet, si quorundã morborũ grauitati sufficere nequeat: ita sanè non poterit Deo plena & perfecta clementia tribui, qua omnia peccata remittat, si leuia tantũ, & nõ etiã quę grauiora sunt remittat. Misericordiæ Dei nec numerus est, nec mensura, nec finis. Quare fieri nõ potest, ut peccatorum nostrorum uel grauitate uel multitudine superetur.

Quantã oporteat esse gratiã, qua omnia peccata remittuntur.

Quorsum doctrina hæc faciat.

peretur. Faciunt hæc ad erigendum in cordibus nostris fiduciam, non pro unius aut alterius, neq; pro leuiorum tãtum, sed pro omniũ peccatorum nostrorum, etiã grauissimorũ remissione ad Deũ clementissimum patrẽ nostrũ orandi. Conducunt etiã ad id, ut paratiores simus ad remittendũ fratrib. qui in nos peccarunt, nõ modò minuta quædã delicta & errata, sed omnẽ etiã quantũuis enormẽ iniquitatem: quandoquidem omnia nobis peccata, quibus D. maiestatem offendimus, tam clementer condonantur: præsertim cum sciamus ad hanc nos gratiã ea cõditione admitti, ut consimili misericordia erga fratres quoq; utamur. Quod peccatũ in Spiritum sanctũ attinet, quare illud sit irremissibile, diximus suprà in loco De peccato.

VI. AN SEMEL IMPETRATA PECCATORUM REMISSIO POSSIT FIERI IRRITA.

Oportet firmã esse peccatorũ remissionẽ, aliàs nõ seruabimur.

NIsi firma sit in sempiternũ remissionis gratia, non poterit salus nostra cõstans esse & firma. Neq; enim alia nobis reliqua est ratio, per quam saluemur, si ista concidat, & irrita reddatur. Necesse est igitur, ut peccata semel remissa, remissa sint in sempiternum: nisi uana est omnis illa doctrina & promissio de uita ac salute æterna per Christum humano generi parta, quod sine impietate cogitari non potest. Est hoc quidẽ certum & indubitatò tenẽdũ: uerùm occurrũt quidã Scripturę loci, qui diuersum tradere uidentur.

Obiectio.

Ezech. 18. & 33.

Ezech. 18. sic legitur: ~~Si impius egerit pœnitentiam ab omnib. peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, ac fecerit iudiciũ & iustitiã, uita uiuet, & nõ morietur. Omniũ iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor. In iustitia sua quã operatur, uiuet.~~ An uoluntatis meæ est mors impij, dicit Dñs: & non magis ut conuertat à uijs suis, & uiuat? Si aũt auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatẽ secundũ hos abominationes quas operari solet impius, nũquid uiuet? ~~Omnes iustitię eius quas fecerat ẽaud recolentur.~~ Et ca. 33. ~~Etiãsi dixero iusto quòd uita uiuat, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatẽ, omnes iustitię eius obliuioni tradẽtur: & in iniquitate sua quã operatur, in ipsa morietur.~~ Hæc ibi. Quòd si præterita iustitia obliuioni datur & irrita redditur, propter sequentẽ iniquitatẽ: quãto magis peccata clementer remissa, ad iusti iudicij tribunal reuocari possunt. Deinde

Matth. 18.

Matt. 18. legimus ad hunc modũ: Tunc accersiuit illũ Dñs suus, & ait illi: Serue sceleste, ~~totum debitum illud remisi tibi, cum obsecrares me, nónne oportuit & te misereri conserui tui, sicut ego tui misertus erã?~~ Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortorib. quo aduscq; redderet totũ quod debebatur sibi. Sic & pater meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis suo quisq; fratri ex cordib. uestris delicta illorũ. An'nõ hic manifestum est, fieri posse, ut peccatorũ remissio semel impetrata reddatur irrita, obstringaturq; illorum gratia peccator, ad satisfaciendum diuinæ iustitiæ?

Quomodo peccatorũ remissio irrita fieri nequeat, & quomodo possit.

Respondeo: Quod clementiam & bonitatem Dei concernit, quemadmodũ sine pœnitentia sunt dona & uocatio Dei: ita & peccatorũ remissio, & hactenus illa irrita fieri non potest. Fixum enim est illud: ~~Peccatorũ eius non recordabor amplius.~~ Est enim huic quoq; gratiæ immutabilis coniuncta ueritas. Quod uerò nos attinet, quibus peccata remittuntur, refert plurimum quàm cõstanter ~~in gratia semel accepta permaneamus, & conditiones illi annexas~~ seruemus. Discernendũ est inter eam gratiã Dei, quæ nullas habet adiectas conditiones: qualis est, quòd solẽ suum producit super bonos & malos, pluitq; super gratos & ingratos: & eam quæ conditionaliter cõfertur, ad quẽ modũ peccatorum nobis remissio contingit. Posterior hæc licet in Deo sit constans & firma (non enim ille mutatur ut homo) nostro tamẽ uitio irrita redditur, dum conditionibus illius non stamus.

Alia est conditionalis gratia Dei, alia nõ est

Conditiones autem gratiæ huic annexas præcedenti articulo recensuimus, ueram uidelicet & constantem resipiscentiam, qua peccatis in posterũ abstineamus, & fraternã conciliationem, quæ fiat uel remissione delictorum uel satisfactione. Si quis igitur præteritorum peccatorum condonationem per gratiam D. Clementiæ consequutus, usq; adeò ingratus ac salutis suæ negligens euaserit, ut instar canis ad uomitum reuersus cœptã resipiscentiam rumpat, palamq; ostendat, Deum se contemnere magis quàm timere: planè dignũ se esse declarat, à quo præteritorum peccatorum, à quibus fuerat absolutus, pœnæ exigantur. Et huc pertinent duo loci Ezechielis quos suprà citauimus. Adhuc, si quis mille talentorum condonationẽ misericorditer adeptus, centum denarios fratri suo remittere detrectauerit: hoc est, si quis omnium peccatorum suorum remissionem à Deo cõsequutus, fratri in se peccãti ac ueniã postea orãti offensam remittere noluerit, debemus'ne quærere, quare omni peccatorum suorum remissione, quam nactus fuerat, priuetur, & ad meritas pœnas luendas reuocetur? Aequissimum prorsus est, ut quod nobis ipsis cõtingere cupimus, faciamus ipsi & alijs: uel si id detrectemus, ea priuemur gratia quã alijs negamus. Hactenus igitur fieri potest, & meritò accidit, ut semel accepta gratia reddatur irrita: uerùm non debetur hoc diuinæ clementiæ instabilitati, quæ locum in Deo non habet, sed nostræ prauitati. Quare præter rationem non est, quod Apostolus 2. Cor. 6. obsecrat & monet, ne gratiam Dei in uacuum recipiamus.

Vide Augustinũ de Baptis. contra Donatist. li. 2. cap. 2.

Dicet quisquam: Quis ergo seruabitur, si subsequens peccatum acceptã præcedentis remissionem

sionem irritam reddit? An non hinc erat, quòd plurimi olim licet crederẽt in Christũ, Baptismum tamen ad mortis usq; articulum differebant? Timebant enim, ne præcedentium peccatorum remissionẽ in Baptismate acceptam amitterent, si denuò post illam per carnis infirmitatem peccassent. Et huc locus epistolæ ad Ebræos cap. 6. non satis intellectus, plurimũ faciebat. Verùm distinguendũ est inter peccata quæ per carnis infirmitatem à baptizatis subinde admittuntur, & relapsum, quo prorsus à fide, religione, professione & gratia Christi in pristinam impietatẽ relabimur: atq; ita nosipsi omni gratia & salute, cuius facti eramus participes, priuamus. Non quoduis peccatum præcedentem gratiam extinguit, extinguit uerò reditus ad pristinam impietatem, tanquã ad uomitũ. Aliud est pedes post lauacrũ sordidare, & aliud toto corpore in uolutabro luti, instar suũ denuò uolutari. Aliud est, fruxori fubinde contra maritum suum delinquat: & aliud, si perfida matrimonij fidem ac uinculum adulterádo rumpat, seq; ipsa omnis coniugalis societatis exortẽ reddat. Sic aliud est simpliciter peccare, quod accidit etiã filijs Dei: & aliud, prorsus è gratia Dei excidere, prolabi, Christum ab integro cruci figere & ludibrio exponere: quod reproborum est, nõ electorũ. De posteriori hoc genere peccandi loquitur epistola ad Ebræos, nõ de priori. Vnde cap. 10. notanter dicit: Quanto putatis peioribus afficietur supplicijs, qui filium Dei conculcarit, & sanguinem Testamenti ceu rem prophanã habuerit, per quem fuerat sanctificatus, & Spiritum gratiæ contumelia affecerit? Loquitur autem de eodem relapsu, de quo cap. 6. loquutus est. De priori uerò loquitur Apostol. 1. Ioan. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, &c.

Ebr. 6.
Discrimen est inter peccata infirmitatis, & relapsum.

Hanc sententiam, quam nonnulli patres quoq; posuerunt, & magister Sententiarũ nec probare nec improbare, sed studioso Lectori iudicandã relinquere uoluit, nonnulli Scholastici cõmentatores disputationibus suis alij intricatam reddunt, alij prorsus reijciunt. Nos simpliciter, propterea quòd sacris est scripturis & Dominicæ parabolæ conformis, sequendam iudicamus. Interea, dum simpliciter causam hanc absq; contentiosa inquisitione pro mea tenuitate tracto, nolim cuiusquã, me doctioris sententiæ præiudicare. Quemadmodum mihi permitto ut liberè quod sentio dicam, ita & aliorum sententias absq; cõtentione prolatas haudquaquã contemno. Posset mihi obijci hoc loco, relapsum eiusmodi, per quẽ peccata semel remissa reddantur irrita, locum in electis habere non posse: imò ne in reprobis quidem, quòd illi remissionis peccatorum capaces esse nequeãt, eo quòd uera & uiua fide, per quam illa acquiritur, præditi non sint: ideoq; neminem esse prorsus, in quo peccata semel remissa irrita fieri possint. Verùm eos qui hoc argumento ducũtur moneo, ut de reprobis quod dicũt diligentius perpendant. De electis consentio, de reprobis uerò, nullane illius unquã peccatorum remissio contingat, disputari posse intelligo. Dantur illis in Epistola ad Ebræos cap. 6. illuminatio per Christum, gustus doni cœlestis, participatio Spirituſsancti, gustus item boni Dei uerbi ac uirtutũ seculi uenturi: & cap. 10. sanctificatio quæ est per sanguinem testamenti, & Spiritus gratiæ. Et in posteriore Petri cap. 2. comparantur sui: quæ ubi lota fuit, rursus in cœno uolutatur. Quomodo hæc illis sine omni peccatorum remissione contingere possint, non immeritò quæri potest in hac causa.

VII. AN NON CVLPA TANTVM, *sed & pœna remittatur.*

Commutatio pœnæ æternæ in temporariam. Purgatorium ignis peperit Rom. indulgentias.

SCholasticorum doctrina est, peccatorum mortalium culpam tantum, non etiam pœnam ac satis factionem remitti: sed illam, cum merito suo debeat peccator luere æternam, commutari per gratiam Dei in temporariam, uel in hac uita, uel post mortem subeundam. Et hinc excogitarunt purgatorium ignem, in quo satisfiat diuinæ iusticiæ, & reliqua peccati labes excoquatur. & ne ad extremum usq; quadrantem soluendum sit debitum, cœperunt pontifices Romani per indulgentias succurrere animabus in purgatorio & satisfactorio igne constitutis, illasq; ex debitis pœnis liberare, & ad cœlestia euocare, modò tam grandis ipsorum gratia auro uel ære aliquo redimatur.

Vera ac plena remißio.

Verùm hoc genus remissionis ignorat Scriptura, nec facit illud ad gloriam redemptoris Christi, nec habet rationem ueræ ac plenæ remissionis. Vera ac plena remissio est, qua nõ modò culpa peccati, sed & pœna remittitur. orant omnes fideles, Remitte nobis debita nostra. Sic instituimur à Domino, ut intelligamus peccatorum remissionem eius esse cõditionis qua est remissio debitorum. Debitũ autem non est ipsum peccatum, uel culpa peccati, sed obligatio potius ad satisfaciendum iusticiæ Dei pro admisso peccato. ubi igitur debitum remittitur à Deo, ipsa utiq; obligatio & merita pœna ac debita satisfactio remittitur: si nõ remittitur debitum, quorsum remissionem illius à patre nostro cœlesti petere iubemur?

Sicut & nos remittimus.

Deinde, quomodo stabit quod subiungimus: Sicut & nos remittimus debitoribus nostris? si culpam tantum, & non etiam satisfactionem debitam ac meritas pœnas remittit Deus, ergo nec à nobis requirit, ut debita remittamus fratribus, aliter quã ut nihilo secius retineamus eos ad satisfaciendum nobis obstrictos. Quis autem sanæ mentis dicet remissum esse debitũ,

ubi

ubi adhuc satisfactio requiritur,& debitor nondum est liberè dimissus? Cũ rex ille omne debitum seruo suo suppliciter obsecranti misericorditer remitteret, an non simul illũ liberum ac solutũ à se dimisit? quod utiq; non fecisset,nisi & satisfactionem illi remisisset. Si hoc est remittere debitum,retinere adhuc debitorem ad satisfaciendum obstrictum,poterat seruus ille respondere regi suo: Atqui remisi quidẽ illi debitũ,uerùm debiti solutionem mihi integrã retinui. Sic inquã causam suã tueri potuisset, si eadẽ ipse cõditione debitorũ suorũ remissionẽ à rege accepisset. Nõ potuit aũt, quia aliter conseruũ suũ tractauerat quàm esset ipse à rege suo tractatus, à quo uerã fuerat ac plenã debitorũ suorũ remissionẽ misericorditer cõsequutus, ideoq; tanq̃ ingratus & immisericors iure cõdemnatus,& ad satisfaciendũ adactus fuit. Condonantes uobis mutuò,inquit Apostolus,si quis aduersus aliquẽ habuerit querelã: quẽadmodum & Christus condonauit uobis, ita & uos. Ergo si dimidiata remissione condonat nobis Christus,nõ obligamur ad plenã, qua nõ modò culpa illatæ iniuriæ, sed & ultio & satisfactio remittatur: sed satis est,si sic remmittamus offensas,ut nihilo secius ultionem de fratrib.sumamus. uerùm aliud poscit Apostolica doctrina, iubens nõ modò offensam, sed & ultionem remittere. Ergo nec Christus nobis dimidiatò,sed plenè & culpam & satisfactionem remittit.

Coloss.3.

Satisfactionis ratio pẽdet à debito.

Immò nec ratione stare potest dimidiata illa remissio. etenim satisfactionis ratio pendet à debito. Qui nihil debet,nullo iure cogi potest,ut ei satisfaciat cui nihil debet. Non debet autem,cui debitum est remissum. Ergo remissio debiti liberum reddit debitorem,ne sit amplius ad satisfaciẽdum obstrictus. Causa namque cessante, cessat & effectus. Si uerò nõ liberamur à debito satisfactionis,consequitur,non remitti nobis debita: atq; ita quòd remissionem debitorum esse coram Deo credimus,non est uera fides,sed inanis opinio: & frustrà secundum institutionem Dominicam oramus,dicentes: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.

Arg. à sanguine Christi.

Ad hæc,quid de sanguine Christi dicemus, pro peccatis nostris in cruce effuso? Si per hũc nõ est nobis plena impetrata peccatorũ remissio: ergo nõ est in illo plena satisfactio & redemptio: id quòd à nobis nõ potest sine maxima mortis Christi iniuria dici. Si non satisfecit Christus Deo patri pro peccatis nostris,quis obsecro nisi prorsus excæcatus, de suis uel operibus uel passionibus uel aliorum quorumcunq; meritis usq; adeò præsumet, ut per illa Deo satisfieri posse cõfidat? Si uerò rectè credimus,sanguinem Christi liberare nos & emundare à peccatis nostris omnibus: quis non uidet quã pestilens sit & detestabile commentum, quo pœnas reseruari dicunt, quibus uel in hac uel in futurã uita iusticiæ Dei satisfieri oporteat?

Obiectio de mortalitate nostra.

1 Sed obijciunt: Si remissio peccatorũ non culpæ duntaxat,sed & pœnæ est remissio, unde est,quòd mortalitati & corruptioni adhuc totum est genus humanum post mortẽ Christi subiectum? An non stipendium peccati mors est? An non pro peccato Adæ, unde mors in genus humanum peruenit,mortuus est Christus? Atqui omnes adhuc, etiã Christi fideles, mortisq; illius precio redempti,& morimur & corrumpimur. Quid aliud hinc colligi potest, quàm remitti quidem nobis culpam peccatorum,pœnas uerò non ita?

Ab exemplo Dauidis.

2 Deinde,an non Dauidi dicebat Nathan: Et Dominus amouit,uel ut in Ebræo est, העביר, id est,transire fecit peccatũ tuum? Atqui mox de pœnis subiecit, quas erat domus illius propter peccatum illud subitura,2.Sam. 12. Vnde satis patet, sic illi fuisse peccatum remissum,ut nihilo minus pœnæ essent perferendæ.

Superfunt in nobis reliquiæ peccati,quæ morte tolluntur.

Respondemus,superesse quidem in nobis adhuc agnati peccati reliquias, adhærentes carni nostræ,donec sumus in hac uita,à merita tamen sumus condemnatione per sanguinẽ Christi liberati. At hæ reliquiæ,non nisi morte tolluntur. Ipsa uerò mors ultimus hostis, unà cum omni corruptione non aufertur,nisi resurrectione corporum nostrorum, & repentina in cœlestem gloriam mutatione. Quòd hæc sic geruntur,non debemus satisfactionibus nostris ac pœnis,sed magis singulari consilio Dei tribuere, quo nos in imagine hac terreni Adæ tandiu detinet,donec tempus illud aduenerit,quo mutanda sunt ac restituẽda omnia, ut interea spe, nondum reipsa salui simus. Romanorum octauo. Vide Aug. de Peccatorum meritis & remissione,lib.2.cap.33.& 34.

Aliud sunt pœnæ satisfactoriæ, et aliud castigationes paternæ.

Quod historiam Dauidis attinet,respondemus,aliud esse pœnas,quibus diuinę satisfaciendũ sit iusticiæ: & aliud castigationem,qua filios suos Dominus uirga paterna castigat. Pœnæ unà cum peccati culpa remittuntur resipiscentibus & credentibus, castigatio uero nõ ita. Sic Psal.88. Visitabo,inquit,cum uirga iniquitates eorum, & cum uerberibus peccata eorum. Et Ebr.12. Flagellat omnem filium quem recipit. Sic Dauidi peccatum quidem unà cum pœna illius remittebatur. unde & addidit propheta, Nõ morieris: castigatio uerò & uirga disciplinæ non item. Fieri non potest,ut diuinæ iusticiæ satisfiat à quoquã, ne pro uno quidem peccato, castigari uerò possumus pro omnibus uel clementerin hac uita,si simus ex electis & fidelibus: uel iusto iudicio in gehenna, si simus ex reprobis. Castigatio non infertur filijs Dei, ut per hanc satisfaciant diuinæ iusticiæ, sed ut erudiantur, inq; posterum cauti reddantur, ne cum hoc mundo damnentur. Neq; enim prodest illis talis indulgẽtia, qua nõ modò culpa & pœna peccati,sed & castigatio disciplinæ remittatur. Quare non patrocinatur hæc obiectio de Da-

Vsus castigationis.

uide-

uide doctoribus illis, qui ut purgatorium illud quæſtuoſum, Miſſas Papiſticas, & indulgẽtias Romanas tueantur, ſic peccata remitti nugantur, ut pœna illius rẽtineatur, & ex ſempiterna in temporariam mutetur, qua diuinæ iuſticiæ ſatisfiat, unde animæ uel per Miſſas, uel indulgentiarum nundinationem redimantur. Culpa & pœna peccati gratis per ſanguinem Chriſti remittuntur: caſtigatio, diſciplina, & eruditio filiorum Dei nullis nec Miſsis nec indulgentijs cedit, ſed à Deo ſalubriter diſpenſatur.

VIII. AN POST MORTEM QVOQVE REmittantur peccata.

Cõmentũ Schõlaſticorum dẽ peccato in ſpiritũ ſanctum.

SCholaſtica doctrina ex eo quod Matt. 12. legimus: Qui dixerit aduerſus Spiritũ ſanctum, non remittetur illi neq; in preſenti ſeculo, neq; in futuro, ſic colligit: Datur hinc intelligi, ſicut ſancti doctores tradunt, quòd quædam peccata in futuro dimittãtur. Quædam enim culpæ in hoc ſeculo relaxantur, quædam uerò paruæ etiam in futuro, quæ quidem poſt mortem grauant: ſed dimittuntur, ſi digni ſunt, ſi bonis actibus in hac uita meruerunt ut dimittantur eis. Putant ſe admodum firmo niti argumẽto. Si peccatum in Spiritum ſanctum neq; hic neq; in futuro dimittitur, inquiunt, ergo & in futuro eſt quorundam peccatorum remiſsio. Ineptũ planè eſt hoc argumentum. Si dicas: Non obliuiſcar huius iniuriæ neq; in præſenti, neq; in futuro ſeculo: quæſo rectè ne ex eo colligemus, ergo in futuro ſeculo memores erimus iniuriarum, & uindictæ cupidi? Qui ſic loquitur, nihil aliud intelligit, quàm ſe nunquam uelle acceptæ iniuriæ obliuiſci: unde non eſt colligendum, quid futurum ſit poſt hanc uitam. Cum Chriſtus diceret, Qui dixerit aduerſus Spiritum ſanctum, nõ remittetur ei neq; in præſenti ſeculo, neq; in futuro: nihil uoluit aliud dicere, quàm, nunquam in æternum remittetur. Sic & Marci 3. hoc ipſum exprimitur: Nõ habet remiſsionem in æternum, ſed obnoxius eſt æterno iudicio. Chryſoſtomus ſcholaſticam hanc doctrinam in præſenti loco non uidit, quãuis diligenter ſcripturas explicuerit. Sic enim exponit: Vos autẽ tam hic quàm alibi puniemini. Et poſt pauca: Vniuerſorum enim hominum alij & hic & ibi ſupplicia dabunt, alij in præſenti ſolummodo uita, alij in futura tantùm. Hic & alibi, ut Sodomitæ, & iſti Phariſæi: in præſenti tantũ, ut ſcortator Corinthius, & reliqui cap. 11. prioris epiſtolæ: alibi tantum, ut diues ille in inferno. Hæc ille. unde ſatis patet, nõ remitti blaſphemiam neq; hic neq; in futuro, nihil eſſe aliud quã haud abire inultam in ſempiternum. Simul uidet lector, quã ſit inane commentum, quòd de purgatorio igne tradunt, quo puniantur animæ poſt mortem. Chryſoſtomus in iſtis ſanè uerbis nõ agnoſcit ſupplicia poſt mortem niſi damnatorum, quales ſunt Sodomitæ, Phariſæi, & diues ille in inferno. Fidelibus uerò, etiam peccatoribus, deputat non futuræ, ſed præſentis tantum uitæ ſupplicia: & ſcortatorem Corinthium, ac reliquos eius Eccleſiæ peccatores adducit, quos Dominus in hac uita caſtigauit, ne cum mundo damnarentur. Si hæc uera ſunt, prorſus neq; ſperanda eſt poſt mortem remiſsio, neq; aliquid ueri eſt in igne illo purgatorio, quem ſunt cõmenti homines quæſtum in Eccleſia ſectantes.

Chryſoſtomus.

Contra purgatorium Pap.

Obijciunt etiam locum Apoſtoli 1. Cor. 3. ubi ſic legimus: Cuiuſq; opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperſtruxit, mercedẽ accipiet: ſi cuius opus exuſtũ fuerit, damnum patietur: ipſe uerò ſeruabitur, ſed ſic, tanquã per ignem. Hæc uerba citat magiſter Sententiarum libro quarto, diſt. 21. ad hunc modum: De illis etiam qui ædificant lignũ, fœnũ & ſtipulã dicit Aug. quòd ignem tribulationis tranſitoriæ inuenient cremabilia ædificia, quæ ſecum portauerunt cremantem. ait enim ſic: Poſt iſtius ſanè corporis mortem, donec de igne purgatorio ueniatur ad diem damnationis ac remunerationis, ſi hoc temporis interuallo ſpiritus defunctorum qui ædificauerunt lignum, fœnum, ſtipulam, huiuſmodi ignem dicantur perpeti, quem alij non ſentiant, qui huiuſmodi ædificia non portauerunt, ut inueniant ignem tranſitoriæ tribulationis uenialia concremãtem: non redarguo, quia forſan uerũ eſt. Hactenus uerba Auguſtini citauit, ac mox de ſuo ſubiecit: Sed quia dicitur, Saluus erit quaſi per ignem, contemnitur ille ignis: grauior tamen erit ignis ille quã quicquid poteſt homo pati in hac uita. Hic apertè inſinuatur, quòd illi qui ædificant lignum, fœnum, ſtipulam, quædam cremabilia ædificia, id eſt uenialia peccata ſecum portant, quæ in igne emendatorio cremantur. unde conſtat, quædam uenialia peccata poſt hanc uitam deleri. Hæc magiſter ille Sententiarum haud bene uſurpatarum.

1. Corinth. 3. Cuiuſq; opus quale ſit, ignis probabit.

Principiò, quod Apoſtoli locum attinet, remitto lectorem ad Cõmentarios noſtros in priorem epiſtolam ad Corinthios: ubi etiam inueniet, quàm diuerſimoda illius expoſitio in ſcriptis patrum Hieron. Ambr. Auguſt. & Chryſoſtomi habeatur. Quod uerò præſentem Auguſtini locum concernit, quem magiſter ex libro 21. de ciuit. Dei, cap. 26. truncatim, nec ſatis fideliter deſumpſit, operæprecium puto, ſi illum plenius huc & fidelius in medium attulero. Initio capitis citat & refutat eorum opinionem, qui catholicos ab unitate Chriſti non recedentes perire non poſſe dicunt, propterea quòd Chriſtum habeant in fundamento, tametſi ſuper ædificent illi quamlibet peſsimam uitam. Et huic opinioni objcit uerba Iacobi: Si quis di-

Locus Auguſtini explicatur.

cat ſe fidem habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides ſaluare eum? Deinde Iacobum & Paulum inter ſe confert. Et primùm, ut demonſtret, non loqui Paulum de talibus catholicis, exponit quid ſit habere Chriſtum in fundamento. Poſtea, quòd fœnum, lignum & ſtipulam ſuper fundamentum Chriſtum ædificantes per ignem ſaluos fore dicit Apoſtolus, explicat ad hunc modum. Delicias quippe huiuſmodi, amoresq; terrenos, propter coniugalē quidem copulam non damnabiles, tribulationis ignis exuret, ad quem ignem pertinent & orbitates & quæcunq; calamitates, quæ auferunt hæc. Ac per hoc ei qui ædificauit, erit ædificatio iſta damnoſa, quia non habebit quod ſuperædificauit: & eorum amiſsione cruciabitur, quibus fruendo utiq; lætabatur. Sed per hunc ignem ſaluus erit merito fundamenti, quia etſi utrum id, an Chriſtum habere mallet, à perſequutore proponeretur, ſe malle Chriſtum habere quàm iſta, liberrimè profiteretur. Vide in Apoſtoli uerbis hominem ædificantem ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides precioſos. Qui ſine uxore eſt, inquit, cogitat quæ ſunt Dei, quomodo placeat Deo. Vide alium ædificantem lignum, fœnum, ſtipulam. Qui autē matrimonio iunctus eſt, inquit, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori. Vniuſcuiuſq; opus quale ſit, manifeſtabitur. dies enim Domini declarabit. Dies utiq; irę, dies tribulationis. Quoniā in igne, inquit, reuelabitur. Eandemq; tribulationem ignem uocat, ſicut alibi legitur: Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tētatio tribulationis. Et uniuſcuiuſq; opus quale ſit, ignis probabit. Sic cuius opus permanſerit (permanet enim, quòd quiſq; cogitat quę ſunt Dei, quomodo placeat Deo) quod ſuperædificauit, mercedem accipiet: id eſt, unde cogitauit, hoc ſumet. Si cuius opus autem arſerit, damnū patietur, quoniam quod dilexerat, nō habebit. Ipſe autem ſaluus erit, quia eum nulla tribulatio ab illius fundamenti ſtabilitate ſemouit. Sic tamen, quaſi per ignem. Quod enim ſine illiciente amore non habuit, ſine urente dolore non perdet. Ecce, quantū mihi uidetur, inuentus eſt ignis, qui nullum eorum damnet: ſed unū diuitet, alterum damnificet, ambos probet. Hæc ubi, ut ſententiam ſuā exprimeret, expoſuit, ſubijcit refutationem eorum qui Apoſtoli uerba de igne æterno exponunt. Poſt eam refutationē ponit hæc uerba quæ magiſter Sent. ſicuti dixi, haud fideliter citat. Etenim non modò præmiſſam illius ſententiam & expoſitionem diſsimulat, & eam quæ ab alijs adduci poteſt, atque ita conditionaliter ab illo non tanquā ipſius, ſed aliorum ponitur, pro cōfirmatione ſubintroductæ in Eccleſiam opinionis ſic excerpit & adducit, ac ſi ipſius eſſet Auguſtini: ſed & ipſa uerba Auguſtini non purè & integrè, ſed corruptè & truncatim, ac ſic in medium affert, ut ad propoſitum ſuum accōmodet. Vbi Auguſt. habet: Poſt iſtius ſanè corporis mortem, donec ad illū ueniatur, qui poſt reſurrectionem corporum futurus eſt damnationis & remunerationis ultimus dies, ille de ſuo immiſcens poſuit: Poſt iſtius ſanè corporis mortem, donec de igne purgatorio ueniatur ad illū diem. Deinde adhuc pleraq; immiſcens quę Auguſt. non habet, illa quæ habet, utpote, ſiue ibi tantùm, ſiue hic & ibi: ſiue ideo hic, ut non ibi, &c. prorſus diſsimulauit: quemadmodum & ea quæ de morte carnis, de perſequutionibus Eccleſiæ, quibus coronat ſunt martyres, & affliguntur ueri Chriſtiani, ac de tribulatione temporum Antichriſti ſubiecta ſunt. Vidit ſcilicet ipſam Auguſtini ſententiam non facere ad propoſitum, ideo relicta illa adduxit alienam, ab illo citatam quidem, uerùm cum adiecta dubitationis ſignificatione, quam expreſsit, dicens: Non redarguo, quia forſitan uerum eſt. Non dicit, Quia uerū eſt: ſed, Quia forſitan uerum eſt. Et hinc iſte colligit aſſeueranter, dicens: Hic apertè inſinuatur. item, unde conſtat quædam uenialia peccata poſt hanc uitam deleri, cum Auguſtinus nihil pronunciet, ſed ſe redarguere nolle dicat, quòd forſitan uerum ſit. Aliud eſt ſententiam probare quòd certò uera ſit, & aliud nolle redarguere, quòd forſitan uera exiſtat: quorum prius eorum eſt qui de ueritate aliqua certò ſunt ex ſacris Scripturis perſuaſi, poſterius uerò eorum qui de opinionibus præter Sacras ſcripturas inductis nihil certi habent, ſed dubitant, ideoque illas nec redarguunt nec probant.

Quomodo magiſter Sententiæ uerba Auguſtini corruperit.

Expreſſa ſententia Auguſtin.

Quare non potius ea citauit Magiſter, quibus ſententiam ſuam Auguſtinus expreſsit: idq; non hoc tantum loco, ſed & in Enchiridio ſuo, cap. 68. ubi ſic dicit: Ignis enim de quo loquutus eſt Apoſtolus, talis debet intelligi, ut ambo per eum tranſeant: id eſt, & qui ædificat ſupra hoc fundamentum aurum, argentum, lapides precioſos, & qui ædificat ligna, fœnum, ſtipulā. Cum enim hoc dixiſſet, adiunxit, Vniuſcuiuſq; opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus permanſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet: ſi cuius opus autem exuſtum fuerit, damnum patietur, &c. Non ergo unius eorum tantùm, ſed utriuſq; opus ignis probabit. Eſt quidē ignis, tentatio tribulationis, de quo apertè alio loco ſcriptū eſt: Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tētatio tribulationis. Iſte ignis in hac interim uita facit, quod Apoſtolus dixit. Hæc ibi. Verùm Magiſtro magis placuerūt ea quę de igne purgatorio uir ille dubitāter meminit, etiā illic ſubijciēs ac dicens: Tale aliquid etiā poſt hanc uitā fieri, incredibile nō eſt, & utrū ita ſit, quæri poteſt, & aut inueniri aut latēre, nōnullos fideles per ignē quendā purgatoriū, quanto magis minusūe bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusq; ſaluari, &c.

De eo quòd quædā uenialia peccata poſt mortē remitti dicunt.

Qui hanc opinionem ſequuntur, quædam uenialia peccata poſt mortem remitti dicunt. Si uenialia ſunt, & remiſsionis capacia, quæſo quā ob cauſam nō remittūtur in hac uita? Deinde

quomodo

quomodo igne demùm sunt delenda? An peccata remitti, est ea passionibus ignis deleri? Adhæc, quænam sunt illa uenialia quædam peccata, quæ in futuro demũ seculo delentur? Quis sit iste modus (inquit Augustinus lib.21.de Ciuitate Dei, cap.27.) & quæ sint ipsa peccata, quę ita impediant peruentionem ad regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorũ meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est inuenire, periculosissimum definire. Ego certè usq; ad hoc tempus cum inde satagerem, ad eorum indaginem peruenire non potui. Vbiq; cauet uir sanctus, ne quid hac de re certò statuat, quam Pontificij quasi quendam Christianæ fidei articulum ab omnibus indubitatò teneri uolunt.

Conclusiò.

At, ut concludam, nos omnino sentimus, nullis posse Scripturis sacris comprobari, peccata quædam non in hac uita, sed post mortẽ demũ remitti. Nec primi sic sentimus. Ante nos quippe & Ambrosius sic scripsit, libro de Bono mortis, ca.2. Deniq; festinabat etiam sanctus Dauid de hoc loco peregrinationis exire, dicẽs: Aduena ego sum apud te in terra, & peregrinus, sicut omnes patres mei. Et ideo tanquam peregrinus ad illam sanctorum communem omniũ patriã festinabat, petens pro huius cõmorationis inquinamento remitti sibi peccata, priusquam decederet de uita. Qui enim hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit. Non erit autẽ, quia ad uitam æternam non poterit peruenire: quia uita æterna remissio peccatorũ est. Ideoq; dicit: Remitte mihi ut refrigerer, priusquã abeam, & amplius non ero. Hæc ille. Quid autẽ clarius dici poterit, quàm quòd disertè negat eum fore illic in cõmuni omniũ patria, qui peccatorum remissionem non accepit hic, id est in uita hac præsenti? Si in futura quoque est peccatorum remissio, uanum est quod ille tam certò pronunciat. Debebat igitur magister ille Sent. locum hunc Ambrosij, tanquam dogmati Scholasticorum contrarium, Sacris scripturis refellere: uel si non posset, ueritatẽ illius agnoscere. Consimile est quod in Cypriano legimus,

Cyprianus.

tractatu primo contra Demetrianum: Quando isthinc excessum fuerit, inquit, nullus iam locus pœnitẽtiæ est, nullus satisfactionis effectus. Hic uita aut amittitur, aut tenetur, hic saluti æternæ cultu Dei & effectu prouidetur.

DE SACERDOTIO NOVI TESTAMENTI.

1. Nõ negamus noui Test. sacerdotium.

NOVVM hoc testamentum quod sanguine Christi dedicatum ueteri succesit, haudquaquam Sacerdotio suo caret: qua de re quoniam nulla est cõtrouersia, non est ut multis agamus. Quare admodum impudentes sunt, qui nobis barbaricam desolationem impingunt, qua noui Testamenti Ecclesiã sacerdotio suo priuemus. Recta ratio, inquiunt, & communis naturæ sensus non permittunt, ut in ulla religione sit tam fœda barbaries, per quam omne sacerdotium auferatur. Non sic insanimus, ut sacerdotium noui Testamenti negemus. In eo potius sumus, ut quòd illi legitimũ est, authoritate sacrarum Scripturarum à cõmenticio ac falso separemus & uindicemus. Cum igitur agnoscamus & ipsi, esse quoddam noui Testamenti sacerdotiũ in Ecclesia Christi, esse quendam summum sacerdotem, esse sub illo inferioris ordinis sacerdotes, esse sacrificia, & quę alia ad sacerdotium pertinent: consequenter uidendũ est quódnam sit illud, quis summus sacerdos, qui inferiores sacerdotes, & quæ sacrificia.

Nec uetus Iudaicũ, nec ethnicum aliquod sacerdotiũ locum habet in nouo Testam.

2 Principio, de eo cõstat Christianis omnibus, Aaronicum illud ueteris Testamenti sacerdotium unà cum lege Mosaica per Seruatoris esse aduentum abrogatum, nec aliquid habere loci in nouo Testamento. Vno & eodem termino cõsummatũ est & translatum cum legẽ sacerdotium, sicut est in Epistola ad Ebr. cap.7. Si ueteris Testamenti sacerdotium diuina olim authoritate iustitutum, locum in nouo habere non potuit: quod dabitur ex omni ethnica religione, cui locus hic esse queat, etiamsi sit Iudaico simillimũ? Pontificij uerò introduxerunt sacerdotium illud externum & Missaticũ, quo se inter Deum & Ecclesiã intermediatores agere, proq; uiuis & mortuis sacrificare iactant. Verùm nos requirimus ex S. scripturis diuinæ ordinationis testimonia, quandoquidem non conuenit, ut sibijpse quisquam honorem sumat: quemadmodum neq; Christus semetipsum clarificauit ut summus sacerdos fieret, sed is qui loquutus est ad eum, Filius meus es tu, &c. Ebr. 5.

Ministri Noui testamenti.

3 Ministri Noui testamenti, quos Deus in Ecclesia sua posuit, Eph. 4. recensentur ad hunc modum: Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam prophetas, alios uerò Euangelistas, alios aũt pastores & doctores ad consummationẽ sanctorum in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi. Et 1. Cor. 12. Et quosdã quidẽ posuit Deus in Ecclesia primò Apostolos, secundò Prophetas, tertiò doctores: deinde uirtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes prophetæ? Nunquid omnes doctores? Nunquid omnes uirtutes? Nunquid omnes gratiam habent curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nunquid omnes interpretantur?

Apostolum nullã facit Papisticæ sacerdotij mentionem.

Duobus hisce locis Apostolus de Ecclesia illiusq; ministris differens, ne uerbo quidem huius generis Papistici sacerdotij meminit, cum tamen illi sacerdotem Missaticum summum in Ecclesiastica politia gradum tenere dicant. Quis autem credat, Apostolum per obliuionem aut incogitantiam sacerdotes hosce præteriturum fuisse, idque non semel tantum, sed iterum atque iterum: siquidem cognouisset illos in Ecclesia fuisse à Domino positos? & non magis hinc colligat, sacerdotium hoc Pontificium ac Missaticum temporibus Apostolorum prorsus fuisse incognitum?

Diaconi.

Deinde Actorum 6. leguntur Apostoli unà cum multitudine fidelium constituisse quidem septem Diaconos, id est ministros: uerùm tales, qui eleemosynam pauperum curarent, nõ qui ad Pontificium ac Missaticum sacerdotiũ pertinerent: qui mensis pauperum, non qui altaribus oblationum ac sacrificiorum seruirent. Non est placitum, dicebant, ut nos derelicto Dei sermone, ministremus mensis. Circumspicite ergo fratres, uiros ex uobis spectatæ probitatis septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quibus delegabimus hoc negocij. Quod illud? Ministrare uidelicet mensis.

Episcopi, presbyteri & diaconi.

Et 1. Timoth. 3. Tit. 1. de Episcopis, presbyteris ac diaconis præcipiens Apostolus, nullã facit sacerdotij huius mentionem. At pontificij locos hosce haud negare uel prohibere dicunt ipsorũ sacerdotiũ, ordinemq; sacerdotalẽ: imò magis cõfirmare, quòd Apostoli, doctores, pastores ac presbyteri sacerdotes fuerint, Deoq; sacrificauerint. 4. Et huc citãt illud Act. 13. de Barnaba, Simone Nigro, Lucio Cyren. Manaene & Saulo, quòd Domino sacrificauerint: quẽ admodũ Erasmus uertit. 1. Verùm idẽ interpres in Annotationibus suis nullũ sacrificiũ Deo gratius esse dicit, quàm impartiri doctrinã Euangelicã. 2. Et ipse Lucas satis admonet, quales fuerint isti sacrifices, cum non dicit: Erant aũt sacerdotes, & immolatores: sed, Erant aũt quidam in Ecclesia quæ erat Antiochiæ, prophetæ ac doctores. Quod sit officium prophetarũ ac doctorum, per se est notum. Et cum subijcit, λειτουργούντων αὐτῶν, hoc est fungentibus ipsis ministerio suo, uel ut uetus uersio hábet, Ministrantibus autẽ illis Domino, quid aliud dicit, quàm quod præcedentia requirunt, nempe quòd populum fideliũ tanquã prophetæ & doctores ad fidem in Christum per Euangelium instruxerint? 3. Quod & ipsum Ephiphanius lib. 2. To. 1. contra Collyridianos expressit, dicens: Petrus itẽ & Andreas, Iacobus & Ioánes, Philippus & Bartholomæus, Thomas, Matthæus & Iacobus Alphei, & Iudas Iacobi, & Simon Cananæus & Mathias, qui in cõplementum duodecim electus fuit, hi omnes electi sunt Apostoli ἱερουργῆσαι τὸ εὐαγγέλιον, id est sacrificantes Euangeliũ. Ergo huic uiro prædicatio Euãgelij sacrificiũ, & prædicator sacrificus est. Illi uerò per sacerdotẽ nihil aliud quàm Missatorem, ad missandum unctum & rasum intelligunt, quales Apostolos fuisse, non sine magna potest impudentia dici.

Presbyter est senior.

Quòd presbyteros interpretamur non sacerdotes, sed seniores, dicunt nequiter à nobis fieri, cum presbyter Græcè, nihil Latinè sonet aliud quàm seniorẽ. Quòd autẽ populus per eam uocem nihil aliud quàm Missarium sacerdotem intelligit, eorũ culpa factum est, qui hunc illi errorem eximere potius quàm confirmare debebant. Omnino presbyterij nomen non sacerdotij, sed senatus Ecclesiastici significationẽ habet, cuius Tertullianus in Apologetico suo meminit, cap. 39. Nonnulli ex illis palàm scripserunt, sacerdotium hoc Missaticum non esse quidem in Sacris scripturis expressum, uerùm nihilo secius tenendum, quòd sit citra scripturas per magisterium Spiritus à sanctis patribus in Ecclesia institutum. At horum nugis in Anticochleo nostro respondimus.

Christus summus sacerdos.

5 Verùm relictis illis, uideamus scripturas, quibus uerum noui Testamenti sacerdotium cõmendatur. Principiò: In sacerdotio hoc summus sacerdos est, non ex episcopis aliquis, qui se Romano magis quã Christiano uocabulo Pontifices uocant: sed Christus, unigenitus Dei, uerus & unicus mediator inter Deũ & homines. De hoc summo sacerdote pleraq; in epistola ad Ebræos leguntur, utpote cap. 2. Vnde debuit per omnia fratribus similis reddi, ut misericors esset & fidelis summus sacerdos, in his quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Et initio cap. 3. Vnde fratres sancti uocationis cœlestis participes, considerate Apostolum & summum sacerdotem confessionis nostræ Christum Iesum, quòd fidelis sit ei qui ipsum constituit. Et cap. 4. Habentes igitur summũ sacerdotem magnum, qui penetrauit cœlos Iesum filium Dei, teneamus professionem. Non enim habemus summũ sacerdotẽ, qui nõ possit affici sensu infirmitatum nostrarũ. Et cap. 5. Ita & Christus nõ semetipsum glorificauit, ut fieret summus sacerdos: sed is qui dixerat illi, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sicut & alibi dicit: Tu es sacerdos in æternũ secundũ ordinẽ Melchisedech. Qui locus cap. 7. fusius tractatur. Consimilia testimonia leguntur & in sequentibus de summo hoc sacerdote Christo.

Præter Christũ nõ est alius summus sacerdos.

Cum ergo concedendum non sit, ut uel duo diuersi generis sacerdotia habeantur in nouo Testamento, uel duo ponantur summi sacerdotes in uno & eodem sacerdotio, tam autem inuictis testimonijs Christus filius Dei summus noui Testamenti sacerdos esse comprobetur: consequitur, merum esse commentum, quo Romanus episcopus in Ecclesia pro summo habetur sacerdote. In eo noui Testamenti sacerdotio, quod in scripturis habetur, summus sacerdos est Christus, idq; unicus. Quare fieri non potest, ut associetur illi quisquam alius. Quòd si

Romanus

Romanus episcopus summus sacerdos est, in eo sacerdotio non est, cuius summum nobis sacerdotem Christum Scriptura proponit. In quo igitur alio est, quàm in eo quod nō diuinitùs, sed humano est consilio, ne quid durius dicam, insti tutum?

6 Verùm uideamus ea quæ Apostolica scriptura de summo noui Testamenti sacerdote prędicat. Quod si illa Romano episcopo non conueniunt, manifestum puto, nihil illum esse minus quàm summū in Ecclesia Christi sacerdotem. Prædicatorum autem illius alia personam, alia officium sacerdotale concernunt. Ad personam Christi tanquā summi sacerdotis pertinēt ista. Principiò, quòd sit filius Dei, & administrator domus patris sui, Ebr. 3. Constitutus & cognominatus ab illo summus sacerdos secundum ordinem Melchisedek, cap. 5. Fidelis ei qui constituit ipsum, cap. 3. Misericors & fidelis, Ebr. 2. Tentatusq; per omnia, ut possit affici sensu miseriarū nostrarū, Ebr. 4. Perfectus, Ebr. 5. Pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus, Ebr. 7. Sedens ad dexterā throni maiestatis in cœlis, Ebr. 8. Ostendant illi, qui Romanum episcopum summū constituunt in Ecclesia noui Testamenti sacerdotem, quomodo personæ illius prædicata ista conueniant. Vt de titulo filij Dei taceam, possunt ne illi ueraciter dare quòd sit constitutus & cognominatus à Deo summus sacerdos secundum ordinem Melchisedek? quòd sit Deo fidelis, misericors, tentatus per omnia, condolens miserijs nostris, perfectus, pius, innocens, impollutus, à peccatorib. segregatus, & sublimior cœlis factus? Etsi nos taceamus de Rom. episcopis, res ipsa clamat, esse illos nec à Deo cōstitutos summos sacerdotes, nec fideles, misericordes, perfectos, pios, innocentes, impollutos, à peccatoribus segregatos, sed per omnia diuersos.

Romanum episcopum non esse summū sacerdotem.

Ad officium sacerdotale pertinet, mediatio inter Deum & homines, quā Scriptura Christo filio Dei unicè tribuit. Vnus Deus, inquit Apostolus, & unus mediator inter Deum & homines, homo Christus Iesus. Ergo mediatoris officium non cōpetit Romano episcopo, imò nulli prorsus mortalium, nisi uni Christo, si ut unus est Deus, ita & unus est mediator inter Deum & homines, homo Iesus Christus. Si unus Christus mediator est noui Testam. consequitur, unum quoq; Christum, summum esse noui Tastamenti sacerdotem. Occurrit sophista: Vnus, inquit Apostolus, non unicus mediator est. Non negamus Christum esse mediatorem, unicū esse non concedimus. Sunt enim multi mediatores in cœlo & in Ecclesia. Audi qui hoc regeris. Si unus mediator non est idem, quod unicus mediator: cōsequitur nec unum Deum idem esse, quod unicum Deum. Dicit enim Apostolus disertè, Vnus Deus: ac subiungit, Et unus mediator inter Deum & homines. Quis tibi cordatorum hominum concedet in tam paucis uerbis, & in tam manifesto Apostoli proposito, aliter dici unum mediatorē quàm unum Deum? Si non uis in suspicionem μονοθίας incidere, noli ex uno mediatore unum aliquem ex multis facere, ne ex uno quoq; Deo unum aliquem ex multis facere uidearis.

Obiectiones sophistarum.

Alius ex sophistis relicta uocula Vnus, distinctionē adfert in dictione Mediator. Vnus, inquit, est mediator redemptionis Iesus Christus: quia ille solus redemit genus humanum. non enim est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluari: sed plures sunt intercessores. Hæc ille. Si mediationem Christi intellexisset, à redemptione illam nō separasset. Verùm audiant qui sic sentiunt, non me, sed eum quem pro doctore Ecclesiæ uenerātur, Augustinum uideliçet, cuius hæc uerba sunt super epistolam Ioannis primam tractatu primo: Fratres, inquit, Iesum Christum iustum habemus aduocatum apud patrē, ipse propitiatio est peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, hæresim non fect: hoc qui tenuit, schisma non fecit. Vnde enim facta sunt schismata? Cùm dicunt homines: Nos iusti sumus, nos sanctificamus immundos, nos iustificamus impios: nos petimus, nos impetramus, (Quæso quanto sunt impudentiores, qui dicunt: Nos decernimus, nos imperamus?) Ioannes autē quid dixit? Etsi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum. Sed dicet aliquis: Ergo sancti nō petunt pro nobis? ergo episcopi uel præpositi non petunt pro populo? Sed attendite Scripturas, ac uidete, quia & præpositi commendant se populo. Nam Apostolus dicit plebi: Orantes simul & pro nobis. orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo. Oramus pro uobis fratres, sed & uos orate pro nobis. Inuicem pro se omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet. Hæc ibi. in quibus palàm ac diserte officium interpellandi, quod summi sacerdotis est, non nisi Christo tanquam capiti tribuitur. Et contra epistolam Parmeniani lib. 2. cap. 8. sic scribit: Si uerò ita diceret Apostolus, Hoc scripsi uobis ut nō peccetis: etsi quis peccauerit, mediatorem me habetis apud patrem, ego exoro pro peccatis uestris (sicut Parmenianus quodā loco mediatorem posuit episcopum inter populum & Deū) quis eum ferret bonorū atq; fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi, & nō sicut Antichristū intueretur? Homines enim oēs Christiani inuicem se cōmendant orationibus suis. Pro quo aūt nullus interpellat, sed ipse pro omnib. hic unus uerusq; mediator est: cuius typus quoniā præfigurabatur in sacerdote uet. Test. nullus illic inuenitur orasse pro sacerdote. Paulus aūt Apostolus, quanquā sub capite præcipuum membrū, sed tamen quia mēbrum est corporis Christi, & nouerat, non per figurā in interiora ueli ad sancta sanctorū: sed per expressam & firmā ueritatem in interiora cœli ad sanctitatem, nō imaginariā, sed æternā pro nobis intrasse maximum & uerissimum Sacerdotem Ecclesiæ, se orationibus fideliū & ipse cōmendat. nec mediatorē se facit inter po-

Sophistæ dicūt Vnus quidē redēptionis mediator est, plures uerò intercessores. Augustinus.

pulum & Deum: sed rogat, ut pro se inuicem orent omnia membra corporis Christi, quoniam pro se inuicem sollicita sunt membra. Nam si esset mediator Paulus, essent utiq; & cæteri coapostoli eius, ac sic multi mediatores essent: nec ipsi Paulo cõstaret ratio qua dixit, Vnus Deus, unus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, &c. Hæc ibi. Quis aũt non uidet, etiam Augustini iudicio, nõ esse in Ecclesia noui Test. mediatorem inter Deum & homines, præter unũ Christũ? Quare distinctio illa Sophistica, qua Christũ redemptionis mediatorẽ, interpellationis uerò plures alios esse nugãtur, prorsus est repudiãda. Si ne Apostoli quidẽ ꝓ mediatoribus & intercessorib. sunt habendi, quomodo habẽdi sunt reliqui sancti, nedũ Romani episcopi? Si ꝓ Antichristo, nõ pro Apostolo Christi habẽdus est, qui sibi mediationis officiũ uindicat: quo loco habẽdꝰ est, qui se summũ in Ecclesia Christi sacerdotẽ cõstituit? Sed pergamus.

De sacrificio Christi.

7 Porrò ad mediationem sacerdotalem pertinẽt sacrificium & preces. Sacrificiũ autem præsertim hoc summo competit Sacerdoti, quod sit expiationis. Sacrificium Christi est corporis ipsius oblatio, in ara crucis facta, qua semetipsum obtulit Deo patri, Ebr. 7. 9. 10. De precibus Christi Ebr. 5. sic legimus, quemadmodum & alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternũ, secundum ordinem Melchisedek, qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum qui posset ipsum saluum facere à morte, cum clamore ualido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Deinde Ioannis 17. recitatur oratio, qua cum uicinus esset immolationi suæ, ad Deum patrem pro nobis omnibus orauit. Sacrificio huic annexus fuit ingressus ad interiora ueli, quæ sancta sanctorum uocantur, quo de Ebr. cap. 6. sic legitur: Christus præcursor pro nobis ingressus est ad ea quæ sunt intra uelum. Item cap. 9. At Christus accedens Pontifex futurorum bonorum, per maius & perfectius tabernaculum non manufactum: hoc est, nõ huius structuræ, neq; per sanguinem hircorum aut uitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, æterna redemptione reperta. Et clarius ibidem: In ipsum cœlum, inquit, ingressus est, ut appareat nunc uultui Dei pro nobis.

Christus differt à sacerdotibus ueteris Testamenti.

8 Et hoc sacrificij genere summus noster sacerdos Christus plurimũ differt à sacerdotib. uet. Test. qui in sancta manufacta ingressi offerebant pecora, & sanguinem uitulorum & hircorũ. Ipse uerò in cœlum ipsum penetrãs, obtulit sacrificiũ, non quod esset extra se, sed semetipsum, quo excellentius quicquam & præstantius offerri non potuit. In eo erat ueritas expiationis nostræ, cuius figuræ in sacrificijs ueteris Testamenti præcesserunt.

Duo accedunt ad sacrificium Christi.

9 Et huic sacrificio Christi duo hæc accedunt. Vnum, quòd semel factum iterari nec potest, nec debet: alterum, quòd efficax est in conspectu Dei. De utroq; testantur Apostolicæ literæ, Ebr. 7. negatur eam esse Christo summo sacerdoti necessitatem, qua ueteres sacerdotes quotidie offerebant. Et ca. 9. legitur, quòd semel seipsum obtulerit ad profligationem peccati. Et cap. 10. Hic uerò: Vna, inquit, pro peccatis oblata uictima, perpetuò sedet ad dexteram Dei. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuũ eos qui sanctificantur. Et hæc sacrificij istius unitas pendet ab efficacia & consummatione eorum quæ perficere debebat. Vetera sacrificia quoniã figuralia erant & inefficacia, quotidie iterabantur. Quare iteratio illorum argumentum habebat infirmitatis & inefficaciæ. Quid ergo faciunt, qui sacrificium Christi non modò memorialiter, sed & realiter quotidie faciendum esse cõtendunt? Efficacia unici sacrificij Christi semel in ara crucis facti non antiquatur tempore, ut opus habeat renouatione: sed ut efficax fuit inde ab initio mundi, ita & postquã præstitum est, ad finem usq; efficaciam suam firmam & inconcussam retinet. Semel oblatum, mundum hunc Deo patri reconciliauit, peccata nostra profligauit, conscientias nostras à mortuarijs peccatis ad seruiendum Deo uiuenti purgauit, nosq; sanctificauit ac perfectos reddidit in perpetuum, & ingressum nobis ad thronum gratiæ in ipsa sancta patefecit, ut cũ fiducia accedentes misericordiam & gratiã ad opportunũ auxilium consequamur. Hæc obiter de sacrificio summi nostri sacerdotis delibare uisum est, quo & qualitate, & unitate, & perfectione illius considerata, Papistici sacrificij cõmentum cognoscamus ac repudiemus. Sed redeamus ad ipsum sacerdotium Christi.

2. Cor. 5. Ebr. 9. 10.

De perpetuitate sacerdotij Christi.

10 Hactenus quæ de persona summi nostri sacerdotis Christi, deq; sacerdotali illius officio Scriptura habet, paucis in medium attulimus: restat ut de perpetuitate illius, deinde & cõmunicatione quędam uideamus. Proponit nobis Scriptura summum sacerdotem Christum, non tẽporariũ, sed perpetuũ, cum oraculũ illud Dei citat: Tu es sacerdos in æternũ secundũ ordinẽ Melchizedek, Psal. 110. Ebr. 5. Et hactenus quoq; ueteris legis sacerdotibus præfertur, quòd illi plures fuerunt, eo quòd per mortem non sinerentur permanere: ipse uerò maneat in æternum, perpetuumq; unus habeat sacerdotium. Ebr. 7. & perpetuitas ista sacerdotij Christi non est res de inani titulo, ut causa sit Romanis episcopis summum hic in terris uindicare sacerdotium, quasi aliàs Ecclesia fidelium sacerdotio necessariò destituatur. Sic est ille perpetuus sacerdos, ut non recipiat successorem, ut efficacia unici ipsius sacrificij duret in sempiternũ, ut per spiritum suum electos ad finem usque doceat & moderetur, utq; semper uiuens, & ad dexteram patris sedens, pro nobis interpellet, & saluos facere ad plenum queat eos qui per ipsum ad Deum accedunt, Ebr. 7. Perpetuitas ista sacerdotij Christi non admittit ullum alium summum sacerdotem: & simul omnem amputat Ecclesiæ causam, alium quempiam quærendi & erigendi. Quare sine contumelia Christi sacerdotis æterni, Romanum illum Pontificem

Quomodo Christus sit perpetuus sacerdos.

pro

pro ſummo in eccleſia ſacerdote agnoſcere non poſſumus. Eſſet enim hoc cõfeſsionis noſtræ Pontificem Dominum Ieſum deſerere, & Antichriſto in nobis locum dare. Ebr. 3.

IL DE COMMVNICATIONE SACERdotij Chriſti.

REſtat ut de communicatione ſacerdotij Chriſti uideamus. De hac quoq; extant teſtimonia Scripturæ: utpote 1. Pet. 2. ubi ſic legitur: Ad quem accedentes lapidem uiuũ, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum, & ipſi tanquam lapides uiui ſuperædificamini in domos ſpirituales, in ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Item: Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, ut uirtutes annuncietis eius, qui de tenebris uos uocauit in admirabile lumẽ ſuum. Et in Apocal. cap. 1. Qui dilexit nos, inquit, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnũ & ſacerdotes Deo ac patri ſuo. Et cap. 5. Quoniam redemiſti nos Deus in ſanguine tuo ex omni tribu & lingua, & populo & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram. Et cap. 20. Beati, inquit, qui habent partem in reſurrectione prima. In his ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt ſacerdotes Dei, & regnabunt cum eo mille annis. 1. Pet. 2. Apoc. 1. 5. 20.

Hæc quatuor Scripturę teſtimonia ſic de noui Teſtamenti ſacerdotio loquuntur, ut doceãt illud commune eſſe Chriſtianis omnibus. Quæ namq; de ſacerdotio in illis memorantur, omnibus omnino ſunt Chriſti fidelibus catholica & cõmunia, nec poſſunt ulla ratione Papiſtico ſacerdotio competere. Omnes ueri Chriſtiani ſunt lapides uiui in domos ſpirituales, ſupra Chriſtum, tanquam uiuum lapidem in fundamento locatum, ædificati: omnes offerunt ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum: omnes ſunt genus electum, gens ſancta, populus acquiſitionis, de tenebris ad lumen illud admirabile uocati: omnes dilecti, & à peccatis per ſanguinem Chriſti loti, ex omni tribu & lingua populis & nationibus per ſanguinem Chriſti redempti. Cum ergo hæc non ſint Eccleſiaſticorum tantum, ſed fidelium omnium: conſequitur etiam ea, quæ de Regali ſacerdotio coniunctim memorantur, non ad Eccleſiaſticorum ordinem, ſed ad fidelium omnium pertinere dignitatem, quam communiter habemus omnes à capite noſtro Chriſto, quotquot uera ac ſincera fide non modò ad carnis illius, ſed & ad ſpiritus communicationem ueluti corporis illius membra peruenimus. *Cõmunicatio ſacerdotij huius ad ſolos uerè Chriſtianos pertinet.*

Agnouit hoc Auguſtinus, qui lib. 2. Quæſtionum Euangelicarum, cap. 40. ſic ſcribit: Sacerdotium uerò Iudæorum nemo ferè fidelium dubitat figuram fuiſſe futuri ſacerdotij regalis, quod eſt in Eccleſia, quo cõſecrantur omnes pertinentes ad corpus Chriſti ſummi & ueri principis ſacerdotum. Nam nunc & omnes unguntur, quod tunc regibus tantùm & ſacerdotibus fiebat. Et quod ait Petrus, ad Chriſtianum populum ſcribens: Regale ſacerdotium, utrunq; nomen illi populo conuenire declarauit, quò illa unctio pertinebat. Et in libro de Vita Chriſtiana: Ex quo tempore, inquit, credentes illi, & baptiſmatis illius ſanctificatione purgati, nõ aliqui, ſicuti ſub lege prius fuerant, ſed omnes in Prophetis & ſacerdotibus unguntur & regibus. Cuius unctionis quales eſſe debeamus, admonemur exemplo, ut in quibus tam ſancta eſt unctio, ſit non minus conuerſatio. Ex ſacramento enim unctionis huius & Chriſti, & Chriſtianorum omnium, id eſt in Chriſto credentium, uocabulum deſcendit & nomen. Quod nomen ille fruſtrà ſortitur, qui Chriſtum minimè imitatur. Et Origen. ſuper Leuit. hom. 9. cap. 16. Omnes, inquit, quicunq; unguento ſacri chriſmatis delibuti ſunt, ſacerdotes effecti ſunt, ſicut & Petrus ad omnem dicit eccleſiam: Vos autem genus electum, regale ſacerdotiũ, gens ſancta. Eſtis ergo genus ſacerdotale, & ideo accedetis ad ſancta. Et Beda in epiſt. Petri 1. cap. 2. Quo manifeſtiſsimè, inquit, nos hortatur, ut ſacerdotium ſanctum ipſi exiſtentes, ſuperædificemur ſuper fundamentum Chriſti. Omnem ergo eccleſiam ſacerdotium ſanctum appellat, quod ſola domus Aaron in lege nomen & officium habuit. Quia nimirum omnes ſummi ſacerdotis membra ſumus, & cuncti oleo lætitiæ ſignamur. Et Hieron. in Malach. cap. 1. Genus ſacerdotale & regale ſumus omnes, qui baptizati in Chriſto, Chriſti cenſemur nomine. Hæc iſti. quorum teſtimonijs comprobatur, quæ in citatis locis de noui Teſtam. ſacerdotio cõmemorantur, ad omnes pertinere Chriſtianos, ideoq; eſſe nos omnes ſacerdotes. *Auguſtinus.* *Origenes.* *Beda.* *Hieronymus.*

Coguntur quidem hoc Scholaſtici quoq; fateri, quoniam poſt Sacras ſcripturas patrũ etiã teſtimonijs conuincuntur: uerùm ſic uocant hoc Chriſti ſacerdotium generale, ut diſcernant à ſpeciali, quod cõmenti ſunt, & ordini epiſcoporum & presbyterorum tribuerunt. Vnde aũt probent ſpeciale ipſorum & Miſſaticum ſacerdotium, in quo Roman. epiſcopus ſit ſummus ſacerdos, & Miſſa ſacerdotale ſacrificium, nuſquam inueniunt. Quare ~~Cochlæus affirmare cœpit~~, nõ omnia eſſe in literis Sacris expreſſa, quæ credere & ſeruare debeamus, quo cauſæ huius patrocinium ex agraphis quæreret. Sed huic in Anticochlæo noſtro reſpondimus. Vetus hoc eſt hæreticorum refugium, ut ubi Scripturis opiniones ſuas probare non poſſunt, ad agrapha & reuelationes ſpiritus S. confugiant, quibus nõ minus ſit acquieſcendum quàm Scripturis. Nos uerò conſtanter affirmamus, diſcernendum eſſe inter ea quę credenda fidelibus ꝓponuntur, & ea quæ pro conſuetudine uel authoritate legitimi concilij publico ſunt uſui ſeruan- *Scholaſtici.* *Refugium hæreticorum.*

da tradita. Credenda quippe uerbum Dei expreſſum & indubitatum requirunt. Ritus uerò & ceremoniæ liberæ ac licitæ non ita, propterea quòd in illis nulla fidei neceſsitas conſiſtit. Item ſi ſacerdotium ipſorum referũt inter cauſas fidei, oſtendant Scripturas unde cõprobetur illius inſtitutio & authoritas. ſi uerò inter ritus humanitùs inſtitutos, liberent ab illius iugo fidelium conſcientias, & fateantur unum eſſe duntaxat noui Teſtaméti ſacerdotium authoritate uerbi Dei cõfirmatũ, quo de hactenus diximus. Nulla namq; ueritate defendi poteſt, quòd duplex conſtituunt ſacerdotium in Eccleſia.

Sed pergamus. Quoniam omnes Chriſti fideles ſacerdotes ſunt Deo, quemadmodum expræmiſsis ſcripturis oſtendimus: conſequens eſt, ut pro conditione ſacerdotij ſui offerãt Deo oblationes acceptas, easq; tales, quæ ab omnibus tam pauperibus, quàm diuitibus poſsint offerri. Si ſacrificium hoc in rebus externis & mundanis ſitũ eſſet, auro, argento, pecudib. &c. non poſſet æquè à pauperibus atq; à diuitib. offerri. Neceſſe igitur eſt, ut ſint ſacerdotij huius oblationes haud terrenæ ac ſeculares, ſed ſpirituales. Sic Petrus loco ſuprà citato dicit: Offerẽtes ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Quemadmodum regnũ ſumus ac reges Deo noſtro, non more ſeculi, ſed ſpiritualiter: ita & ſacerdotium noſtrum unà cũ ſuis eſt ſacrificijs comparatum, ut quales ſumus reges, tales ſimus & ſacerdotes, ad exemplũ Chriſti capitis noſtri regis ac ſummi ſacerdotis.

Oblationes Chriſtianorum ſpirituales.

Tria ſacrificia noui Teſtam.

1 Sunt autem tria ſacerdotij huius ſacrificia, quorum primum Chriſto tanquã mediatori ac ſummo ſacerdoti unicè competit, reliqua duo cum illo nobis ſunt communia. Primum eſt ſacrificium expiationis, quo ſemetipſum Deo patri in cruce pro peccatis totius mundi hoſtiam unicam & immaculatam obtulit. De hoc ſacrificio ſuprà diximus.

Expiationis.

Laudis ac precum.

2 Secundum eſt, ſacrificium laudis ac precum. Eſt hoc commune fidelibus omnibus cũ Chriſto ſummo ſuo ſacerdote, qui & ipſe Deo ac patri ſuo ſacrificium laudis unà cum precibus obtulit. Quòd autem ſacrificium hoc laudis non ſit miniſtrorum duntaxat in Eccleſia, ſed omnium fidelium ac redemptorum, uel in ipſo Papiſticæ miſſæ Canone patet, ubi hæc habentur ad uerbum: Memento Domine famulorum famularumq; tuarum. N. & omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio: pro quib. tibi offerimus, uel, qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis pro ſe ſuisq; omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, proſpe ſalutis ſuæ, tibiq; reddunt uota ſua æterno Deo uiuo ac uero, &c.

Quàm gratum ſit Deo ſacrificium laudis.

Quàm autem hoc laudis ac precum ſacrificium Deo ſit acceptum & unicè gratum, Pſal. 50. uidere licet, ubi ſic legimus: Audi populeme meus & loquar, Iſrael & conteſtabor te: Deus ſum ego, Deus tuus. Non arguam te propter ſacrificia tua, nec propter holocauſta tua, quæ coram me ſunt ſemper. Non accipiam de domo tua taurum, neq; de caulis tuis hircos: quoniã meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, pecora in mille montibus. Noui omnia uolatilia montium, & feræ agreſtes mecum ſunt. Si eſuriero, non dicam tibi: quoniam meus eſt orbis, & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnem taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Sacrifica Deo laudem, & redde altiſsimo uota tua. Et inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Hæc ibi. in quibus iam tum in ueteri Teſtamento Spiritusſanctus expreſsit, quale eſſet noui Teſtamenti futurum ſacrificium, quod & Auguſtinus ad Honoratum de gratia noui Teſtamenti ſcribens agnouit, dicens: Vt oſtenderet ſacrificium noui Teſtamenti, quando legalia fuerant ceſſatura: Immola, inquit, Deo ſacrificium laudis, & redde altiſsimo uota tua. Sanè licet perpetuum ſit hoc piorum omnium ante legem, ſub lege, & poſt legem ſacrificium: præcipuè tamen noui Teſtamenti populo competit, & omnium commodiſsimè unico illi quo redempti ſumus ſubijcitur. Nam hic demùm populus ille eſt, qui mortem Domini, & uirtutem Dei ſui annuncians, à quo de tenebris in admirabilem eſt ueritatis lucem uocatus, ſacrificium laudis offerre, nomenq; illius ſyncera fiducia inuocare non ceſſat.

Auguſtinus.

Eſt hoc ſacrificium laudis ſacrificium illud mundum, quod iuxta prophetiam Malach. ca. 1. à ſolis ortu ad occaſum uſq; Deo in omni loco offertur, quod Aug. in oratione cõtra Iudæos cap. 9. & lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 86. & contra aduerſarium legis & Prophetarũ lib. 1. cap. 20. & Tertullianus in libro aduerſus Iudæos teſtantur.

Sacrificiũ mũdum, quod ab ortu ſolis ad occaſum uſque offertur.

Patres citantur ab aduerſarijs, quòd illi Dominicæ mortis memoriam cum illius ſacramento, ſacrificium noui Teſtamenti appellant. Quanquam tolerabile eſt intelligentibus, unici ſacrificij in cruce ſemel oblati memoriam uocari ſacrificium, quo ſenſu ſigna nomina rerum ſignatarum induunt: diſsimulandum tamen non eſt, aliud eſſe ſacramentum, & aliud ſacrificiũ, ſi propriè ſit loquendum. Eſt quidem ſacramento corporis ac ſanguinis Domini adiunctum laudis ſacrificiũ, unde & Euchariſtia uocari cœpit: & Aug. lib. 10. de ciuitate Dei cap. 5. ſacrificij & ſacramenti uoces cõmiſcet, dicens: Sacrificiũ uiſibile inuiſibilis ſacrificij ſacramentum, id eſt ſacrum ſignum eſt: melius tamen eſt, ut ſacrificium laudis à ſacramento diſtinguentes, nulli ordini, nulli tempori, nulli ritui alligemus, ſed liberis fidelium affectibus quocunq; ſint loco & tempore permittamus: ut quemadmodum puras manus ad Deum, iuxta doctrinam Apoſtoli, in omni loco orãtes leuant, ita in omni quoq; loco ſacrificiũ illi laudis gratias agentes, ac uirtutes eius annunciantes offerant. Sic ſentientes non repugnamus, quo minus id publicè fiat in cœtu fidelium, quando de pane & calice Domini participantes mortem Domini annun-

Patres.

Auguſtinus.

annunciamus. Verùm requirimus, ut non in eiuſmodi tantum ſynaxi, ſed & cæteris conuentibus Eccleſiaſticis uituli labiorum noſtrorum ſiue pſallendo, ſiue orando, ſiue prædicando offerantur, & regale ſacerdotium à cunctis fidelibus exerceatur.

Dum ad ſacrificij huius oblationem miniſter Chriſti operam ſuam impendit, ac multitudini fidelium ſeruit, facit hoc non ex ſingularis ſacerdotij, ſed ex miniſterij ſui officio, ſeruitque fidelibus, non ut ſacerdos laicis ac prophanis, ſed ut miniſter ac dux uerbi populo ſancto, ac ſacerdotalis ſacerdotij ſui ſacrificium Domino communiter offerenti. Neq; enim recipiẽdum eſt quòd Scholaſtici duo conſtituunt ſacerdotia: unum, quod ſit epiſcoporum & presbyterorum ſpecialiter, cuius ſacrificium ſit oblatio corporis ac ſanguinis Chriſti pro peccatis uiuorũ & mortuorum quotidie iteranda, nec à quoquam fidelium non raſo & uncto offerenda: alterum, quod generaliter omnium ſit Chriſtianorum. Vnicum eſt in eccleſia ſacerdotium, unicus ſummus ſacerdos Chriſtus, unica ſacerdotalis populi dignitas, omnes fideles ex æquo complectens, miniſtrorum uerò uaria ac diſtincta genera.

Corporum nõſtrorum ſacrifi cium.

3 Tertium genus ſacrificij noſtri eſt, quo ad exemplum Chriſti ſummi noſtri ſacerdotis corpora noſtra, id eſt nos ipſos Deo hoſtiam uiuẽtem, ſanctam & acceptam offerimus. Huc pertinet quod Apoſtolus Rom. 12. ad hunc modum ſcribit: Obſecro igitur uos fratres per miſerationes Dei, ut præbeatis, uel, ut in Græco eſt, ſiſtatis corpora ueſtra hoſtiam uiuentem, ſanctã, acceptam Deo, rationalem cultum ueſtrum. Hæc dicens, poſcit à noui Teſtam. ſacerdotibus, ut ſeipſos Deo totos, quanti quanti ſunt, ad omnia obediẽtes & paratos ſiſtant. Et hoc uocat oblationẽ uiuentem, opponens eam oblationibus occiſorũ & mactatorum pecorum. deinde ſanctam, id eſt mundam ac puram, ut opponat eam pecuinis Iudæorum & gẽtium ſacrificijs, in quibus multum erat immundiciei. & tertiò, acceptam Deo, diſcernens eam ab externis illis ſacrificijs, quę Deo per ſe grata non erant, ſicuti Pſal. 50. & Hierem. 7. uidere licet. Et hoc genus ſacrificij uocat rationalem cultum, ſeparans illud à pecuino. & ut innuat eſſe illud propriè Chriſtianorũ, non ſimpliciter dicit, Rationalem cultum: ſed addit, Veſtrum. Q. d. Nõ eſt ut putetis uos deſtitutos eſſe ſacerdotio, ſacrificijs & cultu, ꝓpterea quòd nec pecudes, nec aurum & argentũ cũ Iudæis & gentibus offertis: ſacerdotium habetis multo præſtantius, cuius ſacrificium ſit nõ pecuinũ, ſed rationale: nõ mortuũ, ſed uiuũ: non prophanum, ſed ſanctum, Deoq; acceptũ. Hoc offertis Deo, dum illi corpora ueſtra ad ueram obedientiam ſiſtitis.

Rom. 12.

At hoc genus oblationis non poteſt offerri ab illis, qui nondum abnegarunt ſemetipſos, nec poſſunt tollere crucem ſuam, & præeuntis ſequi ueſtigia Chriſti. Quare neceſſe eſt, ut primùm immundos ueteris Adæ, id eſt corporis peccati affectus mortificemus, quo totos nos Deo ad ipſius uoluntatem morigeros & ſanctos tanquam hoſtiam uiuentem, ſanctam, illiq; acceptã ſiſtere poſsimus. At noſtri ſacrificuli raſi & uncti centies immolare Chriſtum, ac membra illius mactare malunt, quàm ſemel ſua ipſorum corpora Deo in hoſtiam uiuam ac ſanctam ſiſtere. Sectantur enim in plebe ſeducta non Chriſtum, ſed quæſtum: ſuntq; magna ex parte homines carnales ac delicati, quantumuis ſpirituales uocari gaudent.

Additur quartum ſacrificiũ.

4 Hiſce noui Teſtamenti ſacrificijs addi poteſt & quartum, cuius mentionem facit Apoſtolus Phil. 4. dicens: In Theſſalonica cum eſſem, ſemel & iterum quod opus erat mihi miſiſtis: non quòd requiram munus, ſed requiro fructum exuberantem in rationem ueſtram. Recepi tamẽ omnia, & abundo. Expletus ſum, poſteaquam accepi ab Epaphrodito, quæ à uobis miſſa fuerant, odorem bonæ fragrantiæ, hoſtiã acceptam gratamq; Deo. Ergo neceſsitatib. miniſtrorum Chriſti ſuccurrere, & membris illius alimoniam ſuppeditare, hoſtia eſt & ſacrificium Deo gratum & acceptũ. Sic quoque ſacrificare omnium eſt fideliũ, ad regale noui Teſtamenti ſacerdotiũ pertinentiũ. Hoc ſacrificio non delectantur ſacerdotes uncti & raſi, niſi accipiẽdo.

Epilogus.

Hæc obiter de noui Teſtamenti ſacerdotio annotare uoluimus, ut pius lector uideat, quid de Papiſtico ſacerdotio ſummoq; illius ſacerdote, & ſacrificio ſentire debeat, & ſimul intelligat quod ſit uerum noui Teſtam. ſacerdotium, quisq; in illo ſummus ſacerdos. Chriſtus uidelicet, & quæ de illo in Scripturis prædicẽtur: deinde quinam ſub illo ſint inferioris ordinis ſacerdotes, & quæ uera ſint noui Teſtam. Deoq; accepta ſacrificia. Nihil ex omnibus humanæ uitæ negocijs ſanctius & Deo gratius eſſe poteſt ſacerdotio uero ac legitimo: contrà uerò, nihil potuit cùm ſub gentibus & Iudæis, tum ſub Chriſtianis quæſtuoſius & iuxtà perniciosius ſacerdotio falſo ac ſeducticio excogitari, quo mũdus hic ſingulari quodã conſilio ſatanæ perpetuò fuit dementatus, ac falſis cultibus, erroribus ac ſuperſtitionibus adobrutus. Vbi in eccleſijs Chriſti miniſterium uerbi in ſacerdotium, & Romanus epiſcopus in ſummum ſacerdotem degenerare cœpit, apertæ ſunt Antichriſtianiſmo ualuæ omnium patentiſsimæ.

DE ECCLESIA.

LOCVS de Eccleſia non immeritò inter præcipuos habetur. Extant enim illius præclara in Scripturis elogia, quibus ſingularis in illam diuinæ maieſtatis gratia commendatur. Quare diligenter inſpicienda ſunt, quæ illam ueraciter concernunt, propter eos potiſsimùm, qui noſtra hac tẽpeſtate ſic Eccleſiaſtici uideri uolunt,

lunt,ut manifestam ueritatem prætextu Ecclesiæ reijciant, quasi ueritati uerbi Dei authoritas ecclesiæ præiudicet: uel sic comparata sit ecclesia, ut extra uerbum Domini consistere possit, & aliqua illi sit tribuenda authoritas. Scio ex illis esse quàmplurimos, qui usq; adeò fictis uerbis in ecclesia negociantur, sicq; sunt non Petrum, sed Simonem amplexi,ut citius sint de salute sua scienter ac prudenter periclitaturi, quàm ueritati uerbi Dei cessuri: ne si illa recipiatur, quæstus ipsorum repudietur.Horum non est ut aliquid rationis habeamus. haud enim admoneri sustinent. Verùm illis succurrendum est, qui imprudenti zelo ac studio ecclesiæ detinentur, ne tam crassos & inexcusabiles errores, quibus Romana ecclesia ad summum usq; scatet, relinquant, & in castra ueritatis concedant. Obseruantiam ecclesiæ Christi debitam profitentur. Volunt illius esse non desertores, sed germani filij. Cogitant, etiamsi deliret in multis, mater tamen est: & condonandum maternæ authoritati, si quid habet quod reprehendi possit. Horum gratia uidendum est quid sit ecclesia, quæ uera, quæ falsa, & quæ alia ad præsentem causam facere uidebuntur.

I. QVID SIT ECCLESIA.

Voxἐκκλησία.

Ecclesia Græca uox est, sonans euocationem. Sumpta namque est à uerbo ἐκκαλέω, id est euoco. Interpretantur nonnulli conuocationem, quæ Græcè συγκλησία dicitur, à συγκαλέω, id est conuoco. Sic discriminant inter synclesiam & ecclesiam,ut ecclesia sit conuocatio populi, syncleſia uerò senatorij ordinis conuentus. Ebræi uocant Ecclesiam קהלת, id est congregationem & cœtum. Sic illi & Græci uocibus utuntur populariter notis, è patrio uidelicet idiomate sumptis. Latini usurparunt uocem peregrinam, quam non adeò multi intelligunt: præsertim posteaquam tanta inoleuit barbaries, ut ne Latini quidem,nedum Græci sermonis germana manserit intelligentia. Sic alteram uocem κυριακὴν, id est Dominicam, subintellige

Kirch. ecclesiam, nobis Germanis obtruserunt, quam uulgariter uocamus Kirch. Si interroges quid sit ecclesia, respondet Germanus, kirch, nec originem nec etymon uocis huius intelligens.Et hac uoce appellamus non modò ipsam congregationem fidelium,sed & locum illi dedicatum,

Dumstifft. quem generaliter uocamus Kirch: si uerò Cathedralis ecclesia, Dumstifft, hoc est, Dominicam. Pauci credunt, quantum caliginis peregrinis istis uocibus fidelium sit mentibus offusum.

Est itaq; Ecclesia euocatio,si uim uocis spectemus, quam non temerè à Spiritu sancto usurpatam putare debemus. Commendatur enim per illam cœlestis uocationis gratia, qua ex hoc perituro mundo ad regnum Dei euocamur. Accipitur autem uox ecclesiæ non pro ipsa euocatione, sed pro euocatis fidelibus, illorumq; societate.

Quotuplex sit uocatio fideliũ

Horum uocatio triplex est. Prima interna, per Spiritũ corda aperientem. Secunda externa, per Apostolum ac ministrum Christi euangelizantem. Tertia, qua fideles in cœtus Ecclesiasticos conuocantur.Per primam & secundam reddimur Christiani: per tertiam, ad alendam Christianam religionem, fidem ac pietatem certis temporibus congregamur.

Quòd locus cõgregationis ecclesia uocatur.

Quòd ipsum quoq; Ecclesiasticæ congregationis locum ecclesiam uocant,non est insolens ac præter morem ueterum. Nam & Epiphanius in epistola sua ad Ioannem episcopum Hierosolymorum, quam Hieronymus uertit, inter cætera sic scribit: Quando simul pergebamus ad sanctum locum qui uocatur Bethel, ut ibi collectam tecum ex more ecclesiastico facerem: & uenissem ad uillam quæ dicitur Anablatha, uidissemq; ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogassem quis locus esset: didicissemq; esse ecclesiam, & intrassem ut orarem, &c. Vnde satis patet iam tum in usu fuisse, ut locus ubi ecclesia colligi solebat, ecclesia uocaretur. Equidem conuenientius est noui Testamenti conditionibus,ut locus in quo congregatur ecclesia, ecclesia uocetur, quàm quod & magnificentia & appellatio templorum inter Christianos obtinuit. Non amat sumptuosas & spectabiles structuras diuina maiestas, quæ à contemplando

Templa. & contuendo templa uocari solent. Vsus ecclesiastici loci est, ut in illo multitudo fidelium ad orandum, ad psallendum, ad discendum, & ad cõmunicandum conueniat. Admodum igitur conuenienter locus Ecclesiæ deputatus, ecclesia uocatur.

Illud tamẽ probare non possum, quòd tam scrupulosè ac superstitiosè magis quàm religiosè de materialibus, ut uocant, ecclesijs statuerunt,sit'ne ecclesia,quæ non est ritibus consuetis cõsecrata, cuius authoritate fundari debeat ecclesia,in quibus casibus sit cõsecranda,possitne sine Missa consecrati: si consecrata sit sine dote, à quo debeat dotari: an ab hæreticis consecrata denuò sit consecranda: an ecclesia secularis possit conuerti in monasterium, quot modis uioletur ecclesia, & quomodo sit reconcilianda, & quæ alia sunt eiusmodi multa. De fabrica lapidea solliciti ueræ ecclesiæ ædificationem susq; deq; faciunt. Magnis indulgentijs infinitos thesauros coaceruarunt, prætextu fabricarum ecclesiasticarũ, præsertim S.Petri, quæ sic ædificatur Romæ, ut ad plenum ædificata sit nunquam, citius q; destruenda sit à Turcis, quàm ad finem structuræ perducenda à Romanis.

De eo quòd episcopos, presbyteros, cardinales & clericos, unà cum Romano Pontifice

uocant

uocant Ecclesiam, in ipso tractatu dicemus.

Nos de Ecclesia dicturi sumus quatenus est euocatio fidelium, uel uniuersaliter omniũ toto terrarum orbe dispersorum, uel particulariter quorundam tantũ, siue illi sint Spiritu in unitatem fidei, sine corpore ac Spiritu certis locis cõgregati. Nec moramur multitudinẽ fideliũ, aut locorum ubi congregantur consecrationes. Neq; enim Ecclesiam suam Seruator ipse uel multitudine, uel locorum qualitate metitur, cum dicit: Vbicunq; fuerint duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, Matth. 18. Quis autẽ Ecclesiam Christi esse negabit, ubi inter duos uel tres in nomine Christi cõgregatos, medius est ipse Christus? Sic Apostolus unius domus familiam Christo fidelem, non dubitat uocare Ecclesiam, ad Roman. 16. cum salutare iubet Priscam & Aquilam, & quæ erat in domo illorum Ecclesiam. Et 1. Corin. 16. dicit: Salutant uos in Domino multum Aquila & Priscilla, cum ea quæ est in domo ipsorum Ecclesia. Et ad Colossenses quarto: Salutate fratres, inquit, qui sunt Laodiceæ, & Nympham, & quæ in domo eius est Ecclesiam. Et in epistola ad Philemonem, familiam domus illius uocat Ecclesiam. Et utinam sic sint omnes fidelium domus in fide Christi ac uera pietate comparatæ, ut & sciant se esse Ecclesias Domini, & pro Ecclesijs haberi possint. Et Augustinus alicubi domum Iulianæ haud paruam uocat Ecclesiam.

Nec locus, nec multitudo fidelium requiritur ad Ecclesiam.

II. QVOTVPLEX SIT Ecclesia.

SIde uera Christi Ecclesia quæritur, quam domum Dei & corpus Christi uocat Scriptura, non est illa multiplex, sed una tantùm. Hanc uocant catholicam & orthodoxam. Partes illius dispersæ sunt per orbem, quod attinet locorum & corporum separationem: coniunctæ uerò Spiritu & fide. & hactenus non multas, sed unam duntaxat cõstituunt Ecclesiam. Rom. Ecclesia non est uniuersalis Ecclesia, sed pars illius, siquidem uera fide reliquis corporis Christi membris coniuncta fuerit. Non modò non est altera Romanæ urbis Ecclesia, altera totius orbis existimãda: (nam & Galliæ, & Britanniæ, & Aphrica, & Persis, & Oriens, & India, & omnes Barbaræ nationes unum Christum adorant, unam obseruant regulam ueritatis, inquit Hieronymus) sed sic una est Christi Ecclesia, ut Romana illius sit nec caput nec mater, sed pars quædam, perinde atq; cæteræ.

Vera Christi ecclesia, una tantum est: catholica & orthodoxa.

Romana ecclesia non est uniuersalis Ecclesia.

1 Quoniam Dauid dicit, Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo: occasione uerborum istorum constituunt duplicem Ecclesiam: fidelium & electorum unam, malignantium & impiorum alteram. Verùm duplicitas ista non cadit in ueram Christi Ecclesiam, de qua loquimur. In illa non est alia fidelium, alia malignantium. Quamuis in externa illius societate maiori ex parte obtinuerunt zizania: haud tamẽ ad illam sic pertinent, ut ex una duas faciant Ecclesias. Impijs ac reprobis quamuis multis & unitis non est tribuendum Ecclesiæ nomẽ, quod uocatis tantùm & in Domino congregatis sanctis competit. Attributa quę in Scripturis dantur Ecclesiæ, sic sunt comparata, ut impiorũ factionibus competere nequeãt. Quòd si omnino Ecclesiæ nomen & illis uindicatur, ut hoc fiat patimur: modò addatur specificatio, qua cõspiratio illorũ sic à uera quæ Christi est Ecclesia separetur, ut Ecclesia malignantium uocetur. Vocabulum Ecclesiæ simpliciter absq; ulla specificatione prolatum, haudquaquam conuenit reproborum factioni: sed sanctorum est tantùm, qui ad corporis Christi uocati sunt cõmunicationem. Non possumus absq; magna iniuria pro Ecclesia Christi agnoscere factionem eorum, qui pro membris Christi haberi non possunt. Ecclesia est corpus Christi. Quare ad illam non pertinent, qui alieni sunt ab ipso capite Christo.

Psal. 25. Ecclesia electorũ & reproborum.

Nomen Ecclesiæ non competit reprobis.

2 Veram hanc Christi Ecclesiam diuidunt in militantem & triumphantem. Militantem eorum qui adhuc agunt in carne hac mortali, quibus pugnandum est cum satana, carne ac mundo. Triumphantem eorum, qui translati ad cœlestia, uictores euaserunt omniũ quorumcunq; hostium. Huic Augustinus & Angelos adnumerat. Non sunt hæ duæ Ecclesiæ, sed unius & eiusdem Ecclesiæ partes: quarum altera ad cœlestem patriam præcessit, altera quotidie subsequitur, donec tandem in fine mundi ambæ coniunctæ, unà cum Christo seruatore feliciter agant in sempiternum.

Ecclesia militans.

Ecclesia triumphans.

3 Apparet triplicem esse Ecclesiam Dei: Primam, quæ fuit ante legem: secundam, quæ sub lege: tertiam, quæ post legem subsequuta est, & nouo Testamento deputatur. Verùm quemadmodum humanæ salutis una est & eadem constituta ratio, & testamentum Dei unum, electos omnes inde ab initio ad finem usq; complectens, qua de re suprà loco separato diximus: ita & una est per omnia secula sanctorum Ecclesia. Huius unitas nec temporum mutationibus, nec locorum interstitijs, nec dispensationum alterationibus dirimitur. Eadem Ecclesia aliter ante legem, aliter in lege, aliter post legem secundum prouidentiam Dei instituta quidẽ est, uerùm haudquaquam in tres Ecclesias dirempta: perinde atq; unius & eiusdem scholæ classes quantumuis aliter atq; aliter institutæ, non faciunt plures scholas, sed unius scholæ alumnos competenti diuisione pro illorum diuersitate instituendos accipiunt.

Ecclesia ante legem, sub lege, post legem. Simile.

Noui

Ecclesia Israelis, & Gētium.

4 Noui Testamenti fideles in Ecclesiam Christi, primùm ex Israele, deinde ex Gentibus sunt uocati & collecti. Hinc Patres nonnunquam Ecclesiæ ex Israele, aliquando ex Gentibus collectæ mentionem faciunt: reipsa tamen non est alia Israelitarum, & alia gentium Christo credentium, sed una & eadem Ecclesia. Sic Paulus utrosq; populos in Christo coniungit, ut comparet eos uni corpori, cuius caput sit Christus: & uni ædificio, cuius fundamentum & angularis lapis sit idem Christus. Ephes. 2. Et Christus ipse Ioan. 10. Et alias oues habeo, inquit, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & fiet unus grex & unus pastor. Quasi duo diuersa ouilia fuerunt Israelis & Gentium, priusquam essent in Christo coadunati. ubi uerò in unitatem fidei per Spiritum & Euangelium Christi perducti sunt, ex duobus diuersis gregibus factus est grex unus, adeoq; & Ecclesia una. Vbi hæc ritè consideramus, non possumus de uera Christi Ecclesia statuere aliter, quàm quòd sit unica, & uerorum fidelium tãtùm.

Obiectio aduersariorũ, extra unitatẽ Ecclesiæ non esse salutem. Arca Noe.

Sed dicet quispiam: Atqui unam esse Ecclesiam Christi non modò fatentur, qui hodie pro regno Pontificio magis quàm pro uera Ecclesia contra puriorem Euangelij doctrinã pugnãt, sed & hinc contra nos argumentantur ad hunc modum: Ecclesia est corpus Christi. Corpus autem Christi unum est: unus item Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium, unus Spiritus, Ephes. 4. Et: Vna est columba mea, perfecta mea, &c. Cant. 6. Est igitur Ecclesia una. Quare quemadmodum olim contigit in arca Noe, ut extra eam nemo mortalium seruaretur, & in una illa tantùm seruarentur qui seruabantur, quæ figura fuit Ecclesiæ: ita & in Ecclesia tantùm seruantur, qui seruantur, & extra illam constitutis pereundũ est omnino. Quid ergo expectandum illis est, qui se hodie separant ab Ecclesia, & extra illam cõuenticula instituunt, quàm ut in iudicium Domini ueluti diluuium incidant & pereant?

Responsio.

Ad ista facilis est respõsio. Planè pereat necesse est, qui se ab Ecclesia Christi uera illa & unica separat. Verùm non mox sequitur, Ecclesia Romana est Ecclesia Christi: ergo qui se ab illa separat, perditioni est obnoxius. Discernendum est inter ueram illam & unicã Ecclesiã, & eas quæ non sunt catholicum Ecclesiæ corpus, sed pars illius esse uidentur. Particularis Ecclesia sic potest esse comparata, ut nisi ab illa discedas, cum unica illa quæ corpus est Christi, cõmunicare nequeas. qualis hodie Romana illa sole clarius deprehenditur: quam deseruisse, nõ est ueram & unicam Christi Ecclesiam, sed ipsissimam Babylonem deseruisse. Nunquam probabitur Romanam sedem unũ illud esse Ecclesiæ corpus, extra quod saluari queat nemo. Quare magnæ prorsus est impudentiæ, quòd ad illam trahuntur quæ non nisi cõmunionem corporis Christi concernunt: qua fide Christi omnia per uniuersum orbem Dominici corporis membra per Spiritum sanctum conglutinantur. Potest enim esse in corpore Christi, ac uiuere de Spiritu Christi, quisquis quocunq; terrarũ loco constitutus in illum uerè crediderit: etiamsi ne de nomine quidem Romanæ sedis, multis iam nominibus pijs omnibus detestandæ, audierit uel cognouerit unquam. Viderit Roma, ne hoc argumenti genere seipsa uera salute excidisse comprobet, quando tam est aliena à uera & unica Christi Ecclesia facta.

III. QVAE SIT VERA CHRISTI ECCLESIA.

MAgni est momenti, à uero discernere falsum, præsertim in hac causa: idq; tum temporis, quando prætextu Ecclesiæ omnis generis errores cõtra doctrinam ueritatis defenduntur, & aut communicandum illis est, uel nota defectionis, hæreseos & schismatis subeunda. Quare diligenter uidendum est, quæ sit uera Christi Ecclesia. Hac enim rectè cognita, facile est falsam ab illa discernere, alienis plumis ornatam nudare, conscientias à iugo illius liberare, & qui ueri sint schismatici ac desertores Ecclesiæ iudicare.

Iudicium de uera Ecclesia petendum est ex S. scripturis. Augustinus. Chrysostomus.

Non debemus autem de uera Christi Ecclesia iudicare humano iudicio, nec acquiescere illis, qui quas uolunt Ecclesias iustificant, quas uolunt damnant, sed iudicium de uera Ecclesia petere ex scripturis sacris. In scripturis, inquit Augustinus epistola 166. didicimus Christum, in scripturis didicimus Ecclesiam. Has scripturas communiter habemus, quare non in eis & Christum & Ecclesiam communiter retinemus? Et Chrysostomus super Matthæum homilia 49. Quia in tempore hoc, inquit, ex quo obtinuit hæresis Ecclesias, nulla probatio potest esse ueræ Christianitatis, neq; refugium potest esse Christianorum aliud, uolentiũ cognoscere fidei ueritatem, nisi scriptura diuina. Antea enim multis modis ostendebatur, quæ esset Ecclesia Christi, & quæ gentilitas: nunc autem nullo modo cognoscitur, uolentibus cognoscere quæ sit uera Christi Ecclesia, nisi tantummodo per scripturas. Quare? Quia omnia hæc quæ sunt propriè Christi in ueritate, habent & hæreses illæ in schismate, similiter Ecclesias, similiter & ipsas scripturas diuinas, similiter episcopos, cæterosq; ordines clericorum, similiter Baptismum, similiter Eucharistiam, & cætera omnia: deniq; ipsum Christũ. Volens ergo quis cognoscere, quæ sit uera Ecclesia Christi: unde cognoscet in tanta confusione similitudinis, nisi tantummodo per scripturas? Item ex moribus ipsis prius intelligebatur Ecclesia Christi, quando conuersatio Christianorum aut omnium, aut multorum erat sancta, quæ apud impios non erat: nunc autem aut tales aut peiores facti sunt Christiani, quales sunt hæretici aut gentiles:

gentiles: adhuc autem & maior continẽtia apud illos inuenitur quamuis in ſchiſmate, quàm apud Chriſtianos. Qui ergo uult cognoſcere quę ſit uera eccleſia Chriſti, unde cognoſcet, niſi tantum modo per Scripturas? Sciens ergo Dominus tantam cõfuſionem rerũ in nouiſsimis eſſe diebus futuram, ideo mandat, ut Chriſtiani qui ſunt in Chriſtianitate, uolentes firmitatẽ accipere fidei ueræ, ad nullam rem confugiant niſi ad Scripturas. Alioqui ſi ad alias reſpexerint, ſcandalizabuntur & peribunt, non intelligentes quæ ſit uera eccleſia. Hæc ille. quæ propterea tam fuſe in mediũ adduximus, ut uideat Lector, etiam Patrum teſtimonio non eſſe de eccleſia iudicandum aliter, quàm ſecundum ſacram ſcripturam.

Poſſemus ſimpliciter dicere, eſſe Chriſti eccleſiam, communionem Chriſtianorũ: niſi propter falſam & adulterinam eccleſiam, quę ſibi ſoli titulum uindicat eccleſiæ, certæ eſſent quærendæ notæ, ſecundum quas ea quæ uera eſt à falſa diſcernatur.

Definitio uerę eccleſiæ.

Vera eccleſia, communio eſt ac ſocietas uerorum fidelium, ſanctorum & electorum: conſtans fide, ſpe, dilectione ac ſpiritu Chriſti. Cum dicimus, Verorum fidelium, ſanctorum & electorum, excludimus à uera eccleſia Pſeudochriſtianos, in quibus nihil eſt Chriſtianæ religionis præter inane nomen & ſacramentorum abuſum: cætera omnia ſunt merè ethnica, in religionis cauſa ſuperſtitioſa & idololatrica, in reliqua uita carnalia. Cum dicimus, Cõſtans fide, ſpe, dilectione ac ſpiritu Chriſti, ueram, perpetuam & catholicam ueræ Chriſti eccleſiæ communionem exprimimus, quæ nõ externa aliqua & corporali ſocietate, ſiue ſit ea locorũ, ſiue ceremoniarum, ſed ſpirituali & interna conſtat, & non niſi electos ac uerè fideles recipit. Inter ea ueræ huic eccleſiæ non adimimus uſum corporalium conuentuum, & externam ſacramentorum ac legitimorum rituum ſocietatem. Abſit. Nuſquam enim melius quàm in uera eccleſia conuenitur, & quæ religionis ſunt exercentur. Verùm germanam eccleſię communionem eam ſtatuimus, quæ non in quibuslibet, ſed in electis tantum ac ueris fidelibus locum habeat, & magis ſit animorum quàm corporum.

Huic ueræ eccleſiæ definitioni concordant ſacræ Scripturæ, quibus illi tribuitur quòd ſit domus & ædificium Dei, quòd ſit grex ouium Chriſti, quòd ſit ſponſa, immò & corpus Chriſti: quæ attributa conuenire non poſſunt niſi ſanctorum ac uerorum fidelium eccleſiæ: ſuntq; illi perpetua, quicquid de particularibus communionibus ac ſocietatibus fiat. Quòd domus & ædificium Dei ſit, teſtatur Apoſtolus primæ Timothei tertio dicens: Quòd ſi tardius uenero, ut noris quomodo oporteat in domo Dei uerſari, quę eſt eccleſia Dei uiuentis, columna & ſtabilimentũ ueritatis. Et 1. Corinth 3. Dei ædificatio eſtis. Quòd grex ſit ouium Chriſti, Ioan. 10. comprobatur, ubi Chriſtus ipſe dicit: Ego ſum oſtium ouium. itẽ: Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas. Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, illas quoque oportet me adducere, & uocem meam audient, et fiet unum ouile & unus paſtor. Quòd ſit ſpõſa Chriſti, patet ex uerbis Apoſtoli, 2. Corinth. 11. ubi dicit: Deſpondi enim uos uni uiro, ut uirginem caſtã exhiberetis Chriſto. & Epheſ. 5. Viri diligite uxores ueſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam. Item: Huius gratia relinquet homo patrem & matrem, & adiungetur uxori ſuæ: atq; ê duobus fiet una caro. Myſterium hoc magnũ eſt, uerùm ego loquor de Chriſto & Eccleſia. Quòd ſit corpus Chriſti capitis ſui, uidere eſt eodem loco epiſtolæ ad Epheſ. & Coloſſen. 1.

Eccleſia domus Dei eſt.

Grex ouium Chriſti.

Spõſa Chriſti

Corpus Chriſti.

Quale fundamẽtum conueniat eccleſiæ Dei.

Quatenus igitur eſt ædificium ac domus Dei, fundamẽtum habeat neceſſe eſt non quoduis, ſed quod qualitati, dignitati & amplitudi ni ipſius conueniat. Non eſt autẽ quòd illi conueniat aliud, quàm Chriſtus ipſe unigenitus Dei, qui ſolus totum hoc ædificium domus Dei ſuſtentare, & contra ſatanam & mundum, peccatũ & mortem ſeruare poteſt. Hic eſt petra illa immota, ſupra quam ſic eſt fundata uera eccleſia, ut ne inferorum quidem portæ contra eã prævalere queant. Matth. 16. dicit Criſtus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam. Nõ dicit, Et ſuper te: ſed, Et ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Dubio procul per petram intelligit fundamentum. Fundamentum autem nemo poteſt ponere aliud, præterquam quod poſitum eſt, inquit Apoſtolus, quod eſt Chriſtus Ieſus: 1. Cor. 3. De hoc meminit & Epheſ. 2. dicẽs: Ergo iam non eſtis peregrini & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei, ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum, ſummo angulari lapide exiſtente Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino.

Matth. 16. Et ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam.

Deinde quoniam ædificium hoc non eſt terrenum, ſed cœleſte ac ſpirituale, conſequitur ſtructuram illius conſtare ex lapidibus non terrenis, ſed ſpiritualibus, quos Petrus uocat lapides uiuos, dicens: Ipſi quoque ueluti lapides uiui ædificemini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, & cætera, primæ Petri ſecundo. Itaque ſi reſpicias ipſum ædificatorem, ipſum fundamentum, ipſos etiam lapides domus Dei, quæ eſt eccleſia: puto manifeſtum eſſe, non poſſe iſta intelligi niſi de uera eccleſia Chriſti, quæ eſt communio electorum ſanctorum, & uerè credentium. Nequit enim fieri, ut reproborum coniunctio ædificetur ab ipſo Domino, fundetur ſuper Dominum, & ſit uiuorum lapidum ſtructura, creſcens in templum Domini.

De lapidibus eccleſiaſtici ædificij.

Quatenus eccleſia eſt grex ouium Chriſti, paſtorem utique habet non Romanum epiſcopum, ſed ipſum Chriſtum, cuius uocem audit, & quem ſequitur. At hoc non eſt niſi ueræ Chriſti ec-

Eccleſia grex ouiũ Chriſti.

non nisi Christum pastorem habet.

sti ecclesiæ, societatis nō reproborum, sed electroum ac uerè credentium. Ecclesia malignantium nec audit uocem Christi, nisi quātum placet Antichristo, nec sequitur illum tanquam pastorem. Non est autem adeò magnæ difficultatis cognoscere qui nam sint, qui uocem Christi pastoris sui ex animo audiant, illumque sequantur, & moribus exprimant non sues, canes, lupos ac leones, sed oues & agnos.

Ecclesia, quæ sponsa Christi est, non potest esse Pseudochristianorū.

Nec sponsa Christi esse potest ecclesia malorum ac Pseudochristianorum. Neque enim locum in illa habet mysterium illud sponsi ac sponsæ, quod Apostolus in Christo & ecclesia Ephes. 5. commendat, cum unam carnem nos esse dicit cum Christo, quemadmodum maritus & uxor una sunt caro: Christum enutrire ac fouere ecclesiam suam, sicut uir enutrit ac fouet uxorem: & ecclesiam subditam esse Christo, sicut uxor subdita debet esse marito. Mysterium hoc in Christo & uera illius tantum habet ecclesia locum.

Ecclesia corpus Christi, nō est nisi membrorū Christi. Aliud est esse in ecclesia, & aliud esse de ecclesia.

Bernhardus.

Augustinus.

Porrò, cùm Scriptura docet, esse ecclesiam corpus Christi, an nō satis manifestè significat, Ecclesiam Christi non esse eorum qui inter membra Christi recenseri non possunt? Sunt quidem in externæ professionis societate quamplurimi mali, atque hactenus in ecclesia: uerùm de ecclesia non sunt, quia ueræ ecclesiæ membra non sunt. Aliud est esse in externa Christianorum societate, & aliud pertinere ad internam, quæ spiritus est & fidei, qua caput & corpus & membra cum membris spiritualiter ac ueraciter communicant. Aliud inquam est, esse in ecclesia, & aliud esse de ecclesia. Exierunt ex nobis, inquit Ioannes, quia non erant ex nobis. Non pertinet ad ecclesiā, nisi qui est de ecclesia. Multi sunt in ecclesia alieni ab ecclesia, quos & Scriptura alienos uocat. Bernhardus in Psalmum, Qui habitat, Sermone 6. in fine: At nunc quidem pax, inquit, à paganis, pax ab hæreticis, sed non est pax à falsis filijs. Augustinus lib. 2. cōtra Cresconium Grammaticum, cap. 21. At per hoc, inquit, etiam nesciente ecclesia, propter malam pollutamq; consc ientiam damnati à Christo, iam in corpore Christi nō sunt, quod est ecclesia: quoniam non potest Christus membra damnata habere. Omnia quippe ista monstra, absit omnino, ut in membris illius columbæ unicæ computentur. Absit ut intrare possint limites horti concluſi, cuius ille custos est, qui falli non potest. Hæc ille.

Quæ sit uera Christi ecclesia.

Rom. 8.

Ephes. 5.

Constat itaque ex præmissis, ueram, unicam, sanctam & orthodoxam Christi ecclesiam, esse uerorum fidelium, sanctorum & electorum societatem ac communionem, in qua nihil loci est reprobis à spiritu Christi alienis. Quare ubi contentio est de uera Christi ecclesia, non est quòd obijciant nobis aduersarij, esse in ecclesia immixtos etiam malos. Hoc enim per se abundè patet. Verùm nos loquimur de ecclesia, quæ non modò uocata est per uerbum gratiæ, sed & ab æterno electa, prædestinata & iustificata, quam Christus ipse mundat, ut exhibeat eam sibi ipsi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed ut sit sancta & irreprehensibilis, habeatque eam coniunctam sibi in sempiternum. Ad hanc ecclesiam nequaquam pertinent reprobi, quibus particulares ecclesiæ admodum hodie grauantur, perinde ac si uera corporis membra hulceribus grauentur & afflictentur: de quibus dici non potest, quòd ad corporis constitutionem pertineant, licet corpori nimis tenaciter adhæreant, donec auferantur.

IIII. DE CATHOLICA ECCLESIA.

Augustinus.

Isychius.

Gelasius.

Quæ sit catholica ecclesia.

Membra catholicæ ecclesiæ.

VEram hanc & orthodoxam Christi ecclesiam Patres catholicam uocare cœperunt, quæ uox Latinè sonat uniuersalem. Augustinus epistola 170. ad Seuerinum consanguineum suum: Ipsa est enim, inquit, Ecclesia catholica, unde & καθολικὴ Græcè appellatur, quæ per totum orbem terrarum diffunditur. Isychius in Leuiticum lib. 4. cap. 14. Vniuersalis enim ecclesia, inquit, Hierusalem est, ciuitas Dei uiui, quæ continet ecclesiam primitiuorum, conscriptam in cœlis. Et Gelasius ad Anastasium Augustum: Catholica autem ueraciter illa est, inquit, quæ ab omnibus perfidis, atque ab eorum successoribus atque consortibus syncerā, pura & immaculata communione diuisa est. Alioqui non erit diuinitùs mandata discretio, sed miseranda confusio. Ergo hæc tria dantur ecclesiæ catholicæ. 1 Primùm, quòd per totum terrarum orbem diffundatur. Ergo catholica ecclesia non est Romana, sed omnium electorum ac fidelium, qui inde ab initio mundi ad finem usque ueram ecclesiam tōto terrarum orbe corporaliter, dispersam, spiritualiter uerò unitam constituunt. Et huius ecclesiæ membra sunt Adam, Seth, Noe, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, Moses, Dauid, ac reliqui ueteris Testamēti Patriarchæ, Prophetæ, & ueri fideles, non minus quàm Apostoli, Euangelistæ, Martyres, & reliqui Christiani, catholicam ecclesiam constituentes, priusquam Romani fidem in Christū reciperent. Vniuersitatis nota quæ est in uoce καθολικὴ, nec ad Romanam aut quamuis aliam particularē ecclesiam, nec ad uniuersum genus humanum referri potest. Christiana namque fides neque est Romanorum tantum, neque totum genus humanum complectitur. Si Romana esset, immeritò catholica uocaretur. Si totum mundum nota hæc uniuersitatis comprehenderet,

deret, Christiana fides catholica prorsus non esset. Est enim ea non omnium. Et hactenus ecclesia Christi nihil minus esset, quàm catholica.

2 Rectè ergo secundo illi loco datur ab Isychio, quòd sit ecclesia primitiuorum cõscripta in cœlis. 3 Tertium est, quod in uerbis Gelasij exprimitur, quòd catholica ecclesia sincera sit, & immaculata communione à perfidorum ac reproborum consortio diuisa. An autem Roma totius regni Christi amplitudinem complectatur, & omnes electos ac fideles contineat, sitq; sincera & immaculata communione à reproborum ac perfidorum consortio diuisa: uiderint illi qui per catholicam ecclesiam non nisi Romanam intelligunt, & hoc illam titulo omnium aliarum ecclesiarum dominam constituunt.

V. PRAELATOS ROMANAE ECCLESIAE *non esse ecclesiam.*

PRælati, inquiunt, episcopi & cardinales, unà cum Romano pontifice, repræsentant catholicam ecclesiam. Et hoc concordat Scripturis. nam 1. Reg. 8. sic legimus: Cõuertit rex faciem suam, & benedixit omni ecclesiæ Israelis. Quòd autem repræsentatiuè tantum in Principibus & capitib. cõgregata ibi fuerit ecclesia, initio capitis huius patet, ubi sic legitur: Tunc congregati sunt omnes maiores natu Israel, cum principibus tribuum, & ducibus familiarum filiorum Israel ad regem Salomonem. Deinde cùm Dominus dicit: Si te non audierit, dic ecclesiæ. Mattth. 18. non intelligit uoce Ecclesię omnem totius ecclesiæ catholicæ multitudinem, sed prælatos. Alioqui, quomodo posset fieri quod docet? Neq; enim possibile est ipsam catholicam ecclesiam in unum colligere locum, & causam aliquam ad illam deferre. 1. Reg. 8. Matth. 18.

Respondemus. Caput ipsum 1. Regum decimooctauo statim declarat, non maiores tantũ Israelis ac duces familiarum, sed & uniuersum Israelem uenisse ad Salomonem. Nam mox subijcitur: Conuenitque ad regem Salomonem uniuersus Israel in mense Bethamin, in solenni die, ipse est mensis septimus, &c. & 2. Paralipomenon septimo declaratur, dedicationem hanc domus Dei fuisse 23. die mensis septimi: unde manifestum est, hanc Israelis ecclesiam in diebus festiuitatis tabernaculorum fuisse collectam, quibus lege cogebatur omne masculinum apparere coram Domino, ut est Exodi uigesimotertio & trigesimoquarto, Leuit. 23. & Deuteronomij decimosexto. unde & 2. Paralip. 7. legitur: Fecit itaq; (Salomon) solennitatem in tempore illo septem diebus, & omnis Israel cum eo, Ecclesia magna ualde, ab introitu Emath, usque ad torrentem Aegypti. Apparet ex his uerbis קְהַל גָּדוֹל מְאֹד, id est, Ecclesia magna ualde, uocem Ecclesiæ sumi simpliciter pro congregatione. Alioqui quorsum opus erat dicere, Ecclesia magna ualde.

Quòd uerba Christi attinet, Dic ecclesiæ: omnino manifestum est, non esse intelligenda de catholica, sed unaquaque particulari ecclesia, præsertim ad morem synagogæ instituta, in qua iudicabatur inter fratrem & fratrem. qua de re aliàs monui. Et hic mos in primitiua quoque seruabatur ecclesia. ~~nam ibi delecti erant probati seniores, qui, ut Tertullianus meminit, iudicabant magno cum pondere.~~ In eiusmodi ecclesia potest frater à fratre accusari, & impleri dictum Christi Dic ecclesię: & si ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus. quod fieri nõ potest, si ad catholicam ecclesiam referatur. Quare quod referunt, ad prælatos ecclesiæ, ex errore est, quod de catholica ecclesia intelligẽdum esse uolunt, quod ad quãuis est particularem referendum. Et ipsi satis innuunt, prælatos ecclesiæ non esse ecclesiam, cum ecclesiam ab illis repræsentari dicunt: quanquam nec illud tam facilè probatur quàm dicitur. Verùm sic produnt, pro qua sibi ecclesia pugnandum sumpserint: nimirum pro Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, Principibus, Abbatibus, Prælatis, Prępositis, &c. oneribus terræ, quorum cum regnum in ecclesia defendunt, magis illorum quàm ecclesiæ Christi commodis consulunt: uerùm saluti suæ multo consulerent melius, si ab eorum ipsorum tyrannide, quibus patrocinantur, gregem Christi ui ueritatis uindicarent: mallẽtque cum Mose, Prophetis, Christo ipso, Apostolis, & omnibus uerè pijs, pro populo Dei affligi, quàm temporarijs peccati commodis frui.

Matth. 18. Dic ecclesiæ, intelligendum esse de particularibus ecclesijs.

VI. DE NOTIS VERAE *ecclesiæ.*

FAbricatores Metaxycę doctrinæ anno 1548. in Comitijs Augustanis conflatæ, qua alios ecclesias Euangelicas sensim ad Papismum reducere, alij præsentes impiorum conatus eludere moliebantur, quatuor indicia ueræ ecclesiæ posuerunt ista. Primùm, sinceram doctrinam: secundum, rectum sacramentorum usum: tertium, unitatem quæ in charitate ac pace consistat: quartum, catholicũ consensum per omnia orbis & loca & tempora. Si hæc recto & germano sensu traderentur, nihil haberent incommodi. Nec puto esse quenquam Christiano sensu præditum, qui ecclesiam respuat, & pro uerè Christiana non habeat, in qua hæ ueræ

Notæ ecclesiæ ab Interimistis positæ.

religionis notę uiſantur. Quis non cupiat in ea uiuere eccleſia, in qua purè doceatur, ſacramẽta ritè uſurpentur, unitas fidelium in charitate ac pace ſeruetur, & catholicus cùm fidei tum intelligentiæ conſenſus cum omnibus ueris fidelibus toto terram orbe diſperſis cuſtodiatur?

Pura doctrina

Haſce quatuor ueræ eccleſiæ notas omnino agnoſcimus. Verùm alio ſenſu, quàm ſit receptum in eccleſia defectrice. 1 Purã eccleſiæ doctrinam ſtatuimus eam, quæ ueniat à Chriſto, tranſmiſſa per Apoſtolos, qui nihil de ſuo quod inducerẽt elegerunt, ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus aſsignauerunt: in qua uox auditur non hominis alicuius, ſed unigeniti Dei, ueri & unici paſtoris ac doctoris: Oues meæ, inquit, uocem meam audiunt, & ſequuntur me. Pura euangelij Chriſti prædicatio rectè primam habet ueræ eccleſiæ notam. Excludimus hic omnis generis doctrinas & mandata hominum. Vbi docetur lex Moſis, ſynagoga Iſraelis: ubi Alkoran docetur, conciliabulum Maometi agnoſcitur. Sic ubi docetur Euãgelium de Chriſto ſeruatore, ibi Chriſtiana monſtratur eccleſia.

Vſus ſacramentorum.

2 Legitimum ſacramentorum uſum, cui ſecundam ueræ eccleſiæ notam tribuunt, duobus membris complectimur. uno, ſi uſurpentur ſacramenta ab ipſo Domino ac ſeruatore noſtro inſtituta: altero, ſi ſecundum illius inſtitutionem ritè ac purè uſurpentur. Etenim ſi hæc nota ad alia quoq; ſacramenta, quæ uocant, & alium quàm legitimũ ſacramentorũ uſum trahatur, quod utrũq; in Papatu fieri uidemus, notã hãc nõ ueræ, ſed adulterinæ eſſe eccleſiæ ſentimus.

Vnitas eccleſiæ.

3 Vnitatem eccleſiæ quæ pace & charitate conſtet, quam tertiam eſſe uolunt ueræ eccleſiæ notam, non quamlibet, ſed eam eſſe dicimus, quæ per ſpiritũ Chriſti diffuſa ſit in corda uerorũ fidelium ac ſimul per omnem uitam mutuis Chriſtianæ charitatis officijs uelut inter membra corporis Chriſti declaretur. Aliàs & huiꝰ ſeculi filijs ac natiõib. à Chriſto alienis ſua eſt unitas, pax & dilectio. Et alienos eccleſię filios unitatẽ ac pacẽ in religione fortiter colere uidemus.

Catholicus cõſenſus.

4 Quem quarto loco ponunt catholicum omnium totius orbis eccleſiarum conſenſum, non referimus ad ceremonias extraordinarias, quæ alię & aliter in alijs atq; alijs ſeruantur eccleſijs: neq; ad humanas traditiones & conſtitutiones, quæ Apoſtolorũ ſunt tempore ſequutæ: ſed ad capita Chriſtianæ fidei, quæ ut perpetua ſunt & catholica, id eſt ad omnes Chriſti fideles neceſſariò pertinentia, ita ſunt etiam catholici cõſenſus capacia. Quare hic excludimus omnia quæ ſunt poſterioribus temporibus inuecta: & uel falſa, ac uerbo Dei contraria, uel obſeruatu libera: & non omnium, ſed quarundam tantum eccleſiarum uſu recepta. Nihil horum catholico eſt omnium fidelium aſſenſu confirmatum. Non debet autem hic catholicus cõſenſus ad præſens tantùm, uel aliud aliquod aut præteritum aut futurum ſeculum, ſed ad omnia totius catholicæ eccleſiæ inde ab ipſis Apoſtolis ad finem uſq; mundi tempora referri. Roma-

Quis ſit Romaniſtis catholicus conſenſus.

niſtis catholicus conſenſus eſt, quod in Romana eccleſia & alijs illi annexis communiter de Romano pontifice ſentitur, quòd ſit caput eccleſiæ, & ſupremus Chriſti uicarius, quòd Miſſa ſit ſacrificium pro uiuis & mortuis, quòd mortui ſancti ſint inuocandi, quòd nõ modò licitus, ſed & utilis ſit ſimulacrorum uſus in eccleſia, quòd uſus calicis Dominici illicitus ſit plebi fidelium, & quæ alia ſunt eiuſmodi. Verùm iſta cùm puriori eccleſiæ primis Chriſtianæ religionis temporibus fuerint ignota, & poſterioribus quoq; haud ab omnib. catholicè recepta, catholici conſenſus titulum recipere nequeunt. Quapropter non mox à catholico ueꝝ eccleſię cõſenſu alienus eſt, quiſquis iſta tanquam à ueritate aliena reſpuit, adeoque ab eccleſijs Papiſtarum diſſentit, quatenus illę à priſca Apoſtolicarum eccleſiarum puritate iam olim defecerũt.

VII. QVOD SIT CAPVT *eccleſiæ.*

QVoniam eccleſia corpus quoddam eſt, conſtans ex uiuis membris, caput habeat neceſſe eſt, unde & uitam accipiat, & cuius ſpiritu regatur in omnibus: nec regatur tantum, ſed & incrementa habeat, unde creſcat. Omnis eccleſia, inquit Chryſoſtomus, quouſque caput habet, creſcit. De hoc non eſt controuerſia. Nemo eſt Chriſtianus, qui eccleſiam ſentiat eſſe ἀκεφάλω, id eſt corpus ſine capite.

Quale caput eccleſiæ.

Habet igitur eccleſia caput, utique non alienum, ſed ſuum: deinde non multa, ſed unum: tertiò non inutile quoddam, inefficax & inſufficiens, ſed tale quod quæ ueri ſunt capitis efficaciter, competenter & utiliter præſtet. 1 Suum caput, non alienum habet. Quod nam illud? Cuius uidelicet eſt corpus, cui eſt tãquam capiti unitum ac ſubiectum. Vnicuique corpori ſuum eſt caput, cui eſt ab ipſo creatore ſubiectum. Sic habet & eccleſia ſuum caput, quod nõ elegit ipſa, ſed à Deo ſibi impoſitum accepit.

Habet eccleſia ſuum caput.

Non habet eccleſia multa capita.

2 Non multa capita habet, ſed unum. Non eſt beſtia biceps, triceps, &c. Neque capax eſt multorum capitum, mortis interuentu ſibi inuicem ſuccedentium. Toties enim illi moriendum eſſet, quoties per mortem capite ſuo priuaretur: ac toties reuiuiſcendum, quoties nouum aliquod caput ſortiretur, quæ moriendi ac reuiuiſcendi uiciſſitudo planè monſtroſam redderet. Vera eccleſia ſemel capiti ſuo commortua, & unà cum illo reſuſcitata ſub uiuo & nunquã amplius morituro, ipſa quoque æternam eſt uitam nunquam in poſterum moritura ſortita.

3 Caput

3 Caput, inquam, habet non modò ſuum, & unicum, ſed & conuenienter & efficaciter ſufficiens. Habet enim ſpiritum & uitam: ſpiritum non huius mundi, ſed Dei: uitam non terrenã, ſed cœleſtem, cuius conuerſatio eſt in cœlis. Et hęc habet non aliunde, quàm ex capitis ſui ſufficientia. unde monſtratur, caput illius eſſe non modò ſufficiens, ſed & cœleſtẽ ac diuinum. *Eccleſia caput habet ſibi ſufficiens.*

Hæc omnino uera ſunt de capite eccleſiæ. Iam porrò uideamus, quôdnam ſit illud. Conſulamus hic Apoſtolum. Oſtendat ille nobis uerum ueræ eccleſiæ caput. ad Epheſios capite primo ſic dicit: Et omnia ſubiecit ſub pedes illius (loquitur autem de Chriſto) & eum dedit caput ſuper omnia ipſi eccleſiæ, quæ eſt corpus illius, complementum eius qui omnia in omnibus adimplet. Et capite quarto: Adoleſcamus, inquit, in illum per omnia qui eſt caput, nempe Chriſtus, in quo totum corpus, ſi coagmentetur & compingatur per omnem commiſſuram ſubminiſtrationis, iuxta actum in menſura uniuſcuiuſque partis, incrementum corporis facit in ædificationem ſui ipſius per charitatem. Et capite quinto: Vxores proprijs uiris ſubditæ ſitis, ueluti Domino: quoniam uir eſt caput uxoris, quemadmodum & Chriſtus eſt caput eccleſiæ, & idem eſt qui ſalutem dat corpori. Et ad Coloſſenſes primo: Omnia per illum & in illum creata ſunt, & ipſe eſt ante omnia & omnia per illum conſiſtunt, & ipſe eſt caput corporis eccleſiæ: qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primas tenens. Hæc Apoſtolus. *Quod ſit caput eccleſiæ. Epheſ. 1. 4. 5.*

Ergo caput eccleſiæ Dei Chriſtus eſt, de quo locis iam citatis prędicantur ea, quæ omnino ad miſpat ueri capitis requiruntur. Capiti conuenit ſupereminentia non modò dignitatis, ſed & regiminis ac poteſtatis. Conuenit illi ut ſubminiſtret corpori ſpiritum & uitam, omniaque illius membra eodem ſpiritu & ſanguine coniuncta in ſumma concordia conſeruet, & ſingulorũ motus ac officia dirigat, ac totius corporis ſaluti proſpiciat. Sine huiuſmodi capite quid aliud eſt corpus, quàm iners truncus? *Quæ conueniant capiti.*

Eccleſia uerò caput habet, in quo hæc omnia abundè continentur. Eſt enim illi Chriſtus unigenitus Dei datus à Deo patre caput omnium ſufficientiſsimum, cuius ſupereminentiam prædicat Apoſtolus, cum eum uocat principium (reſpiciens ad uocem ראש, quæ Hebræis & principij & capitis ſignificationem habet) deinde in omnibus primas tenere, & ante omnia exiſtentem ſuper omnia poſitum, & omnia per eum eſſe & conſiſtere dicit. Ad ſufficiẽtiam uerò pertinet, qua corpori à capite quæ neceſſaria ſunt ſubminiſtrantur, quòd eum omnia in omnibus complere, ac corpori ſalutem dare, corpus etiam in illo totum ut eſt creſcere prædicat. quò facit illud Chriſti: Ego ſum uitis uera, uos palmites. *Cõditiones capitis in Chriſto.*

Hæc ſic ſunt uera, ut ne ab aduerſarijs quidem negari queant. Verùm huic capiti Chriſto quaſi primario, ſubſtituunt & aliud caput, quod fit ſecundarium: Romanum uidelicet pontificem, quem ſupremi capitis Chriſti uicarium caput eccleſiæ uniuerſalis in terris conſtitutum eſſe nugantur. Volunt prępoſitum in eccleſia idem eſſe quod caput. Sanè principes, duces & reges capita populorum uocãtur in Scripturis, ſicuti uidere eſt 1. Sam. 15. ubi Saul caput in tribubus Iſrael factus dicitur: & Amos 6. ubi optimates capita populi: & Eſa. 7. quo loco rex Damaſci, & rex Samarię capita uocantur. De Apoſtolis uerò & epiſcopis nuſquam in Scripturis legimus, quòd capita eccleſię dicantur. Immò Auguſtinus libr. 3. contra literas Petiliani, cap. 42. Apoſtolum Paulum eorum quos in fide Chriſti plantauerat, caput eſſe potuiſſe negat, dicens: O humana temeritas & ſuperbia, cur non ſinis potius ut ſemper ſit Chriſtus origo Chriſtiani, in Chriſto radicem Chriſtianus infigat, Chriſtus Chriſtiani ſit caput? Neq; enim etiam cum per ſanctũ & fidelem diſpenſatorem gratia ſpiritualis credentibus impartitur, diſpenſator ipſe iuſtificat: ac non ille unus, de quo dictum eſt, quòd iuſtificat impium. Aut uerò apoſtolus Paulus erat caput & origo eorum quos plantauerat, aut Apollo radix eorum quos rigauerat, ac non ille qui eis incrementum dederat, cum idem dicat: Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit. Itaq; neq; qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incremẽtum dat Deus. Nec radix eorum erat ipſe, ſed ille potius qui ait: Ego ſum uitis, uos eſtis ſarmenta. Caput etiã eorũ quomodo eſſe poterat, cum dicat, nos multos unum eſſe corpus in Chriſto, ipſumq; Chriſtum caput eſſe uniuerſi corporis, pluribusq; locis apertiſsimè prædicere? Hæc Auguſtinus. in quibus palàm negat, Apoſtolum tam inſignem caput eſſe potuiſſe eorum quoq; quos ipſe plantauerat. Et cauſas adijcit, quòd uidelicet Chriſtiani ſint unũ corpus in Chriſto, & Chriſtus ipſe uniuerſi ſit corporis caput. Iam ſi de Paulo dici non poteſt, quòd fuerit eccleſiæ caput, quam in Domino plantauerat, exiſtimo pari ratione nec de cæteris hoc poſſe Apoſtolis dici. Si Apoſtoli non ſunt uocandi capita eccleſiarum, quas plantauerunt, quomodo epiſcopi capita uocari poterunt eccleſiarum, quas nec plantauerunt, nec ab alijs plantatas rigant? *Caput ſecundarium. Quomodo præpoſiti ſint capita. Auguſtinus, ne Apoſtolos quidem poſſe capita eccleſiæ uocari.*

Petrum extollũt ſuper Paulum & reliquos Apoſtolos, propterea quòd licet pari ſint poteſtate prædíti Apoſtoli, ipſi tamen peculiariter dictum ſit à Domino: Paſce oues meas, atque uigore huius mandati conſtituunt eum uniuerſalis eccleſiæ ut paſtorem, ita & caput. Sed obſecro, tantúmne diſcriminis eſt inter plantare & rigare, quod de ſe & Apollo prædicat Paulus: & paſcere, quod Petro peculiariter tradunt, ut nequeat Paulus propter plantationem eccle- *An Petrus fuerit uniuerſalis eccleſiæ paſtor & caput.*

siarum uocari caput, posit uerò Petrus propter pastum non eorum tantum quos pauit, sed & uniuersalis ecclesiæ caput dici? Quid ad Petrum ecclesiæ quas plantauit, & pauit Paulus, & quas alij Apostoli plantauerunt, quarum illi quamplurimæ ne notæ quidem fuerunt?

Credemus ne fieri potuisse, ut uniuersam Christi ecclesiam pasceret unus Petrus? Quorsum electi & in totum orbem emissi fuissent reliqui? Non dixit ad illum Dominus, Pasce omnes oues meas: sed simpliciter, Pasce oues meas. Concreditus illi fuit pastus ouium, quæ erant fideles ex circumcisione, Galat. 2. Verùm erant adhuc aliæ, & ipsæ ex gentibus adducendæ & pascendæ: quarum si rectè Paulus doctor est dictus, puto equa ratione posse & pastorem dici: cui tamen Augustinus non concedit, ut caput earum uocetur. Adhuc, si solius Petri fuit pascere oues Christi, quid est quòd Paulus Act. 20. presbyteris & episcopis Ephesinæ ecclesiæ ad se uocatis dixit: Attendite igitur uobis & uniuerso gregi, in quo uos Spiritus sanctus posuit episcopos, ad pascendum, ποιμαίνειν Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo? Ergo non solus Petrus pauit oues Dominicas, sed pauerunt & alij Apostoli & episcopi, pastores & doctores, quibus nihilo plus permittit Augustinus, ut capita ecclesiarum uocetur, quàm permisit Paulo. Quòd si omnino contendunt, Romanum Pontificem esse caput ecclesiæ, esto sit eius ecclesiæ caput, quæ illi instar corporis est subiecta. Si ecclesia est, quæ Romani episcopi corpus uocari potest, per nos licet sit huius ille tanquam sui corporis caput: Christi corporis caput esse, ne particularis quidem alicuius, nedum uniuersalis, concedi non potest. Quod enim de successione Petri gloriantur, planè friuolum est. Neque enim ille catholicæ ecclesiæ caput fuit: neq; si fuisset, mox ad Romanos episcopos eiusmodi fuisset prærogatiua diuinitùs deuoluta.

Cuius ecclesiæ caput sit Rom. Pontifex.

VIII. DE VNITATE ECCLESIAE.

HAud immeritò magna est apud uerè pios homines unitatis commendatio. Nos de illa pauca quædam annotaturi, uniuersalem illius instinctum, creatis omnibus naturaliter inditum, quò ad unum tendunt omnia, & unitate conseruantur, acutioribus ingenijs illustrandum relinquentes, de unitate ecclesiæ dicemus, ut nos materiæ quam tractamus accommodemus. Dicemus autem de unitate ecclesiæ non particulari, sed catholica: non adulterina, sed germana ac uera: non diuisa, sed integra. Particularis, adulterina, & diuisa unitas est, hæreticorum & schismaticorum, & eorum qui cum catholici uideri uolunt, unitatem prætexunt: quam tamen ueram non habent, sed adulterinam, in falsis cultibus ac traditionibus humanis sitam. Catholica, uera & integra non est schismaticorum, sed uerorum fidelium, idque communiter omnium. Quorum est uera & catholica ecclesia, horum tantum est uera & catholica ecclesiæ unitas.

De catholica, germana & integra unitate ecclesiæ dicendum est.

Quare qui nos iam inuitant, iam cogunt ad ecclesiæ suæ unitatem colendam, faciant primùm ex particulari sua unitate catholicam, ex diuisa integram, & ex adulterina uerè Christianam: hoc est, redeant ipsi primùm ad ueram & catholicam Christi ecclesiam, à qua erecto Papismo defecerunt: & sic unà nobiscum amplectantur illius unitatem, ut liceat & ipsis & nobis unum esse cum omnibus sinceris fidelibus, & unitatis bono communiter & ueraciter in Domino potiri. Non mox uera est ueræ ecclesiæ unitas, quæ prætextu catholicę ecclesiæ iactatur. Neque enim nouum est, quòd qui alieni sunt à ueritate catholicæ unitatis, huius sibi titulum uendicare præsumunt, si uel multitudine, uel seculorum aliquot prescriptione, uel potentum authoritate præpolleant. Notus est locus Hieronymi, aduersus Luciferianos, scribentis ad hunc modum: Sub rege Constantio, Eusebio & Hippatio consulibus, nomine unitatis & fidei infidelitas scripta est, ut nunc agnoscitur. Nam illo tempore nihil tam pium, nihil tam conueniens seruo Dei uidebatur, quàm unitatem sequi, & à totius mundi communione non auelli, præsertim cum superficies expositionis nihil iam sacrilegum præferret. Hæc ille. Quare diligenter uidendum est, quæ uera sit catholicæ ecclesiæ unitas, ne fallaci nomine seducamur, & prætextu unitatis ad inueteratum schisma redeamus.

Hieronymus.

Vera ecclesiæ Christi & integra unitas triplici diuisione absoluitur. Primùm, una est in se. Non est multiplex catholica ecclesia, sed una, quia corpus Christi est, de qua unitate suprà articulo secundo admonuimus. Deinde in una hac ecclesia unitas est corporis cum capite Christo. Sine hac unitate inanis est qualiscunq; Christianorum societas. Tertiò, unitas ecclesiæ est in ipsius membris, qua illa inter se unitissima coniunctione cohærent. Hæc uera & absoluta unitas nec latius extendi, nec arctius constringi potest. Est enim exactè triplici ecclesiæ respectui accommoda, capitis uidelicet, corporis, & membrorum. Vnum caput, unum corpus, & unitissima diuersorum membrorum connexio spectanda sunt in unitate ecclesiæ.

Trina ueræ unitatis diuisio.

Hanc itaq;, quantum in ipsis est, dissoluunt, qui uel uerum & unicum caput ecclesiæ loco mouent, uel aliud illi coniungunt aut substituunt. Deinde qui unitatem corporis cum capite talem constituunt, quę membra discordia & reproba recipiat, uel unitatem membrorum eam nos sectari uolunt, quæ unitatem cum capite Christo excludat. Primùm ac tertium faciunt papistę: secundum, qui Euangelium Christi sic iactant, ut fraternę charitatis nullam habeant rationem,

Qui sint, qui unitatem ecclesiæ dissoluunt.

rationem, tametsi legant & audiant dixisse Christum: In hoc cognoscimini mei esse discipuli, si charitatem habueritis inter uos mutuam. Omnino uera cum Christo unitas sic est comparata, ut mutuam fidelium illius charitatem & unitatem non requirat modò, sed & gignat. Contra eos qui unitatem cum capite non curant: Quid relicto capite, inquit Chrysostomus, membris adhæres? Capite si excideris, peristi. Quisquis tandem sit, uiuere nequit, nisi ex capite illi coadunatus, uitam habeat. *Chrysostomus*

Porrò, cum tanta sit in ecclesia diuersitas & inæqualitas, cùm inter corpus & caput, tum inter membra ipsa, uidendum est, quibus nam medijs unitas ista de qua loquimur, constet. Hanc statuunt Papistæ in obedientia & subiectione Romanæ ecclesiæ, quam omnium uolũt esse ecclesiarum & fidelium matrem. Huic dant gremium, ad quod omnes debeant recurrere, qui Christiani uideri uolunt. Et hac unitate contenti sunt, qui magis in illa quærunt quomodo ipsi, quàm quomodo Christus regnet: quomodo ipsi splendidè ac lautè uiuant, quàm quo modo membra ecclesiæ saluentur. Nos uerò unitatem ecclesiæ statuimus eam, quæ non à particulari aliqua, siue Romana siue alia pendeat ecclesia: sed quæ omnium catholicæ sit ecclesię, ipsamq; Romanam non antecedat modò, sed & illa deficiente ad finem usq; perduret. Hanc quærimus in Scripturis sacris, in quibus ipsam etiam expressam habemus ecclesiam. Hæ dum ecclesiam uocant corpus, cuius caput sit Christus, satis opinor admonent, unitatem ecclesiæ talibus constare medijs, qualibus constat unitas corporis cum suo capite, & membrorũ cum membris. Vnum corpus multi sumus in Christo, inquit Apostolus ad Romanos duodecimo: singlui autem alter alterius membra. Vnitas capitis cum corpore suo est in eadem carne, eodem sanguine, eodem spiritu, & eadem uita. Consimilis est unitas membrorum. Nam & illa eodem spiritu, eodem sanguine, eadem carne ac uita, & capite eodem inter se communicantia cohærent. Igitur in hisce medijs omnino consistit unitas ecclesię cum Christo, & fidelium omnium qui sunt ecclesiæ membra. *Quibus medijs uera unitas constet.*

De hac unitate ecclesię loquitur Apostolus Ephes. 4. dicens: Hortor itaq; uos ego uinctus in Domino, ut ambuletis ita ut dignum est uocatione qua uocati estis, cum omni submissione ac mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantes uos inuicem per charitatem, studentes seruare unitatem spiritus per uinculum pacis. Vnum corpus, & unus spiritus, quemadmodũ & uocati estis in una spe uocationis uestrę. Vnus Dominus, una fides, unũ baptisma: unus Deus & pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus uobis. Et cap. 5. Qui uxorem suam diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam suam ipsius carnem odio habuit, immò enutrit ac fouet eam, sicut & Dominus ecclesiam. Quoniã membra sumus corporis eiusdem ex carne eius, & ex ossibus eius. Huius rei gratia relinquet homo patrem & matrem, & adiungetur uxori suæ, atque è duobus fiet una caro. Mysterium hoc magnum est, uerùm ego dico de Christo & de ecclesia. Et capite 6. prioris epistolæ ad Corinthios: An nescitis, inquit, quòd corpora uestra membra sunt Christi? Num igitur tollens membra Christi, faciam scorti membra? Absit. An nescitis, quòd qui adhæret scorto, unum corpus est? Redigentur enim, inquit, duo in carnem unam. At qui adhæret Domino, unus spiritus est. Et Rom. 8. Quòd si quis spiritum Christi non habet, inquit, hic non est eius. Et Ebr. 2. Ecce ego & pueri, quos mihi dedit Deus. Posteaquam igitur pueri commercium habent cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps est factus eorundem, &c. *Ephes. 4. 5.* *1. Cor. 6.* *Rom. 8.* *Ebr. 2.*

Ex his sacræ Scripturæ locis uidemus unitatẽ ecclesiæ, qua & Christo capiti nostro & inter nos mutuò cõiungimur, haud quidẽ excludere eiusdẽ carnis & sanguinis cõmunicationẽ: cuius mysteriũ Patres in sacramento corporis & sanguinis Domini cõtra hæreticos ueritatẽ carnis Christi negantes plurimũ cõmendarunt: uerùm haud totam in illa consistere, sed simul requirere eiusdem spiritus & uitæ unitatẽ. De spiritu in præmissis Scripturæ locis uidimus. De uita uidere est in posteriore ad Corinth. cap. 4. ubi Apostolus dicit: Semper enim nos qui uiui mus, in mortem tradimur propter Iesum, ut & uita Iesu manifestetur in mortali carne nostra. Et Coloss. 3. Itaq; si surrexistis cũ Christo, superna quęrite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens. Superna curate, nõ terrestria. Siquidẽ emortui estis, & uita uestra abscondita est cũ Christo in Deo. Vbi Christus manifestatus fuerit, uita nostra, tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria. Fieri nõ potest, ut ab unitate eiusdẽ spiritus uita discrepet. Omnino qui de eodẽ spiritu participant, eiusdẽ quoq; sunt uitæ participes. Nam ex qualitate spiritus, qualitas est uitę. *1. Cor. 4.* *Coloss. 3.*

Præter unitatem carnis & sanguinis spiritus & uitæ, meminit Apostolus unius Dei & patris omnium, qui est super omnia, per omnia, & in omnibus fidelibus, unius Domini, unius fidei & spei, uniusq; baptismatis. In unitate corporis, qua capiti Christo coniungimur, comprehensa est & unitas Dei patris. Nam & in illo sumus omnes unum, & ille in nobis, dũ Christo sumus uniti. Non pro eis rogo tantum, inquit Christus, sed & pro ijs qui credituri sunt per sermonem eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Item: Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum, &c. Ergo consummata unitas est, si ut pater est in filio, ita sit & filius in nobis, & nos in patre & filio, eiusdem uidelicet communicatione spiritus, per quem cœlestis reddimur naturæ consortes. *Vnus Deus & pater.* *Vnus Dominus.* *Vna fides.* *Vna spes.* *Vnũ baptisma.* *Vnum corpus.*

Quæ de unitate fidei, ſpei ac baptiſmatis meminit, unitati huic ſunt annexa: quemadmodum & charitas fraterna, per quam Chriſti declaramur eſſe diſcipuli: & pax, qua ueluti uinculo quodam in unitate ſpiritus continemur. Qui Chriſto ſunt coadunati, non modò ſpiritus illius, ſed & fidei, ſpei & baptiſmatis conſortio inter ſe connectuntur.

Propter uerã unitatem licet diſcedere ab unitate particularium eccleſiarum.

Hæc catholicæ eccleſiæ unitas non poteſt eſſe niſi inter eos qui ueri ſunt fideles, & uera eccleſiæ membra. Propter hanc conſeruandam, non modò licet, ſed & neceſſarium eſt, ab externæ & particularis eccleſię conſortio diſcedere, ſi illa pollutam habeat communicationem: ut. pote in eidolorum cultu, in ſimonia, in falſis cultibus in capite adulterino, Antichriſto uidelicet, & reliquis Babylonicæ meretricis fecibus. Catholicæ eccleſiæ unitas, omnibus eſt eccleſijs particularibus præferẽda, ſi neceſsitas uel illam uel haſce deſerendi urgeat. Quare nõ mox eſt tanquam unitatis eccleſiaſticæ ruptor & ſchiſmaticus damnandus, quiſquis Romanã hodie deſerit eccleſiam, niſi comprobetur talem illius eſſe unitatem, quæ eadem prorſus ſit cum uera & catholica: atq; ita fieri non poſſe, ut citra iniuriam illius deſeratur. Deinde non mox in catholicæ eſt eccleſiæ unitate, quiſquis Romanæ eſt incorporatus. In illa namq; quamplurimi ſunt mali, à corpore ueræ Eccleſiæ alieniſsimi homines, qui nec fide & ſpiritu Chriſto ſunt coniuncti, nec charitate erga ueros fideles præditi. At hi, quoniam unum habent Papam, unã eidolomaniam, unam Miſſam, atque unam ſub Romana ſede ſeruitutem ſeruiunt, putant ſe eſſe catholiciſsimos, ac ſolos qui in unitate eccleſiæ conſiſtant. Et hac uaniſsima peruaſione dementati, ſchiſmatis & hæreſeos damnant cæteros omnes qui uerbo Dei obſequentes, de medio Babylonis exeunt, illiusq; & communicationem, & cultus & ſęuitiam fugiunt, ne delictorum illius participes unà cum pereunte pereant & ipſi.

VNITATEM ECCLESIAE NON ESSE *ſitam in ceremonijs.*

Vera eccleſiæ unitas nunquã in externis ceremonijs ſita fuit.

VEra & catholica ueræ & catholicæ eccleſiæ unitas nunquam in externis ritibus & ceremonijs ſita fuit, ſed in fide & ſpiritu. Sollitici, inquit Apoſtolus, ſeruare unitatem ſpiritus, donec accurramus omnes in unitatem fidei. Diuerſitas ceremoniarum unitatem eccleſię non rumpit, ſi permaneat illud Actorum 4. Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Qui diem ſeruat, & à nonnullis cibis abſtinet, ſi charitatem fraternam ſeruat, haudquaquam diuiſus eſt ab illis qui nec diem ſeruãt, nec ab ullo ciborum genere abſtinent. Quare non eſt ut in talibus frater iudicet aut deſerat fratrem. Interminabilis eſt iſta contentio, inquit Auguſtinus de ieiunio ſabbati, generans lites, non finiens quæſtiones. Sit ergo una fides uniuerſæ quæ ubique dilatatur eccleſiæ, tanquam intus in membris, etiamſi ipſa fidei unitas quibuſdam diuerſis obſeruationibus celebratur, quibus nullo modo quod in fide uerum eſt impeditur. Sanè optandum eſſet, tantam inter Criſtianos obtinere concordiam, ut quemadmodum unum habemus Deum, unum Dominum & caput, unum ſumus ſub illo corpus, unum ex illo bibimus fidei, ſpei, charitatis ac ueræ pietatis ſpiritum, ita unum etiam ſentiamus ac dicamus omnes, ad quod nos hortatur Apoſtolus 1. Corinth. 1. nec dicamus tantũ, ſed & faciamus, quod ſalutis noſtræ cauſam concernit. Eiuſmodi unitate quid nam poſſet optabilius eſſe pio homini? Quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in unum? inquit Propheta. An non talis unitas rectè compararetur unguẽto ſacro, quod de capite in barbam Aaronis, oramq; ueſtimenti eius deſtillat: & rori cœleſti, qui in montes Zyon diuino munere deſcendit, quando charitas, pax & concors unitas per ſpiritum Dei in miniſtros, paſtores ac doctores diffuſa, in ſubiecta eccleſiæ membra defluit? Horum nanq; ut diſcordia & contentionibus ſeruntur inter fideles ſtudia & ſectæ, ita concordia & conſenſionibus alitur pax & unitas. Notæ ſunt contentiones epiſcoporum tam Græcorum quàm Latinorum, quibus perpetuò eccleſiarum unitas rumpi conſueuit. qua de re in Pſalmum 22. ibi: Diuiſerunt ſibi ueſtimenta mea, & ſuper ueſtem meam miſerunt ſortem, nonnulla diximus.

Epiſtola 86

Vnguentum Aaronis.

IX. DE FIDE CATHOLIcæ Eccleſiæ.

Eccleſiæ fides una eſt.

DE fide ſuprà loco ſeparato diximus. Quare non eſt, ut hic de illa loquamur alia, quàm quę ad pręſentẽ cauſam ob id requiruntur, quòd unitas eccleſię in ipſa quoque fide cõſiſtit, quam Apoſtolus perinde atque Baptiſma, immò Dominum ipſum, & corpus illius, unam eſſe dicit. Requiritur ergo ad ueram eccleſiæ unitatem non alia atque alia, ſed una fides, eaque non quælibet, ſed quæ uerè ſit Chriſtiana. Et hæc una dicitur, inquit Auguſtinus de Trinitate, libro decimotertio, capite ſecundo, non numero, ſed genere. Nam propter ſimilitudinem & nullam diuerſitatem, magis unam eſſe dicimus quàm multas: ut quemadmodũ eadem uolentium una eſt uoluntas, ita ſit & eadem credentium una fides. Hanc, quoniam communiter eſt fidelium omnium, catholicam uocarunt Patres, ac ſecundum illius profeſſionem

sionem uel abnegationem ecclesias uel catholicas, uel hæreticas esse iudicarunt. Denique quo expedita sit & perspicua illius professio, redegerunt ea quæ una & catholica hac fide credunt ueri fideles, in breue & disertum symbolum, quo dicimus: Credo in unum Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ: & in Iesum Christum filium eius unicum Dominum nostrum, qui cõceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria uirgine, passus sub Põtio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus: descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis: ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, inde uenturus ad iudicandum uiuos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & uitam æternam. Hæc est uera, Apostolica, orthodoxa & catholica, uerę, Apostolicæ, orthodoxæ & catholicæ Ecclesię: non uarians, sed per omnia secula constanter una & eadem permanens fides, secundum quam ueri Christiani, orthodoxi & catholici censemur.

Symbolum catholicæ fidei.

Symbolum Athanasij catholicam fidem recta Sanctæ Triadis & incarnationis Iesu Christi ueri Dei & ueri hominis, passionis, mortis, descensus ad inferos, resurrectionis, ascensionis, consessus ad dextram Patris, aduentus ad iudicandum, communis corporum nostrorum resurrectionis, ultimi iudicij, ignis æterni, & uitæ sempiternæ confessione complectitur. & ubi ista recensuit: Hæc est, inquit, fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterq; crediderit, saluus esse non poterit.

Symbolum Athanasij.

Ergo qui ad hunc modum credunt, fidem habent catholicam. Consequitur igitur, esse eos non hæreticos, sed catholicos, in unitate catholicæ ecclesiæ constitutos. Et agnouit hoc Gratianus, cum ex Thessalonica legem populo Constantinopolitano promulgaret, in qua decernebat, ut ij soli qui S. Triadem pari honore colerent, catholica ecclesia nominarentur: reliqui uerò contraria sentientes, hæretici appellarentur. Vide Sozomenum in Ecclesiastica historia, lib. 7. cap. 4. Et in hanc fidem usqueadeò diserte ac concorditer baptizamur, ut illius confessio in toto Christiano orbe ab adultis, si qui sint baptizandi, ex ipsorum, ab infantibus, ex eorum ore requiratur, qui testes baptismatis illorum adhibentur.

Secundum hoc symbolum censemur catholici.

Quare uehementer iniqui sunt ac temerarij, qui hac fide non contenti, adhuc alia credẽda requirunt à fidelibus, quorum nec in symbolo catholico, nec in baptismate fit mentio: nec requirunt leuiter, sed pari necessitate ac conditione, qua catholica fides ab omnibus illis requiritur, qui catholicæ uolunt esse membra ecclesiæ. Qualia sunt, credere in sanctos mortuos: (Non credis, inquiunt, in sanctos? Ergo es hæreticus) inuocandum esse patrocinium diuorum, diuos intercedere pro nobis in cœlis, imagines illorum esse uenerandas in templis, Missam esse sacrificium pro peccatis uiuorũ & mortuorum, per consecrationem sacrificuli panis ac uini substantiam transmutari in corpus & sanguinem Domini, septem esse sacramenta, Romanum põtificem esse uicarium Christi in terris, & uniuersalem omnium ecclesiarum caput, sacerdotibus non licere coniugium: ut taceam quæ de libero hominis arbitrio, satisfactionibus, meritis, indulgentijs, hoc est Romani Simonis nundinationibus & traditionibus ecclesiasticis credenda proponuntur. Nisi hæc omnia credas esse Christiana & uera, damnaris hæreseos: quicquid sit de antiqua illa catholica fide & unitate, quam ipsi modicè curant, curarunt uerò prisci Ecclesiarum pastores unicè. Nec præter rationem est, quòd sic sunt animati. Sciunt parum esse quæstus in catholicæ fidei professione: in his uerò quæ iam recensui, plurimum non quæstus modò, sed & regni sacerdotalis.

Iniquum est aliquid ad credendum, ultra hanc catholicã fidem requirere.

Est autem summopere necessarium fidelibus omnibus, ut sciant quatenus una sit in Ecclesia fides, in qua illius consistat unitas, nec locum habere possit ulla diuersitas: & quatenus sine ulla diuulsione ecclesiasticæ unitatis fides possit esse uaria. Vbi mentio fit de fide ecclesię, quòd illa sic sit una, ut quotquot ab ea dissentiunt, à uera sint ecclesiæ Christi unitate alieni: intelligendum est non nisi de ea, quam iam catholicam esse diximus, & secundum quam olim catholici censebantur, quotquot illam confessi fuissent. Contra hanc nulla recipitur dissensio. Vbi uerò quæstiones ac dissensiones oriuntur in ecclesia de ritibus & obseruationibus liberis ac licitis, sic ut fidelium alius aliud credat: ibi fides eiusmodi, utut uaria, nihil incommodat unitati catholicæ. Vt exempli gratia, ad Romanos 14. dicit Apostolus: Infirmum autem in fide assumite, non ad dijudicationes disceptationum. Alius quidem credit, uescendum esse quibuslibet: alius autem qui infirmus est, holeribus uescitur. Quare holeribus uescitur infirmus? Quia credit non esse uescendum quibuslibet: atq; ita à fide firmioris fratris discrepat, qui credit liberum esse Christiano homini, ut quibus uoluerit cibis uescatur. Rursus alius credit discrimẽ esse dierum, alius credit esse nullum: atq; ille curat diem, iste non curat. Hæc fidei uarietas catholicę fidei unitatẽ haudquaquã rũpit, nec impedit quo minus uterq; tam credens uescendũ esse quibuslibet, nec discriminis aliquid esse inter diem & diem, q̃ credens non esse uescendũ quibuslibet, & diem à die discernens, in catholica fide consistat. In eiusmodi dissensione salua manet in ecclesia omnis mysteriorum Dei & precationum communicatio, salua fraterna charitas, & integrum pacis uinculum. Vbi uerò in dogmatibus, cultibus, & obseruationibus cum uerbo Dei pugnantibus, contentiones excitantur in ecclesia: ibi fieri non potest, ut salua

Quatenus una sit fides in ecclesia.

Rom. 14.

catho-

catholicæ fidei unitate, credantur ea ac defendantur, quæ & falsa sunt, & cum impietate & superstitione coniuncta. Qui illa uera & Christiana esse credit, à uera & una Ecclesiæ fide discedit, etiamsi hanc ore cum alijs confiteatur. Et si hinc oriuntur dissensiones & schismata, in culpa sunt, qui falsam fidem defendunt, nō qui impugnant. Nec refert utri sint multitudine superiores. Ecclesia nanq; nec iudicat ipsa secundū multitudinem, nec iudicāda est secundū maioris numeri consensum, sed secundum manifestam ueritatem in sacris Scripturis expressam.

X. DE POTESTATE ECCLESIAE.

Potestas ecclesiæ non est ad uniuersalē, sed ad singulas particulares ref. renda.

NOn conuenit, ut quę de potestate ecclesiæ dicturi sumus, referamus ad unam illam uniuersalem, ac toto terrarum orbe dispersam ecclesiam: sed referenda sunt ad illius partes, ecclesias uidelicet particulares, easq; singulas ex æquo. Neq; enim par est, ut ecclesia Christi aliqua, propter terrenæ fortunæ humilitatem & fidelium paucitatem, minus potestatis ecclesiasticæ habeat, quàm reliquæ splēdidiores & frequentiores. Quemadmodū nanque potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas superiorem uel inferiorem episcopum non facit, ita nec ecclesiarum potestatem maiorem aut minorem facit. Quòd hodie maioribus ecclesijs minores uidemus esse subiectas, seculare magis est quàm ecclesiasticum, siue ultro potestatem suam minores ecclesiæ maioribus quas Metropolitanas uocant tradiderint, siue hanc sibi nollent uellent potestate seculari auferri passę sint. Deinde, non loquemur de potestate tali, quæ competat ministris uerbi in ecclesia, ne res distinctas temerè confundamus. De illa nāque suprà, ubi de Ministris uerbi diximus, quantum satis uisum est, tractauimus.

Triplex potestas ecclesiæ.

Quantum in præsenti occurit, triplex est cuiusq; particularis ecclesiæ potestas. 1 Prima est, qua possunt ac debent uti singuli fideles, quo suæ quisq; salutis rationem habeat. Ea est iudicandi quæ audiuntur in ecclesia, fugiendiq; alienorum uoces. Non damus hic cum Sophistis potestatem ecclesiæ iudicandi de sacris & Canonicis scripturis. Augustinus libro Cōfess. 13. cap. 23. hac de re sic dicit: Spirituales ergo, siue qui præsunt, siue qui obtemperant, spirituali ter iudicant, non de cognitionibus spiritualibus, quæ lucent in firmamento (intelligit autem per firmamentum Scripturam sacram, libro eodem cap. 15.) Non enim oportet de tam sublimi authoritate iudicare, neq; de ipso libro tuo, etiamsi quid ibi non lucet, quoniam submittimus ei nostrum intellectum, certumq; habemus etiā, quod clausum est aspectibus nostris, rectè ueraciterq; dictum esse. Sic enim homo, licet iam spiritalis & in agnitionem Dei renouatus, secundum imaginem eius qui creauit eum, factor tamen legis esse debet, non iudex. Et in fine eiusdem capitis: De his enim iudicare nunc dicitur, in quibus & corrigēdi potestatem habet. Hæc ille. Cum ergo Apostolus 1. Cor. 14. dicit, Prophetæ autem duo uel tres loquantur, cæteri dijudicent: non loquitur de ijs quæ ex sacris Scripturis proferuntur, sed de reliquis doctrinis quæ à Prophetis proponuntur ecclesiæ. Quare audiendi non sunt, qui dant ecclesiæ potestatem iudicādi de sacris Scripturis, quo Romanam sedem supra illas extollant. Scriptura nō est authentica, inquiunt, sine authoritate ecclesiæ. Et huc adferunt illud Augustini: Ego sanè Euangelio non crederem, nisi me commoueret ecclesiæ authoritas.

1. Potestas iudicādi de ijs quæ audiūtur in ecclesia.

1. Cor. 14.

Verùm quæ ad ista respondenda sint, suprà in loco de Sacris scripturis admonuimus. Pessimum genus hominum, potestatem iudicandi de dogmatis & traditionibus, quæ data est ecclesiæ, supprimunt: & quæ data non est, Romanæ ecclesiæ tribuunt.

2. Potestas excommunicādi.

2 Secunda potestas ecclesiæ est, qua illa communi fidelium sententia unà cum ministris & pastoribus suis uti debet, si destituta sit Christiano magistratu. Hanc exprimit Apostolus 1. Cor. 5. in causa eius qui uxorem patris habebat. Nam ego quidem, inquit, ut absens corpore, præsens autem spiritu, iam decreui tanquam præsens, ut is qui sic hoc patrauit, in nomine Domini nostri Iesu Christi, cōgregatis uobis & meo spiritu, unà cum potestate Domini nostri Iesu Christi, tradatur satanæ ad interitum carnis, ut spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Hæc Apostolus, & quæ sequuntur de expurgando ueteri fermento, & eijciendo malo è medio ecclesiæ. Hanc cuiusuis particularis ecclesiæ potestatem, reprobos scilicet excommunicādi, Romanus Pontifex irritā reddidit, & è medio sustulit, dum illam sibi in omnes Christi ecclesias uindicauit: non ut illa rectius ad salutem fidelium, sed potius ad quorumlibet, etiam principum ac regum oppressionem, & impijssimum curiæ suæ quæstum uteretur.

3. Potestas deponendi reprobos pastores, & meliores eligendi.

3 Tertia ecclesiæ potestas est, qua coniunctim quidem, uerùm absq; ministrorum consensu olim cum Christianum magistratū non haberent, utebantur fideles, dum reprobos pastores suos deserebant, & meliores deligebant. Mentionem huius facit, idq; non leuiter, sed urgenter, beatiss. martyr Cyprianus lib. 1. epistola 4. dicens: Nec sibi plebs blandiatur, quasi immunis à contagione esse delicti possit, cum sacerdote peccatore communicans, & ad iniustum atque illicitum præpositi sui episcopatum consensum suum cōmodans, cum per Oseam prophetam comminetur & dicat censura diuina: Sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui manducant ea, cōtaminabuntur. Docens scilicet & ostendēs, omnes omnino ad peccatū constringi, qui fuerint prophani & iniusti sacerdotis sacrificio contaminati. Et paulo post:

Propter

Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis, ac Deum metuens, à peccatore preposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere: cum ipsa maximè habeat potestatem uel eligendi dignos sacerdotes, uel indignos recusandi. Hæc ille. Obsecro, qui hodie iactant potestatem ecclesiæ, quomodo non uident, à nemine illam magis esse oppressam, quàm ab ipsis pontificibus, episcopis, & cæteris prælatis? Verùm de hoc Ecclesiasticę potestatis genere diximus supra, ubi dicendum fuit de electione ministrorum.

Qui titulo ecclesiæ dominantur ecclesiæ, dant illi potestatem tam amplam, ut possit non modò statuere pro authoritate quiduis, sed & tam Apostolica quàm legalia statuta uel mutare, uel prorsus abrogare. 1 Lex dicit, inquiunt, Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est, &c. & tamen ecclesia sabbatum in Dominicam authoritate sua mutauit. Item, Christus discipulis suis dixit in monte: Non ueni soluere legem, sed adimplere: & tamen ecclesia Apostolorum in primo concilio pronunciauit audacter super cessatione legalium. Adhuc Apostoli, inquiũt, decreuerunt in cõcilio, abstinendum esse à suffocato & sanguine: & tamen ecclesia rẽ tam clarè definitam & expressam authoritate sua mutauit & abrogauit, quia liberè sanguine & suffocato utitur. Ecce potestas Ecclesiæ etiam supra decreta Apostolica ualet. *Argumenta ad uersariorum.* 2 3

1 Ad ista nos respondemus paucis: Præceptum sabbati, quod literalem illius attinet obseruantiam, temporale fuit: atq; ideo non est per authoritatem Ecclesiæ, sed per ipsam ueritatem quæ in Christo illuxit, tanquam umbra figuralis, è medio sublatum. Hinc est quòd Coloss. 2. dicit Apostolus: Ne quis igitur uos iudicet in cibo & potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbatorum, quæ sunt umbræ rerum futurarum, corpus autem Christi. Quod itaque sublatum est legale, figurale & umbratile sabbatum, neq; est præter sacram & Apostolicam scripturam, neque per Ecclesiæ authoritatem factum. Et nonnulli inter aduersarios sublationem sabbati, & institutionem Dominici diei Apostolorum traditionibus, nõ Ecclesiæ adscribunt. Quare friuolum est, quod hic argutantur: Ecclesia mutauit sabbatum in diem Dominicum, ergo nihil non Romanæ sedi etiam contra Scripturam licet. *Responsio.*

2 De cessatione legalium statutorum pronunciarunt Apostoli, quorum scilicet usus per noui Testamenti dispensationem iam reipsa auferebatur. Non ergo illi sustulerunt legalia, sed per Christum sublata esse ostenderunt. Legem uerò Christus non sustulit, sed magis adimpleuit: neque sustulerunt ipsam Apostoli sed potius stabiliuerunt. Legem stabilimus, inquit Apostolus, non destruimus: ad Romanos tertio. Neque Christus, neque Apostoli legem Dei, quatenus æterna est, permanens in seculum seculi, sustulerunt. Neq; de legalibus ritibus tollẽdis sua authoritate Apostoli, sed magis tanquam per Christum subblatis pronunciarunt. Nihil ergo hic quoque probant aduersarij. Quanquam etiamsi quid dandum est Apostolicæ authoritati, an mox omnia est Romanæ sedi tribuenda potestas, quiduis in Ecclesia etiam contra sacram Scripturam statuendi, mutãdi, abrogandi? idque sub titulo Ecclesiæ, cum nulla sit uspiã eiusmodi data Ecclesiæ potestas?

3 Ad tertium obiectum respondemus, Ecclesiam post Apostolorum tempora sequutã haud quaquam contra decretum Apostolicum statuisse in eo quòd sanguine ac suffocato uti cœpit. Nam non ita decreuerant Apostoli, ut perpetuò abstinendum esset suffocato & sanguine, sed ut ad tempus infirmitati eorum sese accommodarent ecclesiæ ex gentibus, qui ex Iudæis in Christum credentes, adhuc erant legi Mosaicę in conscientijs suis obstricti, ne quid illi in ihac causa offenderentur. Quare ubi sublatus fuit scandali eiusmodi metus, nulla fuit amplius Apostolici decreti ratio, atq; ita illud ultrò infirmari ac sensim abrogari cœpit. Nec est ut probari possit, esse illud aliquo contrario catholicæ ecclesiæ decreto abrogatum.

Hæc obiter annotare uisum est de potestate ecclesiæ, quam aduersarij extollunt in immensum, quoniam sub illius titulo regnant & dominantur in ecclesia: similes illis, qui ut in republica priuatis suis commodis consulant, & sub titulo reipublicæ rempublicam opprimant, magnificè de republica loquuntur, illamq; uehementer uerbis extollunt, ac potestatem illius amplificant, quo ipsi nihil non in illa liberè gerere & audere queant: & quod omnium est iniquissimum, si quis ciuium iniuę ipsorum dominationi contradicat, pro hoste reipublicę habeatur: cùm respublica non habeat infestiores hostes, quàm ipsos qui patroni illius esse uidentur. Consimilem hodie per omnia uidemus esse ecclesiæ sortem, quam utinam tandem intelligant Christiani principes, quos conuenit contra omnis generis iniuriam patronos esse ecclesiæ Christi, potius quàm eorum qui illam opprimunt. *Simile.*

XI. AN ECCLESIA POSSIT errare.

NOuo ac priscis patribus inaudito ad euadendum compendio utuntur aduersarij, dum ecclesiam errare nõ posse contendunt. Sanè si hoc unum ipsis concederetur, putarẽt se in regno suo in utranq; aurem dormire posse securos. Ne probãdum sit errasse ecclesiã, eoq;

eoq; nos admittant, ut illam erraſſe comprobemus, huc confugiunt, ut perſuadeant omnibus, errare illam non poſſe.

1 Eccleſia, inquiunt, eſt ſponſa Chriſti. Chriſtus ſponſam ſuam non deſerit. Ergo errare non poteſt.

2 Item: Eccleſia eſt regnum cœlorum. Patet in parabolis Matth. 20. 22. & 25. Quomodo in regno cœlorum falſitas regnaſſet tot annos?

3 Itē: Eccleſia regitur magiſterio Spiritus ſancti, & unctio Spiritus ſancti ſemper docet Eccleſiam. Ergo errare non poteſt.

4 Adhuc: Eccleſia columna eſt, & firmamentū ueritatis. Quomodo igitur poſſet errare?

Nos reſpondemus breuiter. Scimus Eccleſiam eſſe ſponſam Chriſti unicā & dilectam, eſſe regnū cœlorū, regi magiſterio & ductu Spiritus ſancti, & illius unctione doceri ſemper, eſſeq; columnam & firmamentum ueritatis. Verūm hęc elogia pertinent non ad particulares quaſuis eccleſias, ſed ad unam illam orthodoxam & catholicam, quæ eſt communio ſanctorum & electorum in toto terrarum orbe, cunctis ſeculis in Chriſtum Dominum ac ſponſum ſuū credentium. De illa uerò non eſt contentio. Nemo noſtrūm catholicam Eccleſiam in fide Chriſti erraſſe dicit. Quomodo enim erraret, quæ Chriſtum ſequēdo non ambulat in tenebris, ſed habet lumen uitæ? Nec deſeruit illam Chriſtus, nec deſerturus eſt unquam. Omnis noſtra cōtētio eſt de eccleſijs particularibus, quæ mixtæ ſunt bonis & malis. Hæ non modò errare poſſunt, ſed & errauerunt, & adhuc errant in multis. Quatenus Apoſtolicā & catholicam fidem confitentur, hactenus nō errant: modò quòd ore confitētur, ueraci corde credant. Quatenus uerò relicto unico mediatore ac ſaluatore fornicari cœperunt cum creaturis, ac relicta ueteris hominis abnegatione uiuere non Chriſto, ſed mundo, & aures à ueritate auerſas accōmodare uoci alienorum & fabulis, ac magiſtros ſibi coaceruare, qui aures auditu prurientes demulcerent: id quod Apoſtolus 2. Timoth. 4. futurum prædixit: hactenus utiq; errarunt. Sic enim factum eſt, ut eiuſmodi nactæ magiſtros, nihil non humanarum adinuentionum admitterent ac reciperēt, donec tandem inſtar ſeruiliſsimi mācipij factę, ſuſtinere inciperēt, ſi quis in ſeruitutē redigeret, ſi quis deuoraret, ſi quis acciperet, ſi quis extolleretur, ſi quis in faciē cęderet, &c.

Quomodo rectè dicatur, Eccleſiam errare non poſſe Particulares Eccleſiæ errare poſſunt.

Chriſtus Eccleſiam ſuam non deſeruit.

1 Quòd itaq; arguunt Pontificij, Eccleſiam errare non poſſe, eo quòd ſit ſponſa Chriſti, & ab illo deſeri nequeat: reſpondemus diſertè, non deſeruiſſe Chriſtum Eccleſiam ſuam: ſed gratiā illius in promptu eſſe, & nunquam non expoſitam credentibus. Verūm hic eſt ſtatus præſentis cauſę, an Romana illa eccleſia, cum reliquis ſibi ſubiectis, Chriſti ſeruatoris noſtri doctrinā ſincerè & conſtanter tenuerit, ſponſum Chriſtum perpetuò ſequuta ſit, nec unquā deſeruerit, alienos non admiſerit, ſuper fundamentū Apoſtolorum nec fœnum nec ſtipulā ædificauerit, imò ipſum fundamentum haud labefecerit. Si hæc fieri nequiuerunt, inanis erat admonitio Apoſtoli, quam Romanis præſertim, capite 11. propoſuit dicens: Quòd ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum oleaſter eſſes, inſertus es illis, & ſocius radicis ac pinguedinis factus, noli gloriari aduerſus ramos. Quòd ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te. Dices ergo: Fracti ſunt rami, ut ego inſererer. Bene. Propter incredulitatem fracti ſunt: tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time. ſi nāque Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem ac ſeueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt ſeueritatem: in te autem bonitatem, ſi permanſeris in bonitate. alioqui & tu excidēris, &c. Deinde, quorſum prædixit Spiritus ſanctus futurum, ut qui dilectionem ueritatis non admitterent, tradendi eſſent in reprobum ſenſum ut crederent mendacio? Item, futuros in Eccleſia ac profecturos homines, qui & errarent, & ſeducerent? Et quid opus erat Apoſtolo metuere, ne Corinthij fideles per aſtutiam ſerpentis à ſimplicitate, quę eſt in Chriſto Ieſu ſeducerētur, ſi cuilibet, hoc eſt particulari, præſertim Romanę dandum Eccleſiæ, quòd errare nequeat? Ad quid quæſo faciebat admonitio Papæ Hormiſdæ, ad epiſcopos Hiſpaniæ ad hunc modum facta: Dilectiſsimi fratres, continuas preces ad Dominum fundamus, & iugi deprecatione poſcamus, ut & inſtitutione & opere illi, cuius eſſe membra cupimus, adhæreamus, nec unquam ab illa uia, quę Chriſtus eſt, deuio tramite declinemus, ne ab eo iuſtè, quē impiè reliquerimus, deſeramur. Si Romana eccleſia cum ſuis epiſcopis errare non poteſt, quid timebat hic Papa, ne aliquādo impiè Chriſtū relinquerēt, & iuſtè ab illo deſererentur? Sed ridentur iſta à Pontificijs, ob id ſecuris, quòd ſpōſum fidelem habet Eccleſia, à quo deſeri nequeat: quaſi ipſa ſponſum ſuum deſerere nequeat, maximè in reprobis, quorum multitudine abundat, nequicia ſeducitur, & potentia ſupprimitur: qui ut è ſupernis nō ſunt, ita cœleſtia non curant, ſed terrenis auidiſsimè inhiāt. Mihi iſtorum hominum argumētum uerè Iudaicum, haud uidetur diſsimile eſſe ei, quod ſubinde non ſine riſu ab eis mulierculis audimus, quæ probroſa adulterij ac perfidiæ obiectione notatæ, magna ſolent uociferatione regerere, probos ſe uiros habere: quaſi rarum ſit, ſi uir probus uxorem habeat impudicam & perfidā: non conſiderantes, tam abeſſe ut maritorum ſuorum probitate perfidiæ ſuæ notam diluant, ut propter illam magis adhuc culpabiles exiſtant, tanquam quas neque inuiolata maritorum fides ac probitas ad ſeruandam coniugalis tori caſtitatem permouere poturit.

Admonitio Papæ Hormiſdæ.

Rom. 11.

Simile.

Adid

2 Ad id quod dicunt: In regno cœlorum non habet locum error. regnat enim in illo ueritas: Ecclesia est regnum cœlorum: Ergo in ecclesia non est error. respondemus, esse hoc uerũ, quatenus ecclesia est regnum cœlorum, & non regnum mundi & carnis. Et rectè dicitur de uera & catholica sanctorum ecclesia, quatenus regi cœlorum Christo Domino obedienter ac fideliter est in omnibus suis membris subiecta. Quatenus uerò in multis suis membris infirma est, ut peccat adhuc, ita & errat in multis. Sed illi de Romana ecclesia loquuntur, quæ magis est regnum mundi quàm regnum cœlorum, in quo sub religionis prætextu plus quàm mundana regnat Pontificum, cardinalium, episcoporum, sacerdotum & manachorum auaricia, lasciuia, superbia, sacrilega Simonia, opulentia, potentia, &c. & catholica seductæ multitudinis eidololatria, cum omnis generis superstitionibus. Huiusmodi ecclesia, quomodo poterit haberi pro regno cœlorum? *Ecclesia est regnum cœlorũ, ergo in ea non est error.*

Sed esto. Sit Romana ecclesia regnum cœlorum propter paucos quos habet electos. Hinc tamen non consequitur, non posse illam errare. Quemadmodum enim regnum cœlorum regnum est ueritatis, ita est & regnum iusticiæ. Nam de rege nostro scriptum est: Regnabit in iudicio & iusticia. Quare si rectè arguitur, non posse errorem esse in ecclesia, propterea quòd regnum cœlorum uocatur, in quo regnat ueritas: pari ratione poterit argui ad hunc modum: In ecclesia quæ regnum cœlorũ est, non est peccatum & iniusticia, quia regnum cœlorum regnũ est iusticiæ. Quemadmodum igitur non errat ecclesia, ita etiam nõ peccat. Verùm usqueadeò peccat Romana ecclesia tam in prælatis suis, quàm promiscua multitudine, ut nemo sit adeò impudens inter omnes Romanistas, qui peccata, eaque plurima & grauissima obtinere in illa neget. Iam quid absurdius cogitari poterit, quàm quòd negant errorem esse posse in ecclesia Romana, cum constet absorptam illam esse flagitijs omnium immanissimis, quasi non sit grauius in conspectu Domini sceleratè agere quàm simpliciter errare? Absurditatis autem huius hæc est causa. Primoribus ecclesiæ ueluti gregis Dominici ducibus turpe uidetur tam errasse enormiter, ouesq; Dominicas seduxisse: peccasse uerò atque etiamnum peccare in multis, tantum dedecoris habere non putant. Videntur enim peccare ut homines, quod cum alijs habẽt commune: errare uerò, ut ductores hominum, prorsus inferendum esse iudicatur. Si nauclerus sit homo in multis uiciosus, toleratur: modò sit nauigandi peritus. Sic putant comparatã esse & prælatorũ ecclesiæ conditionẽ. Modò non errent in religione, sed rectè populũ doceãt, ferendum censent, utut grauiter peccent. Hac de causa peccatores esse se non negant, errare negant. Simul metuunt, ne actum sit de regno suo, si ecclesiam seduxisse conuincantur. *Grauius est sceleratè agere, quàm simpliciter errare. Simile.*

3 Haud maioris momẽti est, quod dicunt, Ecclesia regitur magisterio Spiritus sancti, & illius unctione docetur, ergo nõ errat. Verum est, regitur ecclesia Christi magisterio Spiritus sancti, quia unctione illius docentur electi & fideles. Et quatenus magisterio Spiritus obtemperat, hactenus sanè non errat. Quod uerò obtemperarit in omnibus, sic ut nusquam errarit, probari non potest. Primores ecclesiæ aliquando in obseruatione legalium errarunt. Deinde quoties & in quàm multis, Apostolis adhuc uiuentibus, errarunt ecclesiæ Apostolicæ? Et quid nõ eiusmodi futurum erat illis è medio sublatis? Quis autem dixerit magisterium Spiritus defuisse primis ecclesijs? *Ecclesia regitur Spiritu sancto, ergo non errat.*

4 Postremò, quod obijciunt illud Apostoli, ecclesiam Dei uiui esse columnam & firmamentum ueritatis: & ex eo quoq; colligunt, Romanam ecclesiam errare non posse: iterum sibi sumunt quod ueræ tantum est & catholicæ ecclesiæ, & ex eo quod falsum est colligunt. Augustinus in Præfatione Psalmi 47. hunc locum Apostoli sic citat: Secundam ergo sabbati nõ debemus intelligere nisi ecclesiam Christi, sed ecclesiam Christi in sanctis, ecclesiam Christi in his qui scripti sunt in cœlo, ecclesiam Christi in his qui mundi huius tentationibus nõ cedũt. Ipsi enim digni sunt nomine firmamenti. Ergo ecclesia in his qui firmi sunt, de quibus dicit Apostolus, Debemus autem nos firmi infirmitates infirmorum sustinere, appellata est firmamẽtum. De hoc cãtatur in hoc Psalmo. Audiamus, agnoscamus, sonemus, gloriemur, regnemus. Namq; eam etiam Apostolicis literis firmamentum appellatam audi & agnosce. Quæ est, inquit, ecclesia Dei uiui, columna & firmamentum ueritatis. Hæc Augustinus. quibus uerba Apostoli exponit de ecclesia, non quatenus bonis & malis est mixta, sed quatenus in electis firma persistit. Ob id uidelicet, quòd illa quemadmodum in electis immota consistit, ita in malis ac reprobis, quibus supra modum abundat, non persistat, sed uincatur & sternatur. Iam cũ nobis non sit contentio de ecclesia, quatenus firma fide supra petram Christum in electis fundata firmataq; firmamentum hic ab Augustino uocatur: sed quatenus malis & bonis mixta, in malis plurimum errat & peccat, labitur & superatur, non erat opus hunc Apostoli locũ aduersum nos citare, quasi ecclesiam Christi prorsus in omnibus ipsius membris à ueritate doctrinæ Christi aberrasse dicamus. De errorib. in ecclesia corrigendis omnis nostra est pugna. Proinde nihil contra nos facit, quòd Apostolus ecclesiam Christi eatenus uocat columnam & firmamentum ueritatis, quatenus in uerbo ueritatis ad finem usq; perseuerat, cùm interea totus mundus siue in ecclesia siue extra in mendacijs & errore fluctuat. *Ecclesia est columna ueritatis, ergo non errat.*

Chrysostomus locum hunc sic exponit. Non quemadmodum Iudaica illa: hoc enim est *Chrysost.*

(columna uidelicet & firmamentum ueritatis) quod fidem continet, & prædicationẽ. Quippe ueritas, ecclesiæ & columna est & firmamentum. Hæc ille. Non ecclesiam ueritatis, sed ueritatem ecclesiæ columnam facit & firmamentum. Omnino enim & in Græco exemplari sic legitur, ne culpetur interpres. Vtcunque exponatur, nihil aliud hinc euincere datur, quàm ueritatem, quæ columna & firmamentum est ecclesiæ, firmam & inconcussam reddere Ecclesiã: id quod ex animo fatemur & amplectimur. Quomodo ergo errare potest ecclesia, inquiunt? Respondeo, quemadmodum in ueris fidelibus firma est, & in luce ueritatis ambulans, quatenus illi Christo seruatori sincera fide adhærent: ita infirma est, & subinde errans, quatenus in membris infirmioribus ac rudioribus carni plus æquo acquiescit: ut reprobos taceam, qui ut spiritũ ueritatis non capiunt, & ad mundum magis pertinent quàm ad ecclesiam, licet illi accenseantur, ita alieni sunt ab hac Apostoli sententia: & non solùm errant, sed & uera ecclesiæ membra ad errores suos uel uiolenter cogunt, uel fraudulenter per impostaram hypocriseos & uerborum fictorum deceptos sollicitant. Prima ecclesia Christi in Iudæa admodũ diu hæsit in obseruatione legalium statutorum, id quod Act. 21. uidere est. Vides frater (aiebant, Iacobus & seniores ecclesiæ) quot millia sint in Iudæis qui crediderunt, & omnes sunt æmulatores legis, &c. Rogarim aduersarios, num illam quoq; ecclesiam, columnam ac firmamentũ ueritatis fuisse dicant. Puto eos hoc nequaquàm negaturos.

Ecclesia Hierosolymitana sub Apostolis erravit aliquãdiu.

Deinde, num sentiant illam in eiusmodi legali obseruantia errasse, qua de Paulus diserte testatur: Si circuncidamini, Christus uobis nihil prderit. Si sic sentiunt, ergo cõcedant necesse est, errasse ecclesiam, quæ columna erat & firmamentum ueritatis. Si negant, quid aliud faciunt quàm quòd damnant Apostolum? Apostolum autem damnare nolunt: hoc est tales uideri nolunt, qui Apostolum damnent: errauit ergo ecclesia. Præterea, si tempore Apostolorũ ecclesia ab ipso Christo plantata, & manifestissimis argumentis magisterio Spiritus sancti ducta in causa tam magni momenti errare potuit, dicant qua ratione ecclesia ex gentibus collecta, post Apostolorum tempora humanis constitutionibus adobrutã errare nequiuerit.

Quid opus est multis? Diuidamus ecclesiam in suas partes, ut uideamus in illis, quid ueraciter prædicari possit de tota. Inspiciamus primùm eum quem constituunt uniuersalis ecclesiæ pastorem, ipsum apostolum Petrum. An non ille reprehensus scribitur à Paulo, quòd cum alijs Apostolis, qui uidebantur esse columnæ ecclesiæ, non recto pede ambulauerit ad Euangelium Christi? Si hoc potuit accidere Petro & cæteris nonnullis primarijs Apostolis, quid non erroris locum habere potuit in illorum successoribus? Si illi errarunt, & in illorũ successoribus error locum habere potest, quomodo non posset in cæteris fidelibus, unde constituitur ecclesia? Cum ecclesia errare queat in singulis suis membris, consequitur de toto illius corpore prædicari non posse, quòd nequeat errare. Intellige, quatenus tentationibus & infirmitatibus est obnoxia. Quantenus uerò Christo seruatori, pastori ac doctori suo sincera fide adhæret, hactenus non errat.

Petrus errauit.

Priusquam præsentem locum concludam, admonuerim aduersarios, ut cogitent, in quæ pericula ecclesiam Romanam constituant, cum de illa affirmant, quòd errare nequeat, proterea quòd sit sponsa Christi & regnum cœlorum, regaturque magisterio & unctione Spiritus sancti, & columna sit ac firmamentum ueritatis. Quid enim hinc poterit sequi aliud, quàm quòd nec sit sponsa Christi ac regnum cœlorum, nec regatur Spiritu sancto, nec pro columna ac firmamento ueritatis haberi debeat, si de errore aliquo poterit conuinci? Si nihil horum est, quid aliud est quàm ecclesia malignantium, scortum Antichristi, mancipium malorum spirituum, & officina omnis generis mendaciorum? Dum huius admoneo, negocium mihi est nõ cum electis qui adhuc in illa errant, sed cum omnibus illis qui in illa regnant, & ueritati Christi non ex errore, sed ex zelo carnis proprij quæstus & inanis gloriæ aduersantur, cumq; ueris ecclesiæ membris bellum gerunt irreconciliabile.

Si ecclesia Christi errare non potest: ergo Romana, quia errat, ecclesia Christi nõ est.

In summa, duo sunt genera errorum, sicuti duo sunt genera errantium Christianorum: electorum uidelicet & reproborum. Vnum genus est, quando ueritas Dei prorsus deseritur, sic ut illam ne audire quidem sustineant amplius. De hoc errorum genere loquitur Paulus, cum futurum prædicit, ut aures à ueritate ad fabulas auertant. 2. Timoth. 4. & quòd missurus esset illis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio, ac iudicentur, qui non crediderunt ueritati: 2. ad Thessalon. 2. & quòd in nouissimis diebus defecturi quidam essent à fide, attendẽtes spiritibus erroris, 1. Timoth. 4. & quòd mali homines ac seductores promoturi essent ad peius, errantes ac seducentes. Hoc errorum genere errant reprobi non modò ex ignorantia, sed (ut in Psalmo est) ex corde. In illis errat ecclesia enormiter. Notum est illud Christi, Matth. 24. Surgent pseudochristi ac pseudoprophetæ, edentq; signa & portenta, ita ut & electi, si fieri queat, in errorem inducantur.

Duo sunt genera errorũ, & errantiũ Christianorum.

Alterum genus errorum est, quando erratur ex ignorantia in re aliqua, sic ut interim non discedatur à uera fide in Christum, & fundamento Christi. Eiusmodi error uenialis est, teste Paulo, qui hoc dat pontifici Christo, quòd sit misericors, possitq; condolere illis qui errant, ad Ebræos 5. Hoc genere errorum potest ecclesia errare in electis etiam, donec tempus perfectæ cognitio-

cognitionis aduenìat. Quis autem omnes omnium ſeculorum & particularium eccleſiarũ errores recenſuerit? An non erat error in eccleſia tam Romana quàm Aphricana, quando infantibus euchariſtia ſic dabatur neceſſariò, ac ſi ſaluari non poſſent, quantumuis baptizati eſſent, ſi morte præuenti ſine illa ex hac uita decederent? Si error hoc erat, errauit ergo eccleſia. Si nõ erat, error igitur eſt quòd poſteri diuerſum facere ac ſentire cœperunt, ut iam ea in re omnis error eccleſia Romana. Huius generis errores haud quidem ita ſunt graues, ut à Chriſto excludant errantes: diſsimulari tamen non debent, ſed ſeruire ueritati, contra eos qui magna impudentia eccleſiam errare non poſſe contendunt. Etenim ſi electi quoq; ſubinde erroribus reddũtur obnoxij, qua fronte dabitur reprobis in eccleſia, quòd errare non poſsint?

Olim dabatur infantibus Euchariſtia. Ea in re uel tum errauit, uel hodie errat Romana eccleſia.

XII. AN CHRISTIANVS AB ECCLEſia diſcedere poßit ſine culpa.

CVm ſummam eſſe conueniat unitatem & cõcordiam inter eccleſiam & paſtores, & ſingula membra eccleſiæ: facilè conſtat, nihil eſſe inconuenientius, quàm ſi uel paſtor, uel fidelis Chriſtianus deſerat eccleſiam, uel eccleſia diſcedat à paſtore ſuo, aut aliquem fidelem è conſortio membrorum ſuorum abijciat. Quare non hoc tantum quæri, liceàt ne Chriſtiano diſcedere ab eccleſia: ſed & illud in quæſtionem admitti debet, liceàt ne paſtori uel eccleſiæ Chriſtianum aliquem à ſe abijcere, & è conſortio fidelium excludere. Etenim utrunque fieri uidemus. Deſeritur eccleſia frequenter à fidelibus, & illa quoque ſæpenumero membra ſua deſerit, immò prorſus à communione ſua abſcindit & abijcit. Quis autem non uidet tam eſſe inconueniens eccleſiæ, ut membra ſua deſerat, nedum prorſus abijciat: quàm incõueniẽs eſt fidelibus, ut eccleſiam, corpus ſuum, cuius ſunt membra, deſerant, ſeq; ab illius communione ſeparent? Quare à cordatis eſt hominibus quærendum, quibus nam de cauſis utrunq; fiat. In rebus humanis nihil arctius eſt coniunctione mariti & uxoris. Et tamen nimis frequenter uſuuenire uidemus, ut maritus uxorem à ſe dimittat, uel uxor à marito diſcedat: item, ut uel parentes liberos ſuos abijciant, uel liberi à parentibus ultrò diſcedant: in quibus euentibus non factum ſimpliciter, ſed cum primis cauſæ ac circunſtantiæ facti inſpiciuntur. Conſimili modo in præſenti quæſtione non debemus mox iudicare de facto, ſed in cauſas illius inquirere. Abijcitur Chriſtianus ab eccleſia, uel eccleſię præſidibus ac ſenioribus. factum eſt in ſe alienum ab eccleſia: ſic tamen, ut ſi non temerè, ſed neceſſarijs de cauſis fiat, alienũ ſit à culpa. Diſcedit Chriſtianus ab eccleſia, factum eſt in ſe conueniens membro eccleſiæ: ſi uerò iuſtæ ſunt cauſæ cur hoc faciat, liber eſt à culpa. Chriſtianum hominem excommunicauit Paulus unà cũ eccleſia Corinthiorum, imò ſatanæ tradidit. Factum hoc in ſe admodum triſte & inconueniẽs utrique, tam Apoſtolo, quàm eccleſiæ Chriſti, excuſant cauſæ. Eccleſiam Chriſti deſeruerunt perpetuò multi. Iulianus Apoſtata diſceſsit ab eccleſia. Si cauſam habuiſſet iuſtam ac neceſſariam, immeritò apoſtatæ notam tuliſſet.

De eo quòd eccleſia ſæpè fideles ſuos deſerit, & quòd illa etiã ſæpè deſeritur.

Iulianus Apoſtata.

Iam quod noſtra tempora attinet, uocamur Apoſtatæ à Romaniſtis, quotquot communionem Romanæ eccleſiæ deſeruimus. Factum hoc tam non negamus, ut magis gloriandum de illo quàm diſsimulandum eſſe iudicemus. Quare quotquot de diſceſsione noſtra iudicare uolunt, ne iudicando errent, non ſimplex factum, ſed cauſas illius inſpiciant & examinent. Non hæreant in elogijs illis, quibus ſeipſa Romana eccleſia ſupra cæteras extollit, dum ſe uocat Apoſtolicam, catholicam, & omnium eccleſiarum matrem: nec ueteris eccleſiæ exiſtimatione fucum ſibi fieri ſinant, ſed hanc præſentem qualis ſit conſiderent. Deprehendent utique, omnium eſſe à ueteri diuerſiſsimam. Primùm, improbus dominatus diſertè à Chriſto prohibitus, quo ſibi dominium in omnes Chriſti eccleſias ſumpſerunt. Deinde ſacrilega illa & damnatiſsima Simoniæ hæreſis, quæ prima eccleſiam Chriſti tentauit, qua uendunt claues, ſacra cuncta, altaria, Chriſtum: nec uendunt tantum, ſed & emunt prius, ut non gratis accepta, ſed empta uendant. tertiò luxus ille plus quàm Sybariticus, ſplendor opum fraudibus & impoſturis acquiſitarum, quem uix ulli poterunt adæquare reges: & libido profligatiſsima, qua non ipſi Romaniſtæ modò facti ſunt Deo & hominibus abominabiles, ſed & eccleſias cæteras ſcortationibus & adulterijs iam olim per diabolicum cœlibatum, & legitimi coniugij interdictum ad ſummum uſq; impleuerunt, quid aliud de Romana eccleſia teſtantur, quàm eſſe illam ipſiſſimam Babylonem, & Antichriſti ſedem?

Quare diſceſſerimus à Rom. eccleſia.

Vidit hoc Bernardus, cum diceret: Ipſa quoq; eccleſiaſticæ dignitatis officia in turpem queſtum & tenebrarum negocium tranſiuêre, nec in his ſalus animarum, ſed luxus quæritur diuitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant eccleſias, Miſſas celebrant, Pſalmos decantant. Pro epiſcopatibus, archidiaconatibus, abbatijs, alijsque dignitatibus impudenter hodie decertatur, ut eccleſiarum reditus in ſuperfluitatis & uanitatis uſus diſsipentur. Supereſt, ut reueletur homo peccati, filius perditionis, dæmonium non modò diurnum, ſed & meridianum, quod non ſolùm transfiguratur in angelum lucis, ſed & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Hæc ille ſuper Pſalmum, Qui habitat, ſermone ſexto, in calce.

Bernardus.

An' non diſertè ſignificat, ſedem illam Romanæ curiæ ſedem eſſe Antichriſti, dum dicit in propinquo eſſe reuelationem hominis peccati, filij perditionis, dęmonij meridiani, in angelũ lucis transfigurati, quod extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur? Vnde colligebat, reuelationem Antichriſti eſſe in propinquo? Ex his uidelicet quæ Romæ palàm non Apoſtolica, ſed apoſtatica geri uidebat: imò non ſimpliciter geri, ſed tanta impudentia in immenſum creſcere, ut nihil poſſet aliud eſſe præ foribus, quàm Antichriſtianæ ſedis reuelatio, quæ & noſtra & ætate ſubſequuta. Cum ergo reuelatus iam ſit homo peccati, filius perditionis, dæmonium meridianum, Antichriſtus ille Romanus, qua conſcientia in communione & obedientia illius maneremus? Qui hæc conſiderat, quomodo diſceſſum noſtrum culpare poterit? A' uera Chriſti eccleſia, adeoq; & ab ipſo Chriſto diſcedere, culpabilem habet apoſtaſiã: ſecus uerò, ſi eccleſia malignantium unà cum Antichriſto deſeratur.

An communio eccleſiæ ſine culpa deſeri poßit.

Sed dices: Eſto, deſerendus ſit Antichriſtus & falſi paſtores, an ideo communio eccleſiæ ſine culpa deſeri poterit? Reſpondeo: At communio eccleſiæ, qualis eſt noſtro ſeculo, ſine cõiunctione illorum ſeruari non poteſt. Sunt enim illis omnes eccleſiæ ſubiectæ, & uſus ſacrorum in eorum eſt manibus, qui omnes coniurati ſunt Antichriſto, & uel ſimonia, uel ſcortatione, uel utraque contaminati. Communionem autem Simoniacorum uetant Canones, omne illorum miniſterium anathemate damnantes: & diſtinct. 23. canone, Nullus Miſſam audiat, prohibetur, ne quis Miſſam audiat presbyteri, quem ſcit indubitanter habere concubinam. Quid quòd ipſa quoque ſacra, in quibus ſita eſt eccleſiaſtica communio, deprauarunt, & eccleſias falſis dogmatibus & cultibus conſpurcarunt? de quibus in præſenti non eſt locus dicendi. Vetat Apoſtolus coniungi ſcortatoribus, eidololatris, auaris & rapacibus, ita ut ne cibũ quidem cum illis capiamus. Quomodo ferret, ſi quis operum illorum uellet eſſe conſors? At iſti non modò ſunt eidololatræ, id eſt cultores ſimulacrorum, ſed & requirunt, ut in cultu ſimulacrorum, inuocatione diuorum, participatione Miſſarum, cum ipſis communicemus: ut taceam de ſanguine ouium ac martyrum Chriſti, quem noſtro ſeculo omnium crudeliſsimè fuderunt, & adhuc pertinaciſsimè fundunt. Hæ ſunt ex multis grauibus ac prægnantib. cauſis aliquæ, ad præſentem cauſam ſufficientes: unde cordati homines intelligant, quàm non temerè à Romana eccleſia diſcedamus. Viciſsim reddant ipſi rationem, quare nos à communione uerę & catholicæ eccleſiæ alienos eſſe pronuncient.

DE SIGNIS SACRAMENTALIBVS IN GENERE.

Materiam ſacramentorum ſcrupuloſitas doctorum hominum intricatam reddidit.

POSTQVAM de Eccleſia diximus, atque ea quæ utiliter conſiderari poſſunt annotauimus: conueniens eſſe puto, ut de ſignis ſacramentalibus ſubijciamus. Scio me materiam ingredi contentionibus obnoxiam, & haud quidem naturæ ſuæ, uerùm doctorum hominum ſcrupuloſitate admodum intricatam, quam primùm Scholaſtica pariter & monaſtica caligo obſcurauit: poſtea uerò, cum in lucem produci & illuſtrari poſſet, quorundam doctorum altercationes, acerbiores quàm conueniebat, deformarunt: atque ex ea quæ unicè debebat eſſe deſiderabilis, odioſam, quantum in ipſis eſt, reddiderunt. Quid autem faciam? Etiamſi multorum me ſum iudicijs obnoxium redditurus, pergendum tamen eſt, & tenendus curſus, in uſus bonorum ſuſceptus. Oro Dominum, ut moderetur illum ſuo Spiritu: detóque, ut à ſcopo recti haudquaquam deflectamus. Propoſitum eſt autem materiam hanc tractare quàm potero dilucidè, propter filios lucis: ſimpliciter, propter ſimplices ac rudes: utiliter, propter pios non offendendos, ſed ædificandos: & religioſe, propter ſacram myſteriorum Dei maieſtatem.

I. QVID SIT SIGNVM.

Vbi ſignũ, ibi ſignificatio eſt.

PRincipiò uidendum eſt, quid ſit ſignum. Tam Græca uox σημεῖον, quàm Latina ſignum, ſatis innuit, eas res aut actiones uocari ſigna, quę aliquid ſignificant. Nequit enim ſignum eſſe, ubi nulla eſt ſignificatio. Siue igitur res tota aſpectu aut uſu ſuo aliquid ſignificat, ſiue nota quædam rei alicui ſic eſt addita, ut ſit pro indicio, rectè ſignum uocatur. Signũ Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana libro ſecundo, capite primo, definit ad hunc modum: Signum eſt res, præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid ex ſe faciens in cogitationem uenire: ſicut ueſtigio uiſo, tranſiſſe animal, cuius ueſtigium eſt, cogitamus: & fumo uiſo, ignem ſubeſſe cognoſcimus: & uoce animantis audita, affectionem animi eius animaduertimus: & tuba ſonante, milites uel progredi uel regredi, & ſi quid aliud pugna poſtulat, oportere noueru nt. Hæc ille. Quare ſtatim initiò admonendus eſt Lector, ut quoniam

Omnis doctrina uel rerũ eſt uel ſignorum.

omnis doctrina uel rerum eſt, uel ſignorum, ſcitè diſtinguat: & in rebus id conſideret, quod ſunt propriè: in ſignis uerò

uerò, non tam quod ſunt, quàm quod ſignificant. Niſi enim hoc faciat, ad iuſtam ueritatis ſciẽ tiam pertingere non poterit. Noxia quippe, & intellectum impediens confuſio eſt, ſi uel res propriæ pro ſignis, uel ſigna pro rebus accipiantur.

II. GENERA SIGNORVM.

SIgnorum multa ſunt genera. Auguſtinus diuidit illa in ſigna naturalia, & ſigna data. 1. Naturalia dicit eſſe ea, quæ ſine uoluntate & appetitu ſignificandi, præter ſe aliquid aliud ex ſe cognoſci faciunt: utpote fumus, ſignificans ignem. Non enim ſignificare uolẽs id facit, ſed rerum expertarum animaduerſione & notatione cognoſcitur ſubeſſe ignem, quamuis fumus ſolus appareat: ſicut etiam eſt, ueſtigium animantis, & uultus irati animi indiciũ habens. Verùm de hoc ſignorum genere non eſt ut in præſenti loquamur. Ad illud enim non pertinẽt ſacramentilia ſigna, de quibus eſt dicendum. *Signa naturalia.*

2 Data ſigna diuidi poſſunt in ea quæ diuinitùs, & ea quæ humanitùs dantur. Vtraque ſic ſunt comparata, ut uel præteritarum, uel præſentium, uel futurarum rerum ſignificationẽ habeant. Præteritarum, ut ſigna memoralia & euchariſtica, uulgò Gedenck zeichen, vnd danck zeichen. Præſentium, ut ſigna gratiæ, ſigna fœderum, ſigna uenalis uini, ſigna uiarum, ſigna ſamulitiorum, &c. Vulgò gnadenzeichen, bundzeichen, weinzeichen, wegzeichen, dienſtzeichen, &c. Futurarũ, ut portenta tam cœleſtia quàm terreſtria. Quò referendi ſunt & agnus Paſchalis, & ſerpens æneus, quatenus Chriſtum prefigurabant. Verùm hoc diſcrimine relicto, loquamur de ſignis diuinitùs datis, quatenus ſunt alia miraculoſa, alia nõ ſunt. 1. Miraculoſa, ut arcus ille pluuialis in nubibus, Geneſis. 9. Et quæ Moſes faciebat corã Pharaone, & rubus ſine combuſtione ardens, & umbra horologij per decem gradus reuerſa, Eſaiæ 38. Et uellus Gideonis, Iudic. 6. & apparitio Spiritus ſancti in ſpecie columbæ, in baptiſmate Chriſti, Matthæi tertio: & linguæ igneæ, Actorum primo, ac cætera conſimilia. Non miraculoſa, ut circunciſio, purificationes legales, agnus Paſchatis, panis azymus, ſerpens æneus, oleum quo reges, ſacerdotes & prophetæ ungebantur, & uniuerſus ille ceremonialis cultus Iſraeli per Moſen præſcriptus, plenus figuris & umbris rerum ſpiritualium: & in nouo Teſtamento baptiſmus, cœna Dominica, lotio pedum, flatus oris Chriſti, quo Spiritum ſanctũ dabat diſcipulis, Ioannis 20. & ſi qua alia ſunt eiuſmodi, quæ in præſenti non occurrunt. Quòd autem cœnæ Dominicæ ſignum non adnumero illis quæ ſunt miraculoſa, nõ ſolus facio, cum id antea fecerit Auguſtinus, qui libro tertio de Trinitate, capite decimo, panem cœnæ Dominicæ ſignis illis adnumerat, quæ peracto miniſterio tranſeunt & conſumuntur: & quia per homines fiunt, honorem tanquam religioſa habere poſſunt, ſtuporem tanquam mira non poſſunt. *Signa data.* *Signa miraculoſa.* *Signa non miraculoſa.* *Auguſtinus Euchariſtiã refert inter ſigna non miraculoſa.*

1 Rurſus inter hæc ſigna diuinitùs ſine miraculo data, uarietas reperitur in uſu, ad quẽ ſunt data. Alia namq; ſunt ſignificatiua & admonitiua tantum, quorũ nullus erat alius uſus, quàm ut aliquid ſignificarent & admonerent: utpote purificationes legales, panis azymus, & reliquus cultus Moſaicus. 2. Alia non ſolũ ſignificãdi & admonẽdi, ſed & obſignandi uſum habẽt: ut circumciſio in ueteri, quæ ob id ab Apoſtolo σφραγὶς Rom. 4 uocatur, & Baptiſmus in nouo Teſtamento, quæ utraq; & ſigna initialia rectè uocantur. 3. Alia & ſignificant, & offerunt ſimul aliquid: ut panis & uinum in cœna Dominica, & flatus oris Chriſti: & in ueteri Teſtamento inauguratio, quæ fiebat per unctionẽ, & quod propheta Achiab per decem pallij ſciſſuras regnum decem tribuum Hieroboæ dabat: primo Regum undecimo. *Circunciſio & Baptiſmus ſigna initialia.*

Non eſt aũt præſentis inſtituti, de omnib. huiuſmodi ſignis loqui: ſed de illis duntaxat, quę non ſolùm facta ſunt aliquando, ſed & uſibus noſtris ab ipſo Domino in nouo Teſtamento tradita & commendata, quæ iam ſacramenta, uel ſigna ſacramentalia uocamus.

Vt huius obiter admoneam, puto me non offendere bonos uiros in eo, quod ſacramenta noui Teſtamenti à Chriſto data, ſigna ſacramẽtalia uoco. Fecerunt enim hoc ante me duo primarij ſcholæ Vuittenbergenſis doctores, Lutherus uidelicet, & Philippus Melanchthon, quorum prior in captiuitate Babylonica ſic dicit: Quanquam ſi uſu Scripturę loqui uelim, non niſi unum ſacramentum habeam, & tria ſigna ſacramentalia. poſterior in primam epiſtolã ad Corinthios, cap. 11. Primùm, inquit, quod ſacramentum uulgus uocat, nos ſacramentale ſignum uocabimus. quia Chriſtum ipſum Paulus ſacramentũ uocat. Idem facit in Locis prioribus.

Viſa eſt autem Auguſtino cognitio ſignorum tanti momenti, ut de illa, tanquam ad doctrinam Chriſtianam neceſſaria, diligenter tractandum eſſe iudicarit: quod non uno tantum loco uidere eſt in illius ſcriptis.

III. SACRAMENTVM QVID SIT.

VOx Sacramentũ priſcis autorib. nõ id ſonabat, quod nunc ſonat in Eccleſia. Illi enim ſacramentum uocabant iuſiurandum, uel religioſam obſtrictionem, quæ uim haberet iuriſiurandi. Sic iuſiurandum militare, quo ſe militaturi pro republica fideliter facturos *Vox Sacramentum.*

esse iurabant, sacramentum militare appellabatur: quemadmodum in Seruio, & Vegetio de Re militari uidere licet.

Nõ idem sacr. & mysterium. Ecclesiastici uerò, ubi obstrictionem signis sacramentalibus tribuere cœperunt, hanc illis uocem Sacramentum, accommodarunt. Putant hodie, idem esse sacramentum Latinis, quod Græcis mysterium. Verùm omnino aliud est mysterium, & aliud sacramentum. Multa sunt in religione mysteria, id est res secretæ, quæ non rectè sacramenta uocaueris: rursus non mox est mysterium, quod est sacramentum. Sed hac de re non est contendendum in ecclesia, quæ tamen ignorari non debet. Nec grauabor uoce sacramenti uti sensu recepto.

Sacramentum, sacrũ signũ, & inuisibilis gratiæ uisibilis forma. Augustinus de ciuitate Dei lib. 10. cap. 5. Sacramentum sic definit: Sacrificium uisibile, inquit, inuisibilis sacrificij sacramentum, id est sacrum signum est. Et de Consecr. distinct. 2. can. Sacrificium: Sacramentum est, inquit, inuisibilis gratiæ uisibilis forma. Et tamen idem ipse Augustinus multis in locis sacramenta uocat, quę in Scripturis habentur mysteria, etiam legales figuras: & alicubi super Psal. 141. opinor, signum crucis frontibus Christianorum impressum inter sacramenta connumerat. Sic patres ac Theologi suos loquendi modos seruant in ecclesia, qui non sunt ad normam secularium authorum astringendi. Vt Dialecticis aliud sonant genus & species, quàm Grãmaticis: ita Theologis haud grauatim damus, ut suo quodam iure aliud intelligant uoce sacramenti, quàm prisci iurisperiti & historici. Quare existimo, in hac causa receptam sacramenti definitionem esse retinendam, qua idem quod sacrum signum, & inuisibilis gratiæ uisibilis esse forma definitur.

IIII. SACRAMENTALE SIGNVM *unde constet.*

Sacramentum duabus rebus constat. SEcundum præmissam definitionem sacramenti, manifestum est, constare sacramentale signum ex duabus rebus, quarum una quidem sit uisibilis, altera uerò inuisibilis: & uisibilis seruiat inuisibili, sitq; illius quasi quædam forma sensibus oculorum obiecta. Aliàs tres sunt Sacramenti partes. Augustinus super Ioannem tract. 80. sic dicit: Accedit uerbum ad elementum, & fit sacramentum. Vocat autem uerbum, institutionem sacramenti uerbo Christi factam. Et de Consecr. distin. 2. Can. Qui manducat, sic legitur: Ista ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud uidetur, & aliud intelligitur. Quod uidetur, speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritualem. Hæc ibi.

Tria sunt in sacramento. Ergo in sacramento tria sunt. 1. Primum est uerbum, quod nonnulli promissionem uocant, nos institutionem Dominicam. Papistæ ad uerbum referunt, quatenus à sacerdote consecrationis gratia profertur. Verùm nos sentimus, sacramentum fieri non humana aliqua consecratione, sed Dominica institutione, quæ semel facta ad finem usq; mundi sacramenta consecrat ecclesiæ. Hanc ob id recitamus in ecclesia, ut fideles audiant & credant, non ut elemento uirtus aliqua accedat. Sacramentum efficere in ecclesia, ipsius est Domini, non ministri. Non sumus effectores sacramentorum, sed administratores.

1. Verbum.

2. Elementum. 2 Secundum est elementum, cui Dominicæ institutionis uerbum accedit, ut est aqua in baptismate, panis & uinum in Eucharistia (liceat hic abusiuè uocabulum elementi usupare) elementum hoc aliàs signum uocatur & sacramentum, dum est in usu sacramentali. Magister Sententiarum lib. 4. distinct. 1. rem uocat. Duo sunt, inquit, in quibus sacramentum consistit, uerba scilicet & res: uerba, ut inuocatio trinitatis: res, ut aqua, oleum, & huiusmodi. Præterea uocatur uisibilis forma.

3. Signatum. 3 Tertium est, signatum. Etenim si sacramentum sacrum signum est, aliud quid esse oportet cuius sit signum. Et hoc signatum appellant. Nonnulli etiam rem sacramenti uocant. Sic canunt: Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur. Et quarta distinctione, quarto legitur: Qui sine fide uel fictè accedunt, sacramentum, non rem suscipiunt. Hanc rem uocant etiam inuisibilem gratiam, dum definiunt, dicentes: Sacramentum est inuisibilis gratiæ uisibilis forma. Et quoniam signum est propter signatum, non signatum propter signum: sacramentum propter rem sacramenti, non res propter sacramentũ: uisibilis forma propter inuisibilem gratiam, non inuisibilis gratia, propter uisibilem formam: putarunt nonnulli, rem sacramenti uocandam esse substantiam, essentiam, naturam, ueritatẽ & uirtutem sacramenti: propterea quòd sine illa signum, sacramentum & elementum, prorsus sit inane, omnis uerò in illa sacramenti uirtus subsistat. Sunt quidem hæ uoces haud præter rationem usurpatæ: uerùm quoniam rudioribus & minus exercitatis non id sonant, quod est competenter intelligendum, sed crassiorum cogitationum causas obijciunt, existimo satius esse, ut illis abstineamus, & de sacramentis loquentes in ecclesia uocibus utamur sacræ Scripturę conformibus, & plebi Christi magis intelligibilibus.

Constat igitur sacramentum tribus partibus, uerbo scilicet, re, & elemento: uel, uerbo, signo, & signato: aut, uerbo, inuisibili gratia, & uisibili forma. Qui sacramentũ in duas tantum partes diuidunt, omittunt alij rem sacramenti. ut Augustinus cum dicit, Accedit uerbum ad elemen-

elementum,& fit ſacramentum: alij uerbum, ut dum Irenæus duabus rebus terrena & cœleſti: & alij ſigno & re ſigni, uel inuiſibili gratia & uiſibili forma ſacramentum conſtare dicunt. Quare inſufficiens eſt illorum diuiſio. Cordati autem Lectoris eſt conſiderare, quæ pars ſacramenti in diuiſione illius omittatur. Facit enim plurimum ad perſpicuam & expeditam ſacramentorum intelligentiam, ſi non mutila, ſed integra conſideretur illorum diuiſio.

Quamuis autem ſacramento tres partes tribuantur, cauendum tamen cenſeo, ne de omnibus illis ac ſingulis uox ſacramenti indiſcriminatim prædicetur. Neque enim conuenit, ut uel uerbum, uel rem & inuiſibilem gratiam ſacramentum uocemus. Sacramentum uocamus elementũ & formam externã, ut in baptiſmate aquã, & in Euchariſtia panem & uinũ: quæ nõ natura ſua, ſed inſtitutione Dominica ſunt ſacramenta. Sic Auguſt. ſacramentũ carnaliter, uiſibiliter ac dentibus ab illis premi, qui nõ manẽt in Chriſto, rem ipſam uerò nõ ita. Et magiſter Sententiarum eos, qui indignè ſumunt, nõ rem ipſam, ſed ſacramentum accipere dicit.

Non eſt autem oſcitanter tranſeundum, quòd ſacramentum uocant id quod ſine re ſacramenti ab indignis & alienis à Chriſto, non ſpiritu & fide, ſed carnaliter ac dentibus ſumitur. Eſt ergo ſacramentum, & accipitur ſacramentum, etiam ubi res ſacramenti non accipitur. Et huc ſpectauit Auguſtinus, cum diceret: Accedit uerbum ad elementum, & fit ſacramentũ. Hactenus duabus rebus conſtat ſacramentum, uerbo & elemento. Vtrunq; poteſt accipere, qui ſine fide corporaliter accipit. Nam uerbum aure, elementum ore uel corpore toto accipit: atq; ita ſacramentum accipere dicitur, etiamſi à re ſacramenti prorſus ſit alienus.

Sacramentũ accipitur etiã, ubi res ſacramenti non accipitur.

V. DE NVMERO SIGNORVM SACRAMENTALIVM NOVI TESTAMENTI.

MAgiſter Sententiarum libro 4. ſeptem ſacramenta nouæ legis recenſet: Baptiſmum uidelicet, pœnitentiam, confirmationem, Euchariſtiam, extremam unctionem, ordinem & matrimonium. Hunc ſequuta ſcholaſtica Theologia, dedit eccleſię ſeptem ſacramẽta. Qua de re uehementer admiror, cum Magiſter ille ſententias patrum coaceruarit, eamq; ob cauſam magiſter Sententiarum uocetur, ex quorumnam patrum ſcriptis ac ſententijs commentum hoc de ſeptenario ſacramentorum numero deſumpſerit. Ambroſij libellus de ſacramentis (ſi tamen illius eſt, Baptiſmi tantum & Euchariſtiæ meminit. Et Auguſtinus de doctrina Chriſtiana libro tertio, capite nono, de ſacramentis Nouæ legis ſic ſcribit: Hoc uerò tempore, poſteaquam reſurrectione Domini noſtri manifeſtiſſimum indicium noſtræ libertatis illuxit, ne ipſorum quidem ſignorum, quæ iam intelligimus, operatione graui onerati ſumus, ſed quædam pauca pro multis, eademq; factu facillima, & intellectu auguſtiſsima, & obſeruatione caſtiſsima ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina, ſicuti eſt Baptiſmi ſacramẽtum & celebratio corporis ac ſanguinis Domini. Quæ unuſquiſque cum percipit, quò referantur imbutus agnoſcit: ut ea non carnali ſeruitute, ſed ſpirituali potius libertate ueneretur. Hæc ille. in quibus ſacramenta ab ipſo Domino & Apoſtolica diſciplina tradita tantum duo numerat, Baptiſmum & Euchariſtiam. Hæc dicens, loquitur de ſignis ſacramentalibus, à Domino datis, quæ duo tantum numerat. In alijs quidem locis, ut in Pſalmo centeſimo tertio, duobus iſtis coniungit & alia, dicens: Munus ſacramentorum in Baptiſmo, in Euchariſtia, in cæteris ſanctis ſacramentis, quale munus eſt? Et epiſtola centeſima decimaoctaua ad Ianuarium, cum dixiſſet: Vnde ſacramentis numero pauciſsimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione prẽſtantiſsimis, ſocietatem noui populi colligauit, ſicuti eſt Baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, communicatio corporis & ſanguinis ipſius, & ſi quid aliud in ſcripturis canonicis commendatur. Et contra epiſtolam Parmeniani libro ſecundo, capite decimotertio, Ordinem irreiterabile ſacramentum eſſe dicit, ſeruiens cauſæ quam diſputando agit. & contra literas Petiliani libro ſecundo, capite centeſimoquarto ſic dicit: Et in hoc unguento ſacramentum chriſmatis uult interpretari, quod quidem in genere uiſibilium ſignaculorũ ſacroſanctũ eſt, ſicut ipſe Baptiſmus. Et in epiſtolam Canonicã Ioannis, tractatu 3. Vnctionis, inquit, ſacramẽtum eſt uirtus ipſa inuiſibilis, unctio inuiſibilis Spiritus ſanctus, unctio inuiſibilis charitas illa eſt, &c. Et in libro de Bono coniugali, coniugio ſacramentũ tribuit. Verùm cogitandũ eſt, alio ſenſu uocari ſacramenta, quæ ſimpliciter abſq; Dominica inſtitutione pro myſterijs ſunt habenda, quo uſu uox ſacramenti ſæpenumerò impropriè accipitur: & alio uocari ſigna ſacramentalia, ab ipſo Domino inſtituta, & eccleſiæ in locum ueteris Teſtamenti ſacramentorum tradita. Illa ſunt multa, numerum Septenariũ excedentia, hæc uerò duo tantùm. Bernhardus lotionem pedum Apoſtolicorum recitat inter ſacramenta, dum Baptiſmatis, lotionis pedum, Euchariſtiæ mentionẽ, de ſacramentis loquendo facit. Auguſtinus, ubi de unctione loquitur, neq; extremam unctionẽ neq; confirmationem, ſed chriſma intelligit, quo in baptiſmate utuntur. At neutrum Papiſtæ inter ſacramenta connumerant. Atq; ita ſacramenta numeranda eſſent non ſeptem tantum, ſed nouem. Quare diligenter diſcriminandum eſt inter ſacramẽta, id eſt myſteria: & inter ſigna ſacramentalia, quæ à Chriſto ſic ſunt data, ut ad totius pertineant

Septem papiſtarum ſacramenta.

Numerus ſeptem ſacramẽtorũ patribus incognitus.
Ambroſius.
Auguſtinus.

Bernhardus.

ecclesiæ usum, & ab omnibus sint fidelibus usurpanda. Deinde conueniant uerbis Augustini, Accedit uerbum ad elementum, & fit sacramentum. Sed uideamus ex ordine singula sacramenta, quæ præter Baptismum & Eucharistiam numerant.

Pœnitentia. Pœnitentiam dicunt esse sacramentum. Est quidem illa omnino necessaria, uerùm deficit in definitione signi sacramentalis. Destituitur nanq; elemento, signo, uisibili forma, ut non conueniat uerbis Augustini, Accedit uerbum ad elementum, & fit sacramentum: & definitioni sacramenti, qua inuisibilis gratiæ uisibilis forma, & sacræ rei signum esse dicitur. Quare doctor *Lutherus.* Vuittenbergensis piæ memoriæ Lutherus, quamuis & pœnitentiam inter sacramenta numerauerat, in captiuitate Babylonica: tamen prope calcem sic dicit, Propriè ea sacramẽta uocare usum est, quæ annexis signis promissa sunt: cætera, quia signis alligata non sunt, nuda promissa sunt. Quo fit, ut si rigidè loqui uolumus, tantum duo sint in ecclesia Dei sacramenta, Baptismus & panis: cum in his solis & institutum diuinitùs signum, & promissionem remissionis peccatorum uideamus. Nam pœnitentiæ sacramentum, quod ego his duobus accensui, signo uisibili, & diuinitùs instituto caret: & aliud non esse dixi, quàm uiam & reditũ ad Baptismum. Sed nec Scholastici dicere possunt, suam definitionem posse conuenire pœnitentiæ, qui & ipsi sacramento signum uisibile adscribunt, quòd formam ingerat sensibus eius rei, quam inuisibiliter operatur. At pœnitentia seu absolutio tale signum nullum habet. quare & ipsi cogentur propria definitione aut negare pœnitentiam esse sacramentum, & sic numerum eorum imminuere, aut aliam adferre sacramentorum definitionem. Hæc ille.

Extrema unctio. Quod attinet extremam unctionem, petimus ut dent uerbum institutionis, sine quo nullũ elementum fit sacramentum. Adducunt locum Iacobi cap. 5. Infirmatur quis in uobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio *Iacobi 5.* fidei seruabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittetur ei.

Respondemus, non instituisse Iacobum sacramentum ecclesiæ & nouæ legis. Hanc illi potestatem fuisse non nos modò negamus, sed & Scotus, qui dicit: Vnde fuisset illi authoritas obligandi totam ecclesiam, cum esset tantum episcopus ecclesiæ Hierosolymitanæ? nisi dicas illam ecclesiam in principio fuisse principalem, & per consequens illum fuisse principalem episcopum. quod nõ concedunt Romani. Loquitur ille de consuetudine Apostolorum, & uirtute miraculosa, qua oleo infirmos ungebant & sanabant. qua de re uidere est Marci 6. ubi sic legitur: Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eijciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabantur. Erat ergo unctio ista miraculosa ad hoc adhibita ab Apostolis, ut per illam tanquam externum medium, regionibus illis commune & usitatum ægroti uirtute Christi sanarentur. Nec dissimulat hoc Iacobus, cum dicit, Vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei σώσει, id est seruabit (à morte uidelicet) ægrotũ. ideo subjicit, Et alleuiabit eum Dominus. Hæc uigebant in prima ecclesia cum alijs miraculis, ad confirmationem Euangelij Christi, postea uerò defierunt. Quid autem loci habet hic sacramentum extremæ unctionis, qua non ungunt nisi in extremis constitutos, & iam morituros? Quare non ex reliquis quoque miraculis signa sacramentalia fecerunt, ut & umbra Petri, & sudaria *Quando introducta sit extrema unctio.* Pauli, & manuum impositio, quibus ægroti curabantur, sacramenta sint nouæ legis? Sic etiã hoc Papisticum sacramentum nec à Christo est, nec ab Apostolis institutum: sed tum demum temporis cum cessasset donum sanationis in ecclesia, miraculosa illa consuetudo infirmos ungendi & sanandi in mysticam actionem & sententiam transmutata, & ut pristinus honor retineretur unctoribus, opinio sacramenti adiecta est.

Confirmatio. Confirmationem quoq; constituunt sacramentum. At ibi quoq; nec uerbum est instituentis Christi, nec elementum. ecclesias Apostoli confirmarunt doctrina & exhortatione. Et in hoc ministerium erant à Spiritu sancto missi. De sacramento nihil legitur. Dum poscimus uerbum Christi, adferũt promissionem Christi, qua promisit patrem daturum Spiritum sanctum ijs qui petunt. Elementum esse alij chrisma dicunt, quo episcopus frontem baptizati signat: *Manuum impositio.* alij manuum impositionem, qua usi sunt Apostoli. Sed de chrismate nullum est testimoniũ in Scripturis, nec Apostoli illo usi leguntur. Et manuum impositio nec à Domino tradita est, nec uice sacramenti ab Apostolis usurpata. Vsus illius à consuetudine Israelis absq; mandato in ecclesiam introductus est. Impositio manuũ Apostolicarum ex dono & uirtute spiritus erat miraculosæ operationis, quæ post tempora Apostolorum in ecclesia iam confirmata desijt. Exemplum illius retinuerunt episcopi, quo magis Apostolorum uiderentur esse successores: & quo ornatus aliquid accederet, & occasio esset ex operatione miraculosa facere mysticam, adiecerunt oleum, & affinxerunt opinionem sacramenti, administrationemq; illius solis episcopis uindicarunt. Verùm cum nec adsit institutio Christi, nec authoritas Apostolorum, & opinio sacramenti nihil sit aliud, quàm cõmentum episcoporum, & ipse Apostolici exempli usus in externo sit facto corruptus, & pristina efficacia destitutus: nulla est ratio fidelibus, ut hanc falso nominatam confirmationem loco sacramenti retinendam esse ducant.

Ordo. De ordine quem sacramentum esse uolunt, Magister Sententiarum sic scribit: Si quæritur quid sit quod hic uocatur ordo, sanè dici potest signaculũ esse, id est sacrum quoddã, quo spiri-

tualis

tualis potestas traditur ordinato, & officium. Character ergo spiritualis, ubi fit promotio spiritualis, ordo uel gradus uocatur. Et dicuntur hi ordines sacramenta, quia in eorum perceptione res sacra, id est gratia confertur, quam figurant ea quæ ibi geruntur. Hæc ille. Sentit igitur characterem illum indelebilem, quo instar militum nō Christo, sed summo Romanorū sacerdoti obsignantur ordinandi, esse rem figuralem, ad conferendum singularem gratiam efficacem, ideoq; uocari sacramentum. Nos uno uerbo dicimus: Si per sacramentum iusiurandum & religiosam obstrictionem intelligunt, sit ordo ipsorum, per me licet, sacramentum, quale ueteribus erat sacramentum militare. Si uerò de sacramento ecclesiæ intelligunt, qualia sunt Baptismus & Eucharistia, dent uerbum & elementum, unde cōstant uera sacramenta. Dedit quidem ecclesiæ suæ Christus Apostolos, prophetas, pastores, doctores, &c. quòd aūt ordinem instituerit, qui esset character indelebilis, & sacramentum ecclesiæ, probari non potest. *Quomodo ordo, & quale possit esse sacramentum.*

Quare figmentum est, quod de hoc quoque sacramento tradunt: quale est etiam, quòd septem hic gradus & ordines secundum septiformem gratiam spiritus constituunt, & numerant hostiarios, lectores, exorcistas, acolytos, subdiaconos, diaconos & sacerdotes, quos omnes uocant clericos. Respondeāt Anacleto papæ, qui in tertia sua epistola sic dicit: Amplius quàm isti duo ordines (intelligit autem episcopos in locum Apostolorum, & presbyteros in uicem discipulorum septuaginta constitutos) sacerdotum, nec nobis à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt. *Septem gradus ordinis.* *Anacletus.*

Et Matrimonium inter sacramenta ecclesiæ numerant. Sed ostendant ubi illud sit à Christo positum pro sacramento nouæ legis, cum in paradiso sit à Deo inde ab initio generis humani constitutum, pertineatq; usus illius ad omnes totius orbis nationes, nec aliquod genus hominum respuat: sacramenta uerò ecclesiæ tradita sint fidelibus tantum. Citant illud Apostoli Ephes. 5. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & ecclesia. Verùm, principiò non est in Græco uox talis, quæ sacramentum nouę legis significet: sed μυστήριον, id est secretum. Est quidem sacramentum Ecclesiasticum mysterium, sed nō uice uersa quoduis mysterium sacramentum ecclesiæ. Meminit Apostolus mysterij iniquitatis, 2. Thessal. 2. quod non rectè uocabis sacramentum iniquitatis. Et præterea quàmplurima sunt fidei nostrę mysteria, quæ admodum ineptè ad sacramenta ecclesiæ traxeris. *Matrimoniū.* *Ephes. 5.*

Deinde, mysterium hoc ab Apostolo satis exprimitur, dum specificando adijcit: Ego autem dico ἐις τὸν χριστὸν καὶ τὴν ἐκκλησίαν. qui Græcismus idem est, quod de Christo & ecclesia. Ergo mysterium hoc non est in carnali uiri & mulieris, sed in spirituali Christi & ecclesiæ coniugio. Et Augustinus in Ioan. tract. 9. cap. 2. dicit: Sacramentum hoc magnum est. Et ne quis istam magnitudinem sacramenti in singulis quibusque hominibus uxores habentibus intelligeret, Ego autem dico, inquit, in Christo & ecclesia. Quod est hoc sacramentum magnum? Erunt duo in carne una. Sic ergo Christus adhæsit ecclesiæ, ut essent duo in carne una. Hæc ille. Ergo mysterium hoc non ad carnale uirorum & mulierum, sed ad spirituale Christi & ecclesiæ coniugium pertinet. *Augustinus.*

Vehementer admirandum est, quòd ex matrimonio faciunt ecclesiæ sacramentum, cum tamen coniugium hoc usqueadeò ducant esse prophanum & impurum, ut uxoratos à ministerijs ecclesiæ abarceant. Vnde Siricius papa in Decretis suis illud Apostoli Rom. 8. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt: de coniugibus legitimis citauit, quo matrimonium ministris Christi adimeret. Illudq; adiecit: Immundis nihil mundum, mundis uerò omnia munda. Sed hæc est pugnans inter se regni papistici cæcitas. *Papa Siricius.*

Non recipimus igitur figmentum hoc sacramentorum nouæ legis, à Christo partim non institutorum, partim non ut sacramenta ecclesiæ institutorum. Res ipsas, utpote pœnitentiam, confirmationem fidelium infirmorum ac neophytorum, ordinem ministerij Ecclesiastici, uisitationem ac consolationem ęgrotorum, & legitimum matrimonium, & pias & utiles esse: idq; non in nouo tantū, sed & ueteri Testamento, agnoscimus: ne quis nobis hic calumniā struat, quasi quæ bona sunt ac pia, reijciamus: uerùm opinionem sacramentariam in illis, qua pro sacramentis ecclesiæ ac nouæ legis habentur, non agnoscimus, sed duo tantum noui Testamenti sacramentalia signa ecclesiæ ab ipso Christo Domino nostro tradita statuimus, Baptismum uidelicet, & cœnam Dominicam, in quibus solis uerbum institutionis Dominicæ cum elemento coniungitur, & legitima sacramenti definitio firma consistit.

VI. QVARE EXTERNA SACRAMENTA *Christus instituerit.*

NIhil est hic sine magna ratione factum. Largitori rerum spiritualium non est opus signis externis: & res ipsæ spirituales sic sunt comparatæ, ut sine signis tradi queant: quemadmodum & aliquando ante, aliquando post, nonnunquam & præter signa conferuntur per Spiritum Dei, quæ salutis nostræ sunt spiritualiter in cordibus electorum operantem. Verùm *Accōmodat se Deus captui nostro, dum sacramentalia signa tradit.*

Verùm quod communem noſtram partim imbecillitatem, partim cõſuetudinem attinet, ſingularem quandam uim habet, quòd non uerbis tantum, ſed & externis ſymbolis geritur: unde & tantus eſt in rebus humanis ſymbolorum, rituum, ſtipulationum & ſignorum uſus. Demiſit ergo ſe prouidentia ac philanthropia Dei ad noſtrum captum, ſic ut non uerba tantum auribus, ſed & uiſibilia & contrectabilia ſigna oculis ac ſenſibus reliquis ſpectanda contrectandaq; daret, quibus res ſpirituales alijs atq; alijs modis fidei noſtræ credendas & apprehendendas offerret. Etenim ſi tu incorporeus eſſes, inquit Chryſoſtomus ſuper Matth. homil. 83. nudè tibi ipſa dona incorporea tradidiſſet? Quoniam uerò corpori coniuncta eſt anima tua, in ſenſibilibus intelligenda tibi traduntur.

Aliter agit Deus cum angelis, aliter cum hominibus, aliter cũ reliquis creatis.

Deus ille philanthropos, cœleſtis pater noſter, qui operatur omnia in omnibus, pro mirabili ſua prouidentia aliter agit cum cœleſtibus ſpiritibus, aliter cum hominibus, aliter cum beſtijs, aliter cum inanimatis: & tamen hæc ſua creata uirtute ſpiritus ſui conſeruat omnia. Cum ſolis autem hominibus agit & ſpiritu ſuo, & uerbo, & ſignis, captui noſtro ſeſe accommodans. Vehementer autem periculoſum eſt, ſi hæc tria non diuina, ſed humana, non ex Deo, ſed ex corde humano proficiſcantur: ut agatur nobiſcum non diuino, ſed humano ſpiritu: uerbo nõ Dei, ſed humano: ſignis non à Deo, ſed ab homine datis. Sic enim deeſt authoritas Dei, ſine qua conſcientiæ noſtræ ſeduci poſſunt, ædificari non poſſunt. Faciat hęc conſideratio ad hoc, ut quoniam diuina prouidentia in rebus ſalutem noſtram concernentibus infirmitatis noſtræ rationem habere dignatur, rationem illius habeamus & nos, ideoq; fidem noſtram legitimo ſacramentorum uſu diligentius ac religioſius exerceamus.

Ad quid data ſint ſacramentalia ſigna.

Sunt itaq; ſacramentalia ſigna ad hoc nobis data, ut ſint diuinæ erga nos gratiæ ſymbola, quibus fidem noſtram in Chriſtum exerceamus. Vnde & Patres ea inuiſibilis gratiæ uiſibilem formam definierunt. Annexa ſunt uerbo Euangelij, uerbo gratię ac ſalutis: nec ad alium finem data ſunt, quàm datum eſt ipſum uerbum. Habet tamen utrunq; uſum quendam ſibi peculiarem: de quo poſtea dicemus. Magiſter ſententiarum ſacramenta dicit eſſe propter humiliationem, eruditionem & exercitationem inſtituta. Et humiliationem eam eſſe uult, qua rebus ſenſibilibus nobis multo inferioribus ſic ſubijciamur, ut ſalutem in illis quæramus, & hanc eſſe obedientiam quæ Deo placeat. Eruditionem uerò qua per id, quod foris in ſpecie uiſibili cernitur, ad inuiſibilem uirtutem quæ intus ſit, cognoſcendam mens erudiatur: exercitationem autem, qua uanas & noxias occupationes uitemus. & citat illud Hieronymi: Semper aliquid operis boni facito, ut te occupatum diabolus inueniat. Impurum eſt, quod nos rebus ſubiectos eſſe dicit, quæ nobis ſint inferiores. Impurum eſt, quod Deo placere dicit, ut ſalutem quęramus in ſacramentis, cum fateatur eſſe illam à Deo.

Salutẽ non eſſe quærendam in ſignis.

Quærenda eſt igitur in Chriſto, non in ſignis. Surſum corda, canunt palàm: & reſpondent, Habemus ad Dominum. & hoc faciunt dum Miſſant. Quorſum admonent, ut cordibus ſint ſurſum ad Dominum erectis, ſi ſalus quærenda eſt in ſignis nobis multo inferioribus? Nec illud pertinenter ad cauſam ſacramentorũ facit, quòd exercitationem illis tribuit, qua noxias occupationes uitemus, ne diabolus nos ocioſos inueniat. Exercitatio ſacramentorũ ad confirmandas in fide conſcientias noſtras facit, habetq; ſingulares gratiæ Dei admonitiones.

Opinio operis operati.

Nec ferẽda eſt in ſacramẽtis opinio operis operati, qua ſentiũt, utẽtẽ illis ipſo opere mereri gratiã: modò non ponat obicẽ, unde impediatur, etiãſi nec credat, nec aliquo illa bono cordis ſui motu percipiat. Ridiculũ eſt talem facere Deum, cui placeat opus externũ, qualitercunq; præſumptũ. Quin magis credimus Paulo, affirmanti peccatũ eſſe, quicquid nõ ex fide geritur.

Nota Chriſtianæ profeſſionis.

Nec probamus eos qui ex ſacramentis nihil faciunt aliud, quàm Chriſtianæ profeſſionis notas, quibus diſcernamur à Iudæis, & omnibus alijs nationibus à fide Chriſti alienis: quemadmodum nec eos, qui ſentiunt ad hoc tantum data eſſe ſacramenta, ut ſint nobis Chriſtianæ ſocietatis ſymbola, quibus in unum corpus coadunemur, & mutuæ communicationis uinculis alligemur. Etenim tametſi neutrum ſit alienum à ſacramentis, haud tamen conſiſtit in ipſis principalis, nedum uniuerſa ratio, propter quam ſunt inſtituta. Eiuſdem rei multas poſſe cauſas eſſe, antea alicubi admonuimus. Vbi multæ ſunt unius rei cauſæ, ibi ſolent aliæ eſſe primariæ, aliæ ſecundariæ, quod in ſacramentis quoq; locum habet. Quàm autem inconueniens ſit, ut ponatur una cauſa, eaq; ſecundaria, pro principali & uniuerſali, quaſi nec plures nec potiores aliæ exiſtant, facilè cogitari poteſt.

Allegoria.

Tale quid admittunt & illi, qui in ſacramentis nihil ſpectant aliud, quàm allegorias Chriſtianæ mortificationis, uiuificationis & regenerationis, deinde & ſpiritualis alimoniæ. Non ſunt abſurdæ eiuſmodi cogitationes, uerùm non ſatisfaciunt principali cauſæ, propter quam diuinitùs ſunt inſtituta ſacramenta.

VII. QVALIA SACRAMENTA INSTITUERIT *Dominus.*

IN materia hac contentionibus tantopere obnoxia, puto me haud inconſultò facturum, ſi Patrum ſententias frequenter adduxero: non quòd illis opus habeat confirmanda ſacramentorum

mentorum Christi ueritas, sed quod multi reperiuntur, qui plus illis tribuunt fidei, quàm ijs quæ nostra ætate quàtumuis docte ac ueraciter scribuntur. Augustinus de Doctrina Christiana libro 3. capite nono, sacramenta dicit à Christo tradita numero pauca, factu facillima, & intellectu augustissima.

Numero pauca.

1 Numero pauca, duo uidelicet. In ueteri Testamento numerosa fuit signorum multitudo. Erat ille populus adhuc sub iugo legalis seruitutis ac spiritu timoris constitutus: ideoq; perinde atq; pueri solent, pluribus figuris, ritibus, umbris & sacrificijs detinebatur. Populus uerò noui Testamenti tanquam iam adultus & spiritu libertatis donatus, paucissimis signis in fide Christi exercetur & confirmatur. Quapropter qui ecclesiam multitudine externorum rituum ac signorum onerant, ad Iudaici populi pædagogiam magis, quàm ad Christianæ ecclesiæ libertatem accedunt. qua de re & August. Epistola 119. capite 19. queritur dicēs: Quamuis enim neq; hoc inueniri possit, quomodo contra fidem sint: ipsam tamen religionem, quàm pauciss mis & manifestissimis sacramentis misericordia Dei liberam esse uoluit: seruilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnouerunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subijciuntur. Hæc ille.

Multitudo externorum signorum ac rituum inconueniens est nouo Testamento. Augustinus.

Factu facillima.

2 Deinde sacramenta dedit Dominus factu facillima. Cauit & hac in re, ne ecclesiam suam grauaret. Nihil est in Baptismate, nihil in cœna Dominica, quod sit uel difficile, uel durum, uel molestum, aut aliàs iniucundum, aut à moribus humanis alienum. Circumcisio molesta fuit, cruenta, & doloribus obnoxia, sicuti uidere est in Genesi capite 34. ubi circumcisorum dolor die tertia grauissimus esse memoratur. Sacrificia Iudæorum habebant plurimum laboris, præterquam quòd erant cruenta. Cultus Baal & Moloch sanguinem humanum etiam requirebant. quod & Gentilium deorum cultui tribuit poeta, cum dicit: Sanguine placastis uentos, & uirgine cæsa, Cum primùm Iliacas Danai ueniistis ad oras, Sanguine quærendi reditus, animaq; litandum Argolica, &c. Hic nihil tale. Omnia sunt, ἀναίμακτα, facilia, usitata, sine sumptu, sine labore, sine dolore. Quod arduum erat, & sanguinis precio constabat, in se suscepit clemētissimus Seruator, quo nos omni liberaret molestia & discrimine.

Molesta fuerūt Iudæorum sacra.

Intellectu augustissima.

3 Tertiò, sunt & intellectu augustissima. Externo aspectu & usu uidentur in oculis carnis humilia, nec alicuius præcipui momenti. Quare nō dicit August. esse ea aspectu, sed intellectu augustissima. Est autem intellectus sacramentorum, rerum maximarum, cœlestium ac diuinarum, quarum uisibiles formæ foris apparent, de quibus nō est ut in præsenti dicamus. Veniēt enim suis locis peculiariter explicandæ. Quod in genere præsentem particulam concernit, admonemur, quatenus preciosa & augusta sint ecclesiæ sacramenta. Neq; argento, nec auro, externaue aliqua pompa ac mundano splendore, sed intellectu, in ijs uidelicet rebus quæ non uisu, sed intellectu capiundæ proponuntur, omnium sunt augustissima. Aurum, inquit Ambrosius in Officijs lib. 2. cap. 28. sacramenta non quærunt: neq; auro placent, quæ auro nō emuntur. Ornatus sacramentorum redemptio captiuorum est, &c. Quapropter requiritur à Christianis in usu sacramentorum, ut intellectu ualeant, ne in signis externis hæreant. Irrationalium est, non intelligere amplius quàm quantum capit oculus corporis. Seruilis infirmitas est, signa pro rebus ipsis accipere, quæ significātur, teste Augustino de doctr. Christ. lib. 3. ca. 9.

Quomodo augusta sint Christi sacramenta. Ambrosius.

Carnales.

Reprobandi sunt igitur primùm carnales illi, qui in sacramentis nihil intelligunt aliud, nec iudicant, quàm quod oculis uidetur, atq; ita secundum qualitatē externorum signorum de sacramentis sentiunt. Aquam uident, panem & uinum uident, ultra horum considerationē mētem nō extollunt. Hi nimium pendent in externo elemento. Deinde & superstitiosi illi reprobandi ueniunt, qui signis perinde utuntur, ac si res ipsas in oculis habeant, nec discernūt inter signa & res signatas. Illi admonendi sunt, ut corda sustollāt ad Dominū. Sacramenta sunt inuisibilis gratiæ uisibiles formæ. Inuisibilis gratia mēte cōsideretur, intelligatur, & fide capiatur.

Superstitiosi.

VIII. DE DISCRIMINE SACRAMENTORUM ueteris ac noui Testamenti.

Quomodo differāt nostra sacramēta à priscis, paucitate.

INter sacramenta ueteris ac noui Testamenti discriminant alij, alij non discriminant. Si conferantur inter se, erit ubi differant: rursus erit ubi non differant, secundum respectus alios atque alios. Principiò differunt nostra sacramenta à priscis paucitate. In nouo Testamento pauca habentur, duo uidelicet: in ueteri multa; si omnes figuræ, umbræ & sacrificia pro sacramentis sunt habenda. id quod Patres facere uidentur, præsertim Augustinus. Aliàs, si ordinata & propria sacramenta respicias, quæ uerbo institutionis & materia significante comprehenduntur, & illic duo tantum fuerunt: Circumcisio uidelicet, & agnus Paschatis. Adijcit illis Apostolus nubem & mare, & aquam petræ, cum manna. Verùm ista non possunt ad legitimam & ordinariam sacramentorum institutionem pariter ac celebrationem referri: licet sic sint mirabiliter dispensata, ut usus ipsorū uim habuerit sacramentorum. Quatenus igitur ista pro sacramentis habentur, hactenus superant numero: quatenus uerò propria ac legitima tantū sacramenta respiciuntur, in quibus externo signo uerbum est institutionis coniunctū, hactenus

1. Cor. 10.

paria

paria ſunt numero ueteris Teſtamenti ſacramenta cum noſtris: ſic ut Baptiſmus circumciſioni, cœna Dominica agno Paſchatis reſpondeat.

Deinde differunt uarietate ſignorum. Alia ueteris, & alia noui Teſtamenti ſunt ſigna ſacramentalia. Aliud quippe eſt Circumciſio, & aliud Baptiſmus. Adhuc, aliud eſt agnus Paſchatis, & aliud panis ac uinum, cœnæ Dominicæ ſymbola. Etiam in miraculoſis ſacramentis aliud erat nubes & tranſitus maris, & aliud noſter Baptiſmus: item aliud manna, & aqua de petra profuſa: & aliud panis & uinũ in ſacramento cœnæ Dominicæ. Sic utrobiq; uariant ſigna.

Præterea, ſacramenta ueteris Teſtamenti effuſione ſanguinis partim humani, partim pecuini conſtiterunt: humani, in circumciſione: pecuini, in agno Paſchatis. Noui uerò, licet effuſi pro nobis ſanguinis Chriſti ſint ſacramenta, ſunt tamen in ſe ἀναίμακτα, id eſt incruenta. Si conferamus noſtris ſacramentis, nubem, mare, manna & aquam de petra, differunt ab illis noſtra etiam hactenus: quòd illa miraculoſa fuerunt, noſtra uerò non ita.

Adhuc. Antiqua ſacramenta per noui Teſtamenti ſucceſsionem in alias ſunt formas mutata, licet fides ſacramentorum manſerit immota. At noui Teſtamenti ſacramenta nõ ſunt eiuſmodi mutationi obnoxia, ſed formas ſuas ab ipſo Domino inſtitutas ad finem uſq; mundi retinebunt: poſt quem non expectamus nouorum ſacramentorum formas, ſed ipſam ueritatis plenam & conſummatam manifeſtationem.

Quomodo nõ differãt noſtra ſacramenta à priſcis.

Hiſce itaq; reſpectibus rectè noſtra ſacramenta à priſcis differre dicuntur. Verùm ſi quę potiora ſunt in ſacramẽtis utrobiq; conſiderentur, nihil in illis differre deprehẽdetur. 1. Principiò, ut idem eſt Deus, & idem Dominus, tam in ueteri quàm nouo Teſtamento: ita eſt & idem author ſacramentorum, & mediator gratiæ Dei, cuius tam antiqua quàm noſtra ſacramenta fuêre ſymbola. Vt noſtra nituntur authoritate mediatoris Chriſti, ita & ea quæ in ueteri Teſtamento præceſſerunt.

2 Deinde, ſi rationem conſideremus, qua Deus eccleſiæ ſuæ ſacramenta quædam inſtituit, non inueniemus aliã in ueteris, & aliam in noui Teſtamenti ſacramentis. Tam enim illa quàm iſta ad hoc erant data, ut eſſent gratiæ Dei erga eccleſiam ipſius ſymbola, quibus fideles in fide fœderis illius alerentur & confirmarentur: deinde tota Iſraelis eccleſia in eandem fidẽ coadunaretur, & ab omnibus alijs totius orbis nationibus ſeiungeretur. In hoſce fines & uerbo & ſacramentis cum illo populo, perinde atq; cum eccleſia noui Teſtamenti agebatur.

Non idem ſignum quod ſignatum.

3 Tertiò: quemadmodum in ſacramentis ueteris, ita & noui Teſtamenti non idem eſt ſignum quod ſignatum, uel ſacramentum & res ſacramenti, quod attinet illorum ſubſtantias & naturas. Aliàs enim nulla ineſſet illis ſacramentorum ratio, ſi idem eſſet ſignatum quod ſignum. Aliud eſt quod ſignificat, & aliud quod ſignificatur: unde & Auguſtinus dicit, aliud eſſe quod uidetur, & aliud quod intelligendum proponitur. Ergo nec hactenus differunt noſtra ſacramenta à ueteris Teſtamenti ſacramentis.

Res ſacramentorum utrobique eædem.

4 Quartò: ſi res ipſas inſpiciamus, quarum ſigna ſunt noſtra ſacramenta, eaſdem in ueteris Teſtamenti ſacramentis reperiemus. Circumciſio ſacramentum erat naturę noſtrę in Chriſto regenerandæ ac purificandæ, idẽ eſt & noſter Baptiſmus. Circumciſio σφραγὶς, id eſt obſignatio erat iuſticiæ fidei, Rom. 4. Idem eſt & noſter Baptiſmus. Circumciſione in eccleſiam Dei incorporabantur Iſraelitæ, nos Baptiſmo. Circumciſio ſignum erat fœderis Dei, hoc nobis eſt Baptiſmus. Deinde agnus Paſchatis ſacramentum erat agni immaculati, cuius ſanguine redimendi eramus è ſeruitute ſatanæ, peccati & mortis: idem nobis eſt panis & uinum, ſacramentum corporis & ſanguinis Domini. Idem utrobiq; cibus & potus, ſicuti uidere eſt 1. Corinth. 10. Nihil igitur ſic quoq; differunt noſtra à ueteris Teſtamenti ſacramentis. Vt iſta ſunt inuiſibilis gratiæ uiſibilis formæ, ita erant & illa. Nec alia nunc eſt inuiſibilis hæc gratia, & alia in ueteris Teſtamenti ſacramentis, ſed eadem prorſus utrobiq;.

Eadem ſacramentorũ fides.

5 Quintò: & in fide quoq; conueniunt utriuſq; Teſtamenti ſacramenta. Vna namq; & eadẽ eſt utrobiq; fides, qua illi in futurum redemptorem Chriſtum: nos in eum credimus, quẽ olim promiſſum pater miſit in mundum, nõ alium atq; alium, ſed eundẽ in ſe eundem omnibus electis, omnibus tam ueteris quàm noui Teſtamenti fidelibus. Hic unus eſt omnium ſacramentorum origo, fons & finis. Cum ergo nec alia atq; alia ſit utriuſq; Teſtamenti ſacramentorum fides, ſed una & eadem: nec aliud atq; aliud ſit fidei obiectum, ſed unũ & idem: cur non magis conformitatẽ & unitatẽ illorũ, quàm diſcrimen agnoſcimus, & agnoſcẽdo admiramur?

Efficacia ſacramentorum.

6 Sextò: ſupereſt conſideratio de efficacia ſacramentorum. Hanc maiorem noſtris quàm ueteris Teſtamenti ſacramentis tribuunt Patres, & hactenus noſtra ſupra illa uehementer extollunt, ut dicant ea efficacia eſſe gratiæ ſigna, non modò ſignificantia, ut illa, ſed & cõferentia ac præſtantia gratiam, iuſticiam & ſalutem etiam in peccatis mortalibus conſtitutis: ſic ut fides non requiratur, modò non opponant obicem, quem uolunt eſſe actuale propoſitum denuò peccandi. Error hic eſt ab omnium fidelium mentibus propulſandus. Plurimum enim pugnat cum doctrina iuſtificantis fidei, quæ ſic requiritur, ut citra illam ſacramenta non modò ſint inutilia utentibus, ſed & noxia. Sacramenta ut ſigna ſunt gratiæ, ita ſignificant gratiam, tam in nouo quàm ueteri Teſtamento: ut ſunt σφραγῖδες iuſticiæ fidei, ita obſignant & confir-

mant

mant illam, non in nouo tantum, sed & in ueteri Testamento: & confirmant non ut ipse obsignator spiritus, sed ut signa obsignantia: ut sunt figuræ & formæ, ita externa similitudine res significatas figurant & repræsentant, ut in ueteri, ita & in nouo Testamonto: ut sunt initiationes, ita initiant & inaugurãt utrobiq; : ut sunt μνημόσυνα, id est memorialia, ita beneficia cœlestis gratiæ in mentibus fidelium renouant, non minus in ueteri quàm in nouo Testamento. Si prę ter ista nostris sacramentis efficaciam damus, qua gratiam, iusticiam, & salutem in utentibus operentur, damus illis quod unicè est opus spiritus Christi, nisi utamur hac moderatione ut dicamus efficaciam sacramentorum esse non realem, sed sacramentalem: sic ut sacramentotenus regenerati & iustificati sint, qui sunt baptizati, etiamsi reipsa nondum sint iustificati & regenerati. Sic Corinthios Apostolus ablutos, iustificatos & sanctificatos esse dicebat: quos tamen ut carnales adhuc eorum arguebat peccatorum, quæ excludant à regno Dei. Loquebatur sacramentaliter propter baptismum, ablutionis, iustificationis, & sanctificationis sacramentũ. At hoc genus locutionis non nostris tantum, sed & ueteris Testamenti sacramentis conuenit. Quare secundum hanc quoq; consideratione nihil ponendum est discriminis inter utriusq; Testamenti sacramenta. Vide Lutherum in libro de captiuitate Babylonica, de Baptismate, & in Germanico libello Grund vnnd vrsach aller articul, so durch die Rœmische Bull verdampt sint. Loquor autem non de quibuslibet figuris, sed de sacramentis, quæ propriè utrobiq; sunt sacramenta. Patres haud satis consideratè figuras ueteris Testamenti & mysteria noui, cum sacramentis confuderunt, sibiq; ipsis & alijs tenebras offuderunt. In summa, ueraciter dictũ est illud: Non sacramentum, sed fides sacramenti iustificat. Verùm hoc est non modò in antiquis, sed & nostris sacramentis. Quapropter non est alia nostrorum, quàm illorũ efficacia. & inconsideratè dictum est ab Augustino super titulum Psal. 73. ubi dicit: Sacramenta nõ eadem, quia alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia Saluatorem. Sacramenta noui Testamẽti dant salutem, sacramẽta ueteris Testamenti promiserunt Saluatorem. Dicemúsne antiquis defuisse salutẽ, cuius usi sunt sacramentis? Absit. Rursus, dicemúsne saluare sacramẽta nostra, & non magis fidem in Christum? Absit & hoc. Quid autem poterit dici absurdius, quàm ueteres saluatos esse fide, nos sacramentis? Quanto aũt rectius super Ioannẽ tractatu 45. dicit? Fide manẽte, signa sunt uariata. Ibi petra Christus, nobis Christus quod in altari Dei ponitur. Et illi pro magno sacramento eiusdem Christi biberunt aquam profluẽtem de petra, nos quid bibamus norunt fideles. Si speciem uisibilem intendas, aliud est: si intelligibilem significationẽ, eundem potum spiritualẽ biberunt. Hæc ibi. Obsecro estnẽ eundem nobiscũ spiritualem cibũ & potum, Christũ uidelicet, edere & bibere, Israelitas sacramentis uti Christũ tantum promittentibus, nos uerò sacramẽta habere salutem dantia? Vtut per crucem parta sit salus, nihilo tamen minus de illa participarũt ueteris, quàm noui Testamẽti fideles. Christus enim heri & hodie & in sempiternũ, & passus est ab origine mũdi: quod consiliũ Patris & uirtutẽ redẽptionis attinet. Verùm uoluit Augustinus cõmendare felicitatẽ noui Testamẽti, in eo quod sacramenta illius non adhuc futurũ promittunt Saluatorẽ, sed præsenter exhibiti gratiã commendant.

Non sacramentum, sed fides sacramenti iustificat.

IX. AN GRATIA SIT ALLIGATA *sacramentis.*

QVi fide uiuunt unigenrti Dei, cumq; illo unus sunt spiritus, & habent illum in se manẽtem, habent utiq; ipsum omnis gratię fontem, de cuius plenitudine accipiunt gratiam pro gratia. Hi non disputant de gratia Dei, sit'ne sacramẽtis alligata uel minus. Verùm ubi fide deficientes externo sacramentorum usu nitimur, ac nos ipsos fallere magis quàm confirmare incipimus, ibi disputamus de sacramentis, sintné ad salutem nobis sufficientia uel secus: & quoniam conscientiæ nostræ testimonio scimus fieri non posse, ut citra gratiam Dei saluemur, modos quærimus, quibus participes illius euadamus, etiamsi fide destituamur. Et sic animatis præsto sunt falsi doctores, eodem morbo laborantes. Hi de sacramentis sic disputãt, ut gratiam illis alligatam esse imperitioribus & carnalibus hominibus persuadeant. Quare operæprecium esse puto, ut hac de re aliquid dicamus.

Quorum sit hæc quæstio.

Principiò, cum quærunt, sit'ne gratia alligata sacramentis, satis confitentur aliud esse gratiã, & aliud sacramentum, ideoq; sacramentum nõ ipsam esse gratiam. nec immeritò. Visibilis enim forma non est ipsa inuisibilis gratia, & signum nõ est signatum. Et hactenus aqua Baptismi non est ipsa regeneratio, & peccatorum ablutio: & panis cœnæ Dominicæ non est ipsum corpus Domini. Aliàs nec illa regenerationis, nec iste Dominici corporis sacramentũ esse posset. Nihil enim sui potest ipsius esse signum: sed necesse est, ut signum & signatum res sint natura sua & substantia diuersæ. Si aqua Baptismi & panis cœnæ Dominicæ, sic possent esse cœlestis gratiæ sacramenta, ut simul ipsa essent gratia: nulla esset istis hominibus quęrendi ratio, sit 'ne gratia sacramentis alligata uel secus. Nam ita fieret, ut externorũ sacramentorũ participes, participes simul essent & gratiæ, & per cõsequens uitæ ac salutis æternæ. Quoniã hoc sentiũt alienũ esse à uero, nõ quærũt, Sitne sacramentũ ipsa gratia: sed, sitné gratia alligata sacramẽto.

Quare hac de re quæratur. Signum nõ est signatum.

Sacramentum non prodest sine gratia.

Deinde intelligunt, sacramentum externũ nihil prodesse sumentibus sine gratia, cuius est sacramentum. Atq; ita disputant de gratia, sine qua se saluari non posse sciunt. Et quoniam illã ut uerbo Euangelij offertur, nõ nisi fide capi posse sciunt, non quærũt, sit ne gratia alligata uerbo: sed, sit ne alligata sacramẽto, cum nõ possit esse sacramentũ sine uerbo, nec habeat sacramentũ ut sacramentum, quod nõ accipiat à uerbo. Significant se desperare de participatione gratiæ Dei, quæ cõstet fide: ideoq; respiciunt ad externa sacramenta, de quibus cõmunicare possunt tam mali quàm boni, tam carnales quàm spirituales, tam increduli quàm fideles, deq; eo persuaderi cupiũt, quòd gratia sit alligata sacramẽtis. Et notanter utuntur uerbo alligandi, talẽ se coniunctionẽ gratiæ cũ sacramentis quærere significãtes, qua illis sic sit cõnexa & indissolubiliter alligata, ut indiscriminatim de illa participent, quicũq; participãt de sacramentis.

Quomodo nõ sit sacramentis alligata gratia.

Ad ista quid dicemus? Non possumus à sacramentis auellere gratiã, cuius sunt sacramenta: sicuti nõ conuenit, ut signatũ separetur à suo signo. Rursus nõ possumus alligare gratiã sacramentis, eo modo quo carnales homines alligatam illam esse putant. Videamus igitur, quomodo gratiã sacramentis coniunctam, & quomodo nõ esse cõiunctam sentire debeamus.

Naturaliter.

1 Primum naturalis coniunctio est, qua uis cibandi ac potandi pani coniungitur & uino, unde cor edentis & bibentis hominis corroboratur & exhilaratur. Hac cõiunctione nõ est gratia coniuncta sacramentis. Neq; illa uotis carnaliũ satisfaceret. Quemadmodũ enim si ægrotus, stomacho malè dispositò, panem edat & bibat, nec corroboratur nec exhilaratur: ita eueniret & istis, qui nõ ritè, quod fidẽ attinet, dispositi ad sacramentorũ cõmunionẽ accedunt.

Localiter.

2 Deinde localis coniunctio est, qua cibus & potus cum stomacho iunguntur. Nec ista conuenit gratiæ & sacramentalibus signis. Nec in pane, nec in uino, nec in aqua sic est gratia, ut localiter in illis contineatur, quæ nullo potest loco circumscribi.

Corporaliter.

3 Tertiò est & corporalis coniunctio, qua corpori coniungitur caput, & membrũ membro. Neq; hanc recipit cœlestis gratia: quę cùm sit spiritualis, corporali connexione capi nõ potest.

Obligatoriè.

4 Quartò, est etiam obligatoria coniunctio, qua fides seruanda promissionibus alligatur. Neq; hanc possumus statuere in hac causa. Neq; enim sic sacrementa sua instituit Dominus, ut salutem simpliciter promiserit omnibus illa sumentibus. Non dixit simpliciter, Qui baptizatus fuerit: sed, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui nõ crediderit, condemnabitur. Quare nõ est ut uerbum institutionis & promissionis urgeamus in sacramentis, quasi uirtute illius sic alligetur signatum signato, ut indiscriminatim accipiant nõ signum tantum, sed & rem signatam, quicunq; etiam sine fide, sacramentum accipiunt. Non fuit propositum Domini talia instituere sacramenta, in quibus de gratia sua non modò pij, sed & impij participare queant. nec uerba institutionis tale quid euincunt.

Vt ignis ferro.

5 Quintò, neq; dicendum est, coniungi gratiam sacramento, quemadmodum calor igneus coniungitur ferro. Est enim ea coniunctio primùm sensibilis, deinde etiam extra usum perinde atque in usu uera existens. Ferrum ignitum calet, etiamsi calor illius nullo usui adhibeatur, etiamsi seruiat rebus illicitis & noxijs. De gratia & sacramẽtis non est, ut tale quid statuamus. Neq; enim extra usum sacramentum est, quod sacramentum est in usu: neq; adiunctam habet gratiam, si in abusum rapiatur.

Sacramentaliter.

6 Restat coniunctio sacramentalis, qua signatum signo, & res sacramenti sacramento coniungitur. Cum igitur quæritur alligatáne sit gratia sacramentis, respondeti potest, hactenus illam esse sacramento suo alligatã, quatenus ad partes pertinet, unde illud conficitur. Si dixeris, sacramentum uisibilem esse inuisibilis gratiæ formam, secundũ hanc definitionem alligata est gratia sacramento sacramẽtaliter, sic ut ad plenitudinẽ & integritatem illius requiratur. Aliàs si secludatur gratia à forma uisibili, non erit illa sacramentum. Si uerò sacramentum cõstare dixeris uerbo & elemento, secundum sententiam illam Augustini, Accedit uerbum ad elementum, & fit sacramentum: hac definitione non adnumeratur gratia partibus sacramenti: ideoq; nec sic alligatur sacramento, ut sine ipsa sacramentum sumi nequeat. Igitur secundum geminã hanc sacramenti definitionem, utrunq; respondeti potest, tam quòd non sit gratia alligata sacramentis, quàm quòd illis sacramentaliter sit alligata: perinde atq; pars alligatur suo toto, ad cuius complemẽtum necessariò requiritur. Hoc sensu, qui sine fide communicat, quoniam de inuisibili gratia non participat, uisibilem quidem illius formam exteriorem sacramenti partẽ accipit, totum uerò sacramentum non accipit. Quod uerò alteram sacramenti definitionẽ attinet, qua uerbum elemento coniunctum sacramentum efficere dicitur, sacramentum accipiũt non modò, qui gratiæ illius fide fiunt participes, sed & qui sine fide accipientes externum tantum signum sumunt. Sic quidem aliquo modo, sacramentali uidelicet, coniuncta est gratia signis sacramentalibus: interea tamen sic illis alligata non est, ut particeps illius fiat, qui sacramentum accipit absque fide. Exẽplo esto Simon magus, qui cum baptizaretur à Philippo, sacramentum quidem inuisibilis gratiæ, regenerationis & ablutionis, & iustificationis accipiebat, ipsius uerò gratiæ prorsus manebat exors. Neq; enim erat illi pars aut sors aliqua in regno Dei. Nam cor illius non erat rectum coram Deo. Actor. 8. Quanquam quid opus est exemplo Scripturę, in re omnium manifestissima, cuius innumera exempla quotidie passim occurrũt?

DE

DE INTEGRITATE SACRAMENTORVM.

De baptismo contra Donatistas, lib. 3. cap. 4.

DIsputat alicubi Augustinus de integritate sacramentorũ, non referre quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacramentum, eo quòd fieri possit, ut homo integrum habeat sacramentum, & peruersam fidem: sicut fieri potest, ut integra uerba symboli teneat, & tamen non rectè credat. Hæc sententia uera est secundum definitionẽ sacramenti, qua definitur coniunctione uerbi & elementi. Secundum hanc integritas sacramenti uerbo & elemento constat: nec refert ad hoc, ut integrum accipiamus sacramentum, quid credamus. Verùm aliud est, si quæstio sit de communicatione gratiæ Dei: & aliud, si de integritate sacramẽti disputemus. id quod & ipse Augustinus non dissimulat, cum eodem loco dicit: Interest quidem plurimum ad salutis uiam (quid credat uidelicet, qui sacramentum accipit) sed ad sacramenti quæstionem nihil interest.

Quòd si ad integritatem sacramentorum non solùm uerbum & elementum, sed & inuisibilem gratiam pertinere senserimus, ut integrum sacramentum uerbo, signo & signato constet, quemadmodum suprà articulo quarto meminimus, non recipiemus dictã iam Augustini sententiã. Sic enim qui uel non credit, uel malè credit, uerba quidem & signa sacramentorũ accipere potest: integra uerò sacramenta non potest, quandoquidem potissimam illorum partem non capit, quæ non nisi fide ac sincero corde accipitur. Quemadmodum nec rectè dicetur integrum tenere symbolum, qui illius tantum uerba, & non etiam rem ipsam tenet. Integritas quippe symboli Christiani non uerbis tantum, sed & fide constat.

Sacramẽta frequenter accipi nõ integra, sed dimidiata.

1 Quomodocunq; autem de integritate sacramentorum disputemus, siue dixerimus ad illam pertinere gratiam, siue negauerimus, id nobis omnino constare debet, & fieri posse & fieri frequenter, ut sacramenta accipiantur non integra, sed dimidiata. Non est sacramentum res simplex, sed composita: idq; ex partibus non eiusdem, sed diuersæ naturæ, quæ non sic sunt alligatæ inuicem, ut nequeat altera accipi sine altera. In papatu plebs communicans non accipit integrum sacramentum. negatur enim illi uerbum institutionis Dominicæ, cuius accessione ex elemento fit sacramentum. Nam hoc sibi ipsis solis uindicant sacrifices, & sic musitant data opera ut populus nihil de illo intelligat, imò ne audiat quidem. At ut Augustinus alicubi dicit, magnæ dementiæ est cõmunicare in sacramento, & non communicare in uerbo. Potius enim est uerbum quàm elementum: nec potest esse integra sacramenti communicatio, ubi in signo tantum, & non etiam in uerbo communicatur. 2. Adhuc in eo quoque non est integra communicatio sacramenti in papatu, quòd dimidium sacramenti, calix uidelicet Dominici sanguinis communicanti fidelium populo negatur: quod & ipsum grande est sacrilegium, sicuti suo loco uidebimus. 3. Tertiò, si placet gratiam numerare inter partes sacramenti: sic quoq; nõ accipiunt sacramentum, qui sine fide accipientes gratiæ Dei manent exortes. Quid igitur? Vtile quidem est sacramentis suam seruare ac uindicare integritatem: uerùm quorsum illa conducet, si non simul communicationis integritatem custodiuerimus? Quantumuis in se sint integra sacramenta, nobis non sunt integra, nisi de omnibus illorum partibus uera ac sincera fide participauerimus.

DE BAPTISMO.

Dispositio.

HACTENVS de sacramentis in genere diximus. Ampla est & multæ considerationis materia: uerùm ut contineamus nos uelut intra septa, nec modulum nostrum transiliamus, ea tantum annotabimus, quæ pijs hominibus aliquo possint esse usu. Nunc progrediendum est ad specialem tractationem utriusq; sacramenti: primùm baptismi, deinde cœnæ Dominicæ. Constituemus autem non ita numerosam materiæ huius dispositionem, sed hac quadripartita contenti erimus, qua primùm quid sit baptismus, deinde quæ sit illius institutio, tertiò quomodo ritè dispensetur, & quartò quis sit uerus illius usus, declaremus.

I. QVID SIT BAPTISMVS.

Vox, Baptismus.

BAptismus Græca uox, Latinis sonat intinctionem & immersionem. Quoniam uerò non de quauis tinctione, sed de tali agitur, in qua aliud foris uideatur, & aliud intelligendum proponatur: necesse est, ut & talem baptismi huius definitionem statuamus, quæ nõ quid foris agatur in elemento, sed id exprimat, quod per uisibilem elementi formã intellectui proponitur. Suprà diximus, sacramentum esse uisibilem inuisibilis gratiæ formam. Et baptismus sacramentũ est. Est igitur baptismus uisibilis gratiæ forma. Hæc definitio generalis est. Quærenda est ergo talis, quæ gratiam illam inuisibilem specificando exprimat, cuius sacramentum in uisibili proponitur elemento. Verùm hic alius aliud adfert.

Sacramentum pœnitentiæ.

1 Principiò ſunt, qui baptiſmum definiant eſſe ſacramentum uel ſignum pœnitentiæ. Et definitionis huius rationem ſumunt ex Marco capite 1. ubi ſic legitur: Fuit in deſerto Ioannes baptizans & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum. Deinde ex Actis Apoſtolorum capite ſecundo, ubi Petrus dixit: Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſq; ueſtrûm in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionẽ peccatorum ueſtrorum. Et Act. 19. Baptizauit Ioannes baptiſmo pœnitentiæ populum. Poteſt quidem baptiſmus uocari ac definiri ſacramentum pœnitentiæ, uerùm non ita, ut hæc ſit plena illius definitio, quaſi nihil ſit aliud in baptiſmo conſiderandum, quàm pœnitentia eius qui baptizatur. Secundũ hanc enim definitionem non eſſet Baptiſmus ſymbolum gratiæ Chriſti, ſed tantũ pœnitentiæ cordis humani. Deinde ſi nihil aliud eſſet in baptiſmo quàm pœnitentia, & baptiſmus nihil eſſet aliud, quàm pœnitentiæ ſacramentũ, uideretur toties poſſe iterari, quoties pœnitentia iteratur, eſſetq; hoc pacto nec modus nec finis baptizandi, neq; diſcriminis aliquid haberetur inter Chriſtianum baptiſmum & legales Iudæorum purificationes. Cum autem fateantur omnes non eſſe baptiſmũ iterabile ſacramentum, neceſſe eſt, ut præterquam quod aliqua ex parte ſacramentum eſt pœnitentiæ, ſit etiam aliud quiddam, cuius gratia iterari non debeat.

Quomodo baptiſmus ſacramentum pœnitentiæ uocari poſſit.

Sacr. fidei.

2 Deinde definitur à nonnullis baptiſmus, quòd ſit ſacramentum fidei. id quod Auguſtinus epiſtola 23. ad Bonifacium de baptiſmo paruulorum ſcribens facit, cum dicit: Sicut ergo ſecundum quendam modum ſacramentũ corporis Chriſti corpus Chriſti, & ſacramentum ſanguinis Chriſti ſanguis Chriſti eſt: ita & ſacramentum fidei fides eſt. Loquitur aũt de baptiſmo quem ſacramentum fidei uocat. Et qui hunc ſequuntur, moueri uidentur uerbis Chriſti, quibus dixit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: ubi baptiſmus fidei cõiungitur. Tale eſt quod Chryſoſtomus expoſitione ſecunda ſuper Matthæum homilia quinta, Baptiſmũ definit eſſe ſignaculum fidei. Et Tertullianus libro de Pœnitentia: Lauacrum illud obſignatio eſt fidei, inquit. Moti ſunt hi duo uerbis Apoſtoli, quibus Romanorum quarto, circumciſionem, cui baptiſmus ſucceſsit, ſignaculum iuſticię fidei uocat. Non eſt ſufficiens etiam iſta definitio. Licet enim ſit baptiſmus ſacramentum & ſignaculum fidei, & rectè dicat Baſilius, Διὰ γὰρ τῆς βαπτίσεως μὴν ὑπ' παραλάβωμεν, πίστιν ἢ ὑπ' βαπτίσματος: haud tamen iſta definitione inuiſibilis illa gratia exprimitur, cuius uiſibilis forma in externo ſigno proponitur, quam credens ac reſipiſces, ſicut in loco de Fide oſtendimus, apprehendit. Sunt quidem & reſipiſcentia & fides ex gratia Dei: uerùm non ſunt illius gratiæ plenitudo, quæ per Chriſtum electis adfertur, cuius ſymbolum, ſacramentum & obſignatio eſt in baptiſmo.

Chryſoſtomus.

Tertullianus.

Sacr. nouæ uitæ.

3 Tertiò: Alicubi definit Auguſtinus baptiſmum, ſacramentũ nouæ uitæ. Reſpexit ad illud quod Rom. 6. Apoſtolus ad hunc modum ſcribit: Cõſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortẽ: ut quemadmodũ Chriſtus ſurrexit à mortuis per gratiam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Sanè ſic habet conditio baptiſmati annexa, ut qui baptizatur, nouam uitam abiecta ueteri amplectatur, quo myſterio Dominicæ mortis ac reſurrectionis reſpondeat. Verùm ne ſic quidem plenam adhuc habemus baptiſmi definitionem.

Signum Chriſtianæ profeſſionis.

Cuſanus.

4 Quartò: Sunt nonnulli qui baptiſmum nihil aliud eſſe uolunt, quàm ſignum Chriſtianæ profeſsionis, quo ab incredulis & alienis à Chriſto diſcernamur. Neque hoc à baptiſmo abludit, quo tanquam publica Chriſtianæ fidei confeſsione, qua religione ſimus profitemur, & ab infidelibus non corde tantum, ſed externo fidei ſignaculo & ſacramento ſeparamur. Sic Cuſanus baptiſmum nihil dicit eſſe aliud, quàm fidei illius confeſsionem. At interim nondum hac definitione ſatisfit inuiſibili illi gratiæ, cuius ſacramentum eſt baptiſmus. Deinde etiam iterando renouari poſſet, ſi nihil aliud deſideraretur, ſicuti monachorum cuculli renouantur, quos tanquam profeſsionis ſuæ ſymbola geſtant.

Sacr. Chriſtianæ ſocietatis.

Auguſtinus.

5 Quintò: Conſimilis eſt baptiſmi definitio, qua Chriſtianæ ſocietatis ſacramentum eſſe definiunt. Sic Auguſtinus epiſtola uigeſimaoctaua, ad Hieronymum, Baptiſmum Chriſtianæ ſocietatis ſacramẽtum appellat. Idem & Apoſtolus baptiſmati tribuit, cum primæ Corinthiorũ duodecimo, nos omnes per ſpiritum in unum corpus baptizatos eſſe dicit. Eſt quidem & hic uſus baptiſmi, quod per illum incorporamur in ſocietatem & communionem corporis eccleſiaſtici: uerùm non eſt talis, qui ſatisfaciat generali ſacramentorum definitioni, qua inuiſibilis gratiæ uiſibiles definiuntur eſſe formæ.

Symbolum afflictionum.

6 Sextò, nec eorum ſufficiens definitio eſt, qui baptiſmum definiunt eſſe ſymbolũ afflictionum ac tribulationum quas ferre debent, qui Chriſtum amplectuntur. Sic Chriſtus ipſe crucem ac mortem ſuam Marci decimo, baptiſmum uocauit. Poteſtis, inquit, bibere calicem quem ego bibiturus ſum, & baptiſmate baptizari, quo ego baptizor? Atqui hæc ſors eſt eorum qui Chriſtum ſequuntur, ut cruci exponantur. At interim aliud eſt, quid nos feramus, aut faciamus pro Chriſto: & aliud, in quam gratiam in illum credentes obſignemur, cuius ſymbolum eſt in baptiſmate.

Ablutio peccatorum.

7 Septimò, definitur etiam & uocatur baptiſmus ablutio peccatorum. Hæc definitio propè ad ſcopum collimat. Et conuenit cum eo quod Actorum ſecundo dicebat Petrus: Baptizetur unuſquiſq; ueſtrûm in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionem peccatorum ueſtrorum & cum eo quod

quod capite uigesimosecundo dicebat Ananias ad Paulum: Surge & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato ipsius nomine. Neq; sic tamen sufficiens est baptismi definitio. Etenim si nihil aliud esset baptismus, quàm ablutio peccatorum, nihil impediret quo minus quotidie iteraretur: quandoquidem quotidie peccamus, & remissionem peccatorum quærimus. Oportet ergo post tot definitiones, desiderari adhuc aliquid ad sufficientem definitionem necessarium, propter quod iterari non debeat. Agnoscimus quidem, esse baptismum sacramentum pœnitentiæ, fidei, nouæ uitæ, Christianæ professionis ac societatis, crucis, & ablutionis peccatorum: at præter ista adhuc principaliora quædam desideramus.

8 Octauò: Videamus igitur, quænâm sint illa. Si consuluerimus Apostolum, uocat ille baptismum lauacrum regenerationis, Tit. 3. Et Gal. 3. dicit: Quicunq; baptizati estis, Christũ induistis. Christũ aũt induere est, nõ modò uitã illius uiuere, sed cum primis in illũ initiari, obsignari, sanctificari, & incorporari. Hæc sunt principalia in sacramento baptismi, & in ipsis consistit gratia illa inuisibilis, cuius uisibilis forma in externo nobis signo ꝓponitur. Quare rectè definiemus, baptismum esse sacramentum regenerationis, purgationis, initiationis, sanctificationis, obsignationis & incorporationis in Christum seruatorem. Hæc enim omnia per spiritum Christi fiunt in electis & fidelibus, quorum sacramentũ est baptismus: ut rectè in illo sacramentaliter perfici dicatur, quod per spiritum Christi reipsa & spiritualiter perficitur. Perficiuntur aũt ista pro uoluntate spiritus Christi, aut ante aut post paptismum, uel in ipso baptizandi actu: ne quis spiritum externo sic putet alligatum esse sacramento, ut hanc inuisibilem regenerationis, ablutionis, initiationis, sanctificationis & obsignationis gratiam uel in quorumuis baptizatorũ cordibus, uel semper in ipso actu baptismi spiritualiter & efficaciter operetur. 1. Nemo, opinor, ita insanit, ut etiã in reprobis dum baptizantur, Spiritũ sanctum opus gratiæ suæ, electis ac credentibus destinatũ, operari dicat. Occurrit enim exemplũ Simonis Magi, cuius suprà mentionẽ fecimus. Sic Aug. contra Donatistas lib. 5. cap. 24. Si aũt non habent auari spiritũ Dei, inquit, & tamen habent baptisma, potest esse sine spiritu baptisma.

Lauacrum regenerationis.

Difinitio Baptismi.

Augustinus.

Baptismus potest esse sine spiritu.

2 Deinde uehementer absurdum fuerit, si operationem spiritus omnium liberrimam, externo baptizandi actui alligauerimus. Notum est exemplum eorum, qui in domo Cornelij spiritum acceperunt, priusquam essent baptizati.

3 Præterea ipsa docet experientia, multos diu post acceptum baptismũ, maximã baptizatorum partẽ nunquã ad ueræ pietatis studium per gratiã & operationẽ Spiritus sancti cõuerti.

Vnde est illud Augustini contra Donatistas libro quarto, capite uigesimoquarto: Sicut ergo in Abraham, inquit, præcessit fidei iusticia, & accessit circumcisio signaculũ iusticiæ fidei: ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritualualis in dono Spiritus sancti, & accessit sacramẽtum regenerationis in lauacro baptismi. Et sicut in Isaac, qui octauo natiuitatis suæ die circuncisus est, præcessit signaculum iusticiæ fidei: & quoniam patris sui fidem imitatus est, sequuta est in crescente ipsa iusticia, cuius signaculum in infante præcesserat: ita & in baptizatis infantibus præcedit regenerationis sacramentum. & si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conuersio, cuius mysterium præcessit in corpore. Hæc ille. In eo quod conditionaliter dicit, Et si Christianam tenuerint pietatem, excludit multitudinẽ reproborum, qui licet baptizentur in infantia, ad Christianam tamen pietatem non perueniunt: ideoq; statuere non possumus, quòd mox conuersio sequatur in ipsorum corde, cuius sacramentum præcessit in corpore, nedum quòd operatio spiritus ipsum in illis baptizandi actum concomitetur. Interea cum nemine de eo contenderim, an qui sic baptizantur, ut uel demùm post baptismum uel nunquam conuertantur, integrum accipiant uel dimidiatum sacramentum, cum utrunq; suo possit sensu ac certo respectu dici, quemadmodum suprà de sacramentis in genere articulo nono admonuimus.

Augustinus.

NB

NB.

Sit ergo hæc plena baptismi definitio: Baptismus sacramentum est regenerationis, purgationis: uel, si mauis, ablutionis, initiationis, sanctificationis & incorporationis: quo resipiscentes, fidemq; ac religionem Christi ꝓfitentes, ut à peccatis abluti in nouitate uitæ ambulemus, Christo & ecclesiæ eius incorporamur & obsignamur. Hac definitione mysteriũ illud baptismi exprimitur, propter quod iterari non potest, dum regenerationis, initiationis, & incorporationis sacramentũ esse difinitur. Iterationis enim, regeneratio, initiatio & incorporatio, capaces esse non possunt. Qui semel regeneratus est è supernis, ac sacramento regenerationis in gratiam Christi initiatus, & ecclesiæ incorporatus, si ab hac gratia prorsus exciderit, fieri non potest ut denuò regeneretur, initietur & incorporetur. Et huc facit locus epistolæ ad Ebræos capite sexto, ubi possibile esse negatur, ut qui semel sunt illuminati, gustauerintq; donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, &c. si prolabantur, hoc est prorsus excidant ac resiliant, ad pœnitentiam renouentur. Quare cum ipsum sacramenti mysteriũ iterari nequeat, rectè sentiunt, qui sacramentum illius iterari posse negant.

Definitio baptismi plena et perfecta.

Quare baptismus iterari nõ debeat.

Hæc de definitione baptismatis, quod primum est & initiale sacramentum ecclesiæ, quale in ueteri Testamento fuit circumcisio, qua in fœdus Dei intiabantur qui circumcidebantur. Præter hoc baptisma, numerãtur & alia duo: Baptisma uidelicet flaminis, & baptisma sanguinis. De

Baptis. flaminis & sanguinis.

nis. De baptismo flaminis, id est Spiritus sancti, loquitur Christus Actorum primo, dicēs: Vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies. Et hoc genus baptismi non est intelligendum de opere Spiritus sancti, quo gratia inuisibilis, cuius sacramētum est externus baptismus, in electis & fidelibus perficitur: sed de miraculosa illa uirtute spiritus, qua imbuebantur Apostoli in die Pentecostes, & ad futurum Apostolatum in toto orbe obeundum dono linguarum instructi reddebantur. quò pertinet & illud, quòd Spiritus sanctus, id est, idem donum Spiritus sancti, per impositionem manuum Apostolicarum in credentes effundebatur. cuius mentio fit in Actis cap. 8. Aliàs erant Apostoli inuisibilem illā spiritus gratiam, cuius sacramentum est baptismus, iam antea consequuti. Id quod propterea annoto, ne in sacramento baptismi duos baptismos constituamus: & repugnemus Apostolo, qui ad Ephesios 4. unū dicit esse baptisma.

Baptismus sanguinis.

Baptismus sanguinis, est martyrium, quo fideles sanguine suo tinguntur, & in cœlestem uitam ex hoc mundo generantur. Hoc sensu dixit Christus: Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur? Luc. 12. &, Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, & baptismate baptizari quo ego baptizor? Marci 10. Verùm hoc genus baptismatis non est Ecclesiæ sacramenti loco datum, nec commune est fidelium omnium, quasi sine illo nemo possit esse Christianus. Singulare est & paucorum, quibus Dominus hoc largitur, ut non ore tantū, quod est fidelium omnium, confiteantur: sed & sanguine suo de fide sua ac ueritate Dei testentur: unde & martyres, id est testes, singulari quodam priuilegio uocantur.

De baptismo Ioannis, & baptismate Apostolorum, quomodo non differant.

Disputant nonnulli de baptismo Ioannis, & inter hunc & eum quo baptizarunt Apostoli, ac nos etiamnum baptizamus, sic discriminant, ut Ioannem dicant sola corpora abluisse, à peccatis uerò non mundasse: inq; pœnitentiam, non in remissionem baptizasse: Apostolos uerò mundasse à peccatis, baptizando in remissionem peccatorum. atq; ita duos statuunt noui Testamenti baptismos: unum, quo baptizati sunt Christus & Apostoli, dimidiatum tantū & insufficientem: alterum, quo iussu Christi baptizarunt Apostoli, plenum ac sufficientem. Quòd autem Ioannes baptizarit non in legem, sed in noui Testamenti gratiam, cuius erat præcursor, haud opus est ut probetur. Siquidem baptizando direxit omnes ad Christum, ut in hunc crederent, ut uidere est Act. 19. Deinde prædicauit regnum cœlorum. nam Matth. 3. sic legimus: In diebus autem illis uenit Ioannes Baptista, prædicans in deserto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum. Si prædicatio illius erat prædicatio regni cœlorum, erat utiq; non ueteris, sed noui Testamenti: requirebatq; eandem in Christum fidē, quam requirit Euangelium ab ipsis Apostolis prædicatum. Cum ergo sit baptismus Ioannis non ueteris, sed noui Testamenti: quid aliud faciunt qui aliū eum esse uolunt à baptismo Christi, quàm quòd duos constituunt noui Testamenti baptismos? ac secernunt à nobis in baptismate Christum Dominum & Apostolos, qui utiq; à Ioanne sunt baptizati, quasi alio sint baptismo quàm nos baptizati? Cum sit non nisi unum noui Testamēti baptisma, ad Ephesios 4. nec alio Christus & Apostoli quàm nos sint baptizati. Quod autē magister Sententiarū Ioannem in solam pœnitentiam, non etiam in remissionem peccatorum baptizasse dicit, manifestæ ueritati repugnat. Nam Marci 1. & Lucæ 3. legimus, quòd prædicauerit baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

Collatio baptismi Ioannis & Apostolorum.

Horum consideratione non possum discernere baptismū Ioannis à baptismo Christi, quatenus & ipsum per ministros Christi in aqua corporaliter dispensatur. Baptizamus aqua, sic baptizauit & ille. Baptizamus in Christum, & initiamus in regnum cœlorum, incorporamusq; in Ecclesiam Dei: idem fecit & ille. Baptismus noster postulat professionem resipiscentiæ & fidei in Christum. Eandem postulabat & baptismus Ioannis. Promittit noster resipiscentibus & credentibus remissionem peccatorum: eandem promisit & Ioannes. Noster externum habet inuisibilis gratiæ signum, quem spiritus Christi operatur in cordibus electorum & credentium. Idem habebat & ille. Ioannes non baptizabat Spiritu sancto & igne, sed id uni Christo tribuebat. Nec qui hodie baptizant, sibi hoc adscribere possunt, nisi in Christum uelint esse iniurij, & fallere populum Dei. Quid opus multis? Quemadmodum noster Baptismus idem in sacramento, quod prædicatio Euangelij in uerbo credentibus offert: ita & baptismus Ioannis non aliud uerbo, & aliud sacramento Israeli obtulit. Quare cum nihil sit discriminis interutrunq;, nisi quòd ille prior, & Israeli tantum: hic posterior, & gentibus quoq; communicatus est: non puto consentiendum esse illis, qui diuersos duos baptismos statuunt. Nec Apostoli initiò alios baptizarunt quàm Israelitas, priusquam emitterentur in orbem. Et tamen nemo sic desipit, ut duos illis tribuat baptismos, unum Israelis, alterum gentium: quemadmodum nec duo sunt ponenda Euangelia, propterea quòd Christus & Apostoli Israeli primùm, deinde & gentibus euangelizarunt.

Actor. 19. De facto Pauli, quo 12. discipulos retinxit.

Sed obiecerit quispiam: Si idem est Ioannis baptismus cum baptismo Christi, ergo præter rationē Apostolus duodecim illos discipulos, qui Ioannis erant baptismate tincti, in nomen Domini Iesu baptizauit. Quorsum enim attinebat bis eodem baptismate tingi? An non hinc nōnulli ex Patribus, & post illos nostrorum temporum Anabaptistæ, retinctionis suæ stabilimentum

mentum ſumpſere? Quare, ut factum Apoſtoli defendatur, & error Anabaptiſtarũ tam ueterũ quàm nouorum reprobetur, conſultius eſt, ut baptiſma Ioannis à baptiſmate Chriſti ſeparemus, quàm ut utrunq; idem faciamus. Non eſt enim culpabilis anabaptiſmus, quo nõ eodem, ſed diuerſo baptiſmate tincti retinguntur. Sic inquam obijci nobis poterit.

Occaſione præſentis materiæ operæprecium fuerit, factum hoc Pauli inſpicere paulò diligentius. Veteres, & nonnulli ex recentioribus ſentiunt, duodecim hoſce diſcipulos bis eſſe tinctos: ſemel Ioannis, deinde rurſus Chriſti baptiſmate. Alij recentiores negant bis eſſe tinctos, aſſerentes conſtanter, baptizatos eſſe ſemel tantùm. Et hi inter ſe ſic uariant, ut alij negẽt eos fuiſſe baptizatos priuſquam uenijſſent ad Paulum, ideoq; ſemel tantum eſſe ab illo ac ritè baptizatos: alij aſſerant baptizatos fuiſſe Ioannis baptiſmate, antequam ad Pauli cognitionẽ uenijſſent, ideoq; non eſſe denuò ab illo baptizatos. Illi baptiſmum Ioannis non pro ſacramento, ſed pro doctrina & inſtitutione ſine ſacramento: Chriſti uerò baptiſmum à Paulo datum, non pro doctrina & efficacia ſpiritus tantum, ſed & pro ſacramento: iſti autẽ baptiſma Chriſti pro doctrina & efficacia ſpiritus, ſine externo ſacramento: Ioannis uerò non pro doctrina tantum, ſed & pro externo baptiſmi ſigno accipiunt.

Varie ſententiæ de hoc facto Pauli.

Mea ſententia eſt, eſſe diſcipulos hoſce bis tinctos. Et ut ſic ſentiam, mouet me perſpicuitas uerborum. In omni cauſa dijudicanda cum primis animaduertendum eſt πρώτιμον, hoc eſt quid in quæſtionem ueniat. In præſenti quęritur, ſint´ne duodecim illi diſcipuli bis uel ſemel tantùm baptizati. Quare in uerbis Pauli conſiderandum eſt, quidnam ab illis quæſierit, quid non. Quoniam uidebat eos accenſeri diſcipulis, præſumebat eos eſſe non modò credentes ſed & baptizatos: ideoque non rogabat, num eſſent credentes: ſed, num Spiritum ſanctum accepiſſent credentes. Et quum reſpondiſſent: Imò neque ſit´ne Spiritus ſanctus audiuimus, rurſus non rogat, baptizati´ne eſſent: ſed ueluti baptizatos eſſe præſumens, nimirum diſcipulos, in quid baptizati eſſent rogat. quaſi diceret, Cùm ſitis diſcipuli, eſtis dubio procul baptizati. Dicite igitur, ſi de Spiritu ſancto ne audiſtis quidem, in quid ſitis baptizati, quali nam ſitis baptiſmate, & in quem initiati. Ad hæc iſti non reſpondent, baptizati etiam nos ſumus. nam de eo non rogabantur, num eſſent baptizati, uel ſecus: ſed, Ioannis, inquiunt, baptiſmate baptizati ſumus. Ex hiſce uerbis ſatis innuitur fuiſſe illos baptizatos Ioannis baptiſmate. Qui de me rogat, qualiſnam homo ſim, ſatis ſignificat ſe quòd homo ſim credere. Nam ordine prius eſt, an homo ſim, quàm qualis homo ſim. Sic ordine prius erat rogare, baptizatine eſſent, ſi de illo dubitaſſet, quàm in quid eſſent baptizati.

Duodecim illos diſcipulos eſſe bis tinctos.

Conſimiliter de ſecundo baptiſmate, quod Chriſti eſt, ex interrogatione & reſponſione Apoſtoli: item ex baptiſmatis Ioannis declaratione defectum in eo fuiſſe colligo, quòd non eſſent baptizati in Chriſtum. Quòd enim dicit: Ioannes quidem baptizauit baptiſmo pœnitentiæ, populo loquens de eo qui uenturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt de Chriſto Ieſu, & quod ſubditur: His auditis baptizati ſunt in nomen Domini Ieſu, quid aliud innuit, q̃ fuiſſe eos expertes baptiſmatis Chriſti: adeoque & ignaros Spiritus ſancti, & ob hanc cauſam baptizatos demùm eſſe baptiſmate Chriſti. Sic itaq; manifeſtum eſſe iudico, eſſe illos non ſemel tantùm, ſed ſecundò baptizatos.

Et tamen hac mea ſententia nulla aperitur feneſtra anabaptiſmo. Neq; enim talis eſt cauſa Anabaptiſtarum, qualis erat Apoſtolo cum duodecim iſtis diſcipulis, qui bis quidem tincti ſunt: uerùm non eodem baptiſmate, ſed alio atq; alio. Anabaptiſmus ille demùm reijcitur, qui eſt unius & eiuſdem ſacramenti. Nam ſcriptum eſt, unum eſſe baptiſma, quemadmodum & unus eſt Dominus, & una fides. Quid uetat Iudæum toties in lege tinctũ, denuò tingi, ſi Chriſto acceſſerit? At Donatiſtæ & noſtri Anabaptiſtę retingunt eodem iam antea ſacramento ablutos. Quòd autem duodecim iſti priuſquam ad Paulum uenijſſent, non Chriſti fuerint, ſed Ioannis baptiſmate ſic tincti, ut neque in Chriſtũ baptizari ſe, neq; de ulla Spiritus ſancti efficacia audierint, ſatis patet ex ipſo textu. Si non in nomen Ieſu, in quod ergo niſi in nomen Ioannis baptizati erant? Sit in quodcunq;, certè non in nomen Ieſu Chriſti. Alioqui admodum ineptè diceret Lucas: His auditis, baptizati ſunt in nomen Ieſu. Si itaq; nec in nomen Ieſu baptizati fuerant, nec de Spiritu ſancto quicquam acceperant, quid aliud relinquitur, quàm uel à pſeudoapoſtolis, uel præpoſteris Ioannis diſcipulis in nomen Ioannis fuiſſe baptizatos? In hac itaque cauſa quid erat Apoſtolo faciendũ aliud, quàm ut eos expreſſa obſignatione Chriſto Domino baptizando initiaret? Quòd ſi Corinthij, de quibus legimus 1. Corin. 1. in nomen Pauli baptizati fuiſſent: planè oportuiſſet eos retingi non eodem, ſed diuerſo, Chriſti uidelicet, baptiſmate. Quia uerò baptizati erant in nomen Domini Ieſu, licet alijs magiſtris præpoſtero zelo adhærentes, unitatem corporis Chriſti diuiderent: haud tamẽ denuò erant eodem baptiſmate retingendi, ſed baptiſmatis Chriſti admonendi, & ad unitatem eccleſiæ retinendam inducendi. Et hac ratione improbamus ueteres, quòd Chriſti baptiſmate initiatos, eodẽ ſacramento retingebant: & poſt illos noſtrorum quoque temporum Anabaptiſtas, qui errore fanatico anabaptizant eos qui in nullum aliud nomen, quàm patris, filij & Spiritus ſancti, nec ullo alio ſigno, quàm ab ipſo Chriſto inſtituto ſunt baptizati: ideoque præter rationem hoc

Apostoli exemplo ad erroris sui patrocinium abutuntur. Sic itaq; non potest ex hoc Apostoli facto conuinci, alium fuisse baptismum Ioannis, & alium Christi, licet Augustinus in hac fuerit opinione: à qua tamẽ dissidet Ambrosius, qui super epistolam ad Galatas, cap. 3. sic scribit: Ad rudimenta fidei commendanda donũ Dei hoc manifestabatur hominibus, sicut inter ipsa initia factum est in Apostolis & cæteris discipulis, nec non & in illis duodecim: quos quia in adultero baptismate sub nomine baptismi Ioannis fuerant non tincti, sed sordidati, Paulus apostolus in Trinitatis nomine baptizari præcepit, quibus impositis manibus decidit in eos Spiritus sanctus, & diuersarum linguarũ ministrabat eloquia, cum interpretatione earũ, ut nullus auderet negare, Spiritum sanctum inesse eis. Hæc ille. Prudentius duodecim istorum uirorum baptismum adulterinum uocauit, qui magis sordidaret quàm mundaret, quàm quòd Augustinus eos à Ioanne baptizatos fuisse dicit, contra literas Petiliani, lib. 2. cap. 32. Ioannis baptisma adulterinum non fuit, sed de cœlo: nec sordidauit, sed in remissionem peccatorum credentes abluit. Magna planè incogitantia est, quòd qui diuersum sentiunt, nõ expendunt quid sit, quòd Christus ipse & Apostoli à Ioanne sunt baptizati: de quibus tamen non legitur, quòd sint denuò, aut diuerso ab eo, quo nos baptizamur, baptismate baptizati.

Ambrosius.

II. DE INSTITVTIONE BAPTISMI.

Ioãnes primus baptizauit. Institutio baptismi.

QVòd Ioannes primus sacramentum baptismatis ad noui Testamenti exortum administrarit, Matthæi 3. Marci 1. & Lucæ 3. & quòd consilium Dei à Christo uocatus sit illius baptismus, Lucæ 7. ac de cœlo fuerit, Matthęi uigesimoprimo: quodq; discipuli Christi ante passionem illius baptizarint, Ioannis 5. uidere est. quod non debemus absque Christi esse iussu factum putare. De expresso autem baptizandi mandato discipulis post resurrectionem dato, quemadmodum & de expressa prædicandi Euangelij institutione, quamuis & antea prædicarint Apostoli, ut est Matthæi 10. uidere licet Matthæi ultimo, & Marci ultimo. Licet non sit ibi prima baptismi facta institutio simpliciter, hactenus tamen institutus tum est, quatenus illo non ex Iudæis tantum credentes sicut antea, sed & qui ex gentibus credunt, in regnum Dei obsignantur: quemadmodum & prædicatio regni Dei talis tum demùm instituta est ac demandata, quæ non ad Iudæos tantum, ut antea, sed ad Gentes quoque fieret, quod antea non licuerat.

Magister Sententiarum.

Magister Sententiarum commodius dici putat, factá esse institutionem bapismi, cum Christus à Ioanne baptizaretur in Iordane. Hoc quomodo conueniat opinioni quam sequitur, qui baptismum Ioannis alium à baptismate Christi fuisse statuunt, uiderit ipse. Nos eam institutionem baptismi consideremus, quæ non Iudæos tantum, sed & nos concernit, qui ex Gentibus in Christum credimus. Ea Matthæi ult. sic legitur, Et accedens Iesus locutus est eis, dicés: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris, & filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui uobis. Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Hæc ibi. in quibus tria hæc satis dilucidè sunt expressa. Primùm, quis baptismum quo abluimur, deinde quibus, tertiò quomodo administrandum instituerit.

Expositio.

Quis baptismũ instituerit.

Principiò plurimum refert à quo symbola gratiæ instituantur, & quem habeant authorẽ, ne inania sint, sed rata & firma. Necesse est ut idem sit author sacramenti, signi ac symboli, qui est gratiæ, cuius uisibilis forma est in sacramento. Nemini tribuenda est authoritas condendi sacramenta, cui authoritas inuisibilis gratiæ tribui non potest. Nequit autem ea ulli tribui mortalium, nisi illi qui eam à Deo patre accepit. Is nemo est Apostolorum, nedum eorũ qui se gloriantur esse Apostolorũ successores, sed solus Christus unigenitus Dei, qui unus omnẽ à Deo patre potestatẽ in cœlo & in terra accepit. De hac aũt potestate Christi, quàm sit illa plena, iusta, & non terrena modò, sed & cœlestis, in Commentarijs nostris super Matthæum cap. ult. annotauimus. Videmus igitur in hac baptismi institutione non solùm haud esse illum inuentũ Apostolorum, sed mandatum Domini: sed & qua sit ab illo authoritate institutum, ne dubitemus eundem in illo esse sacramenti, qui est gratiæ author em, essęq; illum non de terra, sed de cœlo: consilium non hominis, sed Dei. Hæc consideratio ad hoc conscientijs nostris seruit, ut sciamus nos non humana aliqua, sed diuina authoritate, & baptizare & baptizari.

Quibus sit baptismus destinatus.

Secundo loco exprimitur, qubúsnam sit baptismus una cum Euangelij prædicatione diuino consilio & Dominico mandato destinatus. Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Ergo non Israelitæ tantum, sed & nos qui ex Gentibus sumus, sic ad regnum Christi pertinemus, ut nõ minus quàm illi, omnis illius simus gratiæ participes. Per hoc enim quòd doctrinam & baptismum omnibus totius orbis gentibus communicari uoluit, satis ostendit, uelle se omnem quoq; gratiam illam, cuius uisibilem formam habet baptismus, omnibus communicari gentibus, ut & illę sint ablutionis peccatorum, regenerationis, sanctificationis, iustificationis, obsignationis & incorporationis participes. Et hoc est quod Apostolus Ephes. 3. mysterium uocat à seculo absconditum, reuelatum uerò Apostolis. Quare autem mysterium

Ephes. 3.

ſterium hoc, etiam poſt acceptum à Chriſto generale mandatum, ægrè fuerit à primis ex Iſrae le Chriſtianis agnitum, Acta Apoſtolorum teſtantur, cap. 10. & 11.

Tertiò, adijcitur & modus adminiſtrandi baptiſmi, quem Scholaſtici formam uocãt. Non ſimpliciter dicit, Baptizantes eos: ſed addit, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, &c. id quod bifariam legitur. Alij legunt, In nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti: alij, In nomen patris, & filij, & Spiritus ſancti. Et ambæ loquutiones in Scripturis habentur. Nam Act. 2. ſic legitur, βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ χριστοῦ. & hic, ſicut iam memini. Vtrouis modo legamus, eodem eſt utrunque ſenſu accipiendum. Cùm dicit, Baptizantes eos in nomen, uel in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti: non mandat ſimpliciter, ut credentes baptizent, ſed ut baptiſmate eos obſignent in nomẽ, id eſt in peculium, ius, religionem & gratiam patris, & filij, & Spiritus ſancti, ut ſint populus Dei, fœderis ac gratiæ illius participes. Siue exponamus, in nomẽ, id eſt in fidem & cõfeſsionem nominis, ſiue in peculium, uel in poteſtate & authoritate, uel in uirtutem & potentiam, aut in fœdus & gratiam patris, & filij, & Spiritus ſancti, nihil eſt incommodi. Sunt enim hæc omnia uera, & rationi baptiſmi conformia. *Modus baptizandi.*

Sed quæſierit hic quiſquam, quare non dixerit Chriſtus, Baptizantes eos in nomen Dei Abrahę, Iſaac & Iacob, uel in nomen Domini Dei Iſraelis. An non unicus ille ac uerus Deus, in cuius nomen obſignamur, Deus eſt Abrahæ, Iſaac & Iacob, & ſeminis illorum, quibus nos, qui ex Gentibus in Chriſtum credimus, tanquam naturali oliuæ per baptiſmum inſerimur? Reſpondeo: Omnino non eſt alius Deus, in cuius nomen baptizamur: deniq; negari non poteſt, in oliuam illam Iſraelis inſeri nos ex oleaſtro per baptiſmum, Roman. 11. Interea tamen haud eſt præter rationem, quòd non eſt eiuſmodi nobis baptizandi forma præſcripta, qua in nomen Dei Abrahæ, Iſaac, & Iacob & Iſraelis, ſed qua in nomen patris, & filij, & Spiritus ſancti baptizemur. *Quæſtio 1. quare non dixerit: In nomine Dei Abrahæ, Iſaac & Iacob.*

Primò nanq; periculum fuiſſet, ne uideremur baptizari in omnem illam pædagogiam & œconomiam Moſaicã, in quam eccleſia Iſraelis circunciſione obſignabatur: præſertim cùm initia colligendę eccleſiæ Chriſti prodirent ex Iſraelitis, & eſſent Apoſtoli, regni Chriſti miniſtri, imò Chriſtus ipſe, ex Iſraelitis, & alioqui legalis illa & Moſaica pædagogia tenaciſsimè retineretur ab eccleſia Iſraelis, ſicuti uidere eſt in Actis. Deinde, prædicatũ illud de Deo, quòd ſit Deus Abrahæ, Iſaac & Iacob, ac ſeminis illorũ, magis ueteri Teſtamento & circunciſioni, per quã una Iſraelis gens Deo obſignabatur, quàm nouo Teſtamento & baptiſmati conuenit, per quod non una tantùm, ſed omnes in uniuerſum totius orbis gentes in eius nomen, peculium, gratiam & fidem obſignantur, qui non Iudæorum tantum, ſed & Gentium Deus eſt.

Secundò quæri poteſt, quare non dixerit: Baptizantes eos in nomen Dei, uerbi & ſpiritus, ſi hoc agebat, ut myſterium ſacræ Triadis reuelaretur in mundo: præſertim cum hæ uoces, רוח, דבר, יהוה, id eſt Deus, uerbũ & ſpiritus, notæ ſint in Scripturis, ut Pſal. 33. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorũ. Reſpondeo: Primũ, cognitio ſacrę Triadis nondũ in eo ſatis cõprehenditur, ſi ſcias unũ Deum, eſſe Deum, uerbũ & ſpiritum, id quod non ſolũ Iudęi ex Scripturis ſcire poſſunt, ſed & philoſophi Gentiũ cognouerunt, quemadmodum ſcripta illorum teſtantur: ſed requiritur, ut fide cognoſcamus uerbũ illud per quod condita ſunt omnia, Deo tanquam filium patri eſſe natura ſua coeſſentiale & æquale. Deinde eſſe illud etiam miſſum à patre in hunc mundum, & incarnatũ. hoc eſt miſiſſe Deum patrẽ filium ſuum unigenitũ propter noſtrã ſalutẽ, per quem morti traditũ, & in cruce pro peccatis noſtris oblatũ redimeremur, cuius figura quædam in Abrahamo & Iſaaco præceſsit. Et hinc eſt, quòd Chriſtus frequenter eſt his uocibus Patris & filij uſus: palàm ſignificans, nõ poſſe Deũ patrem ritè cognoſci, niſi per filiũ, nec filium niſi per patrẽ: & in ea cognitione eſſe uitam æternã, ut cognoſcamus Deum patrẽ, & quẽ ille miſit Ieſum Chriſtum filium eius, Ioan. 17. Itaq; ad exprimendũ aliquanto clarius myſteriũ hoc patris & filij in diuina natura cognoſcendũ, & unà cum ſuſceptæ diſpenſationis gratia adorandũ, uoluit Dominus ad hunc modũ baptizandi præſcribere formam. Itaq; cùm in nomen patris, & filij & Spiritus ſancti baptizamur, abſq; ulla contradictione in fidem ſacræ Triadis obſignamur, & ſecundũ hanc fidem ad cultũ & adorationẽ patris, & filij & Spiritus ſancti initiamur: ut rectè dixerit Baſilius, Διὰ γὰρ ὑμᾶς βαπτίζεσθαι μὲν οὐκ ἔστι λέγειν, πιστεύειν δὲ οὐ βαπτιζόμεθα, δοξάζειν δὲ οὐκ πιστεύομεν τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα. Hoc argumento & nobis contra nouos eſt Arianos fortiter utendum. *Quæſtio 2. quare non dixerit: In nomen Dei, uerbi & ſpiritus.*

Tertiò, quærunt nonnulli, quum Chriſtus baptizare iuſſerit in nomen patris, & filij & Spiritus ſancti, quare hac forma non legantur uſi Apoſtoli, ſed ſimpliciter baptizaſſe in nomẽ Domini Ieſu: ut Acto. 2. dicebat Petrus, Et baptizetur unuſquiſq; ueſtrũm in nomine Ieſu Chriſti. Et Actor. 8. In nomine Ieſu Chriſti baptizabantur uiri ac mulieres. Et Acto. 10. iuſsit Petrus domeſticos, cognatos & amicos Centurionis baptizari in nomine Ieſu Chriſti. Reſpondeo: Primùm, non baptizaſſe Apoſtolos in nomen patris, & filij & Spiritus ſancti, affirmari ex eo non debet, quòd ſic eos baptizaſſe non legitur. Neque enim Scriptura meminit quibus uerbis baptizarint, ſed hoc tantùm ponit, quòd baptizarint in nomen Ieſu Chriſti. hoc eſt, credentes in Chriſtum, nomini illius obſignauerint. Deinde in nomen Ieſu Chriſti baptizare, non *Quæſtio 3. quare Apoſtoli nõ legãtur uſi hac baptizandi forma.*

eſt ſe-

est separatim baptizare in filium Dei, sed & in patrem ipsum & in Spiritum sanctum. Si non credit in Christum tantum, qui credit in Christum, sed & in patrem, sicut Dominus ipse dicit: Qui credit in me, nō credit in me, sed in eum qui misit me: quid impedit quo minus eadem ratione in patrem quoq; baptizetur, qui baptizatur in Christum? In Christū baptizari, est in unctum Dei baptizari, adeoq; ut rectè Ambrosius annotat, & in patrem qui illum unxit, & in Spiritum sanctum, per quem est unctus à patre. Ad hæc, erat nomen Christi Hebraicè, משיח ei populo, unde primitiæ sunt ecclesiæ Christi collectę, admodum notum, familare & acceptabile, ut præter rationem non fuerit, quòd in illud Apostoli credentes initiò baptizari iusserunt, præsertim quum mysterium sacræ Triadis nondum esset ei genti acceptabile.

Non ponuntur tres dij.

Non est difficile Triadem in unitate, & unitatem in Triade cognoscere.

Quartò, cauendum uerò est, ne imperitis occasio ex hoc loco tres deos statuēdi detur, quasi separatim Deus sit pater, separatim Deus filius, separatim Deus Spiritus sanctus: propterea quòd trium hypostasium nomina in forma hac baptismi quasi diuisim numerantur. Non baptizamur in nomina, sed in nomen: non multorū deorum, sed natura & essentia unius, hypostasium uerò proprietatibus trini. Nec est adeò difficile intelligere Trinitatē in unitate, & unitatem in Trinitate, quum locum illa habeat irrefragabiliter non in diuina tātum natura, sed & in humana, imò & in animata. In homine sunt, anima, spiritus & corpus, tres distinctę hypostases: quæ tamen non tres homines, sed unū cōstituunt. In anima sunt, mens, intellectus & uoluntas: at ista faciunt nō tres animas, sed unā. In sole sunt substantia ipsa, calor & splendor: unde tamen nō tres efficiuntur soles, sed unus. Tolle splendorē à sole, corpus illius non uidebis amplius: tolle calorem, non senties esse solem in cœlo. Reuelatio solis est in splēdore & calore. Tolle uerbum & spiritū à Deo, nihil de illo prorsus in cognitionem nostram ueniet. Quòd itaq; filius & spiritus Deo patri iunguntur, nō ad multiplicationem deorum facit, sed magis ad unius ueri Dei manifestationem, quæ per Euangelium erat in mundo spargenda.

Non ponitur inæqualitas personarum.

Cauendum & hoc est, ne filium minorem patre, & Spiritum sanctum filio ex eo putemus, quòd primo loco pater, secundo filius, tertio demum spiritus ponitur, quemadmodū Donatus sensit, teste Augustino, libro de Hęresibus, Ad quod uult Deum. Non sunt hæ uoces, patris & filij & Spiritus sancti, per subiūctionem sic positæ, ut personas in diuinitate supremam, mediam & infinitam: sed magis per coniunctionem sic connexæ, ut diuinitatis æqualitatem singulis uindicent. Et talis est hæc coniunctio, ut in causa hac sacramētarię initiationis nulli creaturæ locum admittat, ne in creaturam aliquam baptizemur, & honorem creatoris, redemptoris ac uiuificatoris transferamus ad creaturas. Quare intelligendum est, coniunctionem hanc trium hypostasium uim habere æquandi, non minorandi, ut ex illa rectè æqualem patris & filij & Spiritus sancti, unius ac ueri Dei diuinitatem asseramus.

DE ADMINISTRATIONE BAPTISMI.

Dispositio præsentis articuli.

POst institutionis considerationem uidendum cōsequenter est de administratione baptismi. Neq; enim satis esse potest ad salutarem usum, quòd sacrosanctus est baptismus, & ab ipso Christo institutus, nisi etiam legitimè dispensetur: perinde atq; medicina quantumuis in se bona, & à peritissimo medico data utilis esse nequit, nisi ritè usurpetur. Veniunt autē hic tria consideranda. Primum, quibus possit dari baptismus: secundum, quibus dari non debeat: tertium, quomodo sit administrandus.

I. QVIBVS POSSIT DARI BAPTISMVS.

Nemo à baptismate Christi repelli debet.

QVamuis innumera propè sit nationum & populorū, generum ac sexuum, ætatum, conditionum, morū ac fortunarum in genere humano differētia: nemo tamen mortalium cuiuscunq; sit nationis, generis, sexus, ætatis, cōditionis ac fortunę, siue sit ethnicus siue Iudæus, siue mas siue fœmina, siue infans siue adultus, siue liber siue seruus, siue dives siue pauper, etiamsi criminibus admodum grauibus fuerit sordidatus, à baptismate Christi repelli debet, quando Christus ipse ad se uocat omnes: & propterea in hunc mundum uenit, ut omnium sit seruator: deniq; hoc Apostolis suis in mandatis dedit, ut docerent & baptizarent omnes gentes. Quum ipsius gratiæ prædicationem omnibus uoluerit esse communem, ideoque mortalibus omnibus proponi iusserit, quis non uideat & baptismum prædicationi Euangelij annexum omnibus cōmunicari posse, quibus ipsa gratia, cuius ille sacramentum est, iussu Dominico cōmunicatur? Huc pertinent multi Sacræ scripturæ loci, ut Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, &c. Et secunda Corinthiorū quinto, Vnus pro omnibus mortuus est. Et Hebræorum secundo, Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Et 1. Tim. secundo, Qui uult omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem ueritatis uenire, &c. Ergo & signum gratiæ huius, baptisma uidelicet, omnibus est communicabile.

Cōmunicatio gratiæ, communicationem sacramenti includit.

Cōmunicatio gratiæ duabus rebus nititur.

Vniuersalis autem ista cœlestis gratiæ communicatio, mortalibus omnibus proposita, duabus rebus nititur. 1. Vna est communis necessitas, cui uniuersum genus mortalium ita est obnoxium,

obnoxium, ut ſine gratia Chriſti, cuius ſacramẽtum baptiſmus eſt, nemo ex illo ſeruari queat, ne unius quidem horæ infans. Hinc illud eſt Apoſtoli Romanorum tertio, Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Et capite quinto: In Adam omnes moriuntur, & in Chriſto omnes uiuificantur. Et hanc ob cauſam nonnulli patres, è quorum numero eſt & Auguſtinus, infantes ſine baptiſmo ex hac uita abreptos cõdemnationi ſubiecerũt, quaſi nulla ratione, niſi ſolius baptiſmatis, gratiæ Chriſti participes eſſe queant infantes, quum Iacob in utero materno adhuc conſtitutus Deo fuerit dilectus, non demùm per circunciſionem, initiationis ſacramentum, gratiam Dei adeptus. Rectè quidem in eo ſenſerunt, quòd ne infantes quidem ſine gratia ſanguinis Chriſti ſaluari poſſe cenſuerunt: uerùm id admodum eſt σκληρὸν & inconueniens gratię Chriſti, quòd baptiſmate quouis modo priuari, perinde habuerunt atq; gratia ipſa priuari. Pelagiani contenderunt infantes ſine baptiſmate morientes non damnari: ſed tali de cauſa, quæ à fidelibus recipi non poteſt. Iudicarunt enim illos nihil habere peccati, propter quod damnari poſsint, ideoq; propria ſeruari innocentia. Vt huic errori reluctarentur Patres, funiculum diſceptationis ſic intenderunt, ut ſalutem infantibus fidelium morte ante baptiſmũ abreptis negarent, idq; non eam duntaxat ob cauſam, quòd in peccatis ſunt cõcepti & nati, ſed quòd baptiſmate priuatos etiam ipſa Chriſti gratia priuatos eſſe cenſerent.

Infantes ſine baptiſmo decèdentes.

Pelagiani.

2 Deinde nititur etiam uniuerſalis gratiæ Chriſti communicatio uoluntate illa Dei, de qua ſuprà in locis Scripturæ adductis, ut Ioann. 3. & 1. Timoth. 2. ſicut & Ioann. 6. Hæc eſt uoluntas patris, &c. Quæ ſuprà in materia fidei de eo diximus, quòd electorum tantùm ſit fides in Chriſtum: non impediunt quo minus gratia Chriſti proponatur omnibus, ut prædicatione ita & ſacramenti communicatione.

II. QVIBVS BAPTISMVS DARI non debeat.

QVamuis conſtat, & gratiam baptiſmi, & prædicationem Euangelij proponendam eſſe omnibus, nec eſſe ſacramẽtum illius cuipiam mortalium denegandum: interea tamen de eo quoque conſtat, non eſſe baptiſmum ſtatim impertiendum cuiuis. Aliud nanq; eſt nunquam, & aliud nondum impartiri debere: ut non eſt quiſpiam homo, de quo dicere queas, nunquam dandum illi eſſe baptiſmatis ſacramentum: ita multi ſunt, quibus rectè dixeris, nondum eſſe dandum baptiſma.

Non eſſe mox quoſuis baptizandos.

Sunt igitur impedimenta quædam, quæ prohibeant, quo minus locum habeat baptiſmatis gratia. Illa ſunt duplicis generis: occultum unum, manifeſtum alterum. 1. Occultum eſt, ſi quis ad numerum electorum non pertineat, ſed ſit ex reprobis. Hoc impedimentum licet perpetuò gratiæ Chriſti reddat exortem, in eccleſia tamen Chriſti, quod ad ſacramentorum adminiſtrationẽ pertinet, ſic obſeruari non poteſt, ut electos tantum baptizemus, & ad euchariſtię communionẽ admittamus: reprobos uerò arceamus, non minus quàm in ueteri Teſtamento, in quo Deus ipſe initiale ſacramentum, circunciſionem, ſignum uidelicet fœderis ſui ſic inſtituit, ut noluerit in illius adminiſtratione inter electos & reprobos humana præſumptione diſcriminari. Imò ſic ſibijpſi diſcriminis huius cognitionem ſeruauit, ut ſacramentũ gratiæ ſuæ infantibus omnibus, tam reprobis quàm electis: tam Eſau, quem in utero matris odio habebat, quàm Iacobo, quẽ nondum natũ diligebat, octauo die adminiſtrari præceperit. Cum igitur diſcrimen hoc electorum & reproborũ in recens natis ſit infantibus, à iudicio noſtro abſcõditum, non conuenit ut in illud, dum adminiſtrandus eſt baptiſmus, inquiramus, ne per imprudentiam uaſa gratiæ reijciamus, prudentioresque ac cautiores in adminiſtrando uelimus eſſe ſacramento, quàm Deus ipſe in inſtituendo.

Impedimenta baptiſmi duo.

Si quis non ſit de electis.

2 Manifeſtum impedimentum eſt, manifeſta recuſatio ac reprobatio gratiæ, per Euangeliũ regni Dei prædicatæ & ôblatæ. Propter hanc nõdum debet baptizari, qui gratiã Chriſti prędicatam ſibi per incredulitatẽ auerſatur, tãtiſper dum in ea tergiuerſatione & incredulitate perſeuerat, & cor impœnitens retinet: quamuis ſæpenumero accidit, ut qui talis eſt, ad uitam ſit diuina prædeſtinatione deſtinatus, pertineatq; ad uaſa gratiæ. quale exemplum in Paulo præceſsit, qui licet de numero electorum eſſet, & ad eius gratiæ participationem pertineret, cuius ſacramentum eſt in baptiſmate: tamdiu tamen baptiſmi particeps & capax eſſe non poterat, quamdiu per incredulitatem prædicationi gratiæ reſiſtebat.

Manifeſta recuſatio gratiæ Dei.

Hac de cauſa Apoſtoli pœnitentiam, & fidei in Chriſtum confeſsionẽ requirebant ab adultis, priuſquam eos baptizarẽt. Sic Petrus Act. 2. dicebat: Reſipiſcite, & baptizetur unuſquiſq; ueſtrûm in nomine Ieſu Chriſti. quibus uerbis utique ſignificauit, requiri ab adultis ut reſipiſcant, eo quòd impœnitentibus ſacramentum gratiæ Dei impartiri non debeat. Et eodem capite ſic legitur: Qui ergo receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt. Ergo qui ſermonem eius nõ receperunt, ſed illi contradixerũt, baptizati non ſunt. Et Act. 8. Cum uerò, inquit, credidiſſent Philippo euãgelizãti de regno Dei, in nomine Ieſu Chriſti baptizabãtur uiri ac mulieres.

Et

Et eodem cap. de Eunucho: Ecce aquam, inquit, quis prohibet me baptizari? Dixit autē Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo filium Dei esse Iesum Christū. Et iussit stare currum. Dt descenderunt uterq; in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum. His locis patet, requiri ab adultis cor pœnitens, sermonē gratiæ recipiens, & in Christum credens, ita ut impœnitentes, sermonem gratiæ recusantes, & increduli, baptismi huius capaces nondum esse queant, etiamsi sint de electis, donec conuertantur.

DE PAEDOBAPTISMATE.

Argumēta Anabaptistarum refelluntur.

ARgutantur ex hoc loco Anabaptistæ: Si requirenda est resipiscentia, inquiunt, & fides ante baptismum: nequeunt igitur infantes capaces esse baptismi, quandoquidem nec pœnitere, nec prædicationi Euangelij credere possunt. Debent ergo tum demum baptizari, quando adulti præstare per ætatem possunt utrunq;. Et huc accommodant, quòd fidem Christus baptismati præmisit, dicens: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Ad hæc, Apostolos quoq; duntaxat adultos, pœnitentiam & fidem profitentes, baptizasse: nec legi in Scripturis, quòd infantes baptizarint, contendunt. Hisce argumentis moti, baptismum paruulorum prorsus damnant, eamq; ob causam anabaptismum inducunt.

Infantes credere non posse.

Principiò, quòd infantes nec credere prædicationi Euangelij, nec pœnitentiam profiteri posse dicunt, dicunt nec primi nec soli. Quanquam sunt nostra ætate, qui de fide infantium disputantes, & illos credere posse contendunt: quam sententiam probare non possumus, quemadmodum & suprà in loco de Fide, articulo septimo, meminimus. Nec satis est in hac causa occultam habere fidem, sed etiam fidei professio requiritur, quæ certè infantibus tribui non potest, quantumuis hanc ab illis Papistæ per singulas Symboli partes perinde atque ab adultis exposcant.

Nō mox requiri ab infantib. quæ requiruntur ab adultis.

Deinde, quòd autem hinc concludunt: cum baptizari non debeant, qui pœnitentiam & fidem profiteri non possunt, infantes autem neutram profiteri queant: ergo infantes baptizari non debent. Licet minorem concedamus, in maiori tamen specificationem desideramus, & conclusionem negamus. Si quæstio sit de adultis, recipimus maiorem, de infantibus uerò nò ita. Nam alia est etiam coram Deo conditio infantium, & alia adultorum: nec conuenit, ut ab infantibus, in causa religionis requirantur, quæ necessariò requiruntur ab adultis. qua de re fusius in Commentijs nostris super Mathæum, cap. 8. annotauimus. Quare admodum inconsultò nostra quidam ætate scripserunt, Si constaret, infantes non habere fidem in Christum, consulere se, ut ab illorum baptismo prorsus & quàm citissimè abstineamus. quod genus scripti multis crediderim erroris Anabaptistici occasionē obiecisse, quamuis qui hoc scripserunt, ab Anabaptismo fuerunt alieni.

Incredulitatis uitium infantibus imputari non potest.

Præterea, licet fidem nondum habeant infantes, haud tamen illis imputari potest incredulitas, nedum manifesta reluctatio, quæ ex incredulitate proueniat. Nec dari illis impœnitētia, quæ impedit in adultis: nec pœnitentia ab illis requiri potest, sicuti requirenda est ab adultis, ad hoc, ut ad innocentiam uitæ redeant, & infantibus similes reddantur, secundū illud Christi: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicuti paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Cum ergo tales sint infantes, ut adultis exempli uice proponantur, quo per pœnitentiā similes reddantur infantibus, quis nam adeò stupidus est, ut pœnitentiā ab infantibus perinde atque ab adultis requirendam esse censeat? Quare friuola sunt, quæ ab Anabaptistis de pœnitentia & fide, ante baptismum requirenda, ad infantes accommodantur.

Paralogismi ab insufficienti definitione baptismi.

Tale est etiam quòd eas plerunque baptismi definitiones adferunt, quas suprà insufficientes esse diximus: quòd ideo faciunt, ut ex definitione aliqua baptismi conuincant in speciem, infantes non esse illius capaces, ideoq; non esse baptizandos. Verùm non considerant, quæ sit illa gratia Christi principalis, cuius sacramentum est baptismus, & cuius infantes quoq; capaces esse possunt, utpote fœderis Dei, regenerationis, ablutionis, sanctificationis, obsignationis & incorporationis. Sic ab insufficienti definitione paralogisantes colligunt: Baptismus est signum pœnitentiæ, nequeunt autem pœnitere infantes, ergo non sunt signo pœnitentiæ obsignandi. Item: Baptismus est signum fidei. Infantes fidem non habent. Non debent igitur signo fidei initiari. Adhuc: Baptismus est signum mortificationis & nouæ uitæ. A mortificatione & noua uita alieni adhuc sunt infantes. Non debent igitur baptizati. Consimili modo argutari poterunt & de circuncisione. Circuncisio, signaculū erat iustitiæ fidei, quæ fuit in Abrahamo, Rom. 4. Infantes autem Israelitarum eam non poterant octauo die habere fidē. Non debēbāt igitur signaculo illius obsignari ac circuncidi. Item: Circuncisio carnis poscebat circuncisionem cordis, sicuti uidere est Deut. 10. Hanc præstare nondum poterant octauo die Iudeorum infantes. Non erant igitur octauo die circuncidendi. Quid autem hoc argutandi modo faciunt aliud, quàm quòd non modò infantes fidelium excludunt à gratia Dei, cuius illis symbola communicari nolunt, sed & consilium Dei reprobant ac damnant, quo illos in gratiam fœderis sui obsignari & initiari uoluit? Non cogitant, esse baptismum non solùm fidei, pœnitentiæ,

tentiæ, & nouæ uitæ, ſed & cum primis fœderis Dei, & cœleſtis gratiæ ſacramentum, quemadmodum & circunciſio ſignum erat fœderis, cuius erant infantes Iudæorum participes, etiã ſi nõdum eſſent Abrahæ fidem cõſequuti. Circuncidebantur in fidem Abrahæ, nõ quòd eam iam tum haberent, ſed ut in illa educarentur & imbuerentur. Alia fuerat conditio Abrahæ. Ab hoc requirebatur ut crederet, ac coram Deo integro corde ambularet, priuſquam ſigno fœderis obſignaretur. Sic & hodie alia eſt eorum conditio, qui adulti ad baptiſmum ueniunt. Ab illis rectè poſcitur pœnitẽtia, cõuerſio, fides & innouatio uitæ, priuſquã baptizentur.

Qui crediderit & baptizatus fuerit.

Quod uerba Chriſti concernit, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui non crediderit, condemnabitur, facilis eſt reſponſio. 1 Primùm, non præſcribit hic Chriſtus, qui baptizari debeant, qui non debeant: ſed qui ſaluentur, & qui condemnentur. Non dicit, Qui crediderit, baptizetur, qui non crediderit, non baptizetur: ſed, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui nõ crediderit, cõdemnabitur. 2. Deinde, etiãſi ſic diceret: Qui crediderit, baptizetur, nõ eſſet tamẽ niſi de adultis intelligendũ. Non ſunt eiuſmodi ſententiæ, quæ de fide, ſpe, dilectione, obedientia, timore ac cultu Dei habentur in Scripturis, ad infantes, ſed ad adultos accõmodandæ, qui horũ per ætatem poſſunt eſſe capaces. Quales ſunt, Ebr. 11. Sine fide impoſsibile eſt Deo placere: & Rom. 4. Quicquid nõ eſt ex fide, peccatũ eſt. Roman. 10. Qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Et, Beatus uir qui timet Dominum. Itẽ, Qui ex Deo eſt, uerba Dei audit. Item, Beati omnes qui confidunt in Domino, & quę alia ſunt huiuſmodi. quale eſt & hoc dictũ Chriſti: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui nõ crediderit, condemnabitur. Primum ſalũtis noſtræ fundamentum eſt nec fides, ne ſpes, nec charitas, nec timor Dei, &c. ſed electio Dei, qua ſaluantur non modò adulti, credentes, ſperãtes, diligentes, timentes, inuocantes, obedientes, &c. ſed & infantes, etiamſi ex hac uita nõ modò citra baptiſmũ, ſed & citra fidẽ & reliqua omnia auferantur, quæ ab adultis requiruntur.

Primũ ſalutis noſtræ fundamentum eſt electio.

Præterea quòd Apoſtoli adultos & credentes baptizarunt, haud ſic eſt accipiendum, quaſi adultos tantũ baptizarint. Non rectè colligunt: Apoſtoli baptizarunt adultos, ergo non baptizarunt infantes. Deus, Iſraelis uocatur Deus in Scripturis: unde non rectè collegeris, ergo nõ eſt Deus gentium. Chriſtus Abrahæ ac ſemini eius promiſſus eſt: hinc tamen non ſequitur, quòd ad illum non pertineant & gentes. Cor regis eſt in manu Dei, inquit Salomon. At hoc nihil impedit, quo minus & reliquorũ mortalium corda ſint in manu Dei. Sic nihil impedit, quo minus Apoſtoli ſic baptizarint adultos, ut tamen & infantes illorum baptizarint.

Quòd Apoſtoli baptizarunt adultos.

Nec alicuius momenti eſt, quòd dicunt: Non leguntur Apoſtoli baptizaſſe infantes, ergo non baptizarunt infantes. Pari ratione dicemus: Non legimus Apoſtolos eſſe baptizatos, ergo non ſunt baptizati. Chriſtus ipſe neminem baptizauit, Ioan. 4. Quis ergo baptizauit Apoſtolos? Si ſic argutari licet, colligemus non eſſe baptizatos Apoſtolos. Si baptizati non ſunt, quomodo ipſi non baptizati baptizarunt alios? Baptizarunt autem alios etiam ante Chriſti paſsionem, Ioan. 4. Sic apparet infirmum eſſe, quod à non ſcripto argumentantur ad non factum, cum dicunt: Apoſtoli non leguntur baptizaſſe infantes, ergo non baptizarunt infantes,

Quòd non legũtur Apoſtoli baptizaſſe infantes.

Non erat neceſſarium ſcribere ſpecialiter de infantibus, nec conueniebat, ut aliter agerent in hac cauſa Apoſtoli, quàm in circunciſione fuerat præmonſtratum: nec poterant aliter ſe gerere, quàm primùm prædicare Euangelium adultis, & ab illis requirere pœnitentiam & fidẽ, atq; ita ex illis initia conſtituere eccleſiæ: deinde & credentium, Chriſtoq; obſignatorum liberos, nec excludere à gratia fœderis, nec ſeiungere à parentibus, ad quem modum & cum Abrahamo & liberis illius egerat Deus, exemplumq; adminiſtrandi ſigni fœderis præbuerat. quam obſignandi rationem Chriſtus nunquam abrogare uoluit. Hanc dubio procul ſequuti ſunt Apoſtoli, ſicut apparet Act. 16. in domo Purpuriſſæ & cuſtodis carceris.

De baptizandis infantibus nõ extare præceptũ Domini.

Sed regerit Anabaptiſta: De circuncidendis infantibus Iſraelitarum extabat mandatum Dei, de baptizandis autem infantibus non habetur expreſſum aliquod mandatum. Reſpondeo: Facit hoc non contra nos, ſed pro nobis. Si non extaret peculiare mandatum Dei de infantibus fidelium in fœdus gratiæ obſignandis, & in eccleſiam Dei incorporandis, non conſtaret nobis uoluntas Dei in ratione adminiſtrandorum ſacramentorum initialium. Iam uerò cum ſit illa palàm expreſſa, ſic ut conſtet infantes credentium, quorum pater eſt Abraham, & gratiæ & ſigni fœderis eſſe participes, nec uſpiam ſublata legatur: quid neceſſe eſt poſt tam luculentam illius expreſsionem adhuc aliud in Nouo teſtamento deſiderare mandatũ? Hoc ipſo Chriſtus quod nihil de illo ſpecialiter mandauit, quid faciendum ſit de infantibus fidelium, ſatis innuit Apoſtolis tanquam Iudæis, & inter Iudæos educatis non tollere ſe gratiam illam qua Deus non credentium modò, ſed & ſeminis illorum Deus eſſe, illudq; gratiæ ſigno obſignari uoluit. Quin ſi uerba illius Matthæi 19. Sinite paruulos uenire ad me, &c. diligenter conſiderentur, abundè ſatis liquet, non excludere illum infantes à gratia ſua & regno cœlorum, ſed uelle, ut ad ſe ferri ſinantur. qua de re, ſi cui lubet, Commentarios noſtros in Matthæum uideat.

Matth. 19.

Concludimus ergo, quamuis infantes fidelium nec pœnitentiã, nec fidem profiteri queãt, nihil tamen eſſe impedimenti quo minus baptizentur, cum conſtet eos pertinere ad fœdus

Concluſio.

Abrahæ, & Christus eos ad se propterea adferri uoluerit, quòd ipsorũ est regnum cœlorũ: nec adeò insaniat quisquam, ut ausit illis tribuere impedimenta illa gratiæ Dei: utpote, cordis impœnitentiam, incredulitatem, contemptum gratiæ, tergiuersationem ac reluctationem, quæ sit ex incredulitate, quæ baptismi dispensationem in adultis incredulis impediunt.

De illis qui nimis scrupulosè cum infantib. suis festinãt ad baptismum.

Illud tamen quomodo à cordatis uiris probari possit non uideo, quòd tam anxiè ac superstitiosè cum infantibus uix iam natis ad baptismum quomodocunq; percipiendum festinatur. Non laudo si quis temerè ac negligenter differat, anxiam tamen illam festinationem non probo. Gregorius Nazanzenus in sermone de Baptismate, si nullum urgeat periculum, consulit ut paruulorum baptismus differatur in annum usque tertiũ, donec de mysterijs aliquid possint &audire & respõdere. Qui nostri sunt seculi mores, nolim eiusmodi dilationis esse author: sed hoc magis optarim, ut cum sana fide & intelligentia nec anxiè nec neglectim, nec properantius æquo, nec tardius adferantur ad initiationis sacramentum paruuli fidelium. Id si fiat,

Quæstiones Scholasticorũ.

non erit locus quæstionibus illis Scholasticorum, quibus disputant, utrum in utero matris taliter existẽs fœtus, nec ex aliquo apparens ab extra sit baptizandus: utrũ si appareat aliquid extra, baptizari possit, præsertim si sit uel caput, uel manus, uel pes: utrum si nascatur cũ pelle secundina, poterit baptizari, &, utrum si sit monstrum, baptizari debeat. Eiusmodi quæstiones indignæ sunt, quæ locum inter Christianos inueniant.

III. QVOMODO DEBEAT ADMINISTRARI *Baptismus.*

Administrari debet baptismus plenè & integrè.

OCcurrunt hic tria considerandа, ad modum baptizandi pertinentia. Primum est, ut plenè & integrè: secundum, ne cõpetenter: tertium, ut intelligenter baptizetur. Principiò requiritur, ut Sacramentum hoc plenè & integrè administretur. Hoc est, ut baptizetur secundum institutionem, pariter & rationem huius Sacramenti. Præterea puto, nemo Sacramentorũ peritus quicquã desiderabit. Sic aũt institutũ est hoc Sacramentũ, ut in aqua perficiatur accedente uerbo. Et ratio illius est, ut constet uerbo & elemento. In uerbo est forma baptizandi, sicuti loquuntur, in elemento materia. Communiter aũt omnes elementũ hoc fatemur esse aquam, quæ, ut Sacramentũ est, inuisibilis est gratiæ, uisibilis forma, similitudinẽ habens eius rei, cuius est sacramentum. Cum ergo sic institutũ sit hoc Sacramentũ, ut in aqua perficiatur, & constet uerbo & elemento, uel, ut Scholastici loquuntur, materia & forma, sitq; materia nihil nisi aqua: quis non uidet cætera omnia quæ à Papistis adhibentur, esse non substantialia, sed accessoria: haudquaquam ad integritatem Sacramenti pertinentia? Sunt enim

Accessoria quæ ad baptismum à Papistis usurpantur.

nullo nec præcepto, nec usu Christi, uel Apostolorũ instituta, sed humano consilio per episcopos ceremonijs plus æquo studentes adiecta. Et tamẽ haud aliter religiosè & catholicè seruantur, quàm si necessariò ad integritatẽ baptismatis requirãtur: ut sunt, oleũ, quod Græcè uocãt Chrisma, sal, sputum, ardentes cerei, exorcismus, cõsecratio aquæ, trina infantis immersio, & quæ alia sunt eiusmodi, ad quẽ modũ nec Ioannẽ nec Apostolos baptizasse legimus.

Oleum.

Olei usus multus est populis Orientalibus, nobis incognitus. ungunt certaturos athletas, & in lege ungebantur sacerdotes, reges & prophetæ. Hinc Orientales episcopi usum ungendi Baptismo accommodarunt, pro suo ipsorum iudicio competenter, at sine uerbo & authoritate Christi. Et hos imitati Latini, ritum ungendi obtruserunt nostris regionibus impertinenter, quibus id genus ungendi nunquam fuit in usu. Exponunt ueteres illius significationem, quòd uidelicet qui Christo obsignantur, reges sint, sacerdotes & athletæ, contra Satanam, & peccatum & mundum decertaturi: uerùm hoc posteri sic dissimularunt, ut plebi Christianorum paradoxi loco fuerit, cum nostra ætate ex Sacris scripturis doceretur esse omnes Christianos sacerdotes. Magna sanè peruersitas est, quòd non docent quæ docuerunt Apostoli, & interim baptizando faciunt, quod non fecerunt Apostoli.

Sal.

Salis usus in ueteri Testamento legalis fuit Iudæis, à Mose illis qui sub lege erant, præscriptus. Si Christo placuisset, ut ab ipsius ministris ad ritus Mosaicos respiceretur, & ex illis pro ipsorũ arbitratu desumeretur, uel significasset hoc ipse, uel fecissent hoc Apostoli. Quare & hunc salis usum, quẽ adhibent Baptismo, φιλοδρησίας episcoporum tribuendum censemus.

Sputum.

Sputum, quo non illuminant, sed conspurcant infantem ex miraculoso Christi facto, Ioan. 9. sumpserunt, quo ille oculos cæci nati sputo ac luto oblitos aperuit. Viderunt hoc factũ Apostoli, & tamen nemo ex illis sputum suum oculis baptizandorum illiniuit. Ipsius Christi sputum quis fideliũ nõ optet uel sibi uel suis? At sputum ex ore peccatoris, ac plerunq; scortatoris, nescio an quisquam sit qui admodum affectet. Quin potius docendo miraculosi facti huius significationem populo fidelium exponunt?

Cerei ardẽtes.

Quòd cereos ardentes adhibent, idque claro die, omnino est ex superstitione ethnica. Vsi sunt prisci Christiani cereis ardentibus, sed noctu, quòd non liceret interdiu conuenire, nec commodum esset sedere in tenebris. Vnde & Hieronymus aduersus Vigilantium dicit: Cereos autem non clara luce accendimus, sicuti frustrà calumniaris, sed ut noctis tenebras

nebras hoc ſolatio tẽperemus, & uigilemus ad lumen, ne cæci tecũ dormiamus in tenebris.

Nec illud in uſu fuit Apoſtolis, quòd exorciſmis inter baptizandum utuntur, quibus Diabolum adiurant, ut ex infantibus baptizandis egrediatur. Faciunt hoc quoq; prorſus ſine exẽplo Chriſti uel Apoſtolorum, non ſolùm quod ritum baptizandi attinet, ſed & aliàs in uniuerſum. Quis enim illorum unquam ſatanam adiurauit, ut egrederetur ex eo qui peccatis eſſet obnoxius, & mente, non corpore, ab illo obſeſſus? Dæmoniacos liberarunt Apoſtoli, præcipientes ſpiritibus malis in nomine Ieſu Chriſti ut exirent, de peccatoribus nihil tale ab illis factũ legimus. Non ſunt autem adeò dementes aduerſarij, puto, ut infantes à ſatana corporaliter obſeſſos eſſe dicant, aliàs oportuiſſet Chriſtum Matth. 19. pellere ex illis malos ſpiritus, qui ad ipſum adferebantur, quod tamen nõ fecit. Quòd ſi hoc propter originale peccatũ fieri dicunt, cuius gratia infantes obſtricti ſint regno ſatanæ, quęſo quare non fecit hoc Chriſtus publicanis & peccatoribus? & Apoſtoli omnibus quos baptizarunt, utiq; in peccatis conceptos & natos? Scio uſum exorcizandi fuiſſe in Eccleſia temporibus Cypriani & Auguſtini, uerùm non quæro quid fecerint Patres, ſed quid Chriſtus inſtituerit, & Apoſtoli fecerint. *Exorciſmus.*

Quòd aquam baptiſmatis conſecrant bis in anno, & ipſum tale non eſt, quod neceſſariò ad ſubſtantiam Baptiſmi requiratur, uel exemplo Apoſtolorum commendetur. Vera ac recta elementi huius cõſecratio ex inſtitutione eſt & uerbo Chriſti, unde & Sacramentũ conficitur. *Conſecratio aquæ.*

Poſtremò, quod immerſionem baptizandi infantis attinet, iudicamus hanc non ſic eſſe neceſſariam, ut non ſit liberum eccleſijs baptizare, uel mergendo, uel aſpergendo. Libertatem hanc ſeruatam eſſe in eccleſijs, uidere eſt in Auguſtino de Eccleſiaſticis dogmatib. cap. 74. Baptizandus, inquit, confitetur fidem ſuam coram ſacerdote, & interrogatus reſpondet, &c. & poſt confeſsionem uel aſpergitur aqua, uel intingitur. Et Cyprianus lib. 4. Epiſt. 7. ad Magnũ, uſum aſpergendi in baptiſmate defendit, ſic tamen ut liberum eſſe aſſerat. *Merſio infantis.*

De his igitur omnibus, quoniam nec inſtitutione Chriſti, nec exemplo Apoſtolorum commendari poſſunt, aliter ſentire non poſſumus, quàm non pertinere ea ad integritatem adminiſtrandi baptiſmi, ſed eſſe parerga & acceſſoria, ideoq; ut humanitùs ſunt inuenta, ita ſine ullo conſcientiæ ſcrupulo omittenda. Et Magiſter Sententiarum lib. 4. diſtinct. 3. ſic annotat: In duobus ergo conſiſtit Sacramentum baptiſmi, in uerbo ſcilicet & elemento. Ergo etſi alia deſint, quæ ad decorem Sacramenti inſtituta ſunt, non ideo minus eſt uerum Sacramentũ & ſanctum, ſi ſit ibi uerbum & elementũ. Nam & in hoc Sacramento, & in alijs quædã ſolẽt fieri ad decorem & honeſtatem Sacramenti, quædam ad ſubſtantiam & cauſam Sacramenti pertinentia. De ſubſtantia huius Sacramenti ſunt uerbum & elementum, cætera ad eius ſolennitatem pertinent. Hæc ille. quorum illud placet, quòd integritatem & ſubſtantiam baptiſmatis agnoſcit eſſe in duobus, uerbo ſcilicet & elemento: & uerum ac ſanctum eſſe ſacramentum, ſi hæc duo adſint, etiamſi deſint cætera. Quod uerò cætera deputat decori, honeſtati ac ſolennitati baptiſmi, ex eo quid ſequitur aliud, quàm & Ioannem & Apoſtolos baptizaſſe nec decorè, nec honeſtè nec ſolenniter? quandoquidem nullo horum ſunt uſi. *Magiſter ſententiarum.*

Secundo loco ad baptizandi modum pertinet, ut competenter etiam baptizetur. Loquor autem non de ceremoniarum quam finxerunt, ſed de ea conuenientia, quæ reſpondeat baptizandorum qualitati. Vt ſi baptizandus ſit adultus, inſtituatur primùm in fide Chriſti, ut ſit catechumenus priuſquam baptizetur: deinde cum baptizandus eſt, fidem ſuam coram eccleſia Chriſti confiteatur, ſi fieri queat: ſin minus, coram illis ſaltem à quibus baptizatur. Si uerò baptizandus ſit infans, nec fidei confeſsio, nec fides ab illo ſicut ab adulto poſcatur, quandoquidem omnino abſurdum eſt id requirere ab infante, quod nec Deus ipſe ab illo requirit, nec ille dum per ætatem uel habere uel exprimere poteſt. *Competenter.* *Aliter adultus, et aliter infans baptizandus.*

Quapropter non uideo quomodo defendi queat, quòd baptizandus infans interrogatur, num ſatanæ operibus ac pompis renunciet, & à teſtibus reſpondetur, quòd renunciet: num credat in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli ac terræ, & in Ieſum Chriſtum filium eius unigenitum, & in Spiritum ſanctum, & illius loco à teſtibus ad trinam de fide interrogationem tertiò reſpondetur, quòd credat, cum nemo ſit adeò impudens, qui ſeorſim de infante rogatus, num Deum eſſe, eumq; unum, patrem, & omnipotentem, & factorem cœli & terræ: item, Chriſtum Ieſum, eumq; filium Dei unicum Dominum noſtrum, & quæ alia in ſymbolo fidei continentur, ſciat & cognoſcat: item, an Deum diligat, timeat & adoret, &c. non uereatur reſpondere quòd hæc cognoſcat & pręſtet infans. Quid ergo neceſſe eſt in eccleſia Chriſti facere ac dicere pro conſuetudine, quæ dici non poſſunt probabili aliqua, nedũ certa ratione? Scire diuina paruulos, inquit Auguſtinus Epiſtola 57. ad Dardanum, qui nec humana adhuc nouerunt, ſi uerbis uelimus oſtendere, uereor ne ipſis ſenſibus noſtris facere uideamur iniuriam, quando id loquendo ſuademus, ubi omnes uires officiumq; ſermonis facillimè ſuperat euidentia ueritatis. *Inconſultũ eſt, quòd infans baptizãdus de fide interrogatur.* *Auguſtinus.*

Scimus quid ad hanc quæſtionem idem ipſe Auguſtinus Epiſtola 23. Bonifacio epiſcopo reſponderit, ubi ſcribit ad hunc modum: Reſpondetur paruulus credere, qui fidei nondũ habet affectum, reſpondetur fidem habere propter fidei Sacramentum. Hęc ille. Baptiſmum uo-

cat fidei Sacramentum. Atqui si Sacramentum fidei fides est, quomodo fidem habere dicitur infans qui baptismum nondum habet, & ideo interrogatur, num credat, quo baptismum accipere possit? Deinde non interrogatur, num Sacramentum fidei habeat: sed, num credat. De fide est interrogatio, non de Sacramento fidei. Etiamsi habeat baptismum fidei Sacramentum, nondum tamen mox fidem habere ueraciter dici potest. Sic prorsus infirmum est, quod uir ille alioqui magnus in hac causa respondit, quando quidem infans cum ad eum modum interrogatur, nec fidem nec Sacramentum fidei habet. Quomodo enim haberet quod nõdum accepit? Verùm sic respondere coguntur, qui consuetudinem absq; ratione receptam in Ecclesia defendere ac retinere uolunt. Hæc autem consuetudo tam absurda, ut defendi nequeat, ex eo nata est, quòd episcopi formulam, qua baptizabantur adulti, ad infantium quoq; baptismum impertinenter traxerunt, atq; ita paruulos perinde de abrenunciatione satanæ ac fidei in S. Triadem atq; adultos interrogare cœperunt.

Meo iudicio, conuenientius fuerit, si pater baptizandi infantis præsens ad baptisterium, & baptismũ pro paruulo suo poscens, à ministro coram adstantibus de fide interrogetur nõ quâ infans, sed quâ habeat ipse in Christũ Dominum ac seruatorẽ, & ad quâ infantẽ suũ educare & instituere uelit, atq; ita interrogatus symbolum fidei Christianæ clara uoce exprimat, postque eiusmodi confessionem, in fidem hanc & gratiã Christi infantem sũũ obsignari religiose petat. Nemini præscribimus, sed cum pace aliorum quid utilius uideatur proponimus.

Intelligẽter lingua uulgari & cognita.

Tertiò, baptizandum est non modò perfectè & competenter, sed & intelligenter. Quòd infantem quidẽ qui baptizandus offertur, & Deum ipsum concernit, perinde est qua lingua baptizetur: uerùm propter adstantes ac susceptores, ut & illi ædificentur, imò propter ipsam ecclesiam, in cuius præsentia dispensari conueniebat, nõ Eucharistiam modò, sed & baptismũ, peragenda sunt omnia lingua uulgari ac patria, ut sint intelligibilia quæ dicuntur & geruntur, possintq; omnes admoneri de gratia Christi, cuius forma est in uisibili baptismate, ac simulorare Deum patrem pro dono spiritus tam sibi quàm infantibus impetrando. Summa cum reuerentia, fide ac religione, nõ ministri modò, sed & parentum ac susceptorum debebat dispensari baptismus. At quanta inoleuerit hic leuitas in Papatu uidemus, quæ ex eo magna ex parte nata est, quòd omnia sic dicuntur & geruntur, ut nequeant ab adstantibus intelligi. Non est igitur ut miremur unde sit tanta Christianismi corruptio, quando initiatio illius ac primus ingressus tam irreligiose & confertur & usurpatur.

Reuerenter baptizandum.

Cum autem docemus quàm integrè, competenter & intelligenter administrari debeat baptismus, & resecari quicquid institutioni Dominicæ, exemplo Apostolorũ, rationi Sacramentorum, & ædificationi ecclesiæ non respondet, non damus locum Anabaptismo, sed de correctione abusuum admonemus. Quare non est ut dicat quisquam, Quoniam ferè omnes ritibus istis olei, salis, sputi, cereorum ardentium, exorcismorum, &c. baptizati sumus, an' non denuò nos purè ac simpliciter secundum Dominicam institutionẽ baptizari oportet? Baptizati sumus nec in diuos aliquos, nec in Pontificem Romanum, nec in Romanæ ecclesiæ primatum, sed in nomen patris, & filij & Spiritus sancti, in quo sua est baptismo integritas & substantia, quam non abstulerunt quæ humano consilio accesserunt. Fundamentum baptismatis manſit integrum, quod non est ut in baptizatis loco moueatur. Superflua & inutilia in baptizandis resecentur.

DE VSV BAPTISMATIS.

Quis sit usus baptismatis.

POstremo loco uidendum est etiam de legitimo ac uero baptismatis usu. Voco autem baptismatis usum, non ipsum baptizandi opus, cuius consideratio ad dispensationẽ & administrationem Sacramẽti, de qua diximus, pertinet: sed accõmodationem illam, qua se qui baptizatus est, accepto semel baptismatis sacramento, per omnem uitam sic accommodat, ut illi respondeat, & efficaciam eius, ac fructum consequatur, atq; ita in ipso Sacramẽti huius plenitudo, ne sit inane signum, ueraciter impleatur.

Generalis Sacramentorum impletio.

Est autem generalis omnium non ueteris modò, sed & noui Testamenti Sacramentorũ impletio, in eo sita, ut quod sacramentaliter, uel ut alij loquuntur, in signo, semel geritur, uaraciter & reipsa in omni uita adimpleatur. Circumcisio præputij implebatur circumcisione cordis, quam Moses à circumcisis requirebat Deut. 10. & in nouissimis temporibus conuersis ad Deum Iudæis pollicebatur Deut. 30. Vsus Paschatis erat, ut acceptæ redemptionis memores grati essent Deo redemptori, sinceraq; ab illo fide constanter penderent. Præter ista (dempta ueri agni Christi ueritate, quam Iudæi credere quidem & expectare, implere uerò non poterant) quid erant circumcisio & Pascha apud Iudæos, quantumuis opere sacramentario celebrata, quàm inania & nuda signa, ueluti corpus sine anima? Ad hunc modum etiam de baptismatis usu & adimpletione sentiendum est. Tum illo rectè utimur, quando accedente fide per omnem nostram uitam reipsa in nobis & ueraciter adimpletur, quod sacramentotenus est in corpore nostro gestum.

Est au-

Est autem uera ac realis, ut sic dicam, baptismi adimpletio bimembris. Rerum nanq; quarum sacramentum est baptismus, bipartita est qualitas & conditio. Aliæ siquidem à solo Christo per spiritum eius adimplentur, rursus aliæ rectè à baptizatis requiruntur. A' Christo adimplentur in electis & fidelibus ablutio peccatorum, regeneratio mentis, ac renouatio spiritus, obsignatio, sanctificatio & incorporatio in gratiam, peculium, & regnum Dei. Loquor autem non de externa & sacramentaria obsignatione, sanctificatione & incorporatione, quæ per ministrum aç dispensatorem mysteriorum Dei baptizando perficitur: sed de ea quâ Spiritus sanctus ueraciter in cordibus baptizatorum operatur, cuius meminit Apostolus Ephes. 1. dicens, In quem & credentes obsignati estis spiritu promissionis sancto. Vnde & hic spiritus Dei, spiritus sanctificationis dicitur. Pro hac adimpletione baptismi orandũ est baptizatis quotidie, & ex corde suspirandum. Neq; enim ea talis est, ut semel tantum perficiatur: sed per incrementa sua quotidiana continuatione, donec in hac carne sumus, absoluitur.

Adimpletio baptismi bimembris est.

Spiritus sancti ficationis.

1 A' baptizatis requiritur primùm fides, quæ baptismati respondeat, ut fides illorum secundum baptisma sit in patrem, filium & Spiritum sanctum, unum ac uerum Deum, in quem baptizamur. Impium est requirere à Christiano, ut credat in eum, in quem nõ est baptismate obsignatus. id quod nostra ætate faciunt cultores diuorum: Non credis, inquiunt, in sanctos? Sic fidem in mortuos sanctos requirunt à Christianis, quos sciunt baptizatos esse non in nomen sanctorum, sed in nomen patris, & filij & Spiritus sancti. Non sunt contenti fide, quæ respondeat sacramẽto baptismatis, sed ad eam cogunt, quam prorsus conuenit alienam esse à Christianis. Quin potius quærunt, an credamus in patrem, & filium & Spiritum sanctũ. Quod si ita necesse est credere etiam in sanctos, age addamus etiam de sanctis in forma baptismatis, baptizemusq; non solum in patrem, & filium, & Spiritum sanctum, sed & in sanctos.

1

2. Quid requiratur à baptizatis.

Cum autem à baptizato fidem requiri dicimus, quæ sit conformis baptismati, non intelligimus de historica tantum, sed & de ea, qua Deum in quem credimus, inuocemus etiam, adoremus & colamus, qua de suprà in loco de Fide diximus: & qua gratiam quoq; baptismatis, hoc est, ablutionem peccatorum, obsignationem, iustificationem, & sanctificationẽ in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti traditam nobis esse credamus. Loquor autem de ablutione peccatorum per sanguinem Christi impetrata, qua non originale duntaxat peccatum cũ præteritis ante baptismum perpetratis: sed & omnia illa quæ post baptismũ admittimus, abluuntur, hoc est remittuntur. una siquidem & eadem est sanguinis Christi gratia, cuius sacramentum baptismus est, qua omnia nostra peccata cùm ante tum post baptismum contracta, ueris fidelibus & electis remittuntur. Huc pertinet, quod Ioannes in Canonica sua dixit: Et sanguis eius emundat nos ab omni peccato. Et iterum: Filioli, hæc scribo uobis, ne peccetis. Si autem quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. In hanc gratiam baptismate sumus obsignati & sanctificati, duratq; illa per omnem nostram uitam, quasi perennis quidam fons perpetuò lauans electos. cuius quidem sacramentale signum baptismus semel accipitur, ipsa uerò continua nos & perenni efficacia lauat & mundat.

Quæ fides requiratur à baptizatis.

Vehementer itaq; gratiæ huius fides per eos obscuratur, qui illi præcedentiũ duntaxat peccatorum ablutionem tribuunt, sequentium uerò abolitionem in nostram ipsorum iusticiã & satisfactionem reijciunt. Hinc erat quòd olim quàmplurimi baptismum ad extremum usq; uitæ terminum differebant, quo puri ac puti ex hac uita migrarent, atq; ita non nisi in articulo mortis per aspersionem se in lecto baptizari sinebant, quos eam ob causam clinicos uocabant, ad quem modum & Constantinus imperator baptizatus esse legitur. Idem agunt, qui in Papatu Romanas indulgentias, ut uocant, pecunia sibi coemunt, quarum uirtute in articulo mortis ab omnibus peccatis absoluantur. Nihil horũ locum haberet inter Christianos, si gratia Christi, cuius sacramentum baptismus est, agnosceretur.

Clinici unde dicti.

2 Deinde à baptizatis requiritur, ut nouitate ac sanctimonia uitæ Baptismati respondeant. Hinc est illud Apostoli Romanorum sexto: Quid ergo dicemus? Manebimús ne in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc uiuemus in illo? An ignoratis fratres, quòd quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut sicut Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Sic hortatur Apostolus baptizatos, ut quod in illis sacramentotenus gestum est, cum baptizarentur, ueraciter per nouitatem uitæ perficiant.

Nouitas uitæ. Rom. 6.

Mortui, inquit, sumus peccato. Deinde, Consepulti sumus cum Christo in mortem. Quomodo mortui sumus peccato, & cum Christo in mortem sepulti? Si reipsa, quid opus est hac admonitione? si non reipsa, quomodo ergo? Per baptismum, inquit. Hoc est, sacramentaliter, quantum habet sacramentale baptismatis signum. Subijcit itaque rem ipsam, cuius signum præcesserit in baptismate, dicens: Vt sicut Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Requiritur ergo à baptizatis, ut ueterem hominẽ, id est corpus peccati, mortificent, & peccato moriantur, resurgantq; ad uitæ nouitatem, id est puri-

Quomodo mortui simus peccato.

tatem & innocentiam: nec ſinant regnare peccatum in mortali ſuo corpore, ut concupiſcentijs eius obediant: neq; exhibeant membra ſua peccato, ſed Deo ad uerum iuſticiæ ſtudium.

Itaque duo hæc potiſsimùm requiruntur à baptizatis, ad baptiſmatis adimpletionem neceſſaria. Vnum, ut ſeipſos abnegent, ac corpus peccati mortificent, ne concupiſcentijs illius amplius, & peccato uiuant. Reijciuntur hic opera mortua & ſeruilia: hoc eſt, omne illud peccandi ſtudium, cui obnoxius eſt uetus Adam, corpus peccati, uiuens & operans in illis, qui ſunt extra Chriſti gratiam, etiamſi ſint ſub lege, uel mundana philoſophia, aut ſuperſtitione quantumuis monaſtica & in ſpeciem religioſa, nedum ſub ſpiritu Epicuri. Alterum eſt, ut in nouitate uitæ ambulent. Neque enim ſatis eſt, mortuum eſſe peccato, nec ſtudere concupiſcentijs & operibus peccati, nec ſeruire iniquitati & iniuſticiæ: ſed requiritur, ut Deo uiuamus, ac iuſticiæ per nouitatem uitæ ſeruiamus. Arbori ad hoc ut bona ſit, non eſt ſatis, ſi non malos ferat fructus, niſi etiam ferat bonos. Sterilem eſſe, arboris eſt non bonæ, ſed malæ. At quantũ abſumus adhuc à ueritate baptiſmi adimplenda, qui nondum peccati ſtudio renunciauimus? Priorem gradum nondum aſcendimus, ad alterum quando perueniemus? Donec quidem in hac carne ſumus, non perficitur in uniuerſum iſta noſtri mortificatio & renouatio, ut nihil deſiderari queat amplius. Vnde & Baſilius in Epiſtola quadam ad Gregorium Nazanzenum ſcribit, urbanam quidem ſe conuerſationem tanquam multorum malorum cauſam reliquiſſe, ſeipſum uerò nondum relinquere potuiſſe. At interim plurimum diſcriminis eſt inter eos qui nullo ſunt mortificationis huius ſtudio prędi ti, ſed toti adhuc in ſeruitute peccati abſorpti, & eos quibus iacta ſunt renouationis huius exordia, & peccatum non amplius ut reprobis dominatur.

Non eſt ſatis, mortuum eſſe peccato, niſi et iuſticiæ uiuamus.

Baſilius.

Huc etiam pertinet, quod idem Apoſtolus 1. Corinthiorum 6. ab hac baptiſmatis gratia ſacramentaliter accepta, argumentatur, dicens: Atque hæc eratis quidem, ſed abluti eſtis, ſed iuſtificati eſtis per nomen Domini Ieſu, & per ſpiritum Dei noſtri. Dixerat: Ne erretis, neq; ſcortatores, neque cultores ſimulacrorum, neque adulteri, neque molles, neq; qui concumbunt cum maſculis, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regni Dei hæreditatem accipient. Quoniam autem Corinthij neglecta baptiſmatis gratia, qua fuerant ſacramentaliter ab his uitæ ſordibus abluti, & ad uitæ nouitatem ſanctificati ac iuſtificati, peccatis adhuc perinde atque gentes ſtudebant: admonet eos tanquam baptizatos, ut cogitent ſe eſſe à peccatis ablutos ac ſanctificatos, atque ita non peccatis, ſed iuſticiæ uiuant. Quis non uidet, quàm ſit abſurdum poſt acceptam ablutionem denuò ad priſtinas ſordes more ſuum recurrere? Quorſum enim attinet lauari & ablui, ſi iuuat denuò polluì: ſanctificari & iuſtificari, ſi uita prophana & ſtudium iniuſticiæ à regno Dei ſemel ſacramentaliter lotos, ſanctificatos & iuſtificatos non excludunt? Debebant huius admoneri Chriſtiani, eſſe uidelicet ablutos ſe, ſanctificatos ac mundatos in baptiſmate Chriſti, quo acceptæ gratiæ per omnem uitam reſponderent: uerùm hac de re non modò non eſt admonita plebs fidelium, ſed ſic omnis ſanctimoniæ exiſtimatio translata ad ſolos diuos, ut piaculum fuerit, ſi quis Chriſtianum in hac uita conſtitutum appellaſſet ſanctum, uno dempto Romano Pontifice, quem etiam ſanctiſsimum uocare ſolent illius adulatores, eo uidelicet ſenſu, quo famem auri Poeta uocat ſacram.

1. Cor. 6.

Præterea, ne iſta uitæ nouitas, quæ à baptizatis requiritur, pro humani cordis arbitratu inſtituatur, adiectum eſt à Chriſto hoc mandati, ut doceantur baptizati ſeruare omnia, quæ ipſe præcepit Matthæi ultimo: Docentes eos, inquit, ſeruare omnia, quæcunque ego præcepi uobis. Sicut ergo in doctrina Chriſti duæ ſunt partes, una fidem, altera obedientiam concernentes: ita & utræque à baptizatis requiruntur. Eſt enim baptiſmus doctrinæ Chriſti additus, ut rectè dicas hoc loco: Teſtificor omni homini baptizato, quòd debitor ſit uniuerſæ doctrinæ Chriſti faciendæ, non minus quàm Apoſtolus ad Galatas dicebat: Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quòd debitor ſit uniuerſæ legis faciendæ. Quemadmodum enim ægroto non modò medicina datur, ſed & præcepta, quibus obtemperet præſcribuntur, quo minus operatio medicinæ impediatur: ſic Chriſtus baptizatis ſuis præcepta ſua ad ueræ pietatis ſtudium facientia proponi iuſsit, quo minus à gratia ſua, cuius ſunt Sacramento initiati & obſignati, excidant.

Duæ partes doctrinæ Chriſti.

Simile.

Poſtremò conſiderandum & illud eſt: Per baptiſmum omnes in unum corpus, unum ſpiritum, unum Dominum Deum ac patrem, unamque fidem obſignamur & ſanctificamur. Admoneat nos igitur & Baptiſmus, quàm debeamus unitati corporis Chriſti ſtudere, quo minus à ſacramento baptiſmi exorbitemus. Quæ autem ſit illa corporis Chriſti unitas, ſuprà eſt in loco de Eccleſia dictum.

Vnitati ſtudendum.

Hactenus de Baptiſmate, quid ſit, quæ illius ſit inſtitutio, quæ diſpenſatio, & quis uſus, nõ pro ipſius gratiæ amplitudine ac dignitate explanauimus, ſed breuiter pro inſtituti noſtri ratione percurrimus. Scimus adhuc multa poſſe de hoc Sacramento haud inutiliter dici, uerùm non eſt propoſiti noſtri de ſingulis locis ſingulos exarare libros. Quòd ſi quis ſcrupuloſis quæſtionibus delectatur, conſulat Scholaſticorum ſummas. Multa, fateor, occurrunt ſubinde, de quibus

Epilogus.

quibus imperitiores instrui cupiunt. Verùm de singularibus casibus non poterit certò præscribi à quoquam, propter circumstantiarum uarietatem: sed in talibus consulendi sunt aliarum Ecclesiarum ministri, qui & seniores sint & peritiores. Vel in Synodis particularibus statuendum, quod nec Scripturis aduersetur, nec offendiculum Ecclesiæ gignat.

DE COENA DOMINI, ALTERO GRATIAE CHRISTI Sacramento.

DVO sunt in homine primaria, intellectus uidelicet & animus, quorum deprauatio omnem nostram uitam à tramite ueritatis & iusticiæ abducit, inq; fœdos subinde errores & innumeras molestias conijcit. Deprauauit aũt utrunq; in nobis serpens antiquus, sic ut quæ uera sunt, ac saluti nostræ destinata, nec intelligamus nec appetamus. Sunt uerò sic comparata uera bona, ut non solùm intelligentiam nostram, qua ritè cognoscantur, sed & animum requirant auidum, & ardenter erga se affectum. Volunt non cognosci tantum, sed & amari, ac cupidè appeti. Quare nemo compos illorum euaserit intelligendo tantum, sed ex animo & competenter affectando. Seruit tamen intelligentia affectibus, dum quid appetendum sit, monstrat. Dicturis itaq; de cœna Dominica, curandum est studiosissimè, ut & intellectum hominum imperitorum diligenter instruant, quo quid in illa agatur cognoscant, & animos peritorum inflamment, quo quæ intelligunt mente, religiosè appetant & amplectantur corde. Existimo autem nos, utroq; hoc proposito, multo de cœna Domini dicturos utilius, quàm si præsentium temporũ contentionibus inseruiamus: quas utinã ex Ecclesijs ab Antichristo separatis beneficio spiritus Christi sublatas uideamus, priusquam ex hac uita migremus ad Dominum.

Deprauatio intellectus & animi admodũ est noxia.

Quid curandũ sit dicturis de cœnæ Dominicæ mysterio.

Vt autẽ ordinè singula cognitu necessaria consideremus, utemur eadẽ materiæ huius diuisione, qua usi sumus in sacramento Baptismatis. Arbitror enim eã esse utriusq; Sacramenti non modò dignitatẽ, sed & conformitatẽ, ut eadem utrobiq; membra intelligenter inspecta, ad sufficientem illorũ faciant intelligentiam. Quod enim alterum hoc, de quo dicturi sumus, supra baptismũ extollunt, & in eo multo abstrusiora quàm in illo quærunt & dogmatizant, ex scrupulositate est & superstitione carnalis ingenij, nõ ex natura sacramenti. Videbimus igitur,

Diuisio huius materiæ.

1 Quid sit cœna Dominica.
2 Quæ sit illius institutio.
3 Quæ recta dispensatio & administratio.
4 Quis uerus & legitimus usus.

I. QVID SIT COENA DOMINICA.

AD iustam & expeditam cœnæ Dominicæ intelligentiam præmittenda uidentur quædam, priusquam definitionem illius ponamus. Principiò, admonendus est Lector, pertinere eam ad considerationem rerum non simplicium, sed compositarũ. Est enim mystica. Mystica uerò sunt, in quibus aliud est quod uidetur uel auditur, & aliud quod intelligitur: in quorum classem & Dominicam referendam esse cœnam, ipsi Canones ex uerbis Augustini desumpti Dist. 2. Can. Qui manducat, disertè fatentur. Et ipsa Sacramentorum ratio, qua de suprà annotauimus, satis conuincit, esse eam non simplicem, sed ex signo & signato, uel secundum August. ex uerbo & elemento, aut ex uisibili forma & inuisibili gratia compositam, nisi inter Sacramenta gratiæ Christi non sit referenda.

Composita res est cœna Dominica.

Simplicia autẽ & composita, ut inter se qualitate sua differunt, ita sunt aliter atq; aliter inspicienda. Quæ simplicia sunt, simplicem considerationem requirunt: composita uerò simplici consideratione confunduntur magis q̃ explicantur, siue natura eorum, siue ratio & conditio sit consideranda. Quare distinctione utendũ est, quando res compositæ dijudicandæ ueniũt. Homo cõposita creatura est, ut exempli gratia dicam, constans carne & anima rationali, secundum symbolum Athanasij. Si in quæstionem ueniat, sit' ne homo terrena uel cœlestis creatura, mortalis uel immortalis, sine distinctione nemo cõpetenter respondebit. Sunt enim inspicienda hominis partes, unde cõponitur, & secundum illarum uarietatẽ respondendum ad quæsita: utpote, quòd terrenus sit corpore, cœlestis uerò spiritu, & mortalis corpore, immortalis spiritu. Cõsimili modo inspicienda est & cœna Dominica, quæ, ut Irenæus scripsit, ex terreno est & cœlesti composita. Quæ uerò uarietas sit inter cœlestia & terrena, haud opus est ut admoneam: quæ licet compositione sua unum quid efficiunt, naturam tamen uarietate discrepant. Atq; ita si de Sacramento hoc cœnæ Dominicæ respondendum fuerit, terrenã ne res sit uel cœlestis, respondendum est secundum qualitatem rerum unde componitur, esse partim terrenam, partim cœlestem: terrenam in signo, cœlestem in signato: terrenam in pane terreno, cœlestem in pane cœlesti Christo (nam ex gemino pane componitur, natura à se inuicem

Aliter simplicia, et aliter cõposita sunt inspicienda.

diuerſo) terrenam inquam, in forma uiſibili, cœleſtem in gratia inuiſibili.

Rerum compoſitarũ unitas.

Quamuis autem diuerſæ naturæ rerum compoſitarũ omnino ſunt agnoſcendæ (nam multum facit illarum cognitio ad intelligentiã totius compoſiti) induit tamen res compoſita unitatem quandam, quæ uno nomine exprimatur ac ſpecificetur, quo ipſę etiã partes, unde componitur, comprehendantur. Sic uerbum incarnatum, Deo conſtans & homine, duabus rebus natura diuerſiſſimis, uno nomine Chriſtum, & carnem animamque rationalẽ, res diuerſas, in unum compoſitas uno nomine, hominẽ uocamus. Pariformiter & in ſacramentis euenit, quæ & ipſa, licet ex diuerſis natura ſua rebus componantur, unitate tamẽ ſacramentali unum aliquod nomen ſortiuntur, quo exprimantur. Sic baptiſmum ſacramenti gratia uocamus regenerationem, ablutionem, obſignationem, initiationem & ſanctificationem. Cœnæ Domini quibus nominibus uocetur, in ſequentibus uidebimus.

Arbitror aũt haudquaquã tantum fuiſſe contentionis & confuſionis exoriturum in eccleſia Chriſti, ſiue quod ipſum Chriſtum Dominum, ſiue quod illius ſacramẽta attinet, ſi ratio compoſitorum diſtinctè primùm, quod diuerſas rerum compoſitarum naturas attinet, deinde unitas ex compoſitione inducta ritè fuiſſet conſiderata. Sic in cauſa cœnæ Dominicæ dum alij de illa ſecundum internum duntaxat, alij ſecundum externum tantùm iudicant, uel compoſitionem partium illius ſtatuunt aliam, quàm quæ ſacramentali rationi conueniat, quid naſci poteſt aliud quàm ſtudia contentionum, & ipſius cauſæ non illuſtratio, ſed magis obſcuratio? Quare opus eſt accurati iudicij diſcretione, qua conſideremus cœnam Domini eſſe rem compoſitam, partes illius eſſe à ſe inuicem natura diuerſas, Sacramento uerò unitas, tribuamuſq; ſingulis, quod ciuilibet eſt proprium: unitis uerò, quòd ratio poſcit ſacramenti.

Res ſacroſancta eſt cœna Dominica, & myſtica & ritualis.

Deinde diſtinguimus cœnam Domini à cauſis prophanis, agnoſcentes illam eſſe rem ſacroſanctam, ac religioſe tractandam. Adhæc nõ ſolùm ſacroſanctam, ſed & myſticam, quæ nõ modò propter uſum, ſed & propter myſterium in ipſa propoſitum habenda ſit auguſta & ſuſpicienda. Præterea, non myſticam tantum, ſed & ritualem, ut ita dicam. Serpens æneus myſteriũ habebat, ritum non habebat. Lapides tranſmiſſo Iordane poſiti, Ioſue 4. memoriam tranſitus habebant, ritum non habebant. At cœna Domini non modò eſt res ſacra, ſed habet & memoriam, & myſterium, & ritum, uel, ſi mauis, ſolennem ceremoniam à Domino inſtitutam, quam illius iuſſu ſolenni panegyri celebramus.

Quales conuiuas requirat cœna Dominica.

Requirit igitur cœna Domini, quatenus ſacra eſt, cõuiuas ſanctos, & reſpuit prophanos: & quatenus eſt myſtica, poſcit cõuiuas, qui ſenſibus exercitatis, interna myſteria ab eo quod oculis patet, diſtinguere ualeant. Tertiò, memoriam habens, poſcit animum accepti beneficij memorẽ. Quartò, quoniã ritum habet eccleſiæ fidelium traditum, requirit homines Eccleſiaſticos, quibus Eccleſiaſtici ritus à Domino traditi in precio ſint, & obſeruabiles.

Inſpiciẽda ſunt uocabula cœnæ Dominicæ.

Porrò, ut pergamus, puto ad ulteriorem declarationem conducere, ſi nomina inſpiciamus, quibus cœna Dominica appellatur. Etenim cõmuni omnium ſenſu hoc uocanda eſt res quælibet, quod reuera exiſtit, uel ꝓ quo ſingulari quadã ratione habetur, etiãſi natura ſua ſit aliud. Sunt quidem uocabula rerum alia propria, alia impropria, & multum diſcriminis eſt inter definitiones rerum naturalium, & ſacramentalium: uerùm niſi nomina certam habeant rerum expreſsionem, ac quid de illis ſentire debeamus doceant, fieri nõ poteſt, quin in errorem ducatur quiſquis ſenſum illorum ſecutus, id de rebus ſenſerit, quod nominãtur. Iam cum non ſit alius uocabulorum uſus, quàm ut ſint rerum ſigna, quid de illis ſentiendum ſit ſignificantia, exiſtimo nos operæprecium facturos, ſi ad ſtatuendam cœnæ Dominicæ definitionem, inſpiciamus ex ordine, quibúsnam illa uocabulis appelletur.

Vocabula cœnæ Dominicæ triplicis ſunt ordinis.

Sunt autem illa triplicis ordinis. Nam alia ſunt ab ipſo Domino, alia ab Apoſtolis prolata, alia à poſteris ad hæc uſq; tempora inducta. Principiò, cum ſacramentum hoc inſtitueret Dominus, dixit: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum, quod pro uobis traditur. Hoc facite in mei rememorationem. Item, Bibite ex hoc omnes. Hoc poculum nouum Teſtamentum eſt in ſanguine meo, &c. Hoc facite, quotieſcunq; biberitis in mei rememorationem. Ergo quod nos cœnam Domini uocamus, Dominus ipſe uocauit corpus & ſanguinem ſuum, & nouum Teſtamentum in ſuo ſanguine. Has uoces in progreſſu tractatus huius exponemus. At interim commendandæ ſunt memoriæ, ut ſciamus cœnam Domini ab ipſo Domino uocatam eſſe corpus ipſius, & ſanguinem, & nouum Teſtamentum.

Corpus ac ſanguis Domini.

Fractio panis.

Deinde uocarunt eam Apoſtoli fractionem panis. Sic Lucas Euangeliſta, utiq; ex conſuetudine Apoſtolorum, Act. 2. ſcribit: Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum & cõmunicatione, & fractione panis. Locutio hęc ſumpta eſt à ſacro frangendi panis ritu, quo uſus fuit Dominus non modò aliàs, ſed & ad ſacramenti huius inſtitutionem. De myſterio fractionis ſacramentariæ in ſequentibus uidebimus.

Panis & poculum Domini.

Tertiò, Apoſtolus 1. Cor. 11. uocat eam, panem & poculum Domini, quemadmodum & Auguſtinus, cum dicit: quòd Iudas manducauerit panem Domini cõtra Dominum. Hæc locutio non exprimit myſterium huius ſacramenti, ſed ſimpliciter admonet, non eſſe hunc panẽ communem & prophanũ, ſed ſacrum ac myſticum, à Domino eccleſię fideliũ ſuorũ cõmendatum.

Quartò,

Quartò, uocat hoc ſacrum Apoſtolus cœnam Dominicam, 1. Cor. 11. dicens: Conuenientibus uobis in unum, iam non eſt Dominicam cœnam manducare. unuſquiſq; enim propriam præſumit ad manducandum. Loquutione hac admonemur, ut mentes noſtras ad ultimã illã cœnam Dominicã referamus, idq; duplici nomine: primò propter exemplũ facti Dominici, altero propter inſtitutionem ſacramenti. Debebant aduerſarij uel reuerentia locutionis Apoſtolicæ, ut ipſius cœnæ Dominicæ uenerandam mentionẽ taceam, abſtinere ab irriſione, qua nos exufflant, dum ante meridianã eorporis ac ſanguinis Domini communionẽ cœnam Dominicam uocamus. Abſtinerent aũt, niſi quod ipſi faciunt, aliud ab eo eſſe ſentirent, quod Apoſtoli ab ipſo Domino inſtituti fecerunt, & Dominicam cœnam uocarunt. *Cœna Dominica.*

Quintò, uocatur etiam ab ipſo Apoſtolo cœna hęc Domini, communicatio corporis ac ſanguinis Domini, dum 1. Corinth. 10. ſic dicit: Poculum benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Domini eſt? & panis quem frangimus, nônne cõmunicatio corporis Chriſti eſt? Hoc dicens Apoſtolus, id exprimit, quod in hoc eſt ſacramento primarium, fractionem uidelicet hanc panis, & poculum benedictionis communicationem eſſe corporis ac ſanguinis Chriſti, pro peccatis noſtris in cruce oblati ac fuſi. Eſt autem cõmunicatio iſta, participatio omnium eorum quæ Chriſtus in cruce pro nobis moriens, corporis ac ſanguinis ſui oblatione generi humano promeruit. *Cõmunicatio corporis et ſanguinis Domini.*

Sextò, uocatur ab eodem Apoſtolo, menſa Domini, 1. Corinth. 10. cum dicit: Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. Vocabulo menſæ diſtinguitur hoc ſacrum à ſacrificio. Sacrificio competit ara, communicationi ſacrificij menſa. Sacrificij Chriſti ara crux erat, communicationi uerò illius deputata eſt menſa, qua participent fideles de oblatione pro peccatis noſtris in ara crucis facta. *Mẽſa Domini.*

Hactenus uoces Dominicas & Apoſtolicas cõmemorauimus, quibus cœna Dominica in Sacris ſcripturis appellatur: iam cõſequenter eas quoq; uideamus, quæ poſt Apoſtolorũ ſunt tempora in eccleſiam inductæ. Primùm Græci uocarunt eam σύναξιν, id eſt congregationẽ: eo quòd illa in ſolennibus fidelium congregationibus ſingulari religione, ac ſic celebraretur, ut propter eam potiſsimùm ſolennes conuentus fieri uiderentur. Et præterea tolerabantur in cõcionibus publicis prophani, uerùm ubi inchoanda erat ipſa Dominicæ cœnæ communicatio, iubebantur illi diſcedere, & accedere ſancti, quorum eſt tantum ad communicationem menſę Dominicæ congregari. Quare & hoc nomine rectè σύναξις eſt uocata. *Synaxis.*

Deinde uocarunt eam & ἱερὰν τράπεζαν, id eſt Sacram menſam. qua locutione admonentur cõmunicantes, ut cogitent ſe non terreno, ſed cœleſti, id eſt Chriſti conuiuatoris, pabulo paſci, curentq; ſe ſanctos ſacræ menſæ exhibere conuiuas. Tempore Antonij Magni fuit hæc locutio in uſu, id quod in Eccleſiaſticis hiſtorijs patet: in quibus de uiſione illius legitur, qua ſacram menſam à mulis ſubuerti uidiſſe ſcribitur. Vide Sozomenũ lib. 6. cap. 5. Tertiò, uocarunt eam & λειτουργίαν, quæ uox miniſterium publicum ſonat, unde & angeli Ebr. 1. λειτουργοὶ dicti ſunt, ſicut & magiſtratus Rom. 13. & ſubſidium in pauperes publico miniſterio diſpenſatum, Rom. 15. Hoc ſenſu Germani utimur uoce, Ampt, tam in religinone, quàm in rebus profanis. *Sacra menſa.* *Liturgia.*

Quartò, uocata eſt etiam memoria Domini. quæ appellatio ab eo eſt ſumpta, quòd Chriſtus cùm ſacrum hoc inſtitueret, dixit: Hoc facite in mei rememorationem. At hæc locutio nõ habet plenam ſacramenti huius definitionem. *Memoria Domini.*

Quintò, & euchariſtia, id eſt gratiarum actio, uocata eſt à Græcis. quæ uox uſqueadeò uſitata eſt, ut & Latinis eccleſijs ſit notiſsima & in frequenti uſu. Ratio illius eſt, quòd in hoc ſacro eccleſia gratias agit redemptori, dum mortem eius ex inſtitutione Apoſtolica annunciat ac celebrat, per quam ſe agnoſcit eſſe redemptam. *Euchariſtia.*

Sextò, uocata eſt & ἀγάπη, id eſt dilectio, propterea quòd Chriſtiani, cùm hoc ſacrũ celebrarent, mutuam inter ſe dilectionem, tanquã unius corporis mẽbra, operibus charitatis alerẽt & exercerẽt: unde & collectarũ uſus huic cœnæ adiungebatur, quibus egenis ſubueniebatur. *Agape.*

Septimò, communiter uocatur à nobis ſacramentum corporis ac ſanguinis Domini, quæ appellatio utinam tam eſſet omnibus ritè cognita, quàm eſt omnibus in uſu. Quid autem ſit ſacramentum, ſuprà eſt explicatum. *Sacramentum corporis & ſanguinis Domini.*

Octauò, uocatum etiam hoc ſacrum eſt à ueteribus ſacrificium corporis ac ſanguinis Domini. quod nõ ita intellexerunt, quaſi denuò Chriſtus in remiſsionem peccatorum offeratur, ſicuti papiſtæ contendunt: qua de re ſuo loco dicemus, ſed quòd unici ac ſemel in cruce perfecti ſacrificij memoria in cœna Domini celebratur. Sic Auguſtinus lib. 10. De ciuitate Dei, ca. 5. Sacrificium hoc uiſibile inuiſibilis ſacrificij ſacramentũ, id eſt, ſacrum ſignum eſſe dicit. Et de conſecr. diſtinct. 2. Cum frangitur hoſtia, inquit, dum ſanguis de calice in ora fideliũ funditur, quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiusq; ſanguinis de latere effuſio deſignatur? Et Chryſoſt. ſuper epiſtolã ad Ebr. hom. 17. Quid igitur inquit? An nõ & nos quotidie offerimus? Offerimus quidẽ, uerùm rememorationẽ mortis eius facimus. Et una eſt hęc uictima, nõ multæ. Quomodo una eſt, nõ multæ? Quoniã ſemel oblata eſt. Illa in ſancta ſanctorũ illata eſt, hęc illius typus, id eſt figura eſt. Et paulo poſt: Hoc, inquit, ad rememorationẽ facimus *Sacrificiũ corporis ac ſanguinis Domini.*

eius

eius quod tum est factum. Hoc enim, inquit, facite in mei rememorationem. Non aliam uictimam, sicut summus sacerdos, sed semper eandem facimus. imò magis rememorationem uictimæ facimus. Hæc ille. Est itaq; sacrum hoc à ueteribus non propriè, sed impropriè, sacrificiũ corporis ac sanguinis Domini uocatum. Neq; est, ut hæc locutio ad missam papisticam referatur. Nam illi non hanc, sed ipsam Dominicæ cœnæ communionem sic appellarunt.

Abusus in uoce sacrificij.

Omnes hasce locutiones, quibus sacramẽtum corporis ac sanguinis Domini, si rectè intelligantur, explicatur, recipimus & approbamus: sic tamen, ut postremam illam, qua ueteres cœnam Domini sacrificium, id est sacrificij memoriam, uocare cœperunt, existimemus non adeò commodam esse ecclesiæ, propter inueteratum iam illius abusum, quo posteriores sub hac appellatione fœdissimam suam nundinationem in ecclesias induxerunt, populisq; persuaserũt, offerre se in missæ sacrificium expiatorium pro peccatis uiuorum & mortuorum.

Tandem cœperunt suũ sacrum papistæ uocare missam, quam uocẽ præstat abijcere, tanquã nouam, & priscis ecclesijs incognitam. Vnde autem nata sit, alio loco dicemus.

Vbi omnes istas de cœna Domini locutiones diligenter consideramus, & in unum quasi corpus congerimus, existimamus nihil desideraturum pium ac fidelem hominẽ, quod definitionem, uel si mauis, descriptionem sacramenti huius attinet, si definiamus illud ad hunc modum, ut fit cœna Domini, synaxis Christi fidelium & noui Testamenti liturgia, in qua secundũ institutionem Christi seruatoris nostri sacramentum corporis ac sanguinis eius per mysticam panis fractionem, & poculi benedictionem ecclesiastica communicatione de sacra illius mẽsa dispensatur & accipitur, ac simul memoria unici sacrificij, quod in ara crucis pro salute nostra perfectum est semel, cum gratiarũ actione & Christianæ dilectionis exercitio celebratur. Hæc omnia sic sunt in hac Dominicæ cœnæ causa, ut non uideam quid de illis possit sine detrimento integritatis illius auferri. Cùm Apostolus dicit, Panis quem frangimus, nónne cõmunicatio est corporis Domini? duo quidem sacramenti huius substantialia exprimit: externũ uidelicet signum, quod est in fractione panis & benedictione poculi, & mysteriũ quod est in communicatione corporis & sanguinis Domini: quæ duo satisfaciebant causæ, quam ad hoc agebat, ut communicationem mensæ dæmoniorum retunderet, & ab illa auocaret eos, qui in corpore ac sanguine Domini sub mystica panis fractione, & poculi benedictione cõmunicantes, cum infidelibus ad mensam dæmoniorũ accumbebant: uerùm nondum omnes partes huius causæ substantiali illa est definitione complexus, quas nos ideo coniunximus, ut uideat Lector quasi in tabula quadã depictum, quid de cœna Dominica sentire debeat. Quare quæ posthac dicentur, ad pleniorem sunt definitionis huius declarationem factura.

Definitio cœnæ Dominicæ.

II. QVAE SIT INSTITVTIO COENÆ Dominicæ.

INstitutionis cœnæ Dominicæ prima est habenda ratio. Etenim sine hac inanis esset omnis illa ceremonia, qua ecclesia hoc nomine utitur, quòd sit Dominici corporis & sanguinis sacramentum. De hac autem uidendum est non ubilibet, sed in scripturis tantum Euãgelicis & Apostolicis, ut ex certis illarum documentis & testimonijs constet nobis certa diuinæ constitutionis authoritas, quam tutò possint fidelium sequi conscientiæ.

Ea legitur Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. & 1. Corinthiorum undecimo, quę loca in unum contextum redacta sic habent:

Institutio cœnæ Dominicæ.

Ego accepi à Domino, quod & tradidi uobis, quòd Dominus Iesus in nocte qua tradebatur, cùm uesperarent, accepit panem, & gratias egit, fregitq; ac dedit discipulis suis, & dixit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro uobis datur ac frangitur. Hoc facite in mei rememorationem.

Consimiliter accepit & poculum postquam cœnauit, et gratias egit, deditq; illis, dicẽs: Bibite ex hoc oẽs. Et biberunt ex eo omnes. Et ait illis: Hoc poculum nouum Testamentũ est in sanguine meo, qui pro uobis & pro multis effunditur in remissionẽ peccatorũ. Hoc facite quotiescunq; biberitis in mei rememorationẽ. Quotiescunq; enim comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortẽ Domini annũciatis, donec ueniat.

Hæc est Dominicæ cœnæ institutio, quam certis membris, hisce uidelicet, complectimur,

1 Quis, & 2 Quid instituerit, &
3 Quid nos facere iusserit.

I. QVIS INSTITVERIT.

Author cœnæ Dominicæ.

PRincipiò proponitur nobis ab Apostolo mysticæ cœnæ author. Neq; facit hoc ille præter rationem. Plurimùm enim ad hoc facit considerata institutoris authoritas, ut quod ab illius dignatione accepimus, rectè ac legitimè usurpemus. Cùm Christus matrimonij uellet emendare corruptelas, induxit illius authorem Deum, eamq; causam sic cõclusit, ut admonuerit, non esse transgrediendos limites, quos ipse matrimonij author fixit, nec separan-

dos

dos quos ille coniunxit: qua re ſatis innuit, ex eo matrimonij natam eſſe corruptionem, quòd humana temeritas relicta authoris illius obſeruantia ad primæuam eſt inſtitutionem reſpicere dedignata. Et in præſenti cauſa cogitandúmne nobis eſt aliud, quàm hinc eſſe omnes illius abuſus, quòd contempta inſtitutoris authoritate, hi qui gubernaculis eccleſiæ potiti ſunt, quiduis proprio arbitratu uel tollere, uel addere, uel mutare non ſunt ueriti? Audiatur ergo ex uerbis Apoſtoli, quâ ille fide & religione myſteriũ cœnę Dominicę in eccleſia diſpẽſarit, quâ q; nõ ſuâ, ſed Dominicâ authoritatẽ fidelibus propoſuerint: deniq; ad hâc illos cũ à recto uſu declinaſſẽt, reuocarit: dicẽs, Ego accepi à Domino, qd & tradidi uobis, quod dominꝰ Ieſus, &c.

Vnde ſint abuſus in cœna Dominica.

Ergo cœnam hanc myſticam habemus non ex Apoſtolica, nedum humana aliqua, ſed Dominica authoritate. Ipſe Dominus ſeruator ac redemptor noſter corporis ac ſanguinis ſui myſterium, quorum nos oblatione redemit, inſtituit, nobisq; ſuis fidelibus cõmendauit. Huius authoritatem Paulus Corinthijs ad hoc propoſuit, & ijs quæ dicturus erat, præmiſit, ut quæ corrigere conabatur, ſic corrigeret, ut ſimul ea ab inſtitutione Dominica diſcrepare oſtẽderet. Non caret enim emphaſi quod dicit, Ego enim accepi à Domino, quod tradidi uobis. Tantũdem enim eſt, ac ſi dicat, Quòd ab eo diſceſſiſtis, quod ego uobis initiò tradidi, non tam eſt cõtra meam traditionem, quàm contra Dominicam inſtitutionem factum. Etenim à Domino accepi, nõ de meo præſumpſi, quod uobis tradidi, à quo iam deficitis. Poterat dicere, Ego ueſter Apoſtolus: uel, Ego authoritate qua ut Apoſtolus Chriſti fungor, ſic uobis tradidi. Verùm malebat Dominicam illis inſtitutionem, quàm ſuam proponere authoritatem. Sunt itaq; uehementer peruerſi, qui eccleſiæ non proponunt quæ tradita ſunt à Domino: & interim proponunt quæ ab illo tradita non ſunt, ſed humana temeritate præſumpta, quorum etiam obſeruantiam impenſius extorquent à fidelibus, quàm ſi ab ipſo eſſent Domino tradita. 1 Fidelis miniſtri officium eſt, ut ſit diſpenſator eorum quæ à Domino accepit, quo poſſit & ipſe dicere, Quod accepi à Domino, tradidi uobis. Iungenda ſunt hæc duo, accipere & tradere. accipere à Domino, & tradere illius eccleſiæ. Perfidorum eſt, quæ tradita ſunt à Domino interuertere, & non fideliter tradere domeſticis. Perfidorum eſt, non accipere à Domino, ut tradant eccleſiæ, ſed tradere eccleſiæ, ut ab illa accipiant, tradere quiſquilias humanarum traditionum, ut accipiant aurum & argentum. 2. Deinde & religioſi eſt ac Chriſtiani populi, intellecta Dominica inſtitutione ſic Dominicam reuereri authoritatem, ut ad illius normam ſeſe componat ex animo, & alienum illum ignem altari Dei impoſitum confeſtim fugiat, nec audiat eos qui perpetuò ſonant, Patres, cõcilia, conſuetudinem, ſedem Apoſtolicam, catholicã eccleſiam, & neſcio quæ huiuſmodi alia: ſed pluris faciat unicum Dominicæ inſtitutionis uerbulum, quàm omnes harum uocum fumos, quibus mentes fidelium excæcare ſolent. Papiſtici ſacri authorem Iacobum apoſtolum & fratrem Domini eſſe gloriantur. Obſecro, ſi retinuerunt quod traditum eſt à Domino, quid neceſſe eſt illius alium quàm ipſum Dominum ponere authorem? Nos cœnæ Dominicæ authorem habemus nec Iacobum, nec Petrum, nec alium aliquẽ Apoſtolum, ſed Dominum ipſum. Vbi authoritas eſt Domini, quorſum attinet gloriari de authoritate ſerui? Verùm ſic facere coguntur, qui quod habent in uſu, ſine pudore non poſſunt ad Dominicam referre inſtitutionem, à qua norunt eſſe alienum quod faciunt.

Cur Apoſtolus authoritatẽ dõmini proponat.

Fidelis miniſtri officium.

Quid Chriſtianus populus in hac cauſa facere debeat.

II. QVID INSTITVERIT DOMINVS.

QVoniam inſtitutio Dominca conſtat non uerbis tantum, ſed & facto ſimul & uerbis, inſpicienda ſunt utraq; & factum illius & uerba. Non eſt abſq; conſilio factum, quòd neq; facto abſq; uerbis, neq; uerbis abſq; facto ſacramentum hoc inſtituit: ſed utraq; ſic coniunxit, ut & uiderent diſcipuli in facto, & audirent in uerbo, unde de ſacramento hoc inſtruerentur, nec ulla relinqueretur humanæ temeritati de ſuo quicquam comminiſcendi, aut partẽ aliquam ſacramenti huius corrumpendi occaſio. Sanè diligenter cauit, ne uel aliud quàm uolebat, in poſterum uſurparent, uel hoc ipſum quod uſurpari uolebat, aliter intelligerent & exponerent, quàm facti myſterium requirit. Fecit ipſe prior in oculis ipſorum, quod in poſterũ facerent ipſi, & eccleſiæ traderent: deinde factum ſuum, quoniam erat myſticum, myſtica quoq; declaratione expoſuit. Diligentiam hanc Domini uſqueadeò contempſerunt eccleſiarum magiſtri, ut & ſimplicitatem facti in aliam formam mutarint, & expoſitionẽ adiectam ſic à uerò ſenſu detorſerint, ut in illa omnium quæſtuoſiſsimam impietatem ſimul & nundinationem excogitarint, eccleſiæq; propoſuerint. Sed uideamus ex ordine ſingula.

Et factum & uerba Chriſti conſideranda.

Quod factum Chriſti attinet, quantum ſacramenti huius inſtitutionem concernit, accepit panem, deinde gratias egit, utiq; patri: tertiò acceptum panem fregit: quartò, fractum dedit diſcipulis, quos ſecum habebat in cœna: quintò, conſimiliter accepit in manus & poculum, uini uidelicet, ex germine uitis: ſextò, rurſus egit gratias: ſeptimò, dedit & hoc diſcipulis. Hiſce particulis factum Chriſti, adeoq; & externa ſacramenti huius forma continetur.

Factum Chriſti quod.

1 Principiò, quòd panem accepit in manus, gratias egit, fregit, ac diſcipulis dedit, poterat ab ipſo pro more factũ uideri. Nam hoc ipſi erat in conſuetо. Verũ contextus uerborũ, quę expoſitionis

Quale factũ.

sitionis gratia adiecit, satis admonebat esse hoc factum non inter consueta & usitata referendum, sed habere sacramenti rationem & institutionem.

2 Deinde considerandum est, quare in pane ac uino sacramentum hoc noui Testamenti instituere uoluerit. Verùm ea de re in Matthæo nostro diximus.

Quali pane usus sit.

3 Tertiò, quali pane usus sit, ex circumstantia legalis obseruationis cognosci potest. Erat festum Paschatis, in quo non modò non licebat uti pane fermentato, sed ne inueniebatur quidẽ eiusmodi panis. Nam secundum legem solenne erat ad initium Paschatis omne fermentum expurgare, & è medio auferre, quam rem Apostolus figuralis documenti gratia fidelibus, 1. Corinthiorum quinto, proponit dicens: Expurgate uetus fermentum, ut sitis noua cõspersio. Ergo azymo pane usus est in cœna Dominus, non quòd alio non licuisset, si alio tempore sacramentum hoc instituisset: sed quòd nulla esset necessitas usurpare ad hoc panem fermẽtatum, & facere quod & legi repugnasset, & graue offendiculum discipulis obiecisset. Erat quidem legalis & Iudaica obseruatio, qua panem azymum tempore paschatis usurpabat: uerùm dabat hoc tempori & infirmitati discipulorum, præsertim cùm nondum esset consummata legis dispensatio. Quare, meo iudicio, nec Latinis erat ratio tantopere Græcorum morem pane fermẽtato in cœna Domini utentiũ, quasi illicitũ damnare: nec Græci sic ab azymo abhorrere debebant, ut hoc ~~nomine ab ecclesijs~~ Latinis seiungi se sinerent, cùm nõ referat in azymo ne, uel fermentato pane, quod postea Græcos in octauo synodo tempore Eugenij quarti agnouisse legimus: referat uerò plurimũ quàm sincera ac ueraci fide communicemus. Panem azymum mordicùs retinemus in hoc sacramẽto, at nouam cordium nostrorum conspersionẽ iam olim maiori ex parte reiecimus. Fermentum è pane eijcimus, at interim fermentum maliciæ & nequitiæ in corde retinemus. Azyma corda, sacra hæc & mystica mensa requirit, non azymos panes. Cùm Apostolus diceret: Expurgate uetus fermentum, non de farinaceo, sed metaphorico est fermento locutus: quòd fermentum uocat uetus, id est ueteris uitæ, fermẽtum maliciæ & nequitiæ. Fermentum abominabile est in hoc sacro impietas cordis, incredulitas, eidololatria, & ueteris uitæ impuritas. Hoc erat auersandum.

Controuersia Græcorum & Latinorum de pane cœnæ dominicæ.

Quid fuerit in poculo.

4 Quartò, quod poculum attinet, existimo neminem esse qui neget uinum in illo fuisse, cum dixerit Dominus Matth. 26. & Lucæ 22. haud bibiturum se amplius de germine uitis, donec nouum cum suis bibat in regno Dei. ~~Improbamus igitur primùm aquarios~~, qui aqua sola in cœna utebantur, quos Cyprianus libr. 2. Epistola tertia refutat: deinde & eos qui ~~lacte usi~~ sunt pro uino, de quibus De consecr. distinct. secũda, Can. Cùm omne crimen: tertiò & usum illẽ, quo aqua uino in calice admiscetur à Papistis: idq; non libera obseruatione, quod ferri posset, sed usqueadeò necessaria, ut eos damnent, qui solo uino absq; aqua utuntur. qua in re dũ alios damnant, seipsos damnabiles reddũt, idq; duplici nomine. Primùm, quòd præter exemplum Christi aquam uino infundunt. Deinde, quòd puri uini usum, exemplo Christi conformem, damnant. De consecratione distinct. 2. Can. In sacramentorum oblationibus, sic habent: Nõ enim debet in calice Domini aut uinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrunq; permixtum offeratur. Si diceret, Non debet aqua sola offerri, tolerabilius diceret: uerùm quòd dicit, Non debet uinum solum offerri, nihil aliud est quàm si dicas, Non debet fieri quod ~~Christus fecit~~. De uino tãtum legimus, de aqua nulla fit mentio. Subijcit Canon, Quia utrunq; ex latere eius in passione sua profluxisse legitur. Idem habet Canon, Nõ oportet, eadem distinct. Verùm respondeãt, ubi scriptum sit, quòd ex Christi latere utrunq;, uinum scilicet & aqua, profluxerit. ~~De sanguine & aqua~~ legimus, de uino & aqua non ita. Obsecro quale censendum est hoc argumentum: In calice neq; solùm uinum, neq; sola aqua, sed utrunq; permixtum est offerendum. Quare? Non dicit, Quia Dominus ita constituit: sed, Quia utrunq; ex Christi latere profluxit. Primùm, quòd uinum è latere Christi profluxisse dicit, manifestè est falsum. Deinde etiãsi aqua ex illo profluxit, haud tamen illa debebat ad usum sacramenti trahi, quando ea de re nec factum Christi habemus, nec uerbum. Cyprianus urget admodum, & rectè, non esse in hoc sacro faciendum, nisi quod Dominus ipse prior fecerit, & nos facere iusserit. Et tamẽ cõtra hanc regulam ipse quoq; mixturam aquæ in calice defendit. Sic facilè est scire ueritatis regulã: constanter uerò sequi, nõ ita. Quod aquam lateris Christi attinet, ipse illam Cyprianus ad calicem pertinere negans trahit ad baptismum: quod & Magister sententiarũ facit, lib. 4. Distinct. 12. Quare nihil probant ex sanguine & aqua, è latere Christi promanantibus.

Quod aquam uino immiscent.

Cyprianus.

Mos Orientalium.

Non dubito regionibus illis Orientalibus, ubi fortissima uina crescunt, catholicum fuisse morem infusa aqua uim uini nonnihil infringere. Vnde & uerbum מסך apud Hebræos in Sacris scripturis legitur, quod miscere significat, & nonnunquam sensu infundendi ponitur: ut uidere est Prouerb. 9. & 23. & Esaiæ 5. Et hinc esse puto, ~~quòd episcopi Orientales~~, & post illos ~~etiam Itali, aquam uino~~ immiscere cœperint, ~~ut in usu~~ uini profano, ita & mystico. Ex eo tamẽ non debebant ponere legem ecclesijs, & usum uulgarem mysticis expositionibus palliare ac damnare eos qui sine aquæ mixtura communicant.

De Græcorum actione.

5 Quinto, quòd gratias utrobiq; tam ad poculi, quàm panis usurpationem egit, ex more quidem fecit: uerùm sic ut in præsenti causa, dubio procul, singulari sit feruore usus, quo ad illam erat

lam erat accensus, iuxta illud Lucę 22. Desiderâdo desideraui hoc pascha manducare uobiscũ, priusquam patiar. Et nostrum est, quoties quidem edimus ac bibimus, omniũ largitori Deo gratias agere ex animo: uerùm in communicatione sacramenti huius tanto hoc debemus religiosius & ardentius facere, quanto præstantior est cibus mentis, quàm uentris. Quid uerò sit gratiarum actio, quorumq; sit, & quomodo Christo Domino competat, in Commentarijs nostris super Ioannem annotauimus, cap. 6. Erat studium hoc gratias agendi Deo tam solenne olim in Ecclesia, cùm de mensa Domini communicarent fideles, ut totam hanc mysticã actionem Patres eucharistiam uocare cœperint.

Εὐλογεῖν idem quod εὐχαριστεῖν.

De eo diximus alibi, Euangelistas & Paulum duo hæc uerba εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν usurpare sensu eodem, pro gratias agere: ut quòd Marcus hic Dominum benedixisse dicit, non sit referendum ad panem, quasi hunc benedicendo consecrarit, & in corpus suũ mutarit: sed ad Deum patrem, ad quem: cunctam redemptionis nostræ gratiam, tanquam primum illius fontem retulit & ipse, & nos exemplo suo referre docuit.

Quare panem fregerit.

6 Sextò, fregit panem. Verosimile est fuisse placentam azymam ac fragilem. Integrã in manus accepisse innuitur, quum fregisse dicitur. Fregit autem gratia diuidẽdi. Et hoc illi consuetum erat. Fractionis huius simplicitatem superstitiosa magis quàm religiosa posteritas in triplicem partitionem peruertit. Sic debebant frangere fidelibus panem Domini, ut cuiq; sua cederet portio: uerùm hac Dominica fractione & ecclesiastica communicatione relicta, hostiam, quam uocant, frangunt in tres partes, quarum primam cœlestibus, secundam adhuc in terra uiuentibus, tertiam mortuis deputant: deinde primam & secundam sacrificulus comedit, tertiã calici iniectam bibẽdo sumit. Nihil horum est à Domino excogitauit ea spiritus discessionis, à Dominico instituto deficiens. Frangunt non ut distribuant, sed ne non fregisse uideantur, quasi fractio sine distributione Dominicæ institutioni satisfaciat. Frangitur panis, ut in cibum esurientium distribuatur. Quare fractio non est tale quid, quod propter se, sed quod propter aliud fieri debeat, atq; ita inanis est fractio, quam nulla sequitur distributio. Fractionis huius תכלית, & finis est communicatio. Inter hanc & illam media est distributio, per quam ecclesię sacramentum corporis ac sanguinis Domini communicatur. Sic cohęrent ista, frangere, distribuere, communicare. Quid ergo est, quod frangunt, cum fractum panem non distribuant, sed soli edant? Cum panem suum Christus frangeret, frangebat non ut Deo patri offerret, sed ad hoc, ut communicabilem redderet, & in suos distribueret. Non dicit, Fregit & obtulit: sed, Fregit & dedit illis. Si faciunt quod Christus fecit, cur non faciunt ad eum modum & finem, ad quem ille fecit? Apostolus dicit: Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Domini est? Ergo sic frangebant Apostoli in ecclesia panem, ut esset communicatio corporis Domini. De pane papistarum non potest hoc ueraciter dici: quia non ad hoc frangitur, ut ad communicationem fidelium distribuatur.

Trina fractio panis apud papistas.

Quare non dederit discipulis frangendum.

Fregit, inquit, & dedit discipulis suis. Fregit ipse sua manu panem, ac fractum à se dedit discipulis. Non dedit illis integrum, & ab ipsis frangendum, sed à se fractum panem. Non dedit ut ipsi distribuerent, sed ut à se distributum acciperent & ederent. Erant Apostoli in ea cœna Domini non ut dispensatores mysteriorum Dei, sed ut conuiuæ, ut fideles, ut discipuli, ut cõmunicantes: Christus uerò ut conuiuator, ut Dominus, eadem opera instituens, ac suisipsius manibus dispensans gratiæ suæ sacramentum, simulq; sanctificans futuram ac ministerialem illius dispensationem, & significans fieri non posse, ut de gratia illius partìcipet quisquam, nisi ipse illam uirtute spiritus sui dispenset. Quare non est hoc loco Apostolica in illis considerandа dignitas, sed ecclesiastica communio, ad omnes fideles ex æquo pertinens. Huius non frustrà admoneo. Erit in sequentibus alicubi illius usus.

Accipite, et comedite.

Bibite ex hoc omnes.

Ad hoc Christi factum & illud referendum est, quod dixit: Accipite, comedite. Item, Bibite ex hoc omnes. Non dedit ad recondendum, asseruandum, circumgestandum & adorandũ, sed ad edendum & bibẽdum. Non dedit uni duntaxat ex illis, qui solus ederet ac biberet pro alijs, sed omnibus qui aderant, ut singuli acciperent, ederent ac biberent. Verùm hac de re & aliàs monui. Quòd de poculo dixit, Bibite ex hoc omnes, cùm de pane non dixerit, Edite de hoc omnes: uerosimile est ob eam esse rationem factum, quòd de pane quidem à se fracto singulis dedit suam unicuiq; partem: de poculo uerò non ita. Nam hoc ut erat integrum, uni cuipiam ex illis primùm dedit, ut biberet: & post hunc ex ordine singuli. Siue plura pocula fuerint in mensa, siue unum tantum, non nisi ex uno & eodem uoluit omnes bibere. Sic cùm primò dedisset poculum, dixit: Bibite ex hoc omnes. Hinc tamen non est, ut damnemus eorum consuetudinem, qui propter cõmunicantium multitudinem pluribus poculis utuntur in cœna Domini. Pulchrè tamen ad significandum unius & eiusdem sanguinis mysterium, unde ex æquo potantur fideles omnes, unius poculi usus facit. Nec displicet quod nonnulli sentiunt, hoc poculum fuisse, unde ipse Dominus peculiariter in ea tota cœna biberit, ut & hoc nomine rectè poculum Domini uocetur. Comederit ne ac biberit ipse prior de hoc pane & poculo, quemadmodum Chrysostomo placuit, & Canon ille, Nec Moses, de Consecr. distinct. 2. signi fieat, dum Christum in hac cœna & conuiuam & conuiuium, & comedentem, & eum qui co-

An Christus prior ederit ac biberit.

meditur facit, nõ est quidẽ ut affirmemus: uerùm iuxtà nõ est, ut cõstanter negemus. Est nanque uerosimile, quod quemadmodũ nobis initiationis sacramentũ sanctificauit, dum à Ioane baptizaretur, ita & cõmunicationis sanctificare uoluerit, ideoq; prior ederit ac biberit.

Quibus uerbis factũ suum declauerit.

Inspeximus hactenus obiter externũ Christi factũ, quatenus institutioni mysticę cœnæ cõuenit, pergendũ iam est & uidendũ de uerbis illius, quæ declarationis gratia adiecit: utpote, Hoc est corpus meũ, quod pro uobis datur ac frangitur. Hoc facite in mei rememorationem. Item, Hoc poculũ nouũ Testamentũ est in sanguine meo, qui pro uobis & pro multis effunditur, in remissionem peccatorũ. Hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei rememorationem.

Requiritur intellectus animi fidelis.

Hisce uerbis expressam habemus declarationem pio ac fideli homini sufficientem. Hactenus locus fuit externis sensibus & intellectui animali ad iudicandum de externo hoc Christi facto: nunc uerò ubi ingrediendum est in ipsa penetralia mentis Christi, uidendumq; quo sensu, quaratione, quo fine, panem & uinum discipulis suis moriturus dederit, seponendum est iudicium externorum sensuum, & adhibenda mens fidelis, quæ mentem Christi in hoc facto capiat & amplectatur. Opus est hic animis defecatis ac spiritualibus, quales eorum sunt, qui instar animalium mundorum, quod externè uident & audiunt, intus in corde ruminant, & inter externa facta & mentem factorum ritè distinguunt.

Rudes de sensu cœnæ Domini instruendi.

Quare conuenit, ut imperitiores ac rudes priusquam ad mensam hanc Domini accedant, de intellectu illius instruantur. Sic præcepit Dominus Israeli de intellectu Pesah communicando iunioribus, Exodi duodecimo dicens: Cum ingressi fueritis terram, quam Dominus Deus tuus daturus est uobis, obseruabitis ceremonias istas. Et cum dixerint uobis filij uestri, Quæ est ista religio? dicetis eis, Victima transitus Domini est, quando transiuit super domos filiorum Israel in Aegypto, percutiens Aegyptum, & domos nostras liberans. Et de primogenitis Domino consecrandis, cap. 13. præcepit, ut filij de ratione illorum instruerentur, sicut & de testimonijs, iudicijs & ceremonijs legalibus, Deuteronomij sexto. Quanto, quæso diligentius instruendi sunt inter nos rudiores, ut Dominicæ cœnæ rationem ex ipsis Domini uerbis intelligant, ne animali tantum iudicio præditi in facto externo hæreant, illudq; uel contemnant, uel superstitiose sine sano intellectu obseruent. His enim deuijs tam ad dexteram, quàm ad sinistram à germano illius sensu & usu aberratur.

Exod. 12.

Exod. 13. Deut. 6.

Propositũ seruandæ modestiæ.

Quoniam autem uerba Christi, quibus factum illius declaratur, & noui Testamenti sacramentũ instituitur, contentionibus parum Christianis nostro seculo obscurantur magis quàm illustrantur: constitui sic ab illis rixis pro Christiana modestia abstinere, ut etiamsi subinde in mentionem illarum incidero, id tamen haudquaquam contentionis cum quoquam ineundæ gratia, sed ad id magis faciam, ut quod sentio, & à ueris Christianis sentiendum esse iudico, fideliter indicem, & iudicium fratribus relinquam, quos omnes, utut uel à me, uel inter sese in hac causa dissideant, modò papisticæ non sint impietatis & nundinationis patroni, amanter in Domino complector: alienus prorsus ab amarulentia illa, qua nonnulli hodie dissidentes à se satanæ deuouent, mille conuicijs ac dicterijs quouis sale mordacioribus odiosissimè proscindunt, quæ nemo Christianus sine magno dolore ac pudore legere poterit. Vnde non ueritatis studium, ut prætexitur, sed cordis amarulentia, conuiciorum ad miraculum usq; fœcunda declaratur, nec ueritas illustratur, sed suspicione falsi grauissimè oneratur. Verùm relictis illis rem ipsam inspiciamus.

Tam in ueteri quàm in nouo Testamento duo sunt sacramenta.

In confesso est, ut duo fuerunt ueteris Testamenti sacramenta, Circumcisio & pascha: ita & noui duo esse ab ipso Domino instituta, baptismum uidelicet & eucharistiã, quam cœnam Domini uocat Apostolus. Circumcisioni baptismus, Paschati cœna Domini respondet. Decircuncisione & baptismate ueteres quoq; consentiunt: unde & Augustinus de baptismo contra Donatistas lib. 4. cap. 24. Circuncisionem confert cum baptismate, quod & Bernhardus illo multo recentior facit, in sermone cœnæ Dominicæ, & epistola 77. Cœnã Domini respondere paschati, tam illius abrogatio quàm huius institutio monstrat, quam utranq; Lucas cæteris diligentius describit. De paschatis abrogatione memorat ad hunc modũ: Venit aũt dies azymorum, in qua necesse erat immolari pascha. Et misit Petrũ ac Ioannẽ, dicens, Euntes parate nobis pascha, ut edamus, &c. Euntes aũt inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerũt pascha. Etcũ iam esset tempestiuũ, accubuit, ac duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis, Desiderio desideraui hoc pascha comedere uobiscũ antequã patiar. Dico enim uobis, Posthac nõ edam ultrà ex eo, donec compleatur in regno Dei. Et accepto poculo, gratias egit, ac dixit, Accipite hoc, & diuidite inter uos. Dico enim uobis, quòd nõ bibam de fructu uitis, donec regnũ Dei ueniat. Hæc de ueteri paschate, quod iamiam erat agni immaculati mactatione adimplendum, & successione noui sacramenti abrogandũ. Huius institutionẽ subijciens dicit, Et accepto pane cũ gratias egisset, fregit ac dedit eis dicens, Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur, &c. Ipse contextus & ordo facti Christi, ut rem ipsam taceam, satis indicant, mysticam hanc cœnam ueteri paschati ueteris Testamenti sacramento sic succesisse, ut alterum noui Testamenti sacramentum baptismati coniungeretur, quod ueteri responderet.

Lucæ 22.

Quomodo ueteri paschati nouum subiecerit.

Transitio ueteris paschatis ad nouum.

Sic autem uetus pascha terminat Dominus, ut conspicuus sit ab illo transitus ad institutionem

nem noui, adeoq; & facilis & expositus discipulis intellectus eorum quæ facit. Satis enim per spicuè significat non fore ipsis posthac edendum de ueteri, sed de nouo noui Testamenti paschate. quasi diceret, Hucusq; uetus Testamentũ durauit, instat iamiã noui initium. Confirmatio ueteris fuit in sanguine agni, quem patres uestri iussu Dei mactarunt in Aegypto, & cuius sanguinis interuentu liberati sunt ab angelo, qui percutiebat Aegyptum, & mox ex omni Pharaonis seruitute, cuius etiam memoriã solenni paschatis huius ritu singulis annis celebrarunt. Posthac uerò non erit illius usus amplius. Etenim terminato ueteri Testamento, terminantur etiam illius sacramenta. Terminantur aũt noui Testamẽti succesione, & agnus hic typicus, quem in præsenti edimus, implebitur cum sua figura iamiam per successionem ueritatis, qua uerus agnus ad exordium & confirmationem noui Testamenti mactabitur. Quare magno desiderio ad edendum hoc pascha uobiscum discumbo, sciens hoc nobis esse ultimum, & adesse illius adimpletionẽ. Non dubito, quin agno illo figurali in manus accepto, patri primùm gratias egerit, & eiusmodi uerba ad discipulos locutus sit, quemadmodũ & de poculo paschatis feciſſe memoratur: unde discipuli intelligerent nõ modò passurum ipsum esse, sed & morte sua figuram ueteris paschatis impleturum in regno Dei, ac terminaturum.

Accepit panẽ, &c.

Hac itaq; inductione præmissa, ac ueteris Testamenti figuræ ualedicto, institutionem noui Testamenti subiecturus, accepit panẽ, gratias egit, fregit, dedit discipulis, ac dixit: Accipite, edite, Hoc meũ est corpus, quod pro uobis datur. Hoc facite in mei rememorationẽ. Consimiliter & poculum cœna peracta, dicens: Hoc poculum nouum Testamẽtum est in meo sanguine, qui pro uobis effunditur. Sic nouum Testamentum subijcit ueteri, & mox illius initio instituit sacramentum bimembre, quod ueteris paschatis sacramento & ipsi bimembri respon deret. In figurali paschate erat cibus & potus sacramentalis & memorialis uterque. Cibus erat agnus cum panibus azymis. Potus erat calix testamenti, in quo sanguinis erat memoria, qui postibus illitus Israelitas liberauerat. Inhumanum erat bibere sanguinem, non erat autem inhumanum edere carnẽ agni assati. Quare memoriale sanguinis testamentarij non sic erat ipsis in agnino sanguine, quemadmodum immolati agni in carne agnina, sed in calice uini, quem ad memoriam testamentarij ac liberatoris sanguinis bibebant, cuius mentionem hic in textu Lucæ fieri uidemus. Sacrãmenta Dei non sic sunt comparata, ut aliquid requirant, quod bestiale sit magis quàm humanum.

Sacramentum bimembre.

Cibus & potus in sacramẽto noui Testamenti.

Ad hunc modum & in noui Testamenti sacramento cibus instituitur & potus. Cibus, est corpus Christi in cruce pro nobis immolatum: potus, sanguis in cruce pro peccatis nostris effusus. Sacramentum utriusq; instituens Dominus, usurpat non carnem agni paschalis, ne ad uetus illa testamentum & figuralis agni sacramentum referretur: sed panem, & usitatum & paratu facilem, & calicem uini quo utroque in ritu fuerant antiqui paschatis usi. Nihil usurpat, quod inusitatum esset in ritu illo solenni ac consueto: sed quæ erant in illo usitata, ad noui Testamenti sacramentum transfert. Nec incommodè. Vt enim mutatio figuræ in ueritatem, & umbræ in corpus, non è longinquo, sed è uicino & cognata quadam translatione perficitur: ita & ea quæ in sacramento figuralis paschatis usitata fuerunt, haud incommodè ad ueri paschatis sacramentum transferuntur.

Hoc est corpus meum, &c.

Accepit igitur panem illum azymum, panem ueteris paschatis, & calicem quoque illius quo utroq; usi erant in solenni illo paschatis ritu: & cum patri gratias egisset, panem fregit, ac discipulis dedit dicens: Accipite, edite, Hoc meum est corpus, quod pro uobis datur. Non dicit, Sit hoc in posterum corpus agni paschalis, quem olim patres uestri mactarũt in Aegypto: sed, Hoc est, inquit, meum corpus, quod breui ad immolandum pro uobis dabitur. Nec dicit de poculo, Hoc poculum uetus est Testamentum in sanguine agni, qui olim in Aegypto effusus, ac postibus fuit ad liberationem patrum uestrorum illitus: sed, Hoc poculum nouum Testamentum est in meo sanguine, qui pro uobis (& ut in Matthæo est) pro multis effundetur in remissionem peccatorũ. quasi diceret, Futurũ iam est ut patiar, & ut uerus agnus ad remissionem peccatorum uestrorum ac multorum immoler, Nouumq; testamentũ sanguine meo confirmem. Quare non est, ut posthac typicum ueteris Testamẽti pascha edatis. Ecce instituo uobis nouum. Panis hic quem frango, & uobis ad edendum distribuo, ac poculum quod bibendum porrigo, non sunt ad uetus hoc pascha referenda, neq; simpliciter ut panis & uinum pro cibando ac potando corpore, sed ut noui Testamenti sacramentũ accipienda. Commendo uobis corpus ac sanguinem meum, quorum hic uobis sacramentum & communicationem instituo. Panis hic, meum est corpus, corpus ueri agni, paulo pòst pro uobis immolandi. Poculum hoc non uetus, sed nouum est Testamentũ in meo sanguine, sanguine ueri agni, qui pro uobis effundetur. Sicut igitur figuralis hic agnus פסח ueteris habetur Testamẽti פסח, ita panis iste cũ poculo pro immolati corporis & effusi sanguinis mei sacramento in nouo posthac testamẽto habebitur. Hanc existimo fuisse in hisce uerbis Christi mentem, ut sicut Moses ueteris Testamenti mediator, Exod. 12. de agno paschatis constituit, annuumq; & solẽne illius memoriale initiauit priusquam ille immolaretur, & percussorẽ angelum sanguine suo auerteret, atq; ita ueteris Testamenti sacramentum instituit: ita & ipse Testamẽtum uetus terminaturus, ac nouum

uum inchoaturus, ſacramentũ hoc noui ac ueri paſchatis, corporis uidelicet ac ſanguinis ſui inſtitueret, priuſquã in cruce ad liberationẽ generis humani immolaretur. Et hic ſenſus nihil habet difficultatis in animis fideliũ, nec erat Apoſtolis difficile intellectu, q̃d ſibi nouus hic ritus uellet tã cõmoda trãslatiõe à ueteri paſchate inductus. Sed ſingula ex ordine inſpiciamus.

Hoc, ad panem referri.

Accipite, inquit, edite, Hoc meum eſt corpus. Principio, non eſt ut pronomen Hoc aliò referamus, quàm ad panem, quem à ſe fractum diſcipulis ad edendum dabat. Poterat dicere, Panis hic meum eſt corpus, ſicuti de poculo dicebat: Hoc poculum nouum Teſtamentum eſt: uerùm non erat opus eiuſmodi ſpecificatione, cùm panem de quo loquebatur, adhuc haberẽt in manibus, & ederent. Scio quoſdam fratres uoculam hanc τοῦτο, id eſt hoc, nõ ad panem retuliſſe, ſed ad ipſum Domini corpus: quaſi uerſo ad ſe digito dixerit, Hoc corpus meum, quod hic coràm cernitis, dabitur pro uobis. Deinde alij quidam per pronomẽ Hoc, myſteriũ ſpiritualis alimoniæ ſignificatũ eſſe putãt: quaſi dixerit Dominus, Corpus meũ quod pro uobis dabitur, in ordine rerũ ſpiritualiũ eſt hoc, panis uidelicet uitæ, &c. Verùm ſi audiamus Paulũ, ubi dicit, Panis quẽ frangimus, an non eſt cõmunicatio corporis Domini? & id quod de poculo dictum eſt à Domino, Hoc poculũ nouũ Teſtamentũ eſt, &c. exiſtimo ſatis fieri manifeſtũ, nõ de corpore Domini prædicari, quòd ſit panis, ſed de pane quòd ſit corpus Domini. Subiectũ eſt in uocula Hoc, prædicatum uerò in eo quod ſubiungitur, Eſt corpus meum, quod pro uobis datur.

Subiectũ quod

Non ſimpliciter de pane loquitur.

Admonẽdi tamẽ ſunt rudes, ne ſimpliciter de pane, ut pane loqui Dominũ intelligãt: ſed de pane per gratiarũ actionẽ ſanctificato, fracto, & ad cõmunicandũ fidelibus diſtributo. Sic Apoſtolus nõ ſimpliciter dicit, Panis: ſed, Panis quẽ frãgimus, nõne cõmunicatio eſt corporis Dñi? Huius ob id admoneo, ut panẽ papiſtarũ reijciã, quẽ uſurpãt nõ ad diſtribuendũ & cõmunicãdum, ſed ad includendũ, circungeſtandũ & adorãdũ: deniq; ſic, ut illũ ſolus ſacrificulus edat.

Quid de pane prædicet Dominus

Eſt corpus meum.

Cùm igitur pronomen Hoc, referendũ ſit ad panẽ fractũ, ac diſcipulis traditũ, & in eo ſit ſermonis huius ſubiectum: conſequenter uidendũ eſt, quid de illo prædicetur à Domino. Accipit panem, agit patri gratias, frangit ac dat diſcipulis: & hoc facit nõ iam initio cœnæ, quemadmodùm aliàs habebat in more, ſed cùm iam paſchalem illam cœnã abſoluiſſet. Poſcebant igitur facti huius circunſtantiæ, ut quid faceret, exponeret. Facit hoc dicẽs, Accipite, edite, Hoc meum eſt corpus, quod pro uobis datur. Prædicat ergo de pane, quem fractum à ſe diſcipulis dabat, eſſe hunc corpus ſuum. Hic cõfeſtim obſtupeſcit animalis homo, ac cum Capernaitis offenſus: Video, inquit, panem, & hunc audio eſſe corpus Domini. Quomodo cõcordabo oculos meos & aures? Illi dicunt, Panis eſt quem uidemus: hæ contrà, Audimus, inquiunt, eſſe corpus Domini, idq; ex ipſo ore Domini. Quibus credam? Si oculis, poſcunt aliud aures. Si auribus, reclamant oculi, quorum teſtimonium teſtimonio aurium præſtantius haberi ſolet. Si utriſq; tam auribus quàm oculis, non uideo quomodo prædicatio identica poſsit recipi, qua res eadem ſimul prædicatur & panis eſſe & corpus Domini: quę duo à ſe inuicẽ & natura, & ſubſtantia, & cõditione ac dignitate ſic diſsidẽt, ut in eodem ſubiecto ſubſiſtere nequeãt.

Stupeſcit animalis homo.

Seductio papiſtarum.

Et hac ratiocinatione ſeducũtur papiſtæ, quoniã fieri nõ poteſt, ut panis ille materialis ſimul ſit panis & corpus Domini, ita duę diuerſæ ſubſtantiæ realiter eodẽ ſubiecto cõprehẽdantur, concludunt ſubſtantiã panis prorſus in corpus mutari, idq; uirtute uerborũ Domini, Hoc eſt corpus meum, atq; hoc ſenſu nouum fidei articulũ conſtituunt, quem Tranſſubſtantiationem uocant. Hac ſophiſticatione teſtimoniũ oculorũ prorſus extinguunt, & homines reddũt non mente tantum, ſed & corpore cæcos. Et huc faciunt Seraphica illa ſophiſtarum acumina, quibus diſputant: An quilibet ſacerdos proferens uerba, faciat quod Chriſtus fecit, quomodo poſsint accidẽtia panis eſſe ſine ſubiecto, quomodo corpus quantũ poſsit ſimul eſſe cum quanto, quomodo maius quantũ ſimul ſit cũ, uel in minori quãto, loco æquali, quomodo ſub ſpecie panis eſſe corpus Chriſti poſsit, cũ cœlũ nõ deſerat, quomodo in diuerſis locis ſimul, quàm diu ſub ſpecie panis duret, quid fiat, ubi illic eſſe deſinit: q̃d ſi cõburatur, à beſtijs edaẽ, mucore obducatur, & quę huiuſmodi multa ex falſa hac papiſtarũ ratiocinatione in quæſtionẽ ueniũt.

Tranſſubſtantiatio panis.

Acumina ſophiſtarum.

Cõtra errorẽ hũc papiſticæ tranſſubſtãtiationis nõ eſt ut in præſenti dicamus. Diximus in Cõmẽtarijs noſtris ſuper Matth. pugnare illũ cũ uerbis Chriſti & Apoſtoli, cũ teſtimonio oculorũ, & ſentẽtia Auguſtini, cũ definitione ſacramẽti, cum ratione prædicati ac ſubiecti: deniq; cũ ratione ſacramẽti quã Auguſtinus ponit. Annotarũt alij, quomodo antiquorũ patrũ ſentẽtijs aduerſetur, & q̃ ſint hic papiſtarũ rationes friuolæ, & quæ ex iſto errore ſequãtur abſurda.

Nos uerò ſentimus ſic de pane hoc prædicari à Chriſto, quòd ſit ipſius corpus, ut haudquaquam neceſſe ſit illius negare ſubſtantiam, imò neceſſe ſit, ut illa ſalua & integra maneat. Nihil enim impedit, quo minus ſacramentali ſenſu, quo Chriſtus hic loquitur, panis iſte corpus ipſius eſſe prædicetur, & tamen ſubſtantiam ſuam retineat.

Diſtinguẽdum inter prædicata naturalia et ſacramentalia.

Diſtinguendum autem eſt inter prædicata naturalia & ſacramentalia. Quæ naturaliter prædicantur, docent quid natura ſua ſint ſubiecta illa, de quib. prædicantur, ut ſi de eo quod Chriſtus in cœna fregit, ac diſcipulis dedit, prædicetur quòd ſit panis, naturale prædicatum eſt, docens eſſe panem. Quæ uerò ſacramentaliter prædicantur, docent non quid ſint in ſe ſubiecta, de quibus prædicantur, ſed pro quo haberi & uſurpari debeant. Sic cùm de pane hoc prædicat

dicat Christus, dicens: Hoc est corpus meum, non docet quid ille in se natura sua sit. neq; enim necesse erat, ut hoc doceret, cum aliàs abundè pateret, neq; ad propositum & institutum facie bat, sed docet quid illum discipulis ac fidelibus suis esse uelit, hoc est, pro quo illum sacramentaliter habere & edere debeant. Aliud est prædicare de re aliqua quid sit in se, & aliud prædicare quid sit in loco, in præsenti, actu & instituto singulari, secundum uoluntatẽ ac propositum instituentis ac dantis. Si prædicatũ hoc accipias sensu naturali, redditur impossibile & absurdum. Nequit enim fieri, ut panis sit naturaliter corpus Domini. Si uerò accipias sensu sacramẽtali, quẽ ipsa Dominica institutio poscit, prædicabitur de pane, non quid sit naturaliter ac substantialiter, sed quid sacramentaliter illum Dominus esse, & pro quo à fidelibus haberi uoluerit, & in quẽ usum ipsis fractionẽ, distributionem & communicationem illius cõmendauerit. Voluit illum esse sacramentũ sui corporis, quod iamiam erat pro illis in mortẽ tradendum, & cõmunicationem illius, sacramentalẽ eiusdem communicationẽ, ac mortis suæ rememoration em. Quare quod dicit, Accipite, edite, Hoc meum est corpus, si quis nõ potest, ut uerba sonãt, accipere: sed adiectionẽ aliquam requirit, qua declaretur, id quod alij aliter bono quiq; studio tentarunt: existimo hoc non incommodè fieri, si id idem esse dicamus, quod, Hoc est sacramentum corporis mei, uel iuxta Apostoli expositionẽ, qua 1. Cor. 10. dicit: Panis quem frangimus, an non communicatio est corporis Domini? Hoc est, cõmunicatio corporis mei. Augustinus alicubi dicit, Non dubitauit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, quum daret corporis sui signum. Secundũ hanc sententã idẽ est quod Dominus dixit, Hoc est corpus meũ, quod, Hoc est signum corporis mei. Panem utiq; dabat. Si panis signũ est corporis Domini: dabat ergo non nudum & mensariũ panẽ, sed corporis sui signum. Quòd illud aũt corpus suũ uocat, quid innuit aliud quàm dare se hoc signo suũ corpus? ac uelle, ut panis hic à fidelibus non pro pane, sed pro corpore suo accipiatur? Et hoc sentiebam, quum in Matthæo nostro sacramentalẽ exhibitionem urgerem. Habent aũt istæ expositiones nihil, quo à se inuicem dissideant. Omnino panis cœnæ sacramentum, cõmunicatio & signũ est corporis Domini. Quare non est, ut dicat me quisquam uarias expositiones adferre, & simplicem textum in uaria distrahere & corrumpere. Integrum seruo textum uerborũ Domini, nec uelim aliter illũ expressum esse, quàm est expressus à Domino. Mihi per gratiam Domini satis perspicuum est, quod dicit: Accipite, edite, hoc est corpus meum. Quæ annoto, in gratiam rudium annoto: nõ ut alium textum ex uerbis meis desumant, sed ut eum quem habemus à Domino, aliquousq; melius intelligant, ne papistica sophisticatione in omnis generis errores abducantur.

Quale sit prædicatum.

Voluit Dominus panem esse corporis sui sacramentum.

Quid autem si dicam illud, Hoc est corpus meum, idem esse, quod in hoc, uel sub hoc est corpus meũ? An in eo erat Christus, ut admoneret discipulos, ubi uel tũ esset ipsius corpus, quod in ipsorum medio sedebat, panem frangebat ac distribuebat, & reliqua quæ memorantur, faciebat: uel ubi illud postea quærere deberent, quod utiq; in cœlos spectantibus ipsis erat assumendum? Quid si hoc illum egisse potius sentiam, ut doceret eos, quo instituto daret ipsis panem à se fractum, & quo illum sensu pariter & affectu accipere deberent? Puto non adeò magno opus esse acumine, ut intelligamus non mox idem esse, Hoc est corpus meum: &, In hoc, uel sub hoc est corpus meum. Non prædicat de corpore suo, quòd sit sub pane, uel in pane: sed de pane, quòd sit suum corpus. De corpore suo prædicat, quod plurimum cõducebat scire discipulos: nempe, quòd pro ipsis esset dandũ in mortem, cùm dicit, Quod pro uobis datur. De pane quoq; prædicat, quod discipulos admodum scire referebat, esse uidelicet illum corpus suum, hoc est corporis sui sacramentum. Sic insunt uerbis istis duo subiecta, & duo prædicata. Primum subiectum est panis. De illo prædicatur corpus Domini, prædicato non naturali, sed sacramentali, sicuti suprà diximus. Alterũ subiectum est corpus, in pronomine Quod, expressum. De hoc prædicatur, quòd sit pro discipulis tradendum. Quod pro uobis, inquit, datur. Sic puto satis perspicuè docemur, quid de pane cœnæ Dominicæ: deinde & de corpore Domini, sacramento huic competenter sentire ac prædicare debeamus. Corpus Domini esse corporaliter uel in pane, uel sub specie panis, quomodo ex hisce illius uerbis certò conuinci possit, non uideo. Vrgent fratres uehementer, nõ esse discedendũ à uerbis Domini, Hoc est corpus meũ. Et mihi placet omnibus modis, ut uerba hæc Domini religiosissimè retineamus, nec ullum ex eis interuertamus. Agnosco illa sic esse dicta, ut quod uoluit Dominus, abũdè sit per ea expressum, nec potuisse dici melius, modò in cęcam contentionem non abripiantur, & irreligiosè diuexentur, sensumq; accipere cogãtur, qui cum cęteris Scripturis pugnet. Hoc est corpus meũ, inquit. Non refero pronomen Hoc, aliò quàm ad panem à Domino fractum ac distributum. Non dicit aduerbialiter ἄλλ, id est hic: sed, τοῦτο, id est hoc. Nec dicit, ἐν τούτῳ, uel ἐπὶ τούτῳ, id est in hoc, uel sub hoc. Nihil horum dicit: quare nec ego quicquam horum recipiendũ mihi esse sentio: sed manendum in eo quod dictum est à Domino. Vbi autem hoc facio, non uideo quomodo prædicet de corpore suo, quòd sit uel inclusum, uel subiunctum, uel coniunctum pani corporaliter, quemadmodum & suprà memini. Quare non est, ut ex uerbis Domini contendamus, corpus Domini esse uirtute uerborum ipsius corporaliter præsens in pane. Non enim est hoc dictũ à Domino. Nec uideo, quomodo is sensus stare possit cum eo quod est ab illo dictũ.

In hoc, sub hoc est corpus meum.

In uerbis Christi sunt duo subiecta, & duo prædicata

Non esse discedendum à uerbis Domini.

Corpus Domini non est uirtute uerborum in pane.

Etenim si panis est corpus Domini, secundum ipsius uerbum, nō potest in illo corporaliter ac realiter esse ipsius corpus. Alioqui uel panis iam non esset corpus Domini, contra expressum ipsius uerbum, sed haberet in se corpus Domini, præter uerbum Domini: uel duplex haberemus ipsius in cœna corpus. unum quod ipse prædicat de pane, dicens, Hoc est corpus meum: alterum quod non ipse, sed nos sub pane, uel in pane, uel cum pane corporaliter præsens esse dicimus. Sanè neutrū horū recipere possum, quia ab ipsis uerbis Domini discedere nequeo. Non licet ut dicam, panem cœnæ non esse corpus Domini. Hoc enim dicens, contradicerem dicenti Domino, Hoc est corpus meum. Non maneo in uerbo Domini, si dixero, In pane, uel sub pane, uel cum pane corporaliter præsens est corpus Domini. Esset enim hoc præter uerbum Domini. Duo corpora Domini ponere in cœna non possum, quia quod sequitur, Quod pro uobis traditur, non nisi ad unicum illud in cruce pro nobis traditum præcedentia restringit. Nec est ut cogitem nihil discriminis esse inter duas hasce locutiones, Hoc est corpus meū: &, In hoc est corpus meum. Nam hæc me cogitatio falleret, atq; ab ipso τῷ ῥητῷ abduceret. Neque enim idem est in se, neq; in uerbo, neq; in sensu, si dixero, In hoc præsens est corpus meū corporaliter, cum eo quod dixit Dominus, Hoc est corpus meum: id quod, si absit contentio, uel ex communi sensu patet. Nam in uerbis Domini, Hoc est corpus meum, subiectum est in pronomine Hoc, id est in pane, & prædicatum in sequentibus uerbis, Est corpus meum: sic ut de pane prædicetur, quòd sit corpus Domini. In istis autem uerbis, In hoc, uel sub hoc, uel cū hoc est corpus meum, inuertitur ordo subiecti ac prædicati, sic ut ex subiecto prædicatum, & ex prædicato subiectum fiat. Prædicatur enim non de pane, quòd sit corpus Domini: sed de corpore Domini, quòd sit in pane, uel sub pane, uel cum pane. Quare sic cogitando amitterē & ῥητὸν, & sensum uerbi Domini.

Mutare uerbū Domini.

Neq; effugero, si dicam, Non muto uerbum Domini, non desero clarum textum, sed cōstanter retineo illud, Hoc est corpus meum: interea tamen quis prohibet quo minus in colloquijs uel aliàs in tractatu causæ huius dicam, In pane est corpus Domini corporaliter præsens, quo fidem meam exprimam, qua corpus Domini in pane corporaliter præsens esse credo. Sic enim exponendo nidem meam, nō facio nouum textum, nec dico hæc mea uerba, uerba esse textus: sed retineo uerum & unicum textum, Hoc est corpus meum. An' non licet mihi, ut fidem meā uerbis quibus uidetur, explicem, & dicam, Sub pane est corpus Domini? Est hæc cogitatio inualida. Etenim non conuenit, ut credam de corpore Domini, quod non est dictum à Domino, & eam fidem expositione uerborum Domini exprimam, quæ & à ῥητῷ, & à sensu illius discrepat. Si credo uerbis Domini, non potero credere corpus illius corporaliter præsens esse sub pane, sed panem à Domino datum, esse illis corpus: & hanc fidem meam non exponam aliter quàm ut dicam, panem cœnæ esse corpus Domi. Si dixisset Dominus, Accipite, edite, in hoc est corpus meum præsens: uel, Sub hoc habetis corpus meum corporaliter præsens: rectè crederem, corpus Domini in cœna corporaliter præsens esse sub pane, & eam fidem totidē etiam uerbis exponerē. Iam quum neq; sic dixerit, neq; sic sensisse eum constet, quid est quòd

Retinenda uerba Domini.

textum quidem uerborū eius nō muto: at interim & fidē mihi & expositionē ab ipso textu aliena cōminiscor, & hanc ueram & germanam secundum Domini uerbū esse cōtendo? Quare placet omnino, ut uerba Domini retineamus in eo ῥητῷ ac sensu, quo sunt ab illo dicta: & neq; credamus, neq; dicamus corpus illius corporaliter præsens esse sub pane, sed panem illū cœnæ à Domino datū esse illius corpus. Ego sanè centies dicere malo, Panis eucharistię est corpus Domini pro nobis Deo patri oblatū in cruce, quàm semel illud ἀνάγραφον, καὶ ἀνὰ τὸν τῶν διανοίας ἀλλότριον, Corpus Domini præsens est corporaliter sub pane. Hic enim pro me facit uerbū Domini, unicum ueræ fidei fundamentum, illic non facit. Hic tantum periculi non est, ne quid superstitiosius cogitet homo fidelis, quantum est illic.

Quomodo panis posśit esse corpus Domini.

Quid igitur? Potéstne fieri, ut panis sit corpus Domini, pro nobis in cruce traditum, quum sit impossibile eundem panē natura ac substantia sua esse panem pistum, & simul corpus Christi crucifixum? An' non papistæ ob hanc causam cōmenti sunt panis μετουσίαν, qua in corpus Domini sic mutetur, ut non nisi species illius maneat, quo de illo quòd corpus Domini sit, uere citer prædicari possit? At horum commentum non recipimus, sed ueram ac naturalem panis substantiā in cœna retinemus. Videndum igitur est de modo, quo sic panis corpus sit Christi uerum in cruce pro nobis traditum, ut tamen nec illa naturam ac substantiam suam amittat, & eam quæ corporis Christi est in se recipiat, neq; corpus Christi suam exuat, & eam quæ panis est induat. Nam omnino sunt hæc omnium uerissima, Panis quē dat Dominus, est ipsius corpus: & tamen simul est panis, quàm antè tam in ipsa communione. Corpus Domini uerè humanum est, ac ueri retinet corporis naturam: & tamen hic ab ipso Domino prædicatur de pane. Modum quo hæc utraq; substant, meo iudicio haud præter rationem considerabit, qui

An sit panis naturaliter, uèl personaliter, uel realiter corpus Christi.

uerbis Christi ex animo credit.

Panem autem cœnæ naturaliter aut personaliter corpus esse Domini, puto non dici à quoquam. Et ipse Lutherus piæ memoriæ utrunq; modum disertè negat. Realiter esse, nescio an quisquā sit dicturus. Nam realiter panis est panis, corpus corpus. Non possumus in hoc sacramento

mento duo eiusdem rei realia, ut ita dicam, constituere. Si panis nanq; realiter esset corpus Domini, cum ipsum corpus omnino realiter sit corpus Domini, consequeretur in hoc sacramẽto duas res natura à se inuicẽ diuersas realiter esse rem unam. Quare non potero dicere, panem hunc realiter esse corpus Domini. Quid si corporaliter esse dicam? Neq; is modus conueniet. Vnumquodq; enim corpus corporaliter id est, quod naturaliter est ac realiter. Corporaliter esse uniuscuiusq; rei, in eo est, quod secundũ ipsius est corporis naturã, ac naturæ proprietatẽ. Corporalem alterius rei essentiam, nisi mutata propria, nõ potest in se ullum accipere corpus. Sic panis corporaliter nihil est aliud, quàm panis. Corporalẽ corporis Christi essentiam in se non recipit, quæ ipsi relinquitur corpori, donec natura illius salua retinetur. *An corporaliter.*

Ergo nõ possum ulla ꝓbabili ratione dicere, panẽ in cœna esse corpns Domini naturaliter, personaliter, realiter & corporaliter. Et tamen ut fateamur illũ esse corpus Domini, cogit ueritas uerbi Domini dicẽtis: Accipite, edite, hoc est corpus meũ, quod ꝓ uobis traditur. Quare quærendus est alius modus, quo ueraciter & concorditer dicamus, panẽ esse corpus Domini.

Video superesse, ut hunc dicamus esse uel spiritualem, uel typicum, uel significatiuum, uel sacramentalem. Spiritualis modus, non displicuit nõnullis Patribus. Et sunt recentiores, qui illum haud improbant, si spiritualiter accipiatur pro inuisibiliter, quo obtineãt adesse corpus Christi in pane inuisibiliter. Hoc sensu expeditum compendium daretur de inuisibilibus prędicandi quidlibet. Mihi uerò spiritualiter esse, est modo esse spirituali, hoc est spiritibus competenti. Quare cum Christum spiritualiter adesse in cœna dicimus, non intelligimus de inuisibili corporis illius præsentia, quam statuunt sub specie panis Papistæ, sed de modo quo adest per spiritus sui operationem, pascens ac recreans eorum mentes, qui quod in ultima cœna dedit, uera ac sincera fide accipiunt. Sic eandem uocem aliter atq; aliter accipi uideo, id quod cõcordiæ seruire non potest. Quod tamen me attinet, ut non urgeo, ita non ueto, quo minus ad uerbium hoc, spiritualiter in præsenti causa accipiatur, modò fiat hoc sensu, qui & propriæ significationi uocis, & rei quæ agitur ritè respondeat. Typicè uel figuraliter panem esse corpus Domini, & ueteres & recentiores quidam dixerunt, cui sententiæ reclamant, qui corporaliter esse contendunt. Illi inter figuram & ueritatem perinde atq; inter uetus ac nouum Testamentum ingens discrimen constituunt, & eos qui figuralem modum probant, ignominiose figuristas appellant, haud secus quàm si cum Manichæis ueritatem humani corporis in Christo negent. Verùm nolim cum illis de hoc typico uel figurali modo contendere: seruato tamen sano sensu, quo Patres nonnulli hac sunt uoce inculpabiliter usi. *An spiritualiter.* *An typicè, uel figuraliter.*

Porrò, quoniam non dixit Dominus, Hoc significat corpus meũ: sed, Hoc est corpus meũ, non placet plerisq;, ut dicamus, panẽ esse corpus Domini significatiuè. qua de re in Commentarijs nostris super Matthæum nonnulla annotauimus, quibus post expositionem huius materiæ declarationem adiecimus. Quamuis autem uideam hunc modum non fufficere ad conciliandas altercantium mentes, nec ita esse necessarium, ut aliter exponi nequeat: probare tamen non possum, quòd hic uox signi, qua usi sunt Patres, quasi impia sit, à fratribus nonnullis condemnatur. Augustinus dixit, & habetur in decretis Pontificum, nõ dubitasse Dominum dicere, Hoc est corpus meum, quum daret corporis sui signum. Et Latina ecclesia canit, Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, qua nec status, nec statura signati minuitur. Et hanc ponunt sacramenti definitionem, esse illud sacræ rei signum. Verùm neq; hic animus est multis contendere. *An significatiuè.* *Nulla rei fit scissura.*

Postremò, cùm nec naturaliter, nec personaliter, nec realiter, nec corporaliter sit panis corpus Domini, nec placeat spiritualiter, nec figuraliter, nec significatiuè: & tamen, quemadmodum Augustinus Epistola 23. ad Bonifacium dicit, Sacramentũ corporis Domini non simpliciter, sed secundum quendam modum corpus Domini est: restat post hæc omnia, ut dicamus panem cœnæ corpus esse Domini sacramentaliter. Et hoc cõcorditer dici potest ab omnibus. Huc facit, quod nec insolens est, nec nouũ, quòd panis iste sacramentũ corporis Domini uocatur. Est enim ecclesijs hoc usitatissimũ: nec puto esse cordatũ aliquẽ q̃ neget. Et Lutherus, ubi de unione panis huius & corporis Domini disputat, postq̃ aliquot modos recitauit, huc tandẽ desinit, ut sacramentalẽ statuat. Si ergo panis sacramentũ est corporis Christi, relinquitur sacramentalẽ esse loquutionẽ, ac sacramẽtaliter exponendũ, quod de pane hoc dictũ est à Domino, Accipite, edite, Hoc est corpus meũ. Hoc sensu salua & integra manet utriq; tam corpori q̃ pani sua natura, ut neq; sit cõminiscendũ transubstãtiationis miraculũ, neq; cõfugiendũ ad omnipotẽtię Dei argumentũ: nec remanet quicq̃, quod à Sacris scripturis dissideat, modò rectã sacramentorũ intelligentiã, definitioni illorũ conuenientẽ, retineamus, ne ab illa argutando deflectẽtes, paralogizemus magis quàm theologizemus. Nec poterit ulla cõuenientior esse expositio, quàm qua sacramentalia uerba sacramentaliter, propria propriè, spiritualia spiritualiter, mystica mysticè exponantur. Vel si mauis (nam & hic nonnullos tergiuersari uideo) res ipsa sacramentalis, licet uerbis propriam significationem habentibus, sit proposita, modò tamen sacramentis conuenienti explicetur. Contendunt nullam hic esse uocem, quæ non sit proprio sensu dicta. Hoc enim ad uerum panem, & corpus ad uerum corpus *Quomodo pánis sit corpus Christi.* *Panis sacramẽtaliter est corpus Domini.* *Nullam hic esse uocẽ, quæ nõ sit proprio sensu dicta.*

Christi referri: & uerbum EST, nihil aliud significare, quàm quod propriè sonat, ideoq; non requiri hic sacramentalẽ expositionem, sed propriam. Verùm hæc tergiuersatio, meo iudicio, haud est necessaria. Non accipio uocem Corpus, sensu mystico, uel typico, neq; de re alia, quàm de uero Christi corpore: sed modum quæro, quo illud de pane, & ipso non imaginario, sed uero, prædicetur à Domino: & inuenio sacramentalem, quem statuunt & fratres illi, qui hic tergiuersando, sacramentũ sacramentaliter exponendum esse negant. Sacramentalia quidem uerba non requirunt alium sensum, quàm quem sonant: uerùm modus prædicati, quod in illis est, non est proprius, sed sacramentalis, propter quem dico sacramenta sacramentaliter exponenda. Vt exempli gratia, Circuncisio est fœdus, & agnus est Pesah. Nullam hic uocẽ alio quàm proprio sensu accipio. Circuncisio, ut sonat, uera erat carnalis, præputij amputatio, & fœdus non aliud, q̃ quod cum ea gente inierat Deus. Et agnus nõ erat alius, q̃ naturalis, quem iussu Domini mactabant: & Pesah nõ est de alio transitu dictum, q̃ angeli percussoris. In hisce tamen sacramẽtis modus prædicati, quo de circuncisione quòd sit fœdus Domini, & de agno quòd sit transitus prædicatur, nõ est proprius ac naturalis, sed sacramẽtalis. Neq; enim dici potest, quòd circuncisio propriè ac naturaliter sit fœdus, & agnus Pesah: sed ut illud signũ sacramẽtale erat fœderis, ita hoc liberatorij transitus. Consimili modo in hac præsenti causa, quòd Dominus dicit: Hoc est corpus meũ, sacramentalis loquutio est, propter sacramentalẽ prædicati modum, quo de pane non propriè, sed sacramentaliter prædicatur, quòd sit corpus Domini, pro nobis traditum. Relinquo quidem singulis uerbis significationem propriam, ut panis sit panis uerus, corpus uerum Domini corpus, & Est sit est: uerùm modũ prædicati nõ possum statuere proprium (nisi confusionem intolerabilem, & prorsus absurdam in hanc causam inducere uelim) sed sacramentalem, sacramento conuenientem.

Sentiamus itaq; concorditer, panem cœnæ esse uerum pro nobis crucifixum ac mortuum Christi corpus, quemadmodum ipse dixit: Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur: atq; ita uerba hęc retineamus in sua unumquodq; propria significatione, & ubi de modo quæritur, quo panis sit corpus Domini, dicamus esse prædicatum non naturale, sed sacramentale, ut panis sit corpus Domini, neq; naturaliter, neq; corporaliter, neq; personaliter, neq; realiter, sed sacramentaliter.

Quid sit sacramentaliter.

Deinde solido ac concordi sensu statuamus quid sit panẽ sacramentaliter esse corpus Domini. Existimo autẽ hac de re sic esse sentiendum homini non contentioso, ut sacramentaliter esse, dicat esse secundum sacramenti rationem ac modum: utpote, Panis, quatenus est sacramẽtum corporis Domini, hactenus est corpus Domini pro nobis traditum, ratione ac modo sacramentis conuenienti, quemadmodum ratione ac modo naturæ ipsius naturaliter est panis. Sacramentum autem corporis Domini propterea uocatur, quòd ex ipsius institutione sacrũ est traditi pro nobis corporis signum ac ἀνάμνησιν, per cuius fractionem ac distributionẽ corporis sui communicationem ac mortis rememorationem ecclesiæ suæ commendauit. Sacramentum uerò esse sacræ rei signũ diximus suprà, ubi de sacramentis in genere annotauimus: quam definitionem nec Patres reiecerunt, nec recentiorum quisquam reprobare poterit. Secundum hanc panis cœnæ sacramentale signum est corporis Domini, atq; ita corpus Domini uocatur, propterea quòd sacramenta induunt nomina rerum, quarum sunt sacramenta. Quare dicimus illum esse corpus Domini, non quòd sit in corpus Domini transsubstantiatus, aut corpus Domini habeat in se, uel sub se corporaliter præsens: sed propterea quòd & quatenus sacramentum est corporis Domini, in cruce pro peccatis nostris traditi.

An cœnam habeamus sine præsentia Christi.

Dicet hic quisquam: At sic habebimus cœnã sine corporis ac sanguinis Domini præsentia? Respondeo: Cùm in nomine Domini cõgregati, quod institutũ ac traditũ ab illo est, ad mortis illius rememorationẽ, corporisq; ac sanguinis illius communicationem religiose facimus, adeoq; & ipsum in medio nostri, secundũ quod dixit, Vbicunq; fuerint duo uel tres in nomine meo cõgregati, ibi sum in medio illorum: præsentẽ habemus, deq; corpore ac sanguine eius tam spiritualiter fide, q̃ sacramentaliter in sacramento cõmunicamus, quomodo cœnam Domini sine Domino, & sine corpore ac sanguine Domini habemus? An nõ est alius modus de corpore ac sanguine Domini participandi, q̃ sit corporalis ille corporali constans illorũ in pane ac uino præsentia? Quærimus præsentiã Domini? Promissa nobis illa est ipsius ore Domini, sicuti iam meminimus. Quærimus corporalem corporis illius ac sanguinis in pane & uino præsentiam? De hac in uniuersa Dominicæ cœnæ institutione, ne unũ quidem iota habemus: nec uideo unde illa certò ex uerbis Domini possit probari. Interim nõ destituimur corpore ac sanguine Domini in cœna, in qua secundũ Dominicã institutionẽ sacramẽtũ illorũ habemus. Nec cõuenit, ut aliter habeamus, q̃ quomodo tradita nobis sunt ab ipso Domino. Sic tradidit, & sic habemus. Et quia ueraciter tradidit, ueraciter nostrũ est quod tradidit. Nõ diuidimus ueritatẽ à traditione Dominica, absit: sed modũ quo nobis corpus ac sanguinẽ suũ tradidit, retinemus. Si unico obulo uniuersum mihi cœlũ traditũ esset à Dño, nõ minus meũ esse cœlũ gloriarer, q̃ si illud ipsis meis manib. inclusum haberẽ. Veritas sacramẽti à Christo traditi, nõ est in corporali corporis ipsius in pane præsentia, sed in ueritate uerbi, & in inuisibilis gratiæ illius efficacia.

efficacia. Adducuntur à fratribus ad cõprobandam corporalẽ corporis Christi in pane præsentiam, argumenta de subtilitate clarificati corporis Christi, qua in ipsa resurrectione per lapidem sepulchro impositum, & postea per clausas ianuas ad discipulos transierit: item de unitate personali, qua corpus illius coniunctum est diuinitati uerbi, deq; omnipotentia ac dextera Dei, per quam possit illud esse, imò sit, ubiq; diffusum: & monent, non esse sequendum in hac causa iudicium rationis, sed quasi per quasdam densissimas tenebras incedendum, ac soli uerbo indubitata fide innitendum, eo quòd sciri nequeat, quomodo corpus Domini simul sit in cœlo & in terra, idq; multis locis, imò ubique præsens. Verùm ipsa causa, de qua disceptatur, non sic est comparata, ut hoc genus argumentorum requirat. Etenim si de sensu uerbi Christi constet, nemo Christianus quæret, quomodò ille uerus esse possit.

De clarificato Christi corpore, & unitate personali.

Nos autem non habemus aliud uerbum Christi, quàm quo dixit: Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur. Hoc uerum esse non dubitamus. De sensu tamen illius quærimus. Si idem esset, quod in hoc est corpus meum, non quæreremus de modo, sed hunc potentiæ Christi permitteremus. Iam cum non sit idem, quemadmodum suprà meminimus, existimo argumenta hæc nihil facere ad propositum. Quorsum enim attinet disputare de clarificato corpore Christi, cum panis iste in ipsa ultima cœna priusquá passus esset, resurrexisset, in cœlos ascendisset, & ad dexteram patris sedisset Christus: fuerit ipsius corpus, & non conueniat ut aliter nunc sit, quàm tum fuerit. Quo sensu dictum est à Domino in illa cœna corpore adhuc mortali, Hoc est corpus meum: eo hodie quoque panis cœnæ corpus illius absque illa miraculosa clarificati corporis facultate esse, credendus est.

De ubiquitate corporis Christi.

Augustinus.

De eo autem, quòd Christo tale post resurrectionem corpus tribuunt, quod sit ubiq; diffusum, tacere malo, quàm multa commemorare. Miseret me ecclesiarũ Christi, quæ tot modis, si unquam, postremis hisce temporibus admodum tentãtur. De hoc dogmate quid senserint Patres, testantur illorum scripta, è quibus Augustinus in epistola ad Dardanum scribit ad hũc modum: Noli itaq; dubitare, ibi nunc esse hominem Christum Iesum, unde uenturus est, memoriterq; recole, & fideliter tene Christianam confessionem: quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cœlũ, sedet ad dexterã patris, nec aliunde, quàm inde uenturus est ad uiuos mortuosq; iudicandos. Et sic uẽturus est, angelica uoce testãte, quemadmodũ ire uisus est in cœlũ, id est in eadẽ carnis forma atq; substãtia: cui profectò immortalitatẽ dedit, naturã nõ abstulit. Secundũ hanc formã nõ est putandus ubiq; diffusus. Cauendũ est enim, ne ita diuinitatẽ adstruamus hominis, ut ueritatẽ corporis auferamus. Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubiq; ut Deus. Nam & de nobis ueracissima scriptura dicit, quod in illo uiuimus, mouemur & sumus: nec tamen sicut ille ubiq; sumus. Sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus in illo homine, proprio quodam & singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & utrunque est unus Christus Iesus, ubiq; per id quod Deus est: in cœlo autẽ per id quod homo. Et in conclusione Epistolæ, Christum autẽ, inquit, Dominum nostrum unigenitũ Dei filium, æqualem patri, eundemq; hominis filium, quo maior est pater: & ubiq; totum præsentem esse non dubites, tanquam Deum, & in eodem templo Dei esse, tanquam inhabitantem Deum, & in loco aliquo cœli, propter ueri corporis modum. Et super Ioannem Tract. 50. Loquebatur enim, inquit, de præsentia corporis. Nam secundum maiestatem suam, secundũ ineffabilem & inuisibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum est: Ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi. Secundum carnem uerò quam assumpsit uerbum, secũdum id quod de uirgine natus est, secundum id quod à Iudæis comprehensus est, quòd ligno affixus, quòd de cruce depositus, quòd linteis inuolutus, quòd in sepulchro conditus, quòd in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me uobiscum. Quare? Quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiam, quadraginta diebus cum discipulis suis, & eis deducentibus uidendo, non sequendo ascendit in cœlum, & non est hic. Ibi enim sedet ad dexteram patris. Et hic est. Non enim recessit præsentia maiestatis. Aliter, Secundum præsentiam maiestatis semper habemus Christum secundum præsentiam carnis. rectè dictum est discipulis, Me autem non semper habebitis. Habuit enim illum ecclesia secundum carnis præsentiam paucis diebus, modò fide tenet, oculis non uidet. Hæc ille. quorum quomodo quædam à nonnullis fratribus exponantur, clam me non est. Verùm dum manifestiora intacta relinquunt: utpote, quòd dicit, non esse consequens, ut quod in Deo est, ubiq; sit ita ut Deus: & quòd Christus secundum hominem in aliquo sit cœli loco, propter ueri corporis modum, nec ubiq; sit diffusus: satis declarant aliud sentire se de corpore Christi, quàm Patres secundum Christianam fidem ac simplicitatem senserint. Quare per Christum eos oro, ut causam hanc moderatius ac circumspectius scribendo ac docendo tractent, ne dum contentionẽ istam ad posteros transmittere pergunt, unà cum illa maximorum dissidiorum & periculosorum dogmatum seminaria post se in ecclesia relinquant. In summa, omnis ista contentio pendet à recto sensu uerborum Christi, Hoc est corpus meum. Vbi ille tenetur, nihil prorsus ad propositum faciunt argumenta illa, quibus contenditur posse corpus Christi simul esse multis in locis, imò ubique, quo sub pane corporaliter esse conuincatur. Etenim quum non sit hoc dictum à Domi-

Videatur & Cyrillus super Ioannem, libro 6. cap. 14. & lib. 9. cap. 22.

Domino, non est ut Christianus de illo disputet. Dixit Dominus: Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur. Hisce uerbis credentes, panem cœnæ corpus esse Domini sentimus & dicimus: non quòd illud habeat in se corporaliter inclusum, sed quòd eum Dominus corporis sui uoluerit esse sacramentum. Miserabile prorsus est, si Christianus non intelligat, quomodo panis cœnæ sit corpus Domini: quum Iudæus non ignoret, quomodo circuncisio sit fœdus & agnus Pesah. Reuera nimis occludunt mentis oculos, qui causam tanta simplicitate à Christo propositam scrupulositate sua sic obscurant, ut intelligi non possit: & interim dicunt, nõ esse opus ut intelligamus, quomodo uerum sit quod à Christo dicitur. Ignorantia sacramentalis modi ecclesias Christi horrendis superstitionibus, intricatis & absurdis disputationibus, & contentionibus omniũ acerbissimis impleuit, id quod partim peccatis nostris, partim doctorũ hominũ scrupulositati debemus. Oro Dominum, ut omni scrupulositate reiecta, restituat nobis Christianã simplicitatẽ, quo unanimes de corpore ac sanguine ipsius nõ in sacramẽto tantũ, sed & in ipsa ueritate participemus. Sed redeamus ad textũ uerborum Christi. Hoc est corpus meum, inquit, quod pro uobis datur: uel, ut Apostolus habet, Frangitur. Hoc suprà diximus alterũ esse prædicatũ, quod nihil de pane, sed de corpore suo prædicat Dominus, quòd sit dandum uel frangendum pro discipulis suis. At sunt qui prædicatum hoc referunt non ad corpus Christi, sed ad panem iam fractum, & discipulis datum. quasi diceret, Accipite, edite. Hic panis est corpus meũ, qui pro uobis datur, aut frangitur. Verùm, cum pace illorum, puto non fuisse rationẽ, cur Dominus de pane prędicaret, quòd pro ipsis daretur. Etenim si intellexerimus de distributiõe illius, qua cuiq; discipulorũ sua dabatur portio, quor sum attinebat rem aliàs manifestam uerbis docere? Quis nam illorũ nesciebat datum ipsis esse panem? Si uerò de eo intellexerimus, quod mox erat altero die in cruce perficiendum: nõ potest cõstare sensus, quo de pane prædicetur, quòd pro discipulis datus sit in cruce, sed eiusmodi prædicatũ soli cõpetit corpori pro nobis in mortẽ tradito. Et præterea ipsa uerba satis indicant, loqui Dominũ non de pane, sed de corpore suo, cũm non dicit, Quod uobis: sed, Quod pro uobis datur. Quemadmodum in præcedentibus non legimus, quòd pro discipulis dederit fractũ à se panẽ: sed simpliciter, Fregit ac dedit discipulis suis: sic si de pane hic loqueretur, non dixisset, Quod pro uobis: sed simpliciter, Quod uobis datur. Aliud est dari discipulis aliquid, & aliud dari pro discipulis. Panis tanquam sacramentũ corporis Dominici dabatur discipulis: ipsum uerò corpus dandum erat in cruce non discipulis, sed Deo patri in mortẽ pro discipulis. Et hoc ipsum erat, quod discipulis notũ esse, & in quo ueluti substantiam sacramenti huius consistere uolebat. Omnis enim in eo salus nostra consistit, quòd corpus unigeniti Dei Deo patri datum est pro nobis in mortẽ, ut esset oblatio propitiationis, & preciũ redemptionis nostræ. Et hoc Apostolus aliquoties de Christo prædicat: utpote Gal. 1. Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris: & Galat. 2. Qui tradidit semetipsum ,p me: & Ephes. 5. Seipsum tradididit pro ea, id est ecclesia. Itẽ, Tradidit semetipsum pro nobis oblationẽ: & 1. Tim. 2. Qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus: & Tit. 2. Qui dedit semetipsum ,p nobis. Nec est ut dicat aliquis, Atqui non dicit, Quod pro uobis dabo: sed, Quod pro uobis datur. Primũ enim, panẽ fractum dabat ipse discipulis: & tñ nõ dicit, Quod dabo: sed, Quod datur ,p uobis. Si nihilo secius possunt hoc de pane exponere, quẽ ipse dabat, quomodo nõ possunt de corpore, quod ipse quoq; daturus erat pro discipulis suis in mortẽ? Deinde nõ solùm ipse corpus suum daturus erat pro nobis, sed daturus erat illud & pater, quemadmodũ Apostolus Rom. 8. dicit, Qui etiam proprio filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ: ut hoc quoq; nomine rectè dicat, quod pro uobis datur. Dedit pater filiũ pro nobis in mortem, dedit semetipsum pro nobis filius, patri obediens, oblationem redemptionis & reconciliationis. Quare utroque nomine rectè dixit, Quod pro uobis datur.

Quod pro uobis datur.

Distinguimus ergo in hisce uerbis Domini, inter sacramentum corporis illius, & corpus ipsum. Panem quem uocat corpus suum, propterea quòd uolebat illum esse corporis sui sacramentum, fregit ac dedit discipulis: corpus uerò suum in cœna non fregit, nec pro discipulis in cœna dedit, sed dedit pro illis in cruce. Huius sacramentum esse uoluit panem quem fregit, ac discipulis, non pro discipulis dedit. Non potest de illo prædicari utrunq;, sed dandũ est panẽ, quod competit sacramento: & corpori Domini ipsa gratia, cuius in pane uoluit esse sacramentum, traditio uidelicet, qua pro nobis datum est in mortem. Vehementer miror, quomodo in tam clara luce germanus uerborum Domini sensus alienis possit expositionibus obscurari. An possumus ignorare, quid discipulis, & quid pro discipulis sit datum? Res ipsa manifesta est, & uerba pulcherrimè concordant. Sacramentum corporis discipulis, ipsum corpus pro discipulis est datum.

Et discipulis corpus suum dedit.

Dices: Cum de pane quẽ dabat discipulis, dixerit, Accipite, edite, hoc est corpus meum: an non cõsequitur, quòd corpus suum non solum Deo patri pro discipulis, sed & ipsis discipulis dederit? Consequitur planè. Et hic erat illi scopus in sacramenti huius institutione, ut sacramentali traditione certos nos faceret, nostrum esse corpus suum, nostrum esse sanguinem: quæ pro nobis ad hoc erat daturus, ut redimeremur. Et hæc est communicatio corporis ac

sanguinis

ſanguinis Domini, cuius ſacramentum eſt in pane & poculo, qua omnium eorum ſumus participes, quæ traditione corporis ac ſanguinis ſui generi humano acquiſiuit.

Non impedit aũt quòd in præſenti dicit, Quod pro uobis datur. Ipſa traditio iã erat in foribus, & magna ex parte agebatur p Iudã ac ſacerdotes: unde ad Iudã nõ dicebat, Quod facturus es: ſed in præſenti, Quod facis, fac citius. Quare ut huius admoneret diſcipulos, ſic loq uoluit.

Obſerua uerò, quod non dicit, Hoc eſt corpus meum, quod reſurget, in cœlos aſcendet, & ad dexterã patris in cœleſtibus ſedebit: ſed, Quod pro uobis datur, aut frangitur, non ſimpliciter frangitur, ſed pro uobis frangitur. Mortem ergo ſuam, quam pro nobis erat ſubiturus, diſcipulis inculcat, & in hoc ſacramento rememorandã proponit: unde & Apoſtolis dicit, Quotieſcunq; comederitis panẽ hunc, & de poculo hoc biberitis, mortẽ Domini annunciatis, donec uenerit. Quid faciunt igitur fratres, qui in cœna Domini corpus nobis proponunt clarificatũ, deificatũ, ſedens ad dexteram patris, & omnia penetrans, & ubiq; præſens, & interim urgent hæc uerba, Hoc eſt corpus meum? Sacramentum nobis in cœna Domini proponitur corporis pro peccatis noſtris in mortẽ dati, & ſanguinis pro nobis in cruce effuſi, nõ clarificati & deificati. Corpus Chriſti, inquiunt, ſedet ad dexterã patris. Dextera patris eſt ubiq;. Ergo corpus Chriſti eſt ubiq;. Dicant potius hoc pacto, Chriſtus ſedet ad dexteram patris, & illa penetrat omnia: ergo & Chriſtus penetrat omnia. Hoc dicentibus nemo Chriſtianus contradicet. Vbi uerò ſermo eſt de cœna Domini, & exponenda ſunt hæc illius uerba, quorſum attinet de aſcenſione & ſeſsione ad dexterã patris diſputare, quũ proponatur nobis in illis ſacramentum corporis Chriſti non glorificati adhuc, ſed in mortẽ pro nobis dati & crucifixi? Quin expendunt nobiſcũ hanc particulam, in qua ut preciũ redemptionis noſtræ, corpus Dominicũ pro nobis traditum proponitur. Nos rei mortis eramus æternæ, & iræ filij propter peccatum, liberari nequiuimus, niſi per eum, qui purus erat ab omni peccato, & agnus immaculatus. Dedit igitur ille ſemetipſum pro nobis. Et quoniam dedit non fruſtra, ſed efficaciter, cõſequitur nos factos eſſe liberos à peccato & morte. Nam ad hoc pro nobis corpus ſuum dedit, ac ſanguinem effudit, ut ab omni reatu, culpa & pœna liberati, Deo patri reconciliaremur. Huius gratiæ ſacramentum nobis in Dominica cœna proponitur, quo ipſa uerba nos ducunt: Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur, & hoc poculũ nouũ Teſtamentum eſt in ſanguine meo, qui pro uobis effunditur. Quorſum ergo attinet, quod hic dicit: Quod pro uobis datur, aut frãgitur, non ad corpus Domini, ſed ad panem referre, & ipſam ſacramenti huius ſubſtantiam ac medullam, quæ hiſce uerbis proponitur, ſuſq; deq; facere?

Non dicit, Hoc eſt corpus meũ quod reſurget.

Quod uerbum frangendi attinet, quod Paulus habet, uſus eſt eo Dominus, ut ſe ſacramentali panis fractioni accommodaret. Quemadmodum enim panis dum frangitur, pro illis frangitur, quibus edendi gratia diſtribuitur, quod niſi frangatur, nec diſtribui poſsit, nec manducari: ſic corpus Domini, panis uiuus de cœlo miſſus, ut cibus noſter fieret, in cruce pro nobis eſt fractum, id eſt occiſum. Nec inſolens uidere debet, quòd occiſionem illius fractionem uocat, cum ſit ſcriptum: Os non comminuetis ex eo, quando Ioannis ſecundo dat illi deſtructionem, dicens: Deſtruite templum hoc. quod Euangeliſta de templo corporis ipſius dictum eſſe ſignificat. Hactenus igitur fractũ pro nobis in cruce eſt corpus Domini, quatenus in illa pro nobis eſt mortuũ. Fractura uerò, qua panis in cœna frangitur, illi dari non poteſt. quod fatentur qui canunt: Nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantum fit fractura, qua nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur. Verbum frangendi dicunt habere ſenſum partiendi ac diſtribuendi, quoties de pane uel alio cibo ponitur, atq; ideo corpori Chriſti tribui non poſſe. Verum hoc eſt in eo quod legimus, Accepit panem, gratias egit, fregit, & dedit diſcipulis. Pertinent hæc ad panẽ, & docent nos de ſacramentali illius fractione, partitione ac diſtributione, ad quam pertinet quod Paulus 1. Cor. 10. dicit: Panis quem frangimus, &c. At in hac particula, Quod pro uobis frangitur, uerbum frangendi non eſt ſacramentali fractionis, partitionis ac diſtributionis ſenſu poſitum: quia non de pane, ſed de corpore Domini prædicatur: cui eiuſmodi fractura, qua panis frangitur, nõ competit. Neq; enim ſic eſt fractum, ut in partes poſſet diuidi, ſed ut morte, uelut deſtructum, nobis fieret ſalutis cibus, ſi uera fide ſumatur.

Verbum Frangẽdi quomodo corpori Chriſti conueniat.

Video inconſtanter hæc uerba, Quod pro uobis datur: item, Quod pro uobis frangitur, à nonnullis fratribus in cõtentione referri non ad corpus Chriſti, in cruce pro nobis datũ & fractum, ſed ad panem, illius ſacramentum cuius diſtributione in cœna corpus Domini detur & frangatur, cum extra cõtentionem illa referant ad opus redemptionis noſtræ, quo corpus Domini in cruce pro nobis datũ eſt & fractũ. Deinde ſunt inter illos, qui uerba Pauli, Quod pro uobis frangitur, alio ſenſu accipiunt, quàm uerba Lucæ, Quod pro uobis datur. Relatiuum, quod, in Luca referunt ad ipſum corpus Domini, in cruce pro nobis datum: in Paulo uerò ad panẽ cœnæ: quaſi credibile ſit, aliud dici à Paulo, & aliud à Luca, in re eadem, imò Chriſtũ alio atq; alio ſenſu eſſe lóquutum. Si ſecundum Lucam de corpore ſuo dixit, Quod pro uobis datur, quomodo ſecundũ Paulum de pane dixiſſe credendum eſt, Quod pro uobis frangitur? utrunq; ab illo dici potuit, Quod pro uobis datur & frangitur, uerùm nõ alio atq; alio reſpectu, ſed eodem, de corpore uidelicet ipſius, quod erat pro nobis in cruce dandum & frangendũ.

Quod pro uobis datur, & frangitur.

Non

Non ita facilè eſt fratres, cauere conſtanter, ne faciamus ipſi quod alijs exprobramus. Argumentum erroris ex eo colligitis, quòd eadem uerba Chriſti, Hoc eſt corpus meum, alij aliter exponunt: & interim non obſeruatis, quomodo ipſi uerba hæc Chriſti, Quod pro uobis datur ac frangitur, inconſtanter ac diuerſimodè alius alio ſenſu exponatis. O quàm facilis eſſet ſententiarum conciliatio, ſi libido contendendi tolli poſſet è medio: & quiſq; nõ tam quid alij, quàm quid ipſe peccet, conſideraret.

Hoc poculum nouum Teſtamentum eſt.

De poculo poſtquam bibiſſent, ſic dixit: Hoc poculum nouum Teſtamentũ eſt in meo ſanguine. Lucas addit, Qui pro uobis effunditur. Matth. Et pro multis, remiſsionem peccatorũ. Pro eo quod Paulus & Lucas habent, Hoc poculum nouum Teſtamentũ eſt in meo ſanguine: Matthæus & Marcus dixiſſe Dominum ſcribunt, Hic eſt ſanguis meus Noui teſtamenti. Hæc altera pars eſt huius Sacramenti, quam & ipſam exponit. Et habet illius expoſitio totidẽ membra, quot habet prior: duo uidelicet ſubiecta, & duo prædicata. Primum ſubiectum eſt in pronomine τοῦτο, quod à Matthæo & Marco poſitum non rectè uertitur in maſculino, hic, niſi ſubintelligas, calix. Eſſe enim ad poculum referendum, ſatis indicant Lucas & Paulus, cũ uerba Domini ſic recitant: Hoc poculum nouum Teſtamẽtum, &c. Sic cauere uoluit Spiritus ſanctus, ne referatur ad ipſum ſanguinem Domini, quod alioqui nõnulli faciunt, & ob id magis lectione Matthæi & Marci, quàm Lucæ ac Pauli delectantur. Sic autem incircumſpecti ſunt, ut cum pronomen τοῦτο, in priore parte, nõ ad corpus, ſed ad panem referendum eſſe, rectè contendant, non uideant in hac altera conſimiliter non eſſe illud ad ſanguinem, ſed ad poculum referendum. De hoc ſubiecto, poculo uidelicet, prædicat Dominus, quòd ſit ipſius ſanguis ſecundum Matthæũ & Marcum: ſecundum Lucam uerò & Paulum, quòd ſit nouum Teſtamentum in ipſius ſanguine. Alterum ſubiectum eſt in ſanguine Chriſti, dè quo prædicat ac dicit: Qui pro uobis & pro multis effunditur in remiſsionem peccatorum.

Hoc poculum. Quò referatur pronomẽ τοῦτο in Matthæo.

Quale ſit hoc prædicatũ, Eſt ſanguis meus.

Non eſt autem aliter ſentiendum de priori prædicato, quo de poculo prædicatur, quòd ſit ſanguis, uel, nouum Teſtamentum in ſanguine Chriſti, quàm de eo, quo de pane prædicatur, quòd ſit corpus Chriſti. Quemadmodum illic non naturali, ſed ſacramentali prædicato de pane dicit, quòd ſit ipſius corpus: ita & hic de poculo non naturaliter, ſed ſacramentaliter prædicat, quòd ſit ipſius ſanguis. Et ſicut illic, Hoc eſt corpus meũ, idem eſſe diximus, quod, Hoc eſt ſacramentum corporis mei: ita & hic quod dicit, Hoc ſanguis meus eſt, uel, Hoc poculum nouum Teſtamentum eſt in ſanguine meo, idem eſſe dicimus, quod, Hoc poculum ſacramentum eſt ſanguinis mei: uel, Hoc poculum ſacramentum eſt noui Teſtamenti in ſanguine meo. Poculum hoc naturaliter eſt poculum uini, ſacramentaliter uerò poculum Dominici ſanguinis & noui Teſtamenti. Et poſterius hoc non ex humano arbitratu, ſed ex Dominica inſtitutione accepit. Quia ſanguinem ſuum in hoc poculo Dominus diſcipulis ac fidelibus ſuis commendare uoluit, uocauit illud ſanguinem ſuum, non ut realiter in illo ſit ipſius ſanguis, ſed ut ſit ſanguinis ſui ſacramentum. Nos ~~hoc prædicati genere admonemur, qua fide,~~ quo reſpectu, quóque affectu ſacramentalibus hiſce ſignis in cœna Domini uti debeamus, dum panem hic corpus ſuũ pro nobis traditũ, & poculũ uini ſanguinem ſuũ pro nobis effuſum uocat. Quod uidetur, panis eſt & calix, inquit Auguſtinus, quod etiam oculi renunciant. Quod autẽ fides poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus Chriſti, calix ſanguis. Quod natura ſunt utrique, uiſibile eſt, & oculorum teſtimonio ſubiectum, qui panem & uinũ eſſe teſtantur: quod uerò non natura, ſed ex Dominicæ ſunt inſtitutionis ſacramento, uiſibile non eſt, requiritque teſtimonium non oculorum, ſed uerbi Domini, quid eos ille non naturaliter in ſe, ſed ſacramentaliter nobis eſſe uoluerit: corpus uidelicet & ſanguinem ſuum, id quod uerbo Domini credentes fide capimus, & religioſe amplectimur. Fidelis homo non requirit corporalẽ corporis ac ſanguinis Domini in pane & poculo præſentiam, quam ſibi nullo uerbo Domini promiſſam eſſe nouit, interim tamen, quoniam panem ac poculum cœnæ Dominicæ ſacramentum corporis ac ſanguinis Domini eſſe credit: reſpicit in illis nõ quod ſunt natura, ſed quod in illis Dominica nobis inſtitutio commendat, corpus uidelicet & ſanguinem Domini. Hoc reſpectu Cyprianus: Cruci hæremus, inquit, & ſanguinem fugimus, & intra ipſa ~~redemptoris uulnera~~ linguam figimus: & eos qui de calice Domini participant, per ſaporem uini ~~redolere ſanguinem~~ Chriſti dicit. Quis uſqueadeò inſanit, ut hæc uerba putet eſſe propriè, & non magis ſacramentaliter dicta? Quàm abſurdum eſt, ſi te realiter cruci adhærere, ſanguinem fugere, & linguam intra uulnera Chriſti figere dicas: tam abſurdum eſt, ſi ſanguinem illum Chriſti, qui ſemel effuſus eſt in cruce, in poculo realiter eſſe contendas. Si uerò dicas iſta ſenſu ſacramentali, quo de ſignis ſacramentalibus res ipſæ prædicantur, quarum ſunt ſacramenta, nihil erit abſurdi. Hoc ſenſu per ſaporem uini redolemus ſanguinem Chriſti. Quare? Quia uinum hoc datum nobis eſt à Chriſto nõ tanquam uinum, ſed ut ſanguinis ſui ſacramentum. Et interim retinet ſaporẽ ſui quem habet ex natura, cuius tamen redolentia Chriſtiani hominis fidei magis eſt ſanguinis Chriſti quàm uini. In ſapore uini agnoſce naturalem conditionẽ, in redolentia uerò ſanguinis Chriſti Dominici ſacramenti inſtitutionẽ. Naturalem ſacramentalis uini ſaporẽ Chriſtiana fides ſanguinem Chriſti redolere interpretatur, ratione Sacramenti, non corporalis præſentiæ.

De conſe. diſt. 2. Can. Qui mã ducant.

Cyprian. Cruci hæremus, & ſanguinem fugimus.

Per ſaporẽ uini redolere ſanguinẽ Chriſti.

Hoc

Hoc poculum, inquit, nouum Teſtamentum eſt. In Luca & Paulo prædicatur de hoc poculo, quòd ſit nouum Teſtamentum. Significatur ſacramentum eſſe noui Teſtamenti, reſpectu ueteris, cuius tum in ultima cœna paſchale ſacramentum terminauerat, illiq; nouum hoc ſubſtituebat. Nouum Teſtamentum moriturus condidit. Quid autem ſit Teſtamentum, notius eſt quàm ut ſit admonendum: extrema uidelicet morituri uoluntas, qua bona ſua diſpenſat, & quibus uult gratuitò largitur.

Teſtamentum eſt, quomodo ſit dictum à Paulo.

Teſtamentum quid.

1 Requiritur autem primùm ad hoc, ut ratum ſit Teſtamentum, libera teſtatoris poteſtas, qua ſit liber ac ſui iuris. Si ſeruus, ſi famula, ſi filius, aut filia, in domo & ſub poteſtate patrisfamiliâs teſtari uellet, non eſſet ratum Teſtamentum. Quid ergo eſt, quòd Chriſtus filius Dei in domo patris Teſtamentum moriturus condit? Reſpondeo: Pater illi omnia dedit in manus, conſtituitq; eum hæredem ac Dominum omnium in cœlo & in terra, Matthæi 11. & ultimo. Habuit ergo liberam teſtandi poteſtatẽ. Deinde ſic eum pater teſtari uoluit, & ad hoc in mundum miſerat, ut Teſtamentum hoc nouum, quod Hieremiæ 31. promiſerat, morte ſua confirmaret: qua de re uide Ebræorum 8.

Cõditiones quibus Teſtamentũ cõfirmatur.

2 Requiritur ſecundò, ut quæ legantur in Teſtamento, ſint non aliena, ſed propria. De alieno ſiquidem nemo teſtari poterit. Et hic quoq; nihil poterit deſiderari in Teſtamento Chriſti, cùm ſit unigenitus Dei, & hæres omnium.

3 Tertiò, ſic teſtandum eſt, ut non fiat iniuria filijs ac fratribus germanis, ſi qui ſint. Nam illi naturæ ſunt priuilegio hæredes. Eſſet autem iniquum, adimere illis hæreditatem, & transferre ad exteros, niſi id fiat iuſtis de cauſis. Si angeli cœleſtes natura eſſent cognati Chriſti, certè ad illos pertineret hæreditas. Non ſunt autem. Neq; enim habet eiuſmodi cognatos unigenitus Dei, qui priuilegio naturæ poſsint ipſius eſſe hæredes, ſed adoptitios tantùm. Ergo & hac ratione liberè, quibus uoluit, teſtari potuit.

4 Quartò, non poteſt teſtamentaliter legari, quod debetur ex merito. Meritũ enim tranſit in debitum. Debitum aũt excludit gratiã, quam libera requirit Teſtamenti beneuolentia. Quare quicquid ex merito prouenit, nõ eſt ex gratia. Ergo quæ unigenitus Dei hoc Teſtamento ſuo largitur, talia ſint oportet, ut nemo de illorum merito ac debito gloriari poſsit.

5 Quintò, expoſcit Teſtamenti diſpenſatio, ut exequutores Teſtamentarij conſtituantur. Hos conſtituit Apoſtolos ſuos, quibus id muneris concredidit, ut gratiam Teſtamenti huius miniſterialiter euangelizando diſpenſent: unde illud eſt Apoſtoli, 1. Cor. 4. Sic nos æſtimet homo, tanquam miniſtros Dei, & diſpenſatores myſteriorum Dei.

6 Poſtremò, ad confirmationẽ Teſtamenti requiritur, ut mors teſtatoris intercedat. Etenim uiuo adhuc illo, nondum eſt confirmatũ Teſtamentum. qua de re Ebr. 9. ſic legimus: Vbi teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentũ etenim in mortuis confirmatur. Alioqui nondum ualet, dum uiuit qui teſtatus eſt. Mortuus eſt autem Teſtator hic unigenitus Dei, ac Teſtamentum quod condidit, ſanguine ſuo confirmauit. Quòd autẽ reuixit, nõ ad hoc facit, ut quod morte intercedente cõfirmauit, irritum fiat, ſed potius ut ad finem ſuum perducatur & perficiatur. Reſurrexit enim propter noſtri iuſtificationem. Eſt itaq; Teſtamentum hoc nouum ex omni parte legitimum, ratum, firmum ac perfectum.

In ſanguine meo.

Hoc poculum, inquit, nouum Teſtamentum eſt in ſanguine meo. Matthæus & Marcus ſic, Hoc eſt ſanguis meus, qui eſt noui Teſtamenti. Vetus Teſtamentum ſanguine pecuino, ſanguine typico & umbratili conſtabat, cuius ueritas in ſanguine Chriſti erat adimplenda: nouũ uerò non pecuino, ſed Chriſti ueri & immaculati agni. Hoc ſignificans dicit, Hoc poculum nouũ Teſtamentum eſt in ſanguine meo: uel, Sanguis meus eſt, qui eſt noui Teſtamenti. Idem alijs atq; alijs uerbis eſt expreſſum: uidelicet, ſanguinem Chriſti noui eſſe Teſtamenti confirmationem. Ideo uocatur ſanguis noui Teſtamenti, & Teſtamentum nouum in ſanguine ipſius eſſe prædicatur. Non eſt ut hæc uerba diuexemus. Reiecta ſcrupuloſitate retineamus ſimplicitatẽ. Per ſanguinem Chriſti in cruce effuſum, confirmatum eſt hoc Teſtamentum. Quare perinde eſt, ſiue Teſtamentum in ſanguine, ſiue ſanguinem in Teſtamento, aut Teſtamenti eſſe dicas. Si dicas, Teſtamentum eſt in morte, uel, Mors eſt in Teſtamento: quid aliud ſignificas, quàm confirmari Teſtamentum morte teſtatoris? Per ſanguinis autem effuſionem cruenta mors notatur.

Quomodo nouum Teſtamentum ſit in ſanguine Chriſti.

Quò referatur hæc particula, Quod pro uobis effunditur.

Qui pro uobis, inquit, & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Quemadmodum de corpore ſuo dixit, Quod pro uobis traditur: ita hic de ſanguine ſuo explicatius prædicat dicens, Qui pro uobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Argutantur hic nonnulli ex eo, quod in Luca non legitur, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, id eſt qui pro uobis effundi tur, ut prædicetur de ſanguine in cruce pro peccatis noſtris effuſo: ſed ad hunc modum, τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον: id eſt hoc poculum nouum Teſtamentum eſt in ſanguine meo, quod, uel qui (nam utrunq; legi poteſt) pro uobis effunditur: ut nõ de ſanguine, ſed de poculo prædicetur, quod pro nobis in menſa effundatur, ſitq; uerbũ effundendi poſitum pro infuſione, qua uinum poculis infunditur, & inter conuiuas diſtribuitur. Et ut opinionem hanc, in qua tamen fluctuant, probabiliorem reddant, dicunt illud ὑπὲρ ὑμῶν, id

est pro uobis, idem esse posse, quod, coràm uobis, uel, ante uos. Sic æstu contentionis perciti hæc uerba, Quod pro uobis frangitur, Qui pro uobis effunditur, in quibus totius huius causæ utilitas ac fructus proponitur, non ad mortem crucis & sanguinis in cruce effusionem, sed ad sacramentariam mensæ Dominicæ communionem referunt, cum tamen in uersione Noui testamenti diuersum sit expressum. Sic enim illud 1. Corinth. 11. Quod pro uobis frangitur, reditum est, Nement, essend, eas ist mein leib, der fur euch gebrochen wirt: quod utiq; non ad panẽ, sed ad corpus refertur, aliàs uertendum fuisset, Das fur euch, oder, vor euch gebrochen wirt. Et quod in Luca legitur, Qui pro uobis effunditur, non refertur ad poculum, sed ad sanguinem, dum non legitur: Das ist der kelch des newen Testaments in meinem blut, der vor euch eingeschenckt ist: sed, Das ist der becher des newen Testaments in meinem blut, das fur euch vergossen wirt. Sed absit hoc cõmentum ex spiritu cõtentionis natũ, & contra manifestam lucem chartis illitum. Quid certi sperari potest, ubi in uerbis Domini tam claris ac simplicibus, uelut in scirpo nodus quæritur? Imputo hoc non maliciæ, sed feruori contentionis, qua se pro ueritate uerborum Christi dexterrimè pugnare censebant: & interim dum alijs incertitudinem & fluctuationem in uerbis Christi, Hoc est corpus meum, exprobrabãt, in manifestioribus ipsi parum certi erant. Sic nimium altercando solet amitti ueritas.

Verbum effundendi.

Existimo autem uel ex Matthæo liquere, effundendi uerbum in Luca non esse referendum ad poculum sacramẽti, sed ad sanguinem Christi in cruce effusum. Ibi quippe sic legimus, Hic est sanguis meus, qui est Noui testamenti, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον: id est qui pro multis effunditur. Vbi non discipuli modò, qui in cœna illa præsentes erant, sed & omnes electi, effusi sanguinis participes decernuntur. Nec ferendum est, ut aliter hoc à Luca, quàm à Matthæo dictũ esse dicamus. Nihilo enim probandum hoc magis esset, quàm si illud, Hoc est corpus meum, alio atq; alio sensu ab Euangelistis esse dictum contendatur. Quare quod in Luca est: τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, nihil est aliud quàm, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνὲν: ut referatur non ad ποτήριον, id est poculum, sed ad αἷμα, id est sanguinem, non minus quàm si esset, τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ. Verùm relicta noua hac expositione, redeamus ad uerba Christi.

Qui pro uobis, inquit, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Obseruet hic diligens Lector, quod quemadmodum non dixit, Hoc est corpus meum, quod resurget, clarificabitur, & sedebit ad dexteram patris: sed, Quod pro uobis traditur, in mortem uidelicet: ita nec de sanguine suo dicit, Hoc poculum Nouum testamentum est in sanguine meo, qui clarificabitur, & ad cœlestia exaltabitur: sed, Qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionẽ peccatorum. An non diserte loquitur de sanguine suo, quem effuderunt impij flagellando & crucifigendo ipsius corpus? Vtiq;. Non loquitur de sanguine non effuso. Quomodo autẽ conuenient illi argumenta clarificationis, quibus fratres probare conantur, sanguinẽ Christi corporaliter præsentem esse in calice? Biberunt ne Apostoli sanguinem Christi in ea cœna? Biberunt. Quem autem alium, quàm qui secundum illius uerbum erat effundendus in cruce? Neq; enim simpliciter dicit, Hoc poculum Nouum testamẽtum est in sanguine meo: sed addit, Qui pro uobis effunditur. Sanguis Christi sedentis in mensa, & sacramentum hoc in instituentis, nondũ erat effusus. Quare ad illum non est referendũ, quod hic dicit, sed ad eum quem impij sequenti die effuderunt. Sanguis Christi cum quo resurrexit, in cœlos ascendit, & ad dexteri patris consedit, an is sit, qui effusus est in cruce, iudicent alij. Non damus Christo alium atq; alium sanguinem, sed uerbis illius inhærentes, germanum illorum sensum, & sacramenti huius mysterium quærimus. Quorsum ergo attinet, corporalis præsentiæ dogma de clarificato ac deificato corpore ac sanguine in Ecclesiam inducere, cum ipsa Christi uerba de sanguine ipsius, neque ut illum habebat in mensa, neque ut habiturus erat post resurrectionem, sed ut erat fundendus in cruce, queant intelligi? Hunc, ut tum discipulis suis priusquam effunderetur, non corporaliter in poculo, sed sacramentaliter commendauit: ita post resurrectionem illius habet eum Ecclesia effusum, non corporaliter, sed sacramentaliter in poculo, spiritualiter uerò per fidem in corde. Per corporalem præsentiam haberi non potest, quod nondum est: potest autem per sacramentalem. Erat quidem in cœna illa sanguis Christi in corpore Christi, uerùm nondum erat sanguis reipsa effusus, qui ut effusus, corporaliter in poculo præsens posset ad bibendum porrigi. De sanguine clarificato non est ut disputemus, quandoquidem de illo Christus ipse non loquitur. Sic puto, nos ipsa Christi uerba manu ducunt & monstrant, nihil hic loci esse dogmati de corporali sanguinis Christi in calice præsentia, sed esse hæc sacramentali sensu dicta. Non est ut disputemus de sanguine Christi, quónam peruenerit postq; in terram fuit effusus, an receptus in clarificatũ illius corpus fuerit, uel secus. Superest ac sufficit Ecclesiæ fidelium ad finem usque mundi, non corporaliter, sed sacramentaliter in sacramento, & spiritualiter per fidem bibendus: superest, inquam, illius efficacia ad propiciationẽ pro peccatis electorum ac fidelium omnium, ad iustificationem, ad pacificationem, ad sanctificationem & emundationem conscientiarum nostrarum: quæ illius efficacia sic durat, ut possit esse sanguis testamenti æterni. qua de re multo maiore cum fructu disseret minister uerbi quàm de corporali illius in calice præsentia.

Non loquitur de sanguinis sui clarificatione, sed effusione, quæ facta est in cruce.

Dogma corporalis præsentiæ.

Comme-

Commendatur nobis in hoc ſacramento, non corporaliter, præſens ſubſtantia corporis & ſanguinis Dominici, ſed uictima pro peccatis noſtris Deo patri oblata, mors cruenta, qualis eſt uictimæ, ſanguinis effuſio, quæ facta eſt in ara crucis: cuius efficacia non eſt in corporali ſub pane & uino præſentia, ſed in cordibus & conſcientijs fidelium. Ipſa corporis Chriſti fractio & ſanguinis effuſio, quarum mentionem facit dicens, Quod pro uobis frangitur: &, Qui pro uobis & pro multis in remiſsionem peccatorum effunditur, cum actu tranſierint, corporaliter iterari non poſſunt: iterantur tamen in eccleſijs fidelium per ſacramentum hoc rememorationis, non per corporalem præſentiã, qua in poculo ſit ſanguis corporaliter ſine corpore, in pane corpus ſine ſanguine, de cuius præſentiæ utilitate ac ratione ne uerbum quidẽ extat in Euangelicis & Apoſtolicis ſcripturis, ut abſurditatem corporalis huius diuiſionis taceam, qua corpus Chriſti ſine ſanguine, & ſanguinem ſine corpore corporaliter adeſſe comminiſcuntur. Diuiſio hæc in cruce quidem corporalis fuit, in qua ſanguis per effuſionem ſeparatus eſt à corpore: in ipſa uerò cœna, quemadmodum & poſt reſurrectionem, corporalis non fuit, ſed ſacramentalis, ob id nobis in hoc ſacramento commendata, ut quod in agno Paſchatis figuraliter ac ſeparatim præceſſit, in ipſo Chriſti corpore & ſanguine ueraciter impletum eſſe agnoſcamus, & indubitatã fide complectamur.

QVAE SIT RATIO ET VTILITAS *effuſi ſanguinis Chriſti.*

QVi pro uobis, inquit, & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Hæc eſt utilitas & ratio, propter quam effundẽdus erat Chriſti ſanguis. Remiſsio uidelicet peccatorum, cuius etiam mentio fit Hieremię trigeſimo primo, in uaticinio & promiſsione Noui teſtamenti, quam Epiſtola ad Ebræos diligenter explicat. De hac nõ eſt ut hic loquamur, cum ſuprà de illa loco ſeparato dixerimus. Mediationis autem ſuſcepta diſpenſatio in eo exprimitur, quod dicit, Pro uobis, &, Pro multis. Cauſam omnium noſtrũm in ſe ſuſcepit, mediator factus inter Deum & nos, quare & pro nobis paſſus eſt, ut quod non ipſe, ſed nos debebamus, ſolueret, Deoq; patri ſuo pro nobis ſatisfaceret. Verùm hac de re, & quare non tantũ Pro uobis, ſed & Pro multis dixerit, quidque ex toto hoc loco ſit obſeruandum, in Matthæo noſtro admonuimus.

Cogitet autem hic pius Lector, quid ſibi uelit, quòd ſanguinem ſuum non ſolùm pro multis, qui uidelicet crediturí erant in ipſum, ſed & pro ipſis Apoſtolis fundendum dicit, cum inquit, Qui pro uobis effundetur in remiſsionem peccatorum. Ergo pro Apoſtolorum quoque peccatis ſanguinem ſuum erat fuſurus. Atqui iam illi, quoniam in ipſum credebant, iuſtificati erant, & æternæ uitæ participes facti, quorum neutrum ſine remiſsione peccatorum fieri potuit. Cum igitur hanc eſſent iam antea per fidem adepti, quæri poteſt, ad quid opus fuerit, ut pro peccatis ipſorum ſanguinem ſuum funderet. *Etiã pro Apoſtolis ſanguis Chriſti effuſus fuit.*

Reſpondeo. Quemadmodum mors Chriſti inde ab origine mundi pro omnibus omnium credentium peccatis ſatisfactio fuit, priuſquam ſanguis eius in cruce funderetur, ita fuit & pro peccatis Apoſtolorum. Huius ſatisfactionis participes erant facti fide, ipſa uerò actualis ſatisfactio in cruce demum erat perficienda. Quare quemadmodum pro peccatis ſanctorum patriacharum, Abrahæ, Iſaac & Iacob, qui & ipſi ante mortem ipſius fide iuſtificati fuerunt, ac ſaluati: ita & pro peccatis Apoſtolorum ſanguinem ſuum erat fuſurus, perinde atque pro peccatis eorum qui nondum in ipſum credebant.

QVID NOS DOMINVS IN CAVſa cœnæ facere iuſſerit.

ET hæc portio ad inſtitutionem cœnæ Dominicæ pertinet. Sunt enim illius duæ partes: quarum prior continet, quid Chriſtus ipſe in cœna fecerit, poſterior uerò, quid nos facere iuſſerit. De priori pro mediocritate noſtra diximus, ſubijciendum iam eſt de poſteriori. Quomodo, quare, & ad quid, externis ſymbolis ſacramentum corporis ac ſanguinis ſui inſtituerit, diximus in Matthæo noſtro.

Hoc, inquit, facite in mei rememorationem. Dum nos facere iubet, ſignificat ea quæ fecit ipſe, non eſſe ſic à ſe facta ut illis omnis inſtitutio ſacramenti huius terminetur: ſed ut nos ad illorum celebrationem inſtituamur, habeamuſque exercitium, quo gratia hæc redemptionis noſtræ in animis noſtris refricetur. Quòd mortuus eſt pro peccatis noſtris, factum habet, quod ſemel erat, & non niſi ab ipſo adimplendum. Neque enim à nobis requiritur, ut & nos pro peccatis noſtris moriamur. Verùm myſticum hoc & ſacramentale Chriſti factum, nobis quoque faciendum proponitur: quia non pertinet propriè ad redemptionem generis humani, ad quam mors illius pertinet, ſed ad ritum Eccleſiaſticum & exercitium, quo in fide illius exerceamur. *Hoc facite in mei rememorationem.*

Cyprianus. Hoc, inquit, facite. Cyprianus illud HOC, refert ad id quod factum fuerat ab ipso Domino, cum dicit: Id nos facere oportet, quod prior Dominus fecit, & faciendum esse mandauit. Quid autem ille prior fecerit, satis est in præcedentibus expressum. Panem accepit, & poculum, gratias egit Deo patri, fregit, ac distribuit inter discipulos, iussit ut ederent ac biberent: & simul exposuit, quid hoc ritu institueret, ipsisque commendaret. Ergo cum dicit: Hoc facite, iubet ut & ipsi panem accipiant & uinum, gratias agant, frangant, & inter se distribuant, edant & bibant.

Non dicit: Hoc offerte Deo patri. Non dicit, Hoc offerte Deo patri: sed, Hoc facite. Nõ obtulerat ipse in mensa corpus ac sanguinem suum, sed oblaturus erat in cruce. Quare non iubet, ut offerant ipsi, sed ut quod fecerat in mensa, facerent & ipsi. Quod facturus erat in cruce, facturus erat solus: quod uerò fecerat in mensa, magis nostrum quàm suum ipsius opus esse uoluit. Ad hoc enim fecerat, ut ritum hunc frangendi panis institueret, & ecclesiæ suæ celebrandum commendaret.

Iubet nos facere, quod facere possumus. Hoc facite, inquit. Ergo loquitur de re tali, quam non ipse in posterum, sed fideles facere debeant, & facere possint etiam. Non iubet igitur, ut panis & uini substantiam in corpus & sanguinem suum mutent. Id enim omnes uires humanas superat, & sine grandi miraculo fieri non potest. Nec est ut dicatur: Quod non potest fieri à sacrificulo, fieri potest ab ipso Domino. Neque enim dicit, Hoc porrò faciam: sed, Hoc facite. Quod hisce uerbis facere iubemur, omnino tale est, ut à nobis fieri & debeat & possit. Quare nihil hic iubetur, quod sit miraculosum, ut prorsus inane figmentum sit, omnis illa dignitas ac prærogatiua, quam sibi ipsi hoc nomine uendicant Papistarum sacrificuli, & ad cœlos usque extollunt, quòd panis & uini substantiam in ipsum corpus & sanguinem Christi transmutare, adeoque & ipsum Christum cœlitus deuocare possint. Tribuunt hanc uirtuti uerborum Christi. Verùm nec dixit Christus: Hoc dicite, & uerbis hisce meis panem ac uinum in corpus & sanguinem meum transsubstantiate, nec ipsa illius uerba tale quid uolunt. Dixit, Hoc facite: quod idem est atq; Panem hunc cum gratiarum actione frangite & edite, & poculum hoc inter uos diuidite & bibite. unde & Apostolus dicit, Panis quem frangimus. item, Quotiescunque panem hunc comederitis, & de poculo Domini biberitis. Quare etiamsi millies proferantur hæc uerba: Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus: nemo tamen per illa efficiet, ut panis ac uini substantia in corpus ac sanguinẽ Domini mutetur. Non enim est hoc in uoluntate Domini, quia non est in ipsius mandato expressum.

Roffensis episcopus. Vnde & Ioannes Roffensis episcopus, olim in Anglia, in defensione regiæ assertionis contra captiuitatem Babylonicam Martini Lutheri N. 8. & O. sic scribit: Sed prius illud aggrediamur & doceamus, quod citra Patrum interpretationem & usum ab eisdem nobis traditum, nemo probabit ex ipsis nudis Euangelij uerbis, sacerdotem quempiam his temporibus uerã Christi carnem ac sanguinem cõsecrare. Non quòd hæc res tam ambigua sit, sed quòd eius certitudo non tam habeatur ex uerbis Euangelij, quàm ex Patrum interpretatione, simul & usu tanti temporis, quem illi posteris reliquerunt. Principiò si quis donauerit (quod tamen Wiclefus prorsus negat) Christum in cœna uerè corpus & sanguinem suum ex pane uinoq; confeciſſe, nequaquam ex hoc infertur, quòd unusquisq; sacerdos ita similiter panem in corpus, & uinum in sanguinem permutabit. Nam Christus pleraque fecisse non dubitatur, quæ iam nemo, quantumuis aut sanctus aut sapiens fuerit, queat efficere. Quamobrem nisi fuerit in dictis uerbis apertè promissum, quod quisquis, siue laicus siue sacerdos eandem rem tentauerit, idem effectus sequatur: nulla nobis aderit huius negocij certitudo. Sed eiusmodi nihil in Euangelijs (ut patebit) est promissum.

Ibidem: Hactenus Matthæus, inquit, qui & solus Testamenti noui meminit. Nequeullum hic uerbum positum est, quo probetur, in nostra Missa ueram fieri carnis & sanguinis Christi præsentiam. Nam etsi Christus ex pane carnem suam, & ex uino sanguinem effecerit, non ob id consequitur, uirtute alicuius uerbi hic positi, nos quoties id ipsum tentauerimus, idem effecturos.

Item: Non potest igitur, inquit, per ullam scripturã probari, quòd aut laicus aut sacerdos, quoties id negocij tentauerit, pari modo conficiet ex pane & uino Christi corpus & sanguinẽ, atq; Christus ipse confecit, quum nec istud in Scripturis contineatur.

Adhuc: Ex ijs opinor, inquit, nemo non intelligit, huius rei certitudinem nõ tam ex Euangelio pendere, quàm ex usu & consuetudine, quæ per tot secula nobis ab ipsis primis patribus commendata est. Sic enim ipsis docente Spiritu sancto uisum fuit, hanc Euangelij partem nobis interpretari, sicque suis temporibus utendam arbitrati sunt, ut iam quisquis aut alium sensum aut usum uelit introducere, is omnino repugnabit Spiritui sancto, cuius instinctu priores patres hunc ritum & ceremoniam in Eucharistiæ consecratione tradiderunt. Nam persuasissimum esse potest ei, qui non ignorat Euangelium, Spiritum sanctum (qui datus est ecclesiæ perpetuus instructor) nunquam in re tanti ponderis fuisse passum ipsam errare, tanto & tam prolixo temporum successu.

Hæc ille. qui quamuis impense Papistico esset sacerdotio deuotus, agnouit tamen, palãq; istis

istis uerbis fassus est, non posse ullis Euangelicis scripturis probari, quòd panis & uinũ in ueram Christi carnem ac sanguinem consecrentur.

In summa: In sacramentis aliud est, quod ab ipso Domino factum est semel, & aliud quod à nobis faciendam est iugiter. Sicut in Paschate aliud erat quod semel fuerat factum ab angelo, & aliud quod faciendum fuit à populo singulis annis. In hoc sacramento opus Domini est, factum semel, non panis ac uini transsubstãtiatio, sed corporis ipsius in cruce traditio, & sanguinis effusio, quarum in fractione panis, ac communicatione poculi sacramentum esse uoluit: nostrum uerò opus, quod faciendum est, donec redierit Dominus, est panis huius fractio & manducatio, ac populi communicatio. Stupenda peruersitas est, qua Papistæ quod nec factũ est à Domino in cœna, nec nobis ut faciamus mandatum, neq; à nobis fieri potest, faciendum sibi sumunt, & quod mandatum est, fieriq; à nobis & debet & potest, non faciunt.

Aliud factũ est à Domino semel, et aliud faciendum à nobis iugiter.

Peruersitas Papistarum.

Quare quod Chrysostomus super Matthæum homilia octuagesima tertia dicit: ~~Non sunt humanæ uirtutis opera proposita~~. Qui tunc ipsa fecit in illa cœna, idem ea nunc quoq; facit. Nos ministrorum tenemus locum, qui uerò sanctificat ea, & immutat, ipse est. rhetorica magis est amplificatione, quàm pro causæ ipsius simplicitate dictum. Etenim quòd dicit, non esse humanæ uirtutis opera proposita, & nunc quoq; facere Dominum ea, quæ in illa ultima sua cœna sanctificando & mutando fecit, si ad id referatur, quod nos facere iussit dicens: Hoc facite in mei rememorationem, prorsus à simplici Dominici mandati ueritate dissidet. Neq; enim mandauit nobis, ut panem & uinum sanctificemus & mutemus, sed ut inter nos frangamus, distribuamus, & cum gratiarum actione, tanquam corporis ac sanguinis sui sacramentum in rememorationem sui edamus & bibamus, quæ sacramentalis ceremonia humanam uirtutem non superat. Neq; requiritur, ut quod semel institutionis suæ uerbo ac facto sanctificauit, iterum atq; iterum idem faciendo sanctificet. Etenim semel facta institutio, sacramentalia signa ad finem usq; mundi in usus Ecclesiæ sanctificauit. Neq; mutauit panis & uini substantiã, sed naturalem usum, corporibus cibandis ac potandis destinatum, in sacramentalem conuertit, quo mentibus nostris reficiendis, ac fidei confortandæ, operante Spiritu sancto seruiant. Et hoc quoq; semel ab ipso factum ualet per omnes Ecclesias, ad finem usq; mundi. Semel dixit: Hoc est corpus meum, Hoc poculum nouum Testamentum est in sanguine meo, Hoc facite in mei rememorationem: & his uerbis semel ceremoniam hanc instituit & sanctificauit, & ab usu naturali in sacramentalem mutauit.

Chrysost.

Hoc facite, inquit. Expendimus quod dictum est à Domino, Hoc facite: uideamus iam consequenter, ad id quod facere debeamus. In mei rememorationem, inquit. Haud est præter rationem, quòd uerbum HOC non semel tantum dixit: sed quoniam corporis sui ac sanguinis sacramentum duobus distinctis membris instituebat, utrique singulatim repetendo adiecit, Hoc facite in mei rememorationem: ut non modò ad quid nos ritum hunc in Ecclesia seruare uelit exprimeret, sed & utranque illius partem religiosè & integrè seruandam esse inculcaret. qua de re dicemus in articulo sequenti, ubi explicanda erit recta sacramenti huius administratio.

In mei rememorationẽ.

Hoc facite in mei rememorationem, inquit. Non uideo quid possit breuius, simplicius, apertius, & simul efficacius contra omnis generis errores, scrupulositatem, & superstitiones ab ipso Domino, in ipsa institutione, statim initiò, non dici modò, sed & inculcari. Non dicit, Hoc facite εἰς τὴν ἐμὴν παρουσίαν, id est in mei præsentiam: ad hoc uidelicet, ut corpus & sanguinem meum in pane ac poculo corporaliter præsentia habeatis: sed, Hoc facite εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, id est in mei rememorationem. Cum ergo disertè dicat: Hoc facite in mei rememorationem, reuera nulla causa est de corporali præsentia corporis ac sanguinis Domini in pane ac uino cœnæ cogitandi: imò magna est, animum ab illa ad cœlestia uirtute rememorationis auocandi. Et hoc consilio Dominus μνημόσυνα sui, per hoc Noui testamenti sacramentum instituere uoluit, ut animos nostros ex omnibus præsentis uitæ tribulationibus & tentationibus ad ipsum in cœlos, quò ascensurus erat, dirigeremus, & consolationem quæreremus, unde & illud est: Sursum corda, Habemus ad Dominum. Et Apostolus diligenter monet, ut quæramus ea quæ sursum sunt, ubi Christus est. Erat post resurrectionem suam rediturus ad patrem, & corporalem sui præsentiam ablaturus ex hac terra. Hoc significans dicit: Hoc in posterum facite in mei rememorationem. quasi diceret, Posthac me corporaliter præsentem non habebitis. Quare uolo, ut ad alendam in cordibus uestris memoriam mei, id faciatis, quod iam uobis faciendum trado. Volo enim hoc esse mei זכרון, id est memoriale Sacramentum.

Non dicit: In meam præsentiam.

Quomodo autem, obsecro, uerbum HOC Christi conuenit dogmati de corporali illius in cœna præsentia? Bernardus super Cantica sermone trigesimo tertio, memoriã Christi huic præsenti tempori, in quo per fidem ambulamus, præsentiam uerò futuro adscribit, in quo ambulabimus per speciem, uidebimusque facie ad faciem. Sic enim ibi dicit: Non pari iucunditate sumitur cortex sacramenti, & adeps frumenti, fides & species, memoria & præsentia, æternitas & tempus, uultus & speculum, imago Dei, & forma serui, &c. quibus uerbis utique

Bernardus.

memoriam sic à præsentia discreuit, ut illam huic, in qua sumus: hanc futuræ uitæ tribuerit.

An habeamus in cœna absentis Christi memoriam.

Dicet quisquam: Ergo sic accipis Christi rememorationem, ut præsentiam illius à cœna excludas, sentiasque habere nos memoriam Christi non præsentis, sed absentis. Respondeo, dictum esse à Domino noui: Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Quare absit, ut præsentiam Christi tam diserte promissam reijciam. Loquor de corporali corporis ac sanguinis illius in pane & uino præsentia, de qua nemo, quod ego sciã, aliquod Sacrę scripturæ testimoniũ adferre poterit. Huic oppono sacramentũ hoc rememorationis, sciẽs interim adesse nobis Dominum non in cœna modò, sed & in omni fidelium synaxi, per spiritum suum operantem in illorum cordibus. Quomodo enim abesset caput à suo corpore, & uera uitis à suis palmitibus? Absit. Non habemus talem Christum, qui tanquam prorsus absens uicarium requirat, per quem quæ capitis sunt, in corpore Ecclesiæ perficiantur. Ad perficiendũ ea quæ sunt Saluatoris, mediatoris, capitis & regis: hoc est quæ ad salutem nostrã sunt necessaria, nõ est ut quicquam desideremus in Christo Domino, etiãsi corporaliter non sit nobiscum in pane & poculo præsens, sed uirtute diuinitatis spiritus sui, & nos & omnia nostra moderetur. Interea tamen in confesso est, rememorationem esse non præsentis, sed absentis: sicuti spes nõ est præsentium, sed futurorum. Christus autem instituit Sacramentum hoc ad sui rememorationem. Ergo instituit non quatenus præsens est spiritu, sed quatenus absens futurus erat corpore. Nam utrunq; de illo rectè dicitur, cùm quòd sit præsens nobiscum usq; ad cõsummationem seculi, tum quòd sit absens, donec ad diem iudicij reuertatur. Sic se dixit abiturum ad patrem, & reuersurum: sic ab Apostolis uisus est à nube susceptus & eleuatus ire in cœlum: sic dictum est illis, Viri Galilæi, quid statis suspicientes in cœlum? Hic Iesus, qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet, quemadmodum uidistis eum euntem in cœlum, Act. 1. Scio quomodo nonnulli fratres præsentiam Christi spiritualem & corporalem confundant, & uerbũ Pauli, Donec uenerit, non de aduentu corporali, sed de glorioſa apparitione exponant, qua non de cœlo descensurus sit corporaliter, sed inuisibilem sui præsentiam in manifestam commuraturus. Hoc quomodo Christianæ fidei ac sacrarum scripturarum simplicitati conueniat, iudicent cordati. Vbi illud sacramentale, Hoc est corpus meum, exponendum est: urgemus fortiter, non esse in uerbis illis unum apicem, qui non sit proprio & communi sensu accipiendus, & interea uerba, ascendendi, abeundi, redeundi, ueniendi, & uocem, Cœli, sic exponendo à proprio & germano sensu abstrahimus, ut plebs Christi propè nesciat, quo sensu articulos fidei nostræ credere ac confiteri debeat. Cum pace fratrum dico, me non legisse usquam, ascendere in cœlum, idem esse, quod euanescere in aerem: & fieri inuisibilem, sedere ad dexteram patris, esse ubiq; corpore diffusum, eo quòd dextera Dei sit ubique: & uenturum esse ad iudicium, non esse corpore cœlitùs descendere, sed ex inuisibili fieri uisibilem, & apparere gloriosum. Vtinam hæc noua Theologia, ut nata est in contentione, ita restitutæ concordiæ beneficio auferatur è medio.

Nonnulli præsentiam Christi spiritualem & corporalem cõfundunt.

Non dicit: Hoc facite in remissionem peccatorum.

Præterea obseruandum est, quod non dicit, Hoc facite in remissionem peccatorum: sed, In mei rememorationem. Tribuit quidem sanguini suo remissionem peccatorum, uerùm nõ ut sacramentaliter bibitur in cœna, sed ut effusus est in cruce. Hoc est sanguis meus, inquit, qui pro uobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Huic uerò sacramẽto, quo nobis in sui rememorationem celebrandum, commẽdauit, remissionem peccatorũ non tribuit. Nec cõuenit ut huic rememorationi illam annectamus, ne quod uictimę tantum pro peccatis nostris in cruce oblatæ competit, nostro operi tribuamus. Christianus cum Cypriano hæret cruci, & remissionem peccatorum quærit in sanguine Christi, qui effusus est in cruce, bibitq; illum fide: & sic bibens iustificatur, accepta peccatorum remissione. Huius gratiæ sacramento interim utitur in Ecclesia, ut fidem hanc suam publica Christi rememoratione, secundum illius institutum exerceat, & redemptori suo gratias agat. Etiam atque etiam cauendum est, ne scopum quem Christus ipse præfixit dicens, Hoc facite in mei rememorationem: uel interuertamus, uel illi annectamus, quæ non sunt ab ipso annexa.

Argumentatio quorundã fratrum.

Argutati sunt nonnulli fratres ad hunc modum: Nouum testamentum est in cœna. Oportet ergo ut sit quoq; in illa remissio peccatorum, spiritus gratia, uita, ac uera felicitas: & hæc omnia comprehensa sunt in uerbo. Priore loco est uerbum. Sine illo nanq;, nec panis alicuius esset momenti, nec poculum. Deinde, sine pane & poculo nõ adessent corpus & sanguis. Tertiò, sine corpore ac sanguine Christi, non adesset Nouum testamentum. Quartò, sine Nouo testamento non adesset remissio peccatorum. Quintò, sine remissione peccatorum non adessent uita ac felicitas. Sic uerbum complectitur panem & poculum, ut fiant sacramentum. Panis & poculum complectuntur corpus & sanguinem Christi, corpus & sanguis Christi continent Nouũ testamentum, Nouum testamentũ cõprehendit remissionẽ peccatorũ, remissio peccatorum uitam ac ueram felicitatem. Et hæc omnia insunt uerbo cœnæ, & nos ea apprehendimus fide. Hæc illi ad quæ pauca annotanda uidentur. Quod remissionem peccatorum attinet, ueritas ac simplicitas uerbi Christi non requirit τλὼ πλίμακα τανύτλω. Neque enim tribuit eam cœnæ, sed simpliciter oblationi corporis & sanguinis agni immaculati, quæ facta est in cruce semel, quò respicit Christus ipse dicens: Hoc est sanguis meus noui Testamenti, qui

pro

pro uobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. quibus uerbis hæc inſunt: effuſio ſanguinis facta in cruce, Nouum teſtamentum, Sacramentũ effuſi ſanguinis, & remiſsio peccatorum. Principiũ gratiæ huius non eſt in uerbo cœnæ, ſed in ſanguinis effuſione, quam nobis uerbum hoc prædicat & commendat. De illa ſonat non modò ſacramentale uerbũ, ſed & totum Euangelium, per quod nobis reſipiſcentia & peccatorũ remiſsio in nomine crucifixi Domini prædicatur. Prior eſt redemptio facta in cruce. Hanc ſequitur uerbum redemptionis ac reconciliationis. Hoc uerbum habet Euangelicam prædicationem, habet miniſtros, habet baptiſmum, habet cœnam, quæ omnia nobis remiſsionem peccatorum in ſanguine Chriſti, in cruce effuſo quærendam proponunt. Nam ſine ſanguinis effuſione non conſtat remiſsio peccatorum, Hebræorum 9. Deinde per ſanguinis Chriſti effuſionem confirmatum eſt nouũ Teſtamentum, quod ab æterno fuit diuinitùs ad ſalutem electorum deſtinatum. Eſt enim in illa mors teſtatoris. qua de re ſuprà meminimus.

Tertiò, in pane & poculo ſacramentum eſt non ſimpliciter corporis, ſed traditi pro nobis corporis: & ſanguinis non ſimpliciter, ſed ſanguinis pro nobis in cruce effuſi.

Quartò, mentio fit remiſsionis peccatorum: at illa non prædicatur de ſacramento cœnæ Dominicæ, ſed de ſanguine qui effundendus erat in cruce, cuius ſacramentum eſt in poculo myſtico, quod quomodo ſanguis ſit Chriſti pro nobis effuſus, ſuprà abundè annotauimus. In ſumma, remiſsio peccatorũ ueraciter eſt in ſanguine Domini ſemel pro nobis effuſo in cruce, non in illius ſacramento, quod frequenter iteramus. Aliàs dicendum fuerat Chriſto, Hoc facite ad acquirendam remiſsionem peccatorũ, potius quàm, Hoc facite in mei nememorationem. Et Apoſtolus cõſultius dixiſſet: Quotieſcunq; manducatis panem hunc, & poculũ Domini bibitis, remiſsionem peccatorum acquiritis, quàm, Mortem Domini annunciatis donec ueniat. Rememoratio ſiquidem redemptoris, & mortis illius deprædicatio, eorum eſt, qui fide ſanguinis in cruce effuſi iuſtificati gratias agunt redemptori, unde & ſacramentũ hoc εὐχαριστία, id eſt gratiarum actio uocari cœpit. Quare uſus huius ſacramenti non ad hoc eſt inſtitutus à Domino, ut in ipſo remiſsionem peccatorum accipiamus & iuſtificemur, ſed ut fide ſanguinis Chriſti iuſtificati, & à peccatis liberati, gratias agamus redemptori, & in fide hac confirmatiores reddamur. Agnouit hoc Lutherus, piæ memoriæ, cum in ſermone quodã de feſto corporis Chriſti diceret: Das ſacrament macht niemandt frumm, noch gleubig, ſonder es erfordert, das einer zuuor frumm vnd gleubig ſeye. Hoc eſt: Sacramentum iſtud neminem iuſtificat, aut fidelem reddit, ſed requirit, ut priuſquam accedas, iuſtificatus ſis & fidelis.

Quorſum attinet igitur ſacramentali hac gradatione contendere, remiſsionem peccatorũ quærendam eſſe in cœna? Rectius dices: In cœna uerbum & ſacramentum eſt corporis ac ſanguinis Domini, per quod utrunq;, remiſsio peccatorum per ſanguinem in cruce, pro nobis ſemel effuſum impetrata prædicatur, & commendatur. Item: In cœna ſecundum Dominicam inſtitutionem rememoratio eſt Domini, & mortis illius annunciatio, qua fideles redempti ac iuſtificati pro remiſsione peccatorum fide accepta, gratias agunt Seruatori.

Vtraq; hæc rectè ac ueraciter de cœna Domini ſecundum illius uerbũ prædicantur. Quod ſi per gradationem colligere placet, ubi ſit quærenda peccatorum remiſsio, puto id melius fieri poſſe ad hunc modum: Verbum Euangelij habet crucem, crux habet corpus ac ſanguinem Domini, in corpore ac ſanguine Domini pro nobis effuſo eſt nouum Teſtamentum, in nouo Teſtamento eſt remiſsio peccatorum, & uita & ſalus æterna: ergo in cruce eſt remiſsio peccatorum, &c. Huic gradationi aſtipulatur quod Apoſtolus 1. Corinth. 1. uerbum crucis his qui ſalui fiunt, uirtutem Dei eſſe prædicat, & Galat. 6. Chriſtũ nos Deo in uno corpore per crucem reconciliaſſe, & Colloſſ. 1. pacem per ſanguinem crucis ſuæ feciſſe, & cap. 2. chirographũ decreti quod erat nobis contrarium abſtuliſſe è medio, ac cruci affixiſſe dicit. Hic nihil eſt ambigui, nihil periculi. Verùm quid nobis errorũ ac ſuperſtitionum inde ſit natum, quòd in Papatu gratiam alligarunt ſacramentis, agnouerunt qui illud noſtra ætate fortiter negarunt & impugnarunt. Quare concludimus, periculoſam eſſe locutionem, & alienam à uerbo Chriſti, ſi remiſsionem peccatorum in cœna quærendam eſſe dicas.

Qua gradatione requirendà ſit remiſsio peccatorum.

Cæterùm quæ ſit Dominicæ memoriæ uirtus, annotauimus in Cõmentarijs noſtris ſuper Mattheum. Quàm neceſſariò requiritur à liberatis, ut gratias agant liberatori ac ſeruatori, tam eſt illis neceſſaria rememoratio hæc Domini, ad quam eſt ab illo ſacramentum hoc corporis ac ſanguinis ipſius inſtitutum, & fidelibus commendatum. Neq; enim ulla gratiarum actio cõſtat ſine accepti beneficij memoria.

QVAE SIT RECTA DISPENSATIO ET *adminiſtratio cœnæ Dominicæ.*

EXiſtimo poſt inſtitutionis conſiderationem tranſeundum eſſe ad ipſam ſacramenti huius adminiſtrationem aliquouſq; conſiderandam, in qua uidebimus ex ordine:

1 A' quibus debeat hoc ſacramentum adminiſtrari.
2 Quibus debeat,& quibus non debeat dari.
3 Quando, &
4 Quomodo debeat adminiſtrari.

I. A' QVIBVS SIT ADMINISTRANDA cœna Dominica.

Non à quouis adminiſtrandã eſſe cœnam Domini.

PRincipiò extra controuerſiam eſt, nõ eſſe cuiuſuis miniſtrare in eccleſia Dei, præſertim diſpenſare myſteria Chriſti: ſed eorum quibus hoc muneris concreditum eſt, tanquam legitimè ad hoc uocatis, ut prædicatione Euangelij,& diſpenſatione ſacramentorum Chriſto Domino ſeruiãt, à quibus requiritur, ut fideles inueniantur. Iſtis connumerari nõ poſſunt, qui in papatu ultrò currunt ad ſuffraganeos epiſcopos, & data pecunia inunguntur oleo: non ut Euangelium Chriſti prędicent, ſed ut offerãt & ſacrificent pro uiuis ac mortuis, quibus porrecto calice dicitur à ſuffraganeo: Accipe poteſtatẽ conſecrandi & offerendi pro uiuis & mortuis. Hoc genus hominum non ad diſpenſandum myſteria Dei, ſed ad nundinationem miſſaticam, & Dominicæ cœnæ prophanationem, ſub prætextu ſacerdotij ordinatur.

Alicubi miniſtri uerbi non adminiſtrant ſacramenta.

Scio quibuſdam eccleſijs hoc eſſe in more, ut miniſtri uerbi loco fungantur prophetarum & doctorum, & interim parœcis ac plebanis, ut uocant, cum diaconis ſacramentorum adminiſtrationẽ relinquant. Et tamen conſuetudo non debet præiudicare alijs eccleſijs, in quibus ijdem ſunt ſacramentorum, qui uerbi diſpenſatores, modò illi utranque miniſterij partẽ utiliter exequi ualeant. Alias conuenientius fuerit, ut ſecundum dictum Apoſtolorum Actor. 6. relicto menſarum miniſterio precationibus & doctrinæ adminiſtrandæ incumbant, quandoquidem plures haberi poſſunt, qui ſacramenta diſpenſent, quàm qui ſanam doctrinam rectè ſecent in eccleſia. Quales autem miniſtros requirat Canon Apoſtolicus, ſuprà annotatum eſt, ubi ſeparatim de miniſtris uerbi diximus.

Abiuratores coniugij.

Pontificij requirunt à ſuis quos ungunt, ut legitimum, honorabile ac ſacroſanctum coniugium abiurent, id quod faciunt contra manifeſtam doctrinam Apoſtoli, uſum primæ eccleſiæ, & concilia, Nicenum & Gangrenſe: & interim admittunt concubinarios & ſcortatores contra ipſorum decreta, ſicuti uidere eſt Diſtinct. 32. Can. Nullus, &, Præter: & contra ſententiam Zachariæ papæ, qui in epiſtola ad Bonifaciũ dicit: Quis ſapiens iudicabit eſſe ſacerdotes eos, qui neq; à fornicationibus abſtinent? Verùm conueniunt ſacrificij ſacris quæ obeunt.

De reprobis miniſtris.

Diſputant de eo, an' non ſit authentica adminiſtratio ſacramentorum, quę fit per reprobos, perinde ac ſi fiat per ſinceros ac probatos. Et exiſtimant, quemadmodum aurum eſt aurum, à quocunq; detur & accipiatur: ſic eſſe ſacramentum, uerè ſacramentum, ſiue à bono, ſiue à malo miniſtro detur. Non repugno, ſi ſacramenta cõſiderentur in ſeipſis, quemadmodum & ipſum uerbum, authoritatem illorum pendere non à qualitate miniſtri, ſed ab inſtitutione, ueritate ac poteſtate Chriſti. Verùm plurimum refert ad hoc, ut ſit adminiſtratio ſacramentorũ efficax, per quales miniſtros, bonosne uel malos, reprehenſibiles uel irreprehenſibiles diſpenſentur. Etenim fieri nõ poteſt ut plebs Domini perinde afficiatur miniſterio hominis uani, reprobi ac ſcelerati, cuius & animum & uitam ab ijs quæ dicit & facit in eccleſia, plurimum diſcrepare uidet, atque eius quem zelum Domini corde, ore & omni uita ſpirare ſentit. Quorſum autem facit integritas ſacramenti, niſi illa ad propoſitum finem, ad ædificationem, uidelicet conſcientiarum, pertingat?

II. QVIBVS ADMINISTRANDA SIT COENA Domini, & quibus non ſit.

Cœna Domini communis & publica toti eccleſiæ.

ADminiſtratio cœnæ non eſt priuati ritus, qui pertineat ad ſelectos aliquot, ſed publici & toti eccleſiæ communis, ſic ut admittendi ſint, quotquot inter membra eccleſiæ recẽſentur, pro quibus corpus Chriſti traditũ eſt, & ſanguis effuſus in cruce. Et ipſa Apoſtolica traditio,& primæ eccleſię cõſuetudo, ſatis docẽt, eſſe uſum illius fidelibus omnibus cõmunem, uſqueadeò, ut ueteres infantes quoq; fideliũ admiſerint, ſicuti uidere eſt in Cypriano & Auguſtino. Pontificij diſpenſant ſuum ſacrificium miſſaticum etiam mortuis: ut mirum ſit, quid ſibi Carthaginenſe concilium tertium uoluerit, quod Can. 6. ſic ſtatuit: Placuit, ut corporibus defunctorum euchariſtia non detur. Dictum eſt enim à Domino: Accipite & edite. Cadauera autem nec accipere poſſunt, nec edere. Hæc ibi. Verùm quid opus eſt mortuorum cadaueribus, ut accipiant & edant, ſi ſacrificulus miſſator loco illorum accipere poteſt, & edere? Quæ eſt hæc ratio? Non pertinet ad mortuos ſacramentũ corporis ac ſanguinis Domini. Quare? Quia nõ poſſunt edere ac bibere. Quid ergo facit qui ſacrificat pro mortuis? Obtinuit in eccleſia poſt Apoſtolorum tempora, ut in ſynaxi ac λειτουργία mentio fieret mortuorum fidelium, præſertim martyrum, non ut illis efficacia ſacramenti diſpenſaretur, ſed ut Domino gratiæ pro-

De mortuis. Carthaginenſe concilium tertium.

Mentio mortuorũ in ſynaxi.

tiæ pro constanti illorum fide agerentur, & plebs fidelium ad imitationem illorum prouocaretur, eaque mentio fiebat non secretò coram Deo, sed palàm ac disertè, in aures plebis. Verùm quoniam postea Pelagius papa numero 62. cõmemorationem mortuorum in secreta canonis missatici retulit, cœpit fieri sub silentio, quod antea factum fuerat palàm, ut populus audiret & ædificaretur: quia non amplius ad id fiebat, ut cõstantia fidei in martyribus ecclesię imitanda proponeretur, sed ut mortuis uirtus & efficacia Missæ communicaretur. *Pelagius papa.*

Nos dicimus communionem corporis ac sanguinis Christi sacramentaliter dispensandam esse uiuis Christi fidelibus, qui non modò accipere & edere, sed & redemptori gratias agere, & quod datur fide apprehẽdere queant. Vt Euangelij prædicatio nõ est administrãda mortuis, sed uiuentibus: ita & Dominicæ cœnæ dispensatio non competit mortuis, sed uiuis fidelib. Haud tamẽ excludimus mortuos fideles ab efficacia & uirtute mortis Christi, per quam sunt & illi redempti: sed discernimus inter ipsam rem sacramenti, cuius uirtute salui sunt etiam illi qui in Domino sunt mortui, atq; ita cõmunis redemptionis participes, & inter sacramentalis signi dispensationem, quæ ad solos uiuos pertinet. Quemadmodum fideli, & ad Dominũ cõuerso, si absq; baptismo moriatur, nõ quòd hunc contempserit, sed quòd impeditus aliunde, baptizari nequiuerit, non dispensatur baptismus, cum fructum illius sit fide assecutus: ita & mortuis fidelibus non est dispensanda sacramentalis cœnæ Dominicæ communicatio, cum per fidem sint uirtutem & efficaciam corporis ac sanguinis Domini adepti. *Cœna Domini non mortuis, sed uiuis administranda. Non excludimus mortuos ab efficacia mortis Christi.*

Est autem duplex genus mortuorum in ecclesia, quibus sacramentalis corporis ac sanguinis Domini communicatio dispensari non debet. Vnum eorum qui corpore mortui sunt, siue in fide, siue absq; fide discesserint ex hac uita. Illis namq; non est opus, istis uerò nõ prodest, & utrisq; dispensari non potest. Alterũ eorum, qui corpore quidẽ uiuunt, & ad cõmunionem ecclesiasticam accedere, & quod datur accipere & edere possunt: spiritu tamẽ mortui sunt Christo, & uiuunt peccatis, ad eos referendi, de quibus dictum est à Domino, Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: & ad uiduas illas, quas Apostolus propterea quòd uiuant in delicijs, uiuentes dicit esse mortuas. Illi mortui sacramentaliter communicare non possunt, isti possunt quidem sacramentaliter: spiritualiter tamen ac ueraciter non possunt, quia non uiuunt Christo spiritu ac fide, sed uiuunt mundo, peccatis ac Satanæ. Hi quia publico peccandi studio ecclesiam Dei offendunt, seque ipsi extra consortium regni Dei constituunt & excommunicãt, nec emendari sustinent, indigni sunt quibus sacramentum hoc administretur. Quod autem Pontificij pro suo arbitratu, quos uolunt, etiam propter minuta quædam debita excommunicant, id ipsorum sacro & sacerdotio relinquimus. *Duplex genus mortuorum.* *Vide 1. Cor. 5.*

Post duo mortuorum genera, quibus sacramenti huius dispensatio non competit, consequenter dicendum est de morituris, ægrotis uidelicet, & captiuis, qui propter flagitia sua morti adiudicantur. Variant hic ecclesiæ. Nam aliæ ægrotis sacramentum hoc administrant, si petant, aliæ nequaquam. Quæ administrant, alijs atq; alijs opinionibus ducuntur. Papistæ existimant sine extrema hac morientium communione non patêre aditum ad cœlestia. Quare sine illa migrantes ex hac uita, in cõmuni Christianorũ cœmiterio sepeliendos nõ esse censent. Et uocant hanc cõmunionem uiaticum, quasi expediti sint ad migrandũ feliciter ex hac uita, qui illa utuntur: sic tamen ut nõ rectà in cœlum, sed prius in ignem pontificiũ ad plenũ purgandi, & nihilo secius missarum sacrificijs primis, septimis, tricesimis, & anniuersarijs, ut uocant, quibus tandem & indulgentiæ pontificiæ accesserunt, expiandi ac redimendi abeant. *De morituris ægrotis & captiuis.*

In Euangelicis uerò nonnullis ecclesijs, licet exposa sit papistarum opinio, retinetur tamẽ priuata & extrema ægrotantium cõmunio, ad hoc, ut per corpus ac sanguinem Domini cõfirmatiores in fide, & ad resistendũ tentationibus Satanæ, sustinendosq; mortis dolores, instructiores reddantur. Sic illi sentiunt de sacramẽto hoc corporis ac sanguinis Domini. Et ut possit quod faciunt uocari cõmunicatio, unà cum ægroto cõmunicant ipse minister, qui administrat, & domestici, & cognati, & uicini. Illis insidiosa est opinio operis operati, & imperitorũ superstitio, qua seruiliter plus datur sacramentalibus signis, quàm conuenit.

Reliquæ ecclesiæ, ab hac priuata & domestica ægrotantiũ cõmunicatione, hisce de causis abstinent. Prima est, quoniam cõmunicationẽ hanc uoluit Dominus esse ecclesiasticã & publicam, sicuti uidere est in traditione Apostolica, 1. Corinthiorũ undecimo. Secunda, ne spe cõsequendæ priuatæ & extremæ communionis deferantur publicæ & ecclesiasticæ, fiatq; ut illę habeantur infrequentiores, quàm deceat ecclesiam rectè institutam. Tertia, ne aperiatur aditus priuatis ac domesticis cœnis, opinioni operis operati, & præposteræ fiduciæ, qua ut papistæ à missis priuatis, ita carnaliores Euangelici à sacramentalibus signis loco uiatici acceptis pendeant. Et hæ mihi rationes satis graues ac prægnantes esse uidentur, modò ægrotantes à ministris uerbi ac pastoribus sedula diligentia inuisantur, ac solatio uerbi Christi recreentur ac confirmentur: deinde ecclesiastica communicatio frequentius habeatur.

De lapsis & ab ecclesia excommunicatis alia uidetur esse tenenda ratio, si resipiscentes ecclesiæ reconciliari petant, priusquam emigrent ex hac uita. De illis extat historia in Eusebio, libro 6. capite quadragesimoquarto, quam Dionysius Alexandrinus scribit ad hunc modum: *De lapsis. Historia de quodã lapso.*

Serapion

Serapion quidam erat apud nos fidelis senex, qui diu quidem inculpatè uixerat, in persecutione uero ceciderat. Hic sæpenumerò recipi petierat, uerum nemo illi attenderat. Sacrificauerat enim. In morbo autem constitutus, totum triduum mutus, & sensuum facultate destitutus mansit. Post ubi quarto die nonnihil conualuisset, nepoti ex filia ad se uocato dixit: Quousq; ô fili, detinetis me? Obsecro properate, & me uelociter absoluite. Voca ad me aliquẽ ex presbyteris. Quibus dictis iterum obmutuit. Cucurrit puer ad presbyterum. Erat autem nox. Presbyter ægrotabat, ideoque ire cum puero non poterat. Quoniam uerò mandaueram, morituros, si petant, & maximè si etiam antea suppliciter petierunt, admitti debere, ut spe bona fulti migrent, parum eucharistiæ puero dedit, iussitque ut id infunderet, & in os senis instillaret. Puer redit, adferens eucharistiam. Quum autem è uicino esset, antequam ingrederetur, rursus Serapion: Venis, inquit fili? Presbyter quidem uenire non potest, tu uerò confestim fac cito quod ille præcepit, meque dimitte. Infudit puer, ac simul ori senis instillauit. Qui quum parum gustasset, mox spiritum reddidit. Hæc ibi. Vnde uidemus, quæ fuerit habenda ratio ipsorum & excommunicatorum, si in periculum mortis, priusquam recepti essent in communionem ecclesiæ, incidissent.

Parum eucharistiæ puero dedit, iussitq; ut infunderet.

De captiuis.

~~Captiuis & plectendis in papatu eucharistia non datur.~~ Et tamen spes illis gratiæ Christi, & æternæ uitæ non abscinditur. Imò si peccatorum suorum confessionem in aures uel monachi alicuius, uel sacrificuli secreto præstiterint, à peccatis absoluuntur, & æternę uitæ promissionem absque Dominici corporis sacramento, modò in Christiana fide moriantur, accipiũt. Vsqueadeò in ipsa adhuc papatus caligine remissionem peccatorum, & spem uitæ æternæ, resipiscentiæ ac fidei in Christum citra sacramentalem communicationem tribuendam esse in hoc casu agnoscitur, licet in in alijs dissimuletur. Et hæc loquor de recepta cõsuetudine, aliàs dandam illis esse, si petant, à doctoribus non negatur. In Euangelicis ecclesijs alibi administratur captiuis eucharistia, alibi non administratur. Vtrobique sunt rationes, quales supra de ægrotis assignauimus.

13. quæst. 2. de ijs qui morte plectuntur.

Legimus 13. quæstione, 2. Can. Quæsitum, de ijs qui morte plectũtur, ad hunc modũ: Quæsitum est ab aliquibus fratribus de his qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus, post confessionem Deo peractam, utrum cadauera eorum ad ecclesias deferẽda sint, & oblationes pro eis offerendæ, & missæ celebrandæ, an non? Quibus respondemus: ~~Si de omnibus peccatis suis puram confessionem agentibus, & dignè pœnitentiã as, communio in fine, secundum præcepta Canonum danda est.~~ cur Canones communionem uel sepulturam eis interdicunt, qui pro peccatis suis pœnam extremã persoluunt & confitentur, uel confiteri desiderant? Scriptum est enim, Nõ iudicat Deus bis in idipsum. Decretum hoc est in concilio Maguntinensi.

De infantibus fidelium, quibus olim eucharistia dabatur.

~~De infantibus fidelium notum est, & illis datam fuisse eucharistiã tempore Innocentij papæ, Cypriani & Augustini, tam in Europa quàm in Africa.~~ Nec lego uspiam diuersam fuisse in Asia consuetudinem. In sermone Cypriani de lapsis historia legitur de puella infante per nutricem persecutionis tempore ad sacrificia gentilium, & postea restituta pace per matrem ad eucharistiã fidelium delata. In Augustino multis locis mentio fit eucharistiæ datæ paruulis. Post Patrum illorum tempora catholica illa consuetudo sensim aboleri cœpit, donec usqueadeò diuersa obtinuerit, ut hæreticissimus sit habendus, si quis eucharistiam infantibus dandam censeat. In ~~Lotharingia, quæ mihi patria terra est~~, in hunc usq; diem extant consuetudinis illius reliquiæ. Etenim illic ~~ubi baptizatus est infans, minister~~ sacrificulus qui illum baptizauit, è sacrario acceptam capsulam, in qua sacramentalis panis particulæ, ut uocant, asseruantur, defert ad altare, ~~& unam ex illis ostentat populo: deinde reponit~~ in capsulam, & duos digitos, quib. eam prehenderat, ~~uino lauandos porrigit ædituo, & ex illo uino destillat~~ in os baptizati infantis, dicens: ~~Sanguis Domini~~ nostri Iesu Christi proficiat tibi in uitam æternam. Hæ ueteris consuetudinis reliquiæ manserunt in ecclesijs non Lotharingiæ tantũ, sed & alijs, ut puto, quamplurimis. Veteres ut infantibus quoq; eucharistiam darent, mouit dictum illud Christi, Ioannis sexto: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Vnde necessarium esse existimarunt, ut infantes quoq; ad eucharistiam admitterent, quo gratiæ Christi ac uitæ æternæ participes redderentur. Quod enim Christus de spirituali carnis ac sanguinis sui manducatione ac potatione, mortisq; suæ fructu dixit, hoc illi ad sacramentalem ceremoniam trãxerunt. posteros illorum, ut infantibus usum huius sacramenti negarent, mouit dictum illud Apostoli: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de poculo bibat. Collegerunt enim ex illo, Infantes probare seipsi non possunt, ergo non licet illis edere de pane hoc, & bibere de poculo Domini.

Mos ecclesiarum in Lotharingia.

Quàm concorditer Patres scripturas exposuerint.

Viderint hic, qui de Patribus iactant, quod Scripturas sacras non diuersimodè, sed concorditer exposuerint. Haud ignorauerunt Cyprianus, Augustinus & Innocentius papa, dictum esse ab Apostolo: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de poculo bibat. Nec adeò stupidi fuerunt, ut nescierint infantes non posse probare seipsos. Deinde qui illos secuti sunt, utique & ipsi sciebant esse dictum à Domino: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Quomodo ergo illi dictum Apostoli sic

sic acceperunt, ut haud impedire, isti uerò sic, ut impedire senserint, quo minus infantes eucharistiæ possint esse capaces? Rursus, quomodo illi dictum Christi intellexerunt, ut ex eo collegerint, non posse infantes Christianorum saluari, nisi participes fiant eucharistiæ: isti uerò nihil huius ex illo colligendum esse existimauerint, usqueadeo ut paruulos fidelium sine communicatione sacramentali saluari posse sentiant? Hæc expositionum diuersitas sic est comparata, ut altera alteram erroris arguat, idq; in re maximi momenti, salutem uidelicet paruulorũ nostrorum concernente, qua post propriam uix aliquid est, cuius cura magis afficiamur. An hoc est cõcordi sensu exponere Scripturas? Nõ insector Patres, absit, sed morositatem eorum improbo, qui dona Dei hæreseos in illis damnant, qui nostra ætate Sacras scripturas explicãt, propterea quòd nonnullis in locis à se inuicem dissidẽt. Si discors scripturarum expositio no tam habet hæreseos, impingant illam & Patribus, uel audiant illud Domini Ioannis septimo, Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Quod me attinet, usqueadeo non damno doctorum hominum, siue ueterum, siue recentiorum labores, propterea quòd plerisq; in locis Sacras scripturas aliter atq; aliter pro suo quiq; intellectu exponunt, ut hoc ipso nomine scripta illorum libentius legam, quàm si omnes ad unius cuiusdam magistri uerba sic sint seruiliter obstricti, ut nemini quid sentiat, liberè in medium adferre liceat. Diuersitas sententiarum & expositionum cordato homini prodest, modò nemo dissentientem à se temerè damnet, aut uinculum pacis in ecclesia rumpat.

Qua discretione de eucharistia infantium iudicari debeat.

Quod uerò causam attinet, de qua loquimur, sic existimo illam haud incommodè posse considerari, si factum ueterum, qui infantes ad eucharistiam admiserunt, competenti discretione à ratione illius, qua moti fuerunt, separetur, deque illo secundum alias quoq; rationes pias ac probabiles iudicetur, è quibus aliquot lectori considerandas proponã. ~~Prima sit, quòd~~ signum ei negandum non esse uidetur, qui particeps est rei signatæ. ~~Secunda, quòd~~ Christus totius corporis sui, ecclesiæ uidelicet, saluator existit, & ad integritatem ecclesiastici corporis infantes quoque pertinent. ~~Tertia, quòd dixit~~ Christus ipse: Sinite paruulos uenire ad me, & ne prohibeatis eos. Talium nanque est regnum cœlorum. Ex his enim rationibus colligi posse uidetur ad hunc modum. ~~Primò, si particeps potest fieri signi, qui particeps est rei signatæ,~~ & paruuli credentium participes sunt mortis Christi, hoc est, partæ per illam redemptionis: ergo & sacramenti illius, eucharistiæ ac cœnæ Dominicæ participes esse possunt. ~~Deinde, si~~ paruuli nostri ad ecclesiam, quæ corpus Christi est, pertinent: consequitur illos & ad communionem eam pertinere, qua secundum Apostoli sententiam, Vnum corpus sumus, qui de uno pane, & de uno poculo participamus. Totius corporis sui cibus est Christus: est ergo & paruulorum nostrorum. Quare, quemadmodum Hebræorum paruuli haud secus ad Pesah, sacramentum redemptionis illorum, atque parentes ipsorum pertinebant: ita & nostri, perinde ad sacramentum noui paschatis nostri pertinent, atque nos. ~~Tertiò, si Christus ipse paruulos accessu suo, complexu, manus impositione, ac benedictione dignatur,~~ quomodo nos illos censebimus indignos, qui ad sacramentum corporis ac sanguinis illius admittantur, cùm, ut puto, nemo sit, qui illud ipsi Christo præferendum esse iudicet?

Ad locum Pauli, Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de poculo bibat, responderi posse uidetur: quòd de illis tantum sit intelligẽdus, quibus periculum est, ne indignè de pane Domini edant, & de poculo bibant: atq; ita corporis ac sanguinis illius rei facti, iudiciũ si bijpsis edant ac bibant, sicut textus ipse satis euidenter monstrat. At nihil huius timẽdũ est in paruulis credentium, quos quomodo Dominica mensa indignos dicere possimus, nõ uideo, cùm digni sint per gratiã Christi, qui baptismate ipsi in corporentur, etiamsi per ætatẽ nondũ credere, nedum fidem cõfiteri, seq; ipsi probare queant, quę ab adultis rectè poscuntur. Quòd monet Apostolus, ut nosipsi probemus, priusquam de pane hoc & poculo Domini participemus, non ad hoc facit, ut accessus nobis ad mensam Domini per hoc probationis nostræ studium paretur: sed ne temerè, leuiter ac secus quàm conuenit animati, sacramento gratiæ modis indignis utamur, imò abutamur, inq; corpus ac sanguinẽ Domini peccemus. Hæc ratio non impedit paruulos credentiũ: quo minus panis huius ac poculi Domini sint participes.

Ad hunc modum, opinor, pot erit homo pius de facto ueterum cogitare: rationem uerò illius, quem Augustinus uehemẽter ursit, uulgatæ tribuere opinioni, qua quæ de spirituali sunt manducatione dicta, ad sacramentalem trahuntur, ac gratia signis sacramentalibus alligatur.

Quomodo factum ueterum probẽ, et præsentẽ usum nõ improbem.

Dicet quisquá: Ergo sic probas factum ueterum, ut quod post illos in omnibus est ecclesijs receptum, damnes? Respondeo: Nec hoc, nec illud damno, nec author cuipiá esse uolo, ut infantium communionẽ postliminiò in ecclesiá reducere conetur, uel reducendam esse censeat, ac dissidijs causam præbeat, modò quę salutẽ illorũ in Christo cõcernunt, rata maneãt. In summa, quod ~~ab Augustino~~ dictũ est, infantes, si absq; externa eucharistiæ participatione abripiantur ex hac uita, saluari nõ posse, nõ probo: probo uerò quòd hodie sentitur, nõ esse hãc illis necessariã. Nec pugno, si propter plerasq; incommoditates consultius esse dicatur, ut ad ecclesiasticam communionẽ nõ adferãtur. De eo autẽ, liceãtne uel secus ut admittãtur, à uiris prudentibus, ac in Christo religiose doctis cõpetẽti moderatione absq; cõtentiosa disceptatione

conferri

cõferri posse sentio. Sed hac de re forsan plus satis, quã ob id attingere uolui, ut piorũ cõscientijs, qui de paruulorũ suorum sunt salute soliciti, aliquid suppeditẽ, unde nõnihil recreentur.

III. QVANDO SIT ADMINISTRANDA cœna Domini.

De tẽpore celebrãdæ cœnæ Dominicæ discors sententia ueterum.

ETiam hic non fuit apud ueteres concors omnium sententia. Erant qui respectu exempli Christi, ~~uesperi~~ duntaxat: contrà erant, qui ~~mane cœnam Dominicam~~ celebrandam esse iudicarent: id quod hodie quoq; commune est in ecclesijs. Dominus ipse nihil hac in re præscripsit, quod temporis determinationem attinet, sed simpliciter dixit: Hoc facite, quotiescunq; biberitis in mei rememorationẽ. Et Apostolus quoq;, cùm subiecit: Quotiescunq; enim manducatis panẽ hunc, & poculum hoc bibitis, mortem Domini annunciatis, donec ueniat: nihil de tempore certo expressit. Interea tamen nemo cordatus negat, cõmodius esse, ut fiat mane, quàm uesperi, quamuis sic conueniebat cõparatos nos esse, ut perinde simus ad res sacras apti uesperi atq; mane. Legali populo expressa temporis determinatione præscriptũ fuit: noui uerò Testamenti populis libera facta est temporis obseruantia, ut quo tempore commodum est, unicuiq; ecclesiæ liberè faciamus, quod à Domino accepimus.

Quotidie. Augustinus.

Deinde, Augustini tempore existimabant nonnulli celebrandam esse eucharistiã quotidie, id quod & papistæ de missa sua sentiunt. Contrà, uidebatur alijs faciendum hoc esse rarius, maioris reuerentiæ gratia. Hac de re Augustinus epistola 118. ad Ianuariũ, cap. 2. sic dicit: Alij quotidie ~~communicant corpori ac sanguini Dominico: alij certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur: alibi sabbato tantum & Dominico: alibi tantum Dominico~~. Totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes.

In singulis conuentibus ecclesiæ. Chrysostomus. Isychius. Dominicis diebus. Ter in anno.

In Chrysostomo super Matthæũ, homilia 16. legimus omni ecclesiæ congregatione celebrata fuisse hæc mysteria. ~~Et in Isychio~~ super Leuiticũ, ~~lib. 2. cap. 8. sic habetur: Erat enim dies, qui appellatur Dominicus, in quo oportebat modis omnibus agere Apostolos mystica & sacra.~~ Nam & nos illorum sequentes traditionem, Dominicam diem diuinis conuentibus sequestramus.

Tandem, ubi in posteris refriguit ueterum feruor, & ecclesiastica fraternaq; charitas admodum languescere cœpit, siue episcoporum negligentia, siue plebium socordia factum est, ut ter tantum in anno Dominica cœna publica & ecclesiastica communione celebrari cœperit, idq; sub synodali constitutione, id quod in concilio ~~Agathensi, Can. 18. sic legitur: Seculares quia~~ natali Domini, Pascha & Pentecoste non communicant, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur. Nouissimè ne hoc quidem in papatu mansit, sed semel tantum, in festo Paschatis, ecclesiastica communio haberi cœpit. Sic cœna Dominica per Missam papisticam est oppressa, ut nisi uno illo articulo Paschatis hæreret in ecclesia, eaq; non integra, sed dimidiata, prorsus esset sublata.

Semel in anno. Non tã requiritur, ut frequenter, quàm ut bene celebretur.

Meo iudicio, non tam requiritur à fidelibus, ut frequenter, quàm ut bene, condignè & utiliter cœnam Domini celebrẽt: quandoquidem quoties celebranda sit in anno, & quibus temporibus, nec Domini, nec Apostolorum præscriptum extat: grauem uerò admonitionem habemus Apostoli, ne quo pacto illam indignè usurpemus. Non peccant qui sæpius, non peccat qui rarius: peccant uerò in corpus ac sanguinem Domini, qui indignius quàm conuenit, communicant. Et hoc ipsum illis quoq; responderim, qui uariant inter se, quoties habenda sit sacra concio: quorum alijs placet, ut Dominicis tantum diebus, alijs ut in septimana quoq; semel atq; iterum, alijs ut singulis diebus habeatur. Vbi non habetur certum præscriptũ à Domino, liberum est unicuiq; ecclesiæ conuenire uel sæpius uel rarius, pro cuiusq; conditione & commoditate, modò id fiat religiosè, piè & utiliter.

IIII. QVOMODO COENA DOMINICA celebrari debeat.

NOn persequemur hic eos celebrandæ eucharistiæ modos, qui liberæ sunt obseruationis, & sine peccato, uel seruari possunt, uel omitti: sed eos tantum, qui sic requiruntur, ut sine grandi peccato contemni omittiq; nequeant.

Integrè esse hoc sacramentum administrandum.

Principiò, requiritur ut sacramentum hoc integrè administretur, sicut est ab ipso Domino institutum, & ab Apostolis ecclesijs fidelium traditum. Vocamus autem integram administrationem, eam quæ non circunstantias illius, sed substantiam concernit. Substantia illius est, ut sacramentalibus signis, pane uidelicet fracto, ac poculo Christi fidelibus distributo, corporis ac sanguinis Christi communicatio ad rememorationem illius celebretur. Circunstantiæ erãt, quòd sacramentum hoc à Christo, nocturno tempore, sub cœnam, accumbentibus ad mensam discipulis, institutum est ac traditum. Hæ circunstantiæ non sic requiruntur necessariò, ut non liceat nobis sacramentum hoc extra cœnas, interdiu & stantibus fidelibus administrare. Non enim pertinent ad substantiam sacramenti. Audimus hodie nonnullis ecclesijs placere, ut

re, ut ad mensam promiscuè accumbentes communicent, quòd existiment hunc accubitū pertinere ad exemplum Domini. Verùm mensa illa, ad quam cum discipulis suis in ultima cœna accubuisse legitur Dominus, parata fuerat ad edendum uetus Pascha: nec habebat nouum ritum, qui noui esset Testamenti mysterijs celebrandis destinatus, ac posteris exempli uice propositus: sed ueterem, eiq; genti solennē ac usitatum, unde nemo discipulorum offendebatur. Quare non sic pueriliter desipimus, ut quod Dominus mensæ accubitu per occasionem ueteris Paschatis in hac est sacramenti istius institutione usus, ad hoc esse factum existimemus, ut normam nobis & exemplum ad noui Paschatis communicationem accumbēdi prescriberet: quemadmodū nec in eo nobis posita lex est, quam sequamur, quòd non manè, sed uesperi sacramentum hoc instituit. Deinde non tam est commodum, ut ingens communicantium multitudo ad mēsas accumbat in ecclesia, quàm erat Domino, ut cum paucis, duodecim uidelicet discipulis, ad unam mēsam accumberet. Haud igitur probare possum, quòd Lutherus pię memoriæ, uir alioqui magnus, hac de re in expositione Epistolæ diei sancti Stephani scripsit ad hunc modū: Es solt ein recht predig zugeen, wie in einer collation vber tisch ettwas gehādlet wirt. Darumb auch Christus das sacramēt einsetzt, das man drob zu tisch sitzen, vnd sein wort handlen solt. Aber es ist alles vmkeret, vnd eitel menschen ordnung an statt gœttlicher ordnung kommen. Hæc ille ad uerbum.

Integram autem cœnæ Dominicæ administrationē Christi fidelibus ademerunt pontificij, unā illis duntaxat speciem, ut loquuntur, panis uidelicet, negato poculo, porrigentes. 1. Peccant isti primùm in manifestam Christi institutionem, qui non solùm corporis sui sacramentū per fractionem panis, sed & sanguinis per poculi communicationem instituit, & de poculo expresse dixit, Bibite ex eo omnes. Impiū est autem ac sacrilegū prorsus, quod Eccius in Locis suis ausus est dicere, Apostolis tantum dictū esse à Domino, Bibite ex eo omnes: nec pertinere illud ad laicos (sic uocat populum Domini) eo quòd laici in cœna fuisse non legantur. Sira tio hæc ualet in calice, ualet etiam in pane, atq; ita nulla pars sacramenti huius ad populū Domini pertinebit. Neq; enim aliquid discriminis quod huc faciat à Christo factū esse legimus. Hinc quid sequetur aliud, quàm quòd non sacramenti tantum usus, sed & rès sacramenti, ad solos pertineat Apostolos, dictumq; sit à Domino frustrà, Qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum? 2. Deinde peccant aduersus ipsam sacramenti huius integritatem, non sine grandi sacrilegio. qua de re de consecr. Distinct. 2. Can. Comperimus, legimus ad hunc modum: Comperimus autem, quòd quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant: qui quoniam nescio qua superstitione docentur astringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Quia diuisio unius eiusdemq; mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire. Hęc ibi. Nihil autem ad rem facit, quòd glossator ista de sacerdotibus scribi dicit. Nam textus non de personis, sed de integrè sumendo sacramento loquitur, ac disertè pronunciat, unius eiusdemq; mysterij diuisionem sine grandi sacrilegio prouenire non posse: quod utiq; falsum esset, si unius tātum speciei sumptio tanquā licita defendi posset. 3. Tertiò, peccant etiam singulariter & enormiter in ipsam noui Testamenti confirmationē, cuius mysterium à Christo præcipuè est in sacramento sanguinis ipsius institutum & commendatum, cùm dixit: Hoc poculum nouū Testamētum est in meo sanguine, qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Testamentum morte corfirmatur testatoris. Mortis aūt illius, quoniā uictima pro nobis esse uoluit, uiolentę ac cruentæ significatio in sanguinis illius effusione est. Non obseruant, qua ratione Dominus specialiter de poculo loquens, uocet illud nouum Testamentū in sanguine suo. Legant saltem caput nonū epistolæ ad Heb. ubi mysteriū hoc sanguinis Christi ac noui Testamenti his uerbis explicatur: Vbi testamentū est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentū enim in mortuis confirmatum est, alioqui nondū ualet, dum uiuit qui testatus est: unde nec primum quidē sine sanguine dedicatū est. Lecto enim mandato legis à Mose uniuerso populo, accipiens sanguinē uitulorū & hircorū cū aqua & lana coccinea, & hyssopo, ipsum quoq; librum & omnē populū aspersit, dicens: Hic est sanguis Testamenti, quod mandauit ad uos Deus. Hæc ibi leguntur. Ecce sanguine prioris Testamenti, quod noui huius umbram gesit, uniuersus populus ob id aspersus est, quòd eius Testamenti sanguis esset, quod ad ipsum populum mandauerat Deus. Quis autem utcunq; cordatus non uidet, Christum huc quasi ad figuram respexisse, quum nouū Tastamentum in sanguine suo conderet ac diceret: Hoc est sanguis meus noui Testamenti, qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionē peccatorū, ideoq; subiecisse, Bibite ex eo omnes? Contra hanc noui Testamenti confirmationē peccant, qui sacramentū sanguinis Christi populo fideliū, cui destinatum est, suapte temeritate adimūt, ac Testamentum filij Dei lacerant, quum nullius hominis testamentū infringere liceat, Gal. 3.

Quid ergo est, quod Eccius in Locis suis dicit: In una specie tātum esse, quantum sub utraque, ideo quòd sub qualibet specie totus Christus sit, & corpore & sanguine: atque ita laicus, inquit, sub specie panis bibit etiam sanguinem: deinde & in persona sacerdotis offerentis, nō de corpore tantum, sed & de sanguine spiritualiter communicat. Quid aliud facit hæc dicens,

Contra unius speciei communicationē, qua peccatur in manifestā Christi institutionē.

Peccatur aduersus sacramenti integritatem.

Dictum Gelasij papæ

Peccatur in noui Testamenti cōfirmationē.

De eo, quòd in una specie tantum esse dicūt, quantum in utraq;.

quàm quòd institutionem Testamenti Christi stulticię ac uanitatis damnat? quasi quum separatim de poculo diceret, Hoc poculum nouum Testamentum est in sanguine meo, qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum: bibite ex eo omnes, ignoraret in pane utranq; fore sacramenti huius partem, & qui illum accepturus esset, non de corpore tantũ, sed & de sanguine suo participaturum. O cæci, ne quid durius dicam. Sacramentũ sanguinis sui Dominus uoluit esse non in pane, sed in poculo: nec fieri potest in sempiternum, ut quisquam de illo sacramẽto alitercommunicet, nisi quomodo est ab eo institutum. Audite inuersores testamenti Dei. Si in una specie tantum est, quantum est in utraque: & si in pane sanguinis quoq; communicatio est, quorsum non estis una illa specie contenti & uos? Ergo bis communicatis de sanguine Domini: semel in pane, & secundò in poculo? An non superfluam constituitis eam communicationem, quàm iteratis in poculo, quantum in uobis est, frustra? Imo non frustra, sed pro quæstu omnium flagitiosissimo.

Peccatur contra Apostolicã traditionem.

4 Quarto, peccant contra Apostolicam traditionem, quam Paulus prima Corinthiorum undecimo exprimit, dicens: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi uobis, &c. Et interim sunt successores Apostolorum.

Infringitur usus prioris ecclesiæ.

5 Quintò, infringunt usum prioris ac purioris ecclesiæ, in qua fideles Christi, de utraq; sacramenti parte secundum institutionẽ Dominicam seculis aliquot cõmunicarunt, ita ut inter ministros ecclesiæ & plebem fideliũ nihil fuerit discriminis, quod cõmunionẽ attinet, nisi quòd illi eam dispensabant, sumentes de illa, & cæteris quoq; porrigentes, quemadmodum in ecclesijs ipsorum canitur, quibus sic cõgruit, ut sumant & dent cæteris. Quòd aũt populus fidelium in priori ecclesia sub utraq; specie communicarint, abundè satis testimoniorũ est in scriptis Patrum, historijs Ecclesiasticis, & decretis Pontificum. Cyprianus ad Cornelium de cœna Domini sic scribit: Nam quomodo docemus aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis sanguinem Christi denegamus? Aut quomodo ad martyrij palmam idoneos faciemus, si non eos ad bibẽdum prius in ecclesia poculum Domini iure communicationis admittimus? Et in sermone De lapsis, manifestũ est factum diaconi, qui sanguinẽ Domini in os puellæ recusantis infudit, cuius suprà mentionem fecimus.

Cyprianus.

Hieronymus.

Et Hieronymus in Soph. capite tertio: Sacerdotes, inquit, qui Eucharistiæ seruiunt, & sanguinem Domini populis eius diuidunt, impiè agunt in legem Christi, putantes eucharistiam imprecantis facere uerba, non uitam.

Ambrosius.

Et Ambrosius ad Theodosium imperatorẽ, sicut est in historia Trip. lib. 9. cap. 30. Quomodo, inquit, manus extendes, de quibus adhuc sanguis stillat iniustus? Quomodo huiusmodi manibus suscipies sanctum Domini corpus? Qua temeritate ore tuo poculum sanguinis pretiosi percipies, quando furore uerborum tuorum tantus iniustè est sanguis effusus? Et de consecr. distinct. 2. Can. Cum frangitur, sic legitur: Cum frangitur hostia, dũ sanguis de calice in ora fideliũ funditur, quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiusq; sanguinis de latere effusio designatur? Huc pertinet historia Serapionis, quam suprà ex Eusebio citaui.

Itẽ, Can. Quid sit sanguis.

Adhuc Thomæ Aquinatis tempore sub utraq; specie communicabatur.

Et hic mos nõ modò ad Gregorium tertium usque, annos septingentos & quinquaginta nouem durauit, qui ad episcopum Thuringiæ sic scripsit: Leprosis autem, si fideles Christiani fuerint, Dominici corporis & sanguinis participatio tribuatur: sed adhuc Thomæ Aquinatis tempore, qui mortuus est anno Domini millesimo ducẽtesimo septuagesimo quarto, durauit in ecclesijs integra utriusq; speciei communicatio in plebe Christianorum. Sic enim ille parte tertia, quæstione 80. art. 12. scripsit: Quia crescente multitudine populi Christiani, in qua cõtinentur senes, iuuenes, paruuli, quorum quidam nõ sunt tantæ discretionis, ut cautelam debitam circa usum huius sacramenti adhibeant: ideo prouidè in quibusdam ecclesijs obseruatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solùm à sacerdote sumatur. Hæc ille. In quibus uidemus adhuc ipsius ætate unius speciei communicationem non fuisse catholicam, sed quarũdam superstitiosarũ ecclesiarum tantùm. Non enim dicit, Ideo prouidè in omnibus: sed, Ideo prouidè in quibusdam ecclesijs obseruatur, ut populo sanguis sumendus non detur. Quare autem prouidè? Propter senes, inquit, iuuenes & paruulos, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, ut cautelam debitã circa usum huius sacramenti adhibeant. Loquitur, opinor, de eo quod Paulus dicit, Probet seipsum homo, &c. cuius suprà mentionem fecimus. Sed obsecro, est ne hęc Christiana prouidentia, propter eos qui seipsi probare nõ possunt, toti populo Christi usum sacri poculi adimere, ac testamentũ Dominicũ infringere? An non poterant illi tantisper arceri ab hoc sacro, donec ad iustam discretionis ætatẽ peruenissent? Ad hæc, an nõ eadem ratione Dominici quoq; corporis sacramentum negari poterat ecclesiæ Christi? Neq; enim de poculo tantùm dixit Apostolus, sed & de pane, Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Verùm sic cauere uolebant, ne totum sacramentum uideretur sustulisse è medio ecclesiæ Christi: & interim tamen discrimen esset inter sacerdotes & laicos in usu huius sacramenti. Obiter autem obserua, quòd & paruulorum meminit: unde coniectura est, eucharistiam paruulorum adhuc ipsius ætate durasse in ecclesijs, ac primùm illos ad poculi tũ tum communionem non admitti cœpisse, donec tandem uniuersa sit illis eucharistia negata.

Porrò

Porrò, anno 1530 in comitijs Imperatoris inuentus est Augustæ Vindelicorum in ecclesia Mauriciana liber, quem uocant Agendam, in quo rubrica sic habebat: Stet diaconus ad sinistrum cornu altaris, & porrigat sanguinem Domini communicantibus. *Agenda Augustanæ ecclesiæ.*

In summa, usus utriusque speciei in populis Christi inde à primæua institutione durauit, ac tandem anno millesimo quadringentesimo quartodecimo, in concilio Constantiensi prorsus impia est temeritate prohibitus. Memorantur quædam incommoditates in speciem, propter quas non conueniat, ut plebs ad communionem calicis admittatur: uerùm res ipsa quæ agebatur hæc erat: Si plebs, aiebant, sub utraque communicaret, nullum esset discrimen inter ipsam & sacerdotes. Verùm quàm sit hæc ratio friuola, & sacerdotale supercilium magis quàm ueram religionem præferens, non solùm ex supradictis, sed etiam ex uerbis Chrysostomi patet, qui in posteriorem ad Corinthios, homilia decimaoctaua sic dicit: Est autem, ubi nihil differt sacerdos à subdito: utpote, quando fruendum est tremẽdis mysterijs. Similiter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur. Non sicut in ueteri lege partem quidem sacerdos comedebat, partem autem populus, & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat sacerdos: sed nunc non sic, uerùm omnibus unum corpus proponitur, & poculum unum. Hæc ille. Ministrandi itaq; munus, non plenæ communicationis ius & potestas, discernat inter ministros ac plebem Christi.

Concludimus ergo peccare Pontificios in hac causa cõtra Dominicam institutionem, contra sacramenti huius integritatem, contra noui Testamenti confirmationem, cõtra Apostolicã traditionem, & cõtra prioris ac purioris ecclesiæ consuetudinẽ, ut ex his appareat, dominatũ eos exercere in gregem Christi, ac magis pro imperio quiduis præsumere, quàm pro legitimo ministerio quæ recta sint agere: id quod & uoces eorum testantur, quibus dicũt debere laicos una esse specie contentos: quasi ipsorum sit dominio diuendita plebs Christi, nec plura debeat appetere, quàm ipsis dare placeat. Vtinam tandẽ ad se reuersi, enormitatem peccati huius agnoscant, & ecclesijs Christi Dominicã traditionem integrè restituant. Legant saltem ea quę Cyprianus libro 2. Epistola 3. ad Cecilium scripsit: Quòd si nec minima, inquit, de mandatis Domini licet soluere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ passionis & nostræ redemptionis sacramentũ pertinentia, fas non est infringere, aut in aliud quàm quod diuinitùs institutum sit, humana traditione mutare. Exponere enim iustificationes & Testamentum Domini, & non hoc idem facere quod fecit Dominus, quid aliud est, quàm sermones eius abijcere, & disciplinam Dominicam contemnere, nec terrena, sed spiritalia furta & adulteria committere, dum quis de Euangelica ueritate furatur Domini nostri uerba & facta, & corrumpit atq; adulterat præcepta diuina? *Epilogus huius materiæ.*

Secundo loco requiritur, ut cœna Dominica competenter administretur. Plurimum quidem refert, integrúmne uel mutilatum sacramentum à Domino datum dispensetur. Verùm ne sic quidem cõtentus esse debet minister Christi, si nihil demat de traditione Dominica, sed quod accepit, integrè administret, nisi hoc competenter etiam, id est modis condignis & conuenientibus faciat. Etenim non modò qui accipit, sed & qui administrat ἀναξίως, reum se corporis ac sanguinis Domini constituit. Et multo satius est non ministrare, quàm indignis modis ministrare. Plus enim offendit, & magis nocet, quàm si non ministret. *Competenter esse cœnã Dominicam administrandam.*

Existimo aũt hoc fieri posse triplici respectu. Primò, personæ quàm gerit, qui ministrat. Secundò, ipsius rei, cui administrandæ seruit. Tertiò, cõmunicantis populi. Personam gerit minister œconomi, id est dispensatoris mysteriorum Dei, à quo requiritur non modò, ut fidelis inueniatur, sed & ut familiam Christi, quam pascendam accepit, & ad mensam mysticã uerbo inuitat fidei ac feruoris sui exemplo ad imitationem excitet, & cœlestis pabuli pro uiribus appetentes reddat. Dici non potest, quàm nauseabundos reddat mensæ huius cõuiuas minister uanus ac leuis: ac rursus quàm inflammet illorum animos ardẽs ministri zelus, si hũc & uerbis & moribus absq; omni hypocrisi spiret. Absit ab illo scenica & hypocritica missantiũ Papistarum gesticulatio, ad mouendũ risum spectantibus magis, quàm ad excitandos piæ mentis affectus apta. Concordẽt sermo, uita & gestus, sic ut omnia de pietate & ardore fidelis Christi ministri testentur. Nunquã obliuiscatur decori sui, quo honestè ac decenter ministeriũ suum obeat, nec ullam offendiculi causam cuipiam scienter obijciat. Fugiat exempla missantiũ sacrificulorum, qui quũ sint maiori ex parte uani homines, nihilo tamẽ secius ad aras sacrificantes adstant. Dissideat ab illorũ uanitate moribus, quorũ & sacra & uitam culpat uerbis. *Triplex conuenientis administrationis respectus.*

Deinde competenter ministrat, si rationem habeat earum rerum quas dispensat, seq; illis condignè accommodat. Dispensat communicationem corporis ac sanguinis Domini. Panis quem frangimus, inquit Apostolus, nónne communicatio est corporis Domini? Et poculum eulogiæ super quo benedicimus, nónne communicatio sanguinis Domini est? prima Corinthiorum decimo. Sic ergo sacramentũ hoc competẽter administret, ut sit communicatio, non ut sit priuatum sacrum. Dispensat rememorationem Domini, uel ut Augustinus alicubi loquitur, sacramentum memoriæ. Faciet hoc competenter, si annunciationem mortis Domini mysticæ communicationi, secundum uerbum Apostoli adiunxerit, qui dicit: Quotiescunq; edi- *Contra Faustũ Manichæum lib. 20. cap. 21.*

tis panem hunc, & poculum bibitis, mortem Domini annũciatis, donec ueniat. Si enim ipse ritum hunc in ecclesia Corinthiorum instituerat. Non cõuenit, ut sit muta communicatio. Vel legatur aliquid corã populo, uel psallatur, de historia mortis Domini, sicut in quamplurimis ecclesijs nostra ætate fieri cœpit. Dispensat eucharistiam. Eucharistia gratiarum actio est, & sacrificium laudis. Curet ergo, ut publica gratiarum actione sacra hæc communio claudatur. Dispensat Agapen, id est conuiuium fraternæ dilectionis. Conuenit igitur, ut luculentum adhibeatur Christianæ dilectionis, & mutuæ communicationis exercitium, ad quod debet populum non modò adhortationibus in ipso actu, sed & certi ordinis constitutionibus instituere & assuefacere. Hæc sunt principalia, quorum curam & rationem dispensator mensæ Dominicæ cum primis habere debet, quo se sacramento huic competenter accommodet.

Non debet esse muta communicatio.

Cauenda duo uitia superstitionis & contemptus.

Tertius respectus est populi communicantis. Quo simplicior ille est ac rudior, hoc simplicius de mysterio cœnæ Dominicæ loquetur minister, quo se captui illius accommodet. Cauebit autem modis omnibus duo illa plebi insidiosa uitia, superstitionem uidelicet & contemptum. Superstitionem, ne pro re ipsa ueneretur & adoret, quod illius est signum. Contemptum, ne in pane ac uino tantùm hæreat, non discernens corpus ac sanguinem Domini: ideoque ultra iudicium oculorum nihil intelligendo contemnat, quod uisu ac gustu panem & uinum esse sentit. Tale quid Augustinus admonuit libro De catechizandis rudibus, capite nono, ubi sic dicit: De sacramento autem quod accepturi sunt, sufficit prudentioribus audire, quid res illa significet: cum tardioribus aũt aliquanto pluribus uerbis & similitudinibus agendum est, ne contemnant quod uident. Hæc ille. In summa cauebit, ne declinet uel ad Corinthios, uel ad papistas in hac cœnę Dominicæ causa.

NB.

Et quo populus non manu & ore tantùm, sed & fide & corde quod datur, accipere possit, proferat omnia quæ dicenda sunt lingua uulgari & usitata, non adhortationes tantùm, sed & ipsa uerba Dominicæ institutionis, orationes etiam, & gratiarum actionem, quo & intelligere omnia, & assentiri corde possit, secundum admonitionem Apostoli, 1. Corinth. 14.

Si numerosa est communicantium multitudo, cauebit omnibus modis, ne quid confuse & neglectim geratur, sicut in multitudine fieri solet. Digerat in ordinem omnia, quo honestè, decenter ac reuerenter cõmunicent singuli. Extẽdant manus cum reuerentia, & accipiant quod datur: qui mos fidelium fuit, priusquam papistica superstitio obtineret in ecclesijs. Vide in Ecclesiastica historia Eusebij libro septimo, capite nono, & in uerbis Ambrosij ad Theodosium Imperatorem, quorum suprà mentionem feci. Consideret minister, conducãtne populo Christi, ut frequentius, uel ut rarius communicet. Ecclesiæ suæ qualitatem ac conditionem obseruet, ac illi se potius quàm aliarum exemplis accommodet. Summopere autem inculcabit omnibus illud Apostoli, Probet seipsum homo, & cætera. & cauebit ne dispenset sacramentum Domini indignè, & ad iudicium accepturis. Haud quidem cauere poterit, ne prorsus quisquis accedat indignus: curabit tamen, ne per suam negligentiam & conniuentiam id fiat, si initio hortando ac monendo: nec cogat aliquem, ut accedat: si uerò nihilominus accedere uiderit eum, quem iudicat indignum, hunc post communionem conueniat, ut discat, quomodo & quare accesserit. Quòd si postea quoque, licet nondum emendatus accesserit, curet ut uocetur ad seniores ecclesiæ, & emendetur. Hisce modis ac respectibus, personæ suæ sacramenti, ac populi communicantis, si se accommodauerit minister, fieri poterit, ut cœnam Domini competenter dispenset.

VLTIMO. QVIS SIT VERVS AC LEGITIMUS *usus cœnæ Dominicæ.*

Geminus usus sacramenti huius.

HActenus de cœnæ Dominicæ definitione, institutione & administratione, quæ dicenda uidebantur, breuiter attigimus, iam restat ut postremo loco de usu illius dicamus. Qui autem sit in genere sacramentorum usus, suprà in materia baptismatis commemoramus. Huius autem sacramenti, quemadmodum & baptismatis, geminus usus est. Vnus, qui solo Christo adimpletur: alter, cuius adimpletio à nobis requiritur. Quemadmodum enim, ut corporaliter pascamur, duo requiruntur: unum, ut detur cibus uerus, qui edentem alere possit ac recreare, aliàs in uanum sumetur: alterum, ut ille sumatur, & in stomachum sanum & esurientem concoquendus ac digerendus traijciatur. Etenim non alit cibus nõ sumptus, nec alit etiam sumptus, nisi stomacho sano & esuriente: quorum pius à conuiuatore, posterius à comedente requiritur: ita planè hoc quoque loco cogitandum est, requiri primùm ut uerus cibus detur à conuiuatore Christo, quo pascamur ad uitam æternam. Hunc ille solus præstat, qui unicus ac uerus Seruator. Ideoq; clamat, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos, Matthæi 11. Et Ioannis 6. Operamini cibum, inquit, nõ qui perit, sed qui permanet in uitam æternam, quem filius hominis dabit uobis. Item, Ego sum panis uitæ. Qui uenit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet in æternum. Item, Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi uita. Et, Amen amen dico uobis, nisi manducaue-

Quid requiratur à Christo.

ducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet uitam æternam, & ego reſuſci tabo eum in nouiſsimo die. Caro enim m a uerè eſt cibus, & ſanguis meus uerè eſt potus, &c. Nec in conuiuatore itaque Chriſto, nec in cibo, quem nobis parauit, quicquam deſiderari po teſt, quo minus quod ſacramentaliter in cœna ipſius geritur, ueraciter in nobis adimpleatur, niſi cibi huius capaces non ſimus. Ipſe nos Chriſtus paſcit, dum nos in uitam æternam corpore ac ſanguine ſuo pro nobis tradito aſſertos, ſpiritu ſuo recreat, confirmat & conſeruat: atque ita in nobis manere, & nos ſibi incorporatos habere dignatur.

Quæ requirãtur à nobis.

Videamus iam de ijs, quæ à nobis à Chriſto paſcendis requiruntur, & à uerè paſtis, uerè etiam præſtantur: in quibus alteram partem uſus ſacramenti huius conſtituimus. A paſcendis autem requiritur, ne ἀναξίως, id eſt indignis modis & incõpetenter menſa Dominica utamur.

1 Primò, ne illam contemnamus, quemadmodũ in Euangelica parabola de ijs memoratur, qui terrenis rebus addicti, uenire detrectabant: de quibus pronunciat Dominus, quòd eſſent indigni. Hoſce utiq; non paſcet Chriſtus. Quomodo namq; paſceret cœnæ ſuæ cõtemptores? Paſcit auidos & eſurientes, etiamſi ab externa corporis ac ſanguinis ſui communicatione contra animi ipſorum ſententiam impediantur & arceantur: faſtidientes uerò relinquit inanes.

2 Deinde, etiamſi non contemnamus, ſed cum alijs communicemus pro more eccleſiæ: requiritur tamen, ut id faciamus competenter. 1. Primò, uidelicet, ut ſimus in corpore Chriſti membra. Neq; enim poterit paſci hoc cibo, quo corpus Chriſti, id eſt eccleſia, paſcitur, qui nõ eſt inſitus Chriſto, ſed adhuc eſt membrum ſcorti, Antichriſti, Satanæ, &c. Hac de re Auguſti- *Auguſtinus.* nus libro uigeſimoprimo, de Ciuitate Dei, cap. uigeſimoquinto ſic dicit: Qui ergo eſt in eius corporis unitate, id eſt in Chriſtianorum compage membrorum, cuius corporis ſacramentum fideles cõmunicantes de altari ſumere conſueuerunt, ipſe uerè dicendus eſt manducare corpus Chriſti, & bibere ſanguinem Chriſti. Et: Sed rurſus etiam iſti, qui rectè intelligunt, non dicendum eum manducare corpus Chriſti, qui in corpore Chriſti non eſt. Adhuc: Nec iſti duo, inquit (intelligit eum qui in hæreſim eſt lapſus, & eum qui in catholica flagicioſe uiuit) dicendi ſunt manducare corpus Chriſti, quoniam nec in membris computandi ſunt Chriſti. Vt enim alia taceam, non poſſunt ſimul eſſe & membra Chriſti, & membra meretricis. Denique ipſe dicens, Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & cętera: oſtendit quid ſit non ſacramentotenus, ſed reuera corpus Chriſti manducare. Hoc eſt enim in Chriſto manere, ut in illo maneat & Chriſtus. Sic enim hoc dixit, tãquam diceret: Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non ſe dicat aut exiſtimet manducare corpus meum, aut bibere ſanguinem meum. Hæc ille.

2 Deinde requiritur à communicantibus, ut non ore tantùm ſacramentotenus comedant & bibant, ſed & reuera corde. Niſi cor fuerit in toto hoc ſacramentali cœnæ Dominicæ uſu, in auribus, oculis, manibus, ore ac ſtomacho, non poterit adimpleri in communicantibus ueritas ſacramenti. Quomodo namq; cibaretur internus homo, nec tangens nec amplectens, nec edens & bibens cibum hunc ac potum uitæ æternæ? Externus homo non paſcitur, niſi cibum ſtomacho concoquendum ſumat. Internus quomodo paſcetur, niſi cibi huius particeps pro ſua conditione reddatur?

Quali corde ſit communicandum.

3 Tertiò, refert etiam quali corde ad hoc ſacramentum accedamus, ſicuti refert quo ſtomacho corporalem cibum ſumamus. Sicut illic ſtomachus ſanus & euſuriens, ita hic cor ſanũ & eſuriens requiritur. Sanitas aũt cordis eſt uera fides, eſuries eſt appetitus cœleſtis alimoniæ. Fides autem non quælibet, ſed ea requiritur, quæ uerbis Chriſti nitatur, quibus dicit: Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis traditur: &, Hoc poculum nouum Teſtamentum eſt in ſanguine meo, qui pro uobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Credendũ itaq; eſt, corpus ac ſanguinem Chriſti pro remiſsione peccatorum noſtrorum traditum & oblatum eſſe in cruce, & confirmatum nouum Teſtamentum, illiusq; nobis ſacramentum in hac cœna proponi & commendari, quo publicam Seruatoris ac redemptoris noſtri rememorationem celebremus. Eſuries cordis, auiditas eſt gratiæ Chriſti ac cœleſtis alimoniæ, per mortem Chriſti nobis acquiſitæ. Ea nõ poteſt eſſe in illis, qui uel ex ſeipſis, uel aliunde paſcuntur, putantes ſe uel propria iuſticia more Iudęorum ac Turcorum: uel aliena, utpote ſanctorũ mortuorum aut monachorum ac ſacerdotum ad uitam æternam poſſe pertingere.

Eſuries cordis.

Qui corpus ac ſanguinẽ Chriſti nec edant nec bibant.

Itaq; qui uel non accedunt ad menſam Domini per contemptum, uel non ſunt de corpore Chriſti, etiamſi accedant: uel non dignè, tanquam ad communicationẽ cœleſtis cibi, corde, eoq; fideli & eſuriente, accedunt: licet ſacramentotenus edant ac bibant, reuera tamen corpus ac ſanguinem Chriſti nec edunt nec bibunt. Imò, ut adhuc explicatius dicam: Qui externa ſacramentalia ſigna panem ac poculum Domini ſine illorum intellectu uſurpat, quemadmodum faciebant Corinthij, myſticam cœnam in prophanam, corpus Domini non diſcernendo, peruertentes. Item, Qui licet omnia exactè intelligat, quatenus uerbo Chriſti traduntur, uera tamen eſſe nõ credit, hiſtorica fide deſtitutus: intelligit quid de corpore ac ſanguine ſuo Chriſtus ipſe prædicet, quoq; ſenſu panem ac uinum diſcipulis dederit, & quomodo externam

hanc actionem in memoriam sui instituerit. Hactenus ualet intellectu, uerùm fide destitutus non credit ea esse uera, quorũ nobis memoria celebranda proponitur: hoc est, nõ credit, mortem Christi ualere ad redemptionem mundi, remissionem peccatorũ nostrorum, & reconciliationem cum Deo patre. Item: Qui licet historicam hanc fidem habeat, redemptionis tamen gratiam sibijpsi non appropriat, sed nescio quibus tantùm sanctis & iustis, ideoq; cum Apostolo non dicit: Qui dilexit me, ac tradidit semetipsum pro me. adhuc, Qui tametsi credat pro se quoq; mortuum esse Christum, id tamen beneficij non magnifacit, neq; recordatione illius ad gratiarum actionem mouetur. Nec est ut miremur, quomodo hoc fieri possit, cum quotidianis experimentis deprehendamus, non esse alienum ab ingenio humano, ut benefacta, etiam maxima, quæ scimus nobis esse gratuitò impensa, susq; deq; faciamus, ac parum gratiæ benefactori referamus. Quisquis ad hunc modum comparatus est, cibum æternæ uitæ, corpus ac sanguinẽ Domini non gustat, etiamsi cum alijs de pane ac poculo Domini participet. id quod de illis quoq; sentimus, qui non sunt spiritu fraternæ charitatis præditi, & qui uita flagitiosa declarant se alienos esse à membris corporis Christi.

De manducatione corporis Christi.

Existimo autem operæprecium fore, ut propter imperitiores, de manducatione corporis Christi aliquanto fusius dicam. Principiò, quod uerbum manducandi (eadem est ratio uerbi bibendi) attinet, nemo negat, opinor, accipiendũ illud esse in hac causa sensu metaphorico, non proprio. In hac causa, inquam, ubi non de pane ac poculo, sed de corpore ac sanguine Domini loquimur. Panis propriè manducatur, corpus Domini impropriè ac metaphoricè. Dein de sunt qui ipsum corpus Domini, quod pro nobis traditum est in cruce, comedi: & ipsum sanguinem, qui pro peccatis nostris effusus est, bibi negent, sunt qui asserant. Negat Augustinus super Psalmum nonagesimũ octauũ: & citatur de consecratione, Distinct. 2. Can. Non hoc corpus. Verba sic habent: Non hoc corpus quod uidetis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod uobis commendaui, spiritualiter intellectum uiuificabit uos. Etsi necesse est illud uisibiliter celebrari, oportet tamen inuisibiliter intelligi. Et de consecr. Distinct. 2. Can. De hac quidem, citantur uerba Hieronymi, qui alicubi in Leuiticum sic dicit: De hac quidem hostia, quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet, de illa uerò quam Christus in ara crucis obtulit, secundum se nulli edere licet. Et Can. Prima quidem, citantur uerba Augustini, super Ioannem tractatu 27. ubi, Hoc uos scandalizat, inquit: quia dixi, Do uobis carnem meam manducare, & sanguinem meum bibere. Si ergo uideritis filium hominis ascendentem, ubi prius erat. Quid est hoc? Hic soluit quod eos mouerat. Hic aperuit, unde fuerunt scandalizati: hic planè, si intelligerent. Illi putabant ipsum erogaturum corpus suum. Ille dixit se ascensurum in cœlum, utique integrum. Cum uideritis filiũ hominis, inquit, ascendentem ubi erat prius, certè uel tunc uidebitis, quia non eo modo quo putatis erogat corpus suum: uel tunc intelligetis, quia gratia eius non consumitur morsibus. Hæc ibi.

Negãtes ipsum corpus Christi manducari.

Asserentes ipsum corpus Christi edi.

Contrà sunt qui asserant hoc ipsum corpus Domini comedi in cœna, quod in cruce pependit, & sanguinem bibi, qui in cruce effusus est. Respiciunt illi ad uerba Christi dicentis: Accipite, edite, hoc est corpus meũ, quod pro uobis traditur: &, Accipite, bibite, Hoc est sanguis meus noui Testamenti, qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hic sensus ut conformis est uerbis Christi, ita & à priori nihil discrepat, si rectè consideretur. Etenim quæ ex decretis adduximus, uerbo mãducandi utuntur sensu proprio, quo cibũ corporis edi dicimus, & quo panis cœnæ ore corporaliter manducatur, & poculum bibitur. Hoc utiq; sensu rectè negant ipsum Domini corpus quod traditum est pro nobis edi, & sanguinẽ ipsum qui effusus est, in cruce bibi. Nec opinor esse quenquã cordatum, qui sic edi ac bibi dicat. Interea non negant, carnem Christi ueram edi, & sanguinem bibi modo competenti, quemadmodum non negant panem aliquo modo esse corpus, & poculum esse sanguinem Domini.

Quare non est, ut sit hac de re contentio inter fideles. Si dixerit quispiam, Verùm Christi corpus sumitur & editur, & uerus illius sanguis bibitur in cœna: nõ est ut sic loquenti contradicamus, modò uerba sumendi, edendi & bibendi sensu accipiantur metaphorico, non proprio. Rursus si dixerit alius, non uerum Christi corpus, quod mortuum est in cruce à mortuis excitatum, & in cœlos translatum, nec uerum illius sanguinem, qui effusus est in cruce, in cœna edimus ac bibimus, sed utriusq; sacramentum, panem uidelicet ac poculum Domini: neq; ad hunc modum loquenti repugnare debemus, modò uerbis edendi ac bibendi utatur sensu non metaphorico, sed proprio. Nisi hæc seruetur discretio in ecclesia, neq; modus erit neq; finis altercationum, quibus tandem ueritas obscuratur, & animi contendentium inter se exacerbantur. Alius cœlum terræ miscet uociferando, Hæreticus, hæreticus, ecce nil edit ac bibit in cœna, nisi nudum panem ac merum uinum. Negat enim edi in cœna uerum Domini corpus, & bibi uerum illius sanguinẽ. Contrà alius uicissim exprobrat καρνοφαγίαν καὶ αἱματοποσίαν. Quid facitis fratres? Nisi esset libido contendendi, poteratis iam olim Christiana discretione litem hanc dirimere, & paci in ecclesia Christi studere. Sed pergamus.

Modi quibus corpus Christi editur.

Consequenter uidendũ est de modis edendi uerum Christi corpus, & bibẽdi illius sanguinem. De

nem. De modis dico, quia non eodem modo cibo hoc & potu fruimur. Alius enim est temporarius ac momentaneus, ut ita dicam, ac talis qui frequenter queat iterari: alius uerò assiduus, iugis ac indesinens. 1. Temporarius & iterabilis est, quo corpus Christi editur, ac sanguis bibitur, ut Augustinus loquitur, sacramentotenus, uel in sacramento, hoc est sacramentaliter, id quod fit in Ecclesiastica communicatione, ubi per partes editur corpus, dum partes fracti panis sumuntur & eduntur: & sanguis bibitur, dum poculum Noui testamenti sumitur & bibitur. Corporaliter editur ac bibitur panis & poculum Domini: sacramentaliter uerò id editur ac bibitur, cuius sacramentum sunt panis & poculum, eo planè modo, quo sacramentum corporis corpus, & sacramentum sanguinis sanguis uocatur: quo de suprà in expositione uerborum Christi annotauimus. Hoc sensu rectè dicimus eos accipere, edere ac bibere corpus & sanguinem Domini, qui in mystica cœna panem ac poculum, sacramentum uidelicet corporis ac sanguinis illius, accipiunt, edunt ac bibunt. Si quis hic cõtenderit, fieri hoc corporaliter: distingue sic, ut concedas de sacramento, quod utique corporaliter editur ac bibitur: de re uerò ipsa, cuius sacramentum corporaliter sumitur, non concedas, nisi sacramentaliter.

Temporarius ac iterabilis.

Hic sacramẽtalis edendi corporis Christi modus iteratur, quoties cœna Dominica celebratur, quæ non ad hoc frequenter iteratur. ut reipsa Dominici corporis perinde atq; corporalis cibi, qui comestus perit, fruitionem iteremus: sed ut Dominicæ mortis rememorationem secundum illius institutionem celebrantes, fidem in illum alamus, & Redemptori sacrificiũ laudis offeramus. Etenim panis uitæ semel ueraciter sumptus, ut non consumitur sumptus, ita sumptionis iterationem non requirit. Permanet enim, pascens in uitam æternam eos, qui semel illius facti sunt participes. Huius admoneo propter rudiores, quo iterationem fruitionis huius referant non ad ipsum cœlestem cibum, sed ad illius Sacramentum.

Iteratur sacramẽtalis edendi corporis Christi modus.

2. Assiduus uerò, & indesinens edendi corporis Christi modus sacramentalis non est, sed spiritualis, solus sq; efficaciam habet pascendi in uitam æternam: ad quem referenda sunt ea quæ suprà ex sexto capite Ioannis adduximus. Acquiritur hic sola fide, per quam Christo incorporamur, incorporatiq; de gratia redemptionis per carnem ac sanguinem ipsius partæ iugi fruitione uiuimus. Sic edere & bibere carnem ac sanguinẽ Christi, est iugiter refici, iugiter cœlesti alimonia frui. Nã ut ex Augustino suprà citauimus, gratia hæc non consumitur morsibus. Hic edendi modus est, nõ fide tantùm, sed & reipsa, uita æterna frui per mortem Christi acquisita. Perinde ac si populũ ab excidio liberatũ, ducis sui, qui pro liberãdo ipso mortẽ subierit, carnẽ ac sanguinem edere & bibere: hoc est, uita ac salute per mortẽ ipsius acquisita frui dicas. uel quod propius ad gratiã redemptionis ac refectionis nostri accedit, si dicas nos per fidem Christo insertos, sic edere carnẽ, & bibere sanguinẽ eius, quemadmodũ palmites edunt ac bibunt carnem ac sanguinẽ uitis, cui sunt naturaliter inserti, propterea quòd & uitam, & uniuersam alimoniam, uirtutemq; fructificãdi ex illa indesinẽter ac iugiter accipiunt. Sic de consecrat. dist. secunda, Can. Qui manducant, uerba Augustini citantur. Qui manducãt & bibunt Christum, inquit, uitã manducant & bibunt. Illum manducare, est refici: illum bibere, est uiuere. Et de uerbis Apostoli, sermone secundo sic dicit: Illud mãducare, refici est. Sed sic reficeris, ut non deficiat unde reficeris. Illud bibere quid est, nisi uiuere? Manduca uitam, bibe uitam: habebis uitam, & integra est uita. Tunc aũt hoc erit, id est uita erit unicuiq; corpus & sanguis Christi, si quod in sacramento uisibiliter sumitur, in ipsa ueritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur. Audiuimus enim ipsum Dominũ dicentem: Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquã. Verba quæ loquutus sum uobis, spiritus sunt & uita. Hæc ille.

Assiduus & indesinens edẽdi corporis Christi modus.

Augustinus.

Assiduæ ac iugis huius fruitionis carnis & sanguinis Domini participes reddimur ueraciter, quamprimùm illi inserimur & incorporamur, cuius insitionis sacramentũ est Baptismus. Quare etiamsi nunquam detur usus cœnæ Dominicæ, nihilo tamen secius cibi ac potus huius cœlestis participes existimus. Vnde est illud De consecrat. dist. 2. Can. Quia passus: Nulli est aliquatenus dubitandum, unumquemq; fidelium corporis ac sanguinis Dominici tunc esse participem, quãdo in Baptismate membrum efficitur Christi, nec alienari ab illius panis calicisq; consortio, etiamsi antequam panem illiũ comedat, calicemq; bibat, de hoc seculo migrauerit, in unitate corporis Christi constitutus. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuabitur, quando in ipso hoc quod sacramentum significat, inuenitur. Hæc ibi, & sunt uerba Augustini. Iam si uerę, salutiferæ, indesinẽtis ac spiritualis fruitionis, qua ex carne ac sanguine Christi ad uitam æternã reficimur, significatio est in cœna Dominica, ipsa uerò illius acquisitio per sacramentum insitionis constat, quis non uidet, quales nos ad mysticam hanc Domini mensam accedere oporteat? Nempe nõ tales, qui fruitionem corporis ac sanguinis Domini primùm in ea quæramus, tanquam illius adhuc expertes: sed qui per fidem illius iam antea participes, gratiam semel acceptam communicatione hac sacramentali corporis ac sanguinis Domini, & mortis ipsius rememoratione in cordibus nostris magis ac magis corroborare, redemptoriq; gratias agere cupiamus.

Quomodo ueraciter iugis carnis Christi fruitionis participes reddimur.

Quales ad mẽsam Domini accedere debeamus.

Spiritualẽ corporis Christi mãducationem non auferimus è cœna.

Dices: Ergo sacramentalem duntaxat corporis Christi manducationem cœnæ Dominicæ deputas. Quid igitur est, quòd Patres illi tribuunt non hanc solum, quæ fit ore corporis, sed

& eam quæ fit corde ac ſpiritu per fidem, quam & ſpiritualem uocant? Reſpondeo: Spiritualis manducatio, quam & ipſe in cœna Domini agnoſco, non derogat ijs quæ de iugi ac indefinenti corporis ac ſanguinis Chriſti fruitione diximus. Eſt enim illa nihil aliud, ſi rectè inſpiciatur, quàm quædam huius refricatio, qua (perinde atq; munda pecora quæ in paſcuis ſemel ederũt ad ruminandum, ac penitius digerendum reſumunt) ſemel accepta Chriſti gratia, per fidem in uerbum Chriſti, quod in cœna proponitur, & per rememorationis efficaciam, in cordibus communicantium refricatur. Et hoc genus ruminationis, quę fit per fidem in ſacramento corporis ac ſanguinis Domini, haud incommodè ſpiritualis manducatio uocatur, eo quòd perillam cœleſtis cibus uelut ad fauces cordis ad ruminandum reuocatur: atq; ita dulcedine ſua ſpiritum noſtrum ſuauiſsimè reficit, & ipſe uiciſsim hac quaſi cultura rigatur, & efficacior redditur. Amor (ut adhuc ſimilitudinis gratia dicam) an non iugis quędam uita eſt in corde amantis, ſic ut ille magis in eo quem amat, uiuat quàm in ſeipſo: iuxta dictum illud, Amans magis eſt ubi amat, quàm ubi animat? Sic eſt planè. Et tamen quoties ſingulari beneficiorum illius rememoratione afficitur, toties amor ille, quem iugiter alit in corde, nouis quibuſdam auctibus creſcit & augmentatur, ſic ut dilectum ſuum magis adhuc quàm antea diligat. Ad hũc modum comparata eſt ſpiritualis corporis Chriſti manducatio. Haud quidem inchoatur illa in communicatione ſacramenti, uerùm per illam, accedente fide & rememoratione redemptionis, ſubinde ueluti renouatur & efficacior redditur. Quare haud quaquam ſpiritualem corporis Chriſti manducationem è cœna illius auferimus, dum eam qua aſsiduè ac indefinenter carne ac ſanguine Chriſti reficimur, à communicaturis requiro.

Simile.

Simile.

De manducatione impiorũ.

Mota eſt hic quæſtio, edant ne & impij corpus Domini in cœna? Alij affirmant, alij negãt. Meo iudicio, non debebat Chriſtianis operæprecium uideri, ut cõtendant de impijs, cum quibus ipſis nihil eſt conſortij, edánt ne & ipſi Chriſtum, cum non ſint corporis illius membra. Qui affirmant, ne curioſa & impertinentia docere uideantur, contendunt hanc quæſtionem de malis & impijs pertinere ad caput doctrinæ de Euchariſtia, eſſeq; utilẽ ac neceſſariam. Sic iudicant illi, ac petunt ſententiæ ſuæ confirmationem ex uerbis Pauli, 1. Cor. 11. quibus iudicij indignè manducantibus Euchariſtiam minatur, eo quòd rei fiant corporis ac ſanguinis Domini, & cum primis ex uerbis Chriſti, Hoc eſt corpus meũ: atq; ita cenſent ijſdem rationibus probari, quòd & impij corpus Chriſti edant, quibus probant, quòd corpus Chriſti corporaliter ſit in pane. Dei uerbum eſt, inquiunt, Hoc eſt corpus meũ: id eſt, in hoc eſt corpus meũ. Verbum Dei non eſt aliud credentibus, & aliud incredulis, ſed omnibus idem. Neq; enim ueritas illius per humanam incredulitatem mutatur. Quia quemadmodum non ideo uerum eſt uerbum Dei, quòd nos illud uerum eſſe credimus: ita non ideo falſum eſt, quòd nos illi nõ credimus. Ergo tam impijs quàm pijs uerum eſt, quod Chriſtus dicit, Hoc eſt corpus meum: ideoq; tam illi quàm iſti comedunt corpus illius in cœna. Hoc eſt primarium illorum argumentũ. quod ſi firmum eſt, abundè ſufficit, ad comprobandum quod dogmatizant: ſin minus, fruſtra adijcitur alia. Quare de illo dicendum eſt potiſsimùm.

Quòd impij corpus Chriſti edant, nõ rectè colligitur ex uerbo Domini.

Verbum Dei eſt omnino quod Chriſtus dixit, Hoc eſt corpus meum: & eſt firmũ in ſe, ſiue credamus, ſiue non credamus. Hic nihil eſt controuerſiæ. Quod uerò ex illo colligunt, nõ tam eſt firmum, ut pace illorum dicã, quàm exiſtimant. Colligũt hinc: Ergo in cœna tam impius, quàm pius accipit corpus Chriſti. Quare? Quia corpus Chriſti corporaliter eſt in pane, ſecundum immutabilem uerbi Chriſti ueritatem. uerùm, ut ille dicit, Nil ualet exemplum, quod ſi tem lite reſoluit. Nam & hoc ipſum non conceditur, quod corporalem corporis Chriſti præſentiam in pane ex uerbo Chriſti colligũt. quaſi dixerit: Accipite, edite, in hoc eſt corpus meũ, qua de re ſuprà in expoſitione uerborum iſtorum diximus. Verùm eſt & firmum Chriſti uerbum, ſed non mox uerus eſt & firmus ſenſus, qui illi tribuitur. Dixit panem quem dabat, eſſe corpus ſuum, pro nobis tradendum: non dixit, eſſe corpus ſuum corporaliter præſens in pane. Quomodo autem hoc dixerit, ſuprà declaratum eſt. Voluit hunc panem ſacramentum eſſe corporis ſui, pro nobis in cruce traditi. Quatenus autem ſacramentum corporis corpus eſt, hactenus panis iſte corpus ipſius uocatur: & hactenus corpus Domini ab illis editur, qui panem cœnæ edunt, aliter tamen à pijs, & aliter ab impijs. Pij manducant non modò ſacramentaliter, ſed & ueraciter, quia manducant non ore tantũ, ſed & corde: impij uerò non ueraciter, ſed ſacramentaliter tantũ, quia non edunt corde, ſed ore tantùm: atq; ita ſacramentum duntaxat non ipſam rem ſacramenti edunt, quæ non niſi ſola fide editur. quod & Cyrillus ad obiectiones Theodoreti teſtatur, dicens: Non enim ſacramentum noſtrum hominis manducationem aſſerit, mentes credentium ad craſſas cogitationes irreligioſe introducens, & humanis cogitationibus ſubijcere enitens, ea quæ ſola, & pura, & inexquiſita fide capiuntur. Hæc ille. Si manducationem hominis Chriſti non aſſerit noſtrum ſacramentum, ſed ea tantùm, quæ ſola fide capiuntur, quomodo impij Chriſtum edunt in cœna, cum ſacramentum hoc ſine fide edant & bibant? Chriſtiana religio neſcit niſi duos modos communicandi in cœna: ſacramentalem unum, ſpiritualem alterum. Sacramentalem agnoſcit fieri communiter à cõmunicantibus omnibus, tam malis quàm bonis: ſpiritualem uerò ab illis tantùm qui non ore modò ſacramentum,

Cyrillus.

tum, ſed & corde rem Sacramenti per fidem capiunt & edunt. Hinc illa ſunt De conſec. Diſt. 2. Qui diſcordat à Chriſto, non manducat carnem eius, nec bibit ſanguinem eius, etſi tantæ rei ſacramentũ ad iudicium ſuæ perditionis accipiat. Hæc ibi. Quid eſt diſcordare à Chriſto aliud, quàm alienum eſſe ab ipſo, ipſiusq; membris? At utiq; alieni ab illis ſunt impij, quos & Auguſtinus negat ueraciter edere corpus Domini, propterea quòd non ſunt de corpore Domini, ſicuti ſuprà oſtendimus. *Auguſtinus.*

Quod locum Apoſtoli attinet, 1. Cor. 11. Quiſquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis ac ſanguinis Domini, ſimpliciter reſpondemus: De pane Domini edi poteſt indignè, de corpore Domini, niſi ſacramentaliter non poteſt. Qui indignè edunt, duo faciunt. Manducant, deinde indignè manducantes peccant. Quid manducent, diſertè exprimitur in uerbis Apoſtoli, cum dicit: Quiſquis ederit panem hunc, &c. Non dicit: Quiſquis ederit corpus Domini, aut biberit de ſanguine Domini indignè. Et hoc faciẽtes peccant. In quid? Hic non dicit in panem & poculum Domini, ſed, in corpus ac ſanguinem Domini. Reus erit, inquit, corporis ac ſanguinis Domini. Ergo ubi quæritur de indigna impiorum manducatione, quid illi manducent ac bibant indignè, puto non fore hæreticum eum, qui cũ Paulo reſpondet, panem ac poculum Domini. Vbi uerò de peccato illorum quæritur, rectè cum eodem Paulo dicimus, peccare eos in corpus & ſanguinem Domini. Quare? Non quod ipſum corpus Domini edant, & ſanguinem bibãt indignè: ſed quòd panem ac poculum, quæ Sacramentum ſunt corporis ac ſanguinis Domini, indignè manducant & bibunt. *1. Cor. 11.*

Obijcitur Iudas loco exempli, & contenditur illum unà cum cæteris Apoſtolis mãducaſſe corpus, & bibiſſe ſanguinem Domini. Nos reſpondemus: Ab exemplo incerto, de quo inter patres controuertitur, non poſſe certò quicquam probari. Negat Hilarius diſertè, fuiſſe Iudã adhuc in cœna inter diſcipulos, cum corporis ſui ac ſanguinis ſacramentum inſtitueret Dominus. Sic enim in Matth. can. 30. dicit: Poſt quæ Iudas proditor indicatur, ſine quo Paſcha, accepto calice & fracto pane conficitur. Dignus enim æternorum Sacramentorum cõmunione non fuerat. Nam diſceſsiſſe ſtatim hinc intelligitur, quòd cũ turbis reuerſus oſtenditur. Neq; ſanè bibere cum eo poterat, quia non erat bibiturus in regno, cum uniuerſos tum bibentes ex uitis iſtius fructu, bibituros ſecum poſtea polliceretur. Hæc ille. Et quoniam narratio cœnæ Dominicæ, quàm Lucas poſuit, diuerſum uelle uidetur, Rubertus Abbas Tuitienſis in Matth. ca. 26. ſatis accuratè monſtrat, quomodo illa accipi debent, ne à cæteris Euãgeliſtis diſcrepare uideatur: & quæ illius fuerit cauſa, cuius explicati onẽ nõ grauabor hic adijcere. Hic idem narrationis ordo, inquit, apud Marcum habetur, ſcilicet, inter manducandum & bibendum, dum manducarent uetus Paſcha, id eſt agnum aſſum cũ azymis panibus, & lactucis agreſtib. proditorem fuiſſe deſignatum, dicendo: Amen dico uobis, quia unus ueſtrũm me traditurus eſt, &c. uſquequò ait illi, Tu dixiſti. Et tunc demum ſacramentũ corporis ac ſanguinis Dominum tradidiſſe diſcipulis ſuis, ubi iam de traditore illo nulla mentio fit. Porrò apud Lucam textus uel ordo literæ ſe aliter habet. Prius enim utrũq; Paſcha, ſcilicet uetus ac nouum, continua narratione deſcribit, & tunc demum hæc uerba Domini ſubiungit: Veruntamẽ ecce manus tradentis me, mecũ eſt in mẽſa. Hæc diuerſitas in ordine narrationis diuerſas magnis atq; catholicis patribus de Iuda traditore peperit ſententias, alijs dicentib. de illo quòd interfuerit, ubi Dominus iam dictũ corporis ac ſanguinis ſui ſacramentũ diſcipulis ſuis tradidit. Et paulo poſt: Si igitur ſcire opus eſt, uel ſcire cupimus, cuius nam ratio firmior fuerit, peruidẽdum eſt prius, quomodo Lucas à cæteris Euangeliſtis Matthæo & Marco in iſta narratione nõ diſcrepet, quia uidelicet beatus Auguſtinus conſonantiam eorum hic nõ requiſiuit, dũ Lucæ narrationẽ ſequi uiſus eſt. Quærentib. illud iam occurrit, quia uidelicet cum dixiſſet, Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt corpus meũ, quod pro uobis datur, hoc facite in meam cõmemorationem. Similiter & calicem, ita determinauit ut diceret, Poſtquam cœnauit. Profectò, ſi poſtquam cœnauit, ergo & poſt uerba hæc, Veruntamẽ ecce manus tradentis me, mecũ eſt in menſa: quia (ſicut iam dictum eſt) ſecundum alios Euangeliſtas hæc uerba dixit, non poſtquam cœnauit, ſed quando cœnauit, & de cœna ipſa buccellam intinctã Iudæ porrexit, qui & ſicut Ioannes refert, continuò exiuit. *Iudas.* *Hilarius contẽdit Iudam non adfuiſſe, cũ Sacramẽtum hoc inſtitueretur.* *Rubertus Abbas Tuitienſis textum Lucæ explicat.*

Hic quæritur iam, quid opus fuerit ut hic Euangeliſta tali uteretur modo narrationis. Eſt enim hic modus quem recapitulationem uocant, &c. Et paulo poſt: Hoc ergo quæritur (ut iã dictum eſt) cur Lucas Euangeliſta ſcribẽdo illam Domini Cœnam tali narrationis modo uti uoluerit? Iſtud quærentibus illud in primis demonſtrandum eſt, quia ſolus ipſe, uidelicet Lucas, hæc Domini uerba præſcripſit, dicta in illa priori Cœna typici Paſchæ, ſiue agni Paſchalis, quem comedit cum diſcipulis, ſecundum morẽ ueteris mandati: Deſiderio deſideraui, ait, hoc Paſcha manducare uobiſcũ, antequã patiar. Dico enim uobis, quia ex hoc nõ manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Diuidite inter uos. Dico enim uobis, quia nõ bibã de genimine uitis, donec regnũ Dei ueniat. Hoc ſolus (ut iam dictũ eſt) Lucas ſcribere curauit Dñm dixiſſe, quòd deſiderio deſiderauerit cũ diſcipulis ſuis comedere Paſcha illius anni, qui erat annus 33. aſſumptæ humanitatis, ſuiq; deſiderij cauſam

hanc

hanc ſubiunxiſſe, quòd Paſcha illud manducaturus, & calicem eiuſdem typici Paſchæ bibiturus non eſſet, donec impleretur in regno Dei. Congruum ergo fuit, ut modum impletionis illius cõtinuò perſcriberet, & idcirco dilatis quæ in eadem cœna dicta ſunt, Et accepto (inquit) pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, &c. Hoc itaq; modo impletur in regno Dei illud quod illo priore Paſcha, & priore calice figurabatur. Ex tunc enim uenit regnum Dei, cuius uidelicet regni initium erat paſsio eius, ad quam nocte illa tradebatur, tertia die reſurrecturus. Itaq; cauſam nos arbitramur dixiſſe idoneam, propter quam ſolus Lucas utriuſq; ſcilicet ueteris ac noui Paſchæ narrationem continuare uoluerit, ac demum per recapitulationem redire ad uerba quæ ante ſacramentum noui Paſchæ dicta eſſe teſtantur Euangeliſtæ cæteri. Hæc ilie. Et Theophilactus, quamuis hæſitauerit in hac cauſa, ſic tamen annotauit: Quidam aũt dicunt, quòd egreſſo Iuda tradiderit Sacramentum alijs diſcipulis. Proinde & nos ſic facere debemus, & malos à ſacramentis abarcere. Hæc dicendo, licet non aſſerat, quod aſſerunt Hilarius & Rubertus Tuitienſis: uſqueadeò tamen non reijcit hanc ſententiã, ut etiam exemplum hinc de malis ab uſu ſacramentorum abarcendis proponat. Mihi ſanè dubium non eſt, egreſſum ad perficiendum traditionis ſcelus fuiſſe Iudam, priuſquam ſacramentum hoc à Domino diſcipulis traderetur. Verùm contendant hic fratres quantum ipſis libet, non euincent quod uolunt. Nam etiamſi conſtaret & Iudam unà cum cæteris Apoſtolis participem fuiſſe ſacramenti: ex eo tamen non ſequitur, plus illum accepiſſe, q̃ quod manu, ore & ſtomacho tanquam impius capere potuit. Panem uidelicet ac poculum Domini, contra Dominum, ut Auguſtinus alicubi dicit, corpus uerò ipſum & ipſum ſanguinẽ Domini haudquaquam: quia diſcrepabat à Chriſto, cuius erat non membrum, ſed proditor.

Theophilactus

An ſacramenta communia ſint tã malis quàm bonis.

Sed obijciunt, ut uerbum, & dona Dei, ſolem & pluuias: ita & ſacramenta, communia & eadem eſſe, tam malis quàm bonis. De naturalibus donis non eſt dubium. Solem ſuum producit Deus ſuper bonos & malos, & pluit ſuper gratos & ingratos. Et ſol non eſt alius malis, & alius bonis: & pluuia haud minus prodeſt agro mali, q̃ agro boni ac pij hominis, niſi id ſingulari quodam iudicio Dei fiat. Et ſemen bonum in ſe eſt, etiamſi cadat in terram ſterilem, nihilq; fructus adferat. Et aurum tam malis quàm bonis eſt aurum. Et cibus æquè paſcit furem, atq; eum qui iuſto illum labore acquiſiuit. Sic eſt conditio donorum naturalium, ex abundantia diuinæ bonitatis. An talis ſit conditio donorum ſpiritualium, præſertim ſacramentorum, non immeritò controuertitur. Voluit Dominus, inquiunt, cœnam ſuam cõmunem eſſe omnibus, tàm malis q̃ bonis, & quòd dedit corporis ac ſanguinis ſui ſacramentũ, dedit toti Eccleſiæ diſpenſandum, in qua ſunt plures mali q̃ boni. Ergo tam mali de corpore ipſius, q̃ boni cõmunicant. Verùm unde hoc probatur? Chryſoſt. alicubi, mẽſam Domini nec Iudã nec auaros, &c. ſed diſcipulos tantũ capere dicit. Et palàm clamabat diaconus, Accedite ſancti, diſcedite profani. Si uoluit Dominus menſam ſuam cõmunem eſſe omnibus tam malis q̃ bonis, nõ licet ergo malos ab illius arcere cõmunione, niſi liceat facere contra uoluntatẽ Domini. De uerbo cogitandũ eſt aliud. Huius prædicationẽ omnibus uoluit indiſcriminatim proponi. Et id ſeruatũ eſt perpetuò in eccleſijs. Nec Iudæi, nec ethnici excluduntur ab auditu uerbi Dei: excluduntur uerò à conſortio ſacramentorum, donec fide ad Dominum fuerint conuerſi.

Quomodo uerbum idem ſit tã malis quàm bonis.

Verbum idem eſt, ſiue in malos ſiue in bonos cadat. Planè idem eſt, ſed in ſe, non in animis auditorum. Et ſacramentũ corporis ac ſanguinis Domini idem eſt, ſiue à bonis, ſiue à malis ſumatur. In ſe idem eſt, ſumentibus uerò nõ idem. Euangelium in ſe uirtus Dei eſt ad ſaluandũ, & ſaluat etiam. Verùm hoc non eſt perinde incredulis atq; credentibus. Sacramentũ hoc corpus Chriſti eſt in ſe, uerùm cõtemptoribus impijs, & indignè ſumentibus, longè eſt aliud. At nos hic non quærimus quid ſit in ſe, quod traditum eſt à Domino, & quid in eccleſia proponatur: ſed quid ſumatur à communicantibus, an idem à malis & impijs, quod à bonis & pijs. Panis cœnæ eſt corpus Domini. Sic inſtituit Dominus. Agnoſco, & agnoſcunt fideles omnes, quid ſit quod traditum eſt à Domino. At quibus hoc ſacramento Dominus corpus ſuũ ac ſanguinem tradidit? Diſcipulos inuenio, impios & alienos à Chriſto non inuenio. Nec illis etiam eſt, quod eſt pijs hoc ſacramentũ: nec idem in illo comedunt, quod pij. Et hæc ſententia neq; aſtringit ueritatem ſacramenti ad perſonas communicantium, neq; reddit omnia illius incerta, ſicuti cauſantur nonnulli. Deus ipſe, utut in ſe immutabilis, alius eſt bonis, & alius malis. Cum ſanctis enim ſanctus eſt, & cum peruerſis peruerſus. An ideo dicemus, ueritatem ipſius pendere à qualitate perſonarum, & nihil in eo relinqui nobis, quod ſit certum ac firmum? Abſit. Itaq; ut concludam, neque ex uerbo Chriſti, Hoc eſt corpus meum: neq; ex uolũtate illius, neq; ex qualitate impiorũ, neq; ex conditione ſacramentorum, neq; ex eo quod de Iuda additur, probari poterit, impios in cœna manducare corpus Domini, & bibere illius ſanguinem, niſi hactenus hoc fieri dicamus, quatenus panem & poculum Domini edunt & bibunt. ſed ceſſo. Nolunt uideri tales, qui faciant cum Papiſtis, qui impios corpus ac ſanguinem Domini ſumere contendunt, & tamen illa ſic ſacramentalibus ſignis alligant, ut exiſtimentes contingi non poſſe, ne ab impijs quidem, quin corpus ac ſanguis Domini contingantur.

Papiſtæ,

Papistæ, quoniam panis substantiam in corpus Christi mutari affirmant, eò tandem usque facti sunt ridiculi, ut quærant quid edant bruta animalia & mures, si de specie panis ederint: ubi alij existimant edi ab illis ipsum corpus Domini, alij negant. alij dicunt, Deus nouit: quale est etiam quod quærunt, quamdiu sit corpus Christi in ore uel stomacho manducantis: ad quam quæstionem respondent alij, manere illud donec species panis propriam suam formam amittere incipiat: alij, quàm diu species illa apta adhuc sit ad refectionem humanam, donec refectionis operatio compleatur: alij quòd ubi ad secessum uadit, non sit amplius ibi corpus Domini: alij, quòd tam citò in cœlum rapiatur corpus Christi, quàm citò species panis dentibus atteritur. In has angustias abripiuntur, qui simplicitatem uerbi Christi scrupulositate sua peruertunt, & corporalem ex illo corporis ipsius præsentiam alij in pane, alij in speciebus panis præter mentem ipsius statuere præsumunt.

Hactenus obiter perstrinximus, quæ ab illis requirantur, qui uerè sint à Christo in hac ipsius mensa pascendi, & quid sit manducare carnem, ac bibere sanguinem Christi, quidque de manducatione impiorum sentiendum existimemus: iam consequenter adijciendum uidetur, quomodo illi se gerant in hac causa, qui uerè sunt membra Christi, adeoque & corporis ac sanguinis illius participes. 1. Principiò, ante Synaxim, priusquà ecclesiam Dei communicaturi ingrediantur, quòniam norunt se uocatos esse ad mensam Domini, & sacratissimà corporis ac sanguinis illius communicationem, tempus cœnæ expectant cum gaudio, ac cogitationibus præcedentibus ad illam sese præparant, studiosissimè cauentes, ne illotis, ut prouerbio dicitur, manibus, & sine ueste nuptiali inter conuiuas Domini apparentes audiant illud, Amice, quid hic facis, non habens uestem nuptialem? *Quomodò se ueri fideles in cœna Domini gerant.*

2 Deinde in ipsa Synaxi constituti decenter se gerunt erga externa illa, quæ oculis & auribus percipiunt. Audiunt diligenter doctrinam ueritatis, ac uerba Dominicæ institutionis. Orant cum ecclesia fideliter, gratias agunt Redemptori pro ineffabili illius dilectione, qua semetipsum Deo patri pro peccatis totius mundi hostiam reconciliationis obtulit. Si consuetudo sit ecclesiæ, ut Psalmi canantur à plebe, ora sua aperiunt & ipsi ad sacrificium laudis, ac labijs in Domino Deo suo exultant. Vbi ad communionem mensæ Dominicæ accedunt, panem & poculum accipiunt, eduntque & bibunt reuerenter, tanquam sacramentalia corporis ac sanguinis Domini signa, ab ipso Domino tradita. Hæc externè quàm poterunt religiosè, cum cæteris fidelibus peragunt: internè uerò cordibus sursum in cœlos translati, Christum ipsum oculis fidei contemplantur. Hic cortice aperto penetrant ad ipsum nucleum, uerũ animæ cibum & potum, ipsam ueritatem & uitam, ibiq; spiritualiter corpus ac sanguinẽ Christi manducant & bibunt: hoc est, ruminant ac refricant in seipsis manentem in ipsis Christum, & spiritu saginantur, & inebriantur. Sic affecti discedunt, parati ad quæuis tristia pro Christo redemptore ipsorũ ferenda in hoc mundo, ut ueraciter cum Apostolo dicere possint: Viuo iam non ego, sed uiuit in me Christus.

3 Tertiò, ubi ad hunc modum pasti, & non modò Christo tanquam uiti, sed & fidelibus tanquam palmitibus ipsius incorporati sunt, uiuunt ex spiritu Christi, erga fratres humani, erga tribulatos & afflictos misericordes, erga egenos liberales, erga quosuis modesti & humiles, nusquam de seipsis præsumentes, sed toti à gratia Christi Domini ac redemptoris sui pendentes. Vbi ista locum non habent, frustra de cœna Domini contenditur. Hi fructus illius spectari, & altercationes illæ de corporali carnis ac sanguinis Christi in pane & poculo præsentia, impiorumq; manducatione, abijci debebant.

Hactenus tertiam & ultimam materiæ huius de cœna Domini partem, qua potuimus breuitate & simplicitate absoluimus explicuimusq;, quid nos Dominus in causa hac, & ad quid facere iusserit, ideoque præsentem hunc de Sacramento corporis ac sanguinis Domini tractatum secundum diuisionem illius initio præmissam, terminamus. Propositum fuit non discedere à consueta moderatione, quatenus id salua ueritate in causa tam multis ac grauibus contentionibus diuexata fieri potuit. Nec puto me longius ab ea deflexisse. Si res ista pro uotis piorum tractari explicariq; posset, nihil mihi iam olim fuisset optatius, quàm ut daretur idoneus aliquis discrepantium sententiarum conciliator, per quem noxia hęc, & admodum odiosa altercatio tolleretur è medio: tam abest, ut oleum camino plus satis ardenti infundere uelim. Quòd si quid à me dictum est, quod non satis ad propositum libratum esse uideatur, cogitet pius Lector, quàm sit difficile, imò impossibile, sic uersari in causa contentionibus obnoxia, ut nihil uspiam dicas, quod non in alterutram contendentium partem impingat. Meo iudicio, quoniam tot iam annorum experientia constat, causam hanc componi scribendo non posse, propter animorum à se inuicem dissidentium distractionem, nihil erit consultius, quàm ut Ecclesiæ serijs precationibus Dominum orent, ac uelut excitent, ut uentis istis ac procellis, quibus tranquillitas Ecclesiastica turbatur, silentium imponat, & optatæ nobis concordiæ serenitatem clementer restituat. *Epilogus.*

DE

DE MISSA PAPISTICA.

Sua cuiq; ætati consuetudo tyrannis est.

QVANTA sit uis inueteratæ consuetudinis, haud indiligẽter animaduertit, qui illam cuique ætati tyrannidem esse dixit: cuius rei nostris tẽporibus, in religionis nostræ corruptione, præsertim in causa missæ Papisticæ, nimis multa obiiciuntur experimenta, in quibus palàm manifestæ illam ueritati præiudicare uidemus, usqueadeò, ut innumeri sint, qui citius Sacris scripturis contradicturi uideantur, quàm à superstitionibus iam aliquot seculorum usu obfirmatis discessuri: ut mirũ non sit, quòd Iudæi tam pertinaciter auitæ Mosaicæ legis obseruantiæ propter expressas scripturas, malè intellectas, inhærent. Verùm quicquid de illis fiat, præponenda est manifesta ueritas consuetudini quantumuis prolixæ, ac per innumera quoque secula inueteratæ. Quare postquam materiam de cœna Domini absoluimus, & res ipsa poscere uidetur, ut consequenter de missa Papistica, tanquam illius æmula & adultera, subijciamus, puto nos nullis debere uetustatis præscriptionibus impediri, quo minus quid de illa ex uerbo Domini cẽsendum sit, fideliter doceamus. Sit autem hic dicendorum ordo, ut bimembri dispositione dicamus: primò de erroribus qui sunt in substantia missæ Papisticæ, deinde de accessorijs quibusdam illius erroribus & abusibus.

Dispositio.

I. DE SVBSTANTIA MISSAE.

VT quid sit missa Papistica rectè intelligatur, quærenda est illius substantia. Neque enim externa illa, quæ oculis & auribus adstantium ingeruntur missam uulgari modo uocamus: ut sunt scenicæ gesticulationes, genuflexiones, uestitus ac ritus missatici, epistolæ Apostolicæ, Euãgelia, symbolum Apostolicũ, oratio Dominica, Kyrie eleison, Sanctus, Agnus Dei, & si qua sunt alia eiusmodi, de quibus suo loco dicemus: sed id potius, quod sacrifici sacerdotali suæ dignitati ac prærogatiuæ sic adscribunt singulariter, ut à nemine Christiano ori fieri liceat, nisi sit sacerdotaliter unctus, & ad missandum ordinatus. Neque enim mox missam celebrare dicitur, quisquis locum aliquẽ ex Epistolis Apostolicis, aut Euangelicis scripturis, aut ex Psalmis, aut symbolum legit, uel orationem Dominicam dicit. Quin etiamsi ipsa Dominicæ institutionis uerba legerit, & de pane ac poculo Domini communicauerit, non ideo missam celebrasse censetur. Oportet ergo substantiam missæ non esse in ijs, quæ iam recensuimus: sed in eo tantum, quod solis liceat facere sacerdotibus, ad id singulari potestate consecratis. Id autem est, quod asserunt in missa Christum offerri Deo patri per sacerdotem, tãquam inter Deum & Ecclesiam, per eam oblationem mediantem & intercedentem, quæ oblatio ualeat ad remissionem peccatorum, tam mortuorum quàm uiuorum. Hanc opinionem substantiam missæ uocamus: unde per se patet, quid sit illa uocanda, Sacrificium uidelicet pro peccatis uiuorum & mortuorum.

Quæ sit substãtia missæ.

Quòd autem hæc de missa Papistica prædicentur, non est, opinor, sacrificulorum quisquam qui neget. Et in canone missæ mox in ipso ueluti uestibulo sic dicitur: Vt accepta habeas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata, in primis quæ tibi offerimus, pro Ecclesia tua sancta catholica. Et post eleuationem, quę ueluti symbolum oblationis est, dicunt: Offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panẽ sanctũ uitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ, &c. Et in fine: Placeat tibi sancta Trinitas obsequium seruitutis nostræ, & pręsta, ut hoc sacrificiũ, quod oculis maiestatis tuæ indignus obtuli, sit tibi placens, mihiq; & omnibus pro quibus illud obtuli, propitiabile, &c. Et in missa pro defunctis: Hostias & preces, inquiũt, tibi Domine offerimus, tu suscipe pro animabus illis, quarũ hodie memoriã agimus, fac eas de morte trãsire ad uitã. Hæc ibi.

Verba canonis

Vindicant ergo sibi ac missis suis sacrificuli hæc tria. Primò, quòd dum missant (loquor ipsorum more) per missam suam officium mediationis inter Deũ & Ecclesiam peragant. Deinde, quòd in missa offerant corpus ac sanguinem Christi. Tertiò, quòd opere oblationis huius impetrent à Deo omnis generis bona, & remissionem peccatorum, tam mortuis quàm uiuis, & meritum passionis Christi applicent, quibus ipsi uoluerint. Si hęc poterunt authoritate uerbi Dei firma reddere & authentica, non erit ulla ratio, ob quam missæ ipsorum contradicatur: sin minus, non poterit esse Christiani hominis alicuius illam facere, & non magis ex animo reprobare, tanquam diuinæ ueritatis obscuratricem.

Quæ missæ suæ tribuant sacrificuli.

Dicendum igitur cum primis est de mediatione hac sacerdotali, oblatione & efficacia missæ Papisticæ, quandoquidem in illis ueluti substantia illius propter quam reprobabilis est, consistit. Imperiti homines admodum mirantur, quãnam de causa sacrosancta hæc missa tam spectabilis, tamq; religiosis uerbis ac ritibus ornata, damnetur. Quomodo, inquiunt, mala esse poterit, cum in se contineat tam multa bona, quę nemo uituperare poterit, nisi sit ex professo impius? Verùm, qui cordati sunt, nõ iudicant de illa secundum ea quæ extrinsecus adhibẽtur, sed inspiciunt illius substantiam & sacrificantium intentionẽ. Cum hominẽ malum esse dicimus, culpamus

Quomodo missa possit esse mala.

culpamus in illo, non ea quæ à Deo sunt creata, illiq; diuinitùs data: sed maliciam cordis, quæ est ex satana, per quam etiam ea quę bona sunt in illo, deprauantur. Consimili modo dum missam reprehendimus, non damnamus in illa orationem Dominicam, Symbolum, Epistolas, Euangelia, &c. sed opinionem mediationis, oblationis, applicationis, & quæ alia uerbo Dei repugnantia accesserunt.

I. AN SACRIFICVLVS DVM MISSAM celebrat, mediatorem agat inter Deum & Ecclesiam.

HAc de re Gabriel Biel scribit ad hunc modum: In missa agitur nostra causa coram summo iudice Christo, Deo nostro per sacerdotem, tanquam per nunciũ intermedium inter sponsum & sponsam, Christum scilicet & Ecclesiam, qui deducit causam Ecclesiæ, imperans ei orationibus & sacrificio plurima dona: nunc conuersionem peccatorum per gratiam, nunc conuersationem iustorum in gratia, nunc contra mundi pericula firmamentum, nunc custodiam angelorum, nunc refrenationem tentationum, nunc purgandarum animarũ liberationem, & ita de alijs multis. Hæc ille. Ex hac opinione factum est, ut quæcunq; impetrare uolunt à Deo, per officium missæ impetrare conentur. Et hanc mediationem Pontificij sacerdotes non meritis suis, sed officio sacerdotali adscribunt. Quoniam enim sacerdotij munus est, mediatorem agere inter Deum & populum, ideo postquam sibi sacerdotium uindicare cœperunt, consequenter & mediationem hanc usurpant. Quòd autem sacerdotis officium sit intercedere ad Deum pro populo, ad Ebræos cap. 5. uidere licet.

Gabriel Biel.

Sacrificulũ esse mediatorem inter sponsum et sponsam.

Ad ista quid cogitandum est homini Christiano? Puto nõ aliud, quàm requiri meritò, ut ex Sacris scripturis probentur. Scriptum enim est ad Ebr. cap. 5. Nemo sibijpse sumit honorem. quemadmodum neq; Christus seipse clarificauit. Poscimus igitur scripturas, non quibus se legitimos esse sacerdotes, adeoq; & mediatores inter Deum & Ecclesiam probent: sed quibus nos doceant esse constitutum à Deo eiusmodi externum Noui testamenti sacerdotium, quod ad similitudinem Aaronici ac legalis non sit omnium fidelium communiter, sed eorum tantum, qui ab episcopis ad sacrificandum unguntur & consecrantur. Nolumus hic inquirere in modos, quibus pleriq; ad hoc ipsorum sacerdotium aspirant, & rationes quibus ut sacerdotes fiant permouentur, de quibus in Decretis quidem Pontificum permulta leguntur: ipsi uerò Pontifices prorsus nulla cura tãguntur, & interim proprio arbitratu ac libidine uilissimos quosq; in consortium sacerdotale recipiunt, per quos bona Ecclesiæ, quę olim pauperũ erant usibus deputata, turpiter deuorentur. De his quàm fiant licitè, scripturas non poscimus: quod faceremus, si ipsum sacerdotium, quod sibi uindicant, probaremus. Doceant nos, esse illud diuinitùs institutum in ecclesia Noui testamenti, & ab Apostolis usurpatum. Doceant autem neq; ex scripturis Patrum, neq; ex consilijs Episcoporũ, neq; ex inueteratæ cõsuetudinis prę-scriptione, sed ex Sacris & Canonicis scripturis, quibus solis conscientiæ fidelium de authoritate diuinæ uoluntatis, & institutionis in hac causa, quemadmodum & in alijs fidem nostram concernentibus certificari possunt.

Probandum ex scripturis, tale esse sacerdotiũ institutum à Deo.

Quòd si consulantur & inspiciantur Sacræ scripturę de ministris, quos Ecclesiæ suæ Dominus in nouo Testamento dedit, nulla reperitur sacerdotij huius mentio. Verùm suprà separato loco de sacerdotio Noui testamenti, abundè ostendimus, Papisticum hoc sacerdocium nullis posse Sacris scripturis defendi, sed merum esse Antichristi commentum, quo mundus hic innumeris superstitionibus dementatus est, ac falsis cultibus adobrutus. Quare Lectorem ad eum locum, quod sacerdotium hoc attinet, remittimus.

Dicunt Episcopos & presbyteros fuisse sacerdotes. Si Episcopũ & presbyterum esse, idem est quod esse sacerdotem: ergo sacerdotem esse, est esse Episcopum & presbyterum. Tot igitur habent Episcopos & presbyteros, quot habent sacerdotes, quod nemo ex ipsis dicturus est unquam. Si uerò non mox idem est, esse Episcopum & presbyterum, quod esse sacerdotẽ, atq; ita non mox Episcopus & presbyter est, qui sacerdos est: ergo sacerdotũ ordo aliud quiddam est ab ordine Episcoporum & presbyterorũ, usq; adeò, ut Gabriel Biel lectione 26. sacerdotem missatorem summũ gradum in Ecclesiastica politia tenere dicat. Nihil itaque est quod prætexunt, Episcopos & presbyteros à Domino institutos fuisse sacerdotes. Episcoporum quidem & presbyterorum ordinem à Domino esse legimus, sacerdotum uerò non ita. Quare probandum ipsis est, instituisse Dominum sacerdotes in Ecclesia, cum Episcopos & presbyteros institueret. Episcopi officium est, ut sit in Ecclesia sua superintendens, & curam omnium gerat, id quod & Seniorum est officium, sicuti uidere est Dist. 93. Sic erant multi unius Ecclesiæ Episcopi, Act. 20. quia multi erant Seniores. Sic se Apostoli Seniores uocarunt, 1. Pet. 5. & in secunda ac tertia Canonica Ioannis. Quod autẽ subsequentibus temporibus unus est ex Senioribus electus, qui cæteris præponeretur, in schismatis factum esse remedium, scribit Hieronymus. Verùm nihil huius competit sacerdotibus, quos sine impudentia Episcopos ac Seniores uocare non possunt.

An Episcopi et presbyteri fuerint sacerdotes.

Officium Episcopi & seniorum.

Apostolos, Episcopos & Seniores in antiquis cõcilijs & Patrum scriptis, Ecclesiasticisq; historijs sacerdotes uocatos esse dicunt, & citant Epiphanium, Epistolas Cassiodori, Platinam, Eusebium ac Dionysium. Si contenderimus simpliciter de nomine hoc Sacerdos, & non potius de ipso sacerdotio, quod sibi uindicant, aliquid in medium adferre uiderentur. Verùm ci quæstio sit non de nomine Sacerdos, sed de sacerdotio Papistico, probandum ipsis est, sacerdotij nomine idem esse intellectum tum temporis, quod postea intelligi cœpit. ἱερεὺς Græcis est sacrorum minister, non is modò qui consecratus sit ad immolandum uictimas, sed quisquis diuinis esset rebus curandis præpositus. unde ἱερατικὸν inquiunt, est ὃ περὶ τὴν θεὶαν λειτουργίαν, id est curam earum rerum quæ ad Deum pertinent: & ἱερεργὸς, is qui sacris operatur. Hoc sanè sensu Apostoli, Episcopi, Presbyteri, Pastores & Doctores, utiq; sacerdotes fuerunt, eo quòd diuinis ac sacrosanctis regni Dei mysterijs essent deputati diuinitùs. At in prima Ecclesia uocatos eos fuisse sacerdotes, nemo facile probauerit. Verùm non contendimus simpliciter de nomine Sacerdos, sed constanter negamus sacerdotium hoc Papisticum & missaticum, institutum esse à Domino, quo sacrificatores à suffraganeo Episcopo potestatem consecrandi pro uiuis ac mortuis, & meritum passionis Christi, quibus uoluerint applicandi, cum ceremonia sacerdotalis unctionis accipiunt. Quare nec mediationem illam sacerdotalem, quam in Ecclesia quasi ad officium sacerdotale peculiariter pertinentem usurpant, probari posse concedimus,

AN IN MISSA OFFERANTVR DEO *patri corpus & sanguis Christi.*

Verba Canonis.

IN Canone missæ mox initiò sic dicunt: Te igitur clementissime pater, per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus & petimus, uti accepta habeas, & benedicas hæc † dona, hæc † munera, hæc sancta † sacrificia illibata, &c. De quibus sacrificijs loquantur hoc loco, uidendum est. Haud de uno aliquo, sed de multis numero plurali loquuntur: quare hæc uerba de unica Christi oblatione intelligi non possunt, præsertim cum dicantur prius quam panis in corpus, & uini in sanguinem facta sit transmutatio, quam consecrationi suæ tribuunt.

Quòd si panem & uinum illibata sacrificia uocant, faciunt hoc præter cœnæ Dominicæ prescriptum. Neq; enim Christus panem & uinum Deo patri obtulit, sed discipulis dedit, & corporis ac sanguinis sui sacramentum esse uoluit.

De Melchizedeko.

Citant huc historiam Melchizedek, de quo Gen. 14 legitur, quòd Abrahæ post cædem regum Orientalium, cum ad sua rediret, occurrerit, illiq; panem & uinum protulerit: in quo facto putant se inuenire figuram sacrificij missæ suæ, eo quòd Christus Psal. 110 sacerdos secundum ordinem Melchizedek uocatur.

Melchizedek nõ obtulit Deo panem, sed protulit Abrahæ.

Verùm animaduertere diligentius debebãt, non obtulisse Melchizedekum Deo, sed protulisse Abrahæ panem & uinum, tanquam lasso, quo exercitus ipsius reficeretur: idq; nõ ut sacerdos Dei, sed ut rex Salem. Et uox Ebræa הוציא non offerre, sed proferre ac producere significat. Habet autem textus ad hunc modum: ומלכי צדק מלך שלם הוציא לחם ויין והוא כהן לאל עליון ויברכהו ויאמר ברוך אברם לאל עליון קנה שמים וארץ id est, Et Melchizedek rex Salé protulit panem & uinum: & erat sacerdos Dei excelsi, & benedixit ei, ac dixit: Benedictus Abram Deo excelso, qui possidet cœlum ac terram. Hæc ibi. Quare alienum est à ueritate textus Ebraici, quod uulgata Latina uersio habet: Erat enim sacerdos Dei altissimi: quasi hęc reddatur ratio, propter quam Melchizedek protulerit panem & uinum, quòd uidelicet esset sacerdos Dei, cum non ut sacerdos hoc fecerit, sed ut rex, ut sacerdos uerò benedixerit Abrahæ: atque ita quod in Ebræo est, Et erat sacerdos Dei excelsi, referendum est ad id quod sequitur. Et benedixit ei. Est enim propositum Mosis, utrunq; & regis & sacerdotis opus à Melchizedeko præstitum Abrahę, competẽti distinctione exprimere: ideo narrat de eo primùm quòd fuerit rex Salem, & protulerit in occursum Abrahę panem & uinum: deinde, quòd fuerit etiam sacerdos Dei excelsi, & tanquam sacerdos benedixerit Abrahę. Quare cum benedictionis esset mentionem facturus, præmisit, quòd fuerit sacerdos Dei excelsi, ne quis factum hoc temeritati adscribat. Et hinc est, quod author Epistolæ ad Ebræos cap. 7. ubi confert sacerdotium Melchizedeki cum sacerdotio Christi, panis ac uini nullam mentionem facit: meminit uerò benedictionis, cum de pane ac de uino cum primis facienda fuisset mentio, si ad sacerdotium Melchizedek ac Christi prolatio illorum pertinuisset. Itaq; nihil habet historia hæc Melchisedek, quod oblationi sacrificulorum patronicetur, ut taceam, quòd panis & uinum ad oblationem propitiatoriam pertinere non possunt, quam missis suis adscribunt. Quid autem ad ista nobis obijciant, & quid nos respondeamus, in Anticochleo nostro uidere licet.

Ebr. 7.

Oblationes primarum Ecclesiarum. Oblaten.

Primis quidem Ecclesijs hoc in more fuisse constat, ut ad cœnæ Dominicæ communionem conferrent, qui ditiores erant, panem, uinum & alia ad reficiendos pauperes pertinẽtia. Nam cõmuni mensa egenos recipiebant ac recreabant, quæ ob id Agape, id est dilectio dicebatur.

qua

qua de re in Apologetico Tertulliani legitur ad hunc modum: Cœna noſtra de nomine rationem ſuam oſtendit. Vocatur ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos eſt. Quantiſcunq; ſumptibus cõſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum. Siquidé inopes quoſq; refrigerio iſto iuuamus. Hæc ibi. quale quid & à Pontio Paulino in libello de Gazophylacio memoratur. Et huiuſmodi cõtributio, oblatio ſancta, Deoq; accepta uocabatur, quemadmodum & ea quæ Apoſtolo à Philippenſibus ſubſidij gratia per Epaphroditum mittebantur, bonam fragrantiá, oblationemq; acceptam, ac Deo gratam uocari legimus. Verùm oblatio iſta non eſt quorundam tantùm, tanquam ſacerdotum, ſed fidelium omnium: quam tamen iam olim ſacrifici non amplius in pauperes diuidere, ſed in fomenta libidinis ac luxus ſui impendere cœperunt. Adhæc, eiuſmodi oblationi non tribuebatur, quod ipſi Miſſæ ſuæ tribuunt. *Tertull.*

Porrò, poſt initium Canonis ſic dicunt: Memento Domine famulorum famularumq; tuarum, N. & N. & omnium circunſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, uel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, pro ſe ſuisque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ, tibiq; reddunt uota ſua æterno Deo, uiuo & uero. Hic mentionem faciunt ſacrificij: uerùm id tale non eſt, ut Miſſæ ipſorum propriè conueniat, & ab ipſis ſolis offerri debeat. Nam commune eſt omnibus fidelibus ſacrificium laudis, de quo hic loquũtur, ſic ut ab omnibus tam priuatim quàm publicè ſit offerendum: quod & ipſi teſtantur, quum non ſimpliciter dicunt, Pro quibus tibi offerimus: ſed addunt, Vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis pro ſe ſuisq; omnibus, pro redemptione animarũ ſuarum, pro ſpe ſalutis, &c. quod nihil eſt aliud, quàm qui te laudant & extollunt, propterea quòd cùm ipſos, tum eos qui ſunt ipſorum, multis ac magnis beneficijs cumulaſti, animas ipſorum redemiſti, ſpemq; ſalutis præſtitiſti. Quanquam hęc nõ iſto ſenſu pleriq; ipſorum dicunt: ſed de illis tantùm intelligunt, qui Miſſam, cui aſtant, pecunia ſua redemerunt. Illis ſacrificium hoc laudis adſcribunt, propterea quòd à ſacrificãte ſacerdote ipſorum nomine offertur, etiamſi illi nihil huius cogitent, ſintq; ad ſacrificandum Domino ſacrificium laudis omnium ineptiſſimi. *Verba Canonis.* *Sacrificium laudis cõmune eſt fidelibus omnibus.*

Quicquid hic illi faciant, id conſtat, cœnam Domini uocatam eſſe à ueterib. Euchariſtiam, id eſt gratiarum actionem, & ſacrificium laudis: propterea quòd in illa fideles pro gratia redẽptionis partæ per Chriſtum, ſolennes ſolebant agere gratias. quò ſpectauit Dominus, cùm diceret: Hoc facite in mei rememorationem. & Apoſtolus dicens: Quotieſcunq; comederitis de hoc pane, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec ueniat. Pertinet autem hoc laudis ſacrificium, peculiariter ad populum noui Teſtamenti, ſic ut poſt ſacrificiũ redemptionis in eccleſia Chriſti iugiter ſit offerẽdum Domino redemptori ac ſeruatori. Et hoc ſibi retinuit Deus, cùm ſacrificia Iudæorum abijceret, ſicuti uidere eſt Pſalmo 50. ubi Propheta ſub perſona illius canit, dicens: Sacrificans laudem honorat me. Et Auguſt. hunc Prophetæ locum citans, ſacrificium laudis, Noui dicit eſſe teſtamenti ſacrificium, ad Honoratum De gratia noui Teſtamenti. Et in Sermone contra Iudæos, cap. 9. & lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 86. & contra aduerſarios legis ac prophetarum, libro 1. cap. 20. quemadmodum & Tertullianus contra Iudæos, ſacrificium laudis mundam dicit eſſe oblationem, quæ Deo iuxta uaticinium Malachiæ, à ſolis ortu ad occaſum uſq; in omni loco offeratur. *Euchariſtia.* *Auguſtinus.* *Tertull.* *Vaticiniũ Malachiæ.*

Verùm & hoc genus ſacrificij non eſt quorũdam tantùm, qui raſi ſint & uncti: ſed Chriſtianorũ omnium, qui memores acceptæ ſalutis gratias agant Domino, à quibus etiam ſolis ritè poteſt offerri. Peccatoribus enim dicit Deus: Quare ſumis Teſtamentum meum per os tuũ? Pſal. 50. Et ſcriptum eſt: Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Quare non admodum hoc ſacrificio delectantur ſacrificuli, ſed aliud commenti ſunt, quod pro Miſſę habendum ſit ſubſtantia, & ab omnibus tam malis quàm bonis poſsit offerri. *Sacrificium laudis non poteſt offerri à quibuslibet.*

Hoc exprimunt, cum poſt conſecrationem dicunt: Offerimus præclaræ maieſtati tuæ de tuis donis ac datis hoſtiam † puram, hoſtiam † ſanctam, hoſtiam † immaculatã, panem ſanctũ † uitæ æternę, & calicem † ſalutis perpetuæ. De terreno ac menſario pane & uino non poſſunt iſta intelligi. Etenim neq; ille panis uitæ æternę, nec iſtud calix ſalutis perpetuæ uocari poteſt. Et ipſi ſacrifici non concedunt poſt conſecrationem adhuc eſſe in altari panem & uinum, ſed contendunt, de ipſo hęc Chriſto eſſe intelligenda, quòd ille ſit panis uitę æternę: atq; ita affirmant, offerre ſe in Miſſa Chriſtum ipſum. *Verba Canonis.*

Principiò, quicquid affirment, ſi quod manifeſtè uerũ eſt, fateri uolunt, non poſſunt in Miſſua ueraciter facere, quod Chriſtus in ultima illa cœna, neq; fecit ipſe, neque nos facere iuſsit & inſtituit. Legantur autem quę ſcripta ſunt à Matthęo Marco, Luca & Paulo (nam prętereà nihil hac de cauſa in ſcriptis Euangelicis & Apoſtolicis reperitur) & uideatur an in cœna Chriſtus obtulerit corpus ac ſanguinem ſuum Deo patri, & ut nos idem faciamus inſtituerit. Panem fregit, gratias egit, dedit diſcipulis, dicens: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur. Et poculum ſimiliter diſtribuit inter diſcipulos, dicens: Accipite, bibite ex eo omnes: Hoc poculum nouum Teſtamẽtum eſt in meo ſanguine, qui pro uobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Et utrobiq; adiecit: Hoc facite in mei rememora- *Chriſtus in cœna non obtulit, nec offerre iuſsit.*

tionem. Quid est, obsecro, in hisce uerbis, quod ad oblationem corporis ac sanguinis Christi in Missa faciendam referri possit? Corpus ac sanguinem suum Christus non in cœna, sed sequenti die in cruce obtulit. Nobis uerò non præcepit, ut quod in cruce facturus erat, sed quod iam in cœna fecerat, in sui memorationem faciamus. Quare uerò non conueniat, ut faciamus in hac causa, quòd Christus nec fecit in cœna, nec mandauit, ut à nobis fiat, audiant Cyprianum,

Cyprianus. qui lib. 2. Epistola tertia, sic scribit: Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit, sed quid qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei ueritatem, quum per Esaiã prophetam Deus loquatur & dicat: Sine causa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes. Et Dominus in Euangelio: Reijcitis, inquit, mandatum Dei, ut traditionem uestram statuatis. Et paulo pòst, Exponere iustificationes & Testamentum Domini, & non hoc idem facere, quod fecit Dominus, quid aliud est quàm sermones eius abijcere, & disciplinam Domini contemnere? nec terrena, sed spiritualia furta & adulteria committere, dum quis de Euangelica ueritate furatur Domini nostri uerba & facta, & corrumpit & adulterat facta diuina. Hæc ille. Quum ergo oblationem Missę suæ nec facto, nec institutione Domini authenticam reddere queant, quid aliud relinquitur, quàm quòd humanam traditionem & doctrinam in ecclesia Christi inferenda temeritate fidelibus proponentes, mandatum Dominicum corrumpant & adulterent?

Nõ potest Christus denuò offerri. Deinde oblatio corporis & sanguinis Christi sic comparata est, ut semel perfecta in cruce, nequeat fieri denuò. Nam Christus semel offerendo sese mortuus est, & resurrexit: nec fieri potest, ut moriatur posthac iterum. Nec potest esse uictima Christi ad remissionem peccatorum, quæ sit ἀναίμακτος. qua de re uidere est Ebr. 9. Oblatio & mors Christi sic sunt cõnexę, ut neque altera sine altera re ipsa perfici. Quare qui Christum denuò conantur offerre re ipsa, idq; ad remissionem peccatorum, eadem ratione conantur illum & crucifigere denuò. Faciunt hoc quidem multi crucifigentes semetipsis filium Dei: ipsum uerò Christum in se crucifigere denuò potest nemo, adeoq; nec offerre. Et hinc est, quòd non nisi unica oblatione consummauit in sempiternũ sanctificatos: propterea uidelicet, quòd oblatio ipsius mortem cruentã requirebat: ipse uerò non sæpius, sed semel tantùm mori potuit, Ebr. 9.

Non potest offerri Christus, nisi à seipso. Tertiò, nõ potest Christus offerri à quoquã, nisi à seipso: propterea quòd ipse unicus est mediator inter Deũ & nos. Non modò oblationẽ reconciliationis esse illũ oportebat, sed & à nullo alio quàm à seipso, tanquam summo sacerdote offerri. Offerri inquam, quia nõ loquor simpliciter de traditione, qua traditus est à Deo patre, à Iuda, à Iudæis & à Pilato: sed de oblatione, qua obtulit semetipsum Deo patri, tanquam sacerdos, mediator & reconciliator.

Oblatũ non est potius offerente. Præterea fieri nõ potest, ut oblatio potior sit offerente, Deoq; quàm ille acceptior: quod tamẽ sic esse oporteret, si sacrificulus in Missa sua Christũ offerret. Oblatio placet Deo, propter offerentem. Si ille non placuerit, nec oblatio placere poterit. Placebat sacrificium Habel, propter personã offerentẽ: displicebat sacrificiũ Cain, quia Cain ipse displicebat. Sic oblatio Christi, corpus uidelicet illius traditũ in mortem, & sanguis effusus in cruce, placet Deo patri, propter ipsum offerentem unigenitũ, unicè dilectum, propter quem & usq; adeò accepta est, ut efficax sit ad totius generis humani redemptionem.

Hisce argumentis, in quibus nihil est ambigui & obscuri, abundè patet, fieri non posse, ut Christus denuò offeratur: iam de eo quoq; dicendum est, sit' ne necessarium, ut sæpius offeratur. Quanquã ubi monstrauimus, fieri hoc non posse, simul monstratum est, necessariũ quoq; non esse, ut fiat. Etenim quæ necessaria sunt factu, nisi fieri possint, præter rationem (de ijs liquor quæ nobis sint facienda) sunt necessaria. Verùm peculiari argumento declaremus, necessarium non esse, ut Christus sæpius offeratur.

Non est necessarium, ut Christus denuò offeratur. Oblatio Christi pro peccatis nostris est facta, & per hãc illa nobis sunt remissa. Sic enim dicit: Qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Ergo impetrata semel peccatorum nostrorum remissione, necessarium nõ est, ut oblatio Christi iteretur. Huc

Ebr. 10. cit, quod Ebr. 10. legitur ad hũc modũ: Porrò ubi horũ (id est peccatorũ) est remissio, non est amplius oblatio pro peccato. Hæc propositio tam est certa & manifesta, ut nullã requirat comprobationem, quicquid in contrarium adferant aduersarij. Est hæc conditio sacrificij Christi, ut semel factum, consummauerit ut redemptionis, ita & reconciliationis opus, ut nõ sit ratio propter quam repetatur, posteaquam semel nobis peccatorum remissionem impetrauit.

Quòd autem impetrata sit illa per sanguinem noui & æterni Testamenti, loco iam citato docetur: Testificatur autem nobis & ipse Spiritus sanctus, nimirum cum prædixerit, Hoc est Testamentum quod condam erga illos, post dies illos, dicit Dominus, dans leges meas in cor illorum, & in mentes illorum inscribam eas, & peccatorum atq; iniquitatum illorum non recordabor amplius. Manifestum uerò est, dicta hęc esse de nouo Testamento, ex 31. cap. Hieremiæ: unde probatur nolle Deũ recordari peccatorũ fidelium suorũ, quos noui uoluit esse Testamenti consortes. Et hanc gratiam confirmat Apostolus diligenter, ex uirtute & efficacia oblationis Christi, quæ semel in cruce facta consummauit in sempiternum sanctificatos. In qua

Hierem. 31.

uolun-

uoluntate, inquit, sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel peractam. Et omnis quidem sacerdos assistit quotidie sacra peragens, & easdem sæpius offerens hostias, quæ nunquam possint auferre peccata. Hic uerò una pro peccatis oblata uictima perpetuò sedet ad dexteram Dei, id quod superest expectans, donec reddantur inimici ipsius scabellum pedũ eius. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificantur. Hinc exhortationem subtexens dicit: Cum igitur fratres, habeamus libertatem adeundi in sancta per sanguinem Iesu, ea uia quam dedicauit nobis recentem ac uiuentem, per uelamentum, hoc est per carnem suam: cumq; habeamus sacerdotem magnum præfectum domui Dei, accedamus cum uero corde in certitudine fidei, aspersi cordibus, ac depulsa conscientia mala, & abluti corpore aqua pura, teneamus confessionem spei non uacillantem: fidelis enim est qui promisit, &c. Constat igitur ex præmissis, esse in nouo Testamento remissionem peccatorum, ac repurgatas esse fidelium conscientias, per unicam oblationem corporis Christi semel factam, & per hanc patêre nobis aditum in sancta ad ipsum usq; thronum gratiæ. Quare concludimus, non esse in nouo Testamento aliquid rationis, propter quam denuò ac sæpius offerri debeat corpus Christi pro peccatis nostris: quandoquidem per unicam illius oblationem semel in cruce factam impetrata nobis est, qui credimus in sanguinem noui Testamenti, remissio peccatorũ, consummatio sanctorum, purificatio conscientiarum, & copia in sancta ad thronum gratię bona cum fiducia introeundi.

Huc pertinet quod Chrysostomus super Epistolam ad Ebr. cap. 10. ad hunc modum dicit: Quemadmodum medicina, si tam est efficax, ut semel usurpata morbum tollat, non est denuò usurpanda, alioqui argumentum de se præbet, quòd sit inefficax, si iterum atq; iterum usurpanda ueniat: ita comparata est & hęc Christi oblatio. Veteris Testamenti sacrificia quotidie iterabantur, propterea quòd essent inefficacia: uerùm Christi oblatio semel facta perfectam contulit salutem, ut non sit necesse illam quotidie, ut tradunt aduersarij, sacrificando ad remissionem peccatorum repetere. *Chrysostomus. Simile.*

Obijciunt aduersarij, quę utcunq; pro defensione sacrificij sui facere posse existimant, quo insignem quæstum ac nundinationem retineant. De illis loquor, qui absq; pudore quæstum Missarium exercent in ecclesia. Scio multos esse, qui zelo præter sciẽtiam ducantur, putentq; se supremum Christianæ religionis tueri cultum, dum Missam tuentur. Horum oculos illuminet Dominus, ut agnita ueritate, cessent pugnare pro mendacio,

1 Semper, inquiunt, fuit sacerdotũ officium offerre pro peccatis populi, iuxta illud: Omnis põtifex ex hominib. assumptus, pro hominib. constituitur in his quę sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit ijs qui errant: quoniam & ipse circundatus est infirmitate: & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro seipso offerre, Ebr. 5. Respondemus, hæc esse dicta de summo sacerdote ueteris Testamẽti ac sacrificijs legalibus, nec posse referre ad Nouum testamẽtum, nec ad aliquod genus sacerdotum, quod nõ sit expresè constitutum à Deo. Offerebant in lege sacerdotes pro peccatis populi: uerùm sacrificia illorum non auferebant peccata, neq; mundabant conscięntias offerẽtium, quę soli competunt Christi sacrificio. Quid ista ad tẽpus noui Testamẽti, in quo unico Christi sacrificio peccata nostra sic expiantur, ut non sit reliqua pro peccatis hostia necessaria? *Obiectiones Papistarum. Omnis Pontifex. Ebr. 5. Ebr. 10.*

2 Deinde citant & illud Malach. 1. Non est mihi uoluntas in uobis, nec munus accipiam de manu uestra. A` solis enim ortu usq; ad occasum, magnum est nomẽ meum in gẽtibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Prędixit, inquiunt, Propheta hic cessationẽ sacrificiorum legalium, & institutionẽ sacrificij nouæ legis, corporis uidelicet Christi, quod in Missa ubiq; tanquam oblatio munda offertur. Primò, non habet hic locus uaticinium de futuro Noui testamẽti sacrificio, sed corripit sacrificos legales, qui displicebant Domino propter grauia uitia: negatq; sacrificia illorum acceptari à Deo, eo quòd illi displicerẽt, ut quæ hic dicuntur, magis ad reprobationem quàm ad commẽdationem sacrificantium Missatorum faciant: quorum sacrificia, etiam si diuinitùs essent instituta, sicuti erant legalia, haud tamẽ alicuius in conspectu Dei haberentur momẽti. Vehemẽter miror, quid cogitẽt, qui hunclo cum pro sacrificio suo citant, cum disertis uerbis dicatur à Deo: Non est mihi uoluntas in uobis, nec munus accipiam de manu uestra. Ergo non accipit eorum oblationem Deus: quorum personas auersatur. Non erat uoluntas illius in sacrificis Iudęorum. Quare? Quia non propter ipsum, sed propter quæstum studebant offerendis sacrificijs. Inspice hodie totius sacerdotalis ordinis studia, & uide quotusquisq; sit, qui non uentris & ocij gratia sacrificet. Sed regerunt: Etiamsi nos oculis Domini displiceamus, placet tamen illi sacrificium quod offerimus, corpus uidelicet & sanguis Christi, hoc est Christus ipse. Ah miseri, quid si dicat uobis Deus, Christum filium meum agnosco: qui autem uos estis? Seipsum ille mihi pro peccatis mundi obtulit, quis à uobis requirit, ut uos ipsum denuò offeratis? *Malach. 1. Oblatio mũda*

Deinde, si locus hic Malachiæ intelligendus est de oblatione Missæ: ergo tempore prophetę missabatur, idq; in omni loco. Quòd si contenditis, dictum esse non in præsenti, sed in futuro: quod tamen omnino alienum est à uero, consequitur post natum Christum hodie ubiq; ter

rarum à solis ortu ad occasum usq; missari: quod tamen nunquam factum est, neq; fiet ad finē usq; mūdi. De sacrificio laudis rectè hoc intelligitur, quo nomē Dei ubiq; terrarū ab omnibus electis glorificatur. Et Malach. 3. scriptū est, inquiunt: Et purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurū & argentū, & erunt Domino offerētes sacrificia in iusticia, & placebit Domino sacrificium Iuda & Hierusalē, sicut dies seculi & anni antiqui. Ecce, inquiunt, Saluator purgauit sacerdotes Euangelicos, ut offerant sacrificia, non in sanguine, sed in iusticia: id est eucharistia. Respōdeo: Non loquitur hic de alijs sacerdotibus, quàm legalibus, sicuti mox initio cœpit hic Propheta, ideoq; uocat eos disertè filios Leui. Quare tortum est ac falsum, quòd referunt hæc ad sacerdotes Euangelicos. Minatur sacerdotibus legalibus Deus, quòd uelit eos colare & expurgare: hoc est impios ex illis è medio tollere, quemadmodū scoria conflando tollitur ab argento, ut sublatis illis, reliquiæ purius sacrificent. Non loquitur de mutatione sacrificiorum legalium, sed de expurgatione ac cribratione sacrificulorum. Quòd aūt dicit, Et erunt Domino offerentes sacrificia in iusticia: non excludit legalia sacrificia, quòd essent cruenta: sed futurū prędicit, ut ea ipsa religiosius ac purius offerantur, quàm antea. Si sacrificium iusticiæ esset oblatio Missæ, ergo iussisset Dauid Iudæos suo tempore celebrare Missas, ubi dixit Psal. 4. Sacrificate sacrificia iusticiæ. Verùm quum hic additur, Sicut dies seculi & anni antiqui: an non disertè innuitur, non esse hæc intelligenda de noui Testamenti sacrificio, quòd sit in Missa, nisi dicturi sumus à diebus seculi & annis antiquis fuisse missatum. Tertull. lib. aduersus Iudæos, & lib. 3. contra Marcionem, locum hunc Malachiæ de sacrificio laudis exponit.

Malach. 3. *Erūt Domino offerētes sacrificia.* *Tertullianus.*

4 Adhuc obijciūt illud Daniel. 12. Cùm ablatū fuerit iuge sacrificiū, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. Iuge sacrificium, inquiunt, est Missa, quod fermè per quatuor annos in aduentu abominationis, id est Antichristi, cessabit uniuersaliter, quum desolatæ erunt ecclesiæ. Quare qui in particularibus ecclesijs faciunt cessare iuge sacrificium Missæ, sunt præcursores Antichristi. Respondeo: Iuge sacrificium erat in lege sacrificiū matutinum & uespertinum, quod ante destructionem Hierusalem sublatum est. Abominatio desolationis à Hieronymo exponitur super Matth. cap. 24. ad hunc modū: Potest simpliciter aut de Antichristo accipi, aut de imagine Cæsaris, quam Pilatus posuit in templo, aut de Hadriani equestri statua, quæ in ipso sancto sanctorum loco usq; in præsentem diem stetit. Abominatio quoq; secundum ueterem scripturam, idolum nuncupatur: & idcirco additur, Desolationis, quòd in desolato templo atq; destructo idolum positum sit. Hæc ille. Et Chrysostomus: Ad Danielem eos, inquit, remisit. Abominationem autem statuā appellat eius, qui urbē erat expugnaturus: qua desolata, atq; subuerso templo intus illam statuit, quocirca & Desolationis illam appellauit. Sic iste. Verùm sunt qui Prophetam loqui dicant de desolatione templi, quæ facta est per Antiochum, annosq; durauit tres cum dimidio, sicuti uidere est 1. Machab. 1. 2. & 4. Quam desolationis abominationem intelligat Christus, Matth. 24. in Commentarijs nostris super Matthæum diximus. Nihil est igitur, quod aduersarij ex hoc Dannielis loco pro Missę suæ defensione adducunt.

Dan. 12. *Iuge sacrificiū.* *Hieronymus.* *Chrysostomus.*

5 Citant etiā scripta Patrum, qui more suorum temporū cœnam Domini sacrificium corporis Christ uocarunt. Verùm illi nec de Missa papistica, nec sensu proprio, sed improprio loquuti sunt, sacrificium uocantes id quod non sacrificium, sed rememoratio est unici sacrificij Christi. Sic Chrysostomus super Epistolam ad Ebr. Serm. 17. dicit: Quid igitur? An non & nos quotidie offerimus? Offerimus quidem, uerùm rememorationem facimus mortis eius. Et, Una est hæc uictima, non multæ. Quomodo una est, non multæ? Quoniam semel oblata est. Illa in sancta sanctorum illata est, hoc illius typus est. Et paulo pòst: Hoc ad rememorationem eius fit, quod tum factum est. Hoc enim, inquit, facite in mei rememorationem. Non aliam uictimam sicut summus sacerdos, sed semper eandem facimus: imò magis rememorationem uictimæ facimus. Hæc ille. An non perspicuè docet, id quod Dominus nos facere iusit, non esse propriè sacrificium, sed unici sacrificij memoriam? Quare non concedimus aduersarijs, quòd Missam suam sacrificium corporis ac sanguinis Christi sic esse dicunt, ut id non possit tribui cœnę Dominicæ: & ut adscribant illi oblationem, quæ fiat pro uiuis ac mortuis, ad remissionem peccatorum. Sed pergamus ad ulteriora.

Scripta Patrū. *Chrysostomus.*

III. AN PER MISSAM A DEO OMNIS *generis bona impetrentur, & remissio peccatorum, cum uniuerso mortis Christi merito, dispensetur.*

Gabriel Biel. *Sacrificiū posse uirtutè Missæ specialiter applicare, & determinare.*

GAbriel Biel, Lectione 26. hac de re sic scribit: Diligenter notandū est, quòd sacerdos ex officio nuncius est ecclesiæ pro populo ad Deū, & ideo offerens sacrificiū in persona ecclesiæ, potest eius fructum & uirtutem alicui uel aliquib. specialiter applicare. Hanc enim autoritatem recepit in sua ordinatione, cum in traditione calicis & panis dictū est ad eū: Accipe potestatem offerendi pro uiuis & mortuis. Vnde eius officij est, non solùm preces ecclesię, & sacrificiū eius nomine Deo offerre, sed etiam, ut tenens gradum summum in ecclesiastica politia, ratione ordinis sacerdotalis potest uirtutem sacrificij & oblationis determinare.

Adhuc

Adhuc ibidem: Pro intellectu horum consequenter aduertendum, quòd meritum seu uirtus missæ potest intelligi, ualere alicui in triplici gradu: scilicet, specialissimè, generalissimè, & modo medio, seu specialiter. Primo modo, scilicet specialissimè, tantùm ualet celebranti, saltem dignè: quoniam illi ualet tanquam meritum æternæ uitæ, ac præmij essentialis, propter motum eius charitatiuum in Deum, quo uult celebrare ex charitate, finaliter propter Deum super omnia dilectum. Hunc fructum alij applicare non potest, quoniam etsi quis potest alteri mereri primam gratiam, aut gratiæ augmentum: nullus tamen potest mereri alteri præmiũ essentiale. illud enim correspondet merito personali cuiuslibet, secundum illud: Opera illorũ sequuntur illos. Generalissimè ualet toti ecclesiæ, & ab hoc ualore sacerdos neminem debet excludere, saltem qui est membrum ecclesiæ. Tertio modo ualet illi, cui per celebrantem specialiter applicatur, & quantum ad illum ualorem medio modo ordinatę sunt speciales orationes & collectæ pro diuersis personis, & diuersis impetrãdis, ac diuersa officia pro uiuis & defunctis, ab ecclesia, quæ habens spiritum sponsi sui, nõ errat sic ordinando. Frustrà autem esset hæc ordinatio, si omnibus æqualiter ualeret.

Virtutẽ Missæ ualere dicunt specialißimè, generalißimè & specialiter.

Quantum itaq; ad istum ualorẽ, medio modo quandoq; determinata est applicatio ex ordinatione ecclesiæ, quę in diuersis parochijs instituit diuersos sacerdotes parochiales, qui tenẽtur officiare ecclesias, & celebrare specialiter pro suis parochianis uiuis & defunctis. Sic in diuersis collegijs & beneficijs & præbendis diuersi instituuntur, qui specialiter celebrent pro fundatoribus, & his pro quibus ex suis fundationibus obligantur, etiam pro his quibus naturali iusticia & gratitudine astringuntur, ut pro parentibus, benefactoribus, spiritualia & temporalia cõferentibus. Vbi uerò nõ cõcurrit talis obligato, est in arbitrio sacerdotis, quibus hoc tertio modo uelit applicare: siue uni soli, siue plurib. ex æquo, siue pluribus nõ ex æquo, sed secundum diuersos gradus. Quantum aũt debeatur huic uel illi, in hoc uel alio gradu, ille solus nouit, qui officium hoc instituit, & in eo patri pro omnibus offertur, & secundum sacerdotis determinationem fructus Missæ partitur.

Item Lectione 27. Nec impedit, inquit, in huiusmodi applicatione sacerdotis malicia, excõmunicatio aut suspensio. Hæc enim non tollunt uirtutem sacrificij, quam habet ex opere operato. Quia quantum ad hanc uirtutem, non habet sacrificium illud efficaciam ex bonitate sacerdotis, sed ex institutionne Christi, & merito ecclesiæ, cuius nuncius est sacerdos celebrans. Hæc Gabriel.

Nos ad ista paucis respondemus. 1. Primò, probandum ipsis est, ubinam officium hoc, ut loquuntur, offerendi Christum Deo patri, & meritum mortis eius, cum omnis generis bonis applicandi pro arbitrio sacerdotis, quod summũ sit in ecclesiastica politia, institutum sit uel à Domino, uel ab Apostolis. 2. Deinde doceant nos, quomodo meritorium possit esse sacrificium, quod ex opere operato remissionem peccatorum & gratiam Dei mereatur, quod nec à Christo est institutum, nec ab Apostolis traditũ. Sacræ scripturæ unum duntaxat meritorium sacrificium nouerunt, quo gratia nobis, remissio peccatorum, & salus æterna constat: id uidelicet, quod oblatum est in cruce. 3 Tertiò, quàm facilè dicunt sacerdotem posse pro suo arbitrio gratiã ac uirtutem sacrificij Christi cui uoluerit applicare, tam hoc facilè respuitur. Minister Christi dispensat uerbũ & sacramentalia signa: Christus uerò sacrificij sui gratiã & uirtutẽ quibus uult, ipse applicat. 4. Quartò, quòd dicunt hoc Missæ sacrificium habere efficaciã ex merito ecclesiæ, cum iniuria mortis Christi dicitur. Etenim uniuersum meritum nõ modò redemptionis ac reconciliationis, in cruce nobis partæ, sed & applicationis illius, Christi tantũ est, & non ecclesiæ. Ecclesia redempta est, cui competit non gloria meriti in hac causa, sed gratiarũ actio. Gloria meriti nemini poterit esse cũ Christo cõmunis. 5. Quintò, consideremus & rationem applicationis huius, Primò sacrificulus applicat sibijpsi ex opere operato meritũ uitæ æternæ. Et hoc facit specialissimè. Nã ordinata charitas, inquiunt, incipit à seipsa, iuxta illud: Si fueris quarum diuisor particularum, Hanc discas artem, meliorem dat tibi partem. Quis igitur non mirabitur, quomodo fieri possit, ut perdantur, qui sibijpsis unius horæ dimidio æternam possunt uitam missando applicare? Quid est autem quod Gabriel addit, Saltem dignè celebranti, cum meritum hoc constet, ipsorum iudicio, nõ dignitate celebrantis, sed institutione Christi, & merito ecclesiæ, nec impediatur sacerdotis malicia. An applicãdo sibijpsi meritum uitæ æternæ refert quàm dignè celebret: applicando uerò alijs, nescio quam gratiã, non refert? An uirtus operis operati non prodest operanti pro se, prodest uerò operanti pro alijs, etiãsi indignè operetur? Si hęc est operis huius cõditio, nescio quæ poterit esse sacrificãti pro se meriti huius certitudo: quandoquidẽ nunquã certus esse poterit, quòd dignè celebret. Deinde applicat uirtutem Missæ generalissimè omnibus ecclesiæ membris. Sed huius applicationis non adeò magna habetur ratio. Neque enim facit ad coquinam. Speciẽ tantùm quandam adfert ad commendandam sacerdotalis officij dignitatem, quòd uidelicet pro omnibus Christianis, tam mortuis quàm uiuis potestatem habeant sacrificandi, & sacrificij Christi meritum omnibus applicandi. Illud plus habet momenti ad faciendum quæstum, quod specialiter pro fundatoribus, pro benefactoribus, pro parentibus, cognatis & amicis, proq; illis qui Mis-

ſam data pecunia redemerunt, Chriſtum offerunt, atq; illis uirtutem Miſſæ applicant. Ex hoc fonte manauit innumera illa multitudo priuatarũ Miſſarũ, ſacerdotum miſſariorum, præbendarũ & fundationũ. Et hinc factũ eſt, ut q uel ex rapinis, uel uſuris, aut alijs illicitis artibus diuites facti ſunt, mox atq; morte appropinquãte cõſcientię ſuę morſum experiuntur, inq; gehẽnæ metũ incidunt, ad Miſſarũ patrociniũ confugiant, certas Miſſas fundent, ut loquuntur, ac præbẽdis annuis dotent. Hinc orta eſt etiam turpiſsima illa nundinatio, qua poſt funera defunctorum, pro certa pecunia tot Miſſas celebrant, quot à ſuperſtitioſis petuntur.

Quare nõ uni ca Miſſa redimat animas, ut non ſit opus multis.

1 Sed rogarim hic, Si in ſacerdotis eſt arbitrio, uirtutem ſacrificij huius applicare ſpecialiter quibus uoluerit, idq; ad redemptionem animarum: quãnam ratione non mox animam illam pro qua ſacrificat, una Miſſa ſic redimat, ut altera non ſit opus? Quorſum attinet ſępius miſſare pro liberanda anima, ſi uirtus Miſſæ ualet ad redemptionẽ animarum, & hanc ſacerdos pro ſuo arbitrio ſpecialiter cui uult applicat? An inſufficiẽs eſt uirtus ſacrificij Chriſti, ad unius animę liberationem, ſi ſemel tantũ applicetur? Vel incerti ſunt ſacerdotes, quouſq; illa rectè ac ſufficienter applicetur. Dicunt quidem ſolũ Chriſtum ſcire, quantum unicuiq; cõpetat: & tamen addunt, diſpenſare illum uirtutem Miſſæ, ſecundum ſacrificantis ſacerdotis applicationem ac determinationem. Sic Gabriel Lectione 26. Obſecro qui ſic fluctuant, & incerta non tradunt modò, ſed & uendunt in eccleſia Chriſti, idque in re tam ſeria, ſunt'ne aliud uocandi, quàm nocentiſsimi impoſtores?

Quare anima diuitis plurib. Miſsis opus habeat quàm anima pauperis.

2 Deinde dicant ipſi rationem, quare diuitis mortui anima è purgatorio, quod commenti ſunt, redimenda pluribus Miſsis opus habeat, quàm anima pauperis, quam una tantùm redimunt: imò ſi non ſit pecunia, ne una quidem redimere curant. Vbi diues aliquis moritur, non eſt ara in templo, in qua non per uices ſacrificetur, idq; non in funere tantùm, ſed & ſeptimis ac triceſimis, imò & anniuerſarijs, donec ab hæredibus numeratur: qui etiam ad numerandã coguntur, ne quęſtus annuus, ac perpetuitati conſecratus intercidat. An grauiora ſunt diuitum peccata coram Deo, quàm quæ permiſſæ uirtutem facilè expiari poſsint? uel plus emolumenti eſt ſacrificantibus ex diuitum, quàm ex pauperũ funeribus? Sic eſt. Quare fit, ut quo maiores ſumptus fiunt in Miſſas, hoc pluribus opus ſit Miſsis: & quo minus inſumitur, hoc paucioribus ſacrificijs mortuorum iuſta perficiantur. Vnde natum eſt prouerbium illud: Kupferen gelt, kupferen ſeelmeſs. Sic nundinarij iſti mediatores pauperum animas ut protſus negligunt, aut una & altera Miſſa perfunctoriè expediunt: ad diuitum uerò funera cateruatim perinde ad corpus aquilæ aduolant, & animas illorum crebris Miſſarum reciprocationibus liberare ſe uelle ſimulant.

Quo plures ſumptus fiunt in Miſſas, hoc pluribus Miſsis opus eſt.

Quomodo animæ defunctorum tẽporibus Apoſtolorum ſaluari potuerint, cũ Miſſa hæc ignoraretur.

3 Tertiò, rogarim & illud, quî factum ſit, quòd de uirtute hac Miſſæ Apoſtoli nec ſciuerunt quicquam, nec eccleſijs tradiderunt, ut mirum ſit, quomodo fidelium ſaluti conſultum ſit illorũ temporibus. Neq; enim uſpiam legimus in Scripturis ſacris fuiſſe illis morem hunc pro uiuis ac mortuis ſacrificandi. De fractione panis, cœna Dominica, & communicatione corporis ac ſanguinis Domini legimus, de ſacrificio & applicatione Miſſæ non legimus. Adhuc, quare poſtquam introducta eſt in eccleſias miſſarij ſacrificij opinio, nõ mox obtinuit iſta, quæ poſtea cœpit Miſſarum frequentia & multitudo, ſed primùm una tantùm, idq; Dominicis diebus habita eſt Miſſa: deinde & feſtis diebus: tandem & quotidie, ſic ut in Cœnobijs antiquis, etiam in frequentiſsima monachorum multitudine, unus duntaxat fuerit ſacrificulus, & per hebdomadam ſacrum unum. Negari non poteſt, nec ſacrificulorum, nec Miſſarum apud maiores noſtros eam fuiſſe multitudinem, quæ noſtris temporibus inualuit. An maioribus noſtris tantum religionis non fuit, quantum obtinuit apud poſteros? Vel uirtutem hanc miſſariæ applicationis non intellexerunt? Vel, tantus non fuit eorum numerus, qui ad miſſandum eſſent idonei, propter impoſitam cœlibatus neceſsitatem? Vel, ignorabatur adhuc cœlibatum miſſantibus ad hoc tantùm eſſe impoſitum, ut ſpecies quædam ſingularis ſanctimoniæ præferretur, per quam Miſſa hæc plus ſplendoris & exiſtimationis ſortiretur: non ut uera ſanctimonia uitæ obtineret, quæ cœlibatum hunc non requirit, ſed in legitimo coniugio & fuit apud ueteres, & hodie quoq; eſſe poteſt. Hinc inter ſacrificos iactatur illud, Si non caſtè, tamen cautè, ne populus intelligat.

Quare apud ueteres nõ fuerit tanta Miſſarũ multitudo.

Deinde nondum erat introductus concubinatus ille, qui poſtea obtinuit inter abiuratores legitimi coniugij. Vel, erat tum temporis efficacior, quàm nunc ſit Miſſæ effectus, ut tanta miſſantiũ multitudine non eſſet opus? Vel, non erant tum tam pingues, tamq; multæ præbendæ miſſantibus fundatę, quàm poſtea per uulgi ſuperſtitionem ſunt paſsim conſtitutæ. Nam cautum eſt, ut nemo ad ſacerdotij huius ordinem admittatur, niſi præbendam certam habeat, unde ali poſsit in ocio.

Quomodo poſt indulgentias Romani Pontificis adhuc Miſsis ſit opus.

4 Poſtremò, reſpondeãt Pontificij, quomodo hoc Miſſæ ſacrificio, quo exigne purgatorio liberetur, opus habeat etiã ille, qui per indulgentias Romani pontificis, æternæ ſibi uitæ promiſsionem auro comparauit, ſic ut illarum uirtute in articulo mortis à confeſsionario abſolutus, purus ac putus indubitanter mox non in ignẽ purgatoriũ abeat, ſed ad cœleſtia gaudia cõſcendat. Si authenticę ſunt ac ratę Pontificis merces, certè locũ non relinquunt miſſarotibus.

Si pontifex indulgentijs suis demortui animam confestim euehit ad cœlestia, quid faciet pro illa sacerdos cum suis Misis? Si adhuc misis opus est, ad liberandam eiusmodi animam, omnino seductor est Pontifex, & nugæ sunt illius indulgentiæ. Si non est opus Misis, seductor est missarius sacrificulus, & nugæ sunt illius Missę. Sic in alterutro, imò reuera in utroq; impletur illud Petri, Fictis uerbis de uobis negociabuntur. Mirum est, quomodo sacerdotalis ordò ferat Pontificem, qui datis sub anulo Piscatoris literis, certam ac subitam animarum liberationem accepta pecunia passim uendit in ecclesijs, priusquã Missarum sacrificiũ pro illis intercedat, atq; ita efficit, ut officium ipsorum reddatur inane. Rursus æquè mirum est, quomodo Pontifex non feriat eos sacrificulos fulmine excommunicationis, qui Missas suas etiá illis obtrudunt, quos ipse per indulgentias suas ab omnib. peccatis in ipso mortis articulo absoluit, & ad cœlos potestate sua euexit. Dum enim pro illis quoq; missare præsumunt, quid aliud faciunt, quam quòd Romanas indulgentias seductionis & impostura damnant? & interim sibi-ipsis officium hoc liberandarum animarum uindicant?

Sunt hæc adeò manifesta, ut etiá absq; luce uerbi Dei, uel à sutoribus intelligi queant. Qnũ initio cursus sui Martinus Lutherus contra Romanas indulgentias disputare cœpisset, eo qd Leo tum Pontifex monachum quendam, cum indulgentiarum suarum mercibus passim in Germania distrahendis misisset, & omnium peccatorum expiationem, & æternam salutem omnibus illas ementibus polliceretur, simulq; indultum uescendi carne, caseo, lacte & ouis pro precio uenderet: id quod factum est anno millesimo quingentesimo decimoseptimo, qui ætatis meæ uicesimus erat, accidit Haganoæ, ut calcearij cuiusdam uxor eiusmodi indulgentiarum diploma sibi dato aureo compararet, quo de salute sua certior esset, & ignem purgatorium mox ubi corpore exuta, & ad cœlestia translata esset, euaderet. Id enim diploma illud sub plena uicarij Christi potestate promittebat. Paulo post cœpit mulier lethaliter ægrotare, & quoniam de uita hac præsenti desperabat, accersito ad se monacho cuidam Pontificium diploma proponit, factaq; peccatorũ suorum ex homologesi plenariam illorum absolutionem ex Pontificia potestate accipit, illaq; accepta, moritur. Maritus quoniam ægrè tulerat, quòd uxor aurum pro diplomate indulgentiario dedisset, demortuæ quidem corpus telluri cõmendat: uerùm quæ in ecclesia pro redimenda ipsius anima ex more facienda erant, cõsulto dissimulat ac negligit. Plebanus eius loci, ubi id intellexit, molestè ferẽs, accusat calcearium apud præfectum, quòd contemptor esset Christianæ religionis, & in uxorem defunctam impius. Calcearius uocatur ad præfectum, uocatus assumpto secum Pontificio diplomate comparet. Præfectus ad illum: Mortua est uxor tua? inquit. Respondet, Mortua est. Quid fecisti mortuę? inquit præfectus: Sepeliui, ait ille, corpus illius emortuum, animam Deo commendaui. Ad hæc præfectus: Nihil præterea fecisti? Non curasti, ut ad liberationem animæ ipsius celebrentur Missæ? Ille, Non curaui, inquit: quia nõ habet opus ut liberetur per Missas, quum sit mox ad cœlestia translata. Præfectus, Ad cœlestia translata? inquit. Vnde hoc tibi constat? Meritò id mihi constat, inquit ille, quum ea de re fide dignum habeam testimonium. Testimoniũ habes, idq; fide dignum, inquit præfectus, quòd uxor tua sit iam in cœlo? Ostende hoc testimonium. Calcearius mox prolatum Pontificis diploma exhibet præfecto, petitq; ut legatur. Is acceptum diploma legendum dat plebano, qui hanc ob causam tanquam accusator aderat & ipse. Hic conspecto Pontificis diplomate, primùm obstupescit, ac legere detrectat. Adactus tandem à præfecto legit. Lecto illo, pudefacti ambo & præfectus & plebanus, nihil habent quod contradicere ausint. Tum calcearius: Pronunciate uos ipsi, inquit, satis ne fide dignum testimonium habeam de anima uxoris meæ, quòd sit nõ in purgatorium, sed ad cœlestia trãslata. Testimonium hoc aureo sibi numo comparauit uxor mea. Quid ergo est, quod hic plebanus noster Misis suis, nescio quam liberationem defunctæ uxori necessariam esse asseuerat? Si id rectè affirmat, decepta est uxor à Pontifice. Si decepta ab illo non est, imponere mihi conatur hic plebanus. Ad ista quum neque præfectus, neque plebanus quod contradicerent, haberent, calcearium à se liberè dimiserunt. Neq; enim audebant damnare Pontificis diploma. Verùm de hisce iam plus satis.

Historia sutoris cuiusdam.

Cæterùm postquã falsam illam meriti Christi, quam Papisticæ Missæ tribuunt, applicationem refutauimus, consequenter & eam quæ uera est, ac Sacris scripturis consona, propter rudiores, exponendam esse iudicamus. In hac materia uidendum est primò, cuius sit potestas applicandi ac dispensandi meritum mortis Christi. Deinde, quorum sit, & quomodo, ad hanc applicationem ministrare. Tertiò, à quibus illa, & quomodo capiatur.

Quæ sit uera meriti Christi applicatio.

1 Principiò, absq; contradictione omnis potestas, quę faciat ad saluandum peccatores, unius est Christi, à patre illi data, à quo & Dominus constitutus est omnium eorum, quæ in cœlo sunt & in terra. Huius igitur est libera potestas dispensandi & applicandi mortis suæ meritum, quibus, quomodò & quando uoluerit. Matthæi undecimo dicit: Omnia sunt mihi tradita à patre meo. Et, Nemo nouit filium nisi pater, nec patrem nouit quisquam, nisi filius, & cui filius reuelare uoluerit. Ephes. quarto, Vnus est Dominus, inquit Apostolus. Si unus Dominus est, Christus uidelicet: unus igitur est tantum liberã habens potestatem, cui quantũ & quando

Cuius sit potestas dispensandi meritũ Christi.

Matth. 11.

Ephes. 4.

quando uoluerit de gratia sua dispensandi & applicandi. Et hic seipse per spiritum suum reuelat, per quem & dona sua dispensat, 1. Corinth. 12.

Quorũ sit ministerium dispensationis huius.

2 Deinde, uaria quidem sunt ministeria, idẽ uerò Dominus, 1. Corinth. 12. Hic posuit in ecclesia ministros suos, Apostolos, Euangelistas, Prophetas, pastores & doctores (de missarijs sacrificulis nulla fit mentio) per quos corpus ipsius, id est ecclesia ædificetur. Hi sunt cooperarij Christi, ministri ac dispensatores mysteriorum Dei, qui solus dat incrementum.

Quomodo ministrent.

Ministerium istorum est, Euangelium regni annunciare, ac proponere mundo, ac prædicare fideliter uerbum uitæ. Hac prædicatione, quantum in ipsis est, gratiã reconciliationis sanguine Christi partam, mortalibus dispensant. Euangelium, inquit Apostolus, uirtus Dei est, ad saluandum. Huius prædicationẽ illis commendauit Dominus, Matthæi & Marci ultimo. Siquidem placuit Deo, ut per stulticiam prædicationis saluos faciat credentes, 1. Corinth. 1.

A quibus, & quomodo dispensatio hæc capiatur.

3 Tertiò, fieri non potest, ut gratia ac meritum sanguinis Christi, quatenus ministerio prædicationis Euangelicæ dispensatur, capiatur ab alijs, quã quibus à Deo per Spiritum sanctum aperiuntur corda. Notum est exemplum purpurissæ, Actorum decimosexto. Hi sunt autem, quos Deus prædestinauit & ordinauit ad uitam, Actorum decimotertio. Illi fide apprehendunt hanc gratiam, dum uerbo gratiæ ex animo credunt. Sic Apostolus Roman. 1. quũ dixisset, Euangelium esse uirtutem Dei ad salutem: adiecit, Omni credenti. Et 1. Corinth. 1. nõ simpliciter dicit, placuisse Deo, ut per stulticiam prędicationis faciat saluos: sed addit, Credentes. Ob hanc causam frequenter illud inculcatur à Christo, Qui credit in me, habet uitã æternam: & Apostolus constanter iustificationẽ fidei adscribit. Incredulitati uerò condemnationẽ Christus ipse tribuit, dicens: Qui non crediderit, condemnabitur. & Ioan. 3. Qui non credit, iam cõdemnatus est, quia non credit in nomen unigeniti filij Dei.

Conclusio huius particulæ.

Ex his, puto, manifestum efficitur, ne uerum quidem ac legitimum Christi ministrum plus habere potestatis in ecclesia, quàm sit ipsi concreditum: nec fieri posse, ut alijs & plura applicet hominibus de gratia sanguinis Christi, quàm quibus & quantũ destinatum est diuinitus, fide quæ proponuntur amplexandi. Quare Missarius sacrificulus non modò potestatem, meritum ac gratiam sanguinis Christi dispensandi, & ut prætexunt, quibus uelit specialiter applicandi: sed ne ministerium quidem habet, Domino ad eiusmodi dispensationem seruiendi. Missa quippe non est applicationis huius instrumentum, quando quidem non est à Christo instituta, & Euangelium ab illo ne uiuis quidem prędicatur, nedum mortuis, quibus tamen & ipsis uirtute Missæ meritum passionis Christi applicare se nugatur. Quod igitur de uirtute applicationis huius tradunt Pontificij, nihil est aliud, quàm artificiosum cõmentum negociandi ac nundinandi in ecclesia.

SEQVITVR PARS ALTERA MISSAE PAPISTICÆ, *de accessorijs illius erroribus & abusibus.*

DIxi me altero materiæ huius loco de accidentibus Missæ Papisticæ dicturum, quę Pontificij sic faciunt necessaria, ut sine peccato mortali omitti nequeant. Vt autem ordine quodã de illis dicam, sequar differentiã illorum, quam Gabriel Biel ponit. Dicit is, quędam sacerdoti, quædam uerò ipsi actioni Missæ esse necessaria. De abusibus, quorum alios defendunt, alios etsi non defendunt, tamen non emendant, postea dicemus.

I. SACERDOTI NECESSARIA.

HAec duplicẽ dicit habere rationem. Alia simpliciter esse necessaria, sic ut sine illis panis & uinũ in corpus ac sanguinẽ Christi cõsecrari nequeãt: alia uerò de cõgruo duntaxat esse necessaria: sic tamẽ, ut si sacerdos ea præter necessitatẽ omittat, mortaliter peccet.

Simpliciter necessaria.

Simpliciter necessaria hæc sunt, inquit. Primò, potestas consecrandi ab episcopo accepta, ac foris per tonsurã & unctionẽ declarata. Deinde, facultas sermonis, ut singula distinctè proferre queat. Tertiò, intentionis integritas: hoc est, ut sacerdos habeat intentionem uirtualem (ut discernatur ab actuali) faciendi illud quod ecclesia intẽdit, etiamsi non credat aliquid fieri: ita ut satis sit, si initiò habeat illam uirtualem intentionem, dummodo in ipso actu non interueniat contraria intentio, alioqui non esse consecraturum.

Necessaria de congruo.

Necessaria de congruo diuidit in amotionem impedimentorum, & applicationem conuenientium. De impedimentis dicemus in posteriore articulo. 1. Conuenientia esse dicit, primò ut sit qui Missam celebraturus est, ieiunus à medio noctis, sic ut nec nutritiuũ aliquid, nec medicinale sumpserit: si uerò sumpserit, non celebret. Et hac de re sic scrupulo se statuunt, ut singulari quadã sapientia commenti sint, quid faciendũ sit, si post mediam noctem saliua sit per gulam sacrificaturi illapsa, uel de hesterno cibo aliquid dentibus per imprudentiam inhęrens, priusquam celebret, intrò in stomachum descenderit: uel, si per negligentiam aquã solam calici infusam sumere cœperit, &c.

2. Deinde

2 Deinde ut præditus sit mundicia corporali, sic ut ne per somnium quidem immundiciam aliquam corporis contraxerit.

3 Tertiò, ut manus lauet, & capillos componat, ne illotis manibus, & non bene comptus ad hæc sacra accedat.

4 Quartò, ut ad minimum matutinas preces, & accessum altaris à Celestino institutum præmittat.

5 Quintò, ut ad certum præscriptum uestibus sit indutus, ei sacro comuenientibus. Hæ sunt: alba, cingulum, manipulus, stola & planeta. Additę sunt uniuscuiusq; significationes etiã ipsis sacerdotib. plerunq; incognitæ. Quorsum enim refert scire quid quæq; uestiũ significẽt, quando satis est ad consecrandum intentionẽ habere uirtualẽ faciendi quæ ecclesia instituit?

ACTIONI MISSAE NECESSARIA.

HAec dicunt esse in genere, quæcunq; ab ecclesia sint instituta, & actioni huic deputata. Sentiunt autem de illis quæ à põtificibus Romanis sunt introducta. Nam & ipse Gabriel fatetur extra institutionem sacramenti à Christo nihil esse traditum, sed reliqua accessoria omnia paulatim introducta, non simul, sed diuersis temporibus, & tandẽ per Gelasiũ papam, qui quinquagesimus primus ab apostolo Petro fuerit, quasi in unum aceruum congesta. Deinde & ipsæ historiæ satis declarant, ueteres ab eo loco ubi canunt: Dominus uobiscũ: Sursum corda: Gratias agamus, &c. adiecta oratione Dominica, & uerbis institutionis, communionem inchoasse, reliqua addita esse à pontificibus Romanis. Et Canonẽ quoq; à quodã esse compositum, cui Scholastico nomen fuerit: id quod beatus Rhenanus in Tertullianum annotans scribit.

Fatentur extrà institutionẽ sacramenti nihil esse traditum à Christo.

Author canonis Missarij.

Necessaria dè congruo.

1 Necessaria de cõgruo faciunt ista. Principiò, Introitũ, Kyrie eleyson, Gloria in excelsis, Collectas, Epistolas, Gradualia, Euangelia, & quicquid huius generis est in obseruatione.

2 Locum consecratum ab episcopo.

3 Altare lapideum, itidem ab episcopo consecratum, quod habeat in se inclusas sanctorum reliquias, tectumq; sit duobus pallijs candidis, lineis & corporali, ut uocantt

4 Calicem aureum, uel argenteum, aut stanneum.

5 Candelas in altari ardentes.

6 Quod tempus celebrandi attinet, ut publicæ missæ hora nona: priuatæ uerò ab initio diei usque ad nonam celebrentur. Principium uerò diei ita scrupulose definiunt, ut incipiat una hora, & quinta parte horæ ante ortum corporis solaris. Nocte nolunt licere, nisi in die natiuitatis Domini & Resurrectionis.

7 Vt Canon & consecratio corporis & sanguinis Domini sub silentio peragantur, ne quid hinc innotescat laicis, ac uilescant grandia illa mysteria, quæ uiris tam sanctis concreduntur.

8 Vt aqua immisceatur uino.

9 Vt hostia diuidatur in tres partes, è quib. una demittat in calicẽ, reliquę duæ simul edantẽ.

10 Vt nihil omittatur ex crucibus & gestibus.

Cautelæ in celebratione Missarum seu undæ.

Quæstionum autẽ & cautelarum uix est numerus, de quibus in hac Missæ causa admodum serio disputant: utpote, à quo debeat Missa celebrari: an quilibet presbyter possit consecrare: an is etiam qui est in peccato mortali, uel qui est corpore uitiatus: an plures simul unam possint consecrare hostiam: quid si celebrãs recogitet, se aliquid edisse uel bibisse: quid si cibi aliquid hæserit in dentibus: quid si sacerdos manè lauando os deglutiat stillam aquæ: quid si nõ dormierit per totam noctem: an capite discooperto debeat celebrari: an requiratur intentio, & quæ: quid si omittatur aliquid: si materia non fuerit debita administrata: si musca uel aranea cadat in calicem, si gutta sanguinis ceciderit, si sumpto sanguine particula manserit in calice: an gutta uini hærens in pede calicis consecretur: quid si aqua non sit immissa calici: quid si uinum in calice congeletur: quid si sacerdos recordetur se aliqua non dixisse, quæ fuerant dicenda: quid si hostia fuerit fracta ante consecrationem: an Missa de sanctis tantùm ualeat animabus mortuorum, quantum Missa pro defunctis: an Missa possit dici sine Missali: an in loco non consecrato: an nocte: an pluries in die: an pro paruulis mortuis: an idem sit meritum, si sacerdos dicat unam Missam pro tribus: an statim post celebrationem Missæ liceat edere, & consimilia innumera prolixissimè ac scrupulosissimè disputant. Sed uideamus quid de illis sit sentiendum, & primò de ijs quæ sacerdoti simpliciter dicunt esse necessaria.

De ijs quæ sacerdoti simpliciter necessaria faciunt.

Hic cum primis requirunt potestatem consecrandi, quæ per hæc uerba sit tradita ab episcopo: Accipite potestatem consecrandi pro uiuis ac mortuis. Nos uerò irrefragabiliter sentimus & affirmamus, nõ posse ullis Sacris scripturis, Euangelicis & Apostolicis probari, hanc esse à Christo traditam potestatem, qua per ipsius uerba panis & uinum in corpus ac sanguinem ipsius consecrando transubstantientur. Quod enim hæc uerba Christi, Hoc facite in mei remẽmorationẽ, dicunt ad solos esse Apostolos dicta: & quod per illa sint ordinati in sacrificos, potestatẽq; acceperint pro uiuis ac mortuis consecrãdi, usqueadeò friuolũ cõmentũ est, ut nemo

Hoc facite referunt ad solos sacerdotes.

sit

sit adeò hebetis ingenij, qui si rem ipsam inspiciat, non mox uideat esse meras nugas.

Sed obsecro, si non est à Christo fidelibus omnibus dictũ, Hoc facite in mei rememorationem, sed Apostolis tantùm, & illis qui se pro successoribus Apostolorũ uenditant: quánam authoritate ac potestate cœtus fidelium à tempore institutionis de corpore ac sanguine Domini communicarunt, & Apostolus ecclesijs cõmunicationem hanc tanquam à Domino traditam commendauit? Si factum hoc est absq; mandato Domini, peccarunt Apostoli, & seducti sunt populi fidelium, debebatq; Apostolus dicere, De pane hoc & poculo Domini nemo edat & bibat, nisi solus sacerdos, ne quis reus fiat corporis ac sanguinis Domini. & : Probet seipsum sacerdos, & sic de pane illo edat, & de poculo bibat. Etenim si ad laicos, ut loquuntur, nõ pertinet illud, Hoc facite in mei rememorationem: consequitur non licere illis, ut de pane hoc & poculo communicent, ut non fuerit dicendum ecclesiæ fidelium, Qui indignè manducat, iudicium sibijpse manducat: &, Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de poculo bibat. Sic enim non indignè, sed simpliciter manducando & bibendo, iudicium manducat & bibit fidelis laicus. Vnde & illud consequeretur, non pro fidelibus, sed pro Apostolis ac sacerdotib. tantùm traditum esse in cruce corpus, & effusum sanguinem Domini.

Nec est ut dicant: Non excludimus laicos à communione, hoc est ab eo quòd dictum est à Domino, Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur: Accipite, bibite, hoc poculum nouum Testamentum est in meo sanguine, qui pro uobis & pro multis effunditur in remissionẽ peccatorũ, sed ab eo quòd sequitur, Hoc facite in mei rememorationẽ, eo quòd id ad solos pertineat sacerdotes. Etenim nihil est in omni hac ultimæ cœnæ Domini actione, quo instituta sit & commendata ad posteros hæc communio, nisi mandatum hoc Dominicũ, istis uerbis, Hoc facite in mei rememorationem, secundò expressum. Cætera pertinent ad actionem ultimæ illius cœnæ, quæ nos haud ullo pacto concerneret, aut celebranda nobis esset, nisi ad huuc esset modum per hæc uerba, Hoc facite in mei rememorationem à Domino instituta & mandata.

Facite, id est offerte.

Hoc facite, inquiunt, idem est quod, Hoc consecrate: uel, Hoc offerte, ideoq; nõ plebi fidelium, sed solis competit sacerdotibus. His uerbis ordinauit sacerdotes, illisq; officiũ hoc iniunxit, ut faciant quod ipse fecit. Panem autem & uinum consecrauit, & mutauit in corpus ac sanguinem suum. Probent hæc duo: mutasse Dominum panis substantiam in corpus, & uinum in sanguinem suum, Deoq; patri in cœna obtulisse: deinde ut idem faciant & ipsi, discipulis mandasse. Quid fecerit, satis est dilucidè ab Euangelistis expressum. Panem accepit, fregit, Deo patri gratias egit, dedit discipulis suis, dicens: Accipite, edite, hoc meum est corpus, quod pro uobis traditur, Hoc facite, &c. Consimiliter accepit & poculũ, gratias egit, deditq; discipulis, dicens: Accipite & bibite ex eo omnes, Hoc poculum Nouum testamentum est in meo sanguine, qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, Hoc facite, &c. Hæc narrant Euangelistæ & Apostolus. An' non abundè manifestum est quid fecerit ipse, & quid discipuli iussu ipsius fecerint? item quibus uerbis factum suum exposuerit, quidq; nos, & ad quid in posterum facere iusserit?

Cõsecrationis cõmentũ quomodo perficiatur.

De uerbis consecrationis.

Sed uideamus ipsorum de consecratione commentum. Quomodo perficiunt opus hoc cõsecrationis ac transsubstantiationis? Potestas faciendi illud, merũ est ut diximus, commẽtum. Ipsum opus uerbis perficiunt, ut affirmant. Sanè uerbis substantias rerum in aliud atque aliud præter naturæ seriem mutare, idq; in ipsum etiam corpus & sanguinem Domini, omnino humanas uires superat, & argumentum habet potentiæ prorsus diuinæ. Quare non immeritò quærimus, quænam sint illa tam admirandæ efficaciæ uerba, imò cuius illa sint, ipsorumne uel alterius cuiuspiam. Verba quibus hoc se efficere iactant, Domini sunt, non ipsorũ: sensus uerò, in quo illis utuntur, ipsorum est, non Domini. Verba sunt, Hoc est enim corpus meũ: item, Hic est sanguis meus. Illa sic super panem ac uinum proferunt, ut flatus oris ipsorum, unà cum signo crucis panem ac poculum contingat, quo uirtute illorum in corpus ac sanguinẽ Domini transsubstantientur. Sensum autem uerborũ istorum, quem illis assignant, hunc esse uolunt: hoc, id est corpus hoc, est corpus meum: & hic, id est sanguis hic, est sanguis meus: uel, hoc, id est hæc species panis, est corpus meũ: item, hic calix, id est species ista uini, est sanguis meus. Etenim omnino contendunt loqui Dominum non de pane ac uino, sed uel de corpore ac sanguine suo, uel de speciebus panis ac uini. Hunc uerò sensum contendunt esse uerborum Domini, cum sit non Domini, sed ipsorum. Omnino nanq; de pane ac uino loquutus est Dominus, id quod ex Apostolo, 1. Corinth. 11. abundè patet. Quare sensui suo, quẽ uerbis Domini affingunt, hanc tribuunt uirtutem, ut panem in corpus, & uinum in sanguinem Domini transsubstantiet.

Verùm esto, dixerit Dominus non de pane & uino, sed de speciebus panis & uini, Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus: sic ut cũ hæc diceret, non fuerit amplius panis panis, sed species panis: nec uinum uinum, sed species uini tantùm. Dicant igitur, quando & quibus uerbis substantiam panis ac uini in corpus ac sanguinem suum mutauerit, priusquam diceret, Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus. Neq; enim hoc fecit dicendo, Hoc est corpus

meum

meum,&,Hic est sanguis meus:si hæc non de pane ac uino,sed de speciebus tantùm panis ac uini,sicuti uolunt,dixit.Alioqui dicendum fuisset de pane,Sit hic corpus meũ:& de uino, Sit hoc sanguis meus:uel ad panem,Tu esto corpus meum:& ad uinum,Tu esto sanguis meus.

Fatetur hic Gabriel Biel Lect.36.non esse eandem doctorum sententiam. Christus enim,inquit,potuit sine uerbo,tanquã uerus Deus,panis ac uini substantiã consecrare:hoc est,in corpus ac sanguinem suum mutare,quemadmodum sola uoluntate sua cœlum & terram condidit:uel,potuit uerba quædam secretò proferre,& per illa consecrare:uel,per hæc uerba, Hoc est corpus meum,&,Hic est sanguis meus,consecrare potuit,per quæ & nos, inquit, secundũ illius iussum consecramus:uel,potuit primùm consecrare,& postea distribuere,ac dicere: Accipite,edite,hoc est corpus meum,&c. Vel primùm distribuere,ac postea dicendo,Hoc est corpus meum,consecrare. Quid autem horum fecerit(attẽde Lector)ex Sacris scripturis,inquit, non constat.Hæc ille. Sic fluctuant in suo dogmate. Neq; faciunt hoc sine causa. Nequit enim certum esse,quod ueritate destituitur. Si ex Scripturis non cõstat,quomodo & quibus uerbis consecrauerit Christus,panisq; & uini substantiam in corpus & sanguinem suum mutauerit, unde ergo constabit? Meritò commentum suum ex Sacris scripturis probare nequeunt,quod non ex illis est desumptum:sed humana præsumptione in hanc causam,non sine consilio eius, qui pater est mendacij,introductum.

Gabriel Biel.

Quomodo cõsecrauerit Christus,ex Sacris scripturis non cõstare dicunt.

Et interim tamen nituntur eo,quòd Marcus uerbo benedicendi utitur dicens,εὐλογήσας ἔκλασεν,id est cum benedixit,fregit.Existimant enim benedicere idem hic esse,quod occulta uirtute panis substantiam in corpus mutare & consecrare.Verùm benedicere,non est consecrare, sed gratias agere,ac bene de aliquo loqui,unde & Erasmus in Marco uertit: Cum gratias egisset, fregit:ut taceam quòd nec Matthæus,nec Lucas,nec Paulus uerbo benedicendi usi sunt in hac causa,sed disertè posuerunt εὐχαριστήσας,id est cum gratias egisset:unde satis patet, quod istis est, gratias agere,id esse Marco,benedicere. Quare prorsus friuolum est,quòd in uerbo benedicendi errorem suum firmare nituntur.

Benedicere.

Cum igitur ostendere ex S.scripturis nequeant,quòd Christus,& quando,& quibus uerbis panis ac uini substantiam in corpus & sanguinem suum conuerterit,& ut ipsi hoc faciant præceperit,id quod & episcopus Rossensis disertè nõ fatetur tantùm,sed & contendit,sicuti suprà in loco de cœna Domini meminimus:quis non uidet totã hanc consecrationis ac transsubstãtiationis causam nihil esse aliud,quàm commentum dominantium in Ecclesia spirituum errorum ac seductionum? Adscribit hoc Rossensis traditioni Patrum. Quare non traditioni Apostolorum? Quia non senserunt ad hunc modum Apostoli. Deinde,quare non exprimit Patrũ illorum nomina,qui sensum hunc primi tradiderint? Sed esto,sint uetusti quidam,qui sic senserint,quam fidem dabimus illorum sensui,quem nec ipsi,nec posteri in hunc usq; diem ex Sacris scripturis ac Dominica institutione comprobare potuerunt:clamante Cypriano,non esse in hac causa attendendum,quid aliquis ante ante nos uel fecerit,uel faciendum putauerit,sed quid Christus qui ante omnes est,prior fecerit ipse,& alijs faciendum tradiderit?

Sed uideamus quomodo Papisticæ huic consecrationi & transsubstantiationi cum Sacramẽto corporis ac sanguinis Domini cõueniat,secundum ea quæ de illo legũtur in scriptis Augustini & Decretis Pontificũ. Dictum Augustini est: Accedit uerbũ ad elementum,& fit Sacramentum. Huic sententiæ nemo contradixit hactenus,quod ego sciam. Vocat autem elementum in Baptismate aquam.Et quoniam eadem est Sacramentorum ratio, rectè dictũ hoc ad corporis quoq; ac sanguinis Domini Sacramentum accommodatur:in quo panis & uinũ, etsi non inter quatuor illa physica elementa connumerantur,eo tamen loco sunt,quo est in Baptismate elementum aquæ. Vt enim aqua in Sacramento,initiali,ita panis & uinum tanquam corporis alimentum,in Sacramento cœlestis cibi ac potus externi signi & uisibilis formæ locum obtinent.Et perinde ex illis fit Sacramentum per accessionem uerbi,atq; ex aqua, si uerbum accesserit. Huius ob id admoneo, ne quis cum Cochleo argutetur,ac neget dictum hoc Augustini posse referri ad Eucharistiæ Sacramentum.Si dixisset Augustinus,Accedit uerbum ad aquam,& fit Sacramentum,utiq; idem dixisset.Sic nihil abluseris à scopo,si dixeris: Accedit uerbum ad panem ac uinum,& fit Sacramentum.Veritas enim sententiæ huius non pendet à ratione elementi,quasi Sacramentum esse nequeat,nisi ad physicum elementum accedat uerbum:sed ab accessione uerbi Dominici,etiamsi illud non ad elementum aliquod,sed ad alias uisibiles & palpabiles creaturas accesserit,sicut in Sacramento corporis ac sanguinis Domini fieri uidemus.

Quomodo Papistica trãssubstantiatio cum Sacramẽto corporis & sanguinis Domini conueniat.

Accedit uerbũ ad elementum.

Accedit uerbum ad elemẽtum,inquit,& fit Sacramẽtum. Quod uerbum? Non hominis alicuius (nam hinc non conficitur inuisibilis gratiæ sacramẽtum) sed ipsius Christi, idq; non quodlibet,sed quod ab illo ad institutionem est Sacramenti prolatum. Institutionis uerbum semel à Christo prolatum,si accesserit ad panẽ & uinũ,facit ex illis Sacramẽtum.Illud autẽ est, quod iubẽdo dixit:Hoc facite in mei rememorationem . Hoc uerbum accedit ad panem & poculum,non quatenus profertur à ministro,sed quatenus dictum est semel ab ipso Christo, efficitq; sacramentum,quoties institutioni huic obsequentes mysticum panẽ ad ecclesiasticã

communicationem, ac Dominicæ mortis rememorationem inter nos frangimus, & poculum hoc cum benedictione sumimus.

A uerbo nõ solum non tollitur elementũ, sed requiritur etiam.

Cum aũt dicit, Accedit uerbum ad elementum, & fit sacramentum: duo ponit, unde Sacramentum conficiatur, uerbum uidelicet & elementum. Hęc duo sic ad Sacramentum requirun tur, ut non modò non tollatur elementum, aut mutetur à uerbo, sed magis etiam requiratur. Accessoria non tollunt ea ad quæ accedunt, sed ut sint requirunt, quòd aliàs nequeant ad illa accedere. Nõ dicit, Succedit: sed, Accedit. neq; dicit: Tollit uel mutat elementum. In Baptismate accedit uerbum ad aquam, & fit Sacramentum. Hinc nemo colligit: Ergo substantia aquæ mutatur, ut possit esse Sacramentum. Quin potius fatentur omnes non impedire aquam in Baptismate, quo minus sit Sacramentum. Si illic ueritas Sacramenti coniunctione uerbi & aquæ constare potest, quomodo non potest in hoc sacramẽto constare cõiunctione uerbi, panis ac uini? Imò si irrefragabilis est hæc Augustini sententia, necesse est ut in Sacramentis utrisque maneant, res externæ, aqua, panis & uinum, ex quibus Dominicæ institutionis uerbum si accesserit, faciat Sacramenta.

Itaq; si potestatem habent sacrificuli tollere panis ac uini substantiam, consequitur, cõsecratione illorum ueritatem auferri Sacramenti: quæ salua consistere non potest, nisi saluæ sint ambæ illius partes, uerbum uidelicet & panis cum uino. Verbum Christi habent quidem ad literam, sed non ad germanum illius sensum. Aliàs illud tam non tollit panem ac uinum ex hoc Sacramento, ut magis requirat. Si uerbum consecrationis habent, quo panis ac uini substantia tollatur, non habent Christi, sed Antichristi uerbum. Si substantiam panis ac uini non habet, panem & uinum non habent, quæ utraq; Sacramentum hoc requirit. Et sic communicetur, destitui illos ueritate Sacramenti à Christo instituti, & huius loco haberi in Missis illorum cordis humani idolum.

Augustinus: Si sacramenta similitudinem earum rerum non habent, quarum sunt sacramenta, sacramenta non sunt.

Tale & illud est, quod idem Augustinus ad Bonifacium Epist. 23. scribit ad hunc modũ: Nisi sacramenta quandam similitudinem earum rerum haberent, quarum sunt sacramenta, omnino sacramenta non essent. Dicant igitur sacrifici, quæ nam sit similitudo sacramento cum corpore ac sanguine Christi, quorum est Sacramentum? Si nulla, non est igitur sacramentum. Si aliqua, non potest esse alia, quàm cibandi ac potandi, alimenti uidelicet, quo uita nostra sustentatur, quo admoneamur carnẽ Christi uerè esse cibum, & sanguinẽ uerè potũ. qua de re iam & multis disseritur. At hæc similitudo in sacramento Papistico esse non potest, in quo nõ sunt amplius panis ac uinum: sed, ut contendunt, species ac figura tãtùm panis & uini, quibus nulla inesse queat cibandi ac potandi efficacia. Verùm admodum competenter suo ipsi Sacramẽto similitudinem cœlestis alimoniæ adimunt, quia non uerum habent Christi Sacramentum, sed inane humani cordis figmentum.

De consecrat. dist. 2. Can. Qui mãducat: Quod uidetur, panis est.

Huc pertinet & illud, quod ex uerbis Augustini, de consecr. dist. 2. Can. Qui manducant, citatur ad hunc modum: Quod uidetur, panis est & calix, quod etiam oculi renunciant. Quod autem fides postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis. Ista ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud uidetur, & aliud intelligitur. Quod uidetur, speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritualem. Hæc ibi. An non disertè panem agnoscit in sacramento, & calicem? An non citat testimonium oculorum? Si Papistica consecratione panis substãtia tollitur, ut nihil ex eo nisi externa species remaneat, quid est quod nõ dicit, Quod uidetur species est corporalis: sed, Quod uidetur, speciem habet corporalem? Dicit id quod uidetur, esse panem & habere speciem corporalem. Ergo duo sunt in hoc sacramentali signo: panis qui uidetur, & species illius corporalis. Aliud est quod speciem habet corporalem, & aliud ipsa corporalis species quæ habetur. Color ille externus, qui in oculos spectantium incurrit, species est corporalis, non corporis Christi, sed panis. Quod enim uidetur, inquit, panis est, & speciem habet corporalem: quod uerò non uidetur, sed intelligitur, non habet speciem corporalem, sed fructum spiritualem. Si hæc uera sunt, uera non est, sed ficta sacrificorum consecratio.

Quòd fides postulat instruenda, panis est corpus Christi.

Adhuc, Quomodo uerum esse potest, quod dicit Augustinus: Quod autem fides postulat instruenda, panis est corpus Christi, si non est panis in hoc sacramento? An non hęc est prædicati ratio, ut subiectum de quo prędicatur non tollat, sed magis confirmet? De pane prædicatur, quòd sit corpus Christi. Necesse est ergo ut sit panis, de quo quod corpus Christi sit prædicatur. Non prædicatur hoc de externa panis specie, sed de ipso pane, qui corporalem habet speciem. Quare friuolum est quod Cochlæus nugatur, externam speciem uocari panem, propter panis colorem ac saporem. Verùm plus satis iminoramur refellendo huic transsubstantionis cõmento, cum figmentum illius palàm & Scripturis sacris & dictis sanctorum Patrum repugnet. Apostolus aliquoties uocat hoc sacramentum panem & poculum Domini. Idem facit & Canon Niceni concilij. Et Cyprianus uocat panem sanctificatum. Et Augustinus dicit hoc sacramentum premi dentibus: & canitur in Ecclesijs ipsorum, non rei, sed signi figuram: quorũ neutrũ tribui potest externæ speciei, sed necessariò tribuendum est pani. Vnde satis apparet opinionẽ hanc transsubstantiationis ignoratam fuisse uetustis Patribus. Hactenus

nus obiter de poteſtate conſecrandi diximus, quam per hęc uerba ab Epiſcopo tradi dicunt, Accipe poteſtatem conſecrandi pro uiuis ac mortuis. Pergamus iam ad ulteriora.

Intentio ſacrificorũ in Miſſa

Neceſſarium eſſe dicunt ad perficiendam conſecrationem, ut ſacerdos celebrãs intentionẽ habeat faciendi id quod intendit Eccleſia, aliàs fieri non poſſe, ut conſecret. Nos uerò cœnæ Dominicæ ueritatem nec Eccleſiæ nec ſacerdotis intentione, ſed Dominica inſtitutione conſtare dicimus. Obſecro, unde certi poterunt eſſe fideles, de recta miniſtri intentione? An non manifeſtũ eſt maximã ſacrificorum partem hoc intendere cum primis, ut quæſtu potiãtur miſſando, parum curantes, efficacésne ſint ipſorum miſſæ, uel ſecus? Ergo qui hac intentione miſſas celebrant, non conſecrant: atq; ita fit, ut ipſorum quoq; ſententia populus adſtans idololatriam adorando committat. Nos uerba inſtitutionis clara & intelligibili uoce proferimus, ut audiat populus, & fide communicet. Quare apud nos nemo fallitur, quandoquidẽ uerba Chriſti proponuntur omnibus, quibus qui credit, errare non poteſt.

Neceſſaria de congruo, tam perſonæ ſacrificantis quàm actioni Miſſæ

De illis uerò, quæ de congruo tam perſonę ſacrificantis, quàm ipſi actioni miſſæ neceſſaria eſſe dicunt, ſentimus ad hunc modũ: horum uidelicet alia eſſe ſuperſtitioſa, maximè propter anxiam & ſcrupuloſam illorũ obſeruationẽ, quaſi per ſe, ſi accuratè fiant, alicuius in conſpectu Dei ſint momẽti: alia eſſe quidem media, ſic ut in ſe nec bona ſint nec mala: alia uerò bona qui dẽ in ſe, ut quæ ex Sacris ſcripturis in Miſſa dicũtur: utraq; tamen ob id eſſe reprobanda, quòd ornandę miſſę Papiſticæ tot nominibus dãnandę adhibentur, & loco cultus habentur, cũ humano ſint conſilio, non Dominica inſtitutione ſacramẽto huic adiecta. Quæ bona in illis ſunt, uſq; adeò non commendant hanc miſſam, ut eam potius propter abuſum bonorũ dãnabilem reddant. Quæ bona ſunt in ſe, ſeruire debent ueritati, non mendacio: uerbo, operi ac uoluntati Dei, non humanis adinuentionibus ſalutiq; mortalium, non ſeductioni ac perditioni. Qualia ſunt in Miſſa, uſurpatio nominis Dei ac unigeniti eius Domini noſtri Ieſu Chriſti, S. ſcripturę, epiſtolæ Apoſtolicæ, Euangelia, oratio Dominica, Symbolum fidei, Sanctus, Agnus Dei, uerba Cœnæ, & quæ alia ſunt eiuſmodi: quæ non culpamus dum ipſam miſſam reprobamus, ſed in ſe bona eſſe agnoſcimus ac fatemur. Si Miſſa in ſe actionem haberet irreprehenſibilem, utpote inſtitutioni Dominicæ conuenientem, ferri poſſet, ſi hæc adhiberentur, modò liberè, moderatè, & utiliter. Cum uerò ſecus ſit hæc Miſſa comparata, ſecus etiam de horum eſt adhibitione cenſendum: quæ ob id omnium iuſtiſsimè reprobantur in hac cauſa, quòd abominationi tã inſigni magnam pietatis, imò ſummi cultus Dei colorem appingunt: ideoq; hoc ſunt peiora, quo plauſibiliora, perinde atq; uinum intoxicatum, quo magis eſt iucũdum ac ſpectabile, hoc magis ſitientem ad bibendum allicit, & bibentem perdit. Per hunc miſſę ſplendorem effectum eſt, ut ipſius reſpectu ipſa Dominica cœna admodum uiluerit.

DE CANONE MISSAE PAPISTICAE.

Quanti faciã Canonẽ Miſſæ

INter ea quæ actioni Miſſæ ſimpliciter dicunt eſſe neceſſaria, cõnumerant etiam Canonem, quem uocant, quòd is ſit quaſi regula quædam celebrandæ miſſæ. Hunc adeò uolunt eſſe ſacroſanctum ut omnibus ſit Sacris ſcripturis præferendus: ideoq; & ſuperſtitioſiſsimo illũ ſilentio muſitant: cauentes ne quiſquam laicus ſtans à tergo celebrantis uerba illius audiat, & fortè intelligat, quod ſummi piaculi loco ducerent: aſſeruntq; nulli licere laico, ut illum legat, cum tamen uniuerſæ Sacræ ſcripturæ lectio omnibus ſit licita Chriſtianis: canonem uerò hunc ignorarint Apoſtolorum ac ſequentium Patrum Tertulliani, Cypriani & Auguſtini tempora, & ſerò tandem cõſutus, uel certè auctus ſit fruſtatim à Leone, Gregorio, Gelaſio & Sergio, imò tam erga illum ſunt præpoſterè religioſi, ut ipſis ſacrificulis extra Miſſæ celebrationẽ uix liceat in eo quicquã legere, deq; ſenſu illius inquirere: in ipſa uerò Miſſa, poſtquã cætera in de ab initio oculis ac ſenſibus diſtractis ac uagantib. legerunt, ubi ad Canonẽ peruenitur, mox in illius ueſtibulo horror quidam ingruit, ac metus ingẽs, ne quid ex illo uel negligatur, uel nõ ſatis perfectè proferatur: ſic ut ſi in uocula quapiã titubent, anxiè ſudent ac metuant, ne quo pacto peccatum mortale incurrant, ut haud minore metu in hoc Canone legendo uerſentur, quàm quo diuinatores & incantatores corripiuntur, dum incantationum uerba proferunt, & præſcriptos characteres exprimunt, anxij ne quid ex illis omittant, locumq; lædendi ſe ſpiritibus malis faciant. Interea uerò, etiãſi pleriq; illorum Epiſtolas & Euangelia ſine corde, ſine fide, ſine ſenſu obiter proferant uel cantent, nulla tamen peccati conſcientia tanguntur.

In quibus reprehenſibilis ſit Canon.

In quibus uerò reprehenſibilis ſit hic Canon, annotarunt ante me alij. Et ſuprà nonnulla recẽſui, in quib. culpabilis deprehenditur. Verùm adijciam illis adhuc alia quædam, eaq; craſsiora. Principiò, enorme eſt quod ſacrificus, homo peccator, orat ad Deum patrem, ut uelit acceptum habere filium ſuum, propitioq; ad illum aſpicere uultu. Nam poſt eleuationem dicit ad hunc modum: Supra quæ (Gabriel exponit, corpus uidelicet & ſanguinem Chriſti tui) propitio ac ſereno uultu reſpicere digneris, & accepta habere, &c. Nos peccatores gratiam & reconciliationem, per ſacrificium corporis ac ſanguinis Chriſti ſumus adepti, & inſuper quic-

quid à Deo impetramus, per Christum dilectum filium Dei impetramus, & audet homo peccator orare Deum patrem, ut acceptum habeat suum filium? Quare nō potius orant, ut nos acceptos habeat in filio suo, ut est Eph. 1. Sine omni controuersia nunquā non placet admodum Deo patri hostia, quam pro nobis Christus unigenitus ipsius semel obtulit in cruce. Illud uerò orandum est potius, ut propter hanc nos uelit propitio ac sereno uultu clementer aspicere.

Atq; istis subiungit dicēs: Sicut accepta habere dignatus est munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchizedek, sanctum sacrificiū, immaculatam hostiam, &c. Quis ferat istā comparationem? Quid obtulit Abel? irrationale pecus. Quid Abraham? uel pecus, uel hominem in peccatis conceptum & natum. Quid Melchizedek? ut ipsi uolunt, panem & uinum. Aliàs de sacrificio illius, ne uerbū quidem legitur uspiam. Verùm de illo suprà facta est mētio. Orat igitur missarius sacrificus, ut oblatio Christi, hoc est corpus & sanguis ipsius eo sit apud Deum patrem loco, quo fuerunt apud illum pecuina Habelis & Abrahæ sacrificia: & quod falsò tribuunt Melchizedeko, panis uidelicet & uini. Si non est alio loco apud patrem sacrificium Christi, quàm quo fuerunt ista, actum de totius est mundi salute.

Verùm Gabriel orationis huius absurditatem amoliri cupiens, exponit ad hunc modum: Accepta, inquit, non ratione oblationis in se, quæ cum sit patris unigenitus, nō potest non esse accepta, sed ex parte offerentium, ex quorum sorde potest refutari, quantum ad uim reconciliatiuam offerentium, propter indignitatem eorum. Deinde addit, non comparari hic corpus & sanguinem Christi ueterum sacrificijs, quo ad ualorem ac dignitatem: sed orari, ut fidei offerentium quoq; respectu, habeatur à Deo acceptum, quemadmodum olim accepta illi fuerunt eorum sacrificia, qui fide obtulerunt.

1 Primùm nō negamus, placuisse Deo sacrificia Habelis & Abrahæ. Placuerūt illa, uerùm nō propter seipsa (nā ne holocaustis quidem delectatur Deus, Psal. 51. nec uult sacrificium & oblationem) sed tantùm propter personas offerentiū. Atq; ita nō placebat ipsi sacrificiū Caini, placebat uerò Habelis: quia hunc probabat, illum reprobabat. 2 Deinde & illud probamus, quòd negat sacrificium Christi comparari sacrificijs ueterum, eo quòd illis hoc sit infinito dignius, & cuncta ueteris Testamēti sacrificia excellat. Improbamus uerò, quòd in illo, ut semel est pro peccatis totius mūdi oblatū, nec amplius ofterri potest, nō cōsistunt unicè: sed quantū in ipsis est, efficaciam ac uirtutem illius quotidie repetendo infirmant, ut par fiat legalibus sacrificijs quæ ideo repetebantur, quòd essent infirmiora, quàm quæ peccata expiare possent.

3 Tertiò, quærimus quomodo defendi possit, quòd secundum Gabrielē orat sacrificulus, ut Christus, quē se offerre simulat, patri placeat propter fidem offerētium, cū illi alioqui placeat, sitq; usq; adeò acceptus, ut nihil ipsi possit à nobis accedere, unde commendetur. Cōmunis est hæc sacrificiorum conditio, ut placeant propter eos qui offerunt. Et ipsius Christi oblatio nūquam peccata nostra expiasset, nisi propter personam unigeniti Dei incomparabiliter placuisset. Quare absurdum est orare, ut placeat Deo patri propter fidem offerentium, cum hoc illius sacrificium multo sit præstantius ijs, qui se illud offerre affirmant. Quāto rectius hortatur nos apostolus Petrus, ut offeramus spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum? ut de 1. Pet. 2. Addam & illud: Quorsum attinet orare Deum, ut sacrificium hoc propter fidem sacrificantium acceptum habeat, cum palàm contendant, haud referre qualis sit sacerdos sacrificans, bonus uel reprobus, Deo gratus uel ingratus: quandoquidem tanta sit missæ præstantia coram Deo, ut in se ipsa, ex opere operato, & non operantis, admodū illi sit accepta. Sic aliud persuadet uulgo, & aliud in Canone hoc murmurant sub silentio.

Deinde, non minus absurdum est, quod in Canone post ista dicunt: Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hęc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectum diuinæ maiestatis tuæ. Iube hæc perferri, inquiunt. Quę? Hæsitant hic expositores sacri huius Canonis. Aut, inquiunt, de uotis fidelium, aut de Ecclesia militante, uel de corpore ac sanguine Christi intelligendum est. Sanè ipse contextus uerborum nō patitur ut de alijs accipiatur, quàm de quibus in præcedentibus facta est mētio, de corpore uidelicet ac sanguine Domini. Sed obsecro, quomodo conuenit hoc Christo, ut per manus angeli deportetur in cœlum, & ante conspectum paternum sistatur, cum iam olim sit in cœlis, ac uultui Dei pro nobis appareat? Ebr. 9. Non enim in manufacta sancta ingressus est Iesus exemplaria uerorum, sed in ipsum cœlū, ut appareat nunc uultui Dei pro nobis. Et cap. 10. Hic aūt una pro peccatis oblata hostia, in sempiternum sedet ad dexteram Dei. Si dixerint: Nō intelligimus de Christo, sed de corpore ac sanguine Christi, sub speciebus panis & uini præsentibus, quæ Deo patri offerimus: ergo corpus ac sanguinem Christi realiter, ut uolunt, præsentia, separant ab ipso Christo, ut in hoc sacro habeant non Christum ipsum, sed corpus ac sanguinem Christi, absq; illius spiritu ac diuinitate. Verùm ut absurditatē hanc effugiant, consultius esse putant, ut intelligatur de uotis fideliū, quibus illi corpus ac sanguinem Christi intra se, in cordibus suis Deo patri offerant, quæ illorū uota petat sacerdos, ut per manus angeli in conspectum diuinę maiestatis perferantur. Sic hodie nonulli Papisticæ missæ patroni plebem fideliū instruunt, ut interea dū missarus,

missatur, in corde suo Christum offerant, hoc est Deum patrem orent, ut propitius ipsis esse uelit, propter oblationem Christi filij sui, per quam expiatum est semel totius mundi peccatum. Si hoc sentiunt, cur non palàm sic docent in ecclesia, uidelicet, sacrificium hoc missæ, reipsa nõ esse aliud, quàm memoriâ unici sacrificij Christi? quo sensu Patres mensam Dominicæ cõmunicationis sacrificium uocarunt. At hic intellectus nihil discriminasset inter Missam & cœnã Dominicam, nec tanto opum aucupio, tamq; turpi quæstui seruisset, neq; in tam eximiam prę rogatiuã ac dignitatẽ ministros Ecclesiæ euexisset, quando quidẽ hoc genus sacrificandi, Christumq; Deo patri offerendi omnibus potest esse commune fidelibus.

Tertiò, probandũ non est, quod in hoc Canone ad intercessionem mortuorũ sanctorum cõfugientes dicunt: Et intercedente beata & gloriosa semper uirgine, Dei genitrice Maria, & beatis apostolis tuis Petro & Paulo, atq; Andrea cum omnibus sanctis, da propitius pacẽ in diebus nostris, ut ope misericordiæ tuæ adiuti, & â peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi. Hæc Canon. Verùm ostendunt nobis uel iota unũ ex uniuersis S. scripturis, unde probetur, mortuos sanctos intercedere pro nobis, & orare in cœlis. Hac de re nihil tradunt S. scripturæ. Quòd si illa reuera pro nobis intercedunt, nobisq; est ad ipsorũ intercessionem confugiendũ, non uideo quàm ueraciter Apostolus Sacræ scripturæ tribuat, quòd utilis sit ad consolationẽ, doctrinam & institutionem, cũ de re tam magni momenti nullam prorsus mentionem faciat. Obsecro quam fidem animo concipere potest homo fidelis, de ijs reb. quæ in cœlo fieri affirmãtur, & interim testimonio Sacrarũ scripturarum, uerbi uidelicet Dei, destituuntur? Adhęc, quomodo hoc tam sanctę Missæ conuenire poterit, ut interea dum Christum unigenitum Dei patri sistunt & offerunt, ut affirmant, in tam eximia deuotione cogitationes suas ad mortuorũ sanctorum merita & intercessionem auertũt: orantq; Deum, ut propter illorum interpellationem propitius esse dignetur, quasi ad placandã diuinã maiestatem non sufficiat oblatio, meritum, mediatio ac sacerdotium Christi filij Dei, nisi simul confugiant ad merita & intercessionem diuorum. Vtinam agnoscant tandem quæ sit uirtus, prærogatiua & efficacia unicæ Christi oblationis semel in cruce factæ, & quanta nobis per illam sint acquisita bona, ac quàm securus ad thronum gratiæ paratus accessus. Si hæc agnoscerent, & uera fiducia amplecterentur, facilè ipsis concepta, de intercessione mortuorum sanctorum opinio excideret. Hæc obiter de Canonæ Missę, quem qui uera sunt fide ac scientia Christi præditi, probare non possunt. Quare haud est præter rationem, quòd sub silentio mussitandus solis rasis & unctis committitur, quibus omnia sacra in quæstum abierunt.

DE ABVSIBVS EXTERIORIBVS *Papisticæ Missæ.*

HActenus in altera hac tractatus istius parte, de accidentibus Missæ Papisticæ diximus, quorum alia sacerdoti, alia ipsi actioni Missæ sic faciũt necessaria, ut nihil illorũ sine peccato mortali omitti possit: restat iam, ut de exterioribus quibusdã abusib. dicamus, quorum alios iustificant, alios etsi non iustificant, haud tamen emendant.

Ex ijs quos iustificant, primus est, quòd Missas celebrãt lingua peregrina, & plebi fidelium, præsertim in Germania, prorsus incognita: qua in re non quærunt aliud, quàm stuporem & admirationem populi, cui hoc peculiare quodammodo est, ut quo minus quę uidet & audit, intelligentia capit, hoc plus illa admiretur, plurisq; faciat: adeoq; plus etiã sumptus in eiusmodi non intellecta sacra pariter & sacrificos impendat. Hoc consilio Missas non uulgari, sed Romana lingua, Latina uidelicet, celebrant, quam Germani omnium minimè intelligunt. Quàm aũt hoc Apostolicę doctrinæ repugnet, 1. Cor. 14. uidere licet, ubi diserte uanitatem eorum reprehendit, qui lingua incognita sic in Ecclesia Dei loquuntur, ut populus audiens non intelligat: ideoq; præcipit, ut omnia ad ædificationem fiant. Vnde rectè colligimus ad hunc modum: Si omnia debent in Ecclesia fieri ad ędificationem, ergo quæ non ædificant, fieri in illã non debent. Ad ædificationem uerò facere non potest, ubi in ecclesia corã populo alienis & incognitis linguis sacra peraguntur, nisi adsit interpretatio. Hac de re Apostolus loquitur ad hunc modum: Qui loquitur lingua (intellige, peregrina) seipsum ædificat, at qui prophetat (hoc est, qui intelligenter proloquitur) congregationem ædificat. Item: Nunc aũt fratres, si ueniam ad uos linguis loquens, quid uobis prodero? nisi loquar uobis aut per reuelationem, aut per scientiã, aut per prophetiã, aut per doctrinã? Adhuc: Alioqui si benedixeris spiritu, is qui implet locũ indocti, quomodo dicturus est Amen, ad tuam gratiarum actionem? Quandoquidem quid dicas, nescit. Nam tu quidem bene gratias agis, uerùm alius non ædificatur. Hæc Apostolus. Ergo non debent ea, quæ coram populo Dei agenda sunt in Ecclesia, agi linguis incognitis, nisi adsit interpretatio. Et hac in re Papistę non modò Apostolicam traditionem, quantumuis de sede Apostolica gloriantur, sed & præcepta Dominica audacter & securè contemnunt. Sic enim materiam hanc concludit: Si quis uidetur propheta esse, aut spiritualis, agnoscat quę scribo uobis, quòd Domini sint præcepta.

Lingua peregrina celebrãt.

1. Corinth. 14.

Obsecro, si reijcit Apostolus eum, ne loquatur, uel psallat in Ecclesia Dei, qui peregrina lingua loquitur, cum uulgarem eius ecclesiæ, in qua est, non teneat, nisi adsit interpres, qui dicta illius ecclesiæ exponat: quàdo probaturus est eos, qui cũ uulgarem linguã melius teneãt quàm Latinam, malũt Latinè loqui ac psallere corã Latinè nescientibus, quàm intelligibili lingua ædificare Ecclesiam Dei? uerùm hac de non est ut hic multis agamus. Fusius enim de illa in Cõmentarijs nostris super priorem Epistolam Pauli ad Corint. cap. 14. diximus.

Mortẽ Domini non annunciant.

2 Secundus abusus est, quòd in Missis suis, quas in ecclesia tam publicas quàm priuatas celebrant, mortẽ Domini non annunciant, cũ Apost. disertè dicat: Quotiescunq; enim manducaueritis panẽ hunc, & de poculo hoc biberitis, mortẽ Domini annunciate, donec ueniat, 1. Cor. 11. Annunciare mortem Domini, non est secretò musitare, ne quisquã audiat & intelligat: sed uoce sonora & intelligibili beneficium redẽptionis nostræ per mortẽ Christi partæ, ex animo in aures ecclesiæ deprædicare, quo cuncti astantes ad sacrificiũ laudis, hoc est ad Eucharistiæ celebrationem permoueantur. Verùm Apostolus loquitur de Cœna Dominica, quã Christus ipse ad sui rememorationem instituit, non de Missa papistica. Quare insipienter forsan & incõsultò requiret quisquam Dominicæ mortis annunciationem ab illis, qui longè aliud sacrũ celebrare præsumunt, quàm sit Ecclesiæ traditum à Domino.

Quòd missatur citra communionem

3 Tertiò, & illud manifestum habet abusum, quòd sacrificulus in Missa solus edit ac bibit, cũ sit illud non Dominicam, sed suam ipsius Cœnam sumere, id quod ab Apostolo 1. Cor. 11. sic reprehenditur: Igitur cum conuenitis in eundem locum, non est Dominicam cœnam edere, quod unusquisq; propriam cœnam occupat edẽdo. Et in calce capitis: Itaq; fratres mei, inquit, cum conuenitis ad manducandum, alius alium expectate. Quòd si quis esurit, domi edat, ne ad condemnationem conueniatis. Cum sacramentum hoc institueret Dominus, suisq; commendaret, nec ipse pro illis solus edit ac bibit, nec iussit, ut unus ex illis pro alijs ederet ac biberet: sed, Accipite, inquit, & edite. item: Bibite ex hoc omnes. Volebat enim instituere mysticam corporis ac sanguinis sui communicationem, non sacerdotale unius sacrificij pro alijs sacrificantis sacrificium. Hoc significans Apostolus, 1. Corinth. 10. dicit: Poculum benedictionis cui benedicimus, non'ne communicatio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, con'ne cõmunicatio corporis Christi est? Quoniam unus panis, unũ corpus, multi sumus. Nam omnes ex eodem pane participamus. Secundum hanc institutionẽ Domini, & Apostolicam traditionem, priusquam missæ priuatæ introducerentur, simul communicabãt & ministri & populus, cuius rei adhuc uestigia deprehenduntur in Secretis & Complendis, quas uocant: habebanturq; unica duntaxat, eaq; publica Eucharistia diebus Dominicis, à qua non cõmunicaturi abigebantur, quemadmodum in Sermonib. Chrysostomi, deinde & nonnullis Concilijs uidere licet: in quibus decretum est, ut ecclesiasticis liminibus arceantur, qui communicare nolint. Et de consecratione dist. 2. Can. Peracta, sic legimus: Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim etiam Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet ecclesia. Hæc ibi. quæ glossator ad ministros tantum arctare conatur, sic tamen ut addat, Vel hoc antiquum est. nam hodie uidetur esse relictum. Vtiq; quod antiquũ est, relictum est à Romanis. At nos quærimus, an relinquere licuerit, quod ipsi ab Apostolis traditũ esse fatentur. Si antiquum est decretũ hoc de Ecclesiastica cõmunicatione, ergo noua est, qua utuntur, sacerdotalis ista missa, in qua unus edit & bibit solus, cæteri uerò adstant absque communicatione. Quid hic dicturi sunt, qui uociferantur ritus illos, quibus Romana utitur Ecclesia, originem ducere ab Apostolis, eo quòd illa traditiones Apostolorum constanter retinuerit. Si hoc ueraciter dicunt, quomodo ueritas decreti illius cuius iam mentionem fecimus, constare poterit? Si poterit, falsum est quod ipsi objciunt, ut rectè cum Augustino Epist. 86. ad Casulanum, Occidentis ecclesias, inter quas est & Romana, non seruasse quę tradita fuerant ab Apostolis, dicamus.

Olim simul cõmunicabãt minister & populus.

Quod antiquũ est, reliquerũt Romani.

Quãdiu Ecclesiastica communicatio duraue rit.

Ecclesiastica sanè Cœnæ Dominicæ cõmunicatio à Christo primùm instituta, deinde per Apostolos ecclesijs tradita, tandiu durauit, donec presbyteri ab Episcopis inualescentibus dissidijs auulsi, schismata introducerent in ecclesias, & neglecta communicatione seorsim Eucharistiam facere inciperent. Et hoc malum usq; adeò paulatim inualuit, ut non modò ab episcopis, sed & à seipsis seperari presbyteri seorsim quiq; sacrificarent: sic ut si centum in eundem locum sacrificandi gratia conueniant, singuli tamen seperatim absq; communicatione celebrẽt. Hos sequuti opulentiores è plebe, & qui reliquis sunt excellentiores, priuata sibi constituerũt sacella, & sacra & sacrificos. Et cum ista corruptio potenter regnet in ecclesijs, nihilo tamẽ minus coguntur ouiculæ Christi sacra hæc, nec Apostolica, nec Ecclesiastica, sed prorsus aduitra colere, frequentare, adorare & magnis sumptibus sustinere.

Quare singuli priuatim malint, quàm simul cõmunicare.

Si rationem quæsieris, ob quã ecclesiastica primùm, deinde & sacerdotes communione relicta priuatim singuli missare, quàm cum ecclesia uel simul cum Episcopo communicare malunt, existimo hanc posse ueraciter assignari. Quoniam sacerdotium illud excogitatum in ecclesias introductum erat, non sine consilio astutissimi ueteratoris: factum est, ut usus illius nõ in genere tantùm, sed in unoquoq; sacrificio singulariter exerceatur: sic ut quisq; illorum ac-

cepta

cepta consecrandi & sacrificandi pro uiuis ac mortuis potestate seorsim fungatur: cuius prærogatiua ac sacerdotalis dignitas non ita emineret, si consecrante uno ac celebrante reliqui simul cum illo: multo minus, si cum plebe fidelium cõmunicarent. Omnino consilio seductionis & impostura factum est, ut ad extollendum cõmenticium hoc sacerdotium in Synaxi segregarentur uncti sacerdotes à cõmunione fidelium: unde inuenta est differentia inter sacerdotalem & laicam cõmunionem: quarum posteriorem usq; adeò minoris æstimant priore, ut si sacerdos propter facinus aliquod à sacerdotali reijciatur, laica adhuc dignus habeatur. Deinde quia uidebatur ad Episcopalem magis quàm sacerdotalem facere dignitatem, si sacerdotes cum Episcopo communicarent in Synaxi: etiam ab ea communicatione ad priuatarũ missarum celebrationem discesserunt. Sic factum est, ut relicta ecclesiastica communicatione, nõ Dominicam cœnam coniunctim, sed priuatam quisq; diuisim celebrent.

Ad eundem scopum facit, quòd sibijpsis integram, utriusq; uidelicet speciei, ut loquuntur, usurpant: laicis uerò dimidiatam sub una tantum specie communionem permittunt. qua de re in loco præcedenti de Cœna Domini diximus. Volebant hac differentia Missarij sacerdotij dignitatem extollere. Quò & cœlibatus introductio facit. Sic enim sacerdotalem dignitatem extollere uolunt, ut uir uxoratus indignus habeatur, qui ad missandum admittatur: dignus uerò sit, qui sub una tantum cum plebe communicet, quantumuis ab Episcopo requirat Apostolus, ut sit unius uxoris uir. Verùm tum temporis nec erãt Episcopi sacerdotes, nec erat missa & potestas consecrandi pro uiuis ac mortuis, ideoq; non requirebatur ab Episcopis & presbyteris ut essent cœlibes: quia etiam uxorati satis digni erant ad prædicandum Euangelium, & dispensandum mysteria Dei, qui postea ad missandum indigni cœperunt haberi: quasi maior sit excellentia missarij sacerdotij, quàm Apostolatus, Episcopatus, & ministerij Euangelici. Sunt hæc adeò manifesta, ut negari nequeant. *Cœlibatus sacerdotum.*

Diximus obiter de abusibus externis missæ Papisticæ, quos sacrifici usq; adeò non improbant, ut defendãt etiam: uideamus iam de reliquis, quos iustificare non audent quidẽ, uerùm interea non emendant. Primus est, quòd pars illorum maxima missas sic celebrant sine intellectu, ut neq; quæ dicunt, neq; quæ certis ac præscriptis gestibus exprimunt, intelligant: imò ne curent quidem ut intelligant. Nam adeò ordinantur indocti, ut plerunq; ne legere quidem expeditè sciant. In quibusdam diœcesibus ab ordinandis nihil requiritur aliud, quàm ut uel legant, uel cantent aliquid. De consecratione distinctione quarta, Can. Retulerũt, de sacerdote quodam legitur, qui sic fuerit Latinæ linguæ ignarus, ut inter baptizandum dixerit: Ego te baptizo in nomine patria, & filia, & Spiritua sancta. Atq; huiusmodi missatores sacrifici creantur cum risu & ioco. Leuitici decimo interdicitur sacerdotibus uini usus tempore ministerij, ut sciant discernere inter sacrum & prophanum. Et Malachiæ secundo: Labia, inquit, sacerdotis custodiant scientiam, & legem requirant ex ore eius. Verùm leguntur ista de sacerdotibus à Deo institutis. Hoc genus sacerdotum, de quo loquimur, non habet opus scientia. Sufficit enim illis, si uerba præscripta proferant, & id facere intendant, quod intendit Ecclesia, etiamsi nihil horum quæ dicunt & faciunt intelligant. Quare necessarium non est, ut admodum sint eruditi. *Missant sine intellectu.*

Deinde negare non possunt, innumeras missas sine religione ac deuotione celebrari: imò tam festinanter ac tumultuariè murmurari, ut cum uix inchoatas putes, ad Canonem usque perruperint. Et quo quis properantius missat, hoc est adstantibus acceptior. Putant satis esse, si adsit propositum consecrandi, idq; non ipso actu, sed uirtualiter tantum. Quorsum enim opus est deuotione, in opere quod non ad hoc præsumitur, ut efficaciter cum Deo agatur: sed ut præbendæ satisfiat, & præsentiæ, quas uocant, acquirantur. Quis autem satis perpenderit, quàm hypocrisis ista diuinæ maiestatis oculos offendat, qua tam exquisita gesticulatione non sacrificatur legitimè, sed luditur ridiculè? quò competit illud prophetæ, & Christi quoq;: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Esa. 29. Matth. 15. *Sine religione ac deuotione.*

Tertiò, missa hæc plerunq; nihil respit aliud quàm quæstum nundinarium, quem Christus in ecclesia sua ferre se nõ posse, bis ipso facto declarauit. Vide Ioan. 2. Matth. 21. Primò ipsum missarij huius sacerdotij initiũ, quod ordinarios initiatores episcopos attinet, Simoniaca est hæresi pollutum. Episcopi nempe uel prece uel precio, uel obsequio ordinati, Simoniaca labe inquinati sunt, ut legitimè ordinare nequeant, si quid est fidei dandum ipsorum Decretis. Nã 1. quæst. 1. legitur ad hunc modum: Cum ordinaretur episcopus, quod dedit, aurum fuit: quod perdidit, anima fuit: cum alium ordinaret, quod accepit, aurum fuit: quod dedit, lepra fuit. Ergo non potest conferre sacerdotium Episcopus simoniacus, nisi lepra, id est hæresis, sit sacerdotium. Non enim, ut ibidem Can. Gratia, legitur, dare potest, quòd ipse nõ accepit. Non accepit autem, quia non gratis accepit, quod non potest nisi gratis accipi. Sacerdos igitur à tali Episcopo siue per pecuniam, siue gratis ordinatus, nihil aliud accipit, quàm quod ille dare potuit. Quod si etiam ipse data fuerit pecunia ordinatus, simili maledictioni obnoxius, non potest conferre benedictionem. Vnde ibidem Canone, Quicunq;, sic legitur: Quicunque sacros ordines uendunt aut emunt, sacerdotes esse non possunt, unde scriptum est, Anathema *Cum quæstu.*

danti, anathema accipienti. Hæc est Simoniaca hæresis. Quomodo ergo, si anathema sunt, & sancti non sunt, sanctificare alios possunt: & cũ in Christi corpore non sint, quomodo Christi corpꝰ tradere uel accipere possunt? Qui maledictus est, quomodo benedicere potest? Hęc ibi.

Deinde & ipsa affectatio & acquisitio præbendarum, Ecclesiasticorumque beneficiorum, Simoniaca est. Vix enim contingit, ut unus & alter uacuis manibus, ritè ac legitimè compotes illorum euadant.

Tertiò, ipsa quoq; missarum celebratio, cum omnibus suis appendicibus orandi ac psallendi, Simoniaca lepra infecta est. Etenim pro certa pecunia prostant hęc sacra, sic ut non detur illorum copia, nisi numeres. unde est illud: Kupfferē gelt, kupfferē Mess. Sanè si nihil esset aliud culpabile in missa papistica, quàm hoc nefandi quæstus malum, abundè satis esset causæ, propter quã reprobari deberet, propter Simoniacæ uidelicet prauitatis hæresim, de qua tã multa in Decretis legũtur, quæ 1. quæst. 1. Can. Citò, ueluti summatim ponuntur ad hunc modũ: Authoritate Leonis papæ Simoniaci, non nisi spiritum mendacij accipiunt, secundũ Gregorium apud Simoniacos sacerdotium non subsistit, benedictio eorum in maledictionem cõuertitur: apud eos manet anathema danti & accipienti, cum sancti non sint, nec in Christi corpore cõstituti, cum sint maledicti: nec sanctificare alios possunt, nec corpus Christi tradere uel accipere, nec benedicere alijs ualent. Secundum Ambrosium uerò anathematis opprobrio condemnantur, atq; à participatione corporis ac sanguinis Christi alienantur. Cum accipitur aurum, lepra datur: & cum inexpiabilis sit culpa uenditi ministerij, secũdum Chalcedone nse concilĩ ex tali ordinatione, nihil proficere iudicantur. secundum Gelasium Simonis damnatione involuuntur, secundum Gregorium Nazanzenum, in sacro ordine permanere aut renouari nulla ratione possunt: ab Elizeo lepra perfunduntur, à beato Petro in perditione dãnantur, à Christo uerò de templo eijciuntur, &c. Et ibidem, Can. Qui studet, Iudæ proditori comparantur & associantur Simoniaci. Quid autem sunt altaria missatorum, quàm numulariorum mensę, non minus, imò multo iustius euertendæ, quàm quas Christus in templo Hierosol. euertit.

1. Quæst. 1. Can. Citò. de Simonia.

Scortatores. Quartò, quid de manifesta & impudenti missatorum scortatione dicemus? Committũtur hæc sacra, quæ supremam habere dignitatem in religione Christiana censentur, scortatoribus & concubinarijs, quibus olim ad ecclesiasticam communicationem, si manifestè fuissent tales, ut sunt hodie sacrifici, maiori saltem ex parte, non patebat aditus, eo quòd non est illis pars in regno Dei. Leuit. 21. arcentur à sacerdotio, si qui immundi sint de filijs Aaron, eo quòd immundicia sacerdotum diuini nominis sit pollutio, quam legem etiam Noui testamenti ministros constringere sentit Hier. super Zephan. cap. 3. Et Psal. 50. improbo dicit Deus, Quare tu assumis testamentum meum per os tuum? Si uidebas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Esa. 1. respuit Deus eorum sacrificia, qui manus habent impuras. Et Malachię 1. dicit: Non est mihi uoluntas in uobis, & munus non suscipiam de manibus uestris. Quid hic aliud dicit, quàm nolle se eorum acceptare oblationes, in quibus nulla sibi sit beneplaciti uoluntas? Nullam autem ipsi esse in scortatoribus, adulteris, incestuosis, ut de sceleratoribus taceam, non est dubium. Gregorius Dist. 49. Can. Hinc etenim, citat ex lege, non posse offerre Deo quouis modo immundum, addita ratione, quòd nequeat aliena delicta diluere, qui proprijs adhuc grauatur. Et Distinct. 81. sic legitur: Si qui sunt presbyteri, diaconi, uel subdiaconi, qui in crimine fornicationis iaceant, interdicimus eis ex parte Dei patris omnipotentis, & S. Petri authoritate, ecclesię introitum, usq; dum pœniteant & emendent. Si qui uerò in peccato suo perseuerare maluerint, nullus uestrũm eorum præsumat audire officium. Quia benedictio eorum uertetur in maledictionem, testante Domino per prophetam: Maledicam, inquit, benedictionibus uestris. Qui uerò huic saluberrimo præcepto obedire noluerint, eidololatriæ peccatum incurrent, Samuele testante, & beato Gregorio instruente. Peccatum enim ariolandi est, non obedire: & scelus eidololatriæ, nolle acquiescere. Idem uidere est Distinct. 32. Can. Nullus, & Can. Præter.

Quærunt excusationes. Verùm in re tam irrefragabiliter detestanda, effugia quærunt, non quibus turpitudinẽ impuræ uitæ resipiscendo & emendando effugiant, sed quibus missæ suæ existimationẽ ac nundinationem coram imperitis saluent. Huc commenti sunt prætextum operis operati, secundum quod missam dicunt bonam esse in se, non minus si à reprobo & impuro, quàm si à iusto ac puro celebretur. Et in hunc finem uirtutem missæ in opus operatũ collocant, quod & Gabriel facit Lectione 27. Puritas sacerdotis, inquiunt, non confert missæ, quam habet uirtutem: sed est illa ex opere operato, qualis qualis sit operans. Ergo nec impuritas sacerdotis hanc illi adimit: perinde atq; uino in se bono, nec cõfert nec adimit quicquã œnopolæ qualitas. Bonũ enim perinde est, si à malo, atq; si à bono uendatur. Quare non est uitanda missa scortatoris sacrificuli, magis quàm casti ac cœlibis: nec huius pluris facienda quàm illius, eo quòd Deo placeat in se, etiamsi displiceat reprobus & impurus sacrificus. Sic illi. Cæci non uident, si missa uino in se bono comparanda est, quòd bona in se sit ipsa, qualis qualis sit sacrificus, sicut bonum est uinum, qualis qualis sit œnopola: consequi, nihilominus de uirtute illius participare hominem reprobum, quàm fidelem ac iustum, si illam data pecunia coemerit. Sic nanq; comparata

Prætextus operis operati.

est

est uirtus uini, ut non modò eadem sit, siue à malo siue à bono uendatur: sed & ex æquo operetur, siue à malo siue à bono bibatur. Si hęc est cõditio missæ, quid impedit, quo minus omni pietatis studio sublato per illam saluentur omnes?

Sanè, manifestum est ex Paulo, iudicium sibijpsi manducare ac bibere eum qui indignè mâducat & bibit: ideoq; requiri, ut seipsum probet manducaturus ac bibiturus, ac sic demũ edat & bibat, ne reus fiat corporis ac sanguinis Domini. Nec refert, siue pro se edat quisquam ac bibat, siue pro alijs. Vtrobique enim reus efficitur corporis ac sanguinis Domini, quisquis indignè edit ac bibit. Sed Gabriel, sacerdotem malum celebrando iuuare alios, damnare seipsum dicit. Verùm quomodo iuuat alios opere tali, quo seipsum condemnat? Potest hoc fieri in ministerio prædicandi, in missa uerò nequaquam. Nam hic benedictionibus & orationibus res agitur. Benedictio autem mali sacerdotis, sicut ex Decretis paulo suprà citauimus, in maledictionem uertitur. Quomodo maledictioni[illegible]us iuuabit sacrificulus eos, pro quibus celebrat? Neq; enim placatur Deus maledictionibus. Vidit hoc Gabriel, ideoq; quamuis opinionẽ operis operati sequeretur & ipse: admonuit tamen sacerdotes ad hunc modum, Lect. 48. Perpendant fideles sacerdotes, cum quanta puritate cõscientię, ac mentis præparatione, cordisq; deuotione accedere debeant, hanc hostiam puram, sanctam, immaculatam, panem uitæ ac calicem salutis perpetuæ oblaturi, ne si peccato obnoxij offerant, sit eorum oblatio quasi eius qui uictimat filium in conspectu patris: ne si accedant, seipsos non probantes, magis filium Dei rursum crucifigant, quàm ipsum offerant in sacrificium beneplacens Deo patri, in reconciliationem peccatorum. Hæc Gabr. Quid opus erat ista admonitione, si opus ipsum operatum in missa perinde Deum placat, si à malo ac si à bono sacerdote fiat? Deinde, quomodo placabit Deum oblatio missæ à malo sacerdote facta, si non habetur apud illum alio loco, quàm si quis filium mactet in cõspectu patris, imò quod adhuc horribilius est, Christum denuò crucifigat? Verùm qui sic desipiunt, ut missas scortatorum opinione operis operati defendant, manifesto argumento de se produnt, quòd alieni sint ab omni Christianæ religionis zelo: & quòd post terga non modò Sacras scripturas, sed & Decreta Pontificum, & scripta Patrum quàm longissimè reiecerint.

1. Cor. 11.

Gabriel Biel.

Consimile effugium & illud est, quod ut in præcedenti respectu operis operati in se, ita in præsenti respectu Ecclesiæ existimationem missæ suæ tueri conantur, dicentes: Qualis qualis sit sacerdos, bona tamen est illius missa, propterea quòd celebrat in nomine Ecclesiæ. Quare, etiamsi sit scortator, uel Simoniacus, aut alio nomine infamis, nihilo tamen uilioris est missa ipsius censenda. Nos uerò regerimus, probari non posse, institutum hoc esse à Domino, ut nomine ecclesiæ quisquam offerat & comedat. Qui pro Ecclesia obtulit, Christus est, tradens semetipsum in cruce, ut mundaret illam suo sanguine. Nemo apostolus obtulit & comedit pro Ecclesia: Institutum hoc Antichristi est, non Christi: Apostatarumq;, non Apostolorum.

Prætextus Ecclesiæ.

Deinde ostendant ipsi, quæ sit Ecclesia illa, quæ publicos scortatores & Simoniacos pro se constituat erga Dominum. Christi nanq; Ecclesia, ut ab Apostolis instituta est, tales excõmunicat, nec pro membris Christi habet. qua de re uidere est 1. Cor. 5. Ephes. 5. Ecclesia Christi neminem ad hoc instituit, ut reus fiat corporis & sanguinis Domini, iudicium sibijpsi edat & bibat, Christum magis crucifigat quàm offerat, atq; irã Dei uerius prouocet quàm placet. Imò quorsum opus esset Ecclesiæ, ut mediatorem inter Deum ac se ponat hominem aliquem, postea quã Christum unigenitum Dei nacta est mediatorem? nedum ut constituat in id loci scortatores ac Simoniacos? Id plerunq; accidit, ut iustus oret pro iniustis: quis autem ferat, ut scortator impurus oret pro Ecclesia, uel nomine Ecclesiæ, atq; eius Ecclesiæ, quæ tantum ualeat apud Deum, ut dignitate sua impuri sacerdotis indignitatẽ excuset, tolerabilemq; reddat? Ad hæc, quomodo orabunt ad Deum, & offerẽt nomine Ecclesiæ, qui inter membra Ecclesiæ Christi censeri nõ possunt? Obsecro, poteritne Ecclesiæ grauior inuri macula & contumelia, quàm qua illi tribuunt, quòd ad sacramentorũ Christi celebrationem cõstituat sacrificos, qui nomine ipsius orent & offerant: & nõ modò reos se corporis ac sanguinis Christi reddãt, sed & sacramenta Dei cõspurcent, & iram Dei grauissimè prouocẽt? Quòd si hæc in nomine ipsius fiunt, an non ipsa quoq; tam enormium peccatorum rea constituitur? præsertim cum non modò non contradicit, sed & eiusmodi se sacrificiorum participem reddit.

At dicunt: Absit, ut in ordine sacerdotum non inueniantur, qui nec Simoniaci sint, nec scortatores, nec indocti, nec irreligiosi. Reperiũtur enim inter illos multi, qui & intelligentes sint rerum sacrarũ, illasq; religiosè tractent, ac simul inculpatè uiuant. Quare illorum quoq; missæ damnantur? Respondeo: Non hoc nobis agitur, ut propter sacerdotum uitia & impuritatẽ missas ipsorum reijciamus: sed ob id potius, quòd in se mala est, ac uehementer reproba: quẽadmodum suprà declarauimus. De abusibus illis crassioribus, & uitijs sacerdotum propterea adiecimus, ut ex abundanti monstremus, quàm sit illa nusquam non culpabilis, tam celebrantium uidelicet, quàm suo ipsius uitio. Quod ad eos attinet, qui uidentur esse non adeò mali, sorti illorum condoleo ex animo: & interim uehementer miror, quomodo & qua conscientia in tot reproborum sacrificulorũ fece perdurent. Si boni sunt, quare cõmunicant cũ reprobis?

Inter missatores multos esse bonos.

Mirũ est, quomodo qui non sunt per omnia mali, in fecib. tot reproborũ hærere queãt.

Quare

Quare nō legunt in Decretis, ad hanc cauſam facientia: utpote Diſtinct. 83. Can. Error, ubi ſic habetur: Negligere, cum poſsis perturbare peruerſos, nihil eſt aliud, quàm fouere. Neq; caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare. Et Can. Conſentire: Conſentire, inquit, uidetur erranti, qui ad reſecanda quæ corrigi debent, non occurrit. Et ne ad ſolos hoc referatur epiſcopos, legitur 24. Quæſt. 3. ad hunc modum: Tam ſacerdotes, quàm reliqui fideles omnes, ſummam debent habere curam de his qui pereunt, quatenus eorum redargutione aut corrigātur à peccatis, aut ſi incorrigibiles apparuerint, ab eccleſia ſeparentur. Hęc & conſimilia plura habentur in Canonibus. Quòd ſi malum hoc uſque adeò inualuit, ut inſtar podagrę, medicam manum non recipiat, tum demùm excuſari poſſunt: qui pro bonis habentur, ſi tam ipſius reprobi ſacri, quàm deprauatorum ſacrificorum commercia fugiētes, animas ſuas ſaluare fategerint.

Concluſio. Hactenus, quantum ſatis uiſum eſt homini pio, Deiq; timenti, ac ueritatis ſtudioſo, recenſuimus ea quæ in Miſſa papiſtica reprehendenda ueniunt. Poſſent adhuc multa adduci, ſi quis ea conſideret, quæ in ſpecialibus miſsis dicuntur, canuntur ac geruntur: præſertim quæ honori ac cultui diuorum adhibentur. Verùm propoſiti noſtri non eſt, multiuarijs illis erroribus, quorum pelagus eſt immenſum, ſi quid eſt ocij impendere, & à melioribus abſtrahere. Dominus tandē eccleſias ſuas ab omnibus erroribus, ſuperſtitionibus, nundinationibus, ac immundorum hominum corruptelis ſingulari ſua clementia liberet ac repurget.

DE VERO CVLTV DEI.

QVONIAM Miſſa papiſtica pro ſummo cultu Dei uenditatur, ideoq; uociferatur, qui quæſtum ex illa faciunt, aboleri cultum Dei, ubi illa aboletur: exiſtimo conueniens fore, ut poſtquam oſtendimus, quibus illa ſit de cauſis è medio tollenda, de uero cultu Dei ſubijciamus, quo manifeſtum fiat nihil minus abrogari quàm cultum Dei, dum Miſſa tot modis reproba abrogatur.

I. COLERE QVID SIT.

Quid ſit colere Latinis. PRincipiò, ut uerbum colendi, ita & cultum, diuerſimodè accipi Latinis notius eſt, quàm ut admonendi ſint, qui Latini ſunt ſermonis periti. Colere aliquando idem eſt, quod ſeruire, aliquando obſeruare & honorare, nonnunquam frequentare ſignificat, eſt quando accipiatur pro exercere: adhuc, idem aliquando eſt, quod ornare: ſonat etiam aliquando habitare, & frequenter pro arare ſumitur. Sic colimus Deū, parentes, præceptores, amicos, rem militarem, & ludum literarium, &c. corpora noſtra, aras, imagines, & templa, terras: item regiones ac domos, & agros. Deum ſeruiendo, parentes obſeruando & honorando, præceptores frequentando, amicos obſequendo, rem militarem ac ludum literarium exercendo, corpora noſtra, templa, aras & imagines ornando, terras, regiones ac domos inhabitando & incolendo: unde angeli cœlicolæ uocantur, & agros arando & exercendo.

Quid Ebræis ſit, עבד. Conſimili modo Ebræis uerbū עבר, & operari ſignificat, ut Geneſ. 2. לעבד אתהאדמה, id eſt ad operandū terram, unde Cain ערכר אדמה, id eſt agricola, operans terrā uocatur, & Exo. 31. ששת ימים תעבד, id eſt ſex diebus operaberis: & ſeruire, unde עבודה ſeruitus eſt, ut Gene. 30. את עבודתי אשר עבדתיך, id eſt ſeruitutem meam, qua ſeruiui tibi: & עבד ſeruum ſignificat, ſic Gen. 9. עבד עבדים יהיה, id eſt ſeruus ſeruorū erit. Ab hac ſignificatione eſt, quod & colere: ut Exod. 20, Non adorabis ea. לא תעבדם, id eſt neq; coles ea. & עבודה cultū ſignificat, ut Gen. 17. רשמרתם את חעבדה חזאת, id eſt, Et cuſtodietis cultū hunc. Sic & Germanis colere Deum, idē eſt, quod ſeruire Deo, Gott dienē, & cultus Dei, Gottes dienſt. Græci uocem Ebræam עבודה,

Quid Græcis λατρεύειν, & λατρίνειν. ubi cultum ſignificat, uertūt plerunq; λατρέιαν. Verùm ea uox prorſus idem eſt, quod δουλεία, teſte Valla, qui contendit idem eſſe λατρίνειν, quod δουλίνειν. Et Suidas, λατρια, inquit, δουλία ἐστιν ἐπὶ μισθῷ. Et paulo pòſt, λάτρευν, inquit, ὁ μισθὸς, λατρία γὰρ ὁ ἐπὶ μισθῷ δουλία. Quare non eſt adeò firma differentia inter λατρέιαν & δουλίαν, ut nonnulli exiſtimant. Cum ergo uerbum colendi ſic cōparatum ſit, ut & ſeruire, & obſeruare honorareq; ſignificet: rectè ad Deum refertur, ut omnis illa ſeruitus, obſeruantia, reuerentia & religio, qua tam intus in corde, quàm foris ipſo opere Deū colimus, cultus Dei uocetur.

II. DEVM ESSE COLENDVM.

Duabus de cauſis, colendum eſſe Deum. DVæ cauſæ ſunt omnium grauiſsimæ, propter quas colendus eſt Deus. Vna eſt debiti, altera utilitatis, imò neceſsitatis noſtræ. Debent illi cultum & obſeruantiam omnia quæ uiuunt, cùm in cœlo, tum in terra. Omnis ſpiritus, inquit Dauid, laudet Dominum. Hoc illi iuris eſt in omnia. Dominus eſt omnium, ideoq; meritò Malach. 1. dicit: Si ego Dominus, ubi eſt timor mei? Creator eſt omnium, quare & hoc nomine ius habet in omnia. Nihil

Prima eſt debiti. enim

enim est, quod non sit ab ipso conditũ. Sanè indignus est qui sit & uiuat, quisquis fontẽ essentiæ ac uitæ suæ non colit, & non colendo contemnit. Indignus item est, qui locum habeat in terra, nedum in cœlo, quisquis Dominum cœli ac terræ colendum sibi esse non putat. Deinde si necessitas nostra consideretur, etiam huius nomine colẽdus nobis est Deus. Ab illo nãq; salus nostra dependet unicè. Non sic colendus est nobis, quasi nostra opus habeat seruitute & obseruantia, absit: sed quòd nos sine illius gratia, ne ad modicum quidem, nedum in sempiternum subsistere possumus. Sic Augustinus lib. Confessionum 13. cap. 1. dicit: Neq; enim eguisti me, aut ego tale bonum sum, quod tu adiuueris, Domine meus & Deus meus: nõ ut tibi sic seruiam, quasi ne fatigeris agendo, aut ne minor sit potestas tua carens obsequio meo: neque ut sic te colam, quasi terram, ut sis incultus, si te non colam: sed ut seruiam tibi, & colã te, ut de te mihi bene sit, â quo mihi est, ut sim cui bene sit. Hæc illè. quibus causam cultus Dei non illius indigentiæ, sed nostræ utilitati ac necessitati adscribit. Et huic consonat, quod Dauid dicit Psal. 16. Bonum meũ non ad te. quasi diceret: Si quid benefecero, non tibi, sed mihi conducit. Bonorum enim meorum nõ eges. Quibus nanq; indigeret, qui ipse de suo sufficit omnib. omnia? Vnde & אל שדי, id est Deus omnisufficiens dicitur. Hinc illis, qui se sacrificijs, munerib. & holocaustis delectari putabãt, dicit: Audi populus meus, & loquar, Israel, & testificabor tibi: Deus tuus sum ego. Non in sacrificijs tuis arguam te, holocausta tua in cõspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua uitulos, neq; de gregibus tuis hircos. Quoniã meæ sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus & boues. Cognoui omnia uolatilia cœli, & pulchritudo agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi. Meus est enim orbis terræ & plenitudo eius. Nunquid mãducabo carnes taurorum, aut sanguinẽ hircorum potabo? &c. Psal. 50. Hac de re nõ fuissent admonendi, nisi Deum sic coluissent muneribus & sacrificijs, ut qui accipiendo delectetur magis quàm dando: quo ingenio sunt, quicunq; aliorum possunt opera & largitionibus iuuari, tanquam sibijpsis non sufficientes in omnibus. Verùm longè alia est omnisufficientis Dei cõditio, quàm sit uel angelorum, uel hominum, etiam potentissimorũ regum ac principum. Quicquid enim illi habent, de suo non habent, sed aliunde: deinde elargiendo opes suas non augent, sed minuunt: augent uerò accipiendo. Nec sufficiunt sibijpsis, sed indigent aliorum opera, sine qua subsistere non possunt. Hic uerò ex seipso habet & potest omnia, & dat nobis omnia ad fruendum abundè, sicuti Paulus testatur 1. Tim. ultimo: & interim tamen opulentia ipsius nulla in re minuitur, nec nostro potest cultu & obsequio iuuari. Quare nullo suo bono colitur, colitur autem nostro omnium maximo.

Altera est necessitatis nostræ.

Augustinus.

Hisce autem duabus causis, quib. conuenit ut Deum colamus, cùm q, cultum illi debemus, tũ q, nostra hoc requirit utilitas ac necessitas, duo sunt in ipso respectus, ad quos rectè referũtur. Prioris est, ius quod habet in omnes, tanquã Deus, creator & Dominus omnium: posterioris uerò est bonitatis ac philãthropiæ illius, iusticiæ quoq; & omnipotentiæ euidens & indubitata experientia, qua & bonus est, & misericors erga eos, qui se colunt ex animo: iustus uerò iudex erga impios, & maiestatis suæ contemptores. Oculi Domini super iustos, inquit Dauid, & aures eius in preces eorum: uultus uerò Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum, Psal. 34. Non est cæcus, non est surdus, non est saxeus, ad colentium se fidelium uota & desideria. Quare fieri non potest, ut inutiliter ac frustrà colatur, modò hoc fiat ritè, candidè & fideliter. Non mentitur dicens: Glorificantes me, glorificabo.

Duo respectus in Deo, ad quos referendi sunt colendi ipsum causæ.

Verùm aliter sentiunt, qui in cordè suo dicunt: Non est Deus. Hoc genus hominum omnẽ numinis cultũ & obseruantiã ridet in corde suo, damnatq; stulticiæ: propterea quòd sentiunt non esse Deum ullum, quales & Cicero lib. 1. De natura deorum perstringit. Aliter sentiunt & illi, quorum impietas prouidentiam Dei negans, Malach. 3. reprehenditur: Vanus est, inquiũt, qui seruit Deo: uel ut in Ebræo est, שוא עבד אלהים, id est Vanum est seruire Deo, aut colere Deum. Et quod emolumentum ex eo est, quòd custodiuimus obseruantiam eius, & quòd ambulauimus lugubres coram Domino exercituum? Et nunc felices eos esse dicimus, qui sunt arrogantes. Etiam ædificantur, qui agunt impiè: quin & ij qui Deum tentant, liberantur. Sic de Deo sentiunt isti: fatentur quidem esse Deum, uerùm sentiunt illum frustrà coli, eo quòd nec cultores suos saluet, nec impios dãnet, imò cæteris feliciores reddat. Aliter uerò animati sunt pij ac timentes Dei, qui non modò Deum esse sciunt, sed & de singulari illius sunt prouidentia certi, qua timentes ac colentes se fideliter ac perpetuò prosequitur. Horum studiũ est, mutuò sese in pietate, obseruantia & cultu Dei contra uoces impiorum confirmare. qua de re loco Malachiæ iam citato, legitur ad hunc modum: Tunc loquuntur timentes Dei, quisq; ad proximum suum (dicentes) Et attendit & audit Dominus, & scribitur liber cõmentariorum coram ipso, ijs qui timent Dominum, & cogitant de nomine eius.

Psal. 14. Aliter impij, aliter pij de cultu Dei sentiũt.

III. QVIS SIT VERVS DEI CVLTVS.

DEum esse colendum, in confesso est apud eos omnes, qui de uero cultu Dei altercantur: quod genus disceptationum maximè nostra hac ætate in ecclesijs inualuit. Quamuis enim fateamur omnes, colendum esse Deum: in hac tamen quæstione, quis sit uerus

Deũ esse colendũ, confitemur omnes.

Dei

Quidam putãt nihil referre quibus rebus Deũ colamus.

1 Dei cultus, in partes ac ſtudia ſcindimur. Pleriſq; uidetur, nihil referre, quib. rebus Deum colas, modò illis colere ipſum intendas. Horum uox eſt: was man guter meinung thut, das gefalt Gott wol. Hi ueritatem cultus Dei bona hominis intentione metiuntur, & ab hac opinione nullis ſe Sacræ ſcripturæ doctrinis ac teſtimonijs abduci ſinunt. Sunt qui ad cultum Dei ſanctificant ea quæ à Patribus ſunt inſtituta, & in eccleſiam introducta. Tribuunt enim illa

Quidã cultum Dei referũt ad inſtituta Patrum.

2 inſtinctui ac directioni ſpiritus S. Pars maxima, ne ſemel quidem cogitant, qui ſint quos colunt. Ab his omnibus diſſidentes, non modò colendum eſſe Deum cõmuni ſenſu ſtatuimus, ſed uerum cultum Dei hiſce conditionibus circumſcribimus, ut colatur non creatura aliqua, ſed Deus: non adulterinus, ſed uerus: non adiunctis alijs, ſed ſolus: non quouis modo, ſed pro expreſſa ipſius uoluntate.

Quidam nõ cogitant uui ſint q̃ros colunt. Idololatræ. Sap. 13.

3 1 Principiò, qui ſimulacra colunt, unde & eidololatræ uocantur, dum illa procubitu, aris, cereis ardentibus ac ſacrificijs colunt: utiq; non Deum, ſed creaturas colunt. Etſi non ſunt adeò dementes, ut exiſtiment mutas, ſurdas & inſenſatas imagines eſſe deos: perinde tamẽ colunt eas, ac ſi eſſent dij, & deos etiam uocant, cum ſint opera manuum hominum. De illis Sap. 13. legimus ad hunc modum: Infelices aũt ſunt, & inter mortuos ſpes illorum eſt, qui appellauerunt deos opera manuũ hominũ, & aurum & argentũ, artis inuentionẽ, & ſimilitudines animalium, aut lapidẽ inutilem, opus manus antiquæ, &c. Et paulo pòſt: Et de ſubſtantia ſua, & de filijs ſuis, & de nuptijs uotum faciens inquirit. Non erubeſcit loqui cum illo qui ſine anima eſt, & pro ſanitate quidẽ infirmum deprecatur, & pro uita rogat mortuũ, & ad adiutoriũ inutilem inuocat, & pro itinere petit ab eo, qui ambulare non poteſt, & de acquirendo & de operando, & de omnium rerum euentu petit ab eo, qui in omnibus eſt inutilis.

Dæmonilatræ.

2 Deinde non uerum Deum, ſed adulterinos colunt, qui ethnica impietate dæmonia ſub nominibus Iouis, Saturni, Martis, Mercurij, Veneris, Solis & Lunæ colunt, quibus adhuc inter Chriſtianos dies nuncupantur, dum dies Dominica dies Solis, feria ſecunda dies Lunę, feria tertia dies Martis, quarta Mercurij, quinta Iouis, ſexta Veneris, ſeptima Saturni uocatur, quas

Cultores diuorum.

ethnicæ impietatis reliquias epiſcoporum negligentiæ debemus. Quid de illis dicemus, qui cultum ſimulachrorum referunt ad mortuos ſanctos? An non & illi colunt nõ Deum, ſed creaturas? Verùm de iſtis diximus in Decalogo. Etſi negant ſe alienos deos colere, dum diuos colunt: negare tamen non poſſunt, creaturas eſſe non creatorem, quos colunt. Quare & horum cultus reprehenſibilis eſt, quia non uerum Deum, ſed creaturas colunt.

Qui non ſolũ Deum colunt.

3 Tertiò, nec illi uerum cultum Dei habent, qui uerum quidem Deum colunt: attamen interim non colunt illum unicè ac ſolum, ſed adiungunt illi & alios, contra expreſſum mandatum Dei, quo præcipit, dicens: Non habebis deos alios iuxta me. Sed de tota hac cauſa diximus in explicatione primi præcepti Decalogi, ubi ſimul & rationes aſsignauimus, quare Deus non coniunctus alijs, ſed ſolus coli uelit: & quid reſpõdendum ſit Papiſtarum obiectionibus, qui materiam & in Matthæo noſtro, cap. 4 attigimus, ubi Seruator tentatori diabolo reſpondit,

Auguſtinus.

dicens: Scriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illum ſolum coles. Auguſtinus lib. De quantitate animæ, cap. 34. de eo quòd Deus ſit colendus ſolus, argumentatur ad hunc modum: Quicquid anima colit ut Deũ, nec eſſe eſt ut melius id eſſe quàm ſeipſam, putet. Anima aũt natura nec terra, nec maria, nec ſidera, nec luna, nec ſol, nec quicq̃ omnino quod tangi, aut his oculis uideri poteſt: non deniq; ipſum, quod uideri à nobis non poteſt, cœlum melius eſſe credendum eſt. Imò hæc omnia longè deteriora eſſe quàm eſt quælibet anima, ratio certa conuincit, ſi modò eam ueri amatores ducentem per inſolita quædam, & ob hoc ardua conſtantiſsimè & obſeruantiſsimè ſequi audeant. Si quid uerò aliud eſt in rerum natura, præter iſta quæ ſenſibus nota ſunt, & prorſus quæ aliquod ſpacium loci obtinent, quibus omnibus præſtantiorem animam eſſe diximus. Si quid ergo aliud eſt eorum quæ Deus creauit, quiddã eſt deterius, quiddam par: deterius, ut anima pecoris: par, ut angeli: melius autẽ nihil. Et ſi quando eſt aliquid horum melius, hoc peccato eius fit, non natura. Quo tamen non uſque adeò fit deterior, ut ei pecoris anima præferenda aut conferenda ſit. Deus igitur ſolus ei colendus eſt, qui ſolus eius eſt author. Homo autem quilibet alius, quanquam ſapientiſsimus ac perfectiſſimus, uel prorſus quælibet anima rationis compos atque beatiſsima, amanda tantummodò & imitanda eſt, eiq; pro merito atq; ordine, quod ei congruit, deferendum. Nam Dominum Deum tuũ adorabis, & illi ſoli ſeruies. Hæc ille. Habet ergo argumentatio iſta ad hunc modũ: Id ſolum colendum eſt homini, quod melius eſt homine. Ridiculũ enim eſt planè & abſurdũ, ſi colat homo paria ſibi, nedũ deteriora. Deus autem ſolus melior eſt homine, quem ſtatim initiò ad imaginem ac ſimilitudinem ſuam condidit, eaq; dignitate ſupra omnia ſublimauit. Solus ergo Deus colendus eſt homini.

Colendum eſſe Deũ ad ipſius uoluntatem.

4 Quartò, requiritur ad uerum cultum Dei, ut non modò uerus Deus ac ſolus, ſed & ad uoluntatis illius præſcriptum, non ad noſtrum uel quorumcunq; aliorum arbitrium colatur. Seruire Deo, eſt illi gratificari. Gratificatur autem illi nemo, niſi quod placitum ipſi ſit faciendo. Quare omnes arbitrarij cultus reprobi ſunt in illius cõſpectu, ac prorſus ingrati & inanes, idq; teſtimonio Chriſti dicentis: Fruſtrà colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum,

Matth.

Matt.15. Quis eum ritè ſeruire dicet, qui ſeruit non ſecũdum Domini ſui uoluntatem, ſed pro ſuoipſius arbitratu? Quanto magis requiritur, ut Deo ſeruituri, in omnibus nos uoluntati illius accommodemus? An non hoc dictat ipſa ſeruiendi ratio, ſeruientiumq; ſubiectio, & cõmunis omniũ ſententia? Vnde aliàs uenit hoc Socrati in mentẽ, ut diceret, unumquẽq; Deum ſic colì oportere, quomodo ſeipſe colendum eſſe præceperit? quam ſententiam & Auguſt. lib. 1. De conſenſu Euangeliſtarum, cap. 18. citat, & hanc ob cauſam Romanos dicit, cùm omnes ſibi deos colendos eſſe cẽſerent (unde erat ipſis templum illud πανθεῶν, id eſt deorum omniũ) unum tamen uerum, Ebræorum ſcilicet Deum colere noluiſſe, eo quòd ſi eum alio modo colere uoluiſſent, quàm colendum ſeipſe dicat, nõ utiq; illum, ſed quod ipſi finxiſſent, coluiſſent. Si autem eo modo colere ilium uoluiſſent, quo ſe coli uelle præſcribit, iam alios deos colere nequiuiſſent, quos ille coli prohibet. Sic igitur reſpuiſſe illos dicit unius ueri Dei cultum, ne cæteros omnes falſos deos offenderent, magis illorum iram metuentes, quàm huius gratiam ac beneuolentiam profuturam ſibi credendes. Agnouerunt ergo ueteres Romani, cùm adhuc alieni eſſent à cognitione Dei, priuſquã facti eſſent Chriſtiani, ſatius eſſe nõ colere Deũ, quàm non ad uoluntatis illius colere præſcriptum: & poſteri illorum, qui de fide in Chriſtum & cognitione Dei gloriantur, uſq; adeò deſipiunt, & communis intelligentiæ ſenſum amiſerunt, ut cultum Dei in ijs eſſe ſentiant, quæ humano ſunt, non diuino conſilio inſtituta. Exigant cultus ſanctorum, & Miſſarum, & quoſcunq; in templis peragunt, ad normam uerbi Dei, tanquam ad diuinæ uoluntatis oracula, & uideant, num tales ſint qui Deo placere poſsint, de quibus cõ ſcientiæ fidelium, de uoluntate Dei certò queant perſuaderi.

Socrates.

IIII. QVAE SINT PARTES VERI cultus Dei.

PRincipiò, quoniam cultum Dei uerum, non humano arbitratu, ſed uoluntate Dei metiendum eſſe conſtat, conſequenter & illud manifeſtò patet, primam cultus Dei partem eſſe ſinceram obedientiam. Liquet hoc uel ex teſtimonio Samuelis, quod 1. Samuel. 15. legitur ad hunc modum: Ait autem Samuel ad Saulem: Sine me, & indicabo tibi quę loquutus ſit Dominus ad me nocte. Dixitq; ei, Loquere. Et ait Samuel: Non'ne cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es? unxitq; te Dominus in regem ſuper Iſrael, & miſit te Dominus in uiam, & ait: Vade, & interfice peccatores Amalech, & pugnabis contra eos uſq; ad internecionem eorum. Quare ergo non audiſti uocem Domini, ſed uerſus ad prædam es, & feciſti malum in oculis Domini? Et ait Saul ad Samuelem: Imò audiui uocem Domini, & ambulaui in uia, per quam miſit me Dominus, & adduxi Agag regem Amalech, & Amelech interfeci. Tulit autem de præda populus oues & boues, primitias eorum quæ cæſa ſunt, ut immolet Domino Deo ſuo in Galgalis. Et ait Sámuel: Nunquid uult Dominus holocauſta & uictimas, & non potius ut obediatur uoci Domini? Melior eſt enim obedientia, quàm uictimæ: & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum. Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Pro eo ergo quòd abieciſti uerbum Domini, abiecit te Dominus, ne ſis rex. Hæc ibi. quibus uerbis expreſſe ſignificari uidemus.

1

Obedientia prima pars cultus Dei.

1. Sam. 15.

1 In hoc primã conſiſtere cultus Dei partẽ, ſi illi obediatur. 2 Deinde, hanc requiri obedientiam, qua uoluntati illius certo uerbo expreſſæ obediatur, etiamſi multa impiorum millia occidere, nedum ſi omnibus benefacere iubeat. 3 Tertiò, hanc obedientiam prętantiorem eſſe omnibus ſacrificijs, uictimis & holocauſtis. Vide Hier. 7.

4 Quartò, non obedire uerò, perinde eſſe, atq; ſi quis idololatriæ ſcelus admittat. Ergo uehementer errant, qui cultum Dei metiuntur ceremonijs externis ac templarijs, nullo uerbo Dei propoſitis. Quanto ſatius fuerit, ſi admoneãtur ſinguli, & cum primis principes, magiſtratus & iudices, ut faciant iudicium & iuſticiam, diligant beneficentiam, & ſolicitè ambulent cũ Domino Deo ſuo, Micheæ 6. Hoc enim bonum eſt, & requiritur à Domino. Verùm de hac obedientia ſeparato loco dicemus. In prętenti ſufficiat, ſcire hanc primam eſſe ac potiorem cultus Dei partem.

2 Secunda pars cultus Dei rectè tribuitur inuocationi, qua de Pſalm. 50. ſic canitur: Sacrifica Deo laudẽ, & redde Altiſsimo uota tua. Et inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Populus legis exiſtimabat ſe apprimè Deum ſacrificijs pecudum colere, quaſi delectetur accipiendo, & non magis dando ac ſaluando. Hanc illorum ſtulticiam redarguens præſcribit de cultu ſuo, quem ab ipſis requirat. Sic dicit: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Quaſi diceret: Si me colis ut Deum, Deum tuum, non coles me donis tuis, quæ non appeto: ſed pete, & accipe potius à me omnia. Hoc faciens, glorificabis me tanquã uerum Deum, cuius hoc miſpat eſt, ut non accipiat, ſed largiatur ſuis omnia. Hæc gloria decet maieſtatem ac magnificentiam Dei, cuius imaginẽ quandam decebat exprimi à regibus & principibus, ut quos Deus ipſe in Scripturis uocat אלהים, id eſt deos. Pſalm. 82. & Ioan. 10. Accedit huc & immenſę bonitatis natura, quæ in Deo ſic excellit, ut nihil faciat propenſius,

Inuocatio ſecũda pars cultus Dei.

Natura bonitatis Dei eſt, bene facere omnib.

sius, quàm benefacere omnib. ideoq; nihil illi posimus offerre acceptius, quàm opis ipsius in uocationem, quæ & hoc nomine omnium rectissimè inter partes cultus Dei numeratur. Non est autem præter rationem, quòd Augustinus alicubi inter partes cultus Dei ponit fidem ac spem. Nisi enim credamus ac speremus, nunquam bona cum fiducia Dominum Deum nostrũ inuocabimus. Quomodo enim inuocabunt eum, inquit Apostolus, in quem non credunt? Rom. 10. Credere oportet, esse Deum beneuolum erga eos, qui se inuocant in ueritate, ac sperare quòd nos sit inuocantes exauditurus. Incredulitas ac diffidentia hæsitãtem reddũt, non inuocantem.

Fides ac spes.

3 Tertiam cultus Dei partem uindicat sibi sacrificium laudis: de quo Psalmo iam dicto sic canitur: Sacrificans laudem glorificat me. Nascitur autem laudis sacrificium ex sensu bonitatis & misericordiæ Dei, per quem ora ad prædicandum ac celebrandum ipsum soluuntur. Pro hac oris apertione orat Propheta, dicens: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Psalmo 51.

Sacrificiũ laudis, tertia pars cultus Dei.

4 Ad has diuini cultus partes referenda est etiam adoratio: uel, si mauis, omnimoda illa submissio & incuruatio, quam Ebręi uerbo השתחוה exprimunt, & Græci προσκυνῆν uocant. Hæc pars cultus Dei, quatenus ad spiritus submissionem pertinet, communis est reliquis: & sic cõparata, ut sine ipsa nequeant illæ ueraciter ac ritè præstari. Neq; enim uera est obedientia, nec uera inuocatio, nec uerum laudis sacrificiũ, ubi nõ concurrit ista submissio spiritus reuerentis ac timentis Dei. Quare Christus adorationem hanc & cultum Dei coniunxit, dicens: Dominum Deum tuum προσκυνήσεις, & illum solum coles. Quatenus uerò pro externis humiliantis se animi gestibus accipitur, includit in se omnes ritus, ceremonias & cultus, quibus pij Deũ secundum uerbum ipsius uenerantur & colunt. Ad priorẽ uerò sententiã referuntur, quæ Christus Ioan. 4 ad Samaritanam dixit: Venit hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate. Nam & pater tales quærit, qui adorent ipsum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant ipsum, in spiritu & ueritate oportet adorare: qua de re diximus in Commentarijs nostris super Ioannem. His puto partibus comprehendi uerum cultum Dei. Si quæ sunt adhuc aliæ, rectè poterunt ad istas tanquam generaliores referri.

Adoratio.

V. QVORVM SIT CVLTVS DEI.

SI quæras, quorum sit cultus Dei: rectè respondebitur, omnium, & non omnium. Omnium est, quatenus omnibus hoc creatis, tam cœlestibus quàm terrestribus competit, ut Deum colant. Cur enim non colant eum omnes & omnia, à quo sunt & conseruantur omnes & omnia? Non est autem omnium, quatenus non colitur ab omnibus, sed à quamplurimis uel cõtemnitur simpliciter, uel non ritè colitur. Augustinus lib. De utilitate credendi, sincerum Dei cultum apud paucos esse dicit. Sanè si considerentur, quæ hactenus de uero Dei cultu recensuimus: utpote, quid sit colere Deum, quòd nemo colendus sit nisi Deus, isq; solus: quis item sit uerus Dei cultus, & quæ illius partes: arbitror abundè manifestum fieri, nõ paucos modò, sed paucissimos esse ueros Dei cultores. In papatu pro cultoribus Dei habentur, qui ad hoc sunt uncti, ut in templis orent, psallant & Missas celebrent. Si quæ faciunt inspiciantur, & ad Scripturas, tanquam Lydium lapidẽ exigantur: deinde si ipsi quoq; considerentur, quales sint, & quid quærant in ecclesia Dei, existimo indubitatum relinqui, esse eos nihil minus quàm ueros cultores Dei. Quomodo enim cultor Dei esse poterit, qui nec spiritu & ueritate Deum colit, sed per hypocrisim, cum sit cultor uentris, Deum se colere simulat: nec ea facit, quæ cum uoluntate Dei conueniant, sed ab illa in omnibus διὰ παντὸς discrepat?

Cultum Dei esse paucorum.

Qui sint autem pauci illi, qui pro ueris cultoribus Dei haberi queant, haud obscurum est cognitu, si teneamus qui non sint. Quisquis inobediens est uerbo Dei, inter cultores Dei numerari non debet: quandoquidem prima cultus Dei pars est uera obedientia, ad normam uoluntatis illius ex animo præstita. Ergo qui uerbo Dei, adeoq; & uoluntati illius obedit, uerus est cultor Dei. Quisquis item Deum uera fide ac sincera cordis fiducia non inuocat, Deum utiq; nõ colit. Colit autem qui hoc facit. Ergo ueri inuocatores Dei, sunt cultores Dei. Adhuc, qui quis Deo nõ laudem sacrificat, cultor Dei nequaquam esse poterit: quemadmodum nec ille, qui non adorat eum cum timore, submissione ac reuerentia, idq; in spiritu & ueritate. Qui uerò laudis illi sacrificium offert, adoratorq; illius est, planè est & cultor. Cõsequitur ergo ueros cultores esse Dei admodum paucos, nec alios esse posse, quàm electos ac fideles: qui soli sunt obedientes, inuocatores, studiosi diuinæ laudis & adoratores. Cogitemus hic, quàm toto errent cœlo, qui ubi de cultu ac cultoribus Dei audiunt, nihil intelligũt aliud, quàm cultus illos templarios, & ordinem rasorum & unctorum: quibus quo liberius Deum colant, ab omnibus est publicis oneribus regia indulgentia concessa immunitas, cum multis alijs prærogatiuis: unde potissimùm factum est, ut in omnis generis inciderint corruptelas, de quibus erubescere nesciunt, ut ipsa illorum uita tantum non clamitet, nihil eos esse minus, quàm cultores Dei.

Qui sint pauci illi cultores dei

VI. QVOD GENVS CVLTVVM DEO PLACEAT.

QVemadmodum Christus seruator ex eo quod spiritus est, Deus colligit, adorandum illum esse in spiritu & ueritate, & tales eum adoratores quærere, hoc est talibus delectari, à quibus in spiritu & ueritate adoretur: ita nos rectè colligimus, delectari Deum cultu mentis ac spiritus: propterea quòd spiritus est, & spiritualibus sacrificijs delectatur. Qualis enim quisq; est, talibus & delectatur: carnales carnalibus, cœlestes cœlestibus, terreni terrenis, spiritus spiritualibus. Argumentum hocusq; adeò rationi congruum est, ut ethnicis quoq; fuerit cognitum. Vnde illud Catonis est: Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt, Hic tibi præcipuè pura sit mente colẽdus. Haud igitur moratur Deus terrenos & corporales cultus, quibus non delectatur, sed spirituales. Et quoniam purissimus sanctissimusq; spiritus est, consequitur delectari eum non simpliciter cultu spiritus ac mentis, sed spiritus puri, innocui ac sancti. Et satan spiritus est, & pro natura sua delectatur spiritualibus: uerùm quoniam malus, iniquus & impurus spiritus est, delectatur malarum, iniquarum & impurarum mentium affectibus, consilijs & studijs, quarum seruitute colitur. Rectè ergo Cato, quoniam intelligebat Deum esse mentem omnium purissimam, non simpliciter dixit, Sit hic tibi mente: sed, Hic tibi præcipuè pura sit mente colendus. Vtinam tantùm de Deo ac cultu Dei intelligerent, qui cultores Dei uideri uolunt, quantum homo ethnicus, rationis iudicio intelligere potuit. Itaq; si purę mentis cultu delectatur Deus, consequitur auersari eum omnem cultum, qui ab impuris prouenit. Hinc impio dicit: Quare tu enarras iusticias meas, &c. Psal. 50. Vnde patet, quid de toto sit impurorum sacrificorum cultu sentiendum: qua de re suprà in loco de Missa Papistica diximus.

Delectari Deũ cultu spiritus.

Delectari Deũ cultu puri spiritus.

Cato.

Sed dicet quisquá: Si corporales cultus nõ moratur Deus, quid est quod Apost. Rom. 12. dicit: Obsecro uos fratres per miserationes Dei, ut præbeatis corpora uestra hostiá uiuentẽ, sanctam, acceptá Deo, rationalem cultum uestrum, &c. Et quid est, quòd ad sacrificium Habel respexit Deus, Gen. 4. & odoratus est odorem placationis in sacrificio Noah: cũ tamẽ utriq; obtulerint de pecudibus? Respõdeo: Nõ loquitur Apost. de corpore carnis tantùm, sed de toto homine, ut sistere corpora nostra Deo, nihil sit aliud, quàm sistere nosipsos totos in obsequiũ Deo: qua in re non spectatur caro, sed fides & obedientia, per quas corpora nostra in hostiam uiuam, sanctá, ac Deo placentem offeruntur. Et ut admoneat de quo genere cultus loquatur, addit, τλὼ λογικλὼ λατρέιαν ὑμῶν, id est Rationalem uestrum cultum.

Obiectio. Rom. 12.

Genes. 4.

Deinde, quod attinet sacrificia Habelis & Noah, certũ est delectatũ esse Deũ in illis, nõ externa pecudũ mactatiõe, quá haudquaquá moratur: sed fide, inuocatione, pietate & gratitudine. His respectibus factum est, ut respexerit ad sacrificiciũ & cultũ Habelis: ad Cain uerò nõ respexerit. Sed hactenus obiter, quæ de cultu Dei annotanda uidebantur, exposuimus.

Ibidem.

APPENDIX DE CVLTV ANGELORVM.

SVPRA cùm nonnulla de creatione ac lapsu angelorum annotaremus, obiter admonuimus, quid sint angeli natura, & quid officio, & quòd non sint ex Deo geniti, sed ab illo creati. In pręsenti, priusquam ad ulteriora progrediamur, operæprecium fore puto, si pauca quædam materiæ de cultu Dei, contra cultum angelorum, propter superstitiosos adiecero.

Principiò, non esse colendos angelos, ex eo satis patet, quod Apocalypsis 19. legimus ad hunc modum: Et cecidi ante pedes eius (angeli uidelicet.) Et dixit mihi, Vide ne feceris. Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum, habentium testimonium Iesu, Deum adora. Consimilia leguntur & capite 22. Adoratio pars est cultus Dei, sicuti suprà ostendimus. Cui pars non competit, utique nec totum competit. Angelo non competit adoratio, ergo non competit illi cultus. Adhæc, Christiano homini cauendum est, quicquid reprehenditur ab Apostolo. Reprehenditur autem ab illo cultus angelorũ, quẽ Græci uocant θρησκέιαν. Cauẽdus est ergo Christiano cultus angelorum. Locus est Coloss. 2. ubi sic legitur: Ne quis uobis palmam interuertat data opera per humilitatem & superstitionẽ angelorũ. Quod Erasmus uertit superstitionem, in Græco est, καὶ θρησκέιᾳ τ ἀγγέλων, id est & cultu angelorum. Vetus interpres reddidit, Et religione angelorum. Augustinus epistola 59. ad Paulinum, quæstione septima, legit culturam angelorum, & dicit Apostolum loqui de principatibus, quos elementorum múndi huius præpositos obseruationibus quibusdam colendos esse arbitrabantur. Cultum autem angelorum diserte idem Augustinus improbat libro De uera religione, capite quinquagesimo quinto, ubi sic scribit: Quod ergo colit summus angelus, id colendum est etiam ab homine ultimo, quia ipsa hominis natura id non colendo facta est ultima. Non enim aliunde sapiens angelus, aliunde homo, aliunde ille uerax, aliunde homo: sed ab una incommutabili sapientia & ueritate. Nam idipsum factum est temporali dispensatione ad salutem nostram, ut naturam humanam

Non esse colendos angelos. Apoc. 19.

Coloss. 2.

Augustinus.

ipsa Dei uirtus,& Dei sapientia incommutabilis & consubstantialis patri, & coeternus susci-pere dignaretur,per quam nos doceret id esse homini colendum,quod ab omni creatura intel lectuali & rationali colendum est. Hoc etiam ipsos optimos angelos,& excellentissima Dei ministeria uelle credamus, ut unum cum ipsis colamus Deum, cuius contemplatione beati sunt.Neq; enim & nos uidendo angelos beati sumus,sed uidendo ueritatem, qua etiam ipsos diligimus angelos,& his congratulamur.Et paulo pòst: Quare honoramus eos charitate,non seruitute.Nec eis templa construimus.Nolunt enim se sic honorari à nobis, quia nosipsos cũ boni sumus,templa summi Dei esse nouerunt.Rectè itaque scribitur,hominem ab angelo pro hibitum,ne se adoraret,sed unum Deum,sub quo ei esset & ille conseruus,&c.uide quæ illis sequuntur.

Quæ pertinẽt ad cultũ Dei, non competũt angelis.

Deinde,quoniam angelos colendos non esse constat,consequitur nihil illis competere eo-rum quæ pertinent ad cultum Dei:qualia sunt inuocatio & adoratio,templa,sacrificia,ac dies festi,& si quid aliud ad cultus pertinere uidetur.Templa non esse facienda angelis,testatur Au gust.lib.1.cõtra Maximinum Arianorum episcopũ,ubi sic scribit: Si Deus Spiritus sanctus nõ esset,templum utiq; nos ipsos non haberet.Scriptum est autem in Apostolo, Nescitis quia tẽ-plum Dei estis,& spiritus Dei habitat in uobis? Et iterum: Nescitis quia corpora uestra tem-plum sunt Spiritus sancti,quẽ habetis à Deo? Non ne si templũ alicui sancto angelo excellen-tissimo de lignis & lapidibus faceremus,anathematizaremur à ueritate Christi, & ab ecclesia Dei: quoniam creaturæ exhiberemus eam seruitutem,quæ uni tantùm debetur Deo? Si ergo sacrilegi essemus faciendo templum cuicunq; creaturæ,quomodo non est Deus uerus,cui nõ templum facimus,sed nos ipsi templum sumus? Hæc ille.

Hic idem Epist.49.in solutione quæstionis tertiæ,negat sacrificandum esse angelis: Restat spiritualis,inquit,creatura,quæ uel pia,uel impia est.Pia scilicet in hominib. & angelis iustis, & Deo ritè seruientibus:impia uerò in hominibus & angelis iniquis,quos etiam dæmones di cimus.Ac per hoc nec spiritali,quamuis iustæ creaturæ sacrificandum est. Quoniam quanto magis pia est & subdita Deo,tanto minus se tali honore dignatur,quẽ scit nõ deberi, nisi Deo. Quanto ergo pernicioſius est sacrificare dæmonijs, hoc est iniquæ spiritali creaturæ, quæ in hoc proximo & caliginoso cœlo inhabitans,tanquam in aërio carcere suo prędestinata est sup plicio æterno.Quamobrem etiam cum se homines superioribus cœlestibus potestatibus,quę non sunt dæmonia,sacrificare dicunt,& solius nominis interesse arbitrantur, quod illi deos, nos eos angelos appellamus,non se opponunt eis ludificandis multiplici fallacia, nisi dæmo-nes qui errore delectantur,& quodammodo pascuntur humano: quoniam sancti angeli non approbant sacrificium,nisi quod ex doctrina ueræ sapientiæ,ueræq; religionis offertur uni uero Deo,cui sancta societate deseruiunt.Proinde sicut impia superbia, siue hominum,siue dæ-monum,sibi hos diuinos honores exhiberi uel iubet,uel cupit:ita pia humilitas uel hominum uel angelorum sanctorum hæc sibi oblata recusauit,& cui debeatur, ostendit: cuius rei manifestissima in Sacris literis exempla monstrantur.Hæc ibi. Quum ergo non competant angelis cultus,non templa,non sacrificia,indubitatò consequitur esse eos nec inuocandos, nec adorã dos.Sunt enim hæc inter se sic connexa,ut si cui non competant cultus,templa & sacrificia,si-mul illi non competat, ut inuocetur &adoretur,quę omnia soli uero & unico Deo debentur. Quę de cultu angelorum annotamus,sic sunt comparata,ut amplius aliquanto conuincant,re probum esse & impium omnem illum cultum,quo sancti mortui templis,diebus festis,sacrifi-cijs,inuocatione &adoratione passim ac palàm coluntur.Vix extat templum, quod non sit ali-cui sit sanctorum dedicatum ac nuncupatum.Agnosce quale sit opus suffraganeorum episco-porum,qui nullum locum,templum & altare cõsecrant,quod nõ alicui sanctorum dedicetur. A ueritate Christi,inquit Augustinus,anathematizaremur,& sacrilegi essemus, faciendo tem plum cuicunq; creaturæ:quoniam creaturę exhiberemus eam seruitutem,quæ uni tantùm de betur Deo.Respondeant Augustino cultores angelorum ac diuorum.Deo respondebunt suo tempore,illiusq; iudicium eludere non poterunt.

CVR SIT DIFFICILE À FAL-SO DISCEDERE CVLTV.

Titulus diuini cultus.

EX ijs quæ de uero Dei cultu præmissa sunt, abundè patet,omnem nostri tem-poris Papismum falsis cultibus esse refertum, ut mirum sit, quî fiat, quòd tam multæ ecclesiæ tam illis tenaciter adhæreant. Verùm si consideremus quàm ægrè ueritatem Dei agnoscant, qui lucem uerbi illius uel fugiunt ipsi, uel ex-terna potentia fugere & auersari coguntur,desinemus mirari,unde tanta sit stu-piditas: præsertim si cogitemus quibus retinaculis cæca multitudo in errore detineatur.

1 Papistici cultus cõmendantur imperitis primùm specioso ac sacrosancto titulo,quo cultus Dei

Dei uocantur. Omnium enim mentibus insita est religio numinis, sic ut nulla sit gens uspiam, quę non censeat colendam esse immensam illam, ac cunctis tremendam maiestatē Dei. Quamuis nanq; innumeri semper sint impij, multitudo tamen Deum aliquem esse persuasa, cultum illius religiose seruandum esse iudicat, etiamsi neq; Dei, neq; cultus illius ueram scientiam teneat. Hoc prætextu homines astuti, ac quęstum sub specie pietatis sectantes, imperitæ multitudini quiduis obtruserunt, religioseq; ad demerendum Deum, seruandum tradiderunt: idq; non in una tantùm & altera, sed in omnibus totius orbis nationibus: à quo malo nec Iudæi, nec Christiani liberi perstiterunt. Notæ sunt Israelis historiæ, notiores nobis sunt nostræ, quę & ipsæ non minus quàm illę suum aliquando finem sortientur. Magisterium illud humanum, quod iam seculis aliquot regnat in ecclesia, eousq; inualuit, ut ritus quos de suo nō modò prę-ter, sed & contra uerbum Domini instituit, titulo cultus Dei uenditentur. Hac impostura plebem Christi dementarunt, ac conscientias imperitorum statutis ac traditionibus suis summa cum religione obseruandis obstrinxerunt. Hinc est, quòd hodie cœlum ac terram miscentes uociferantur aboleri cultum Dei, ubi traditiones humanę uerbo Dei repugnantes abolentur, unde seculi huius principes admodum offenduntur: quandoquidem horribile ac uehementer impium communi sensu censetur, cogitare aliquid contra cultum ac religionem Dei, nedum aliquid illius abrogare. Offensionis huius causa est ueri cultus Dei ignorātia, ex eo nata, quòd Scripturæ sacræ ignorantur. Hinc omne malum est, inquit alicubi Chrysostomus, quòd Scripturæ ignorantur. Lucem uerbi Dei sustulerunt impostores, & in caligine ignorantiæ uēdunt quidlibet pro quolibet, scoriam pro auro, idola cordis humani pro ipsissimo Dei cultu. Sic fit, ut solo titulo cultus Dei retineantur mordicùs omnis generis superstitiones & idolomaniæ. Nulla quippe ratione facilius seducūtur, qui zelo Dei sunt præter scientiam prędi-ti, quàm opinione diuini cultus. Nulla fuit unquam idololatria, quæ non hoc titulo deceperit imperitam & incautam multitudinem. Quid enim faciet aliud, quàm ut religiose seruet eas ceremonias, quæ à pastoribus ac doctoribus pro cultu Dei præscribuntur, & à potentibus hoc nomine asseruntur, atq; ita catholicam diuini cultus opinionem sortiuntur? Laudādus quidem est hic zelus, quo religiose seruatur, quicquid ad cultum Dei pertinere existimatur: uerùm ignorantia ueri cultus Dei laudanda non est, sed reprehendenda, maximè in eo populo, cui copia est uerbi Dei facta. Prudenti Christiano non facilè imponitur in causa religionis. Haud enim iudicat de cultu ac cultoribus Dei secundum usitatos titulos, qui plerunq; sunt inanes, sed secundum uerbi Dei calculos, qui fallere non possunt. Quos uulgo uocant episcopos, presbyteros, pastores & doctores, non ideo pro talibus habet, quia uulgo tales uocantur: sed considerat illorum opera ac studia, num reuera sint, ac reipsa præstent quod dicuntur. Consimili modo de cultu quoq; Dei non credit communi sensui. Neq; enim tam bene, ut ille ait, cum rebus humanis geritur, ut meliora pluribus placeant. Quare quærit quid ueri sit in cultibus receptis, non quid usitatum. Et hic non utitur proprio, sed uerbi Dei iudicio, per quod instruitur, quis sit uerus Dei cultus, quis non. Qui uerò Christiana hac intelligentia destituuntur, egerrimè persuadentur, ut aliter in hisce rebus, quàm secundum usitatos titulos iudicent, ideoq; à receptis cultibus haud facilè auelluntur.

Vnde sit ignorantia ueri cultus Dei.

Prudenti Christiano non facilè imponitur in causa religiōis.

Meliora non placent pluribus.

2 Deinde ad catholicos titulos in falsis cultibus accedit externus & exquisitus splēdor, præsertim in eximijs templis, aris, simulacris & Missis, per quem non oculi duntaxat, sed & mētes spectantiū fascinantur. Superstitio peperit opes, ex opibus prodijt splendor ille tēplarius ex auro, argento, lapidibus preciosis, sericis ornamentis, & personis iuxta seculum spectabilib. cōflatus: ut ea taceā, quæ prurientes aures demulcent, & singulare illud mysteriū seductionis, quo sacra idiomate incognito, & à personis cœlibatum profitentibus peraguntur. Hęc omnia ut sunt imperitis plausibilia, ita reddunt eos attonitos ac stupidos. Erroris hoc est principiū, inquit August. quòd Deo placere putantur, quæ nobis placent: ac displicere, quę nobis displicent. Nobis placent, quæ uel oculos nostros splendore, uel aures singulari quadam iucunditate afficiunt: ideoq; & cœlesti putamus ea placere numini. Hæc est puerilis humani cordis stultitia, qua Iudæi quoq; dementati leguntur, in quorum oculis admodū splendebant cultus gentium, delubra, luci, excelsa altaria passim extantia, simulacra, &c. econtrà sordebant ritus legales. Non satis religiosum putabatur, in uno tantùm loco, quem Dominus elegisset, sacrificare, & interim reliqua loca uacare cultu Dei. Sic contempto cultu Dei, qui præscriptus erat in lege, æmulabantur cultus ethnicos. Notum est factum Achas, 2. Reg. 16. Consimili planè modo Papistici cultus splendore suo alliciūt ad se imperitorum mentes, oculos & aures: putanturq; apprimè placere Deo, & hanc ob causam mordicùs retinentur.

Externus splendor.

Principium erroris.

Eregionè, quoniam uerus Dei cultus in spiritu ac ueritate perficitur, & neq; situs est in externis quarumcunq; ceremoniarum obseruationibus, neq; splendorem mundanum, sed magis spiritualem requirit, qui sit in uera fide, spe, inuocatione, adoratione, &c. fit ut sordeat in oculis eorum, qui nec Deum, nec cultum eius ritè cognoscunt. Nisi uideant templa magnifica, aras & multas, & operosè ornatas, simulacra auro & argento, & uarijs coloribus splendentia, audiant boatum templarium, quem non intelligant, & quę alia sunt eiusmodi, offenduntur,

Humilitas ueri cultus Dei.

Humilitas personæ, conditionis ac uitæ Christi.

quia non credunt delectari Deum rebus humilibus. Accidit illis idem quod Iudæis in persona Christi usuueniebat: quem, quoniam fabri uidebatur esse filius, & erant illius omnia iuxta seculum humilia, locus educationis, parētes, cognatio, ipsa personæ conditio, & comitatus piscatorum, hominum obscurorum & nullius existimationis, nihil minus esse putabāt, quàm quod reuera erat, Messiah uidelicet & unigenitus Dei. Humilitatem hanc adhuc uiliorem reddebat, quòd nullas uel celebrabat cum suis, uel instituebat ipse ceremonias, neq; legis, neq; alias aliquas. Non utebatur externis cultibus, aris, oblationibus & purificationibus. Traditiones etiā Patrum, quę apud Iudęos maximi fiebant, & supra ipsa mandata Dei extollebantur, ipse nihili faciebat, imò nonnunquam damnabat. Docebat passim in domibus priuatis, in agris, in desertis locis, in montibus, ad mare, &c. Tametsi per annum semel atq; iterum Hierosolymam ibat, haud tamen id aliam faciebat ob causam, quàm ut populū eò confluentē docendo instrueret. Talē hominem, qui omnia agebat tam humiliter, & adeò parum externi cultus Dei studiosus esse uidebatur, ij qui carnales erant, & rerum spiritualium imperiti, admodū contemnebant: splendorem uerò, quem uidebant in Pontificibus, Sacerdotib. Scribis, Pharisæis, populi Principibus, in quibus conspicua & illustris erat potestas, authoritas, sanctitas, scientia legis, &c. deinde in magnifica structura, summa celebritate ac frequentia templi, in sacrificijs, uictimis, oblationibus & holocaustis, innumerisq; alijs ceremonijs, ipsissimū iudicabāt esse cultū Dei. Tam insigni splendori collata Christi seruatoris conuersatio, quid uidebatur esse aliud, q̄ profana quædam uita, in qua nullum esset religionis ac diuini cultus studium? immò esse uidebatur manifestus totius religionis contemptus, ac pessimum quoddam impietatis exemplum. Hoc genus offendiculi, utroq; tam splendoris in cultu Iudaico, q̄ humilitatis in Christo respectu natum, multum impediuit populum legalem, quo minus ad ueritatem Christi accederet.

Humilitas prioris ecclesiæ Christi.

Transeamus hinc ad ecclesiam, quæ post exaltatum in cœlos Christum, per Euangelij est prædicationem collecta. Hanc Apostoli, quemadmodum à Christo fuerant omnium simplicissimè instituti, absq; omni externo ceremoniarum cultu instituerunt. Nihil illi tradiderunt de templis magnificè extruendis, de altaribus, de oblationibus, de sacerdotalibus uestimentis, de simulacris, de Missis, de cereis ardentibus, de ornatu & splendore qui sit ex auro, argento, lapidibus preciosis, & serico: sed de uera in Christum fide, de spe, de charitate, de patientia in aduersis, & uera resipiscentia uitæq; sanctimonia. Conuenientibus in unum fidelibus prædicabatur Euangelium regni, orabatur ad Deum, communicabatur, Christi memoria per panis fractionem & mortis illius annunciationem celebrabatur, sicuti uidere est Act. 2. & 1. Cor. 11. controuersiæ fratrū cōponebantur, subsidiaq; in usus pauperum colligebantur ac distribuebantur. Hæc erant exercitia ecclesiastica, humilia in oculis tam gentium quàm Iudæorum, quibus utrisque in consueto erat splendor externorum rituum, & ignotus uerus Dei cultus.

Exercitia Ecclesiastica.

Ecclesiæ in humilitate diuini cultus nō permanserunt. Augustinus.

Si consideres tempora metapostolica, reipsa deprehendes, non potuisse ecclesias simplicitatem ac sinceritatem diuini cultus retinere, quam Apostoli ab ipso Christo, & ipsæ ab Apostolis acceperant. Mox enim per episcoporum ethelothresciam aliæ post alias introductæ sunt in ecclesias ceremonię, quàm fieri potuit splēdidæ & spectabiles: quarum sic multitudo paulatim inualuit, ut Augustino quoq; conquerendi causam dederit. Is enim Epistola 119. cap. 19. scribit ad hunc modum: Sed hoc nimis doleo, quòd multa quæ in diuinis libris saluberrima præcepta sint, minus curantur, & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, ut grauius corripiatur qui per octauas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem uinolentia sepelierit. Et aliquanto pòst: Quamuis enim, inquit, neque hoc inueniri possit, quomodo contrafidem sint: ipsam tamen religionem, quàm pauciss imis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei liberam esse uoluit, seruilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnouerunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subijciuntur. Hæc ibi. At in oculis imperitorum, quo ceremoniosiores ac splendidiores sunt apparatus ac ritus templarij, hoc magis ipsissimus esse cultus Dei, & ob id potissimùm Euāgelicæ religionis simplicitas & humilitas minus de cultu Dei habere uidetur, quòd nullus eiusmodi ceremoniarū splendor in ecclesijs nostris spectantiū oculis obijcitur. Interea doctrina ueritatis cōtempta est & obscurata, fides Christiana corrupta, innumeræ superstitiones & idololatrię species ecclesijs obtrusæ, & omnis ille externus ceremoniarū cultus, in quē toti incubuerūt Magistri ecclesiarū, in quęstū omniū turpissimū cōuersus.

Tolerabilior cōditio Iudæorū quàm Christianorum.

Inueterata consuetudo.

3 Tertiū retinaculum, quo imperiti in falso cultu Dei detinentur, inueterata consuetudo est, unde illis præiudicium, tanquam ex longi temporis præscriptione, aduersus ueritatem Dei obijcitur. Verùm opponenda est illi ueritatis authoritas, cui cedere debet, quantumuis uetusta & inueteratæ consuetudinis falsitas. Consuetudo sine ueritate uetustas erroris est, quemadmodum ex Cypriano in Decretis Pontificum, dist. 8. Can. Consuetudo, citatur: & prouerbio Germanico dicitur, Tusent jar vnrecht thon, ist kein jar recht thon. In cultu Dei non est quærendū quid uetus, quid nouum: sed quid uerum esse ex Sacris possit scripturis comprobari. Vbi ueritas certa monstratur, cedendum est mendacio, quamtumuis uetusto & inueterato.

Hisce igitur tribus ueluti retinaculis, in falsis Papistarum cultibus imperitorum multi-

rudo

tudo detinetur: titulo uidelicet diuini cultus, splendore plus quàm mundano, & inueterata consuetudine. Et hoc tenaciora sunt ista uincula, quo magis illis qui uerum cultum Dei, relicto falso, sequuntur, obijcitur hæresis, impietas aduersus cultum Dei, & nouitatis studium. Triplicem hunc contextæ falsitatis funiculum acutissima unius ac simplicissimæ ueritatis bipenni amputant electi ac fideles, scientes in una esse ueritate salutem, non in mendacio quantumuis speciosо ac uetusto: uerùm de imputatione inuisæ nouitatis existimamus operæprecium esse, ut peculiari iam loco dicamus.

DE NOVITATE DOCTRINAE, FIDEI, RELIGIONIS AC CVLTVS DEI, *quam nobis aduersarij obijciunt.*

PLAVSIBILIS est nõ in humanis tantùm rebus & moribus, sed & in religione antiquitatis prętextus: & eregionè odiosum nouandi studium. Nec desunt utriusq; rationes. Etenim sic est cõparatus hic mundus, ut quo longius à prioribus seculis abimus ac progredimur, hoc omnia in peius degenerent. Quare admodum culpabiles esse uidentur, qui ad hoc propendent, ut priscæ probitatis mores ac ritus, cùm ciuiles tum sacros, nouandi studio uicient, uel prosus è medio tollant: quandoquidem ægerrimè sperari potest, ut quæ noua præsumuntur, prisca adæquent, nedum superent. Vnde etiam est, quòd nonnunquam antiquum pro meliori sumitur: nouũ uerò pro deteriori. Sic aduersarij ueritatis, ubi sub titulo religionis inueteratas iam seculorum aliquot superstitiones imperitæ multitudini mordicùs retinendas esse persuadere uolunt, iactitant ueterem ac priscam religionem, nobisque nouam exprobrant, quæ nihil sit aliud quàm apostasia à ueteri. Quare considerandum est, quid hic sit ueri, quid non sit. Vtemur autem trimembri hac dispositione, ut uideamus, *Plausibilis est antiquitatis prætextus.*

1 Num semper sit malum, quod est nouum.
2 Num doctrina ac religio nostra uerè sit noua, simusque nos, uel ipsi rerum sacrarum nouatores.
3 Quorum culpa factum sit, quòd doctrina nostra uidetur esse noua, quum non sit noua.

1. AN SEMPER SIT MALVM, *quod est nouum.*

QVæ semper mala sunt, natura sua, & ἁπλῶς, & in seipsis mala sunt. Nouum uerò esse, nec natura nec ἁπλῶς, nec in seipso malũ est: sed si malum est, malũ est κατὰ συμβεβηκός. Quę sic sunt comparata, perinde possunt esse bona κατὰ συμβεβηκός, atq; mala. Quare fieri potest, ut bonum sit quod est nouum, non minus quàm ut sit malum, si circumstantię considerentur. In rebus terrenis manifestum est, pleraque hoc ésse non modò gratiora, sed & meliora, quo sunt recentiora. Domum nouam quis non mallet, quàm uetustam? uestem nouam quis non præferet uetustæ? Quę usu ac uetustate absumuntur, uel saltem debilitantur, utique præstantiora sunt, dum sunt recentia, quàm ubi facta sunt uetera. Ergo usqueadeò malum in se nõ est, esse nouum, ut sæpenumerò melius sit, quàm esse antiquum. *Nouũ esse, non est in seipso malum.*

Verùm dices, aliam esse rationem sacrorum, quę non, ut terrena, uetustate corrumpuntur, sed illibata perdurant: ideoq; sine temeritate nouorũ successione mutari nõ possunt. Respondeo: Et hic quoq; nouitas per se nõ est mala, nisi mala fiat ex circumstantijs. Etenim si omnino mala esset in religione nouitas, haud consultò Christus doctrinam suam cõpararet uino nouo, Matth. 9, & Ioh. 13. diceret: Mandatũ nouũ do uobis, ut diligatis uos inuicem: & in ultima cœna, Hoc poculum nouum Testamentum est in meo sanguine. Mala nouitas est, qua quę bona sunt, è medio tolluntur. Talis autem non erat Christi doctrina, qua lex infirma antiquabatur: & quod illa non poterat, uirtute ac nouitate spiritus perficiebatur. *Obiectio.* *Mala nouitas quæ sit.*

Mala nouitas erat, qua Iudæi nouos ac recentes deos, quos patres ipsorum non cognouerant, colere præsumpserunt. Hac quippe nouitate uerus ille, unicus ac priscus, imò sempiternus, patrum ipsorũ Deus reijciebatur: qua de re uidere est Deut. 32. Bona nouitas est, ad quã nos prouocat Apostolus 1. Cor. 5. dicens: Expurgate uetus fermentũ, ut sitis noua cõspersio. Et 2. Cor. 5. Si qua in Christo noua creatura, quia ecce uetera transierunt, & noua facta sunt omnia. Et Ephes. 4. Col. 3. Induite nouũ hominem, qui secundum Deum creatus est. Et Ezech. 36. Dabo uobis cor nouum, & spiritum nouũ ponam in medio uestri. Ad hanc nouitatem cur prouocat Apostolus? Ideo uidelicet, quòd per illam mala uetustas carnis, cordis ueteris hominis, ueteris creaturę: hoc est, homo ille peccati, peccato deprauatus, ac cõcupiscẽtijs subiectus *Bona nouitas.*

ſancta regeneratione, quę ex ſpiritu Chriſti eſt, reijcitur ac mortificatur. An hęc nouitas in p-phanis eſt, & non magis ad Chriſtianam religionem pertinens? Ergo ne in ſacris quidem mox mala eſt nouitas, imò nonnunquam optima.

Refert quibus noua doctrina proponatur.

Sanè plurimùm refert, quibus nouitas in religione proponatur. Si ijs qui ueram religionẽ ſaluam & integram cuſtodiunt, meritò reprehenditur ac damnatur: ſecus uerò, ſi proponatur errantibus, & in falſa aliqua religione inueteratis. Noua doctrina proponebatur Iudæis & gentibus, cum prædicaretur illis Euãgelium regni Dei, unde & dicebant Marc. 1. Quę nam eſt hęc doctrina noua? Et Act. 17. Paulo dicebant Athenienſes: Noua quædam infers auribus noſtris. An ideo mala erat doctrina Chriſti, quòd noua erat, & antea inaudita? Abſit. Erat omniũ optima, & neceſſaria populis in uetuſtate errorũ nimis diuturna captiuatis & occæcatis. Per hãc enim Iudęi à uetuſtate literæ, à ſeruitute elemẽtorũ, ab umbris legis, ad nouitatẽ ſpiritus, libertatem iuſticiæ, & lucẽ ac ueritatẽ noui & æterni teſtamenti, & gentes à tenebris ſuis ac ſeruitute falſorum deorũ ad ueram unius ac ueri Dei cognitionem in Chriſto Ieſu ducebantur. Hac ergo nouitate tam illis nihil incommodabatur, ut etiam à perditione ad uerã ſalutem uocarentur. Conſimili modo, ſi quis hodie prædicaret Euangelium uel Iudæis uel Turcis, utiq; doctrinam, etſi non in ſe, ipſis tamen nouã prædicaret. Quòd ſi reclamantes dicerẽt, Nouam doctrinam non recipimus: quid reſponderes aliud, quàm quòd non mox malum ſit, quod eſt nouũ, quodq; noua doctrina & utilis ſit & neceſſaria illis qui in religione errant.

Quando malũ ſit, ſi Chriſtianis noua doctrina proponatur.

Longè uerò ſecus eſſet, ſi Chriſtianis quiſquam ueram regni cœleſtis doctrinam ac religionem habentibus nouam utranq; obtrudere moliretur. Is enim perinde faceret, ac ſi mulieri legitimum uirum habenti, nouum quempiam inſinuare uellet. Huc pertinet quod conſtanter inculcat Galatis Apoſtolus, dicens: Cæterùm etiamſi nos, aut angelus è cœlo prædicauerit uobis Euangeliũ præter id quod prædicauimus uobis, anathema ſit. Quemadmodum antea diximus, & nunc iterum dico, Si quis uobis prædicauerit Euangeliũ præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Niſi Galatæ uerum Euangeliũ ab ipſo Apoſtolo iam antea accepiſſent, anathematiſmus iſte locum non habuiſſet, ſi quis poſt illum nouam ipſis doctrinã propoſuiſſet. Non poteſt igitur ſine grandi peccato noua doctrina obtrudi Chriſtianis, qui à uera & Apoſtolica abducantur. Si nos hoc faceremus, haud immeritò notam illicitæ nouationis ac temerariæ præſumptionis ſuſtineremus. Sic puto ex præmiſſis abundè ſatis patère, quando in religione mala ſit propoſita nouitas: & quando non modò mala non ſit, ſed utilis etiam ac neceſſaria.

ILLVM DOCTRINA AC RELIGIO NOſtra uerè ſit noua, ſimuſq; nos uel aduerſarij rerum ſacrarum nouatores.

SEd inferunt ex præmiſſis aduerſarij: Ergo uos eſtis ſeductores ac nouatores in religione Chriſtiana. Etenim doctrinam ueſtram proponitis nec Iudęis nec Trucis, ſed Chriſtianis. Et eſt illa hodie Chriſtianis auribus noua & incognita. Propter huiuſmodi inſimulationẽ uidendum eſt uere ne noua ſit noſtra doctrina, uel ſecus: id quod tum liquebit, ubi conſtiterit quid uerè ſit nouum, quid non ſit. Neq; enim mox nouum eſt, quod nouum eſſe uidetur.

Nouum eſſe quid ſit.

Nouum eſſe conſtat, quod antea nec fuit unquam, nec uiſum eſt, nec auditum hactenus: ſed iam primùm cœpit, inq; lucem emerſit. Hinc eſt quòd Salomon Eccleſiaſtes 1. nihil eſſe ſub ſole dicit, quod ſit nouum, nec poſſe dici: ecce hoc recens eſt, eo quòd præceſſerit iam antea in ſeculis præteritis. Nouum quidem uidetur, ſi quod antea quidẽ fuit, corruptum uerò eſt, aut uel tempore, uel abuſu ac negligentia mortalium perijt reficiendo renouatur, non ut iam primùm eſſe incipiat, ſed ut ſit quale fuerat antea, uerùm reipſa nihil minus eſt quàm nouum. Aliud enim eſt nouare, & aliud renouare. Nouare dicuntur, qui res nouas inſtituunt, antea inuſitatas & ignotas: renouare uerò, qui antiquata priſtino ſtatui ac uſui reſtituunt.

Aliud eſt noua re, & aliud renouare.

Sic noua erat lex, quæ per Moſen Iſraeli cuſtodienda dabatur, cum primùm in monte Sina proponeretur: & nouũ erat Euangeliũ Chriſti, cũ primũ in orbe per Apoſtolos annunciaretur. Noua uerò nequaquã erat lex, cum piorũ regũ ſtudio, ubi corrupta fuerat, reſtitueretur ac renouaretur. Notæ ſunt hiſtoriæ Regũ, Aſa. 2. Paral. 15. Ezechiæ cap. 29. & Ioſiæ ca. 34. Nec noua erat prophetarũ doctrina, qua corruptelas legalis religionis corripiebant, & germanam diuinæ legis obſeruantiam requirebant, quantumuis noua & inſolita uideretur.

Conſimili modo, ſi quę nunc in religionis noſtræ cauſa docemus, introſpiciãtur, & ad normam ueritatis exigantur, num & antea fuerint Chriſtianis tradita, recepta & uſitata, idq; in eccleſijs Apoſtolicis, quas ipſi inſtituerunt Apoſtoli: exiſtimo omnibus ueritatis ſtudioſis manifeſtum fore, nihil eſſe illa minus quàm noua, quandoquidem per illa nihil noui & inuſitati introducitur, ſed uetera, ſeculis iam aliquot antiquata & prolapſa renouantur.

Noua eſt papiſtica doctrina.

Si uerò examinentur, quæ per pontifices eccleſijs ſunt obtruſa, quorum hodie gratia tam acerbè ab illis dimicatur: omnino liquebit, eſſe ea nõ uetera, ſed noua, poſt Apoſtolorum tempora humana temeritate præſumpta. Si negant, reſpondeant nobis, an nõ antiquius ſit, quòd nos ſo

nos ſolum Deum adoramus, quàm quòd ipſi mortuos quoque ſanctos adorare docent? an ad Apoſtolicam antiquitatem referendum ſit, quòd diuis delubra, templa, ſacella, aræ, ſimulacra, feriæ, & cultus in papatu inſtituuntur: quòd illi pro mediatoribus ac patronis habentur, cum unus ſit mediator inter Deum & homines, homo Chriſtus Ieſus, quòd tam longinquis peregrinationibus ad memorias illorum excurritur, quòd in baptizandis infantibus mali ſpiritus exorcizantur, quòd fides & fidei confeſsio ab illis exigitur, quòd ſal, oleum ac ſputum baptiſmo adhibentur, quòd populus fidelium communicatione ſanguinis Domini priuatur; quòd cœna Domini in ſacrificium miſſaticum mutatur, proque uiuis ac mortuis celebratur, ut reliqua taceam quæ in miſsis ipſorum à Dominica inſtitutione aliena peraguntur. Quis Apoſtolus initiò confeſsionem auricularem inſtituit, eſum carnis ferijs ſextis, & nonnullis alijs diebus prohibuit de ieiunio quadrageſimali præceptum tulit, indulgentias papales in orbem emiſit, tam uarijs monachorum ac monacharum ſectis author fuit, Epiſcopis ac presbyteris legitimum coniugium ademit, & impuriſsimum cœlibatum impoſuit, de purgatorio igne dogmatizauit, Sacramenta Dominica numero ſeptenario multiplicauit, aquam exorcizatam ſepulchris mortuorum & multitudini fidelium inſperſit, panem Domini includere, circumgeſtare, cereis ardentibus colere & adorare docuit, dedicationes templorum & altarium excogitauit, & innumera alia, quæ huiuſmodi ſunt farinæ, eccleſijs tradidit? An hęc omnia cum primùm inſtituerentur, non erant noua? quare tum non uociferabátur epiſcopi: Sunt hęc noua, inſolita & inuſitata? Sine dubio nunquam non fuerunt uiri pij, qui reclamarent huiuſmodi adinuentionibus: uerùm inualeſcente iniquitatis myſterio, nihil efficiebant. Iam ubi nos innouationes illorum, & antiquæ religionis corruptionem redarguimus, prolapſamq; ueterem doctrinam ac religionem renouandam eſſe clamamus, pro nouatoribus, ac religionis antiquæ ſubuerſoribus habemur, proſcindimur ac damnamur.

Rectè igitur uindicamus nobis in religione ac doctrina Chriſtiana Apoſtolicâ antiquitatẽ, tribuimusq; aduerſarijs uitium nouationis. Quòd ſi illud nõ agnoſcunt, deſcendant nobiſcũ in palæſtram ueritatis, ac concedant id eſſe antiquum, quod eſt uerum: nouum uerò, quod falſum & adulterinum. Etenim in omni omnium rerum cauſa ſic comparatum eſt diuinitùs, ut uerũ ſit falſo antiquius, perinde atq; diabolo Deus eſt antiquior. Non mox uerũ eſt, quod eſt antiquũ. De antiquo nõ ſic poteſt prędicari ueritas, ſicuti uero rectè tribuitur antiquitatis prę ſcriptio. Quare cõſultius multo quæreretur in religione, quid uerũ, quàm quid ſit antiquum. *Quod uerum eſt, antiquũ eſt.*

III. QVORVM SIT FACTVM CVLPA, QVOD *noua uidetur eſſe noſtra doctrina, cum non ſit noua.*

QVòd autem nouam doctrinam ac religionem introducere uidemur, cum nihil agamus aliud, quàm ut ueram & antiquam renouemus, nõ eſt noſtris hiſce, ſed maiorũ noſtrorum temporibus adſcribendum, quib. illi prurientes ſuas aures ab auditu ueritatis ad fabulas auertere, ac magiſtros ſibi coaceruare cœperunt: quàm auerſionem ſic ultus eſt iuſto ſuo iudicio Dominus, ut quo magis ueritatis lucem auerſarentur, hoc craſsioribus errorum tenebris inuoluerentur, ac crederent mendacijs, quoniá ueritati credere detrectabant, ſeruirentq́ue humanis præſumptionibus, quandoquidem uerbo Dei obedire nolebant. Per hanc occaſionem ſubrepſerunt in eccleſias ſeductores ac nouatores, qui eouſq; ſuis progreſsi ſunt adinuentionibus, ut oppreſſa libertate, & obſcurata ueritate, regnare tandem cœperit diluuium illud humanarum traditionum, conſtitutionum, ſuperſtitionũ ac ceremoniarum: quibus ſic eſt aſſueta multitudo, ut quicquid ex uerbo Domini in contrarium adfertur, non antiqua ueritas, ſed noua quædam falſitas ac ſeductio eſſe uideatur. Sic fit, ut antiqua & Apoſtolica religio non agnoſcatur à ſuis filijs, perinde ac ſi uera mater olim domo ſua pulſa, ac tandem poſtliminiò reuerſa, non agnoſcatur à liberis quos peperit, ſed pro aliena & exotica habeatur: uel ſi priſcæ honeſtatis mores iam olim prolapſi, ubi reſtitui incipiunt, pro nouis ducantur. Errores huius culpam immeritò ſuſtinẽt, qui priſcam religionem uerbo Dei conſonam reducunt, ac loco ſuo reſtituere moliuntur, cum ſit eorum qui hanc initiò deſeruerunt, imò expulſæ adinuentiones ac traditiones ſuas ſuſtinuerunt. *Culpa maiorũ noſtrorum.* *Simile.*

Cum temporibus Ioſiæ regis, ſicuti 2 Reg. 22. legitur, liber legis Dei in latebris templi repertus ipſi regi offerretur, utiq; nouum quiddam uideri poterat, illis qui diu iam ἀνόμως uixerant, cum nihil toti deberet populo haberi uſitatius ac notius. Verùm quorum id culpa fiebat? An non maiorum, qui uerba libri illius audire amplius noluerant: regum dico ac ſacerdotum, qui reiectis legalibus cultibus ritus gentium ſecuti fuerant? *Liber legis ſub Ioſia inuentus.*

Confer huc ea quæ nobis uſuuenerunt. An non ſacra Biblia multis iam ſeculis uelut in latebras abdita, multitudini fidelium, imò multis etiam paſtoribus, incognita fuerunt, & noſtra hac ætate, ubi in omnes propè linguas uertuntur, uulgoque legenda proponuntur, haud aliter accipiuntur à ſuperſtitioſis papiſtis, quàm ſi noua & inſolita doctrina eccleſijs obtrudatur? Reperiſſes in papatu ante hęc tempora innumeros ſacrificos & paſtores, quibus ne uiſa quidẽ fuerint *Sacra Biblia ante hæc tempora multis ignorata.*

fuerint unquam ſacra Biblia. An' non eſt hoc maiorum noſtrorum culpa factum? utinam agnoſcerent hanc primores ac principes populi Chriſtiani, dicerentq; cum Ioſiah: Ite & conſulite Dominum pro nobis ac populis noſtris. Magna eſt enim ſuper nos ira Domini, eo quòd non audierunt patres noſtri uerba libri huius: nec agnoſcerent modò, ſed & prolapſam religionem ſecundum uerbum Domini pio ac ſancto ſtudio renouarent, atq; ita iram Domini à ſe ac populis ipſorum auerterent.

Epilogus. Patet itaq; ex præmiſsis: primò, nõ mox malũ eſſe quod nouũ eſt, imò fieri poſſe, ut & bona ſit & utilis in religione quoq; nouitas: deinde doctrinam noſtrã nõ eſſe nouam, ſed antiquam illam quam primæ eccleſiæ ab Apoſtolis traditam acceperunt, Papiſtarum uerò tanquam poſterius introductam, culpabiliter eſſe nouã & auerſandam: tertiò, quorũ ſit culpa factũ, quòd Euangelica doctrina poſtremis hiſce temporibus noua & inſolita uidetur, cum & antiqua ſit, Dominica & Apoſtolica, & omniũ debeat in eccleſijs Chriſti eſſe notiſsima. Paucis hæc propter imperitiores cõtra calumniã nouationis annotare uolui, quo cõſiderent & intelligant renouationis huius gratiam, illamq; ex animo, utiliter, & cum gratiarũ actione amplectantur.

DE TRADITIONIBVS.

QVONIAM ferè uniuerſos Papiſticę religionis cultus ex humanis traditionibus cõflatos eſſe conſtat, exiſtimamus haud impertinenter facturos nos, ſi poſt locũ de uero Dei cultu, de traditionibus humanis aliquid conſiderationis ſubiecerimus, præſertim cum de hac materia multum ſit controuerſiæ, ac plurimum ſemper negocij aduerſus ueritatem Dei ex illa ſit natum eccleſijs.

I. TRADERE QVID SIT.

Traditio quid ſit. VErbum tradendi, unde eſt traditio, uariæ ſignificationis eſſe conſtat. Aliquando ſonat, in poteſtatem dare, aliquando docere, nonnunquam ſimpliciter dicere, quandoq; uendere: uerùm nos in hac cauſa ſenſum eum retinebimus, qui magis materiæ, de qua dicendum eſt, conueniat, ut tradere idem ſit, quod rem aliquam ad poſteros cuſtodiendam ac ſeruandam, nõ ſcripto, ſed uerbis & inſtitutione, ac ueluti per manus tranſmittere, ut παράδοσις, id eſt traditio, ſit ἄγραφος & ἀδιάθετος, id eſt doctrina non ſcripta. Contendunt non eſſe omnia conſcripta ab Apoſtolis, quæ neceſſariò tenenda ſint fidelibus, ſed multa tradita eſſe eccleſijs, ἄγραφα, quæ non minus authentica ſint, & religioſe ſeruanda quàm ἔγγραφα. Sanè meminit Apoſtolus 2. Theſ. 2. traditionis ſuę, nec repugnamus, pleraq; ab Apoſtolis uiua uoce tradita eſſe eccleſijs: uerùm quoniã incertũ eſt, quę nam pro talibus certò ſint habenda, tutius exiſtimamus, ut de ἀγράφοις ſecundũ ἐγγράφα, q̃ ut de ἐγγράφοις ſecundũ ἄγραφα iudicemus. Sed hac de re dictũ eſt alibi.

Cõſtitutiones. Quas nos hic traditiones uocamus, uocant nonnulli conſtitutiones, & à traditionibus Apoſtolorum ad ſtatuta eccleſiæ & epiſcoporum deflectunt, eandemq; hiſce quam illis authoritatem tribuunt, qui pro humanis conſtitutionibus magis quàm pro obſeruantia præceptorum Dei decertant. Nos uerò in præſenti non de conſtitutionibus agimus, ſed de traditionibus, quas tribuunt Apoſtolis. De poteſtate ſtatuendi, quam epiſcoporum eſſe uolũt, diximus ſuprà in loco de Miniſtris uerbi. Separamus autem in hac cauſa traditiones à doctrina fidei ac pietatis, tanquam ceremonias, & ritus externos ueræ fidei ac pietati famulantes.

II. GENERA TRADITIONVM.

Duo genera traditionum. NOlumus ſcrupuloſius genera traditionum perſequi, duobus duntaxat contenti: quorũ unum eorum eſt, quæ à Domino accepta tradiderunt eccleſijs Apoſtoli: alterum uerò eorum quæ à Domino non accepta, ſuapte poteſtate ac diligentia poſteris commendarunt. In claſſem prioris reponendũ eſt, quod 1. Cor. 11. legimus ad hunc modum: Ego accepi à Domino, quod & tradidi uobis, quòd Dominus Ieſus in nocte qua tradebatur, &c. Conſtituerat Dominus mortis ſuæ rememorationem. Hanc ab illo acceptã eccleſijs Apoſtolus fideliter tradidit. Poſterioris generis ſunt quęcunq; ſine expreſſa Dominica inſtitutione per prudentiã ſpiritus Chriſti Apoſtoli uſibus eccleſiarũ tradiderunt. Quæ illa ſint, non poteſt certò ſtatui. *Auguſtinus.* Quamuis Auguſtinus de baptiſmate contra Donatiſtas lib. 4. cap. 24. ad hunc modum de illis ſcribit: Quod uniuerſa tenet eccleſia, nec concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nõ niſi authoritate Apoſtolica traditũ rectiſsimè creditur. Et ad Ianuariũ epiſtola 118. Illa aũt, inquit, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidẽ toto terrarum orbe ſeruantur: datur intelligi, uel ab ipſis Apoſtolis, uel plenarijs cõcilijs, quorum eſt in eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata atq; ſtatuta retineri, ſicuti quod Domini paſsio & reſurrectio, & aſcenſio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus ſancti anniuerſaria ſolennitate celebrantur: & ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſeruatur ab uniuerſis, quacunque ſe diffundit eccleſia. Hæc ibi. Verùm, meo

meo iudicio, tam incertum est, num quæ in usu sunt ecclesijs occidentalibus, tradita sint ab Apostolis, quàm an quæ ab illis tradita sunt, fideliter sint ab ecclesijs in hunc usq; diem seruata. Imò probabile est, ut iam multa haudquaquam ab Apostolis tradita seruantur, ita multa ab illis tradita intercidisse, & iam olim esse antiquata. Idem Augustinus epistola 86. ad Casulanum presbyterum hoc de occidentalibus ecclesijs, in quibus est & Roma, referri scribit, quòd plerq; ex illis nõ seruarint tradita ab Apostolis. cuius rei testimonia in Decretis quoq; uisuntur, in quibus prisci ritus, quorum iam olim nullus est usus, antiquati uocantur. Non possumus igitur certò statuere, quinam ritus ecclesię Apostolica sint authoritate traditi, quod posterius traditionum genus attinet, uideo usitatissimum esse, ut Apostolica authoritas prætexatur humanis præsumptionibus, sic ut ecclesia Apostolica, sedes Apostolica, & potestas Apostolica uocẽtur, quæ nihil minus sunt quàm Apostolicæ. Eadẽ temeritas in traditionib. quoq; admittitur.

Occidẽtales eẽ clesiæ non seruarunt tradita ab Apostolis.

III. QVORVM SIT TRADERE.

NOn esse quorumuis tradere quicquam in domo Dei, existimo nemini esse dubiũ. Nam res ipsa clamat, tradere non posse eos qui nihil quod tradendum sit, habent. Quod tradendum sit dico, non quod tradi possit. Aliud est habere quod tradi possit, & aliud habere quod tradere debeas. Multi sunt in ecclesia fideles, qui licet intelligant utilia multa, id potestatis tamen & authoritatis non habent, ut quæ intelligunt, alijs seruanda tradant. Alia sunt quæ traduntur ad credendum, alia uerò quæ seruanda præscribuntur. Quæ credenda sunt, ab illis tradi possunt, qui ueritatis sunt cognitione præditi, modò accedat uocatio diuina. Quæ seruanda sunt, tradi nec possunt nec debent, nisi ab illis qui authoritate sunt præditi, uel propria uel concessa. Propria, qualem Christus: concessa, qualem Apostoli habuerũt. Vbi propria est authoritas, non est adeò impudens, opinor, quisquam qui tradenti contradicat: ubi illa deest, requiritur concessa. Nam omnino necesse est, ut quibus tradendum est aliquid, respectus authoritatis obijciatur, cui obediendum sibi esse agnoscant. Quæ credenda proponuntur, uerbo ueritatis reddi possunt authentica: quæ uerò seruanda traduntur, ubi expresso uerbo commendari non possunt, opus habent authoritate uel propria Domini, uel concessa Apostoli.

Aliud est habere quod possis, & aliud quod debeas tradere.

Eccius in Locis nugatur ad hunc modum: Posse homines statuere, indicant Apostoli, prohibentes abstinere ab immolatis idolorum sanguine & suffocato: indicat Paulus, qui tot leges dedit de constituendis episcopis, de uiduis, de mulieribus uelandis, ut non prædicent mulieres de non deserenda coniuge infideli. Et Paulus homo fuit. Act. 14. Hæc ille. fuerunt quidem & Apostoli homines, uerùm quæ tradiderunt ecclesijs, tradiderunt non ut homines, sed ut Apostoli Christi, authoritate ac spiritu Christi instructi. Multũ discriminis est inter ea quæ fecerũt Apostoli ut homines, & quæ in causa Christi dispensarunt ut Apostoli. Quæ fecerunt ut homines, ab omnib. possunt hominib. tanquã humana fieri: quę uerò dispensarũt in ecclesijs, ut Apostoli Christi, non sunt talia, ut à quolibet homine dispensari queant uel debeãt. Quare friuolum est quod Eccius dicit: Posse homines statuere, indicant Apostoli. Quisnam regum sub cœlo est, qui non sit homo? Quatenus homo est, omnia humana cum cæteris habet hominibus communia: quatenus uerò rex est, multa facit & imperat, non ut homo, sed ut rex. Consimili modo censendum est & in hac causa de authoritate tradendi aliquid in domo Dei, requiri illam non humanã, sed diuinitùs traditam. Scio quid uoluerit Eccius. Existimauit nos omnes eas traditiones, quæ per homines factæ sunt in ecclesijs, hoc nomine damnare, quòd sint humanæ. Ideo obiecit, & Apostolos fuisse homines. Verùm prẽter rationem id obiecit. Neq; enim mox quicquid per homines traditum est ecclesijs, eo nomine contemnendum esse docemus, quòd non est traditum per angelos cœlestes: sed ea depreciamus, quæ sine legitima authoritate per homines sunt ecclesijs obtrusa. At ille totus in eo fuit, ut episcopis ac põtificibus potestatem quiduis in ecclesia tradendi & constituendi uindicaret. Huc torsit exemplum Apostolorum, quasi confestim liceat pontificibus, quod licuit Apostolis. Sic citat illud 1. Cor. 11. Laudo uos fratres, quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi uobis, præcepta mea tenetis, &c. quasi uerbum hoc competat omnibus episcopis, quos habet ecclesia.

Eccius.

Tradiderunt Apostoli non ut homines, sed ut Apostoli.

IIII. TRADITIONES ALIAS ESSE DIVINAS, ALIAS HUMANAS.

EXtra controuersiam est, haud esse traditiones eiusdem omnes conditionis, sed alias diuinas, alias humanas. Quàm multum aũt discriminis sit inter diuina & humana, quamq; nõ sint eodem utraq; habenda loco, stupidus admodum sit oportet, qui non intelligit. Quare diligenter cauendum est, ne per imprudentiam, quæ tradita sunt, sic confundantur, ut quæ humana sunt, pro diuinis: & quæ diuina, pro humanis habeantur.

Diuinas traditiones eas esse dicimus, quę uel immediatè sunt ab ipso Domino, uel mediatè per Apostolos cõsilio Spiritus sancti traditę. A Domino immediatè traditus est ritus eucharistiæ, qui

Diuinæ traditiones.

ſtiæ, qui tamen per Apoſtolos peruenit ad eccleſias. Diuinam illius eſſe traditionem, nemo Chriſtianus diffitetur. Mediatè ſunt à Domino, quæ per Apoſtolos traditæ ſunt eccleſijs. Et illas quoq; fatemur eſſe diuinas, propterea quòd ſunt ex ſpiritu Dei. Quemadmodum enim diuina eſt Apoſtolorum doctrina, quam ex inſtinctu Spiritus ſancti propoſuerunt mortalibus: ita & traditiones illorum quas fidelibus tradiderunt, pari ſunt ratione diuinę, propterea quòd conſilio ſunt Spiritus ſancti propoſitæ.

Humanæ. Humanæ ſunt, quæ non modò per homines, ſed & humano ſunt conſilio traditæ. Non metimur humanas traditiones à qualitate rerum, quibus accommodátur, quaſi humanæ ſint tantum illæ, quæ in rebus humanis ac politicis traduntur: ſed eas quoque humanas eſſe dicimus, quæ in religione quidem, uerùm non ex conſilio ſpiritus Dei, ſed merè humano traduntur, quantumuis in ſpeciem uideantur eſſe religioſæ. Vtiq; ad religionem pertinebat traditio illa ſcribarum & phariſæorũ, qua dicebat quiſq; patri ſuo, uel matri, Munus quodcunq; eſt ex me, tibi proderit: hoc eſt, quicquid Deo obtulero in gazophylacium, non mihi modò, ſed & tibi, id eſt ſaluti tuæ, conducet. Et tamen hanc traditionẽ Chriſtus reputat inter humanas, eo quòd non diuini, ſed humani conſilij ſpiritum authorem habebat. Et in hanc claſſem eas quoq; refero, quæ neq; ex Deo ſunt, neq; ex corde humano proueniunt, ſed ex inſtinctu malorum ſpirituum: quales ſunt, quibus in eccleſia Chriſti nuptiæ ſunt prohibitæ, & ciborum quorundam abſtinentia præcepta, quas Apoſtolus 1. Tim. 4. diſertis uerbis perſtringit, dicens: Spiritus autem certò loquitur, quòd in poſterioribus temporibus deſciſcent quidam à fide, attendentes ſpiritibus impoſtoribus ac doctrinis dæmoniorum per ſimulationẽ falſiloquorum (hominũ) cauterio notatam habentium conſcientiam, prohibentium contrahere matrimoniũ, iubentiũ abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad ſumendum cum gratiarũ actione fidelibus, &c. quorum poſteriora ad doctrinas & præcepta hominum referr, Col. 2. Poſſunt eius generis traditiones uocari diabolicæ, ab authore unde proueniunt, licet per homines tradantur: quemadmodum quæ ex Deo ſunt, rectè diuinæ uocantur, etiáſi humano miniſterio ſint eccleſijs propoſitæ. Verùm ſicuti quæ ex Deo non ſunt, humana uocari conſueuerunt, ad ſignificandum, quòd diuina non ſint: ſic & hæ traditiones inter humanas reputantur: ad ſignificandum, non eſſe eas ex Deo, ideoq; pro diuinis nõ habendas. Et alioqui ſic eſt ſatan princeps huius mundi, & regnat in cordibus hominũ, ut ægerrimè diabolici inſtinctus ac conſilij notam effugiat, quicquid abſq; conſilio & inſtinctu Dei ex hominum cordibus, præſertim in religione, prouenit. Quare & hac ratione non immeritò humanæ traditiones uocantur etiam illæ, quæ ex ſingulari conſilio ſatanæ per homines in cauſa religionis traduntur.

Diabolicæ traditiones.

V. QVAE SINT TRADITIONES SERVANDAE.

Traditiones eſſe nec omnes reijciẽdas, nec omnes retinendas.

QVantumuis noſtra hac ætate multum ſit cõtrouerſiæ in eccleſijs Chriſti, in quibus alij traditiones omnes citra diſcrimẽ ſeruandas eſſe contendunt, alij ecõtrariò omnes indiſcriminatim abijciunt: exiſtimo tamen eos ſentire rectius, qui nec omnes retinẽdas, nec omnes abſq; diſcrimine reijciendas eſſe iudicant. Chriſtanæ ſiquidem diſcretionis eſt, omnia ſecundum uerbum Apoſtoli probare, & quod bonum eſt tenere. Cum autem dicit Apoſtolus, Omnia probate: dubio procul monet neq; reijcienda, neq; recipiẽda eſſe mox omnia, ſed magis adhibito iudicio examinanda ac probãda. Et cum addit, Quod bonum eſt tenete: ſatis diſertè docet, cauendum nobis eſſe, ne quæ mala ſunt, retineamus: & quæ bona, reijciamus. Etenim utrunq; hominum eſt uel irreligioſorum, uel admodum imprudentum, quales Chriſtiani ſine noxa ac dedecore eſſe non poſſunt. Inter omnia autem rectè & traditiones numerantur. Quare quod in genere dictum eſt ab Apoſtolo, probanda eſſe omnia, ad illas quoq; referri debet. Probentur igitur traditiones diſcretione competenti, qua diſcernantur à bonis reprobæ, & quæ ſeruandę ſunt, ſeruentur: quæ reſpuendæ, reſpuantur.

Quænam ſint bonæ traditiones. Facilè aũt proponimus in genere, ſeruãdas uidelicet eſſe traditiones bonas, abijciendas malas. Vbi uerò ſpecificandũ eſt, quænam ſint bonę, nõ adeò poteſt hoc facilè determinari, præſertim fideliũ iudicijs tantopere uariantibus, quorũ pleriq; conſueto magis, quàm uero afficiuntur. Videntur illis antiquæ traditiones ob id eſſe bonæ ac ſeruandę, quòd ſunt antiquæ. Eſt quidem aliqua antiquitatis prærogatiua in ritibus, ceremonijs ac traditionibus, ſi quòd bonę ſint, conſtiterit: uerùm bonæ num ſint, non eſt ex antiquo, ſed ex uero ſtatuendum. Neq; enim mox bona traditio eſt, quæcunq; antiqua eſt. Antiquũ eſſe, nihil adijcit bono. Bona in ſe traditio cum noua eſſet, nihilo erat minus bona, quàm ſit ubi facta eſt antiqua. Imò accidere poteſt, ut quæ olim bona fuit, iam non ſit amplius bona: adeoq; melior fuerit cum eſſet recens, quàm nunc eſſe queat inueterata, ubi mutatis non modò temporibus, ſed & fideliũ moribus facta eſt inutilis. Vnicuiq; traditioni ſua eſt cauſa, ſuusq; finis. Vbi deſijt cauſa illius, & mutatus eſt finis, deſinit etiam illius utilitas, etiamſi omnium ſit uetuſtiſsima.

Antiquæ traditiones.

Diuinæ traditiones. Quæramus igitur quænam bonę ſint traditiones. Bonas eſſe quę ſunt diuinę, forſan nemo putat eſſe dubitandum, propterea quòd ex Deo nihil queat eſſe, quod non ſit bonum. At his

hic quoq; laboratur ac disceptatur, quæ'nam pro talibus sint habendæ. Roffensis episcopus traditionem papisticæ consecrationis, qua panis ac uinum in corpus ac sanguinem Domini trãsubstantiari dicuntur, ob id diuinam esse dicit, quòd eã Patres ex instinctu Spiritus sancti acceperint, & ecclesijs tradiderint, licet nullis possit Euangelicis & Apostolicis scripturis comprobari. uide in defensione regiæ assertionis contra captiuitatem Babylonicam M. Lutheri. Consimiliter de alijs quoq; papisticarum superstitionum traditionibus pronunciãt põtificij: uerùm ex Spiritu sancto illas esse, nõ tam probãt quàm asserunt. Quare non mox bonas esse cõstat, quæ pro diuinis uenditantur. Si dicamus Apostolicas esse bonas, in idem difficultatis incidimus. Est enim pontificijs in consueto, ut traditiones suas, quarum authores ignorantur, referant ad Apostolos. Neq; hoc nouum est. Idem fecerunt olim & illi, qui farraginem canonum episcopalium Apostolis adscripserunt, & canones Apostolorum uocarunt, de quibus tamen Distinct. 16. cap. Canones, legitur ad hunc modum: Canones qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem sedes Apostolica non recepit, nec sancti Patres assensum illis præbuerunt, pro eo quòd ab hęreticis sub nomine Apostolorum compositi dinoscuntur, quamuis in eis utilia inueniantur, tamen ab authoritate canonica & Apostolica eorum gesta constat esse remota, atq; inter apocrypha deputata. Hæc ibi. Quare de traditionibus aliunde, quàm à nomine Apostolorum sumenda est censura, qua pro nobis ac seruandis tutò commendari possint. Nec est ut obijciatur mihi locus Augustini suprà citatus, quo dicit: Quod uniuersa tenet ecclesia, nec cõcilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur. Etenim si de traditione aliqua cõstiterit, quòd in uniuersa teneatur ecclesia, haud tamen ex eo certò potest colligi, quòd sit ab Apostolis tradita, nisi probetur quòd inde à temporibus Apostolorum constanter sit in ecclesijs omnibus seruata. Vt exempli gratia dicam: Quòd paruuli ad mysticam cœnæ Dominicæ mensam non admittuntur, catholicum est: postremis quidem istis temporibus, & seruatur in omnibus ubiq;, quod ego sciam, ecclesijs. Verùm non fuit semper catholicum. Etenim, quemadmodum in loco de cœna Domini annotaui mus, catholicum fuit olim in ecclesijs tam orientis quàm occidentis, ut & ipsi ad mensam Domini admitterentur. Quare sententia Augustini hac est moderatione accipienda, requiri uidelicet ut eiusmodi traditionem non aliquo tantùm seculo, sed inde à temporibus Apostolorum catholicam fuisse constet. Ideo & adiecit: Nec à concilijs institutum, sed semper retentum est. Vnde hæc autem adiecta conditio certò nobis in traditionibus Pontificijs probabitur? quòd uidelicet catholicæ illorum traditiones, nec à concilijs institutæ sint, nec ab episcopis, sed semper & ubiq; in usu extiterint? Credibilius sanè est, quòd quæ olim catholica & Apostolica fuerunt, magna ex parte successu sint temporis antiquata & obsoleta: quàm quòd quæ iam uidentur in catholico esse usu, semper & ubiq; fuerit catholica. Sed pergamus.

Roffensis episcopus.

Apostolicæ traditiones.

Canones Apostolorum.

Nõ tam refert esse iam catholicum, quàm semper fuisse catholicum.

1 Restat igitur, ut eas traditiones bonas ac seruãdas esse dicamus, de quib. certò probari potest: primò, quòd sint haud illicitæ, ac uerbo Dei repugnantes. Talis aũt non est traditio cõmunicationis, quæ in Papatu fit sub una tantùm specie. Quàm enim illa contraria sit institutioni Dominicæ, ac multis modis illicita, suprà in loco cœnę Dominicę ostẽdimus. 2 Deinde, quòd sint non modò licitæ, sed & utiles. Vtiles inquam uel ad fidei, uel ad charitatis, uel aliàs ueræ pietatis exercitium. Non dico requiri, quòd fuerint aliquando utiles, sed quòd in usu præsenti tales existant. Neq; enim præterita aliqua priscorum temporum, sed præsens requiritur in traditionibus utilitas. Vtilis erat primis ecclesijs, quæ ex Iudæis & gentibus colligebantur, Apostolica traditio, qua statuebatur abstinendũ esse ab idolothytis, suffocato ac sanguine: & quàm diu utilis erat, bona simul erat & seruanda: posterioribus uerò ecclesijs desijt esse utilis, ideoq; & antiquata est, & ẽ medio sublata, ut audiendus non sit, si quis illã tanquã antiquam, diuinam, Apostolicam, & olim utilem postliminiò reuocandam esse contendat.

Quæ sint traditiones seruãdæ.

3 Rectè etiam requiritur in traditionibus, ut sint honestæ, decoræ, moderatę, ac seruatu faciles. Neque enim par est, ut quæ uel specie quadam inhonestatis offendunt, uel indecentiam præferunt, uel immoderata multitudine, aut molestia plebem Christi grauant, locum habeant in religione Christiana. Quamuis enim, ut Augustinus epistola 119 dicit, neque hoc inueniri possit, quomodo contra fidem sint: ipsam tamen religionem quàm paucissimis ac manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei liberam esse uoluit, seruilibus oneribus premunt, quæ nimia uel grauia seruanda proponuntur. Neq; conuenit etiam, ut quæ superstitiosa sunt uerius quàm religiosa, uel speciem saltem superstitionis præferunt, seruentur in ecclesijs fidelium. In summa, omnes eas traditiones respuendas esse censeo, quæ pugnant cum uerbo Dei, quæ sunt ociosæ, uanæ & inutiles, quæ sunt inhonestæ & indecoræ, quæ sunt superstitiosæ uel in speciem, quæ sunt molestæ & onerosæ, quæ magis faciunt ad quæstum quàm ad ædificationem, & quæ conscientias fidelium seruituti subijciunt. Quæ uerò nihil horum habẽt, sed commendari possunt tanquam bonæ, utiles, piæ, honestæ, religiosæ, faciles ac moderatæ, seruari possunt in ecclesijs Christi, iuxta illud Apostoli Phil. ultimo: Quod reliquum est, fratres, quæcunque sunt uera, quæcunque honesta, quæcunque iusta, quæcunque pura, quæcunque accommoda, quæcunque boni nominis, si qua uirtus, & si qua laus, hæc cogitate, quæ & didicistis,

Quæ traditiones sint respuendæ.

Phil. ultimo.

didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & uidiſtis in me. hæc facite, & Deus pacis erit uobiſcum. Hæc Apoſtoli uerba citat in ſuis locis Eccius, quo conſtitutiones eccleſiæ ſeruandas eſſe perſuadeat. At interim tales eas eſſe non probat, quibus hæc Apoſtoli uerba conueniant. Si tales eſſent, nemo piorum reluctaretur.

VI. QVOMODO SERVANDAE *ſint traditiones.*

Reſpiciendas eſſe cauſas traditionum.

HAbet unaquæq; traditio certas aliquas cauſas, propter quas, ac certum aliquem finem, ad quem ſit inſtituta. Sic igitur unaquæq; ſeruanda eſt à fidelibus, ut rationibus illius reſpondeatur, & ad propoſitum finem collimetur. Et hac in re miniſtrorum diligentia requiritur, qua plebi Chriſti rationes, ac fines traditionum exponantur. Omnium enim ſeruiliſſimus eſt, & in Chriſtiana religione indigniſsimum, ſi quæ facienda ſunt, citra ſcientiam & intelligentiam fiant. Cauendũ eſt, ne quid uel ſeruiliter, uel ſuperſtitioſè, uel ſcrupuloſè, aut negligenter & contemptim fiat. Traditionũ diuerſa eſt ratio. Alia ſeruit fidei, alia pietati, alia charitati & concordiæ, alia diſciplinę morũ & ſanctimoniæ uitę. Intelligat hæc populus Dominiminiſtrorum diligentia inſtructus, quo ſe ſingulis competenti poſsit obſeruantia accommodare. Si qua traditio ſingulari authoritate, uel Domini ipſius, uel Apoſtolorum commendatur, par eſt ut ſingulari quoq; reuerentia ſeruetur. Si cuius author ignoratur, inſpiciatur qualis ſit uel in ſe, uel in uſu populi: ſeruiat'ne utilitati eccleſiæ, uel honeſtati: & pro qualitate ſua ſeruetur uel negligatur.

Diuerſa ratio traditionum.

Charitati ſtudendum in traditionibus.

Quòd ſi quis eò uſq; in religione Chriſti promouit, ut uel nihil, uel parum utilitatis ex traditione aliqua capere poſsit: illa uerò ſic eſt cõparata, ut imperitæ multitudini ad ædificationem ſeruire queat, ſeruet eam & ipſe ſtudio charitatis, qua qui perfecti ſunt, debitores ſunt imperfectorum, ne ſuo exemplo obſit, quibus totius uitæ ſuæ ſtudio prodeſſe tenetur.

Etiã ubi conſtat humanam prorſus eſſe traditionem, quæ ſeruatur publicè in eccleſia, ſeruabit eã pius ac pacis ſtudioſus Chriſtianus, haud quidem ea reuerentia, quę diuinis debetur, citra tamen contẽptum: modò intelligat ineſſe illi nihil, quod ſit illicitum & inhoneſtũ. Quoniã homines ſumus, & inter homines, in eccleſia quoq; uiuimus, nõ conuenit ut in humanis moribus, ritibus ac traditionibus moroſi inueniamur. Seruẽtur diuina ut diuina, humana ut humana, quoaduſq; libera ac pura poſſunt conſcientia ſeruari.

Traditiones papiſticæ fugiendæ.

Hęc aũt non ſic dico, ut patrociner Papiſticis traditionibus, ritibus ac cultibus. Abſit. Voco autem Papiſticas traditiones, quæ uel natura ſua, uel abuſu, impietati, ſuperſtitioni, ac cæcitati papiſticæ ſeruiunt, quas omnes ſummopere auerſandas eſſe cenſeo. Nec eſt ut fingat ſibijpſi quiſquam commodas in ſpeciem interpretationes, propter quas illas abſq; conſcientię ſuæ leſione ſeruare ſe poſſe putet. Etiam namque atque etiam cauendum eſt homini pio, ne ſuo exemplo cæcam & errantem multitudinem in errore ſuo confirmet. qua de re in Proſcęro noſtro fuſius egimus.

QVAM PERICVLOSAE, ET NONNVNQVAM *pernicioſæ ſint traditiones humanæ.*

QVòd noxiæ ac pernicioſę ſint traditiones, quæ uel ex diabolico inſtinctu, uel ex humana præſumptione natæ eccleſijs obtrudũtur, nõ eſt ut admoneamus. Nemo enim Chriſtianus talibus patrocinari uolet. Nec eſt ut doceamus, quàm ſint malę, quę ſeruiũt impietati, idololatriæ, ſuperſtitioni, falſis cultibus, quæſtui ac nundinationi. Neq; enim eſt, qui id neget, niſi ij ſoli qui ſic uel quæſtu ſunt, uel impietate ac ſuperſtitione occęcati, ut nullis admonitionibus acquieſcant. Quare non eſt, ut de illis loquamur in pręſenti, ſed de ijs potius quę licet in ſeipſis non ſunt malæ, perniciem tamen abutentibus ipſis imperiris, ac præpoſterè religioſis adferunt.

Bonarum traditionum abuſus.

2. Reg. 18.

Tã bona autẽ nulla eſt in ſeipſa traditio, quę non adferat dãni aliquid, ſi non intellecta in abuſum degenerarit, etiamſi ſit diuinitùs tradita. Exẽplo ſit ſerpens æneus, qui quãuis iuſſu Dei erectus eſſet, non ut noceret, ſed ut morſu ſerpentũ periclitãtibus prodeſſet: pernicioſus tamẽ factus eſt Iſraelitis, ipſorum uitio: unde & per Ezechiam è medio tandem eſt ſublatus, quoniã idololatrię ſeruire cœperat. Quid in cœna Dominica acciderit, abundè manifeſtum eſt, ſi quę de Miſſa papiſtica annotauimus, conſiderentur. Huius generis traditiones, quo magis diuina commendantur authoritate, hoc plus occaſionis ad nocendum adferunt, non natura ſua, ſed eorum malicia, à quibus impio abuſu peruertuntur.

Si hoc accidit in diuinis & Apoſtolicis traditionibus, ut abutentium uitio reddantur pernicioſę, quomodo quę humanę ſunt, conſtanter utiles eſſe queant, non uideo. Hę quia ex carne ſunt, carni etiam magis adlubeſcunt: pręſertim ſi acceſſerit inueterata conſuetudo, ſplendorq; & ornatus carni arridens.

1 In hiſce primum ac conſuetum malum eſt, opinio cultus, ubi imperiti homines Deo ſe obſequium ac cultum præſtare putant, ſi traditiones eccleſiaſticas religiosè ſeruauerint. Verùm reclamat ipſe Seruator, dicens: Fruſtrà colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum, Matth. 15. Huius admoneri debebant à paſtoribus & doctoribus. At illi ſententiam hanc Domini altiſsimè diſsimulant, quo expeditius quæſtum quem quęrunt, in multitudine imperita, ex traditionum obſeruantia aucupentur. Interea fieri uidemus, ut traditiones eiuſmodi in idolum cordis humani Deo admodum abominabile peruertantur.

Mala traditionũ humanarũ.

1 *Opinio cultus.*

2 Hanc opinionẽ cultus comitatur malũ ęquè pernicioſum, fiducia uidelicet meriti, proprię iuſticiæ, ſatisfactionis & remiſsionis peccatorum. ubi hęc obtinet in cordib. mortalũ, extingui tur in illis ſenſus iræ Dei, & accuſatio propriæ conſcientiæ: atq; ita præcluditur omnis aditus Euangelio gratiæ, ueræ reſipiſcentiæ, ac fidei in Chriſtũ unicum mediatorem ac ſeruatorem, quem pater thronũ gratię, & iuſticiam noſtrã eſſe uoluit. Hinc fit, ut nemo magis doctrinæ gratię reſiſtat, quàm quos huiuſmodi fiducia de traditionibus maiorũ concepta faſcinauit. Malũ hoc antiquum eſt, id quod & Euangelicę hiſtorię teſtãtur. Igitur hęc duo mala, ópinio cultus, ac prępoſtera fiducia ſeſe mutuò concomitantia, uehemẽter pernicioſas rèddunt traditiones, ubi dormiunt paſtores, uel obſeruantiam illarum ſine iuſta ſcientia, improbè ac ſuperſtitiosè urgent, uel quæſtum ſectantur.

2 *Fiducia meriti.*

3 Ex altero latere, uelut ex oppoſito, naſcitur diuexatio conſcientiarũ, ex opinione neceſsitatis. Dũ enim traditiones humanas neceſſariò ſeruandas eſſe, nec ſine peccato omitti poſſe creditur, naſcitur conſcientiarũ ſeruilis captiuitas, & miſerabilis carnificina. Huc facit poteſtas & authoritas epiſcoporũ ſupra modum inculcata, cui ſit non minus obediendũ, quàm ipſi Domino. Malũ hoc regnat ſub falſis paſtoribus, qui citius ferunt præceptorũ Dei tranſgreſsionem, quàm traditionum ſuarũ neglectum: quales erant illi ad quos dictum eſt à Domino, Irritum facitis prȩceptum Dei propter traditionem ueſtram, Matth. 15.

3 *Diuexatio conſcientiarũ.*

4 Incredibile eſt aũt, quãtum ſit occaſionis diſcordiarũ in eccleſijs ex traditionib. humanis, ubi luce uerbi Dei corda fideliũ illuminantur, & ab illicitis ac noxijs traditionib. abducuntur. Imò grauiſsimę hinc perſecutiones naſcuntur, dũ hęreſeos damnantur, quotquot quacũq; de cauſa iugũ traditionum humanarũ à ſe reijciunt. Vtriuſq; mali huius nimis multa paſsim exẽpla noſtra hac ętate ęduntur. Hi ſunt fructus traditionum humanarũ, ubi tyrannis epiſcoporũ, ac cæcitas mentium regnant, ut turpiſsimam ſcortationum ac uariarum libidinũ fœditatẽ taceam, quę ex traditione cœlibatus exundauit in eccleſias.

4 *Occaſiones diſcordiarum.*

DE NOMINE DEI.

QVONIAM & in Scripturis, & in eccleſijs, & in conuictu, rebuſq; humanis multa eſt mentio, multusq; uſus nominis Dei: conuenit uerò, ut ſibi quiſq; à prophanatione illius caueat, imò ſedulò curet, quo utatur illo, quàm fieri poterit legitimè, ueraciter ac religiosè: uiſum eſt poſt ea quę in Decalogo, tertio uidelicet præcepto, de prophanatione nominis Dei diximus, loco hic ſeparato paucis explicare, quæ materiam hanc concernunt: utpote,

1 Quid ſit nomen Dei.
2 Quid ſit aliquid facere in nomine Dei.
3 Quorum ſit aliquid in nomine Dei facere, & quorum non ſit.

I. QVID SIT NOMEN DEI.

QVòd omnia quæ in cœlo ſunt & terra, ſuis quæq; nominibus appellantur, diſtinctionis gratia factum eſſe conſtat, quo unumquodque quid ſit cognoſcatur, & non genera modò, ſed & ſpecies ſeparentur, id quod uſibus humanis admodum eſt neceſſarium. An in hanc nominum rationem diuina quoq; trahenda ſit maieſtas, dubitari poteſt. Etenim cum ſit Deus nec multiplex quid, nec uarium, ſecundum diuinitatis eſſentiam, ſed ſingulariſsimum, nihil tale de illo ſtatuendũ uidetur. Neq; enim eget proprio aliquo nomine, quo à reliquis uel ſimilibus, uel uarijs ſeparetur. Et tamen datur illi in Scripturis ſacris proprium nomen, quod ipſe ſibi ſubinde uindicat, ut Exod. 6. רשבי יחוח לאנדעתי לחם id eſt, Et nomen meum Iehouah, notũ ipſis non feci. Et Ieshaiah 42. dicit אני יחוח חראשבי, id eſt, Ego Iehouah, hoc eſt nomen meum. Verùm hoc nominis licet ſic Deo conueniat propriè, ut nulli ſit creaturæ communicabile: haud tamen ſic comparatum eſt, ut ex eo ad cunctam maieſtatis illius eſſentiam ac ſubſtantiam cognoſcendam peruenire queamus, cuius cognitio prorſus eſt incomprehenſibilis: ut rectè dictũ ſit illud Iudicum 13. Cur quęris nomen meum, quod eſt mirabile? De hoc nomine Rabbi Moſes Aegyptius in libro More ſic dicit: Omnia nomina creatoris in libris omnibus inuenta, ab affectib. deriuata ſunt, prȩter unum nomen, quod eſt Iehouah. Et eſt no-

Vſus & ratio nominum.

An conueniat Deo nomen proprium. יחוח

men appropriatum creatori altissimo. Et propter hoc uocatur שם המפורש, id est nomẽ expositum. Vult autem dicere, significari & ostendi per ipsum creatoris substantiam, & quod nihil sit in eo, quod commune sit Deo & creaturis. Reliqua uerò ipsius nomina significant æquiuocè, & cum mixtura, propterea quòd sunt ab operibus similibus ijs quæ sunt in nobis deriuata. Sic de nomine Dei Iehouah loquuntur Hebræi. Nos uerò relicto illo, quod inscrutabile est, utilius esse, & captui nostro conuenientius existimamus, ut nomen Dei esse dicamus, quod de illo prædicatur, unde magis instruamur, qualis & quãtus, q̃ quid sit Deus. Sic Exod. 15. Omnipotens, inquit, nomen eius. Sic prędicatur de illo, quòd sit חנון צדיק ריין ארבי, id est Dominus, iudex, iustus, misericors uel gratiosus ac clemens. Quicquid horum de Deo prædicatur, nomẽ eius est. Deinde nomen eius est, gloria & laus eius. Hoc sensu alicubi Scriptura nomen accipit pro laude, cum dicit: Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Sic nomen Dei magnũ dicitur, Psalm. 76. Notus, inquit, in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius: id est magna gloria & ampla laus eius. Et nomen eius gloriosum, &c. In idem tamen tendunt omnia. Quid est enim laus & gloria Dei, quàm quòd religiosè ac præclarè de illo sentitur ac prædicatur? utpote, quòd sit bonus, clemens, iustus, uerax, omnipotens? &c. Vnde est illud Psal. 48. Secũdum nomen tuum, ita & laus tua.

Nomen Dei est quod de illo prædicatur.

II. QVID SIT ALIQVID FACERE *in nomine Dei.*

Ad gloriã Dei facere.

FAcere aliquid in nomine Dei, aliter atq; aliter dicitur. 1 Primò, est aliquid ad gloriam Dei facere. Vsitatissimum est in omnibus ferè negocijs præmittere illud, In nomine Dei: uel, In nomine S. Trinitatis: quod idẽ est atq;, Ad gloriam Dei, ad gloriam sanctæ Trinitatis. Tale est illud Colos. 3. Quicquid egeritis, omnia in nomine Iesu Christi facite: hoc est, ad gloriã Domini nostri. Idem exprimit Apostolus 1. Corinth. 10. cum dicit: Siue edatis, siue bibatis, siue aliud quicquam faciatis, omnia in gloriam Dei facite.

In fiducia nominis Dei facere.

2 Deinde, in nomine Dei facere aliquid, est facere in fiducia nominis Dei. Sic Psal. 20. canit Psalmista: In nomine Dei nostri uexilla erigemus. quasi dicat: Respectu ac fiducia non uiriũ nostrarũ, quæ nullæ sunt. sed nominis Dei nostri, quem scimus esse omnipotentẽ ac protectorem populi sui, uexilla erigemus, manumq; cum hoste conseremus. Item: Illi in curribus, & hi in equis, nos autem nominis Dei nostri memores erimus, uel nomine Dei nostri excitabimur. quibus uerbis significant se fiducia nominis Dei, hostium suorum quantumuis armatorum uim repressuros. Consimili modo dicebat Dauid ad Goliath: Tu uenis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo, ego autem uenio in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, &c. id est in fiducia nominis Domini.

In persona ac loco Dei facere.

3 Tertiò, facere aliquid in nomine Dei, est facere in persona, loco ac potestate Dei: quo sensu qui missus est ab aliquo, id quod in legatione sua facit, in nomine eius à quo missus est, facere dicitur. Sic Ioan. 5. dicit Christus, Ego ueni in nomine patris mei: id est, loco, authoritate, ac potestate patris mei. Vnde & alibi: Verba quæ ego loquor, inquit, non sunt mea, sed eius qui misit me. Et qui accipit me, non accipit me, sed eum qui misit me. Et Lucæ ultimo: Et prædicari, inquit, in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum. id est, loco ac potestate eius. Sic Paulus secundæ Corinthiorum quinto exponit, dicẽs: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis uerbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tãquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Legatione fungi pro Christo, & obsecrare pro Christo, est in nomine Christi legatione fungi & obsecrare. Et 1. Corinthiorum quinto: Ego quidem, inquit, absens corpore, prẽsens autem spiritu, iam iudicaui, ut præsens eum, qui hoc operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, &c. quod nihil est aliud, quàm authoritate ac potestate Domini nostri Iesu Christi. Cum ergo in Scripturis aliquid in nomine Dei factum esse memoratur, uidendũ est ad quem trium istorum sensuum sit referendum, id quod secundum præcedentia & sequentia facilè discerni poterit.

III. QVORVM SIT ALIQVID FACERE *in nomine Dei, & quorum non sit.*

Nõ est cuiusuis aliquid in nomine Dei facere.

NOn est quorumuis, in regis alicuius nomine facere quicquam: quanto minus est quorũlibet facere aliquid in nomine Dei. Eorum certè non est, quibus nulla cum Deo connictio intercedit. Quare uidendum est, quibus nam competat, ut in nomine Dei quicquã faciant. Videndum est autem non obiter, sed accuratè, ne quẽ temerè dignitate hac priuemus. Id faciemus, si in hac quoq; consideratione triplicem sensum inspexerimus, quo præcedenti articulo aliquid in nomine Dei diuersimodè fieri diximus. Quod igitur attinet primum, quo aliquid in nomine Dei facere, idem est quod facere ad gloriam ac laudẽ Dei, duo requiruntur.

Vnum,

1 Vnum, ut fiat tale quid in nomine Dei, quod ad gloriam ac laudem nominis illius facere posſit. Quòd aũt non omnia quæ fiunt ab hominibus, ad gloriam Dei facere queant, nemo eſt qui neget. Ergo non poſſunt omnia fieri in nomine Dei: ſed ea tantùm, quæ ad nominis illius gloriam faciunt. Exiſtimant autem nonnulli, nihil ad gloriam Dei fieri poſſe, quod non ſit expreſsè traditum in Scripturis, & ad præcepta pertineat: reliqua, ut ad gloriam Dei non faciant, ita ad ſe quoq; haud pertinere. Verùm latius aperiendi ſunt oculi. Neq; enim potuerũt omnia in Scripturis nominatim exprimi, quæ gloriæ Dei ſtudium expoſcit. Oecumenica illa œconomia Dei amplior eſt multo, quàm ut omnia ad illam pertinentia literis comprehendi potuerint, aut debuerint. Satis eſt, quod ſummariæ illorum, ac generales quædam normę Scripturis ſunt inſertæ, ad quas omnis noſtra uita componatur, & de ijs quæ ſpecialia ſunt & agrapha inſtruamur. Inſpice uitam noſtram, & humanarum rerum multitudinem ac uarietatem: & uide quàm ſint innumera, quæ gloriæ Dei ſeruire debeant. Vnde eſt quod Apoſtolus requirit à nobis, ut quæcunq; uel dicimus, uel facimus, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ad gloriam Dei faciamus, Coloſſ. 3. 1. Corint. 10. ſatis diſertè admonens, ſic deberé comparatam eſſe omnẽ hanc uitam noſtram, ut illius omnia, tam uerba quàm facta, ad gloriam Dei, & in nomine Domini Ieſu Chriſti fieri queant.

Quale ſit quod fit.

Non ſunt omnia in Scripturis cõprehenſa, quæ ad gloriam Dei faciunt.

2 Alterum, quod requiritur ad hoc, ut fiat aliquid in nomine Dei, id eſt ad gloriam Dei, eſt, ut animo ac modo competenti fiat. Animo, glorię Dei ſtudioſo: modo, qui gloriam Dei deceat. Poteſt enim fieri, ut facias quæ in ſe ſint recta, non facias aũt animo ad nomen ac gloriam Dei intento: atq; ita in nomine Dei non facias, quicquid prætexas. Sic poſſumus iudicare qualis ſit cultus Dei, quem Pontificij ſimulant. Primùm enim talis non eſt, qui in ſe ad gloriã Dei faciat: quandoquidem nec ueræ fidei, nec charitati ſeruit. Deinde neq; hoc animo illum peragunt, ut gloriam Dei illuſtrent, ſed ut quæſtum uenentur, ac uentri ocioq; ſeruiant: neq; ſic exercent, ut ad gloriam Dei facere poſsit. Notum eſt illud Philoſophi in Ethicis: *τὰ μὲν ὑπὲ τ τιχῶν γιγνόμενα, τὸ οὐκ ἔχειν ἐν ἀνθ[ρώ]ποις. ἀρκεῖ δὲ παῦ[λα] πως ἔχειν τ[έχνη]ν γε[ώδου. τὰ δὲ κα[λὰ τὰς ἀρετὰς γιγνόμενα, ὅτ]αν ἐὰν αὐ[τὰ πως ἔχῃ, δικαίως δ' σωφρόνως πράτ[τεται, ἀλλὰ κοὐκ ἐὰν ἐ πράτ[των πῶς ἔχων πράτ[ῃ.* Et aliquanto poſt, ad hoc ut bene quid ac rectè fiat, requirit ut fiat *ὅτι, κὐ ὑφ' ὅτε, κὐ πρὸς ὅν, κὐ ἕνεκα, κὐ ὡς δεῖ.* Quæ omnia, ſi uſpiam, in hac certè cauſa, de qua loquimur, omnium iuſtiſsimè requiruntur.

Quomodo fiat

Lib. 2. cap. 4.

Ex his facilè uideri poteſt, quorum ſit aliquid in nomine & ad gloriam Dei facere, omnium uidelicet fidelium. Sed diſtinguamus hunc locum. Bifariam quorũdam aliquid eſſe dicitur, Primò, quia poſſunt id facere: deinde, quia debent. Quia poſſunt: ut ſi dicas, Hominum eſt loqui, non beſtiarum: auium eſt uolare, non hominum: & illud, Non eſt cuiuſuis adire Corinthũ: & 2. Theſſ. 3. Non omnium eſt fides: hoc eſt, non eſt omnibus datum ut credant. Quia debent: ut ſi dicam, Chriſtianorum eſſe charitatem. Etenim diligere debent, quia ad id Dominico præcepto aſtringuntur. Ad propoſitum: Facere aliquid in nomine & ad gloriam Dei, primò fideliũ ob id eſt, quòd ſoli hoc fide præditi poſſunt, reliqui creduli & impij non poſſunt: quia gloriam Dei ſine fide, quam non habent, ſpectare nequeunt. Deinde, propterea quoque fidelium eſt, quòd debent omnia in nomine & ad gloriam Dei facere. Debent hoc illi, ſed non ſoli. Etenim omnes in uniuerſum mortales hoc debito conſtringuntur: ideoque hoc ſenſu, haud fidelium tantùm, ſed & omnium hominum eſt, non aliquid modò, ſed & omnia prorſus in nomine & ad gloriam Dei facere: perinde atque ſecundum dictum Eccleſiaſtæ, Omnium hominũ eſt timere Deum, ac mandata illius cuſtodire. Eccleſ. ult. Ergo facere omnia in nomine Dei, non eſt omnium hominum, ſed fidelium tantùm: & rurſus, non eſt fidelium tantùm, ſed & omnium hominum. Fidelium tantùm, quia hoc ſoli poſſunt: omnium hominum, quia omnes hoc facere debent. Potiſsimum tamen Chriſtianorum eſt, qui nõ ſolùm propter communem creationis & conſeruationis gratiam, ſed & propter ſingularem illam, quam conſecuti ſunt in Chriſto Ieſu, omnia ad gloriam Dei meditari, dicere ac facere debent. Duplici nanque nomine ſui ipſorum nõ ſunt, ſed Chriſti, qui pro ipſis eſt mortuus, ipſoſq; morte ſua redemit. Vnde ſunt illa Rom. 14. Nemo noſtrûm ſibi uiuit, & nemo ſibi moritur. Et 1. Cor. 7. Precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. Et 1. Cor. 6. Quoniam membra ueſtra templa ſunt Spiritus ſancti, & non eſtis ueſtri. empti enim eſtis. Et 2. Corin. 5. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut qui uiuũt, iam non ſibi uiuant. Et hinc eſt quòd rationem nos Deo reddere oportet de omnibus, 2. Cor. 5. Quare de omnibus? Quia debemus illi omnia, creationis ac communis prouidentiæ primùm, deinde & redemptionis iure. Conſequitur ergo, facienda nobis eſſe ad gloriam illius omnia, omittendumq; quicquid ad hunc finem facere non poteſt. Vnde illud eſt Apoſtoli, quod Epheſ. 5. requirit, ut non modò quæ mala ſunt, ſed & quæ ad rem non pertinent, caueamus ac fugiamus: gratiarum uerò actionem perſequamur. Videbatur non ſatis expreſsiſſe debitum gloriæ Dei ſtudium, iubens uitare ſcortationem, immundiciam & auariciam: ſciens non ſolùm cauenda eſſe mala, ſed & ea quæ non aliqua ratione ad gloriam Dei faciunt, quod ibi ad rem pertinere, & alibi ad ædificationem facere dicit. Quare mox eodem loco dicit: Nolite communicare operibus infrugiferis tenebrarum, magis autem redarguite. Non dicit, Cum operibus perniciosis: ſic enim rem ipſam non ſatis expreſsiſſet: ſed, Cum operibus infrugiferis, admonens hactenus

Quorũ ſit aliquid facere in nomine Dei.

Et omniũ eſt, & nõ omniũ, omnia in nomine Dei facere.

nus esse mala coram Deo etiam ociosa, quòd sunt infrugifera: & addit, Tenebrarum, id est ignorantiæ: significans eos qui lucis sunt filij, omnia debere facere, quæ sunt frugifera, & infrugifera uitare, nisi in tenebris adhuc uersari uelint. Imò iubet etiam opera tenebrarum redarguere, quemadmodũ à luce redarguuntur tenebræ. Consimile est illud Christi, Matth. 12. Nam quodcunq; uerbum ociosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Quid est uerbum ociosum? Quod non facit ad gloriam Dei, quod ad rem nõ pertinet, quod inutile est & infrugiferum, quod nõ ędificat. Eadẽ est & factorum ratio. Quare de illo reddenda est ratio? Quia cum Dei simus, ad gloriam Dei nec loquimur, nec facimus. Nemo herus seruũ ociosum & inutilem domi suæ retinendum esse censet, quẽ sibi omnibus momentis habet obstrictum. Sic igitur Christiani non modò possunt, sed & debent præ omnibus hominibus, omnia facere in nomine Dei & ad gloriam Dei, tanquam in domo Dei uersantes: ut pro delicto æstimetur, si quid ociosum & infrugiferum dixerint, uel fecerint.

Matth. 12.

Omnis nostra uita uerus cultus Dei esse debet.

Reuera omnium pestilentissima doctrina est, qua Pontificij domesticos Dei, populum credentium, ad certa quædam opera, superstitiosa magis quàm pia, & loca præscripta, quibus gloriæ Dei seruiant, astringunt, cum omnis nostra uita, in omnibus locis, studijs, uerbis & operibus, nihil debeat esse aliud, quàm diuini nominis sanctificatio, ac uerus Dei cultus. Sic fit, ut qui præcipui uidentur esse cultores Dei, nunquam uerè Deo seruiant: quiq; plura ad gloriam Dei facere uidentur, faciant ad illam nihil. Sed pergamus ad ulteriora.

Quorũ sit aliquid facere in fiducia nominis Dei.

Diximus secundo sensu fieri aliquid in nomine Dei, idem esse quod fieri in fiducia nominis Dei. Videamus quorum sit hoc sensu facere aliquid in nomine Dei. 1 Et hic principiò requiritur, ut quod fit, tale sit, quod in fide nominis Dei fieri possit. Quẽadmodum enim nõ omnia ad gloriam Dei, ita nec omnia fiducia nominis Dei fieri possunt. Possunt autem ea, in summa, quæ non humano consilio præsumuntur, sed diuino. Alioqui audiemus illud Esa. 30. Consilium initis, & non ex me. Quæcunq; uerò rerum necessariarum postulat usus, ea possunt omnia in nomine ac fiducia Dei, quẽadmodum & ad gloriam Dei, fieri. 2 Deinde requiritur, ut quę talia sunt, competenter etiam ac rectè fiant. Licet enim bona sint in se, nisi rectè fiant, in fiducia nominis Dei fieri non possunt. Bonum in se est, nubere. Verùm nisi recta hoc & legitima ratione facias, in fiducia nominis Dei facere non poteris. Adhuc: Bonum est quęrere, unde cum tuis uiuas. At si id facias cum fraude & iniuria aliorum: uel si ultra quàm necessitas exposcit, nõ poteris facerere cum fiducia nominis Dei. Quare? Quia auxilium Domini ad ea quæ malè geruntur, efficaciter sperari non potest.

3 Tertiò, necessarium quoq; est, ut in ijs quæ recta sunt & rectè geruntur, liber sit animus, ab omni fiducia carnis, quo sola spe ac fiducia nominis Dei, quod facit, facere possit: idq; non modò, ubi illum omnia terrena destituunt, sed tum quoq;, cum omnia ad manum sunt opulentissimè. Vera quippe fiducia nominis Dei non minus prosperis, quàm aduersis in rebus à solo Deo pendet: & ut aduersis non frangitur, ita prosperis non inflatur. Si hæc considerentur, hoc quoq; sensu facilè intelligimus, quorũ sit aliquid facere in nomine Dei: hoc est quinam ex omnibus mortalibus possint fiducia nominis Dei facere, quæ faciunt. Soli uidelicet credentes: ut enim fides non est omniũ, ita nec fiducia nominis Dei, quę sincera sit, omniũ esse potest, sed fidelium tantùm. Nemo quidem est, qui nulla prorsus sit fide ac fiducia præditus. Verùm non mox quælibet fides legitima est, ac talis, qualis in hac causa requiritur.

An fiducia nominis Dei pertineat tantùm ad credentes.

Si quæras, num ad hanc nominis Dei fiduciã teneantur soli credentes? respondemus, nõ sic solos teneri, sicuti soli rectè fidere possunt. Vsq; adeò nanq; omniũ est hæc fiducia, id est omnes ad illam tenẽtur, ut disertè Apostolus, quicquid ex fide non est, peccatum esse dicat, Roman. 14. Quare peccatum? Quia fiduciam cordis diuinæ bonitati ac prouidentiæ debemus omnes. Quemadmodum peccatum est, non reddere debitum, ita peccatum est, non fidere Deo. Huc accedit, quòd qui Deo nõ fidunt, omnino fidunt creaturis. Nequit enim fieri, ut facias aliquid sine spe ac fiducia qualicunq;, uel proprię sapientiæ & industriæ, uel opum, uel amicorum, uel alterius alicuius quodcunque tandem sit. Maledictum autem esse, qui carnem ponit brachiũ suũ, & confidit in homine, testatur Propheta Hier. cap. 17. Nec immeritò. Ponit enim creaturam loco creatoris, & ab idolo cordis sui totus pendet: qua ignominia uix maior diuinę potest maiestati inferri. Sic puto manifestum est, & hoc secundo sensu facere aliquid in nomine Dei, & fidelium esse tantùm, quatenus hoc illi tantùm præstare possunt: & non esse illorum tantùm, sed omnium prorsus mortalium, quatenus hanc Deo gloriam debent omnes, ut sincera ab illo fiducia pendeant.

Quorũ sit aliquid facere ex authoritate Dei.

Videamus iam de tertio sensu, quo facere aliquid in nomine Dei, idem esse diximus, quod facere in persona, loco & authoritate Dei. Etiam hic opus est cum primis, ut ea fiant quæ possint sub nomine, persona, authoritate & loco Dei fieri. Hæc aũt alia esse non possunt, quàm quę mandato illius facienda imponuntur. Admodũ enim ut temerariũ, ita & irritũ est, si quid sub nomine illius facias, de quo ipse nihil præcepit: id quod facere consueuerunt, qui uel reuelationes nescio quas obtendũt, uel de plenitudine potestatis in ecclesia gloriantur. De illis canitur in nostris ecclesijs: Der theure namẽ dein, muss irer schalckeit deckel sein. Deinde requiritur, ut quæ

ut quæ mandata ſunt à Domino, ideoque in nomine illius fieri non modò poſſunt, ſed & debent: non fiant quomodolibet, ſed quomodo fieri debent. Debent autem ſic geri, ut conſiliũ mandantis Dei impleatur. Dices: At hoc non eſt in poteſtate miniſtrãtis, ac mãdata Dei obeũtis: id quod in Prophetis, Apoſtolis, ac Chriſto ipſo uidere licet, qui hac de re cõquerens dicit: Quoties uolui cõgregare filios tuos, ſicut gallina cõgregat pullos ſuos ſub alas, & tu noluiſti? Reſpondeo: Sic ſunt mãdata Dei obeunda fideliter ac competẽter, ut per miniſtrum non ſtet, quo minus conſiliũ Dei impleatur. Hoc aũt fit, quando à mente præcipientis haud abluditur. Tertiò, neceſſarium & hoc eſt, ut ab illis quibus demandatũ eſt, fiat quod ſub nomine Dei fieri debet. Sunt hæc clara & indubitata. Neq; quelibet, neq; quomodolibet, neq; à quolibet ſub nomine regis fieri poſſunt: ſed quę ille, quomodo, & cui iuſſerit. Qui, quod non eſt à rege mandatũ: uel ſi mandatum eſt, nõ tamẽ ut eſt mandatũ, uel ſibi mandatũ non eſt, ſub nomine regis præſumit, nec agnoſcitur à rege, nec cõuenit ut ſit authẽticum. Quanto magis requiruntur hę conditiones ad hoc, ut ſub nomine, perſona, loco & authoritate Dei rectè aliquid fieri poſſit?

Quomodo obeunda ſint mãdata Dei.

Pertinet hæc materia omnino ad miniſtros Dei, qui ſub illius nomine in eccleſijs ſeruiunt. Hi ſi quid docent, ac populo ſub nomine Chriſti proponunt, quod ab illo nõ eſt traditũ, quid aliud faciunt, quàm quòd nomine Dei impiè abutuntur? Caueri hoc ab Apoſtolis ſuis uoluit Dominus, cum ad prædicandũ eos amandans diceret: Docentes eos ſeruare quæcunq; mandaui uobis. Et hac de re monens Petrus dicit: Vt qui loquitur in eccleſia, loquatur ſermones Dei. Pſeudoprophetæ hoc nomine reprehenſibiles erant, quòd ſomnia ſua ſub nomine Dei proponebant Eccleſiæ Dei, mendaciter dicentes, Hæc dicit Dominus: cum nihil eorum quæ ponebant, à Domino accepiſſent. Quò pertinet illud Chriſti: Fruſtrà colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Quare fruſtrà? Qui non agnoſcit illa ſub nomine ſuo, quæ non à ſe tradita ſunt, ſed humano conſilio præſumpta.

De miniſtris uerbi.

1. Petr. 4.

Deinde, etiamſi ipſum Domini uerbum proponatur Eccleſiæ, requiritur tamen, ut non litera tantùm illius, ſed & ſpiritus, hoc eſt ipſa mens ac ſenſus Domini rectè tradatur. Alioqui non poterit ſub nomine Domini proponi, ſi non ipſius, ſed alieno ſenſu proponatur. Sic enim non uerbum Domini, ſed eidolum cordis humani proponitur. Faciunt hoc Anabaptiſtæ in ſacramẽto Baptiſmi. Verbum Domini eſt: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Hinc illi colligunt: Ergo non ſunt baptizandi infantes, quia non credunt. At non eſt hic ſenſus Domini. Non dixit: Qui crediderit, baptizetur. Qui non crediderit, non baptizetur: ſed, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui non crediderit, condemnabitur. quibus uerbis non docet, qui nam baptizari debeant, & qui non debeant: ſed quam ſint gratiam ac felicitatem conſequuturi, qui Euangelium regni audiunt, credunt, ſeque obſignaculo illius ſanctificandos manifeſta confeſsione exhibent: econtrà uerò, quid maneat eos, qui credere illi detrectant. Tale eſt & illud Matthæi quinto capite: Ne iuretis omnino. Hinc damnant omne iuſiurandum, uerbum Domini contra mentem Domini uſurpantes. Et illud eodem capite: Nolite reſiſtere malo. Ergo, inquiunt, inter Chriſtianos non eſt locus magiſtratui, qui malis poteſtate gladij reſiſtat. Nihil horum cogitauit Dominus. Sed de hiſce locis in Matthæo noſtro uidere licet. Hic abuſus uerbi Dei Papiſtis omnium eſt uſitatiſsimus. Et utinam nihil loci inueniat in fratribus noſtris, qui ſanam Euangelij doctrinam profitentur. Singulari cautione opus eſt illis, qui de uerbo Domini ſic gloriantur, ut præter illud nihil recipiant in religione, quod pro authentico habeãt: id quod faciunt haud præter rationem, ne uidelicet denuò, uel in priſtinos, uel nouos aliquos errores abducantur. Singulari, inquam, illis opus eſt cautione, ne ſe uerbum Domini ſequi exiſtiment, dum in litera illius ſenſum ſequuntur, non Domini, ſed alienum à mente Domini. Facilè iactamus uerbum Domini, deque illo prædicamus, quòd maneat in æternum, quodque ſit unicè ſequendum: nec difficilè eſt ſemel reſpuere omnes doctrinas & mandata hominum, quæ nullo uerbo Domini commendantur, nedum quæ cum illo pugnant: uerùm adeò facile non eſt, ſincerum ac germanum, hoc eſt, ipſius Domini, ſenſum in litera uerbi Dei capere, retinere ac conſtanter ſequi. Aſtutiſsimus enim Satan hoc in more habet, ut ad ſeducendum eos, qui nihil recipiunt, niſi uerbum Domini, proponat non hominum traditiones, ſed literam uerbi Domini: inque illa quoslibet nobis proponat errores, quibus ſub ſpecie uerbi Domini ſeducamur. Quid aliud agebat, cum ipſi Domino uerbum Dei obijcienti ac dicenti: Scriptum eſt, Non in ſolo pane uiuit homo, ſed in omni uerbo, quod procedit ex ore Dei: aliud uerbum Dei regereret dicẽs, Si filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptum enim eſt: Quia angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollẽt te, ne fortè offendas ad lapidẽ pedem tuũ. An non ſub hac uerbi Dei litera pernicioſiſsimũ ſenſum proponebat, & à mẽte Dei alieniſsimum, certoq; uerbo Dei omnino repugnantẽ, ſicut ex reſponſo Chriſti patet? Hoc genus ſeductionis omniũ eſt nocentiſsimũ, & illis admodũ inſidioſum, qui authoritatẽ nominis Dei ſequẽtes, toti à uerbo illius pẽdere cupiunt. Niſi certã ſpiritus Domini cognitionẽ teneant, omniũ facilimè prætextu uerbi Dei ſeducuntur, dum pro illo humanũ commentũ recipiunt ac ſequuntur: perinde ac ſi quis aurũ ſine certa cognitione auri diligẽs, & impẽſe appetẽs, p auro accipiat ac retineat χρυσοῦδη χαλκὸν.

Abuſus uerbi Dei.

Anabaptiſtæ.

Mos ſatanæ.

Matthæi 4.

Qui talem uerbi Dei doctrinam tradunt, falso de nomine ac uerbo Dei gloriantur, imò in utrunque enormiter peccant. Et tertia conditio requiritur in ministro uerbi, quam in eo esse diximus, ut quod in nomine Dei faciendum est, ab eo cui mandatum est, à Domino fiat. Qui suapte temeritate ad docendum currit, meritò audit illud: Currebant, & ego non mittebam eos. Quare necessaria est electio ac uocatio. Vnde & Apostolus toties uocationem suam objicit pseudapostolis.

Vnde constet, quis sit à Deo missus.

Legitima uocatio duplex.

Sed dices: Vnde constare poterit, quis sit missus à Deo, & quis nõ sit? Respondeo: Cũ primis uidendum est, num quis ultrò ad docendum prosiliat, cùm sit à nemine in id muneris legitimè uocatus. Duplex aũt est legitima uocatio. Vna, quæ à Christo est immediatè: altera, quæ fit ab ecclesia, uel à senioribus ecclesiæ. Quæ immediatè est à Christo, iam in usu nõ est, ut erat olim. Habebat sua signa, unde cognosci potuit: de quibus meminit Marcus euangelista, cap. ultimo dicẽs: Illi aũt profecti prædicauerunt ubiq;, Domino cooperante, & sermonẽ cõfirmante sequentibus signis. Altera ordinaria est, qua usa est ecclesia, qua de suprà alicubi diximus. Qui secundum hanc uocatus docet, hactenus pseudoprophetæ notam effugit, quatenus conuinci non potest quòd propria temeritate munus docendi usurpet. Deinde obseruandum est, an uerbũ Christi spretis humanis doctrinis ecclesiæ proponat. Et tertiò, an & ipsam Christi mentem teneat, docendoq; exprimat. Sunt enim hæ tres ueri Christi ministri notæ, unde cognosci poterit, si ritè sit ad docendum uocatus, nec aliud quàm Christi uerbũ prædicet, sicque doceat, ut populo non modò uocem, sed & spiritum uerborum Christi explicet. Talem ministrum ecclesia in nomine Domini tutò audiet, docentemq; sequetur.

Epilogus, in quo & utilitas loci huius assignatur.

Hactenus obiter perstrinximus quid sit nomen Dei, quidque sit aliquid facere in nomine Dei, ac quorum id sit, quorum non sit: quæ si accuratè considerentur, utilia poterunt esse pijs hominibus, tam priuatis quàm in ministerio Dei constitutis. Etenim si communiter omnes sic uniuersa nostra studia dirigamus, ut primùm omnia in nomine & ad gloriam Dei, deinde in fiducia quoq; nominis Dei fiant: etsi nihil aliud, id tamen utilitatis cõsequemur, ut cautius uiuamus, minusq; contra Dominum delinquamus. Nequit enim fieri, ut qui totus in hoc est pietatis studio, ut omnia ad gloriam Dei dirigat, nihilq; non in fiducia nominis eius faciat, nõ sit in omni sua uita cautior, sic ut quicquid ad gloriam nominis eius non facit, ipsiq; probari non potest, summo studio caueat ac fugiat. Deinde eximetur nobis omnis fiducia, uel nostri ipsorum, uel creaturarum quarumcunq;, si omnia in nomine ac fiducia Dei facere consuescamus. Præterea augebitur in nobis pietas erga Deum, uera fides & charitas, uera obseruantia ac cultus Dei, & quicquid uspiam est boni. Cæterùm quod attinet eos qui sunt in ministerio uerbi, si illi semper præ oculis habeãt eum cuius sunt ministri, si nunquam obliti fuerint omnia sibi sub nomine esse ac potestate Dei gerenda, nisi in omnibus uelint inueniri culpabiles, facilè curabunt hæc duo: unum, ne quid demant de mandato Domini: alterũ, ne quid addant præter mentem ac uoluntatem Domini. Cogitabit minister uerbi perpetuò, Vide quid agas minister es Dei: quę loqueris ad populum, loqueris in nomine Dei, esq; de omnibus redditurus rationem. (Si nanq; de omni uerbo ocioso rationem reddituri sumus omnes, quanto magis illi qui singulari mandato ad populum in nomine Dei loquuntur?) Cauè ergo, ne quid alienum à mente ac uolũtate Dei loquaris, neq; uerbo illius addas aliquid, uel adimas. Adhæc, sic comparati, præditi erunt infracta fiducia ac fortitudine aduersus quęuis imminentia discrimina, sine qua munus suum constanter ac ritè obire non poterunt. Quis enim perterrefaciet eum, qui nouit & cogitat se non hominis alicuius temeritati, sed ipsius Dei potestati ac nomini seruire: nec sibi tantũ, sed ipsi Deo resisti, si quid aduersi inciderit? Incredibile est, quàm imperterrita nascatur hinc ad obeundum ministerium fidelis animi fortitudo.

Postremò, si populus tales agnouerit uerbi Dei ministros, qui in nomine Dei ipsa uerba, spiritum ac mentem Dei fideliter proponant, utiq; sermones illorum religiosius audiet, habebitq; eos in precio nominis Dei respectu, eritq; hinc amplior uerbi Dei fructus. Etenim plurimùm refert quàm religiosè, & quo respectu uerbum Dei audiatur. Non est frustrà dictũ à Domino: Videte quomodo audiatis. Nec præter rationem est quod Thessalonicenses Apostolus in hac causa commendans dicit: Accepistis illud non ut uerbum hominis, sed, sicuti est, uerè uerbum Dei, qui operatur in uobis qui credidistis.

1. Thess. 2.

DE NATVRA DEI.

Quomodo cõparata sit rerũ cognitio.

QVI de natura deorum scripserunt, quæstionem eam iudicarunt esse perdifficilem quidem & perobscuram: at interim tamen sic ad moderandam religionem necessariam, ut nisi rectè dijudicetur, in summo errore necesse sit homines, imò maximarum rerum ignoratione uersari. Sanè sic comparata est quarumcunque rerum cognitio, ut nisi ipsa illarum natura cognoscatur, uerè ac constanter cognosci nequeant. Etenim cognitio quæ est ex accidentibus, firma ac solida esse non potest: propterea quòd accidentia, ut extrinsecus accidunt, & non durant perpetuò, ita qualitatem

qualitatẽ ueram ac germanam non exprimunt. Quæ uerò naturaliter insunt rebus, ut sunt ex ipsis, ita & naturam earum, naturalemq; qualitatem declarant. Quare ad certam ac solidam cognitionem eorum quæ cognoscenda nobis sunt necessariò, necessarium est planè, ut naturam eorum teneamus. Consimili modo comparata est & cognitio Dei: qua de suo loco dicemus. Nequit hæc esse perspicua ac certa, nisi cognita illius natura. Vbi hæc ignoratur, necesse est utique, ut tenebris occupentur mortalium mentes, inq; omnis generis erroribus instar cæcorum instabiles uagentur. Simul tamen agnoscimus ac fatemur perdifficilem esse naturæ Dei comprehensionem, nedum explicationem, quantumuis tenuem, quam Nazanzenus percipi posse negauit. Neq; nostri propositi est accuratam illius inquisitionem instituere, sed continere nos intra Sacræ scripturæ limites, ne quid temerè de diuina maiestate prædicemus, quod humanam cogitationem spiret magis quàm cœlestem ueritatem.

Comprehensiò naturæ Dei per difficilis.

I. QVID SIT NATVRA.

PRincipiò uidendum est, quid sit natura. Definitur illa aliter atq; aliter. Sunt qui censent, eam uim quandam esse sine ratione, cientem motus in corporibus necessarios. Rursus sunt qui iudicant esse uim participem rationis atq; ordinis, tanquam uia progredientem, declarantemq; quid cuiusq; rei causa efficiat, quid sequatur: cuius solertiã nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando. Epicurus omnia naturæ nomine appellat. Augustinus De spiritu & anima, cap. 42. definit illam hoc pacto: Natura, inquit, uis quædam est & potẽtia diuinitùs rebus creatis insita, quæ unicuiq; rei omne suũ tribuit. Sanè uocabulum ipsum innuere uidetur, id uocari naturam, quod unicuiq; rei proprium est, idq; in ipsa origine insitum & innatum, ut quale unumquodq; est ex ipsa ueluti natiuitate, id ipsius sit natura. Lactantius lib. 2. Diuinarum instit. naturam à nascendo uocari dicit. Non sentimus naturam esse rem ipsam, sed propriam rei uim, naturaliter mox initio ortus ipsius insitam, per quam accipit: quam habet non essendi modò, sed & faciendi, ferendi, gignendi, &c. qualitatem. Quousque probanda sit hæc naturæ definitio, postea admonebimus. Neque enim sic est perfecta, ut causæ, de qua loquimur, per omnia conueniat.

Augustinus.
Vocabulum naturæ.
Lactantius.

II. AN NATVRA LOCVM HAbeat in Deo.

QVatenus naturam definiunt uim quandam innatam & insitam, hactenus sanè Deo tribui non potest. Etenim cum natus ille non sit, non potest ei quicquã esse uel innatum, uel cognatũ, uel agnatũ, uel originaliter in ipsa natiuitate, quã nõ habet, insitũ. Basilius alicubi natũ & creatũ idem esse dicit, ut & natura & creatura idẽ esse uideãtur. Huiusmodi natura locũ in Deo nõ habet, qui creatus nõ est, sed creator omniũ eorũ quę sunt. Ambrosius naturã opus dicit esse creatoris. Hactenus in Deo nõ est natura, sed in rebus creatis tãtùm. Natura cõtinet illud cuius est natura, illiq; dominatur. Quare nullius potest esse infiniti. Deus autẽ infinitus est, nec ullis naturæ legibus subiectus. Hactenus igitur naturę capax nõ est. Et tamẽ in omniũ ore est natura diuina. Et Christ9 naturalis filius Dei dicitur, danturq; illi duę naturę, diuina & humana. Quomodo diuina potest esse natura, si natura locũ in Deo nõ habet? Si nõ est in Deo natura, nõ est in illo natura gignẽs. Si gignens natura in Deo nõ est, nõ est Christus naturalis filius Dei, & omnis in illum fides nostra cõcidit. Et Petrus talia nobis promissa data esse dicit, per quæ diuinæ reddamur naturę consortes, 2. Pet. 1. Quomodo uerũ hoc esse poterit, si natura in Deo nõ est? Et Paulus Gal. 4. dicit: Sed tũ quidẽ cũ ignoraretis Deũ, seruiebatis ijs, qui natura nõ sunt dij. quib. uerbis, dum falsos deos negat esse natura deos, utiq; hactenus eos à uero Deo, gentibus ignoto, distinguit, quatenus ille natura Deus est: illi uerò non natura, sed opinione & errore hominũ. Cum ergo uerus Deus natura sit Deus, utiq; ineſt illi natura. Adhuc: Cum insit Deo qualitas, qua ab omnibus creatis differt, talisq; est, qualẽ necesse est uerũ esse Deũ: illa uerò qualitas nec accidẽtalis sit, nec quouis modo aliunde acquisita, nec mutabilis, sed naturalis, propria & immutabilis, utiq; & naturã illi ineſse cõsequitur.

Quatenus natura Deo tribui nequeat.
Basilius.
Ambrosius.
Esse in Deo nã turam.

III. QVOTVPLEX SIT NATVRA.

REs ipsa, de qua loquimur, sic est comparata, ut necesse sit naturam à natura distinguere, quo magis ea quam quærimus eluceſcat. Tam enim multiplex est naturarũ diuersitas, quàm multiplex est eorum quæ sunt uarietas. Quare fieri non potest, ut de natura Dei sine distinctione sic loquamur, ut non impingamus.

Duplicem autem in uniuersum inuenio naturam: non factam unam, factam alteram. Non factam uocamus eam, quæ Dei est, non tam quòd hac appellatione qualis sit, explicari putemus, quàm ut eam à creata & facta distinguamus, & magis qualis non sit, quàm qualis sit exprima-

Duplex natura.

exprimamus. Et hic primus est ad cognoscendum Deum gradus, ut ante omnia quid non sit, sciamus, ne in non Deo hæreamus: non quòd satis sit non pendere ab eo qui Deus non est, sed ut inde ad ulteriora dirigamur, donec quid sit, aliqua saltem ex parte cognoscere incipiamus. Sic faciendum est in hac quoq; causa. Cum primis statuendum est cõpetenti discretione, qualis non sit natura Dei, priusquam ad cognoscendum qualis sit, progrediamur.

Qualis sit natura Dei.

Est igitur natura Dei hactenus ab omni reliqua separata, quòd non est facta: illa uerò facta. Non habet supra se Deum aliquem opificem, à quo sit facta, sed constat à seipsa, imò omnium eorũ quæ sunt, creatrix est & opifex. Agnouerũt hoc ethnicorũ quoq; sapiẽtes. Vnde & à Platone alicubi Δημιουργὸν, id est opifex uocatur. Hoc sensu Seneca naturam & Deũ idem esse dicit.

Seneca.

Trina naturæ Dei diuisio.

Deinde, quamuis sit omnium simplicissima, & ab omni compositione pura, quemadmodum rectè annotarunt Chrysostomus & Basilius: trinam tamen diuisionem recipit, propter tres in diuinitate hypostases. Quemadmodum enim illæ hactenus inter se differunt, quòd pater solus est ingenitus, filius solus genitus, & Spiritus sanctus solus procedens, eatenus etiam in solo patre ingenita, in solo filio genita, in solo Spiritu sancto procedens est diuina natura: sic tamen, ut non sint tres in Deo naturæ, sicuti non sunt in illo tres diuinitates, sed una & eadem tantùm. Tres sunt diuinæ naturæ proprietates, qua secundum personarum discretionem inter se discernuntur: una uerò & eadem est illius essentia, secundum quam unus & idem uerus ac naturalis Deus est pater, filius ac Spiritus sanctus. Meritò damnati sunt Manichęi, qui duas posuerunt in Deo naturas, boni unam, mali alteram, à quibus inter se commixtis fabricatus sit hic mundus, quarum principia sint diuersa, & sibi inuicem aduersa, ac nihilominus coæterna. Nos uerò unam duntaxat & eandem in Deo naturam tenemus, summi uidelicet & uniuersi boni, à qua condita est omnis creatura, & omnis natura, creatione bona, nostro uerò uitio in genere nostro corrupta ac deprauata. Augustinus ad Petrum presbyterum De anima & eius origine, libro 2, capite 3. de natura Dei sic scribit: Omnis natura uel Deus est, qui nullum habet authorem, uel Deus non est, quia ipsum habet authorem. Sed quę habet authorẽ Deum ex quo est, aliqua facta non est, aliqua facta est. Porrò quæ facta non est, & tamen ex ipso est, aut genita est ab illo, aut procedit ex illo. Quæ genita est, filius est unicus: quę procedit, Spiritus sanctus. Et hæc Trinitas unius est eiusdemq; naturæ. Nam hęc tria unum sunt, & singulũ quodque Deus, & simul omnia unus Deus, immutabilis, sempiternus, sine temporis ullo initio, sine termino. At uerò illa natura, quæ facta est, creatura nuncupatur: creator autem Deus, illa scilicet Trinitas. Hæc ille.

Manichæi duas posuerunt in Deo naturas.

Augustinus.

Facta natura.

Facta illa natura sic est multiplex, ut secundum conditarum rerũ diuersitatem infinitis modis à se inuicem sapientissimè diuisa, in unam & eandem conciliari non posit. Alia nanq; est natura spirituũ, quàm corporũ: alia immortalium, quàm mortalium: alia cœlestium, quàm terrestrium: alia rationaliũ, quàm irrationalium, &c. Verùm de illa ut dicamus, non est nostri instituti. Ob id tantùm quàm sit natura multiplex, annotare uoluimus, ut inter diuinam nec creatam, nec factam, & reliquam, quæ creaturarum est, distingueremus, ne Deo naturam assignare uideamur, qualem ipse creatis suis indidit.

IIII. VNDE NATVRA DEI *cognosci queat.*

DE plena ac perfecta naturæ Dei cognitione non loquimur. Hanc ut inscrutabilem, ita & incomprehensibilem esse scimus. Et de hac illius cognitione intellexit Nazanzenus, quum diceret: Natura diuina percipi nequit. Et tamen, quemadmodum suprà memini mus, omnino necessarium est, ut aliqua, quæ pietati sufficiat, teneatur illius cognitio. Huc cõducere existimamus, ut lectorem admoneamus, unde illa cognosci queat. Intellige quantum ad salutem nostram ac ueram pietatem requiritur. Ad qualemcunque autem diuinæ naturæ cognitionem, si inscrutabilis illius immensitas, interim tamen admodum amplam, si capacitatis nostræ angustia consideretur, peruenire potest homo pius religionis nostræ causam haud indiligenter inspiciens, si primùm sacrarum Scripturarum lucem recto pede sequatur: deinde opera Dei uigilanter consideret. Intellexit hoc Tertullianus, quum libro primo aduersus Marcionem diceret: Nos definimus Deũ primò natura cognoscendũ, deinde doctrina recognoscẽdum. Natura ex operibus, doctrina ex prædicationibus. Loquitur dubio procul de operationibus naturæ diuinæ, quibus omnia & condidit, & gubernat, simulq; conseruat. Sic comparatum est planè, ut unaquæq; natura qualis sit, operando declaret id quod non in creata tantùm ac facta, sed & diuina, non facta, omnium uerò opifice locum habet. Qui igni dedit ut naturaliter ardeat, & quæuis comburendo absumat, naturaliter facit & ipse quæ suæ sunt naturæ, hoc est, quæ uero Deo naturaliter competunt. Distinguendum autem est inter opera quę naturaliter, & quæ per accidens fiunt. Quæ naturalia sunt, non semel atque iterum tantùm, sed frequenter ac iugiter fiunt. secus uerò quæ fiunt per accidens. Quòd sol mundũ illuminat, quotidianũ ac iuge, quia naturale illius opus est: quòd uerò nonnunquã infirmos oculos obscurat,

Lectio sacrarũ Scripturarum, & opera Dei ad cognitionẽ naturæ Dei ducunt.

Quæ naturaliter fiũt, frequẽter fiunt.

natura

naturale non est, sed per accidens euenit. Quòd Deus nõnunquam percutit ac perdit, non est illi proprium ac naturale, sed alienum, ad hoc usurpatum, ut ad proprium perueniat. Sic legimus Esaiæ uigesimooctauo: Quoniam sicut in monte Perazim stabit Dominus, sicut in ualle Gibaon iratscetur, ut faciat opus suum alienum opus eius, ut operetur operationem suam aliena operatio eius.

Duo genera sunt operum Dei.

Videmus in hisce Prophetæ uerbis disertè duo operum Dei genera poni, propriorum uidelicet & alienorum. Proprium opus Dei est, quod competit illi secundum naturam diuinitatis: alienum uerò, quod diuersum est ab illa. Vbi reprobos perdit, ac populum suum flagellat, alienum opus facit, quo postea quod ipsi proprium est faciat: quale est illud Apostoli 1. Corinth. 11. Dum iudicamur à Domino, corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Sed hac de re uide in Commentarijs nostris super Esaiam loco iam citato.

Quæ naturaliter fiunt, sponte fiunt.

1 Quoniam igitur frequenter miseretur ac parcit, tardus uerò est ad iram: facilè intelligimus hoc in illius esse natura, ut misereatur ac parcat: ut haud absq; causa usitatũ sit illud, Deus cui proprium est misereri semper, ac parcere.

2 Accedit & illud, quòd quę naturaliter fiunt, fiunt neque grauatim, neq; alieno motu, sed facilè, ac motu proprio & uoluntario. Consimilis est & eorum conditio, quæ naturaliter fiunt à Deo, qualia sunt omnia prouidentiæ illius opera, unde ad naturæ illius cognitionem perueniri potest.

Fide & experientia natura Dei cognoscitur.

3 Tribuit quidem Tertullianus diuinæ naturæ cognitionem illius operibus, uerùm si Sacra scriptura audiatur, ex illa quoq; haud parum est momenti, unde quæ sit natura Dei cognoscatur. Docet enim illa, ac ueluti ob oculos depingit, non modò quæ & qualia sint opera Dei, sed & quis sit illius spiritus, quod consilium ac studium erga genus humanũ, in quibus utique natura Dei declaratur. Quare haud impertinenter operibus Dei Sacræ scripturæ documenta adiunxisse uidemur, quandoquidem utrinque de natura Dei instruimur. Cognitio quæ ex operibus est, hactenus generalior est, quatenus inuisibilia diuinæ naturæ, sempiterna quoque uirtus eius ac diuinitas per ea possunt quæ facta sunt, & quotidie fiunt, intellectu rationis humanæ conspici, propterea quòd operum suorum splendore Deus mentes sapientum reuerberat, atque ita sese illis manifestat. Huc accedit quotidiana experientia, quam operum Dei iugis & continua series cordatis hominibus subministrat. Quæ uerò ex Sacris scripturis cognitio acquiritur, fidem requirit, qua testimonijs Spiritus sancti credatur. Sic experientia & fide ad cognitionem naturæ diuinæ perueniri potest, ab electis ac fidelibus salubriter, à reprobis uerò ad iudicium.

V. QVALIS SIT NATVRA DEI.

Quam statuamus naturæ Dei qualitatẽ.

QVamuis cordatis hominibus per operum Dei experientiam, & ijs qui in lectione sunt Sacrarum scripturarũ exercitati, si fidem illis habeant, abundè patère potest qualis sit natura Dei: imperitioribus tamẽ hactenus seruiendum esse puto, ut paucis de illa dicamus, quæ ipsis prodesse uidebuntur. Qualitatem naturæ diuinæ statuimus, non eam in qua sit habitus, dispositio, naturalis potentia uel impotentia, passio, figura & forma, quæ in qualitate considerant dialectici: sed eam, cui maximè proprium sit, discernere naturam Dei, non factam ab omni reliqua quæ ab illa est facta, secundum quam talis est Deus, qualem esse conuenit eum, qui non modò dignitate ac maiestate superat: sed & sapientia, potentia ac bonitate sua immensa condit, gubernat & conseruat omnia. Qualem autem nobis Deum operationes illius exprimunt, & Sacræ scripturæ depingunt, talem rectè dixerimus illius esse naturã. Etenim naturæ suæ qualitate talis est, qualis esse deprehenditur. Suprà autem loco primo, quem de Deo posuimus, qualitatem Dei trina partitione distinximus: utpote, qualis sit essentia, qualis hypostasi, & qualis natura: ut non sit hic opus de qualitate naturæ Dei plura annotare. Neque enim necesse est, neque fieri potest, ut dignitatis ac maiestatis, nedum essentiæ qualitatem exactè scrutemur: sed sufficit homini pio, ut essentiæ illius unitatem, dignitatis ac maiestatis immensam & incomprehensibilem eminentiam in spiritu adoret, & eam quæ naturę est, in operibus illius & Sacris scripturis quærat, sitque testimonijs utrorumque contentus. Hinc discat & cognoscat naturam Dei in se sibijpsi per omnia sufficere, esse æternam & inscrutabilem: erga ea uerò, quæ condidit omnipotentem, potestatem ac ius habere in omnia, dominari omnibus quæ in cœlo sunt & in terra, esse bonam, philanthropon, misericordẽ ac clementem, præsciam omnium, prouidentem omnibus, ubique præsentem, tardam ad irascendum, ueracem, sapientem, iusticiæ studiosam, deque omnibus iustè iudicantem, & quæ alia consimilia in Scripturis de illa prædicantur. Hæc omnia insunt illi nullo studio, nulla institutione ac disciplina, nulloque usu frequenter iterato acquisita, sed naturaliter: ideoq; certissimum nobis ex illis esse potest, qualis sit ipsius natura. & quoniam hæc illi sunt naturalia ac propria, consequens est, esse illi non modò consueta, sed & perpetua, uoluntaria, & admodum procliuia.

VI. AN NATVRAM SVAM DEVS operibus suis communicet.

An creaturæ participes sint diuinæ naturæ.

QVoniam quo ad naturam Dei propius accedunt quę ab illo sunt condita, hoc sunt feliciora, quemadmodum illustriora redduntur, quæ soli propius iunguntur: quærēdum uidetur, an de natura sua Deus nō communicet operibus suis, quæ condidit. Si cōmunicat, ergo omnis creatura eiusdem est cum opifice suo naturæ, adeoq; & diuinitatis illius particeps. Nequit enim fieri, ut diuinitas & natura Dei separentur. Deinde, quoniā eadem est illis οὐσία, quibus eadem est natura, consequitur creaturam omnem esse Deo ὁμόουσιον. Si hæc absurda sunt, non minus quàm si domum fabro dicas esse ὁμοφύσιον & ὁμόουσιον: ergo non communicat opificio suo naturam & essentiam suam Deus.

1. Cor. 8. Si ex Deo sunt omnia, quomodo aliena sunt ab illius natura?

Dices: Quid ergo est quod Apostolus 1. Cor. 8 dicit: Nobis autem unus est Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo. Si ex Deo sunt omnia, quomodo possunt ab illius aliena esse natura? An quod ex homine est, alienum ab humana potest esse natura? Quod ex carne est, caro est, inquit Christus: & quod est ex spiritu, spiritus est. An non est æquum, ut quicquid uspiam est, originis suæ naturam referat?

Augustinus.

Respondeo: Aliud est nasci ex Deo, & aliud fieri à Deo. Naturæ communicatio nascendo constat, non creando & faciendo. Non igitur intelligit Apostolus de genitura creaturarum, cum dicit, Ex quo sunt omnia: sed de factura. Nec Christus dicit, Quod factū est à carne: sed, Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Augustinus ad Petrum presbyterum libro 2. cap. 3 sic dicit: Creatura ergo ita esse dicitur ex Deo, ut non ex eius natura facta sit. Ex illo enim propterea dicitur, quia ipsum authorē habet, ut sit non ita, ut ab illo nata sit, uel processerit: sed ab illo creata, condita, facta sit, partim ex nulla alia, id est, omnino ex nihilo, sicut cœlum & terra, uel potius uniuersæ mundanæ molis uniuersa cum mundo creata materia: partim uerò ex alia iam creata atq; existente natura, sicut uir ex limo, mulier ex uiro, ex parentibus homo: creatura tamen omnis ex Deo, sed creante uel ex nihilo, uel ex aliquo, non autem gignente, uel procedente de seipso. Hæc ille. Si creatura eiusdem est cum Deo naturæ: est ergo natura Dei, licet non in ipso, in aliquo tamen uanitati & corruptioni obnoxia. Si irrationales creaturæ ex natura Dei proueniunt, illiusq; sunt participes: potest ergo fieri, ut natura Dei in aliquo sit rationis expers. Sed absint hæc à diuina natura, quæ & omnū est à uanitate remotissima, & nusquam non summa ratione ac sapientia prædita.

An homo sit naturæ Dei particeps. Acto. 17.

Sed esto, dicet aliquis, non communicent de natura Dei creaturæ uel inanimatæ, uel irrationales: utpote, cœlū, sol, luna, stellæ, terra, plantæ, mare, & animantia bruta, rationis expertia, quomodo de homine dici potest, quòd sit alienus à natura Dei, cum de illo prædicetur in Actis Apostolicis, quòd sit genus Dei, Actorū 17. Si genus Dei est homo, est igitur eiusdē quoq; cum illo naturæ, perinde atq; homines eiusdem cum sint generis, humani uidelicet, eiusdem etiam sunt naturæ consortes. An non mixtæ naturæ est homo? Secundum carnem nanq; terrenus existens, cœlestis est secundum animam & spiritum. Est igitur carne terrenæ corruptibilis ac mortalis: anima uerò cœlestis, incorruptibilis & immortalis naturæ particeps. Et secundum posteriorem hanc uidetur de illo prædicare Apostolus, quòd sit genus Dei. Respondeo: Si numini dari posset genus, quemadmodum creatis, ualeret argumentum. Iam cum natura Dei omnium simplicissima non sit capax generis, eo modo quo capaces sunt creaturæ, nō est, ut ex uerbis Apostoli colligamus esse hominem, ut genus Dei, ita & naturæ Dei participem.

Cum homo sit genus Dei, quomodo nō est etiam eiusdē cū illo naturæ?

Quomodo homo genus Dei uocetur.

Homo genus Dei dicitur, sensu eodem quo à Mose ad imaginem Dei conditus esse scribitur. Genus frequenter pro qualitate rei sumitur, qua similis est illis, quorum genus uocatur. Si tyrannū, qualis fuit Nero, uoces genus leonis: an mox inde colligendum erit, leonem ac tyrannum eiusdem esse naturæ? Matthæi tertio, scribæ ac pharisæi uiperarū γεννήματα uocantur. Ineptus sit oportet, qui hinc colligendū putauerit: ergo eiusdem erant cum uiperis naturæ. Propter similitudinem, qua uiperas uenenata sua malicia referebant, uiperarum genus à Ioāne & Christo uocabantur. Sic homo genus Dei dicitur, ut à brutis discretus, Deo quodammodo similis esse significetur. Vnde nihil colligendum est, quod ad naturæ communicationē faciat. Cum diceret Deus: Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis, sciens bonum & malum, nō est de cōmunicatione naturæ, sed de similitudine loquutus, qua qui boni ac mali est scientia præditus, instar Dei cuiusdam esse uidetur. Sic homo genus Dei uocatur propter rationis ac spiritus prærogatiuam, & ἀγωνιστὴν illud, quo cunctis alijs præstat animantibus. Si anima hominis ex diuina natura proueniret, essetq; illius particeps, sicuti nonnulli senserunt, an nō planè cōsequeretur, naturam Dei in homine fieri mutabilem, peccato obnoxiā, adeoq; & damnabilē, & tandē omnino perituram, nisi per gratiā Christi à condemnatione liberetur: esseq; sic Christum non modò generis humani, sed & diuinæ naturę redemptorem ac seruatorem, ut alia absurda taceam, quæ opinionem hanc consequuntur.

Cæterùm, quòd compositæ naturæ est homo, ex terrena constans & cœlesti, eò facere non potest, ut propterea censendus sit diuinæ pariter & humanæ naturæ consors, quæ prærogatiua

tiua ſoli eſt Chriſto propria. Neq; enim mox diuinũ eſt, quicquid eſt ſpirituale ac cœleſte. Sunt & angeli cœleſtes ſpiritus, & tamen nemo ſenſatus dixerit eos eſſe diuinę naturę conſortes.

Adhuc dixerit quiſquam: Sint homines, ut homines, quatenus factura Dei ſunt, alieni à natura Dei, quid de electis dicemus, quos Chriſtus Ioan. 8. ex Deo: & de fidelibus, quos Ioannes filios Dei fieri, & neq; ex ſanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, ſed ex Deo naſci dicit. Si electi ideo ſunt ex Deo, quòd ab illo ſunt conditi, habent hoc cõmune cum cæteris creatis omnibus, etiam reprobis, qui & ipſi à Deo ſunt facti: quos tamen Chriſtus loco iam citato, ex Deo eſſe negat. Quare omnino aliter ex Deo ſunt electi, quàm cæteræ creaturæ. Quòd ſi ne ſic quidem illi diuinæ ſunt naturæ participes, concedatur ſaltẽ eos qui ex Deo naſcuntur, ac filij Dei credendo fiunt, ad naturæ Dei peruenire communicationem. Reſpondeo: Ex Deo eſſe, bifariam dicitur. Primùm, per genituram, deinde per electionis & prædeſtinationis gratiã. Per genituram Chriſtus unigenitus ac naturalis eſt ex Deo filius, adeoq; & eiuſdem cum illo naturæ. Per gratiam electionis ac prædeſtinationis omnes illi, qui ante mundi ſunt conſtitutionem ad uitam electi & præordinati. Hoc modo eſſe ex Deo, non eſt ex illius eſſe natura, ſed diuinæ gratię factum eſſe participem. Quod locum Ioan. 1. attinet, reſpondeo, naſci ex Deo electos ac fideles, nihil eſſe aliud, quàm per gratiam & operationem Spiritus ſancti mente ac ſpiritu innouari, & in Chriſto in filium Dei adoptari. Hæc natiuitas ut non eſt ex natura Dei, ſed ex operatione Spiritus ſancti, ita non reddit diuinæ naturæ participes. Aliud eſt naſci ex ſubſtantia & eſſentia Dei, & aliud ex gratia & uirtute Spiritus ſancti in nouum hominem mutari & regenerari. Prior natiuitas naturæ eſt, ac ſoli Chriſto competit: poſterior uerò gratiæ & adoptionis, & deſtinata eſt fidelibus.

An electi de natura Dei participent. Ioan. 1.

Ex Deo eſſe, quid ſit. Epheſ. 1.

Poſtremò, obiecerit quiſquã & illud 2. Pet. 1. Per quæ precioſa nobis promiſſa donata ſunt, ut per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ, ſi refugeritis à corruptione, quæ eſt in mundo per concupiſcentiam. An non palàm promittitur hiſce uerbis diuinæ naturæ conſortium, ijs qui promiſsionibus Dei credunt, & mũdi huius corruptiones effugiunt? Reſpondeo: Loquitur Apoſtolus de communicatione futuræ gloriæ & immortalitatis, quæ promiſſa eſt in Chriſtũ credentibus, ſi credendo ac rectè uiuendo à perditione mundi huius refugerint. Quoniam autem gloriæ illius tam eſt immenſa dignitas, ut omnem humanę naturæ conditionem infinitis modis ſuperet, ſitq; nos tanquam filios & hæredes Dei, & cohæredes Chriſti in conſortium Dei, & ſocietatem regnantis Chriſti translatura: uoluit ad hunc modum loqui Apoſtolus, & uocem naturæ pro gloria uſurpare, quæ parata eſt diuinitùs electis ad hoc, ut ſimiles fiant angelis Dei, cœleſtes, immortales, clarificati, & in ſempiternum felices. Vbi conformes erimus corpori Chriſti clarificato, & ſimiles angelis Dei, an non ad diuinæ gloriæ conſortium translati uidebimur? planè. Hoc intelligens Apoſtolus futurum dicit, ut diuinæ fiamus naturæ conſortes. Non ſentit futurum, ut quemadmodum unigenitus Dei, & ſpiritus S. eiuſdem ſunt cum Deo patre naturæ, ita & nos participes illius reddamur, fiatq; pars noſtri diuina natura. Suprà dictum eſt, Deum ipſum eſſe naturam diuinam. Qui in illius itaq; conſortium aſſumitur, diuinæ hactenus naturæ conſors efficitur. Deus eſt charitas. Qui in hac manet, in Deo manet, & Deus in ipſo. Et hactenus ſocietatem habet cum diuina natura. Naturæ Dei eſt, eſſe impaſsibilem, immortalem, incorruptibilem, & in æternũ felicem. Hactenus diuinæ erimus naturæ conſortes, ubi tales in futuro ſeculo euaſerimus. Quemadmodum in hac uita per dona gratiæ Dei in Chriſto Ieſu, dum renati ac iuſtificati ingenium patris noſtri iuſtè uiuẽdo exprimimus: ita in futuro ſeculo per dona gloriæ, ubi immortales, glorificati ac uerè felices fuerimus, diuinæ naturæ imaginem referre uidebimur.

Locus Petri. 2. Petri 1.

Supereſt quæſtio de homine Chriſto, an non in illo humana natura per deificationẽ ac uerbi æterni coniunctionem, in diuinam naturam ſit mutata. Reperias noſtro hoc ſeculo qui id affirment, perinde ac ſi Euangeliſta dicat: Caro uerbum facta eſt. Auferunt humanam naturam à carne Chriſti, palàm illi tribuentes, quæ non niſi diuinæ poſſunt naturæ competere, cũ quibus ſentire non poſſumus. Non diuinam tantùm, ſed utramq; & diuinam & humanam naturam Chriſto unigenito Dei tribuimus, nec perſonam illius diuidentes, nec naturas confundẽtes, ſed unicuiq; quod ipſi eſt proprium relinquentes. Conuerſionem enim in deitatis naturam, inquit Cyrillus, corpus è terra non potuit ſuſtinere: hoc enim impoſsibile eſt. Alioqui deitati derogamus, quaſi facta ſit, & aliquid in ſe aſſumpſerit, quod eius iuxta naturam proprium non ſit. Aequalis probatur ineptiæ dicere, conuerſum eſſe corpus in deitatis naturam: & illud, quòd uerbum ſit in carnis ſubſtantiam mutatum. Sicut enim hoc impoſsibile eſt, quia in conuertibile & incommutabile comprobatur: ita etiam illud non eſt poſsibile, in deitatis eſſentiã uel naturã aliquid creaturarum poſſe conuerti. Eſt autem creata etiam caro. Ideoq; diuinum quidem dicimus corpus Chriſti, quia corpus eſt Dei, & ineffabili gloria illuſtratum, incorruptibile, & iam ſanctum atq; uiuificum confitemur. Quòd autem in naturam deitatis ſit immutatum, neq; ſanctorum Patrum quiſquã ſenſit aut docuit, neq; nos ita ſentimus. Hæc ille: qui cum ita de Chriſti corpore ſentiret, diſertè ſuper Ioannem lib. 9. cap. 21. dixit: Credere autem oportet fideles, quãuis à nobis corpore abſit Chriſtus, uirtute tamen ſua omnia & nos quoq;

An non ſit humana natura in Chriſto in diuinam mutata.

Cyrillus in priore epiſtola ad Succeſſum epiſcopum.

Corpus Chriſti non eſſe in naturam Dei mutatum.

gubernare, adesseq; semper ipsum omnibus, qui se diligunt. Propterea dicebat: Amẽ amen dico uobis, ubicunq; sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Nimirum quemadmodum, quando ut homo in terra conuersabatur, tunc etiam cœlos implebat, & angelorum consortia non relinquebat: eodem nunc modo, cùm sit in cœlis cum carne, terram tamẽ replet, & cum eis est qui se diligunt. Cósimilia habet & Augustinus, qui palàm de corpore Christi dicit: Immortalitatem illi dedit, naturam non abstulit.

Naturam Dei nulli posse creaturæ communicari.

Cùm igitur ne in Christo quidem humana natura in diuinæ sic communicationem transierit, ut eadem sit cum illo facta: consequitur supremam illam non factam, sed omnium factricẽ naturam Dei nulli posse creaturæ, ne angelicæ quidem, substantialiter communicari: sed prærogatiuam illius soli competere Patri, Filio ac Spiritui sancto. Filio inquam, non secundum carnem, sed secundum uerbum, quod in principio, & apud Deum, & Deus erat, priusquã mundi fundamenta iacerentur. Sic unum & eundem Christum secundum uerbum diuinæ, & secundum carnem, humanæ consitemur esse naturæ participem.

DE SVFFICIENTIA DEI.

CONVENIENTIVS quidem fuerat mox initiò in ipso loco de Deo explicare, quę nunc tandem de nomine, natura, sufficientia, omnipotentia, &c. Dei subijcimus: uerùm hic quoq; haud incommodè tractabuntur ista, modò sic tractẽtur, ut utilia sint pijs hominibus. Quoniam de natura Dei nonnulla annotauimus, existimo nos operæpreciũ facturos, si quæ ad hanc propriè pertinent, etsi nõ omnia, ea tamen quæ ad ædificationem facere possunt, pro nostra tenuitate, uelut in transcursu, attingamus, considerandaq; proponamus. Qualia sunt, sufficentia Dei, omnipotentia, potestas, ius, dominium, bonitas, philanthropia, patientia ac longanimitas, clemẽtia & misericordia, ueritas, sapientia, prouidentia, præscientia, uolũtas, & quæ huiusmodi sunt alia, quorum consideratio ad naturę diuinæ cognitionem facere potest. Post essentiã diuinitatis, & sacræ Triadis hypostases, uidetur hoc cum primis in diuina natura considerandum,

Αὐταρκὶς.

quod Græci uocant αὐταρκὶς, Latini interpretantur sufficientiam: qua tamen uoce uim Græcæ dictionis non satis exprimunt. Nos eam tamen, propterea quòd usurpata est in Sacris scripturis, retinemus. Ad ipsius autem explicationem causę, qua de loqui constituimus, usurpabimus uoces hasce, ἀρκέω, αὐταρκέω, ὑπεραρκέω, παναρκέω, quæ omnino in diuina sunt natura, tanquam

Ἀρκέω.

lius propriæ considerandæ. Principiò, ἀρκέω sufficientiam uocamus eam, quæ omnem indigẽtiam excludit, quę omnibus omniũ est necessariorum copijs sic instructa, ut nihil sit reliquum, quòd desiderari possit. Vocat hanc Philosophus αὐταρκέω, tribuitq; illi ἐνδαιμονίαν ac summum perfectumq; bonum. Verùm sic illa solius est diuinę naturæ, ut nulli possit mortalium competere. Huic adest inexhausta & infinita bonorum omniũ copia. Si esuriero, inquit, non dicã tibi meus est enim orbis & plenitudo eius, &c. Si opus est sapientia & potentia, quomodo aliquid

Quomodo sufficientia locum in nobis habeat.

harum in ea natura desiderari potest, quæ ipsissima est sapientia & in omnibus, & supra omnit absolutissima potentia prædita? Quòd autem sufficientiam hanc soli Deo adscribo, intelligendum est de perfecta, quæ sit rerum omnium, in qua nihil possit omnino desiderari. Aliàs nõ est alienum à pijs hominibus, ut contenti sint præsentibus, quæ bonitate Dei suppeditantur, dicantq; sibi illa abundè sufficere, quãtumuis sint modica. Sic Paulus dicit: Ἐγὼ γὰρ ἐμαυτῷ, οὐκ ἐὰν, αὐτάρκης εἶναι. Verùm alia est uniuersalis, alia particularis sufficientia. Illa solius Dei est, ista mortalibus diuino munere conceditur, quam & diuitibus tribuimus. Deinde aliud est sic habere sufficienter quæ ad uictum nostrum requiruntur, ut nihil desiderari possit: & aliud sic contentum esse modico, ut licet pleraq; desiderare queas, desideres tamen nihil. Ad posteriorem hanc sufficientiam, tanquam ad optimum satietatis compendium, inuitamur ab Apostolo, cùm dicit: Habẽtes uictum & amictum, his ἀρκεσθησόμεθα. Et uulgò scitè dicimus: wer sich genugẽ lasst, der hat genug. Qui auarus est, animum habens inexplebilem, huic non sufficiunt opes quantumuis multæ, ne Crœsi quidem. Eiusmodi homini sufficiũt opes, & non sufficiunt. Sufficiũt,

Auaro sufficiunt opes & nõ sufficiunt.

quia nullis necessarijs rebus destituitur, nec est quod desiderari possit necessariò. Non sufficiunt, quia nullis est opibus contentus: sed quo plura possidet, hoc plura appetit. Quare melior sufficentia in hac uita contingere non potest, quàm qua animus terrenarum rerum contemptor, ijs est contentus, quæ de manu Domini accipit, siue pauca, siue multa. Verùm hac de re non est ut hic multis dicamus. Sufficientia uera, plena & perfecta, soli diuinæ competit naturę, quæ & habet omnia, & nullius prorsus est rei indiga.

Αὐταρκὶα nulli mortaliũ tribui potest, sed solius est Dei.

Αὐταρκέω uocamus, qua quis non aliunde, sed à seipso habet omnia: deinde qua quis sibi ipsi ad omnia & in omnibus sufficit. Neutrum tribui potest ulli mortalium, sed utrunq; soli diuinę conuenit naturæ. Primùm enim Deo dici non potest: Quid habes quod non acceperis? Habet omnia, & tamen à nemine quicquam accepit. Quis prior dedit ei, inquit Apostolus, & retribuetur ei? Quis dedit illi ut sit, cum ipse sit fons omnis essentiæ, & principiũ omnium eorum quæ sunt? Quis dedit illi ut sit Deus, cum nihil sit ipso superius? nihil prius &

quius, nihil potentius? Quis dedit illi aliquid omnium eorum quæ habet? A quo accepit materiam unde, ſapientiam & uires per quas, cœlum, terram, mare, & quę in illis ſunt omnia conderet? Ridiculi ſunt, imò impij, qui materiam unde factus eſt orbis, à Deo paratam eſſe negant. Verùm horum ſtulticiam refellerunt Patres. Nos Deum ſic dicimus eſſe αὐταρκῆ, ut à ſeipſo habeat omnia, nihil acceperit à quopiam.

Deinde, & hactenus αὐταρκὴς eſt, quòd non modò à ſeipſo habet omnia, ſed & ſibijpſe ſic ſufficit, ut ne eorum quidem quæ habet, fecit & condidit, alicuius indigeat. Ipſe ſibi per omnia & ad omnia ſufficit. Non erat egenus priuſquam conderet orbem, ſiue ſuperiorem ac cœleſtẽ, ſiue inferiorem hunc & terrenum. Non eſſet opulentior, etiamſi mille mundos creaſſet. Perinde atq; ſoli illi uiſibili nihil accedit ex omnibus quæ ubiq; ſunt luminaribus, nec quicquam decederet, etiamſi extra ipſum nihil uſpiam eſſet lucis. Nulla comparatio eſt inter Deum & ſolem, inter creatorem & creaturã. Et tamen aliquouſq; uidere licet in ſole, quid de hac αὐταρκείᾳ Dei ſentire conueniat, cum ſol iſte ſic ſit ab illo conditus, ut in ſeipſo plenam habeat lucis copiã, & hactenus ſibijpſe ſufficiat, ut nihil lucis requirat à quopiam. Quis nam ex omnibus mortalibus ſic eſt opulentus, ſic potens, ſicq; ſapiens, & per omnia felix, ut ſibijpſe nullius indigus, & ſemper & in omnibus ſufficiat? An non potentiſsimi quoq; principes, etiam illi quos ſatis ſuperbo titulo uocant Autocratoras, quoniam dij non ſunt, ſed homines aliorum hominũ etiam infimorum opus habent miniſterio, non modò ad imperandum ac gubernandum, ſed & ad uiuendum? Diſputat alicubi Philoſophus, amicis ne opus habeat qui felix eſt, idq; an cũ aduerſa fortuna exercetur, uel ſecunda floret? Non erat opus hac quæſtione. Cõcludit tamen dicẽs: ἀνάγκη ἄρα τῷ εὐδαιμονήσοντι φίλων ἐπιδεᾶσθαι. Quare? Quia humanæ hæc eſt naturæ imbecillitas, ut ne adultus quidem ac potẽs, nedum cum infans eſt nudus, & omnium egenus ex utero matris egreſſus, ſibijpſe poſsit ullus ſufficere mortalium. Diuina uerò natura ſic eſt αὐταρκὴς, ut nullius ope ac miniſterio indigeat.

Simile ſolis.

Sed dices: Quorſum ergo utitur miniſtris non angelis tãtùm, ſed & hominibus, imò beſtijs, & inanimatis quoq; creaturis: aere, igne, niue, glacie, uentis, ſole, luna, ſtellis, &c. ſi non ad uiuẽdum tantùm, ſed & ad gubernandum ſibijpſe in omnibus ſufficit?

Quorſum utatur Deus creaturarum miniſterio.

Reſpondeo: Quòd creaturarum ſuarum utitur miniſterio, non facit neceſſariò, quaſi ſine illis quæ condidit, gubernare ac conſeruare nequeat, cùm ſine illis totam hanc cœli terræq; & maris machinam ſolo uerbo ſuo condiderit: quod utiq; nihilo minoris eſt potẽtię, quàm quòd à ſe condita gubernat. Solo nutu poteſt quæ uult omnia. Verùm quemadmodum ad diuinæ maieſtatis ſuæ declarationem condidit omnia, ita utitur etiam omnium miniſterio, ut omniũ ſe declaret eſſe non factorem modò, ſed & dominum: notumq; fiat mortalibus, quorum gratia fecit hæc omnia, à uoluntatis ſuæ nutu pendere omnia: nec eſſe quicquam in cœlo & in terra, quod ſibi, ſi uelit, non obediat ac ſeruiat. Vſum ſolis, lunæ, aëris, ignis, telluris, aquæ, &c. nouimus, & experimur omnes. Quòd autem nihil horum feratur temerè, ſed creatoris ſui uerbo ſeruiant omnia, nõ ita intelligimus omnes. Quare uiſum eſt Spiritui ſancto admonere nos huius per Dauidem Pſalmo 148. in quo nõ ſolùm quòd uerbo ſuo Deus creauerit omnia, ſed & quòd eidem uerbo obediant etiam omnia, breui quidem, uerùm luculentiſsimo cantico nobis omnibus præcinit. Interim tamen nihil poſſent creata omnia, niſi Deus ſua ipſe uirtute per ea operaretur. Quare quòd ſol lucet & calefacit, ignis adurit, aqua humectat, nix & glacies frigefaciunt, &c. non ipſorum eſt opus, ſed diuinæ uirtutis per ipſa operantis. Et hoc pacto gloriam maieſtatis ſuæ multo declarat illuſtrius, quàm ſi inuiſibiliter prorſus, abſq; creaturarum ſuarum miniſterio perficeret omnia. Quis regiæ maieſtatis gloriam in eo declarari dixerit, ſi ipſe rex ſuapte perſona & manu, abſq; cuiuſquam miniſterio quæ facienda ſint, in regno ſuo cuncta perficiat, & non magis in eo, ſi nutui ac uerbo ſuo ſubiectas habeat omnium regni ſui incolarum facultates, fortunas & uires, ut pro libero ſuo arbitratu quorum uoluerit, & ad quęlibet utatur miniſterio?

Simile.

Tertiò ὑπαρκὴς eſt, qua quis non modò ſibijpſi ſufficit in omnibus, tanquam αὐταρκὴς, ſed & alijs tanquam ὑπαρκὴς affatim ſuppeditat, quibus utantur. Ἀρκῶν enim Græcis opitulari, opem ferre, ſubminiſtrare ac ſuppeditare: ἀρκεῖσθαι uerò contentũ eſſe, ac ſatis habere ſignificat. Quoniam igitur non hoc tantùm ſufficientiæ genus diuinæ naturæ competit, quo ipſa ſibi per omnia & in omnibus ſic ſufficiat, ut nullius rei ſit indiga, ſed & quo alijs largiter & abundè ſuppeditet, unde uiuãt & ſuſtentẽtur: rectè illi poſt αὐτάρκειαν, qua de iam diximus, ὑπαρκείαν iſtam tribuimus, qua de plenitudine & abundantia ſufficientiæ ſuæ aliorum quoq; neceſsitatibus quod ſatis eſt ſubminiſtrat. Atq; hoc ſic facit, ut ad id omnem omnium uideatur habere ſufficientiam, quo alijs ex illa magis quàm ſibi ſufficiat.

ὑπαρκὴς, ὑπαρκείαν.

Ebræi nomẽ illud שדי, quod Deo in Scripturis ſacris tribuitur, & ſufficientiæ ſignificationem habet, interpretantur ad hunc modum שדי idem eſt quod אשר די, id eſt qui ſufficit, uel qui ſufficiens, aut qui ſufficientia eſt. Ideo nomen hoc nunquã apud Ebræos niſi de ſolo Deo dictum reperitur. Solus Deus, inquiunt, neq; in ſubſtantia, neque in qualitatibus ab aliquo alio dependet, ſed cum omnibus ſibi pertinentibus immunis omnino ab omni dependentia

אל שדי

est. Diues igitur & sufficiens sibi absolutè & in ueritate is est, qui nullo alio indiget. Et hic solus Deus est. De omnibus uerò alijs hoc transumptiuè, siue secundum quid dicitur. Cum igitur solus Deus sit sibijpse sufficiens, ideo nomen שדי rectè illi tribuitur. Sunt hęc quidem uera, at non satis diuinæ naturæ sufficientiam ac uim uocis huius שדי exprimentia. Etenim ut illa non solùm sibijpsa sufficit, sed & alijs quantum satis est suppeditat: ita & uox ista non solùm eum significat qui ipse sibi sufficit in omnibus, sed & eum qui alijs sufficienter de sufficientia sua quantum satis sit suppeditat. Atque ita uocem שדי rectius interpretaberis esse ὑπαρκὴ quàm αὐτάρκη.

Παντοκράτωρ.

Quartò, ubi uniuersalem illam prouidentiâ Dei consideramus, qua omnium creaturarum necessitatibus prospicitur: facilè intelligimus, ne ὑπαρκίας quidem uocem sufficere ad exprimendum plenam diuinæ naturæ sufficientiam, sed dandam illi esse παντοκράτωρ: hoc est eam sufficientiam, qua omnibus in uniuersam quæ in cœlo sunt & in terra, unde uiuant ac subsistant, suppeditatur. Idem Deus omnibus à se creatis inexhaustus est omnis sufficientiæ fons, reuera & παντοκράτωρ & μυριοκράτωρ. Quicquid uspiam est in cœlo & in terra, ex ipso est: quicquid uiuitur, & quicquid habetur ab omnibus cœlestibus, terrestribus & aquatilibus, rationalibus, & irrationalibus, animatis & inanimatis, ex ipso est. Materia, substantia, essentia, natura, uita, uitæ sustentatio, & omnis alimonia, dotes ac facultates animæ, spiritus & corporis, omnis intelligentia, scientia, sapientia, prudentia, omnis uis cogitandi, ratiocinandi, iudicandi, memorandi, diligendi, odiendi, appetendi & auersandi. Etiam ea quæ extrinsecus siue per angelos, siue per homines, siue per bestias & creaturas quascũq; cõtingunt. Ex ipso inquit Apostolus Rom. 11. & per ipsum, & in ipso sunt omnia.

Παντοκράτωρ & μυριοκράτωρ est Deus.

Sic igitur comparata est natura Dei, ut sit in se perfecta ac plena bonorum omnium. Deinde, ut bona quæ habet haud sibi retineat soli, sed communicet & alijs. Hæc illius communicandi propensio peperit illud tritum quidẽ, at iuxtà scitè dictum: Omne bonum tãto est diuinius, quanto communius. Illam communicandi effusionem & elargitionem exprimit Apostolus, cum dicit: Ex ipso sunt omnia. Tertiò, ut non det aliqua tantùm siue pauca, siue multa, sed omnia. Omnia, intellige non quæ habet ipse Deus, sed quæ sunt & quæ habent omnes illius creaturæ. Rursus, intellige nõ de malo & peccato, quod ex Deo non est, sed ex diabolo, sed de quocunq; bono. Omne datum optimum, inquit Iacobus capite primo, & omne donum perfectũ desursum est, descendens à patre luminum. Ad sufficientiam Dei non pertinet malum, sed omnis generis bonum: ad diaboli uerò sufficientiam pertinet malum. Sufficienter enim ille malus est, & omnis mali fons & author. Quartò, ut det non quibusdam tantùm, sed omnibus. Actorum decimoseptimo dicit Apostolus: Cum ipse det omnibus uitam & spirationem, & omnia. Et Iacobus capite primo: Si quis uestrûm indiget sapientia, inquit, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Haud uerò de hominibus tantùm intelligendum est, quasi solis illis det omnia. Etiam iumentis ac bestijs quibuscunque, quæ necessaria sunt, diuina sufficentia subministrat. Hinc Psalmista canit Psalmo centesimoquarto: Omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis, colligunt: aperiente te manum tuam, omnia implentur bonitate: auertente autem te faciem tuam, turbantur, &c. Et Psalmo centesimo quadragesimoquarto: Oculi omnium sperãt in te Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno. Aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione. Et Psalmo centesimo quadragesimo sexto: Qui operit cœlum nubibus, ac parat terræ pluuiam. Qui producit in montibus fœnum & herbam seruituti hominum. Qui dat iumẽtis escã ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus ipsum. Dat autem omnibus omnia, haud sine cura ac prospectione, quæ Deo conseruatori omnium competit. Sapientiæ 12. Deo cura est, inquit, de omnibus. Sol lucet omnibus. Fons pótat omnes, qui ex ipso hauriunt. Aër iste omnibus seruit spirantibus. Verùm faciunt hoc absq; cura. Secus comparata est diuina natura. Gerit hæc cura m omnium eorum quæ condidit.

Malum non est ex Deo

Considerandum tamen est, quo discrimine prouidentia Dei det omnibus omnia. Gemina sunt bona Dei, & gemina est prouidentiæ illius cura. Bonorum Dei alia sunt terrena, corporalia & transitoria: alia uerò cœlestia, spiritualia & æterna. Cura Dei alia generalis est, alia specialis. Generalis est, quæ competit creatori ac conseruatori omnium. Specialis, qua tanquam pater curam gerit electorum ac fidelium. Generali cura prospicit indiscriminatim omnium necessitatibus. Huc pertinet illud Christi: Qui solem suum producit super bonos & malos, & pluit super gratos & ingratos. Sic terrena sua corporalia ac transitoria bona usibus non hominum tantùm, sed & bestiarum: non iustorum modò, sed & iniustorum dispensat. Speciali uerò prouidentia, qua paterna præditus est beneuolentia erga eos, quos ante mundi constitutionẽ in regnum suum ac sempiternam felicitatem elegit, temporalia quidem, terrena & corporalia bona secundum generalem curam: præcipuè uerò cœlestia, spiritualia & sempiterna secundum singularem beneuolentiam saluandis fidelibus per spiritum suum, spiritum filiorum ipsius elargitur.

Discrimẽ prouidentiæ Dei.

Facit autem utrunq;, ut creator quidem ac saluator: uerùm liberè, suapte spõte, nemini debens

bens quicquam. Deinde distributione inæquali quidem, uerùm haudquaquâ iniqua. Etenim si humanæ conditionis qualitas consideretur, nemini dat minus, quàm naturæ nostræ necessitas requirat. Neq; enim diuitum opulentia in auro, argento, & consimili alio splendore constituta, tanti in seipsa facienda est, ut necessarijs bonis præferenda sit, quæ communiter omnibus diuina prouidentia largitur, quibusq; ij qui paupertatis nomine contemnuntur, multo felicius utuntur, quàm qui propter diuitiarum splendorem pro felicissimis habentur.

Ex ipso, inquit Apostolus, sunt omnia: & addit, Et per ipsum. Ergo sunt omnia, non modò ex Deo, tanquam bonorum omnium fonte sed & per Deum. Sua ipse bona dispensat, omnib. quomodo, quantum & quando uoluerit. Vtitur quidem ministerio creaturarum: uerùm opus ipsum dispensationis ac distributionis non est creaturarum, sed ipsius. Hinc Dauid dicit: Aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione. Significat idem quod Apostolus, esse uidelicet omnia, non tantùm ex Deo, sed & per Deum. *Ex Deo, et per Deum sunt omnia.*

Si ergo ex ipso & per ipsum sunt omnia, consequitur nihil esse ex alio quopiam, aut per aliũ, sed omnia ex solo & per solum Deum, ut perinde uocandus sit μονάρχης atq; παντάρχης. Et reuera sic habet. Nisi à Deo accipiamus, nihil poterit cœlum, nihil terra, nihil quicquid uspiã alicuius uidetur esse potentię. Vnius hominis cor, ne totus quidem orbis sic impleuerit, ut nihil desideret amplius. Solius hoc Dei est, ut quæ condidit, sufficienter impleat. Quarer uerissimè dicitur à Germanis, Gott vnd gnug. Qui Deum ipsum habet, non modò multa, sed per omnia satis habet. μονάρχης ὁ θεός. Gott vnd gnug.

Porrò, & in ipso, inquit Apostolus sunt omnia. Igitur sic ex Deo sunt omnia, ut nihilominus sint in ipso, quę habemus ex ipso. Et nos ex ipso sumus, & in ipso uiuimus, mouemur & sumus. Quę ex Deo sunt, subsistere non possunt, nisi in Deo. Omnium essentia & uita, ut ex Deo est, ita est & in Deo. Nihil admittit eorum quæ largitur. Longè alia est nostra conditio, quàm sit Dei. Quæ nos ex nobis ipsis gignimus, extra nos & uiuere possunt, & subsistere. Quæ damus alijs, sic damus, ut sint non nostra amplius, sed eorum quibus dedimus. Deus uerò sic dat omnia, nisi simul in ipso essent, & in ipso subsisterent. Quia extra ipsum nec uita est, nec subsistẽdi facultas. Ipsa nos uita, ipsiq; motus, quibus mouemur, nõ modò unde, sed & in quo sumus, admoneant. Quæ igitur insania est, non agnoscere eum ex quo sumus, & ex quo accipimus omnia: nec habere prę oculis eum, pendereq; ab illius prouidentia, in quo sumus & uiuimus ipsi, & in quo sunt quæ habemus omnia, & extra quem neq; nos, neq; quicquam eorum quæ habemus, subsistere possumus? Quare fieri non potest, ut sine grandi diuinæ maiestatis iniuria aliunde, si qua re opus habemus, auxilium & opem, quàm ab eo petamus, ex quo, per quem, & in quo sumus, uiuimus ac mouemur. Qui nos suapte sponte ac bonitate, cum non essemus, fecit ut simus, qui nos à se factos in se continet, alit, sustentat & conseruat: quomodo deserere poterit, si sincera fide ac fiducia toti à prouidentia ipsius pendeamus? Sed hactenus, quantum in transcursu licuit, de sufficientia Dei dictum esto. *Ex ipso sunt omnia.* *Act. 17.*

Omnia dat Dominus, & simul omnia continet in se:
Det licet omnia, habet non tamen inde minus.

DE OMNIPOTENTIA DEI.

SVFFICIENTIAE Dei rectè subijcimus illius potentiam. Nisi enim omnipotens esset, παντάρχης esse non posset. Ebræi uocem non habent, quæ omnipotentem significet, quare Scriptura simpliciter potentem uocat Deum. Sic appellat eum אל & אלהים & גיבור & עזרד quæ uoces potentiæ ac fortitudinis significationem habent. Iob cum omnipotentiæ gloriam Deo dare uellet, dixit cap. 4. ידעתי כי כל תוכל id est, Scio quòd possis omnia. Quod Gene. 17 in uulgata uersione legimus: Ego Deus omnipotens. Et cap. 43. Et Deus omnipotens det uobis. Et Exodi sexto: Apparui Abrahæ, Isaac & Iacob, in Deo omnipotente, & c. in Ebræo est uox שדי, id est sufficiens. qua de loco præcedenti diximus. Illud Exod. 15. Omnipotens nomen eius, in Ebræo est יהוה שמו, id est existens nomen eius. Aliàs uertitur in Psalmo: Dominus nomen eius. Græci significanter, ac plena uoce uocant παντοκράτορα eum qui omnia potest. Quòd autem sit omnipotens Deus, Christi seruatoris nostri testimonio patet, qui Matth. 19 dicit: Omnia possibilia sunt apud Deum. Et Marci 14. Abba pater, omnia tibi possibilia sunt. Et angelus ad Mariam matrem Domini dicebat, Non est impossibile apud Deum ullum uerbum, Lucæ 1. Est hoc in confesso quidem, non apud Christianos modò, sed & apud Iudæos & Turcos: uerùm pauciss imi sunt, qui fide omnipotentię Dei rectè utantur. *Quomodo Ebræi Deum uocent omnipotentem.*

QVOMODO POTENTIA DIFFERAT à potestate.

PRincipiò discernimus potentiam, quã Græci uocant δύναμιν, à potestate, quę illis est ἐξουσία, qua de in sequentibus separato loco dicemus. Etenim potentia uiribus, robore & fortitudine: potestas uerò iure & authoritate nititur. Quare non mox potestatem habet, qui potens est faciendi quæcunq; factu illi sunt possibilia.

DE DIFFERENTIA INTER potentiam & potentiam.

Duplex potentia.

DEinde duplicem ponimus potentiam. Vnam quæ sit aliunde accepta, alteram quæ accepta sit à nemine. Quæ accepta est aliunde, creaturarũ est: quę à nemine, solius est Dei. Illa non propria est, sed aliena: ista uerò non aliena, sed propria. Prior non modò aliena est, tanquam semel aliunde accepta, sed & uiribus alienis constat, quandiu durat: posterior aũt alienis nũquam, proprijs uerò in sempiternum. Nulla creatura est, siue cœlestis siue terrestris, quæ sic aliquid à Deo acceperit potentiæ, ut proprijs illa in posterum possit uiribus uti. Neq; angeli quidem acceptam à Deo spiritualis naturæ δύναμιν suis ipsorum uiribus exercere possunt, sed opus habent ut in omnibus per diuinam potentiam reddantur instructi, sintq; non tã ipsi potentes ex Deo, quàm Deus potens in ipsis. In summa: Dei est omnis omnium creaturarum potentia, qui operatur omnia in omnibus. Quòd ignis urit & consumit, aqua humectat ac refrigerat, tellus fructificat, &c. opus est potentiæ Dei, qui suis ista uiribus perficit. Nemo aũt assignari potest, per cuius potentiam potens sit Deus, & operetur ea quę facit: sed proprijs tantũ uiribus potenter operatur in omnibus, uerumq; se declarat αὐτοπάτορα.

Omnis omniũ creaturarũ potentia Dei est.

Accepta potentia.

Præterea, accepta potentia particularis est, & limitata. Particularem propterea uoco, quòd non est uniuersalis. Neque enim adeò potens est, quisquis potentiam à Deo accepit, ut in uniuersum possit omnia. Nemini plena data est & perfecta potentia (excepto Christo unigenito Dei) sed alijs aliud posse, datum est. Diuina uerò, non accepta, sed propria potentia, particularis non est, sed prorsus uniuersalis: unde & omnipotentia dicitur, propterea quòd illi nihil est impossibile. Nec capax est ullius determinationis ac limitationis, sed prorsus libera, plena & absoluta. Potentia regum ac monarcharum non est libera & absoluta, sed limitibus suis circumscripta. Infinita sunt illis impossibilia, & quæ possibilia sunt, non sic sunt illis possibilia, ut possint ea citra limitationis mensuram à Deo positam perficere: Deo uerò nihil est impossibile, sed possibilia omnia: idq; citra omnẽ limitationem, ut possit quod uult, quando, quousq;, & quomodo ipsi placuerit facere. Potentes huius seculi terribiles sunt, propterea quod possunt occidere corpora. At ea potentia sic est limitata, ut animas occidere nequeãt, & postquã corpora occiderũt, nihil habeant amplius quod faciant: Dei uerò potentia ab hac limitatione liberi & animas & corpora potest, ubi uoluerit, abijcere in gehennam. Ad hęc quantacunq; tyrannorũ potentia tẽporaria est, sic ut uel morte, uel singulari quodam iudicio Dei terminetur, & frequenter in summam ignominiam desinat. At omnipotentia Dei perennis est, immutabilis & sempiterna: quia nec temporũ decursu, nec mutatione seculorum ac rerũ, nec fato ullo terminatur. Quamdiu durat ipse Deus, qui nec principium habet nec finem, tandiu durat illius etiã potentia: ut non solùm ipse sit æternus, sed æterna quoq; sit ipsius potentia.

Deus est ἀλυπάρχων.

Porrò, nemo uspiam sic est potens, ut quod uult faciat, sitq; ἀλυπάρχων, hoc est nullis passionibus, impedimentis & incommodis subiectus, sic ut uoluntati ipsius resisti possit à nemine. Magna quidem ac formidabilis est ira regum, uerùm sic non est omnipotens, ut impetum sui possit efficaciter perpetuò extendere quolibet: sed frenum habet in ore quo retrahatur, & multis potest occasionibus impediri. Dei uerò omnipotentia hæc duo habet in se omnium perfectissima: uidelicet, ut quod uult, expeditè faciat, & ut nullius sit passionis & impedimenti capax. Vnde Augustinus alicubi Deum ob id omnipotentem dici scribit, quòd faciat quæ uult, & nõ patiatur quæ non uult. Sic & propheta Dauid cum omnipotentiæ Dei gloriam cantando exprimere uellet, cecinit: Deus autem noster in cœlo quæcunq; uult facit. Alteram omnipotentiæ illius partem, quæ in eo est, quòd non patitur quæ non uult, Iesaias cap. 43 posuit, dicens: Et non est qui de manu mea eripiat. Et si facio quid, quis auertet illud? Ergo duabus hisce ueluti partibus comprehenditur omnipotentia Dei: faciendo uidelicet quod uult, & non patiendo ullam, quam non uult, resistentiam.

Sed hactenus de discrimine, quo potentia Dei à potentia quarumcunque creaturarum distinguitur.

QVI-

QVIS SIT VSVS POTENtie Dei.

NOn ſcrutamur immenſas omnipotentię Dei uires, quarum à nobis ne minima quidem portio comprehendi poterit. Interea tamen profuerit aliquò ſaltem uſque uſum illius inſpicere. Eſt autem ille ſic comparatus, ut expediat ac præſtet omnia, quæ Deum uerum propriè concernunt, ac impoſsibilia ſunt quibuſcunq; creatis: qualia ſunt, creare ex nihilo, facere ex aliquo, multiplicare ac propagare, diſponere ac gubernare & conſeruare: quę per dita ſunt reſtaurare, regenerare ac renouare, quo in æternum ſeruentur: delinquentes caſtigare, & efficaci iudicio ſempiternas pœnas ſumere de reprobis, tam ſpiritibus quàm hominibus. Sunt hæc generalia diuinæ potentiæ opera, quorum infinitæ ſunt, ac nemini comprehenſibiles ſpecies.

Generalia omnipotētiæ Dei opera.

Principiò, cum mundum hunc, cœlum, terram, mare & quę in illis ſunt omnia cōdere uellet, unde illa condidiſſet, cum nulla uſpiam materia extaret, ex qua in morē architecti machinam hanc fabricaret, niſi omnipotenti ſua uirtute creaſſet ex nihilo ignem, aquam, terram & aerem, ex quibus tanquā futuri operis elemētis reliquū opificiū faciendo produceret? Quare primus omnipotentiæ illius uſus fuit ad creandū ex nihilo materiā, ex qua faceret hunc mundum. Non agnouerunt hunc, qui Deo ſic tribuūt mundi iſtius opificium, ut dicāt illum ab eo factum eſſe ex materia præiacente, & ab æterno exiſtente. Qui ſic ſentiunt, potiſsimā omnipotentiæ gloriam Deo adimunt, dum materiæ illum creatorem eſſe negant.

Omnipotentia Dei in creatione.

Deinde requirebatur, ut ex creata materia faceret reliquum opificium, lucem, diem ac noctem: & cœlum & tellurem ſepararet ab undis, ornatuque ſuo decoraret, conderet ſolem, lunam & ſtellas: produceret piſces ac uolucres ex aquis, omnisq; generis animantia, & hominem quoque è limo terræ. Huc quoque faciebat uſus omnipotentiæ illius. De eo diximus copioſius in Geneſi, cap. 1.

Omnipotentia Dei in factura rerum.

Tertiò, quoniam ad replendū terram opus erat, ut facta animantia multiplicarentur, rurſus uirtute omnipotentiæ ſuæ uſus adhibuit illis uim creſcendi ac multiplicandi. qua de re Geneſis 1. legimus ad hunc modū: Et uidit Deus quòd eſſet bonū, benedixitq; eis (piſcib. maris) dicens: Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris. Rurſus, cum hominem condidiſſet, benedixit illi, & ait: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, &c.

Omnipotentia Dei in multiplicatione ac propagatione.

Quartò, non modo multiplicandæ erant creaturæ, ſed & per ſuas ſingulæ ſpecies in omnia mundi huius ſecula propagandæ. Igitur huc quoq; opus eſt omnipotentia, qua inde ab initio mundi ad finem uſq;, omnis generis animantia, beſtiæ, piſces, uolucres, plantæ & homines ſpecies ſuas uirtute propagationis conſeruent.

Quintò, requiritur ſingularis potentia, qua cuncta tam in cœlo, quàm in terra gubernētur, diſponantur, alantur & conſeruentur. Etenim niſi uirtute omnipotentiæ, qua condita ſunt, gubernentur, alantur & conſeruentur, ne unius quidem momenti ſpacio ſubſiſtere poterunt. Quòd cœlum non corruit, mare terram non operit, & in morem diluuij inundando cuncta ſubuertit, terra non infernè ſubſidit, quandoquidem ſuper aquas eſt fundata, aer ea quæ ſpirāt flatu neceſſario non deſtituit, ſol omnem telluris faciem ardore ſuo non comburit, tellus uim fructificandi, unde uiuunt & homines & iumenta, non amittit, & omnis generis alimonia cibandi uirtutem retinet, ordo rerum naturæ inditus non confunditur, & quæ innumera ſunt eiuſmodi alia, in ſuo ſingula officio permanent, unde eſt niſi ex omnipotentia Dei? Eadem illius uirtus, ut omniū eſt creatrix, ita eſt & omnium conſeruatrix. Qui fecit nos, idem nos ipſe conſeruat. Ego feci, inquit, ego porto ac ſeruo. Eſaiæ 46.

Omnipotentia Dei in gubernatione & cōſeruatione.

Sextò. Ad conſeruationem uerò creaturarum neceſſarium eſt, ut infirma confirmētur, prolapſa erigantur, languida & ægrotantia ſanentur, errantia in uiam reducantur, cæca illuminentur, captiua liberentur, eſurientia ac ſitientia cibentur ac potentur. Igitur huc quoq; pertinet uſus potentiæ Dei, per quam hæc omnia periclitantibus præſtentur.

Potētia Dei ad conſeruandū.

Poterat nos tales facere, qui nullis eſſemus infirmitatibus ac periculis obnoxij: uerùm quo non modò creando ac faciendo, ſed & creata curando ac reſtaurando uerbi Dei potentiā in nobis declaret, creauit tales, qui labi, eſurire, ſitire, ægrotare, & multis modis periclitari queant, quo indeſinenter à potentiæ ipſius uirtute & ope pendeamus. Agnouit hanc Dauid cum caneret: Benedic anima mea Domino, &c. qui ſanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu uitam tuam. Item: Dominus dat eſcam eſurientibus, Dominus ſoluit compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus erigit eliſos, &c. Item: Homines & iumenta ſaluas Domine. Et Pſalmo centeſimo ſeptimo diligenter celebrat, quomodo errantes in ſolitudine, captiuos, lethaliter ægrotantes, & in mari periclitantes, periculis eximat Deus. Tribuit quidem iſta miſericordiæ ac bonitati Dei: uerùm bonitas & miſericordia Dei prorſus eſſent inefficaces, niſi efficacia illis ex potentiæ diuinæ uirtute accederet.

Quare nos Deus infirmitatibus obnoxios creārit. Pſal. 103. 145.

Septimò. Quoniam ante conſtitutionem mundi delegit ſibi, quos in æternum ſaluet, felicesq; reddat: requiritur neceſſariò uirtus, qua illos regeneret è ſupernis, quo regni cœlorum

Potentia Dei regeneramur.

participes esse possint. Facit hoc potentia, qua corda electorũ renouantur, & ex carnalib. spiritualia redduntur. Opus hoc omnipotentiæ Dei, per Euangeliũ Christi, cooperãte Spiritu sancto perficitur. Vnde illud Apostolus uirtutẽ Dei uocat, ad saluandũ credentes, Rom. 1.

Sap. 5. Potentia Dei ad uindicandũ.

Octauò. Est & illud opus Dei, ut iusto & efficaci iudicio pœnas sumat de reprobis. Iusticiã quidẽ moderatrix est iudicij, uirtus uerò omnipotentiæ omnem creaturã armat ad sumendũ uindictam de impijs ac rebellibus. Quare & huc se usus illius necessariò extendit. Glorificatril lam Scriptura, dum Deo manũ potentem, dexteram uirtutis, & brachium excelsum tribuit.

Potentia Dei ad resuscitandum mortuos.

Nonò. Quoniam in hac uita sic exercet pios, ut nihil minus uideantur quàm felices: & sæpe plerunq; impios in delicijs uitam hanc transigere sinit, ut ipsa æquitas resurrectionem mortuorum poscat, quo facta separatione, illi in uitam æternam asserantur, isti uerò in ignem sempiternum abijciantur: & hæc quoq; iusti & ultimi iudicij exequutio, omnipotentiam requirit, qua & mortui ad uitam resuscitentur, & unicuiq; secundum ea quæ in uita sua, siue bona siue mala gessit, irrefragabili iudicio retribuatur.

Potentia Dei terminabitur hic mundus, fietq; cœlũ nouum & terra noua.

Decimò. Quoniam ipse mundi status sublatis impijs, & in cœlestem uitam ac felicitatem assertis pijs, necessariò requirit, ut præsenti illius schemate terminato transformetur, quo fiat cœlum nouum & terra noua: hic quoq; usus requiritur omnipotentiæ diuinæ, sine qua metamorphosis ista nec fieri, nec ubi facta fuerit, in sempiternũ immota subsistere poterit. Vbi hæc, & quæ alia sunt eiusmodi consideramus, etsi non per omnia, aliquò tamen usque omnipotentiæ Dei usum facilè intelligimus. Est quidẽ ille infinitus, quemadmodum infinita est & ipsa potentia: uerùm nobis ad pietatis studium sufficere possunt, quæ de illo iam obiter in mediũ adduximus. Poteramus ea Scripturis sacris communire & illustrare, nisi in ijs quæ manifesta sunt, haud operosius laborandum esse sciremus.

IN QVIBVS OPERIBVS CONSIderanda sit omnipotentia Dei.

Varietas operum Dei.

POsset quidem ex ijs quæ dicta iam sunt, satis liquere, in quibusnam sit operibus considerãda diuinæ potentiæ uirtus: uerũ propter rudiores hac quoq; de re seorsim nonnulla dicenda uidẽtur. Operum Dei alia sunt uisibilia, alia inuisibilia: rursus, alia olim facta, idq; semel: alia quotidiana, uel aliàs frequenter iterata: adhuc alia miraculosa & insolita, alia naturalia & consueta: alia item extra nos, alia in nobis ipsis: deniq; alia à nobis remota, alia oculos nostros incurrentia. Omnia quidem eiusdem sunt diuinæ potentiæ opera, deq; illa testantur: uerùm curandum est pio homini, ut & oculos & mentem ad ea potissimùm considerãda intendat, quæ primùm in seipsa deprehendit: deinde & extra se uel inde ab initio semel facta, uel singulis annis, uel quotidie fieri uidet. Quę inuisibilia sunt & remota, curiosis illis relinquat, quibus uisibilia, agnata & propinqua non sufficiunt.

Quæ opera Dei potißimũ cõsiderare debeamus.

Dum nos ipsos inspicimus, reperimus, opus nulli usquam creaturæ præstitu possibile, ut fateri cogamur, esse nos opus manuum Dei. quod agnouit qui dixit: Manus tuæ Domine fecerunt me, ac plasmauerunt me totum in circuitu. Quis dat semen uiro, unde nascimur? Quis disponit uterum mulieris ad concipiendum, retinendum ac fouendum semen acceptum? Quis ex illo fingit fœtum, & speciei illius conformat? Quis dat illi uitam? Quis alimentum subministrat unde uiuat? Quis dat incrementum, ut crescat? Quis matrici incluſum custodit & conseruat, ne suffocetur? Quis opportuno tempore, ubi ad nascendum maturuit, ad partum disponit ac dirigit? Quis ex ipsis claustris materni uteri uiuum & illæsum extrahit? In his omnibus nihil ualet qualiscunque parentum cura, nedum aliorum hominum facultas. Agnoscamus ergo in illis omnipotentis Dei manum, quæ & in reliqua nostra uita solet clarius eluceſcit.

Opus Dei in nobis.

Opera Dei extra nos, & naturalia.

Extra nos sunt, cœlum, terra, aqua, ignis, aer, homines, bestiæ, plantæ, &c. quorum omnium & factura, & natura, & conseruatio, omnipotentiæ Dei uirtute subsistit. Horum alia semel initio mundi facta, non solùm qualitate sua, sed & tot seculorum diuturnitate, qua semel condita, sine omni reparatione eadem constanter ad finem usque mundi perdurant: alia quotidiana, alia annua reciprocatione omnipotentiam Dei prædicant. Annuo æstatis recursu reuiuiscit ac parturit ipsa tellus, quæ hyeme quasi lethali frigore percussa, omniq; ornatu exuta iacuerat. Sol ille totius orbis illustrator, quotidiano suo reditu & discessu, noctis ac diei uices constanti alternatione usibus nostris attemperat: ut fomenta caloris illius taceam, quo uniuersam hanc terram, unà cum illius incolis, & cunctis frugibus mirabiliter tota fouet æstate, ac uegetat. Innumera sunt quæ toto anno, hyeme, æstate, singulis mensibus, noctes ac dies, oculos nostros incurrunt, ex quibus omnibus infinita potentia Dei relucet. Videmus solem, qui uespertino occasu interisse uidebatur, matutino diluculo instar sponsi è thalamo suo nouum & alacrem redire. Nisi hoc nobis spectaculũ quotidie obijceretur, quis uesperi crederet fieri posse ut tenebræ irruentes, totamq; hemisphęrij nostri faciẽ caligine sua obducentes, re-

ducto ad nos ſolis ſplendore prorſus auferantur? Iam cum auferantur quotidie, quomodo non cogitamus, cuius id potentia fiat? An alterius cuiuſpiam, quàm eius qui hæc omnia uerbo uirtutis ſuæ condidit, & eadem qua condidit potentia, ſingula moderatur & gubernat? Iob 38. Deus ipſe potentiam ſuam conſiderandam proponit in fundatione terræ, concluſione ac ſimitatione maris, ortu ſolis, concuſsione terræ, profunditate maris, luce ac tenebris, theſauris niuis ac grandinis, æſtu ſolis (qui in regionibus Orientalibus & meridionalibus omnium eſt uehementiſsimus) uehementi imbrium curſu, ſonitu tonitrui, pluuia, ſtillis roris, glacie, gelu, ſtellis, lucifero & heſpero, ordine, ratione ac concentu cœli, nebula, fulgure, & extinctione impiorum ac cõfractione tyrannorũ, quá haud præter rationem cap. 39. repetit. Poſſunt alia multa, eaq; infinito præſtantiora proferri: uerum conſultius eſt Spiritui ſancto uiſum, ut ea cõſideranda proponantur, quæ oculis noſtris ſingulis non annis ac menſibus modò, ſed & diebus obijciuntur. Et horum tanta eſt multitudo, ut ueraciter dicere poſsimus: Cum multa ditimus, nihil dicimus. Deficimus in uerbis. Ipſe omnipotens omnia opera ſua excellit. Terribilis eſt & magnus uehementer, & potentia ipſius mirabilis. Etiamſi glorificauerimus eum pro uiribus, excellit tamẽ adhuc admirabilis illius magnificẽtia. Maior eſt omni laude. Quantúcunque laborauerimus, non cõprehendemus potẽtiæ illius excellentiam. Multa ſunt quæ nos latent, multo ijs quæ patent excellentiora. Operum enim illius uix minimam partẽ uidemus.

Mirabilia opera Dei.

Hactenus de illis loquimur diuinæ potẽtię operibus, quæ & naturalia ſunt, & uſitata. Quis eorum uirtutẽ expenderit, quæ propterea quòd inſolito more fiunt, mirabilia uocamus? Sunt quidem mirabilia in uniuerſum omnia, ſi ad noſtrarũ uirium imbecillitatem conferantur. Verum propter ſingularem inſolentiam, qua duplici nomine admirationem ſui merentur, rectè plus admirationis quàm uſitata inueniunt, atq; ita copioſius etiá omnipotentiæ gloriam illuſtrant. Nota ſunt mirabilia facta in Aegypto, facta in mari rubro, in deſerto, in terra Canaan, in camino Babylonico, & cum primis per diſpenſationem incarnati uerbi, quæ indubitatum habent diuinæ potentiæ argumentum.

Potentia Dei in ijs quoq; cõſiderãda, quæ non fiunt.

Adhuc, ſi cogites de multis quæ non fiunt, cũ factu ſint facilia, imò ſic procliuia, ut omnino fierent, niſi ſingulari potentia Dei impedirentur: an' nõ in ipſis quoq; omnipotentiá Dei deprehendes? Obſecro, quid erat procliue ac naturale magis, quá ut ignis cõbureret pueros Ebræos, quos in illum Babylonij ad cõburendum iniecerant? An' non facilius eſſet mari exundare in faciem terræ, & omnia extantia ſubuertere, quá quod certis terminis ſic incluſum tenetur, ut limites præſcriptos haudquaquã, niſi ſingulari iudicio Dei, tráſiliat? Quur tellus mole ſua non ſubſidit, cũ ſit fundata ſuper aquas? Quur mali non exterminant prorſus bonos ac pios, cum illos & multitudine & uiribus ſuperent? In huiuſmodi multis, quæ non fiunt, haud minus potentia Dei, quàm in ijs quę fiunt, cordato homini cõſideranda uenit. Quemadmodũ enim miſpat, hoc eſt potentię Dei, ut quod uult faciat: ita & illud eſt, ut nõ fiant, quæ ipſe non uult ut fiant. Itaq;, ut ſummatim dicam, conſideranda nobis eſt omnipotẽtia Dei, primũ in ijs quæ olim ſunt ab illo facta: deinde in ijs quæ ſingulis fiunt uel annis uel mẽſibus, uel diebus: tertiò in ijs quæ non fiunt, cum facili momento magno noſtro malo fieri poſſunt.

QVA'M NECESSARIA SIT FIDES omnipotentiæ Dei.

Articuli fidei noſtræ omnipotẽtiam Dei requirunt.

QVàm neceſſaria ſit fides ad ſalutẽ, diximus ſuprà in loco de Fide. Generalis fidei neceſsitas, ſpecialem hãc, qua Deum omnipotentem credamus, requirit. Etenim quomodo credemus creaſſe illũ ex nihilo cœlũ & terrã, idq; uerbo uirtutis ſuæ, niſi omnipotentẽ eſſe credamus? Non poſſumus rei huius ſcientiam rationis noſtrę iudicio comprehendere: unde nonnulli ex ſapientibus mundum ab æterno conſtitiſſe ſentiebant, ſed ſola illam fide comprehendimus. Vnde Ebr. 11. dicit Apoſtolus: Fide intelligimus perfecta eſſe ſecula uerbo Dei. Hinc eſt, quòd in Symbolo Chriſtianæ fidei, omnib. ijs quæ nos credere profitemur, præmittimus: Credo in Deum patrem, omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Adhæc, niſi credamus eſſe Deum omnipotentem, unde conſtabit nobis certitudo incarnati ex uirgine uerbi, reſurrectio mortui in cruce Chriſti, in cœlos exaltatio, ad dexteram patris ſeſsio, communis mortuorum omnium reſurrectio & uita, quam expectamus, æterna? Si promiſſorum Dei qualitas inſpiciatur, ueritas illorum haud conſtare nobis poterit, niſi credamus omnipotentem eſſe, non minus quàm ueracem, eum qui promiſit. Promittebantur Abrahæ, quæ ſine fide omnipotentiæ Dei firma futura nunquam credidiſſet. Qualia erant, poſteritas ſeminis, quæ multitudine ſua ſtellas cœli adæquaret, cum ipſe iam ſenex, & uxor non modò ſenex, ſed & prorſus ſterilis eſſet: terræ item Cenaan poſſeſsio. Videbantur iſta in oculis carnis prorſus impoſsibilia. Credidit tamen promittenti Deo, quia nihil illi ſciebat eſſe impoſsibile. Hac de re Apoſtolus Romanorum quarto loquitur ad hunc modum: Qui præter ſpem ſub ſpe credidit, fore ſe patrem multarum gentium, iuxta id quod dictum eſt: Sic erit ſemen tuum. Ac non infirmatus fide, haud conſiderauit ſuum ipſius corpus iam emortuum, cum centum ferè

Promiſſa Abrahæ facta pendebant ab omnipotentia Dei.

natus

natus esset annos, nec emortuam uuluam Saræ: uerùm ad promissionem Dei non hæsitabat ob incredulitatem, sed robustus factus est fide, tribuens gloriam Deo, certa persuasione concepta, quòd is qui promiserat, idem potens esset & præstare. Hæc Apostolus. Hinc igitur credebat Abraham promissis Dei, quantumuis in speciem impossibilibus, quòd certò persuasus esset, sic esse illum omnipotentem, ut promissa præstare possit. Cum in hac causa nonnihil infirmaretur fides Saræ, & ad uerba angeli filium ipsi promittentis ridendo dixisset: Postquam consenui, & Dominus meus uetulus est, uoluptatine operam dabo? obiectum est illi, cum correptione, quòd nihil sit Deo difficile. Gen. 18. Significatur, non fuisse illam de promissione dubitaturam, si de omnipotentia Dei magis quàm de carnis suæ infirmitate cogitasset. Confimile & illud erat, quod beatæ Virgini accidit, cum diceret ad angelum: Quomodo potest hoc fieri? Quoniam uirum non cognosco. Vnde & audiuit, non esse ullum uerbum impossibile apud Deum. Ergo ferè sic comparatæ sunt promissiones Dei, ut fidem ueritatis sine fide omnipotentiæ Dei haud inueniant. Sine hac neque uera esse credemus, quæ de præteritis operibus Dei in Scripturis prædicantur, neque futura firma & immota spe expectabimus. Quæ ratio firmam in nobis reddet expectationem aduentus Christi seruatoris, quo mundus iste terminetur, electi in gloriam filiorum Dei asserantur, & impij cum satana in æternum ignem abijciantur, nisi de omnipotentia Dei certò simus persuasi? Quare & Apostolus cum de apparitione hac Domini loqueretur, dicens: Vt serues præceptum immaculatus & irreprehensibilis, usque ad apparitionem Domini nostri Iesu Christi, adiecit: Quam ostensurus est ille felix solus Δυνάστης, id est potens. Videtur impossibile, ut redeat ad nos homo ante tot secula cœlis illatus? Cogitemus esse Deum omnipotentem, qui hunc nobis suo est tempore cum gloria cœlesti ostensurus.

Sara. *B. Virgo.*

Quin orationes quoque nostræ prorsus langueſcent in tribulationibus, ubi omnia aduersa sic apparent ualida & inuicta, ut impossibile uideatur, ut uel effugiamus imminentia, uel præsentibus eripiamur, nisi fide omnipotentiæ Dei erecti opem illius imploremus. Sic Christus ipse, cum in agone constitutus ad Deum patrem suum oraret, ut hora illa crucis, si fieri posset, transiret, præmisit illud: Abba pater, omnia tibi sunt possibilia, Marci decimoquarto. Et Apostoli cum contra minas & uim aduersariam Pilati, Herodis, & sacerdotum opem Dei, unà cum cœtu fidelium orantes implorarent, mox orationis initio ad argumentum omnipotentiæ Dei confugientes, dicebant: Domine, tu feciſti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, &c. Sic recordatione creationis fidem in se diuinæ potentiæ confirmabat, illamq; potentiæ impiorum principum, quo maiore cum fiducia orarent, opponebant.

Christus. *Apostoli.*

Sic itaq; necessaria est omnipotentiæ Dei fides, ut quæ de operibus Dei in Scripturis proponuntur, & quæ mysterium humanæ redemptionis ac salutis concernunt: deniq; quicquid est promissorũ Dei, & quicquid petẽdum est ab illo, nihil sint apud nos fidei, nihilq; certæ spei & expectationis inuentura, nisi cum primis de omnipotentia illius certò simus persuasi. Quare summopere curandum est, ut contra quasuis hæsitationes, quas carnis nostræ cogitationes suggerunt, corda nostra inuicta potentię Dei fide confirmemus. In genere quidem esse Deum omnipotentem, facilè credimus omnes, uel id nos credere affirmamus: uerùm in ijs, quæ nos specialiter concernunt, & in se difficilia nonnunquam & impossibilia uidentur, non ita constanter ad omnipotentiam Dei respicimus, sed opus habemus ut & nobis proponatur illud: Nihil est impossibile apud Deum ullum uerbum.

QVAESTIONES DE OMNIPOTENTIA DEI.

An possit Deus omnia, quæ potest homo.

DE omnipotẽtia Dei disputant homines curiosi magis quã religiosi, an possit Deus omnia, quæ potest homo. Si potest, inquiunt, ergo potest fatigari, esurire, sitire, infirmari, mori, corrumpi, mentiri etiam, peccare, & quæ mala sunt facere, imò malis impense delectari. Si non potest, ergo non est omnipotens.

Item, An quod factum est, infectũ reddere possit. Et, An possit facere aliud quid ab eo, quod fecit, idq; uel melius uel deterius: utpote meliorẽ mundum, quàm quẽ fecit. Et, Possitne pretermittere aliquid eorũ quæ facit. Item, Possitne alio uel meliori modo facere, quàm quo fecit: An fuerit illi possibile alio mundũ hunc redimere modo, quàm per mortem unigeniti.

Adhuc, Possitne semper quod potuit olim: utpote, incarnari, mori, resurgere, & alia huiusmodi. Et quod Occam quęrit, priús ne conueniat Deo, non posse facere, quod est impossibile: uel impossibili, non posse fieri à Deo.

Possit ne Deus fatigari.

A curiosis hisce ociosorum hominum quæstionibus pio homini abstinendum esse censeo, ac simpliciter sentiendum, esse Deum omnipotentem. Posse fatigari, esurire, sitire, infirmari, mori & corrũpi, non est potentiæ, sed magis impotentiæ. Quid enim aliud est fatigari, quàm non posse citra lassitudinẽ operosum aliquid constanter facere, propter uiriũ imbecillitatem?

Et

Et esurire ac sitire, quid est aliud quàm ad reficiendas corporis uires appetere cibũ ac potum, quibus opus non esset, si sine illis uegetę ac stabiles permanere possent. Quare esurire ac sitire, infirmitatis est, non potentiæ. Vnde consequitur, non potuisse Deum omnipotentiæ retinere gloriam, si defectibus istis fuisset inuentus obnoxius. Tale est etiam, infirmari, mori, & corrũpi. Deficere posse, non est potentiæ, sed infirmitatis, ideoq; omnium ab eo alienissimum, qui omnium est potentissimus.

Catachresis est in uoce Posse, cum dicimus, posse hominem fatigari, esurire, sitire, infirmari, &c. Etenim uis uocis propriè ad ea pertinet, quæ potentiam requirunt: undè à Græcis uocatur Δύναδαι. Et Latinis potentia à posse deducitur. Quare admodum impropriè ea nos posse dicimus, quæ non potentiæ sunt, sed infirmitatis. Capacem esse fatigationis, famis, sitis, infirmitatis, mortis & corruptionis, non est propriè posse, sed magis non posse. Vnde & Germanicè, qui sic laborant, dicunt: Ich mag nicht mehr. Quapropter quod infertur, Si hæc non potest Deus, non est omnipotens: prorsus est inuertendum, ut dicamus, Si hæc pati potest Deus, non est omnipotens. *Posse.*

Argutantur: Non potest Deus ambulare & loqui, ut homo: ergo non est omnipotens. Rectè respondet Gnomodidascalus, non esse alienam à Deo potentiam, quæ ex ipso est, etiamsi in se illa non utatur. Ambulare & loqui posse, non est aliunde nisi ex Deo. Ambulat igitur & loquitur in homine. Nos addimus: Non est dandum impotentiæ, non facere quod alienum est unicuiq; à naturæ suæ proprietate. Quemadmodum non ideo uocamus hominem impotentem, quòd non uolat in aere in morem auium, cum uolare non pertineat ad naturam hominis: ita non est dandum impotentiæ Dei, quòd non facit ea quæ à natura ipsius sunt aliena, pertinent uerò ad naturam uel hominum uel bestiarum. *Possit ne Deus ambulare & loqui.*

Consimili modo ad id quoq; respondemus, quod quærũt quomodo sit Deus omnipotẽs, si mentiri, peccare & iniquè agere nequeat, cum hæc homo multo imbecillior facere possit. A natura diuina alienum est mentiri, peccare & iniquè agere. Qui mendax est, mentiri: qui peccator, peccare: qui iniquus, iniquè agere potest. Deus uerò nec mendax est, nec peccator, nec iniquus, sed ipsa ueritas & iusticia. Nequit igitur mentiri, peccare, & iniquè agere. Soli nõ potest impotentiæ loco imputari, quòd frigefacere non potest, cum sit id à natura ipsius alienum, imò prorsus contrarium: & quomodo poterit derogare potentiæ Dei, quòd ea non potest, quæ si posset, planè aliena à diuina natura posset, & impotentem se, nihilq; minus quàm uerũ Deũ esse declararet. Peccare nõ posse, perfectionis est, non imperfectionis, incorruptæq; naturæ indicium. Peccare, quid est aliud quàm deficere à rectitudine iusticiæ? At deficere nõ est potentiæ, sed magis impotentiæ. Qui peccat, uincitur, non uincit. Vinci posse, non est potentiæ, sed impotentiæ: potentię uerò est, uinci non posse. Qui peccatum facit, seruus est peccati. Seruum esse, alienum est à potentia. Quis nam adeò desipit, ut adamantem quouis pomo dicat esse impotentiorem, propterea quòd putrefieri non potest, cum id pomo sit facillimum? Peccatum id est homini, quòd putredo pomo. Quare Augustinus rectè dicit, magnã esse Dei potentiam, non posse mentiri. *Quòd peccare nequit Deus, non est dandũ impotentiæ.* *Simile.* *Simile.*

Ad id quod quærunt, Possitne Deus facere, ut quod factum est, sit infectum: & si id nequeat, quomodo sit omnipotens? respondemus, Non potest, & tamen nihilominus est omnipotens. Quod non possit, agnouit & ille qui dixit: τὸ γεγονὸς οὐκ ἀνδέχεται μὴ γενέδαι. διὸ ὀρθῶς Ἀγάθων· μόνου γὰρ αὐτοῦ τοῦτο ἐστέρηται Ἀγνοεῖ τὰ ποιῶν ὅσα ἂν ᾖ ἀνεπαγώνιτα. Verbo στέρισκεδαι malè usus est Poeta ille. Verùm condonandum est hoc homini ethnico. Nos hac de re simpliciter sic dicimus: In omnipotentiam Dei inquirere, per se irreligiosum est & impium. Tum uerò maximè est detestabile, si poscantur ab ea, quæ uel non sunt necessaria, uel fieri non debent, uel fieri non possunt. At quod hic quæritur, sic est comparatum, ut nec sit necessarium, nec fieri debeat, nec fieri possit. *Factum reddere infectum.*

Etenim quorsum necessarium esset Deo, factum reddere infectum, cum sic sit potens, ut nihil sine conscientia illius nec in cœlo nec in terra fieri possit: nec quicquã factum sit unquam, nec fiat, quod ne fieret, impedire si uoluisset, nequiuerit. Hoc genus igitur potentiæ superfluũ esset in Deo, conueniret uerò potius illis, sine quorum conscientia fieri possunt innumera: imo qui & ipsi quamplurima faciunt, quæ postea nunquam esse facta mallent, quibus etiam inuitis multa fiunt quæ impedirent, si possent. In hisce quidem rationem haberet potentia ista, per quam quæ facta sunt, infecta reddi possent, in Deo autem nequaquam. Quare prorsus esset in illo superfluà. *Non necessarium.*

Deinde: Quicquid factum est unquam, uel etiamnum fit, aut bonum est, aut malum. Si bonum est, infectum reddi non debet: si malum, nè sic quidem debet. Ratio siquidem iusticiæ, cuius est animaduertere in reprobos, non patitur, ut reddatur infectum, quod malè est factũ, & iudicio obnoxium. Nec gloria misericordiæ Dei, qua ignoscitur ijs qui malè egerunt, ferre hoc posset, ut malum quod factum est, reddatur infectum. Si adulterium adulteræ Ioan. 8. infectum reddi potuisset, nihil in illo loci misericordiæ ac gratiæ Christi fuisset. Si quæ mala facta sunt in mundo, infecta reddi possent, non esset futura ulla extremi iudicij ratio. Quare *Illicitum.*

non

non conueniret Deo hoc genus potentiæ, quandoquidem nõ conuenit illi ut faciat, quod fieri non debet. Si peccatum Adæ infectum reddi potuisset, superfluum fuisset uniuersum redimendi generis humani consilium.

Adhuc, infectum reddere, quod infectum non est, sed factum, quid est aliud quàm ueritatem mutare in mendacium? Etenim si factum est aliquid, sine mendacio infectum fieri non potest. At hoc omnium est à uero Deo alienissimum.

Impossibile. Tertiò: Impossibile etiam est, ut quod factum est, reddatur infectum. Implicat enim cõtradictionem. Nam cõtraria sunt inter se, factum & non factũ. Factum esse, & amplius nõ esse, nihil habent contradictionis. Quare impossibile quidem non est, ut quod factum est aliquando, non sit amplius. Impossibile uerò est, ut quod semel factum est, nõ sit factum unquã, propter contradictionem, qua alterum ab altero extinguitur. Factum est: Ergo infectum nõ est. Infectum est: Ergo factum nõ est. Propter hãc contradictionẽ impossibile est simpliciter, ut quod factum est, fiat non factum. Quæ aũt simpliciter impossibilia sunt, fieri non possunt. Etenim si possent, impossibilia non essent. De simpliciter impossibilibus dico. Aliàs multa sunt impossibilia homini, quæ Deo impossibilia non sunt, secundum illud Christi: Quod est impossibile apud homines, possibile est apud Deum. Concludimus igitur, cum hoc genus potentiæ, de quo, num factum infectum reddere possit quæritur, sit & superfluum in Deo, & illicitum, & impossibile, abstinendum esse ab hac quæstione, ne iram Dei in nos prouocemus, dignique reddamur qui potentiam irati iudicis experiamur.

An possit Deus aliquid melius facere, & alio modo, &c. Ad ea quibus quærũt, Possitne Deus aliquid aliud ab eo quod facit facere, quod sit uel melius uel deterius, & alio quoq; modo, quàm quo facit, & aliquid eorum quæ facit omittere, & quod olim fecit, facere semper: respondeo, nisi hæc posset, liberam nõ haberet potentiam, sed ad ea quæ facit constrictam & limitatam. Deus noster in cœlo, quæcunq; uult, & quomodo, & quale, & quoties uult, facit. Nihil hic est contradictionis, nihil quod omnipotentiæ Dei sit impossibile, nihil quod sit iniustum.

Occam. Quod Occam quærit, Priúsne conueniat Deo, non posse facere quod est impossibile: uel impossibili, non posse fieri à Deo, facilè soluitur. Simpliciter esse impossibile, & à Deo fieri non posse, correlatiua sunt. Etenim quicquid à Deo fieri non potest, impossibile est ut fiat: & rursus, quicquid simpliciter impossibile est ut fiat, à Deo fieri non potest. Inter correlatiua uerò nihil prius est, nihil posterius. Mox enim, ut est alterum illorum, alterũ simul esse necesse est cuius oppositum accidit in contradictorijs. Sed relinquamus ista Dialecticis.

An faciat omnia, quæ facere potest. Hæc ad quæstiones illas, quibus non delector, obiter in medium adferre uolui. Illud quoque, Faciátne Deus omnia quę facere potest, & cur nõ faciat, facilem habet responsionem. Si faceret, quæ facere posset omnia, & cœlum & terram, & quæ in eis sunt omnia unico momento subuerteret, inq; alias atq; alias formas in infinitum usq; mutaret. Non facit aũt, quia non uult. Aliud est esse omnipotentem, & aliud esse omnifacientem. Vt non est omniuolens (ut ita dicam) ita non est omnifaciens. Ad omnipotentiam illius cognoscendam & glorificandam, sufficiat nobis, ut cum propheta dicamus: Deus noster in cœlo, quæcunq; uult, facit.

DE VOLVNTATE DEI.

IPSA series rerum, de quibus loquimur, poscere uidetur, ut post locum de Omnipotentia Dei subijciamus eum, qui sit de Voluntate Dei. Neq; enim utiliter in consideratione omnipotentiæ illius uersari poterimus, nisi consideratæ simul & intellecta illius uoluntate.

Non esse curiosius inquirendum in uoluntatem Dei. Non est autem animus inquirere in uoluntatem Dei ultra mensuram & rationem pietati ac saluti nostræ conuenientem. Ignorare prorsus quæ sit uoluntas Dei, cæcorum est, & eorum qui nulla religione Dei tenentur: scrupulosius & curiosius in illam disputando inquirere, irreligiosorum ac curiosorum est magis quàm piorum. Quale est, quod Scholastici quærunt, Quomodo sit in Deo uoluntas: &, An idem sit illi uelle, quod esse, ut uoluntas Dei sit ipsius ἐνέργεια: &, An sit ea quæ uult. Quemadmodum famuli non est inquirere in ea, quæ secretiora sunt in uoluntate heri sui, & ad ipsius cognitionem nõ pertinent, sed ad hoc potius intentum esse, ut quæ sit illi uoluntas erga ipsum, tanquam heri erga famulum, qua poterit diligentia cognoscat, illiq; sese totum accommodet: ita nostrum non est, uoluntatis diuinæ secreta ad nos non pertinẽtia scrutari, sed quæ sit uoluntas Dei erga nos probare & intelligere. qua de re Apostolus loquitur, dicens: Vt probetis quæ sit uoluntas Dei bona & beneplacita, Romanorum duodecimo. &, Intelligite quæ sit uoluntas Dei. Satis sit scire, non esse uoluntatem in Deo, ut in homine, in quo uoluntas est motus & affectus animi, nemine cogente, ad amittendum aliquid uel adipiscendum, qui in Deum cadere non potest, ne qualitatem humanæ uoluntatis transferamus ad Deum. Non requiritur à nobis, ut scrutemur de uoluntate Dei, quid illa sit: requiritur uerò, ut intelligamus quæ sit, idq; non in

Voluntatẽ non esse in Deo, ut in homine.

in uniuersum erga omnia quæ condidit & moderatur, sed erga genus humanum, præcipuè electos & fideles in Christo ipsius filio.

I. VOLVNTATEM DEI ERGA NOS bifariam esse considerandam.

Quomodo Magister sententiarũ de uoluntate Dei loquatur.

MAgister Sentẽtiarum uoluntatem Dei in Scripturis duobus modis accipi dicit. Primò propriè de ea quę in ipso sit, illiusq; sit essentia, unica, perfecta, immutabilis & æterna: deinde, secundũ figurá de illius præceptis, prohibitionibus, consilijs, permissionibus & operationibus. De priore modo accipit illud Dauidis: Omnia quæcunq; uoluit Dominus, fecit. Et quod Apostolus Romanorum nono dicit: Voluntati eius quis resistet? Et cap. duodecimo: Vt probetis quæ sit uoluntas Dei bona & beneplacens. Ad posteriorem uerò accommodat iliud Psalmi centesimi decimi: Magna opera Domini, exquisita in omnes uoluntates eius. Sic sentit ille.

De uoluntate Dei erga nos.

Nos simpliciter uoluntatem Dei erga nos sic considerandam esse sentimus, ut primùm intelligamus, quomodo & quid de salute nostra penes seipsum ab æterno constituerit: deinde, quid nos facere uel uitare, & quales nos esse, uel non esse uelit. Perinde nanque atque in patre gemina hæc est erga filium uoluntas, qua priore loco uult illi cõsultum optimè, & ad illius cõmoda in omnibus collimat: posteriore uerò requirit ab eo animum à se bona cum fiducia pendentem, sui reuerentem, morigerum, & honestè sese in omnibus gerentem: ita de uoluntate Dei quoq; erga nos cogitandum est, primò, qua uult nos esse saluos: deinde, qua quæ à nobis præstanda sunt, requirit. Ad priorem illius partem pertinet illud Seruatoris Ioannis sexto: Hæc est uoluntas eius, qui misit me, patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illud in nouissimo die. Hæc est autem uoluntas patris mei qui misit me, ut quisquis uidet filium, & credit in eum, habeat uitam ęternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et illud Apostoli prima Timoth. 2. Hoc enim bonum est & acceptum coram seruatore nostro Deo, qui omnes homines uult saluos fieri, & ad cognitionem ueritatis uenire. Et Ephes. 1. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsũm, secundum propositum uoluntatis suæ, in laudem gloriæ, gratiæ suæ, &c. Hanc uoluntatem Dei Ebræi uocãt רצון, Apostolus θελημα ἀνάρισιν: illiq; tribuit, quòd sit bona & perfecta. Rom. 12. secũdum quorundam expositionem, nos uocare possumus gratiam ac beneuolẽtiam. Scholastici uocant uoluntatem beneplaciti, ac diuidunt illam in antecedentem & consequentem, quemadmodum & gratiam in præuenientem & subsequentem.

Prima pars uoluntatis Dei erga nos.

Posterior pars.

Ad posteriorem uerò diuinæ erga nos uoluntatis partem pertinent omnia loca, in quibus uel præcipit quid faciamus, uel prohibet quæ non uult ut faciamus. Vt prima Thessalonicensium quarto: Hęc est uoluntas Dei, sanctificatio uestra. Ephesiorum quarto: Vt serui Christi facientes uoluntatem Dei. Ebræorum decimo: Vt facientes uoluntatem Dei, reportetis repromissionem. Et Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed quicunq; fecerit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est. Scholastici uocant hanc partem uoluntatis Dei erga nos, uoluntatem signi, eo quòd præcepta & prohibitiones illius sint signa quædam, unde cognoscatur.

Discrimen in uoluntate Dei obseruandum.

Est autem in hac erga nos uoluntate Dei discrimen necessariò ac diligenter obseruandum. Nam non omnia indiscriminatim requirit ab omnibus: sed alia in genere ab omnibus, alia specialiter à singulis, secundum differentiam personarum, uocationum & conditionum. Generaliter ab omnibus requirit fidem, spem, charitatem, pietatem, obseruantiam, patientiam in aduersis, iusticiam, æquitatem, & misericordiam erga proximos, &c. Promissionibus suis uult ut credamus, ac indubitata spe & patientia ab illis pendeamus. Præceptis suis uult ut obediamus, seq; timeamus in uniuersum omnes. Specialiter uerò aliud requirit ab alijs, alliud à subditis, aliud à magistratu: aliud à plebe fidelium, & aliud à ministris: aliud à dominis, & aliud à seruis: aliud à parentibus, & aliud à liberis: aliud ab innuptis, & aliud à nuptis: aliud à pauperibus, & aliud à diuitibus. unicuiq; personæ & conditioni suum est mispat, in quo diuinæ debeat uoluntati obedire, & secundum quod uel obediens illi, uel inobediens censeatur. Curandum ergo unicuiq; est, ut primùm in generalibus cum pijs omnibus, deinde in specialibus ad se pertinentibus, debitam diuinæ uoluntati præstet obedientiam.

II. VOLVNTATEM DEI FVNDAMENTUM esse fidei, pietatis ac salutis nostræ.

Veritas.

CVm Christus dicit, Si manseritis in sermone meo, cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos, Ioan. 8. & Apostolus 1. Timoth. 2. Qui uult omnes homines saluos fieri, & ad cognitionẽ ueritatis uenire: uidetur quidẽ salutis nostrę fundamentũ esse in ueritate

uerbi Dei, uerùm si causam hanc penitius introspexerimus, deprehendemus primùm illius respectum deberi uoluntati Dei, secundum cuius propositum ab æterno nos elegit in Christo, salutiq; prædestinauit. id quod disertè ponitur ab Apostolo, ubi Eph. 1. dicit: Qui prædestinauit nos, ut adoptaret in filios per Iesum Christum in sese, secundum beneplacitum uoluntatis suæ. Ex hoc uoluntatis ipsius beneplacito nata est electio, prædestinatio, adoptatio, & quotquot extant illius promissiones, quas illa omnes ordine quodam præcedit. Neq; enim nos saluos esse uoluit, quia elegit ac prędestinauit: sed elegit ac prędestinauit, quia saluare uoluit. Veritas autem refertur ad uerbum promissionum, quod uoluntas antecedit. Quid certius dici potest, quàm debere nos misericordiæ Dei, quòd saluamur? At, teste Apostolo, miseretur quorum uult. Ergo misericordia est ex illius uoluntate.

Ephes. 1. Electio.

Misericordia.

Fides.

Quod fidem attinet, obiectum quidem illius est uerbum promissionis, in quod credentes respicimus. At quemadmodum uoluntas illa æterna, quæ est ad saluandum nos, fons est promissionum omniũ, ita est & fidei nostræ fundamẽtum. Hactenus enim credimus uerbo, quatenus de uoluntate erga nos Dei testificatur.

Omnipotẽtia.

Nitimur quidem & omnipotentia Dei, quemadmodum loco prędecedenti annotauimus: nec rùm nisi constet nobis illius uoluntas, nõ poterimus ex eo de fide nostra certificari, quòd omnipotens est Deus: ubi uerò de uoluntate illius cõstiterit, ibi nulla relinquitur ratio de potentia dubitandi. In causa cœnæ Dominicæ argumentãtur Papistæ ex omnipotentia Dei, ut cõprobent posse panis ac uini substantiam conuerti in corpus ac sanguinẽ Christi: & fratres nõnulli contendunt, corpus Christi corporaliter præsens esse posse, non in pane modò, sed & ubiq;, propter incõprehensibilem & infinitã diuinæ maiestatis omnipotentiam. Nos simpliciter & modestè de uoluntatẽ Dei, in hac quoq; causa quærimus: Comprobetur sic uelle Dominum mutare panem in suum corpus, uel corpus suum corporali pręsentia includere pani. Vbi de hac illius uoluntate constiterit, nulla erit amplius controuersia: quia scimus illi quæcunq; uult, esse posibilia. Vbi nulla est uoluntatis illius certitudo, frustrà est omnis de omnipotentia argumentatio, & infirmior quàm cui fides nostra inniti possit. Haud enim omnipotẽtiam consequitur uoluntas, sed uoluntatẽ omnipotentia. Voluntatis ministra est potentia, non potentiæ uoluntas. Quæcunq; uult, potest: non quæcunq; potest, mox uult facere.

Argumentãtur de omnipotentia Dei in Cœna Dominica.

Omnipotentia ministra est uoluntatis Dei.

Pietas.

Quod pietatẽ concernit, nec illa alio nititur fundamento, quàm diuinæ uoluntatis. Colere Deum, pietas est. At uerus Dei cultus metiendus est ex uoluntate Dei: qua de re suprà in loco de Vero cultu Dei annotauimus. Obedire Deo, pietatis est. Obediẽtia autem accõmodanda est illius uoluntati, ut sit uera ac syncera, sicuti suo loco, uolente Domino, annotabimus.

III. VNDE VOLVNTAS DEI *possit cognosci.*

Curandum ut intelligatur uoluntas Dei

SCiens Apostolus, sine certa diuinę uoluntatis scientia cæcas esse mentes mortalium, nec fieri posse ut de illis hęsitãtibus, certi aliquid de salute ac uera pietate cõstet, hortatur nos ut illam intelligamus. Nec præter rationem est, quòd uerbo ἀναμίμνησκειν Rom. 12. utitur, dicens: Vt probetis, quæ sit uoluntas Dei. Probare quæ sit uoluntas Dei, est non obiter de illa opinari: sed certo experimento cognoscere, & indubitatò scire. Quoniam enim de illa & sati in angelum lucis transfiguratus, quemadmodum mox initio generis humani cœpit, & ministri eius in Apostolos Christi trãsformati, & ipsa quoq; caro nostra, dũ pia uult & religiosa uideri, pleraq; ad perditionem nostri facientia mentiuntur: cauendum est summopere, ne temerè cuiuis illius prætextui fidem adhibeamus, sed certò probemus spiritus, utrum sint ex Deo, uel secus. Quærendum igitur est, unde certò probari possit, quæ sit Dei erga nos uoluntas, ne demus locum in nobis opinionibus, quæ in Papatu regnant.

Voluntas Dei cognoscenda in uerbo, signis & factis.

Sunt autem probationis huius modi plures quidem, si per species cõsiderentur: generaliores uerò tres assignari possunt. Volũtatẽ enim suã Deus erga nos cõmuniter declarat aut uerbo, aut signo, aut facto. Quare illam probare possumus in uerbo ipsius, in signis, & in factis.

Verbum.

In uerbo sunt, præcepta ac prohibitiones, sunt promissiones & minæ, sunt cõsolationes & iudicia. Cum præcipit, quid nos facere uelit, dumq; uetat ea quæ non uult ut faciamus, utq; nos de uolũtate sua instruit, ut rectè canat Propheta: Præceptum Domini lucidum illuminãs oculos. Dum promittit gratiam suam, salutem ac uitam æternam pijs & fidelibus, timentibus se, & à se recto corde pendentibus: iram uerò & condemnationem minatur impijs & incredulis, an' non duplici nomine uoluntatem suam declarat, cùm qua nos amanter prosequitur, tũ qua uicissim requirit, ut nos rectè in omnibus geramus? Et hic est totius Euãgelij scopus, in quo nos de uolũtate Dei erga genus humanum, certos reddit unigenitus Dei. Sunt in uerbo consolationes, quibus animi peccatorum, infirmorum, afflictorum ac lugentium eriguntur. Testificantur illæ de beneuolentia Dei, qua opem suam omnibus afflictis paratam & expeditam offert. Proponuntur nobis in uerbo iudicia quoque Dei, quibus animaduertit in reprobos: quorũ exempla præcesserũt in diluuio, in igne Sedomitico, in mari rubro, & reliqui consimilibus.

consimilibus. Ex his quoq; uidere licet, qua sit uoluntate erga impios ac reprobos.

Signa de uoluntate Dei testificantia, sunt Sacramenta à Christo seruatore instituta, & tradita: utpote Baptismus & cœna Dominica. Baptismo certi reddimur, quòd uelit nos habere tãquam peculium nomini suo consecratos & obsignatos: quodq; abluere uelit peccatorum nostrorũ sordes, nosq; per sanguinẽ Christi iustificare ac sanctificare. Sacramẽto Eucharistię certi reddimur, quòd simus ex redemptis, dum uult nos memores esse mortis unigeniti, per quã sumus redempti, & pro tam incomparabili sua gratia offerre sibi sacrificium laudis. Dum hæc duo sacramenta signa gratię uocamus, non sentimus esse illa uacua & inania signa: sed certa erga nos gratiæ Dei testimonia, de beneplacito uoluntatis illius erga nos testificantia. Quæ adhuc de Sacramentis hisce tenenda sunt, diximus suprà, ubi separatim de illis annotauimus. *Signa.*

Præterea sunt & alia signa, ex quibus de uoluntate Dei perdocemur: utpote arcus ille apparens in nubibus: cuius apparitione admonemur, nolle Deum amplius aquis diluuij omnem telluris faciem operire. Deinde portẽta illa cœlestia, de quibus Dominus ipse prædixit, quòd futura sint signa in sole, luna & stellis. Quid illa faciunt aliud, quàm quòd nos de uolũtate irati Dei commonefaciunt, & horribilium plagarum minis ad resipiscentiam uocant?

De factis quoq; Dei manifestum est, quòd monstrent, quæ sit illius erga nos, siue irati siue beneuoli ac placati uoluntas. Est autẽ impossibile recensere illa, cum nec numerum habeant, nec modum, nec finem. Quis enim creationis, multiplicationis, propagationis, gubernationis, moderationis, liberationis, conseruationis & consolationum beneficia per species numerauerit, quibus omnibus philanthropiam suam erga nos declarauit, declarat, declaraturusq; est ad finẽ usq; mundi? Imò dum uirga disciplinę delinquentes castigat, quid aliud facit, quàm quòd cauet ne cum hoc mundo propter impœnitentiam damnemur? 1. Cor. 11. Ebr. 12. In his omnibus ἡ εὐδοκία τοῦ θελήματος αὐτοῦ declaratur. Illud autem omnium est excellentissimum uoluntatis ipsius erga nos documentum, quòd proprio filio suo non pepercit, sed hunc tradidit pro nobis omnibus, unde indubitatissimum nobis esse potest, esse Deum pro nobis. *Facta.*

Dum dat populo suo leges iudicij & iusticiæ, unde doceantur, quomodo cùm erga se, tum erga proximos uiuant: an non monstrat, quàm cupiat suis esse consultum, quorum dignatur esse Deus, & simul quales eos se gerere uelit?

Dum mittit prophetas, unigenitum, Apostolos, Euangelistas, pastores & doctores in mundum uniuersum, ut ad resipiscentiam, fidem & pietatem quosuis uocent, utiq; quàm bene uelit humano generi, declarat. Sunt hęc generalia quidem, attamen sic comparata, ut non omnibus tantùm in genere, sed & singulis possint esse documento, qua sit erga unumquenq; Deus uoluntate præditus: idq; tãto certius, quanto uerba, signa & facta illius ab omni sunt fuco, simulatione & mẽdacio alieniora. Neq; enim hypocrita est ut homo, sed in omnibus omnium ueracissimus. De uerbis signis ac factis hominum meritò dubitaueris. Nihil enim habent plerunq; certi, unde constare possit, quę sit illorum uoluntas: quandoquidem prauum est cor hominis, ut Propheta testificatur, & inscrutabile, ut cognosci nequeat. Secus uerò comparata sunt eloquia, signa & facta eius, qui solus incorruptæ ueritatis laudem meretur.

Illud tamen adiecerim: Quamuis sic manifesta ac uera sunt uerba, signa & facta Dei, ut certò possit ex illis comprobari & intelligi, quæ sit illius erga nos uoluntas: sic tamẽ corrupto sumus & occæcato ingenio, ut eam haudquaquã ex illis intelligamus, nisi uirtute spiritus illius mente renouemur. Vnde Apostolus Roman. 12. cum dicturus esset, Vt probetis, quæ sit uolũtas Dei bona, accepta & perfecta: præmisit, Et ne accommodetis uos ad figuram seculi huius, sed transformemini per renouationem mentis uestræ: ac tum subiecit, Vt probetis, &c. Quare tam non est mirũ, quòd uoluntas Dei, quamuis manifestissimis sit argumentis declarata, non cognoscitur tamẽ à filijs huius seculi, quorũ mentes sunt obtenebratę, quàm mirũ nõ est, quòd illustrissimꝰ solis splẽdor cęcis oculis nõ uidetur. Secretũ Domini, inquit Propheta, timẽtibus ipsum. Et Augustinus alicubi: Qui uolũtatẽ Dei inquit, nosse desiderat, fiat amicꝰ Deo. *Opus esse renouatione mẽtis.*

QVID SIT FACERE VOluntatem Dei.

QVoniam, teste Christo, nemini patet in regnum cœlorũ ingressus, nisi non solùm sciat, sed & faciat uoluntatem Dei, Matth. 7. ideoq; Apostolus hortatur, ut tanquam serui Christi uoluntatem Dei faciamus, Ephes. 6. uidendum est propter rudiores, quid sit facere uoluntatem Dei. *Matth. 7.*

Principiò, aliud est facere uoluntatem Deo, & aliud facere uoluntatẽ Dei. Voluntatẽ Deo facere, est causam illi dare, ut uelit. Visitatum hoc est in conuictu mortalium, ut uerbis & factis ad id uolendum permoueamur, cuius antea in nobis nulla erat uoluntas. An hoc in Deo quoque locum habeat, quæri poterit. Habere uidetur, ubi Deut. 28. sic legimus: Si audieris uocem Domini Dei tui, ut facias atq; custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gẽtibus, &c. Si uerò audire nolueris uocem *Voluntatem facere Deo.* *Deut. 28.*

Hieremi.18. Domini Dei tui, &c. uenient super te omnes maledictiones istæ, &c. Et Hieremię 18. Si pœnitentiam egerit gens ista à malo suo, quod loquutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui, ut facerem ei, & subitò loquar de gente & de regno, ut ædificem & plantem illud. Si uerò fecerit malum in oculis meis, ut non audiat uocem meam, pœnitentiam agam super bono, quod loquutus sum ut facerem ei. Hęc ibi. Vnde apparet, per inobedientiam nostram gigni in Deo uoluntatem ulciscendi: per obedientiam uerò uoluntatem benefaciendi. Verùm si hoc dixerimus, uidemur illi dare uoluntatis mutabilitatem, qualis est in homine, cum potius sentiendum sit, esse illius uoluntatem perpetuã & immutabilem. Scriptum enim est Numeri uigesimotertio, Non est Deus ur homo, ut mentiatur: nec quasi filius hominis, ut mutetur: Et Malach. 3. Ego Dominus, & non mutor. Sed absit ut eiusmodi uoluntatis mutabilitas, quæ ut in homine per mendacium mutatur, cadat in Deum. Voluntas Dei eadem est & constans, benefaciendi pijs ac morigeris, ultionem uerò sumendi de impijs & immorigeris. Quòd si utrunq; faciendi causa fuerit in ijsdem, mutabilitatis uitium imputandum est non Deo, qui nõ mutatur ut homo: sed illis qui à sancto proposito deficientes, in malum mutantur. Loquitur autem ad eum modum Scriptura de Deo, more humano & usitato, à quo tamen ille omnium est alienissimus.

Voluntas Dei nõ est mutabilis.

Num. 23.

Malach. 3.

Voluntatẽ Dei facere.

Qui uerè præcepta Dei faciant.

Non sunt separanda uerbum & uoluntas Dei.

Voluntatem Dei facere, est facere quę Deus ut faciamus, præcepit. Sumitur enim uolũtas in hac loquutione pro eo, quod ille uult, & à nobis requirit. Et est magna ratio, cur ad eum modum Scriptura loquatur. Significat enim eos demùm uerè seruare ac facere præcepta Dei, qui illa faciunt, non utcunq; secundum literam, & externam speciem: sed sic, ut uoluntati Dei satisfaciant, cuius unicè est in omnibus eloquijs Dei habenda ratio. Gloriãtur hodie quamplurimi de uerbo Dei, cum tamen uerum illius sensum, in quo solo cõprehenditur uoluntas Dei, haud quaquam teneãt. Non sunt separanda uerbum & uoluntas. Habetur uerbum nõ in mortua litera, sed in diuinæ uoluntatis sensu. Ibi uerbum Dei est uerum ac certum, ubi certa illius est uoluntas. Pernicioſissima seductio est, ubi literæ uerbi Dei alienus sensus supponitur. Iudæi sic sacrificabant, ut literam legis magis, quàm uoluntatem Dei facerent. Putabant illum delectari uictimis & holocaustis pecudum, ideoq; frequentes illi hostias mactabant, cum misericordiam uellet, iudicium, iusticiam, & synceram obedientiam, & non sacrificium. Vide Psal. 50. Ieiaiæ 1. & Hieremiæ 7. Papistæ dum missant, non faciunt uoluntatem Domini, quantumuis obtendant illud, Hoc facite. Neque enim faciunt hoc secundum Dominicæ uoluntatis sensum. Nec illi faciunt uoluntatem Domini, qui de pane ac poculo Eucharistię communicant, ut hoc opere remissionem peccatorum acquirant. Non enim dixit Dominus, Hoc facite in remissionem peccatorum: sed, Hoc facite in mei rememorationem. Volũtatem Domini nõ faciunt, qui pedes in die Cœnæ Dominicæ lauant, non ut sese menti Dominici exempli accõmodent, sed ut speciem quandã humilitatis, oculis spectantium ingerant. Innumera sunt exempla, quibus comprobatur maximam hodie Christianorum partem sic facere præcepta Dei, ut tamen uoluntatem illius non faciant: ut de illis taceam, qui mandatis & doctrinis hominum totam ferè Christianam religionem metiuntur.

De uerbo faciendi.

Deinde, quòd attinet uerbum faciendi, non debemus adimpletionem uoluntatis dei externo facto adscribere, sed magis piæ mentis proposito ac studio. In conspectu Dei reuera facit, qui animo, quod faciendum est, iugi meditatione & studio indesinenti facit, etiamsi factũ externum non sequatur. Verùm ea de re annotauimus in Commẽtarijs nostris super Ioannem, cap. 8. ibi: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Est igitur uoluntatẽ Dei facere, sic obedire illius uerbo, ut toto corde adimplendæ illius uoluntati noctes ac dies indesinenti studio incumbas. Qui sic uoluntatem Dei facit, facit ἀλλὰ, facit προαιρέμενος, καὶ προαιρέμενος ἀεὶ ἐνεῖναι, καὶ ὑπάρχειν καὶ ἀμεταπτώτως ἔχειν. Voluntatem Dei faciebant & sacerdotes, & Iudas, & Pilatus, cum Christum crucifigerent, uerùm inscij. Nesciebant enim sic esse constitutum à Deo. deinde faciebat non ex proposito faciendi uoluntatem Dei, sed longè aliud agentes. Reperias etiam qui faciũt uolũtatem Dei ex proposito & consulto, uerùm nõ ad hunc finem, ut fiat uoluntas Dei, sed ut interim agant res suas. Adhuc frequenter accidit, ut licet in præsenti bene affectus uoluntatem Dei & sciens & ritè facias, facias tamen inconstanter, sic ut paulo pòst leui momento mutatus, agas longè diuersa. Sic facere uoluntatem Dei, non est uerè ac ritè facere, quicquid opere externo facias.

Quomodo Iudas & sacerdotes & Pilatus uoluntatẽ Dei fecerint.

AN VOLVNTAS DEI CAVSA *sit omnium.*

Quæ sit causa prima, unde fiunt omnia.

TRito prouerbio dicitur, nihil esse sine causa. Cũ ergo quicquid uspiam in cœlo & in terra factum est, quicquid hodie quoq; fit, & quicquid ad finem usque mundi futurum est, sine causa fieri factumque esse nequeat, necesse est ut prima ac suprema aliqua causa sit, unde fiant omnia. Secundarum causarũ non est in præsenti habenda ratio, quarũ infinitus est numerus. Laborarunt philosophi in quærendis causis omniũ eorum quæ fiunt, uerùm unicè illam,

illam, unde constăt omnia, non ita perspicuè cognouerunt, quia uera fuerunt conditoris omnium cognitione destituti. Nos illam referimus ad uoluntatem Dei secũdum Scripturas, quæ testificantur, facere Deum quæcunq; uult in cœlo & in terra. Si diceret: Quæcunq; nouit, uel quæcunq; potest, tribuenda esset causa omnium uel sapientiæ illius uel potẽtiæ. Verùm cum dicit, Quęcunq; uult: manifestum est, uoluntatem illius primam ac supremam esse omniũ causam. Quare si quæras, ob quã causam fecerit Deus hęc omnia: rectè audies, quia uoluit. Si quę ras, quare hæc & non alia, quare sic & non aliter fecerit & faciat: rectè respondetur, quia hæc & non alia, sic & non aliter uoluit. Si alia & aliter uoluisset, dubiò procul alia & aliter fecisset. Quur non semper dies est? quorsum nox? Quia sic uoluit. Quur nõ semper ęstas? quorsum hyems? Quia sic uoluit. Quur subinde tristia accidunt? Quare non semper læta? Quia sic uoluit. In quodcunq; factum Dei inquisieris, non est ut audias aliud, quàm illud, Sic uoluit, sic fecit. *Voluntas Dei suprema est omniũ causa.*

Neq; eorũ tantùm quæ immediatè fiunt à Deo, uoluntatẽ illius causam esse dicimus: sed & omnium eorũ quæ fiunt & geruntur ab ijs, quę ipse condidit. Sic non est animarũ nostrarum, corporum, ac uitæ tantùm causa, sed & uoluntatis, intellectus, consiliorum, affectuũ, motuum & factorum. Augustinus cum super Psalm. 134. dicit, Causa omnium quæ fecit, uoluntas eius est: competenter quidem dicit ad materiam, quam eo loco tractat, uerùm haud perinde sufficienter ad ipsam hanc causam, qua de loquimur: atq; alibi, ubi plenius dicit ad hunc modum: Voluntas Dei prima & summa causa est omnium corporalium specierum atq; motionũ. Nihil enim fit uisibiliter & sensibiliter, quod nõ de interiore, inuisibili, atq; intelligibili aula summi imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur secundum ineffabilem iusticiam pręmiorũ atq; pœnarum, gratiarum & retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadã immensaq; Republica. Hæc ille lib. 3. de Trinit. cap. 4. quæ si examinanda essent secundum Scholasticorũ argutias, mirum in modum discerperentur, cum tamen sic uera sint, ut negari non possint. *Etiam eorum quæ à creaturis ipsius fiunt, causa est uolũtas Dei.* *Augustinus.*

Ociosi homines, quibus quæ manifesta sunt, & utiliter teneri possunt, minoris uidẽtur esse momenti, quàm quæ curiositati ipsorũ satisfacere possint: nõ contenti hac sentẽtia, quòd uoluntatem Dei omniũ eorum quæ facta sunt, quæ fiunt, & quæ futura sunt, primam & summã dicimus esse causam: quęrunt, An non & mala uoluntate Dei fiant. Si dicas, fiunt: inferunt, ergo malorum author est Deus. Si fieri neges, regerunt: ergo non est omnipotens, si uult ut mala non fiant, & illã tamen contra uoluntatem ipsius fiunt. Quemadmodum enim omnipotentiæ illius est, ut faciat quicquid uoluerit: ita & illud est, ut quicquid fieri noluerit, ne fieri possit, impediat. Nos ab hac quæstione pijs mentibus abstinendum esse sentimus. Nostrũ est omnipotẽti ac iustissimo Deo hanc simpliciter dare uoluntatis libertatem ac iusticiam, ut nihil uelit ac faciat, imò ne facere quidem possit, quod sit malum. Quomodo nanq; inæstimabilis illa diuinæ naturæ bonitas mali aliquid amaret, uellet & faceret? Deinde, nec authorẽ mali illum cuipiam esse posse. Etenim quomodo alijs eorum esse posset, uel ad uolendum, uel ad faciendum author, à quibus ipse pro bonitate ac iusticia sua constanter abstinet? Sic nos, inquam, de uoluntate Dei simpliciter sentire conuenit. Deinde, quod mala attinet, non dubitamus nihil illorum fieri posse à quoquam, si Deus id quouis modo fieri nollet. Quod autẽ non uult, ut nihil mali fiat à quoquam, quod si fieri nollet, utiq; fieri non posset: in id non est ut inquiramus, ne uoluntatem eius in nos exacerbemus, qui potentia sua non modò mala, sed & malos omnes, si uellet, unico posset à superficie terræ delere momento. *An & mala fiant ex uoluntate Dei.* *Deus malum nec uult nec facit.*

Non displicet, quod à nonnullis locus Augustini ad hãc quæstionem citatur, qui in Enchiridio illius cap. 96 sic legitur: Nec dubitandum est, Deum facere bene etiã sinendo fieri quæcunq; malè. Non enim hoc nisi iusto iudicio sinit. Et profectò bonum est omne, quod iustum est. Quamuis ergo ea quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona: tamen ut nõ solùm bona, sed etiam sint & mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent & mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono. Cui proculdubiò quàm facilè est quod uult facere, tam facile est quod non uult esse non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initium, quo nos in Deum patrem omnipotentem credere confitemur. Neq; enim ueraciter ob aliud uocatur omnipotens, nisi quia quicquid uult potest, nec uoluntatẽ cuiuspiam creaturæ uoluntatis omnipotentis impeditur effectus. Hæc ille. *Augustinus.*

AN VOLVNTATIS DEI QVAErenda sit causa.

MEritò cohibendam esse censent ingenij nostri temeritatem: qua in uoluntatem Dei inquirere præsumimus, cognoscere uolentes, quare quę facit, facere uelit, non modò patres antiquiores, sed & qui illos sequuti sunt Scholastici theologi, dũ contendunt, non esse quærendam uoluntatis Dei causam, cum illa omnium sit causa. qua de re Augustinus li. 1. de Genesi contra Manicheos cap. 2. scribit ad hunc modum: Causas uoluntatis Dei scire quæ runt, cum uoluntas Dei omniũ quæ sunt, ipsa sit causa. Si enim habet causam uolũtas Dei, est aliquid quod antecedat uoluntatem Dei, quod nefas est credere. Qui ergo dicit: Quare fecit *Non esse quærendã uoluntatis Dei causam.*

Deus cœlum & terram? respondendum est ei, Quia uoluit. Voluntas enim Dei causa est cœli & terræ, & ideo maior est uoluntas Dei quã cœlum & terra. Qui autem dicit: Quare uoluit facere cœlum & terram? maiꝰ aliquid quærit quàm est uoluntas Dei: nihil aũt maiꝰ inueniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, & id quod non est, non quærat, ne id quod est, non inueniat. Hæc ille. unde Magister Sententiarum collegit, non esse quærendam uoluntatis Dei causam, primò ob id, quòd nihil illam antecedat, cum sit æterna: deinde propterea, quòd nihil illa sit maius: & tertiò, quòd cum nulla sit illius causa, fruſtrà quæreretur, quod non est.

Hac de re quid rectè sentiri posse putem, citra præiudicium aliorum in medium adferã. Placet omnino, quod dicunt, non esse quærendam diuinæ uoluntatis causam, & quod id, si fiat, humanam uocant temeritatem. Verùm de eo controuerti potest, quòd nullam uolũtatis Dei causam esse dicunt. Aliud est, cum dicimus non esse nobis inquirendum in uoluntatem Dei, ob quam causam quod uult, uelit: & aliud, si Deo nullam dicamus esse causam, ob quã uelit ea quæ & uult, & facit. Non debemus quærere, quare uelit Deus facere quæ facit: sed in eo religiose conquiescere, si intelligamus, sic eum uelle facere quæ facit. Interea tamen non sequitur uoluntatis causas in Deo esse nullas. Non licet seruo quærere, quare uelit herus ipsius plera facere quorum ipse causas ignorat: sed conuenit, ut cogitet illi abundè satis esse rationum, ob quas ea uelit & faciat. Consimili modo de Deo quoq;, imò multo amplius, quàm de homine cogitandum nobis est, non ut dicamus, Nihil causæ Deo est, quur hoc, & sic uelit: sed potius ad hunc modum, Sic uult, & sic facit, quur sic uelit, præter rationem fieri non credimus. Causas nouit ipse. Nostrum non est in illas inquirere.

Aliud est, si inquiras in causas uoluntatis Dei: & aliud, si dicas, Deo nullas esse causas uoluntatis ipsius.

Voluntas Dei non est ἄλογος.

Quòd autem uoluntas Dei nõ sit ἄλογος, & sine certis causis, multis sacrę Scripturę locis probari potest. 1. Cum uniuersam carnem in diebus Noah diluuio uellet extingere, non possumus dicere, quòd id sine causa uoluerit. Nam Gen. 6 diserte legimus, & uoluntatem suam & uoluntatis causam aperuisse Dominum, dicendo ad Noah: Finis uniuersæ carnis uenit coram me, quia repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdã eos cum terra. Ergo uoluntas Dei erat exterminare omnem carnem de terra, & uoluntatis huius causa erat, quòd repleta esset terra iniquitate mortalium.

2 Cum ciuitates Sodomorum igne cœlitùs iniecto delere uellet, an' nõ uoluntatis huius causam angelus Abrahæ aperiebat, dicens: Clamor Sodomorũ & Gomorræ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Gen. 18.

3 Conclusit omnes sub peccato, inquit Apostolus, utiq; quia uoluit. Verùm uoluntatis huius causam exprimit, cũ addit, Vt omniũ misereret. Ergo causa illi erat, cur hoc uellet. Voluit occidere filios Leui, 1. Sam. 2. uolũtatis huiꝰ causam Scriptura eo loco satis euidẽter exprimit.

4 Voluit unigenitum suum dare in manus peccatorum, ut crucifigeretur. An uoluit hoc sine causa? An' non Christus ipse Ioan. 3. dicit: Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum suum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Ergo causa uoluntatem hanc efficiens est dilectio, & finalis causa salus est credentium.

Puto si quę eiusmodi innumera occurrunt in Scripturis, cõsiderentur, satis fieri manifestũ, non esse in Deo uoluntatem ullam sine causa. Quòd homo malus uult ea quæ mala sunt, an non prima uoluntatis huius causa est, quòd malus est? Sic bonum esse, bonæ est uoluntatis causa. Vnusquisq; uult ea, quæ ingenio suo sunt conuenientia. Qualis quisq; est, talia uult, talib. delectatur & studet. Dicemúsne aliter comparatum esse Deum, quàm ut bona uelit, quia bonus: iusta, quia iustus: misericordiam magis quàm sacrificium, quia clemens est & misericors? An' non prius est esse talem, quàm uelle talia? Verùm dum hæc annotamus, nemini præscribimus. Habebunt forsan acutiora ingenia quæ obijciant: quæ si ueritati patrocinari poterunt, mihi haudquaquam erunt ingrata. Nolim enim quicquam derogari qualicunq; ueritati, nedum ei de qua in præsenti loquimur.

Prius est esse bonum, quàm uelle bonum.

Quod itaq; Augustinus dicit, uoluntate Dei nihil esse prius, nihil esse maius, si intelligatur de ijs, quæ sunt extra Deũ, probabile uideri potest: secus uerò, si dicatur in uniuersum simpliciter. Et quod dicit, non esse causam uolũtatis Dei, haud immeritò in controuersiã ponimus.

AN VOLVNTAS DEI IMPEdiri possit.

Voluntas Dei impediri non potest.

IN promptu dicimus, non posse à quoquam diuinam impediri uoluntatem. Omnis uoluntas mea fiet, inquit. Et propheta: Deus noster in cœlo, quęcunq; uult facit. Requirit hæc illius omnipotentia. Etenim quomodo omnipotens posset illius esse uoluntas, si impediri posset à quoquam?

Occam. Magister sententiarum.

Distinguit Occam inter uoluntatem beneplaciti, & uoluntatem signi. Rursus uoluntatem beneplaciti diuidit in uoluntatem antecedentem, & uoluntatem consequentem. Voluntatẽ antecedentẽ, & uolũtatẽ signi impediri posse cõcedit. Disputat ille more Scholastico. Verùm causam hanc Magister sententiarum ex Augustino tractat simplicius. Adducit in oppositum duos

quos Scripturæ locos. Vnũ ex uerbis Christi, Matth. 23. dicentis: Hierusalẽ Hierusalem, quę occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties uolui cõgregare filios tuos, quemadmodũ gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Et alterum ex uerbis Apostoli 1. Timoth. 2. ubi dicit: Qui uult omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem ueritatis uenire. Quibus adijcere possumus illud ex Propheta: Nolo mortem peccatoris, sed ut cõuertatur, & uiuat. Ex uerbis Christi inferunt: Ecce uolebat filios Hierusalem congregare, uerùm nõ potuit, quia illa nolebat. Ergo recusatione Hierusalem uoluntas Dei impediebatur. Verùm quod inferunt, ab ipsis est uerbis Christi alienum. Neque enim dicit, Et non potui, uel, Et impediuisti uoluntatem meam: sed, Et noluisti. Hoc est, & aduersata es, contradixisti, repugnasti. Illa quidem, inquit Augustinus, filios suos ab illo colligi noluit, sed ea quoque nolente filios eius collegit ipse quos uoluit, quia in cœlo & in terra non quædam uoluit & fecit, quædã uero uoluit & non fecit: sed omnia quæcunque uoluit fecit. Ergo non poterit colligi ex hoc loco, omnipotentem uoluntatem Dei humana posse malicia & contradictione impediri. Collegit suos, & hodie quoque collegit, quos habet filios in mundo dispersos, ad salutem electos ac prædestinatos, inuitis non modò impijs hominibus, huius seculi filijs, sed & ipsis inferorum portis.

Matth. 23.

1. Timoth. 2.

Augustinus.

Deinde nec ex Apostoli uerbis rectè infertur, impediri uoluntatem Dei, propterea quòd non omnes homines saluantur, cum tamen ille omnes saluari uelit. Infertur enim hoc ex falsa expositione, præter Apostoli mentem. Hortabatur ille fideles, ut orarent non modò pro fidei suæ consortibus: sed & aduersarijs, etiam magistratibus, Euangelicam doctrinam impugnantibus. Vt hoc illis faciendum esse persuaderet, adiecit, bonum ac placitum esse in conspectu Dei, qui omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem ueritatis uenire uelit: quòd nihil est aliud, quàm qui nullum hominum genus ab aditu salutis excludat, modò ueritatis cognitionem non respuant. Sic illud & ad cognitionem ueritatis uenire, conditionis loco adiectũ est, ne putemus Deum indiscriminatim omnes uelle saluare, etiam eos qui ueritatem respuũt. Misit Euangelium suum, salutis nuncium, in orbem, ut in uniuersum proponeretur omnibus: ea tamen conditione, ut credentes tantùm saluentur: increduli uerò, secundum ipsius Seruatoris dictum, condemnentur. Secundum hanc Dominicam sententtam intelligenda sunt uerba Apostoli, per hanc esse conditionem dicta, ut significent constituisse Dominum neminem arcere à salute per Christum parta, modò cognitionem ueritatis non respuat. Hac conditione utique eximuntur increduli, quos non saluare uult, sed condemnare. Quare non debent hæc Apostoli uerba truncatim citari, sine conditione adiecta. Si quis inferat: Deus uult omnes homines saluos fieri, non autem saluantur omnes, ergo non fit quod uult: atque ita patet uoluntatem illius non esse omnipotentem. tu regere, Vult quidem saluari omnes, uerùm sub hac conditione, si ueritatem non respuant. Aliàs si præter hanc conditionem uerba Apostoli acceperis, consequetur, dictum Seruatoris, quo dicit: Qui non crediderit, condemnabitur, esse falsum, & à uoluntate Dei alienum: denique rectius inferri neminem mortalium periturum, sed saluos fore omnes, quàm Deum non esse omnipotentem: quandoquidem certò tenendum est, esse Deum sic omnipotentem, ut nihil eorum non faciat, quæ uoluntate sua facere constituit. ut si constituerit omnes saluare homines, nemine excepto, necesse sit, saluos fore omnes, id quod Origenistæ olim contendebant, & nostra ætate Denckius quidam dogmatizasse perhibetur.

1. Timo. 2. Qui uult omnes homines saluos fieri.

Quòd si hæc expositio non placuerit, propterea quòd Apostolus non dicit, Si ad cognitionem ueritatis uenerint: sed, & ad cognitionem ueritatis uenire, sequi poteris expositionem Augustini, eam uidelicet, quam in Enchiridio suo, cap. 103 sic ponit: Aut certè sic dictũ est, Qui omnes homines uult saluos fieri, non quòd nullus hominum esset, quem saluum fieri nollet, qui uirtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuisse pœnitentiam, si fecissent: sed ut omnes homines, omne genus humanum intelligamus per quascunque differentias distributũ, reges priuatos, nobiles ignobiles, sublimes humiles, doctos indoctos, integri corporis debiles, ingeniosos tardicordes, fatuos diuites, pauperes mediocres, mares fœminas, infantes pueros, adolescentes iuuenes, seniores senes, in linguis omnibus in moribus omnibus, in artibus omnibus in professionibus omnibus, in conscientiarum & uoluntatum uarietate innumerabili constitutos, & si quid aliud differentiarum est in hominibus. Quid est enim eorum, unde non Deus per unigenitum suum Dominum nostrum per omnes gentes saluos fieri homines uelit, & ideo faciat, quia omnipotens uelle inaniter nõ potest quodcũq; uoluerit? Præceperat enim Apostolus, ut oraretur pro singus hominibus: & specialiter addiderat, Pro regibus & his qui in sublimitate sunt, qui putari poterant fastu & superbia seculari à fidei Christianæ humilitate abhorrere. Proinde dicens, Hoc enim bonum est coram saluatore nostro Deo, id est ut etiam pro talibus oraretur: statim ut desperationem tolleret, addidit, Qui omnes homines uult saluos fieri, & in agnitionem ueritatis uenire. Hoc quippe Deus bonum iudicauit, ut orationibus humilium dignaretur salutem præstare sublimium. Quod utiq; iam uidemus impletũ. Isto loquutionis modo & Dominus usus est in Euangelio, ubi ait

Augustinus.

Luc.11. phariſæis: Decimatis mentam, & rutam, & omne olus. Neque enim phariſæi, & quæcunque aliena, & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hic omne olus, orane olerum genus: ita & illic, omnes homines, omne hominum genus intelligere poſſumus. Et quocunque alio modo intelligi poteſt, dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum uoluiſſe fieri, factumq; non eſſe, qui ſine ullis ambiguitatibus in cœlo & in terra, ſicuti ueritas cantat, Omnia quæcunque uoluit fecit: profectò facere noluit, quodcunq; non fecit. Hæc ille.

Ezech.33. *Nolo mortem peccatoris.* Quod locum Ezechielis attinet, quem cap. 33 ſic legimus: Dic ad eos, Viuo ego, dicit dominator Dñs, אם אחפץ במות רשע: id eſt, Si delector morte impij, & nó magis ut conuertatur impius à uia ſua, & uiuat. Cõuertimini, conuertimini à uijs ueſtris malis: &, Quare moriemini domus Iſrael? nihil in illo habetur, quod omnipetenti uoluntati Dei quicquam deroget. Neque enim dicit ſe nolle, ut impius impœnitens moriatur: ſed ſimpliciter affirmat, delectari ſe non morte illius, ſed conuerſione. Interea non uult ut uiuat impius, ſi in impietate ſua perdurauerit: ſed iuſto illum uult iudicio perdere. Et hoc etiam fecit, facit, facturusq; eſt porrò, uniuerſaliter uerò in die iudicij. Quare concludimus, ſic eſſe uoluntatem Dei firmam & inuictam, ut nullo pacto poſsit impediri, quicquid in ſpeciem ex Scripturis non ſatis inſpectis in contrarium obijciatur.

DE VERITATE DEI.

Veritas fundamentũ eſt omnium exiſtentium, &c. QVONIAM ueritas omnium eſt exiſtentium, omniumq; credendorũ, cognoſcendorum, dicendorum & faciendorum fundamentum, ſine qua nihil eſſe, ac nihil ſubſiſtere poteſt: exiſtimo inconueniens non eſſe, ſi poſtquam de natura, ſufficientia, omnipotentia & uoluntate Dei diximus, pauca quædam de ueritate illius ſubijciamus. In hac ſiquidem omnis noſtræ religionis puritas & certitudo conſiſtit, per quam à calumnia falſi aſſeritur, & ab omnibus alijs arbitrarijs ac falſis religionibus ſeparatur.

Non eſt autem animus ſimpliciter de ueritate loqui, de qua hominibus ocio & ingenio præditis latiſsimis eſt dicendi campus: ſed propoſitum eſt manere in termino ueritatis Dei: non quòd illa humana poſsit intelligẽtia perfectè capi, cum omnem noſtrum intellectum infinitis modis excellat: ſed quòd illius cognitio admodum ſit ad ſalutem noſtram neceſſaria. Neq; iubet ingredi diſputationes illas Scholaſticas, quib. de ueritatibus Theologicis, naturalib. ac ſupernaturalibus ſcrupuloſius diſputant, quàm ut ſimplici ueritatis indagationi conueniat.

QVOD SIT DISCRIMEN VERITATIS Dei, & eius quæ eſt creaturarum.

SI prorſus eadem eſſet ubique cùm in Deo, tum in rebus creatis ueritas, nulla opus eſſet diſtinctione. Non eſt autem eadem, quare priuſquam de ea quæ Dei eſt dicamus, res ipſa poſtulat, ut illam à reliqua competenti diſtinctione ſeparemus. Nec obſtat illud, quòd omne uerũ uero conſonare dicitur. Neq; enim aliud hoc dicto ſignificatur, quàm hanc eſſe conſonantiam ueri cum uero, ut non ſit uerum ullum quod cuipiam uero aduerſetur. Ea autem conſonantia non tollit ueritatis differentiam, ſed magis requirit. Nequit enim eſſe niſi rerum diuerſarum, qua ſi diuerſarũ quarundã uocum conſonantia. 1 Differt igitur ueritas Dei à ueritate creaturarum, differendoq; illam in immenſum excellit: primò quòd cùm illa ſit ſecundaria, non à ſeipſa, ſed aliunde conſtans, iſta ſit prima, non aliunde nata, ſed in Deo ſine principio exiſtens. 2 Deinde, quòd non modò prima, ſed & ſumma eſt, tam illam excellens, quàm increatũ excellit ea quæ ſunt ab ipſo creata. Summa eſt, ideoq; omnis omnium creaturarum ueritas ab ipſa dependet, à qua & originẽ habet, & in qua ſola conſiſtit. 3 Tertiò, quòd æterna quoque eſt & immutabilis, cum quæ creaturarum eſt, temporaria ſit & mutabilis, mutetur etiam ac deſinat frequenter. Nequit enim fieri, ut in temporario mutabiliq; uero, non ſit temporaria ac mutabilis ueritas, quemadmodum in uero immutabili & æterno mutabilis ac tranſitoria eſſe non poteſt. Etenim ut omnis ueritas ueri cuiuſdam eſt ueritas, ita uel in utero ſuo permaneat: uel, deſinente illo, deſinit.

Omne uerũ uero conſonat.

Quomodo ueritas Dei à ueritate creaturarum differat.

Veritatis Dei prima eſt ac ſumma habenda ratio. Cum itaq; ueritas Dei ſit omnium prima, ſit ſumma, ſit æterna & immutabilis, an non præeſt, ut prima quoq;, ſumma & indeſinens ab omnibus habeatur illius ratio, quandoquidem ex illa & per illã eſt, quicquid habemus ueri, nec in ueritate niſi in illa, perpetuò ſubſiſtere poſſumus? Conuenit quidem, ut in omnibus ueritati ſtudeamus, & quodcunq; mẽdacium fugiamus: uerùm faciendum hoc eſt ea lege, ut primas demus in omnibus ueritati primæ, ſummæ & æternæ, ſine qua ueræ non poterimus ſalutis eſſe compotes. Vt, exempli gratia, uero coniugio ſua ueritas eſt. Hanc ſeruare debẽt coniuges, inq; illa ad finem uſq; perdurare, donec legis coniugij durant. Verùm ſi uel illa, uel ea quæ Dei eſt, deſerenda uenerit, id quod in perſequtionibus

tionibus quę religionis causa inferuntur, frequenter usuuenit, sanè pij hominis est, salutisque suæ rationem habentis, eam potius deserere, quæ & secundaria est, & inferior, & transitoria, quàm primam illam, summam & æternam: atque ita propter ueritatem Christi, ueritatem relinquere tẽporarij coniugij. qua de re Matth. 19. Christus ipse sit dicit: Et omnis qui reliquerit domum, uel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit. Omnino perinde atque fides homini debita, ac ueraciter seruãda, deserenda est propter fidem Deo debitam, illiq; indesinenti ueritate seruãdam, sic propter summam ac primam ueritatem Dei resignanda est ueritas inferior ac posterior.

QVOTVPLEX SIT IN DEO VERITAS.

Quadruplicẽ esse in Deo ueritatem.

SCimus unam & eandem esse in Deo ueritatem, qua uerus est in se, & in omnibus. Verùm explicationis gratia, quotuplex illa sit, quærimus. Quemadmodum enim, licet non sint in Deo plures uoluntates, sed una eaq; sempiterna, nihilo tamen haud inconuenienter duplicem illam esse dixeris, gratiæ uidelicet & iræ: ita, meo iudicio, haud impertinenter unam & eandem ueritatem Dei quadruplicem esse dixerimus, essentiæ uidelicet, qualitatis, operationis & uerbi.

Veritas essentiæ.

1 Principiò, ueritatem essentiæ in Deo ponimus, qua uerus sit יהוה id est, existens, & uerus Deus. Nulla essentia est sine ueritate. Tolle hanc à Deo, nihilo magis Deus erit, quàm dij gentium, qui propterea dij non sunt, quia ueritate diuinæ destituuntur essentiæ. Mendacium non facit deos ueros, sed falsos. In Deo uero autem ueritas est diuinæ essentiæ, propter quam dijs falsis reiectis, uni ac soli diuinitatis honor debetur. Hãc ueritatem Dei satan in omnibus totius orbis nationibus sic obscurauit, ut incognitus esset uerus Deus, & illius loco dij falsi colerentur. Notum est de Athenienſibus, quòd aram ignoto deo posuerint: quo facto declararunt se ueri Dei destitutos fuisse cognitione, Act. 17. Vnde Apostolus occasionem sumpsit exponendæ illis unius ac ueri Dei ueritatis.

Veritas qualitatis.

2 Deinde accedit ueritas qualitatis in Deo, per quã uera sunt, quæcunque de illo in sacris Scripturis prædicantur. Prædicantur autem alia de illius essentia, alia de hypostasibus, alia de natura. De essentia, quòd secundum hanc sit unicus Deus, & quòd illa sit non composita, sed simplex ac pura, incorporea, illocalis, incomprehensibilis, inuisibilis, immutabilis, indiuisibilis, inenarrabilis, perfecta ac sempiterna. Pertinẽt hæc ad qualitatem essentiæ diuinæ.

De hypostasibus uerò prædicatur, quòd una & eadẽ essentia tribus sit hypostasibus distincta, quas Scriptura tribus hisce uocibus יהוה דבר רוח id est, Iehouah, uerbum, & spiritus: Christus uerò patris, filij ac spiritus sancti nominibus expressit. Vnde fides nostra habet, Deum essentia esse unum, hypostasi uerò trinum: patrem, filium & spiritum sanctum: patrem ingenitũ, filium unigenitum, spiritum sanctum ab utroq; procedentem. De natura autem Dei prædicatur, quòd sit bonus, quòd sit φιλάνθρωπος, quòd sit clemens & misericors, quòd sit fidelis, iustus, patiẽs ac tardus ad irã, &c. Omnis hæc essentiæ, hypostasium, & naturæ qualitas ueritate sempiterna firma in Deo consistit, quam uocamus ueritatem qualitatis.

Veritas operationis.

3 Tertiò ueritatem operationis quoq; in Deo ponimus. Intelligimus autem non modò de operatione creationis, sed & in uniuersum de omni reliqua, cuius Christus meminit, dicens: Pater meus usq; modò operatur. In omni operatione sua Deus ab omni est simulatione, figmento & mendacio alienus. Opera eius ueritas sunt, tã inuisibilia quàm uisibilia. 1 Est autem ueritas operum Dei primùm in eo, quòd nullum eorum uanum ac falsum est. Quicquid facit, id est reuera, quod esse apparet. Cœlum uerum, nubes ueras, solem uerum, lunam ac stellas ueras, aerem uerum, ignem uerum, terram ueram, aquam ueram, homines, bestias, iumẽta, arbores, &c. omnia uera. Opera satanę falsa sunt, nihil habentia ueri. Præstigiator est, mentes hominum uanis spectris ludificans. 2 Deinde in eo quoq; ueritas operũ Dei deprehenditur, quòd qualis est natura sua, talis etiam absq; simulatione operatur. Benefacit nobis? facit hoc ueraciter absq; hypocrisi. Non aliud celat, aliud ostentat, more carnis nostræ, quæ pleraq; magis externè simulat, quàm reuera & ex animo facit.

Veritas uerbi.

4 Quartò, uerbi quoq; ueritas in Deo est. Intelligimus autem per uerbum Dei, omnes illius promissiones, omnes leges ac constitutiones, omnes comminationes, omnes consolationes, omnia oracula ac uaticinia, siue per angelos, siue per homines expressa. Huc pertinet quod Apostolus Deum ueracem in eloquijs suis esse dicit, omnẽ uerò hominem mendacem, Rom. 3. & Propheta eloquium Domini canit esse argentum igne examinatum, purgatumq; septuplũ.

Veritas uerbi incarnati.

In hac causa primùm locum tenet ueritas uerbi incarnati, quod & ante incarnationem, & post, omnibus illis qui præordinati sunt ad uitam, uia est, ueritas & uita, Ioan. 14. qua de re uide in Commentarijs nostris super Ioannem.

Hac breui partitione usum est admonere Lectorem, quò ueritatem in Deo referre debeat, quo de illa piè & utiliter cogitare, fidemq; suam dirigere, fulcireq; possit. Possent hic multa in medium

medium more Scholastico adferri: uerùm quæ annotauimus, quoniam sunt & certa, & simplicia, & necessaria, nec aliquid curiositati affine habent, pijs mentibus sufficere censemus. Et utinam ueritatem hanc Dei sic indubitatò teneremus, ut nihil alienũ à uero, de essentia, qualitate, operatione ac uerbo illius sentiremus. Quàm sic animati felices essemus, quàm unanimes ac concordes?

PAVCORVM ESSE ET PERDIFFICILE, *ad ueritatis Dei peruenire cognitionem.*

Veritas lux est. Simile.

VEritas Dei lux est, primùm in seipsa omnium clarissima: deinde & mentes intuentium ipsam illustrans. Cum igitur lux sit, non latet suopte, sed nostro uitio. Cæcitas mortalium mentes oppressit, ut lucem diuinæ ueritatis cernere nequeant. Accidit enim illis, quod natis cæcis, qui etiamsi millies de sole illiusq; luce audiant: intelligere tamẽ nõ possunt, qualis sit, quantus ue illius splendor, quanta lucis iucunditas, quanta utilitas, quis sit illius cursus, & quotidianus ad nos reditus, & quàm multa in rebus huius mundi ignorent, quæ non ignorarent, si lucem solis capere possent. Sic planè habet mentium nostrarum cæcitas. Quantumuis clara sit in se ueritas Dei, & quantũuis multa de illa audiamus: capere tamen illam nõ possumus, nisi mentes nostræ primùm aperiantur, quo lucem illius cernamus, utilitate pariter ac iucunditate illius fruamur, perq; illam non modò de cœlestibus, sed terrenis rebus rectius iudicemus. Difficile est, imò impossibile, cæco nato cognoscere lucem solis, nisi oculos uidendi beneficio Dei recipiat. Non minus impossibile est animali homini ueritatem Dei cognoscere, nisi mentem intelligendi dono Dei acceperit. Existimo autem pijs omnibus extra controuersiam esse: primùm, quòd ueritas Dei lux sit in se, non caligo: alterum, quòd mentes animalium hominum in causa religionis cæcutiant, ut nõ sit opus ullis comprobationibus: unde necessariò consequitur, admodum esse difficilem, imò impossibilem ueritatis cognitionem, omnibus illis, quorum mentes ueteri adhuc caligine detinentur.

Loquimur uerò non de ea tantùm ueritate, qua Deus est, unus est, ac solus uerus, & qui prædicatur omnipotens, iustus, sapiens, bonus, &c. quam ethnicorum philosophi cognouerunt, & hodie quoque tam Iudęi quàm Turci agnoscunt & confitentur: sed de ea potissimùm,

Veritas Christianæ fidei & religionis.

qua Christianorum fides à fide ac religione omnium exterarum nationum separatur, ac propter quam Christiani censemur. Continet ea absconditum à seculo sacræ Triadis ac uerbi incarnati mysterium, mortẽ illius, resurrectionem, ascensionem, ac totam redemptionis humanæ per Christum partæ dispensationem: quam Seruator ipse exprimens, uiam se, ueritatem & uitam appellat. Ad hanc sanè ueritatem cognoscendam animalis homo peruenire non potest, nisi singulari gratia Dei adiutus. Hinc sunt illa Christi seruatoris: Nisi quis renatus fuerit denuò, non poterit uidere regnum Dei, Ioan. 3. Et: Nemo uenit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docti à Deo. Omnis qui audiuit ac didicit à patre, uenit ad me, Ioan. 6. At hi sunt electi, & ad uitam præordinati, numero pauci, si ad reliquos conferantur.

Quomodo pauci sint, qui ueritatem Christi cognoscant.

Dicet quisquam: Quomodo pauci sunt, qui Christianæ religionis ueritatem intelligant, cum illius confessio sit catholica, & Christianis omnibus communis, quorum innumera constat esse tot regnorum ac populorum multitudinem? Respondeo: Aliud est ore & præscripti uerbis formulam Christianæ ueritatis inde à puero à parentibus traditam recitare, & aliud ueritatem Dei corde per singularem gratiam Dei illuminato cognoscere, ac cognitam ueraciter tenere. Illud quidem catholicum est, & multitudinis innumeræ: hoc uerò non ita, sed electorum ac uerorum fidelium tantùm.

QVOMODO AD COGNITIONEM *ueritatis Dei perueniatur.*

QVamuis ad cognitionem ueritatis soli perueniant electi, & ad uitam præordinati, perueniantq; non sine singulari gratia Dei: sunt tamen uiæ quædam, sine quibus sperandum non est, ut quisquam ad illam perueniat.

Auiditas cognoscẽdæ ueritatis.

Principiò requiritur animus cognoscendæ ueritatis auidus. Contemptores siquidem ac fastidientes non recipit diuina sapientia, maximè eos qui se in cognitione ueritatis apprimè gloriantur esse instructos, esseq; non cæcos, sed uidentes. Tales erant Scribę ac Pharisæi: qui quidixisset Dominus Ioan. 9. In iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui non uident, uideant & qui uident, cæci fiant, dicebant: Num & nos cæci sumus? quibus ille respondit: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc uerò dicitis, Videmus, idcirco peccatum uestrum manet. Tales erant apud gentes philosophi ac sapientes: qui quum se sapientes esse gloriarentur, facti sunt stulti, & ueritatem Dei mutarunt in mendacium, Rom. 1.

Tales sunt hodie ferè omnes ecclesiarum prælati, religiosi, ac Seraphici doctores, cum reliquis

quis magnatibus, quibus propterea nulla est cognoscendæ ueritatis auiditas, quòd de cognitione illius pertinaciter præsumunt, nihilq; minus uideri sustinẽt, quàm tales quibus opus sit, ut aliquid studij cognoscendæ ueritati impendãt. Qui sic animati sunt, nunquam solidam ueritatis cognitionẽ acquirent. Nequeunt enim persuaderi, quòd illius sint ignorantes, ideoq; ad cognoscendæ illius auiditatem induci non possunt. Imò, secundum Seruatoris sententiã, magis etiã excæcãtur, quin in rabiẽ quoq; cõtra discipulos ac ministros ueritatis permouentur.

Studiũ cognoscendæ ueritatis.

Deinde, opus est ut auiditas cognoscendæ ueritatis non sit ociosa, sed cũ studio quærendæ ac discendæ illius coniuncta. Si quæsieris eam, inquit Salomon Prouerbiorum 2. quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies. Vox Sapientiæ est: Ego diligẽtes me diligo, & qui manè uigiliauerint ad me, inueniẽt me. Ad hoc quærẽndę ueritatis Dei studium inepti sunt, nõ modò prę sumptuosi illi, de quibus iam diximus: sed & omnes illi, qui se ad cognitionem illius peruenire posse desperant.

Inueniẽdæ ueritatis duo esse impedimenta.

Quare præter rationem non est, quòd Augustinus duo dicit esse inueniendæ ueritatis impedimenta: desperationem uidelicet, & præsumptionem. Sic enim libro secundo, contra Academicos, capite tertio dicit: Restant duo uitia & impedimenta inueniendæ ueritatis, à quibus tibi non multum timeo: timeo tamen ne te contemnas, atque inuenturum esse desperes, aut certè ne te inuenisse credas. Qui alterutro uitio laborant, nec orant ad Deum pro cognoscenda ueritate: nec quærent illam uel audiendo, uel legendo, sed ab omni inueniendæ illius studio abstinent.

Discipulatus Christi.

Tertiò, requiritur, ut discipuli reddamur eius qui unicus est ueritatis doctor, illiusq; uerbo credamus. Is autem est, qui Ioannis 8 ad eos qui crediderant ipsi dicit: Si uos manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei estis, & cognoscetis ueritatem. Ergo primùm est audiendus sermo ueritatis: deinde credendum: tertiò in illo manendum. Hæc facientibus promittitur cognitio ueritatis. Et Augustinus alicubi monet, credendum esse prius, deinde intelligendum. Huc pertinet illud Ioan. 6. Domine, ad quem ibimus uerba uitæ æternæ habes, & nos credidimus, & cognouimus quòd tu es Christus filius Dei uiuentis. Hæc dixit Petrus suo & reliquorum Apostolorum nomine: quibus satis manifestè significat, audiuisse ipsos primùm uerba uitæ ex ore docentis Domini: deinde credidisse, quòd ipse esset Christus filius Dei uiuẽtis: & tertiò ueritatem cui credere cœperãt, certò etiam cognouisse. Sic dicit, Et nos credidimus: ac subiungit, Et cognouimus. Prius igitur est credere, quàm cognoscere. Samaritani quoq;, de quibus capite quarto mentionẽ fecit idẽ Euangelista, cum primùm propter uerba mulierculæ credidissent: postea uerò ueritatem ex ipso Christo percepissent, dicebant: Iam non propter tuum sermonem credimus, ipse enim audimus & scimus quòd hic sit uerè saluator mundi. Patet ergo, fidem præcedere: deinde, si in hac perstiterimus, certam ac solidam ueritatis cognitionem subsequi. Sic Apostoli primùm uerbis Christi crediderunt, deinde crescente in illis Spiritus sancti operatione mẽtes ipsorum solidius fuisse illustratas, & ad certã ueritatis cognitionem perductas. Ad hanc non uenitur rationis humanæ ductu, sed fide.

Prius esse credendum, deinde intelligẽdũ.

Manendum in sermone Christi.

Verùm memori mẽte retinendum est, quòd hæc est à Domino adiecta conditio Ioannis octauo: Si maneamus in sermone ipsius, cui credere cœpimus. Reperias qui credãt ad tempus, iuxta parabolam seminis: tentationis uerò tempore deficiant, & sermonem ueritatis deserãt. Hoc genus fidei, quoniã destituta est necessaria perseuerãtia, ad promissam ueritatis cognitionem haudquaquam peruenit. Quid sit aũt manere in sermone Domini, uereq; illius esse discipulum, fusè annotauimus in Commentarijs nostris super Ioannem, capite supradicto.

Opus esse mente pura.

Augustinus alicubi scribit, mentem uitijs adhuc occupatam non posse ueritatis fieri capacem. Intelligendum hoc est de leuioribus uitijs, sed de grauioribus ac talibus, quæ omnem cognoscendæ & amandæ ueritati aditum præcludunt, atq; ita mentem captiuam detinent.

Veritas in charitate quærenda.

De apostolo Petro scribitur, quòd inter cętera dixerit: Quid ergo putas, quòd in terram defossam absconderit Deus ueritatem, & montes ei superposuerit, ut ab his qui in profundum fodere ualent, tantummodo inueniri possit? Non ita est. Sed sicut montes & terram cœli ambitu circundedit, ita & ueritatem charitatis suæ uelamine contexit, ut ille ad eam solus peruenire possit, qui prius ianuam diuinæ dilectionis pulsauerit. Siue dixerit hoc Petrus, siue non dixerit, omnino necesse est ad cognoscendum ueritatem, ut illa ametur, amando quæratur, & quærendo diuinæ dilectionis ianua pulsetur. Pulsanti promissa est apertio, dicente Domino: Qui petit, accipit: qui quærit, inuenit: & pulsanti aperitur. Interea, etsi hæc omnia fiant, nihil tamen dandum est nobis, sed cœlesti gratiæ & operationi omnia. Quia non est uolentis & currentis, sed miserentis Dei.

QVAE SIT VERITATIS EFFICACIA.

NOn excutimus quid possit & faciat in genere ueritas, ὅ ἐστιν ἰσχυρὸν ἰσχύϊ, ὅτι πασῶν ἀπλανεστάτη τῶν ἀνθρωπίνων λογισμῶν, ut illa ait: sed quid faciat ueritas Dei, ubi mentibus fuerit mortalium cognita: nõ quòd omnem illius efficaciam explicare possimus, sed quòd aliquousque

litant in hoc seculo, sciunt bellicam militiam, quam sequi constituerunt, cum multis esse laboribus, molestijs ac periculis ad extremum usque coniunctam: nihilo tamen minus dant illi nomina, seque totos illi in quemcunque euentum parati tradunt. Qua spe? Melioris scilicet fortunæ, qua in hoc seculo paulò uiuant postea splendidius: quam etiamsi consequantur, consequuntur tamen incertam & temporariam, imò momentaneam. Et huius gratia omnem suam uitam in discrimen conijciunt. Si tanti uitreum est, inquit ille, quanti nobis uerum conuenit esse margaritum? Quomodo non desipiemus, si dubitemus pati pro ueritate Dei, quæ alij patiuntur pro inani opinione, quam studiosissimè sequuntur? Quis non pro principe suo, de fortunis suis omnibus, ipsa etiam uita, periclitari sustinet, quoties uel status regni, uel libido illius postulauerit? Ergò ne in causa Dei pati detrectamus, quod in hominis causa, quoties illi libuerit, pati possumus?

AN VINCI POSSIT VERITAS.

Veritas uinci uidetur.

APparet uinci ueritatem, quoties per impiorum hominum uiolentiam aut studia improba sic reprimitur ad tempus, ut mendacium prorsus regnare, ac sine fine regnaturũ uideatur: idq; in hoc mundo, in quo princeps tenebrarum regnat: ipsa uerò ueritas passim ut peregrina exulat, imò sæpenumero terris relictis uideatur esse θεὸν ἐμπαίειν ἀφ' ἡμῶν δίκη συνδιαπτομένην. Verùm si res ista penitius introspiciatur, deprehẽdetur, nihil minus accidere posse ueritati, quàm ut uerè uincatur: id quod paulò manifestius cognoscetur, si quid sit uerè uinci, considerauerimus. Est autem uinci, uel abduci à proposito, ac mutari, uel cadere causa, uel superatum uenire in potestatem hostis. Vincitur mulier, dum blãditijs ac promissis illecta, in illicitam libidinem consentit. Vincimur cõcupiscentijs, ut à proposito sancto deficiamus. Vincimur pecunijs, ut operam nostram iniquitati accommodemus. Vincitur iure, qui causa cadit in iudicio. Vincitur uel dolo, uel uiribus, qui bello superatus hosti subijcitur. Quòd si aliquid horum ueritati potest accidere, uinci illam posse fateamur necesse est. Ab eo quod est, mutari non potest. Specie falsitatis per calumniam potest obscurari: in mendacium uerò mutari poterit nunquam. Si iudicio contendat contra mendacium, opprimi potest ad tempus: uinci uerò nequaquam, quia de falso conuinci nequit. Si tyrannica uiolentia impetatur, uim quidem in sectatoribus suis patitur, nullo tamen pacto uincitur, quia in potestatem hostium uenire non potest. Nemo unquam tyrannus, quantumuis sæuiret in immensum, frenum subiectionis potuit imponere ueritati. Perierunt omnes: ipsa uerò uictrix omnium tandem gloriosissimè triumphabit.

Vinci quid sit.

Præscriptio tẽporis non uincit ueritatem.

Multum contra ueritatem prolixi temporis præscriptio posse uidetur: uerùm fieri non potest, ut uictoriam de illa referat. Mille annorum uetustas in mendacio, ne unico quidem momento uictoria contra ueritatem potiri poterit. Germanicè dicimus: Tausent iar vnrecht than, ist kein stund recht than. Nec personarum authoritati cedit ueritas. Etiamsi reges contra illam, ac summi iuxta seculum Pontifices decernant ac statuant, inuicta tamen & incorrupta permanet. An possent huius mundi potentes ueritatem edictis suis mutare in mẽdacium, quum efficere nequeant, ut quod uerè aurum est, non sit amplius aurum? Nec rhetorum eloquentia simplicitatem ueritatis uicerit, imò nuditate illius repercussa pudefactaque retrocedere cogitur. In summa, quemadmodum quod semel uerum fuit, uerum manet in sempiternum, quia nullis artibus, nullisque uiribus in mendacium mutari potest: ita ueritas Dei, imò multo amplius, sic est æterna, immutabilis & inuicta, ut impossibile sit ullis ipsam technis, edijs, insidijs, edictis, temporum præscriptionibus, calumnijs ac persequutionibus uinci. Rectè ergo dictum est 3. Esdræ 3. Veritas manet, & inualescit in æternum, & uiuit & obtinet in secula seculorum. Et illud uulgare: Die warheit bestadt, die lugen zergadt. Hæc cogitatio incredibilem adfert consolationem ueritatis alumnis. Quanto nanq, certius persuadentur, insuperabilem esse ueritatem, quam semel sunt amplexi: hoc erectiore animo quicquid propter illam infertur ab impijs, diuinitùs adiuti perferunt.

DE BONITATE DEI.

SVPRA in loco de Natura Dei, ubi de illius qualitate dicendum fuit, inter cætera quæ de illa prædicantur in Scripturis, bonitatem quoque connumeramus. Existimo igitur haud fore proposito nostro inconueniens, nec inutile pijs hominibus, si de illa quoque præcedentibus subijciamus, & annotemus ea quæ cum ædificatione, pariter & consolatione conscientiarum considerari queant. Immensum quidem est diuinæ bonitatis pelagus: uerùm quis uetat eos, quorum omnis uita ac salus in hoc solo fundatur ac stabilitur, unde & prodijt, quòd bonus est Deus, uel superficiem illius religiosè aspicere, adorare ac deprædicare?

BONVM

BONVM ESSE DEVM.

DE Deo prædicat uniuersa Scriptura, quòd sit bonus. Nec loquitur de alio quàm creatore & opifice omnium, non quòd sit quisquam alius uerus Deus, præter eũ, quem creatorem cœli ac terræ uocamus, sed quòd alios pleroſque superstitiosa uetustas cõmenta est ac uẽerata. Et Marcion ille episcopi cuiusdam filius, cum propter uiciatam uirginem secluſus esset à communione mystica, quo ecclesias turbaret, portentosum Cerdonis dogma refricare & asseuerare cœpit, quo ille uerum & unicum Deum omnium eorum quę sunt conditorem, gloria bonitatis priuare ausus est: & ne bonitatem Dei in uniuersum negare uideretur, duos constituit deos: creatorem unum, patrem Iesu Christi alterum: & priorem malum, austerum ac crudelem, posteriorem uerò bonum ac misericordẽ esse dixit. Quod impium ac monstrosum commentum aliquot Patres, Tertullianus præsertim, fortiter confutarunt. Repressa itaq; est impietas illa Marcionitarum euidentissimis diuinæ cùm ueritatis, tum bonitatis argumentis conuicta, ut necesse non sit contra illam pugnare.

Marcion duòs deos cõstituit: bonum unum, malum alterũ.

Sunt autem bonitatis Dei innumera argumenta. 1 Principiò testantur de illa uniuersa primæuæ creationis opera, quæ omnia ut sunt ualde bona, licet non intelligant hoc Marcionitæ: ita opificis comprobant bonitatem, perinde atque boni fructus arborem bonam esse demonstrant. Non potest enim fieri, ut qui malus est, opera bona, & ut arbor mala bonos fructus faciat. Quòd si quis operum Dei bonitatem intelligere, uel non uult, uel non potest, fateatur saltem non potuisse illa sine singulari fieri sapientia: deinde cogitet, an sapientiæ dari possit opus, quod bonum non sit, sed malum: & uel hinc admoneatur necessariò, bona esse, quæ per singularem sunt sapientiam facta. Quemadmodum enim uerè sapiens esse non potest, nisi bonus: ita opus sapientiæ censendum non est, nisi iuxtà sit & bonum. Vehementer ingratus & stipes magis quàm homo sit oportet, qui non sentit quotidie, imò momentis singulis, ac candidè fatetur, quantis ipse utatur operum Dei commodis & emolumentis, quæ aliò quàm ad ipsum conditorem Deum referri non possunt.

Argumenta bonitatis Dei ex operibus creationis.

2 Deinde, quis uel millesimam eorum partem recensuerit, quæ quotidie non bonis modò, sed & reprobis per diuinã bonitatem impertiuntur: quibus non modò benefacit, sed & quum mox ac iurè perdere posset, non perdit, sed summa cum lenitate pœnitentiam expectat?

3 Adhæc, si Scripturæ consulantur, an non illæ bonitatem Dei deprædicant? Vtique bonus est Israeli Deus, inquit Propheta Psalmo septuagesimo tertio, ijs qui recto sunt corde. Et Psalmo centesimo decimoseptimo: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Et alibi: Bonitate Domini plena est terra. Et Threnorum tertio: Bonus est Dominus sperantibus in ipsum. Et Lucæ decimooctauo: Nemo bonus, inquit Christus, nisi solus Deus. Et Apostolus Romanorum secundo, diuitias bonitatis tribuit Deo. Punit subinde reprobos: uerùm quum faciat hoc non sine iudicio, neque cuiusquam damno, nisi impœnitentium, non est ut inde gloria bonitatis priuari debeat. Verùm non est, ut huic præsentis causæ articulo operosius incumbam, in quo nihil est obscuri, nihil dubij, sed manifesta omnia, ipsoq; sole clariora. Quod me attinet, sic de bonitate Dei animatus sum, ut nihil in diuina sciam esse natura, quòd me impensius soletur, quodque maiore cum admiratione adorem, quàm infinitam & inexhaustam illius bonitatem.

Ex Scripturis.

II. QVID SIT ESSE BONVM.

QVemadmodum malum esse non ociosæ qualitatis res est, sed admodum efficacis & operosæ, omnis generis in se maleficentiam indefessumque malefaciendi studium includens: ita & bonum esse non ociosam habet qualitatem, sed omnino ac indesinenter ad ea quæ bona sunt & utilia efficacem. Scriptura sancta uocat טוב, quod nos uocamus bonum. Significat autem ea uox aliquandò bonum, aliquando utile, nonnunquam decorum, quandoque & iucundum. Concurrunt ista in omni eo quod bonum est. Sic enim comparatum est bonum, ut sit utile, sic etiam decorum ac uenustum, & simul iucundum. Non autem loquimur de externa bonarum rerum facie, sed de ea quæ mentis oculis spectatur, & animo boni studioso arridet. Philosophus bonum definit, quod omnes appetant. Non autem appeteretur, nisi arrideret. Græci tribus uocibus utuntur, quibus Ebræum טוב exprimunt. Hæ sunt, ἀγαθὸν, χρηστὸν & καλὸν. Ἀγαθὸν bonum sonat: χρηστὸν placidum, benignum, facile, commodum & humanum: καλὸν: pulchrum & honestum. Latini quoq; bonum hominem uocant eum, qui humanus est, facilis, beneuolus, placidus, comis, benignus, tractabilis, simplex, apertus, suauis ac liberalis, in quo nihil reperiatur maliciæ, inhumanitatis, duriciei, asperitatis, fraudis ac morositatis.

טוב. In bono cõcurrunt utile, decorũ et iucundũ.

ἀγαθὸν, χρηστὸν, καλὸν.

Cum ergo Deum nobis Scriptura prædicat bonum, siue Ebræa, siue Græca uoce utatur, non debemus intelligere aliter, quàm quòd persuadere conetur, esse Deum alienissimum ab ingenio maliciæ, sæuitiæ, inhumanitatis, duriciei, & cætera: sed magis placidum, facilem, benignum, tractabilem, apertum ac liberalem, quo nos ad fidendum illi, gratiamque illius inuocandum prouocet.

Quid sit esse Deum bonum.

AN BONVS SIT SOLVS DEVS.

Luc. 18. Nemo bonus nisi solus Deus.

LVce decimooctauo, quum princeps quidam dixisset ad Dominum: Magister bone, quid faciens uitam æternam possidebo? Respondit illi: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus. Hoc sanè testimonio Seruatoris encomium bonitatis sic in uniuersum adimitur omnibus, ut soli Deo tribuatur. Nihil euidentius, expressius ac plenius dici potuit, quàm quod disertè dixit: Nemo bonus, nisi solus Deus. Ergo sic mali sunt omnes homines, ut nemo inter illos sit bonus.

Obiectio.

Verùm quæri poterit, quomodo sententia ista conueniat ei discrimini, quod communiter statuimus, dicentes: Man findt allenthalben gute vnde bœse: quo & Christus ipse usus est, dicens: Qui solem suum oriri facit super bonos & malos. Si alij mortalium boni sunt, alij mali, quomodo sic bonus est solus Deus, ut nemo sit præter ipsum bonus? Actorum undecimo de Barnaba scribitur, quòd fuerit uir bonus. Quomodo ergo nemo bonus, nisi solus Deus? 1. Timothei 4 dicit Apostolus, Omnis creatura Dei bona est. An non & homo creatura Dei est? Quomodo igitur bonus non est? Genes. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona: utiq; fecerat & hominem: ergo & homo ualde bonus est. Psalmo 124. dicit Propheta: Benefac Domine לטוביים, id est bonis & rectis corde. Si nemo bonus est, nisi solus Deus, uidetur uanum esse quod hic orat Propheta, dum precatur Deum, ut bonis benefaciat, quum nemo sit bonus, cui à Deo benefieri possit.

Collatio Dei cũ creaturis.

Poscit hic locus duplicem collationem: unam qua cum creaturis omnibus, alteram qua cum homine separatim conferatur Deus. Si conferas illum cum ijs quæ creauit, inuenies in ipso bonitatem originalem, perfectam, & omnium excellentissimam. Originalem, quæ non sit aliunde accepta, sed propria: ipsa quidem originem in Deo non habens, uerùm alijs bonitatis originem præbens. Perfectam, hoc est numeris omnibus absolutam, sic ut nihil in illa desiderari possit, quod ad ueram bonitatem pertineat. Omnium excellentissimam, quam nullæ prorsus creaturæ, ne angeli quidem in cœlo, mente concipere, nedum exprimere imitariq; ualeant. In creaturis uerò inuenies quidem bonitatis aliquid: uerùm à Deo naturaliter inditum, idq; imperfectum, ac infinito diuina bonitate inferius. Omnis omniũ bonitas à Deo est, mensurata ac particularis, sic ut uniuscuiusque utilitas circumscripta sit, limitata, & ad certum aliquem usum disposita. Et hactenus testatur Scriptura, quòd bona sint ualde, quæcunque à Deo sunt facta. Imò etiamsi non testetur hoc Scriptura: ipsa tamen tot iam seculorum experientia tantùm non clamitat ualde bona esse, quæ à Deo sunt condita. Attamen si exactæ, ueræ, absolutæ, propriæ & uniuersalis bonitatis eminentia consideretur, non poterit huius encomium competere ulli creaturæ, sed creatori tantùm. Quare hanc ob causam rectè solum Deum bonum esse dixeris, perinde atq; solus יהוה, id est existens in Scripturis uocatur. Licet enim omnia quæ sunt in cœlo & in terra, ut sunt, ita & pro accepta mensura existant: existentiæ tamen titulum haudquaquam merentur, sed hunc soli Deo, unde sunt omnia, relinquere coguntur. Sicut igitur creata propterea non uocamus existentia, quia non sunt ex seipsis, sed à Deo, qui solus est יהוה: ita propterea non sunt uerè bona uocanda, quòd non ex seipsis bona sunt, sed per eum à quo sunt condita. Vtrunq; ipsis & esse, & bonum esse, à Deo creatore est: quare meritò ut existentiæ, ita & bonitatis laudem creatori suo relinquent.

Sic Deus solus bonus dicitur, sicuti solus existens uocatur.

Collatio Dei cũ homine.

Quod alteram collationem attinet, qua Deus separatim confertur homini, quadruplicem inuenio considerationẽ in homine. Prima est naturæ, secũda corruptionis, tertia gratiæ, quarta institutionis. Si naturã hominis inspicias, nõ poteris hãc maliciæ damnare. Quicquid enim illa est secundum conditionis suæ mispat, à Deo cõditore est, à quo nihil potest esse mali. Huius respectu bonus est in ordine suo, in quem primęua est conditione constitutus, non minus quàm reliquæ creaturæ. Et hactenus ad priorem est ac generalem collationem referendus.

Si uerò respicias ad generalem humanæ naturę corruptionem, inuenies uniuersum genus mortalium esse deprauatum, omnemq; humani cordis cogitationem à iuuentute ipsius pronam ad malum, & sicut Propheta dicit, Declinasse omnes, ac pariter factos esse inutiles, nec esse quenquam qui faciat bonum, ne unum quidem, Psalmo 14. qua de re disputat Apostolus Romanorum tertio. Huc scilicet potissimùm pertinet, quod Seruator dicit: Nemo bonus, nisi solus Deus: & Propheta, Non est qui faciat bonum, ne unus quidem: & illud, Omnis homo mendax: &, Vanitas uanitatum omnis homo uiuens: &, Non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens. Quòd si gratiam Dei consideres in homine, inuenies corruptæ naturæ reparationem, qua ad imaginem diuinæ bonitatis in Christo seruatore reparatur, propter quam bonus dici potest: sic tamen, ut nondum de perfecta possit bonitate gloriari, nisi quatenus bonitas ipsius est Christus.

Aliud est esse bonũ artificẽ, & aliud esse bonum uirum.

Restat institutionis consideratio. Secundum hanc pro uarietate rerum humanarum alius efficitur bonus medicus, alius bonus rector, alius bonus argẽtarius, alius aliud, sic in arte sua expeditus, ut cũ uir bonus dici nõ possit, bonus artifex dicatur. Sic ille querebatur, facilè quidem fuisse sibi inuenire in ciuitate ἀγαθὸς τὰ πλοῖα, ἀγαθὸς χαλκεῦς, ἀγαθὸς ζωγράφος, ἀγαθὸς αὐλητής: uerùm qui esset καλός τε καὶ ἀγαθὸς ἀνήρ, nõ ita se facilè inuenire potuisse. Nos uerò nõ loquimur hic de bo-

de bonitate artificum, qua in ſua quiſq; arte expeditus eſt & perfectus: ſed de ea qua boni homines ſimus, & propter quam ſimpliciter boni dici poſsimus. Hæc reperiri in nobis non poteſt, niſi in regeneratis, idque imperfecta, quemadmodum paulo antè meminimus. Sic, puto, manifeſtum eſt, quomodo & quare nemo ſit bonus, niſi ſolus Deus. Quid igitur cauſę eſt, cur homo hominem contemnat, cum pariter omnes ſententia hac Seruatoris de malicia accuſemur, ac gloria bonitatis priuemur? Deinde, ſi omnes in uniuerſum mali ſumus, non debet inſolens & inexpectatum uideri, ſi homo ab homine, id eſt malus à malo lædatur. Imò id magis mirum uideri cõuenit, ſi quid beneficij contingat homini ab homine. Etenim præter ingeniũ malorum eſt, beneficentiæ ſtudere. Quare qui cordatus eſt, de ſingulari prouidentia Dei cogitabit, quoties bene fuerit hominis alicuius opera uſus.

Non eſt mirũ, ſi homo ab homine lædatur.

BONITATEM DEI IMMVTABILEM *eſſe, ac ſempiternam.*

Sæpenumero uidemus, quàm ſit qualiſcunq; illa humani cordis beneuolentia inconſtans ac mutabilis. Si rationem quæras, reſponderi poteſt, hinc illam eſſe inſtabilem, quòd non eſt naturaliter inſita, ſed per occaſionem, uel ex cauſis mutabilibus nata. Ceſſante nanque cauſa, ceſſat & effectus. Tale quid de bonitate diuina cogitari nõ poteſt. Bonus enim eſt Deus, haud per occaſionem, aut ex cauſis aliunde obiectis, ſed naturaliter ex ſeipſo: ideoq; quàm eſt ipſe ac natura ipſius immutabilis, tam immutabilis eſt & ipſius bonitas. Quòd flagellat filium ſuum pater, per occaſionem facit, & ad tempus: quòd uerò beneuolus erga illum eſt, naturalis eſt, adeoq; & perpetuæ beneuolentiæ affectus. Conſimili modo cogitemus & de Deo. Vbi ille iraſcitur, non facit hoc naturaliter, ſed per occaſionem, ut mali caſtigentur: ubi uerò benefacit, naturale opus eſt, ex naturali bonitate indeſinenter promanans. Quàm autem inuicta ſit bonitas Dei, uel ex eo liquet, quòd tam pertinaci & obſtinata Iudaici populi malicia uinci non potuit, quo minus ex illo ſecundum quod ab ęterno conſtituerat, & ſuis temporibus promiſerat, unigenitum ſuum mediatorem ac Seruatorem daret. Sic dilexit Deus mundum, inquit Dominus, ut unigenitum ſuum daret. Quis mente concipere poterit, quàm portentoſa mundi huius malicia inde ab initio ipſius incarnati uerbi tempus præceſſerit, propter quam conſilium Dei de ſalute mundi conceptum, omnium potuiſſet iuſtiſsimè mutari, ſi mutabilis eſſet illius bonitas? Si uinci poſſet bonitas Dei, iam olim conſumpti eſſemus omnes, nec tot ſeculis ſtetiſſet hic mundus. Cui nanq; debemus annoſam illius diuturnitatem, quàm bonitati ac miſericordiæ Dei? Miſericordię Dei, inquit ille, quòd conſumpti nõ ſumus. Quare quoties diuinæ bonitatis experimẽta ſiue in nobis ipſis, ſiue in alijs capimus, admoneamur quàm ſit illa immutabilis, inuicta ac ſempiterna, canamusq; cum Propheta: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Vnde ſit beneuolentia humana inſtabilis.

Bonitatem Dei eſſe inuictã, unde pateat.

BONITATIS DEI DVPLICEM *eſſe conſiderationem.*

VTiliter & hoc obſeruatur à pijs, quòd diuina bonitas bifariam conſideranda uenit. Primùm enim ganeraliter bonus eſt erga omnes, bonitatem ſuam declarans erga bonos & malos, ſicuti uidere eſt Matthæi quinto, ubi Seruator dicit: Qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos. Et Pſalmo 145. ubi Propheta dicit: טוב יהוה לכל, id eſt Bonus Dominus omnibus. Secundum generalem hanc bonitatem ſuam benefacit ac prouidet omnibus, non ſolùm electis, ſed & reprobis: non modò hominibus, ſed & beſtijs. Per hanc conſeruantur omnia. Huc pertinet illud Pſalmi 119. Bonitate Domini plena eſt terra. Item alibi: Homines & iumenta ſeruas Domine, quemadmodum multiplicaſti bonitatem tuam Deus. Conſiderant hanc pij homines non ſine ſtupore. Neq; enim inueniunt illius modum ac finẽ ullũ.

Bonitas Dei generalis.

Deinde ſpecialiter ac ſingulariter bonus eſt erga electos, fideles, pios ac iuſtos homines. Hanc bonitatem Dei celebrat Propheta, dicens: Bonus eſt utiq; Iſraeli Deus, his qui mundo ſunt corde, Pſalmo 73. quibus uerbis generalem bonitatem Dei, qua prouidet omnibus: de qua Pſalmo 145. canit, non negat, ſed ſpecialem hanc commendat, qua fideles homines ſingulariter complectitur. Sic eſt ingenium ueræ bonitatis, ut in genere bene uelit omnibus: & tamen interim habeat quos ſingulari fauore proſequatur. Bonus paterfamiliâs totam ſuam domum amanter complectitur, & in genere domeſticis ſuis omnibus proſpicit, uxori, liberis, ſeruis, iumentis quoque, ac gaudet ex animo ſi bene ſit omnibus: interea tamen quid uetat, quo minus ſingulari bonitatis affectu proſequatur uxorem ac liberos, uel ex liberis aliquos, quemadmodum Iacob Ioſephum ſuum præ alijs filijs amantius complectebatur? Et Chriſtus ipſe generali bonitate diligebat ſuos omnes: & tamen ſpeciali quadam dilectione erga Ioannem afficiebatur.

Bonitas Dei ſpecialis.

Conſiderationis huius uſus eſt, ut generalem bonitatem Dei cum admiratione deprædi-

cemus, indeque prouocemur ad hoc, ut facilius ac certius nos & omnia nostra prouidentiæ ipsius cõmittamus, cuius rei nos Christus ipse admonet Matthæi sexto: Videte uolatilia cœli, item lilia agri, &c. specialem uerò speciali quoque fiducia, tanquam non alieni, sed domestici Dei complectamur, illique nos per omnia accommodemus, & cœlestia bona certius expectemus, curemusq; ne tam eximia gratia indigni reperiamur.

QVOT MODIS IN BONITATEM Dei peccetur.

Maximũ peccatum est, quo in bonitatẽ Dei peccatur.

A Bonitate Dei nostram pendere salutem, omnino neminem qui neget esse puto. Quare perniciosius quicquam esse non potest, quàm si quis in illam enormiter peccet. Graue est peccare in gloriam ac maiestatẽ Dei, id quod faciunt rebelles ac superbi: uerùm intolerabilis est id genus peccati, quo diuina bonitas exacerbatur. Operępreciũ igitur fuerit, uel obiter annotare, quot modis in illã peccetur. Nõ aũt scrupulosius genus hoc peccati persequemur, sed generaliores tantũ illius species annotabimus. Hæ sunt, cõtẽptus, diffidẽtia, abusus.

Contẽptus Dei. 1 Principiò, procliuis ad hoc est humani cordis corruptio, ut quos bonos, adeoq; & clementes ac tardos ad iram & ultionem esse uidemus, susq; deq; faciamus & contemnamus: & interim quos experimur seueros, & ad ulciscendum pronos, uereamur, & præ oculis habeamus. Sic cõtemnuntur à subditis boni principes, à discipulis placidi pręceptores, à liberis benigni parentes, ab uxoribus indulgentiores mariti. Sic uidelicet peruerso sumus ingenio, ut quod ad maiorem debebat obseruantiam facere, faciat ad cõtemptum. Hæc autem peruersitas tum est omnino detestabilis, quando in ipsum quoq; Deum exercetur. Quo nanque benignior ac clementior erga nos est diuina bonitas, dum non mox animaduertit in delinquentes, sed patienter expectat, dum resipiscamus, ac resipiscentes cleméter recipit, peccatisq; illorum ignoscit: hoc magis ad resipiscentiam permoueri, tantamq; bonitatem plurimi facere debebamus. Iam uerò tam abest, ut illius respectu ad resipiscentiam permoueamur, ut occasionem magis ex ea tam bonum ac clementem Deum contemnendi sumamus.

Rom. 2. Peruersitatem hãc Apostolus Rom. 2. tribuit duriciei ac cordi pœnitere nescio, obiurgatq; admodum acriter eiusmodi contemptores, dicens: Cogitas autem hoc, ô homo, qui iudicas eos qui talia faciunt, & facis eadem, quòd tu suffugies iudicium Dei? Aut diuitias bonitatis illius ac tolerantiæ, lenitatisq; contemnis, ignorans quòd bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? Sed iuxta duriciam tuam & cor pœnitere nescium, colligis tibijpsi iram in die iræ, &c. Est igitur primus hic modus peccandi in bonitatem Dei dignus Apostolo uisus, quem tam graui cum obiurgatione ac comminatione reprehenderet. Nec immeritò. Quid enim potest esse peruersius, quàm contemnere id, quod summo studio quærere, & obuijs ulnis complecti debeas? Et quid perniciosius, quàm iram Dei in diem iræ thesaurizare?

Diffidentia. 2 Deinde peccatur in bonitatem Dei diffidendo. Et hic uehementer peruersi sumus. Credimus frequenter alij alijs, Deo credimus omnium ægerrimè: cum tamen mendax sit, & pariter malus omnis homo, Deus uerò solus sit & bonus & uerax. Omnis homo mẽdax, inquit Propheta. Et, Nemo bonus nisi solus Deus, dicit Seruator, quemadmodum & suprà meminimus. Obsecro quid' nam fieri potest peruersius? Malicia & mendacium fidem apud nos inueniunt, non inueniunt, uel certè difficulter inueniunt, diuina bonitas ac ueritas. Non creditur Deo, de quo prædicari non potest, quòd sit malus & mendax: & creditur homini, de quo ueracissimè prædicatur utrunque.

Diffidere Deo, grauissimũ peccatum. Quis autem satis perpenderit, quàm grauis hac in re inferatur diuinæ bonitati iniuria? & quàm illa uehementer in oculis ipsius displiceat? Si bonitatis ingenium cõsideres, deprehendes illud sic esse, in Deo potissimùm, comparatum, ut quàm est paratum ad benefaciendum, tam requirat etiam cũ primis, ut bene de se speretur. Sic Deo nihil potest accidere indignius ac molestius, quàm si qua in re de bonitate ipsius hęsitetur, de qua tam impense omnibus uult esse persuasum. Benefacit omnibus, idq; mille modis: promittit credentibus sibi omnis generis bona, & petit ut in necessitatibus inuocetur: parcit in se peccãtibus, uocatq; eos ad resipiscentiam, & resipiscentibus pollicetur delictorum remissionem, quibus omnibus luce clarius uerę bonitatis exprimit ingeniũ: significans nihil esse sibi acceptius, quàm si à bonitate ipsius sincera fiducia pendeamus: & contrà nihil esse molestius, quàm si tot bonitatis ipsius experimentis ad fidendum sibi permoueri detrectemus. Mali cordis notam habet eiusmodi diffidentia, qua qui detinentur, nullis possunt beneficijs ad fiducię sinceritatem induci. Quare admodum enormiter etiam hoc modo in bonitatem Dei peccatur.

Abusus bonitatis Dei. 3 Tertio modo peccant aduersus bonitatem Dei prorsus ex opposito, qui alieni quidem sunt à diffidentia: uerùm sic de illa præposterè præsumunt, ut quamuis pessimè uiuant, nihilo tamen minus per eam se saluos fore confidant, & hac confidentia securius peccent, dum fieri non posse existimant, ut tanta bonitas, quanta de Deo prędicatur, quenquam sit, quantumuis peccet, æterno igni adiudicatura. Nihil de illo cogitant aliud, quàm quòd sit excellentissimè bonus,

bonus, imò ipsissima bonitas. Verum quidem hoc est, at interim sic est bonus Deus, ut simul sit & iustus iudex. Vera bonitas non excludit iusticiam. Bonitati contraria non est iusticia, sed malicia. Sic rectè dicemus: Bonus Deus est, ergo malus nō est. Non sequitur: Bonus est Deus erga omnes, ergo neminem damnabit. Bonitas in Deo non est ἄλογος, id est irrationalis, qualis est in arboribus frugiferis, quæ fructus suos indiscriminatim permittunt omnibus, non ex abundantia bonitatis, sed quoniam ratione discriminandi destituuntur. Nō sic comparata est in Deo bonitas. Quòd ille generaliter prospcit omnibus: facit hoc non rationis defectu, sed exuberantia quadam bonitatis, cui tamen adiuncta sit competens discretio, qua dispensetur uni cuiq; quantum, & quando, & quomodo, & quandiu uoluerit. Non uult bonitatem suam contemni, non uult in dubium rapi, nō uult præpostera fiducia peruerti. Ambidexter est. Vna manu beneficia sua dispensat, altera uirgam tenet, qua in contemptores, diffidentes & præposterè securos animaduertat. Illac bonus est supra modum, hac seuerus ac tremendus. Vtranque nobis Apostolus Romanorum undecimo, & bonitatem & seueritatem Dei considerandam proponit, quum dicit: Vide igitur bonitatem ac seueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te uerò bonitatem, si permanseris in boni tate. Mente igitur monophthalmi sunt, qui in Deo uel solam seueritatem cum Marcionitis, uel solam bonitatem cum præposterè securis uident. Prudens tamen ac discretus uerbi Dei minister diligenter cauebit, ne anxijs ac prostratis mentibus seueritatem Dei proponat, cuius respectu magis ac magis de salute sua desperent: securis uerò, & in peccatis suis omnia salua sibi & alijs de bonitate Dei pollicentibus, quàm bonus sit Deus prædicet, unde adhuc securius peccent. Quemadmodum in Deo discretæ sunt bonitas & seueritas, & discreti sunt mortalium animi, quorum alij desperabundi sunt, alij securi: ita competenti discretione alijs inculcabit, quàm seuerus sit Deus erga impœnitentes, alijs quàm poterit assueueranter persuadebit, esse Deum excellenter bonum, clementem ac misericordem erga omnes eos qui resipiscunt, & ignosci sibi petunt. Hactenus de bonitate Dei dictum esto, quantum commodare poterit ijs, qui illi sese accommodare cupiunt.

Bonitas Dei nō est ἄλογος.

Vnde sit generalis prouidentia Dei.

Ambidexter est Deus Rom. 11.

Prudentia & discretio fidelis ministri Christi.

DE PHILANTHROPIA DEI.

NON modò bonitatem Deo sacra Scriptura, sed & dilectionem tribuit. Et alioqui bonitatis hoc est ingenium, ut quemadmodum ignis sine ardore, ita ipsa sine dilectione esse nequeat. Quare res ipsa poscere uidetur, ut postquā de bonitate Dei diximus, consequenter de dilectione illius subijciamus. Sic enim illæ sunt naturaliter coniunctæ, ut alteram altera eueſtigiò comitetur. Vnde & Apostolus Tit. ultimo, quum philanthropiam Dei in Christo Iesu declaratam commendare uellet, bonitatem illius præmisit, dicens: Vbi autem bonitas & philanthropia seruatoris nostri Dei apparuit, &c. Sic ille bonitatem ac dilectionem Dei in opere redemptionis nostræ coniunctim considerandas proposuit. Quo uerò id consilio fecerit, suo loco in hoc præsenti tractatu dicemus.

Bonitas sine dilectione esse non potest.

1 Tit. ult.

AN DEO COMPETAT DILECTIO.

PRrincipio de eo uidendū est, quòd Deo adscribitur dilectio, an illa diuinæ posit maiestati competere. Etenim si consideretur dilectionis affectus, quo qui diligit, sic totus in obsequium eius rapitur quem diligit, ut illius magis quàm suusipsius esse uideatur, non uidetur dilectio eius conuenire maiestati: qui ut omnium est Dominus, ita pro cōditione maiestatis suæ omnium est liberrimus. Præterea si bonitas Dei non seorsim, sed cum maiestate cōiuncta consideretur: conuenientius esse uidetur, ut diligatur & obseruetur, quàm ut diligat ipsa, & dilecto sit obstricta. Possunt hæc cogitari, ubi ad excellentissimam diuinitatis maiestatem respicitur: eaq; diligenti Deo tribuuntur, quæ homini diligenti dilectionis πάθη accidunt.

Si cōsideretur maiestas Dei, et affectus dilectionis, uidetur Deo non competere ut diligat.

Inspiciamus igitur, quid sentiendum nobis sit in hac causa de maiestate Dei primùm: deinde de bonitate illius separatim: postea uerò & coniunctim, & tertiò, quomodo quæ humanorum sunt affectuum, Deo tribuantur.

1 Principiò, conuenit omnino, ut diuinæ maiestati tribuamus nihil humile, nihil abiectum, nihil seruile, & cuipiam obstrictum: sed omnia principalia, sublimia, eximia, libera & diuina prorsus. Tribuit autem illi sacra Scriptura dilectionem. Sic Deus dilexit mundum, inquit unigenitus Dei, ut filium suum daret, &c. Et 1. Ioan. 4. Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Imò, Deus charitas est, inquit. Ergo dilectio non est humile quid, abiectū & seruile: sed magis sublime, eximiū, liberum, & diuinæ maiestati haudquaquā inconueniēs. Omnino præstantius, magisq; laude dignū est diligere, quàm diligi: quemadmodū & benefacere diuinius est ac præclarius, quàm ἀνταμοιβαῖον. Quis autem Deo dicet esse inconueniens, si diligatur, cum id

Nihil humile tribuēdū Deo. Tribuitur autem illi dilectio in Scripturis. Præstantius est diligere, quàm diligi.

ipse à populo suo requirat, dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, & omnibus uiribus tuis, &c. Si ergo quod minus habet laudis, non aspernatur diuina maiestas, quomodo aspernaretur id quod præclarius est, ac plus laudis meretur? An regia maiestas dedignabitur diligere subditos, propterea quòd illis multo est sublimior? cum hæc uirtus, si inueniatur in rege, plus illi laudis adferat, quàm si à suis ipse impẽse diligatur? Nihil ergo impedit naturam Dei maiestatis excellentia, quo minus deceat eam dilectio.

Simile.

Bonitatis ingenium.

2 Deinde, si bonitatem Dei consideremus, uix quicquam est quod huic melius conueniat, quàm dilectio, quæ ex ipsa nasci uidetur. Quemadmodũ enim ingenium malicię sic est comparatum, ut propriũ ipsius sit odio quosuis prosequi, & malignè animatum esse in omnes: ita habet econtrario ingenium bonitatis, ut proprium sit ipsius diligere, & benignè affectum esse erga quosuis. Quare aut est adimenda priùs à natura Dei bonitas, aut unà cũ bonitate tribuẽda illi dilectio. Nequit enim altera separari ab altera, propter naturalẽ & indiuulsam connexionẽ.

Coniunctio bonitatis et maiestatis in Deo.

Quòd si bonitatem ac maiestatem Dei coniunctim inspicias, obsecro quid conuenientius bono Deo ac principi omnium fuerit, quàm diligere subiectos? Vbi coniunguntur malicia & maiestas, ibi certè plus loci est odio, quàm dilectioni subditorũ; id quod in tyrãnis accidere uidemus. Discamus uel ex opposito, quid sentiendũ sit de coniunctione bonitatis ac maiestatis

Quomodo humani affectus Deo cõueniãt.

diuinæ. 3 Tertiò, quod humanos affectus attinet, qui dilectionem humanam comitantur, nõ conuenit ut illos sic referamus ad diuinam naturam, quemadmodum in humana deprehenditur. In humana natura dilectio omnia credit, omnia sperat: cum flentibus flet, & cum infirmis infirmatur. Conuenit´ne, ut quæ huiusmodi sunt, ad diuinam dilectionem referamus? In dilectione sunt, quæ locum in diuina natura habere possunt, sunt quæ non possunt. Tribuit Scriptura Deo per anthropopathiã multa quæ naturæ diuinæ non sic conueniunt, sicuti nostrę cõueniunt: & tamen prẽter rationem non est, quòd ad hunc modum de Deo cum hominibus loquitur, quo se captui nostro accommodet. Discreti ac pij hominis est, prudẽter discernere inter ea quæ diuinæ naturæ sunt conuenientia, & ea quæ illi conuenire non possunt: inq; locutionibus sacræ Scripturæ non diuexare uerba, sed religiosè amplecti, quæ secundum mentem spiritus intelligenda proponuntur.

QVAE SVNT DIVINAE LECTIONIS *species.*

Diligit Deus ut pater, ut creator, ut seruator generis humani.

SIcut non est in Deo alia atq; alia bonitas, ita non est in illo alia atq; alia dilectio: sed ut est simplex & eadem in illo bonitas, ita est & dilectio in illo simplex & eadem. Et tamen eadẽ illius dilectio suis est speciebus distincta & ordinata. Idem Deus, quod sacræ Triadis personas attinet, pater est: deinde omnium eorum quæ sunt creator: & tertiò, humani generis seruator. Vt, pater diligit filium unigenitum, ut creator, diligit omnia quæ condidit: ut Seruator generis humani, diligit homines: unde & φιλάνθρωπος uocatur. Est autẽ philanthropia illius distincta. Nam diligit filium, & in genere diligit creaturas, & uniuersum genus humanũ: & singulari quadam gratia prosequitur eos, quos sibi ante mundi constitutionem elegit, & diligit bonos. Sic idem Deus reperitur ὑφίλεως, φιλίκτιστος, φιλάνθρωπος, ἱκλικτίφιλος & φιλαγαθὸς. Idem pater

Philãthropia Dei distincta.

Simile.

miliâs, ut bonus maritus singulari amore uxorem suam complectitur, ut bonus pater impense diligit suos liberos, ut bonus paterfamiliâs diligit suos domesticos, ut bonus uicinus inter uicinos suos amanter conuersatur, ut bonus homo diligit in uniuersum omnes, odit neminem: & tamen ut eadem inest illi bonitas, ita & eadem est in illo distinctionis uirtus, eadem genera, ordinata tamen ac distincta per species. Hac itaque dilectione quinq; repetimus in dilectione Dei species: utpote, ὑφιλίαν, φιλίκτισιν, φιλανθρωπίαν, ἱκλικτοφιλίαν & φιλαγαθίαν.

Quinq; dilectionis Dei species.

PRIMA DIVINAE DILECTIONIS SPECIES.

QValis sit dilectio Dei in ipsa sacra Triade statuẽda laborãt Scholastici, procliuiores ad quærendum abstrusa in diuinitate, quàm instructi ad explicandũ ea, quæ in sacris Scripturis proponuntur. Et hic quærunt, an pater & filius diligant sese spiritu sancto: & an ea dilectio sit essentialis, uel notionalis, uel appropriationis, & impensa ac repensa. Magister sententiarum quæstionem mouet de mutua patris & filij dilectione, quam tamen diserte explicare se non posse fatetur. Nos igitur Scholastica scrupulositate relicta, studeamus sacrarum Scripturarum simplicitati. Quòd pater diligat filiũ, testatur ipse filius Ioan. 5 dicens: Pater diligit filium. Et capite decimo, Propterea me pater diligit. Et Ioannis decimoquinto: Sicut dilexit me pater, ita & ego diligo uos. Et cap. decimoseptimo: Dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Et ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis. Et pater ipse diligere se filium suum testatur, cœlitùs dicens: Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Hãc uocem quum Baptista de cœlo audisset, testificatus & ipse est, dicens: Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manus. Hæc habemus in euangelicis Scripturis, quibus absq; omni scrupulositate simpliciter docemur, ch-

ὑφιλίαι in Deo.

mur, diligi filium à patre. Quòd autem & pater diligatur uicissim à filio, declaratum est per id potissimùm, quòd obediens illi factus est filius usque ad mortem crucis. Sic ipse filius Ioannis decimoquarto dixit. Sed ut cognoscat mundus quòd diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio: surgite, eamus hinc. Quantum autē ad fidei nostræ confirmationē faciat, si simpliciter & indubitatò credamus diligi Christum unigenitum Dei à patre, aliàs admonuimus in Commentarijs nostris super Ioannem, cap. 5. ubi annotauimus, quæ in hac nobis sunt φιλανθρωπίᾳ Dei consideranda, quam primam dicimus esse dilectionis Dei speciem.

SECVNDA DILECTIONIS DEI SPECIES.

HAec est φιλόκτισις, dilectio uidelicet illa, qua Deus, ut creator creaturas suas diligit omnes, quatenus eas initiò ualde bonas creauit: iuxta illud Genes. 1. Et uidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Alienissimum esset utrunq; hoc à bonitate creatoris, si uel faceret mala, & quæ faceret, diligeret: uel faceret bona, & quę faceret, non diligeret. Nec cogitandum est, tum eum opera sua dilexisse, quum initiò illa fecisset: postea uerò dilectionem hanc tot seculorum decursu infirmatam in fastidium mutasse. Absit. Est enim dilectio Dei tam immutabilis, quàm ipsa est illius natura ac bonitas immutabilis. Nec impedit hanc dilectionē, quòd subiecta est creatura uanitati ac seruituti corruptionis, Romanorum 8. Nam quicquid hoc est, ipsius est opus. Ipse nanq; subiecit eam uanitati prudētissimo suo, nobis autem inscrutabili consilio. Neq; enim simpliciter Apostolus dicit, Vana enim creatura est: sed, Vanitati enim creatura subiecta est: & addit, Nō uolens, propter eum qui subiecit eam in spe. de quibus uerbis annotauimus in Commentarijs nostris super epistolā ad Romanos. Non est igitur præter rationem quòd author libri Sapiētiæ, capite undecimo sic scribit: Diligis omnia quæ sunt, & nihil eorum odisti quæ fecisti.

φιλόκτισις Dei.

Dilectio Dei non mutatur in fastidium.

Loci huius geminus est usus. Primùm enim seruit ad hoc, ut nos quoq;, quatenus creaturę Dei sumus, acceptos ipsi & in precio esse credamus. Deinde, ut de usu creaturarum admoneamur, ne pro libidine illis utamur, aut modis iniquis quicquā ex illis tractemus. Hoc enim creatori ipsarum placere non poterit, à quo tanquam ipsius opificium diliguntur. Incredibile est quantus ex eo sequatur creaturarum abusus, quòd pauciss imi sunt, qui cogitant eas esse opificium manuum Dei, illiq; dilectas.

Vsus huius loci.

TERTIA DILECTIONIS DEI SPECIES.

HAnc diximus esse philanthropiam, qua in genere uniuersum genus humanum præ alijs creaturis singulariter diligit, quæ gratia summa est admiratione digna. Si prædicaretur de Deo, quòd sit philāgelos, id est amator angelorum, nemo admiraretur propter cœlestem angelorum naturam, puritatem, præstantiam & conditionem. Et tamen nusquam in Scripturis sic prædicatur de illo, quòd sit φιλάγγελος, sicuti philanthropos esse prædicatur. Diligit utique & angelos, quos condidit, & singulares ministros suos esse uoluit: uerùm præ illis diligit homines, ideoque philanthropos prædicari maluit, quàm philangelos. Hominem mox initiò ad imaginem suam condidit, & ad similitudinem Dei usq; cohonestauit, omnibusq; creaturis cæteris præfecit: quæ singularis dignatio, singularem quoque philanthropiam declarat. Philopum uocamus eum, cuius potissimum studium est in alendis & exercēdis equis, illisq; sic impense delectatur, ut totum se, neglectis cæteris, studio illorum tradat. Sic uocatur Deus philanthropos, propterea quòd nec angelos, nec quicquam aliud ex omnibus suis operibus tanta est dignatione prosecutus, quanta prosequitur hominem. Hanc philanthropiā Dei considerans propheta Psalmo octauo, cum admiratione exclamat, dicens: Quid est homo, quòd memor es eius, & filius hominis quòd uisitas eum? Et, Minuisti eum parumper à Deo: gloria & honore coronasti eum. Constituisti eum dominatorem super opera manuum tuarum, omnia pedibus eius subiecisti. Oues & boues omnes, & pecudes agri. Volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Domine Dominus noster, quàm præclarum est nomen tuum in uniuersa terra? quibus uerbis omnino respicit ad ea quæ Genesis primo, de creatione ac glorificatione hominis leguntur, in quibus primum est philanthropię Dei argumentum declaratum: quo de in Commentarijs nostris super Genesim, & super Psalmos, quæ dicenda uidebantur, diximus.

φιλανθρωπία Dei.

Mauult Deus uocari philanthropos quàm philangelos.

Primum argumentum philanthropiæ Dei.

2 Secundum argumentum est amoris Dei erga genus humanum, quòd post lapsum quoque, quum meritò deseri ac perdi possemus, non deseruit nos: sed sic rebus nostris prospicere dignatur in omnibus, ut sit non modò unde uiuamus, sed & unde bene ac rectè uiuamus, quā philanthropiæ ipsius partem rectè prouidentiam Dei erga nos uocaueris. Attingit eam propheta duobus uerbis, quum dicit: Quòd memor es eius, & quòd uisitas eum. Nihil autem aliud intelligit, quàm prouidentiam Dei singularem, qua se rerum humanarum curam gerere declarat. Et Apostolus in Actis, capite decimoquarto & decimoseptimo obiter, quātum Gentibus

Secundum argumentum philanthropiæ Dei.

tibus conueniebat, prouidentiæ huius meminit. Quàm autē ſingulari cura rebus Iſraelis prōſpexerit, hiſtoriæ ſacrę teſtantur. Et Moſes id paucis complectitur, dicens: Pars Domini populus eius, & Iacob funiculus hæreditatis eius. Inuenit eū in terra deſerta, in loco horroris & uaſtæ ſolitudinis. Circumduxit eum, & docuit, & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui. Sicut aquila prouocans ad uolandum pullos ſuos, & ſuper eos uolitans expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, & portauit in humeris ſuis. Deut. 32. At materia hæc de prouidentia Dei erga genus humanum ſic eſt infinita, ut uno uerbo melius quàm numeroſis uoluminibus exprimatur, ſi dicamus ex animo, Deo cura de nobis eſt.

Tertium philanthropiæ Dei argumentum.

3 Tertium philanthropiæ Dei argumentum omnium eſt excellentiſsimum, & planè ſtupendum, nec ulli humanæ ſapientiæ comprehenſibile. Declaratum hoc eſt in diſpenſatione uerbi incarnati, in quo Deus homo factus eſt, ut homo in conſortium diuinæ naturæ exaltaretur. Verbum, inquit, caro factum eſt, & habiauit in nobis, & uidimus gloriam eius, gloriam tanquam unigeniti à patre, plenum gratia & ueritate. Non potuit euidentiori argumento ueritas & excellentia philanthropiæ Dei declarari, quàm incarnatione uerbi, qua Deus non angelici in ſe, ſed humanam naturam aſſumens, non angelus eſt factus, ſed homo. Potuit ne naturæ noſtræ maior ulla per philanthropiam Dei contingere dignitas, quàm ut diuinæ naturæ in unigenito Dei perſonaliter ac corporaliter cōiungeretur? Nō potuit homo ad diuinitatē propius accedere, niſi in illā prorſus fuiſſet mutatus, id qđ nec diuinæ, nec humanæ naturę cōueniſſet.

Quartum argumentum philāthropiæ Dei.

4 Quartum argumentum philanthropiæ Dei eſt in morte unigeniti, in quam ille traditus eſt pro generis noſtri redemptione. Quoniam pueri, inquit Apoſtolus, commercium habent cum carne ac ſanguine: & ipſe ſimiliter particeps factus eſt eorundem, ut per mortem aboleret eum qui mortis habebat imperium: hoc eſt, diabolum, &c. Vnde hoc? In hoc inquit Ioannes, apparuit dilectio Dei erga nos, quòd filium ſuum miſit in mundum, propitiationem pro peccatis noſtris. Et Apoſtolus Romanorum quinto: Commendat autem, inquit, charitatem ſuam erga nos Deus, quòd cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus fuit. Et Romanorum octauo: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quî fieri poteſt, ut non & omnia nobis cum eodem donet? &c. Quis ſeparabit nos à dilectione Dei? Et ipſe unigenitus Dei Ioannis tertio: Sic Deus dilexit mundum, inquit, ut filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Per mundum enim intelligit uniuerſum genus humanum, ut hic φιλανθρωπία idem ſit, quod φιλανδρωπία.

Ebr. 2.
1. Ioan. 4.
Rom. 5. 8.
Ioan. 3.

Quintum philāthropiæ Dei argumentum.

5 Quintum philanthropiæ Dei argumentū eſt in redemptionis noſtræ diſpenſatione, quæ complectitur uocationem generalem, qua per euangelium regni ſui cunctas totius orbis nationes ad cœleſtem gratiam uocauit, omnibuſq; in filium ſuum credentibus, uitam æternam promiſit. Propheta cum gratiam Dei erga Iſraelem peculiariter declaratā celebrare uellet, exclamauit: Non fecit taliter omni nationi. Nos omnium iuſtiſsimè exclamabimus: Non fecit taliter Iſraeli tantum, ſed omnibus quoq; totius orbis nationibus. Hæc obiter de tertia diuinæ dilectionis ſpecie, quam philanthropiam eſſe diximus.

QVARTA DILECTIONIS DEI SPECIES.

ἐκλεκτόφιλία Dei.

VOcamus hanc ἐκλεκτόφιλίαν, id eſt dilectionem Dei, qua ſingulariter diligit eos quos ſibi in peculium & in adoptionem filiorum ante mundi conſtitutionem elegit: ſicuti uidere eſt Epheſ. 1. & capite ſecundo, ubi dicit: Propter multam dilectionem ſuam, qua dilexit nos, &c. Et huc pertinet illud Romanorum nono: Iacob dilexi, Eſau odio habui. Hac dilectione comprehendimus cætera omnia, quæ per ipſam electis in cauſa ſalutis contingunt: qualia ſunt, prædeſtinatio, uocatio, donum fidei ac ſpiritus, iuſtificatio, regeneratio ac renouatio mentis ac uitæ. Refert quidem Apoſtolus hæc omnia ad bonitatem ac philanthropiam Dei, cum Tit. tertio dicit: At poſtquam bonitas & philanthropia Seruatoris noſtri Dei apparuit, non ex operibus, quæ ſint ex iuſticia, quæ fecerimus nos: ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis ac renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos opulentè per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum, ut iuſtificati illius gratia hæredes efficeremur, iuxta ſpem uitæ æternæ, & cætera. Verùm reipſa quæ recenſet, non ad generalē philanthropiam, ſed ad ſpecialem ἐκλεκτόφιλίαν pertinēt: utpote, ſalus, regeneratio ac renouatio per Spiritum ſanctum, iuſtificatio, hæreditas uitę ætetnæ. Sunt enim iſta electorum tantùm, qui ſoli fiunt illorum participes.

QVINTA SPECIES DILECTIONIS DEI.

φιλαγαθία Dei.

DIximus hanc eſſe φιλαγαθίαν, qua bonos diligit, propterea quòd ſunt boni. Sic diligit hilarem datorem, 2. Corinthiorum nono. Voco autem bonos, iuſtos, probos, benignos, miſeres, clementes, miſericordes, &c. quos omnes, ut tales diligit, tanquam ueræ bonitatis amans,

amans, ipse omnium optimus. Nequit enim fieri, ut qui bonus est, non sit amans bonitatis, & propter hanc bonis impense delectetur: iuxta illud, Pares paribus congaudent.

An ex nobis sit causa, propter quam à Deo diligamur.

Sed dices: Ergo ex nobis offertur Deo causa, propter quam nos diligat, ut quòd diligimur ab illo, nostri sit meriti magis quàm ipsius bonitatis & gratiæ. Quomodo ergo dilexit nos nõdum natos? quomodo adhuc peccatores, & nihil minus quàm bonos? Et quomodo Apostolus philanthoprię Dei bonitatem præmittit, non nostram, sed ipsius: imò disertè dicit, Non ex operibus iusticiæ, quæ fecerimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit: si bonos diligit Deus, propterea quòd sunt boni?

Quomodo φιλάγαθος sit Deus.

Respondeo: Non sunt hæc sibi inuicem contraria. Dilectio Dei, per quam saluamur, causam habet non ex nostra, sed ex ipsius bonitate. Quare Apostolus consultò bonitatem illius præmisit, tanquam philanthropiæ causam, ne quid hic uirtutibus nostris possit adscribi. Principalis autem hæc & originalis dilectio Dei, quæ non est aliunde quàm ex ipsius bonitate, per quam boni reddimur, cum simus mali, haud impedit bonitatis in Deo ingenium, quo minus sit & φιλάγαθος, amans bonorum, quos ipse bonos per spiritum suum reddit. Etenim qui per infinitam suam bonitatem diligit nos sine causa, quomodo non adhuc amplius diligeret acceptа diligendi causa? Qui bonus est usqueadeò, ut diligat nondum bonos, quomodo non magis diliget factos bonos? Qui diligit adhuc impios, utiq; magis diliget pios. Qui diligit inimicos & abalienatos, quis credet eum non dilecturum amicos & domesticos? An non qui philargyrus est, etiam impurum adhuc argentum magnifacit? Quis dubitat autem illum non pluris facturum, si fuerit defecatum? Quare non est, ut uel propter incomparabilem philanthropiam Dei, cuius causa non est in nostra, sed ipsius bonitate, sicuti diximus, philagathiam in Deo negemus: frustraneumq; putemus, si bonitati ac iusticiæ studuerimus, uel propter philagathiam philanthropiæ gratiam, per quam solam saluamur, respuamus: ac salutis nostræ causas non illi, sed nostræ ipsorum iusticiæ tribuamus.

Simile.

Dilectio Dei erga nos bifariam considerանda.

Considerանda igitur nobis est dilectio Dei erga nos bifariam. Primò, quatenus diligit nos mera sua bonitate, nulla à nobis accepta causa, non modò ut opus manuum suarum, sed & ut homines, quos singulari præ cæteris creaturis amore prosequitur: neque ut homines tantùm, sed & ut electos, quos sibi nondum natos ante mundi constitutionem elegit, & per mortem unigeniti sui redemit, ac per gratuitam misericordiam iustificauit ac saluauit: in quibus omnibus nihil est prorsus quod nostrum sit, unde gloriari possimus: sed ut toti opus sumus manuũ Dei, ita & omnis nostra uita, omnis nostri conseruatio, redemptio, iustificatio & salus à gratuita illius dilectione pendet.

1. Fides philanthropiæ Dei omnem hæsitationem excludit.

1 Prior hæc philanthropiæ Dei consideratio, si sit seria & indubitata, ueroque ac uiuo illius sensu prædita: primùm omnem è cordibus nostris hæsitationem de salute nostra excludet, sic ut confidenter cum Apostolo dicamus: Quid ergo? Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed illum pro nobis omnibus tradidit, quomodo non etiã omnia nobis cũ illo donet? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus Iesus est qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Rom. 8.*

2 Inseparabiles à dilectione Dei reddit.

2 Deinde & inseparabiles nos à tam insigni dilectione Dei reddet, sic ut nullis quibuscunq; aduersis ab illa diuelli possimus, dicamusq; cum Apostolo: Quis ergo separabit nos à dilectione Dei? Tribulatió ne? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicuti scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnib. superamus, propter eũ qui dilexit nos. Certus sum enim, quòd neque mors neq; uita, neque angeli, neq; principatus, neq; uirtutes, neq; instãtia, neq; futura, neque fortitudo, neq; altitudo, neq; profundũ, neq; creatura alia poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

3 Reddit nos amantes Dei. 1. Ioan. 4.

3 Tertiò, uicaria quoque dilectione deuincet nos philanthropo Deo, ut diligamus ipsum uicissim toto corde, quò nos uocat & præceptũ ipsius, & Apostoli adhortatio, qui dicit: Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.

Fides philagathiæ Dei quid faciat in nobis.

Secundo loco cõsideranda nobis est dilectio Dei, quatenus diligit bonos, iustos, fideles, sibi morigeros, &c. non quòd non nisi tales, sed quòd tales adhuc amplius diligat. Hæc consideratio id in nobis efficiet, ut acceptam philanthropiæ Dei gratiam bene collocemus, ac studiosiores ad omne genus bonitatis, pietatis ac iusticiæ reddamur, scientes hoc à nobis potissimùm requiri, ut quo plura beneficia à Deo accepimus immeriti, imò malè meriti, idq; per solã ipsius dilectionẽ, hoc amplius gratificari illi, ac philagathię ipsius locum in nobis parare studeamus.

DE EO QVOD SCHOLASTICI DICVNT, NE*scire hominem, utrum amore uel odio dignus sit.*

QVoniam in hanc materiã incidimus, non possumus transire ad ulteriora, nisi Scholasticum illud inspiciamus, quo cõtendunt, nescire hominẽ Christianũ, dignúsne sit odio uel

uel amore Dei, sed id in futuro demùm seculo fore manifestum: quod dogma firmum esse pe-
Eccles. 9. tant ex capite nono libri Ecclesiastæ, ubi uetus translatio sic habet: Sunt iusti atq; sapientes & opera eorum, in manu Dei. Et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta. Hinc scilicet colligunt, neminem de gratia ac dilectione Dei, saluteq; sua certum esse posse, nisi ex speciali aliqua reuelatione, quæ perfectissimis cõtingat. Quàm sit autem dogma hoc alienum à ueritate, & quàm pernicioſum, uideamus: deinde & locum Ecclesiastæ inspiciamus.

Ex ueteri Testamẽto, quòd requirat à nobis Deus bonã erga se fiduciã.

Principiò testatur uniuersa Scriptura cum primis Deum hoc à populo suo requirere, ut fiducia erga se corde sincero, simulq; bona cum fiducia, non nisi optima sibi de gratia sua pollicentur. Hinc est illa fœderis certitudo, in quo se Deum populi sui, ac seminis ipsorum fore promittit, quo beneuolentiam suam illis, ac singularem dilectionem quàm certissimè testetur. Hinc tot sunt in sacris Scripturis promissiones, tot signa & prodigia, totque beneficia, quibus dilectionem suam illis quàm testatissimam facere uoluit. Vnde enim hæc omnia, nisi quia diligebat eos. In hoc enim toti sunt qui amant, ut dilectionem suam ijs quos amant, multis nominibus certam & indubitatam reddant. Et huius diuini amoris populum Dei admonet Moses, cum
Deut. 7. 32. Deuteronomij septimo dicit: Non quòd cunctas gentes numero uincatis, iunctus est uobis Dominus, & elegit uos, cum omnibus sitis populis pauciores: sed quia diligit uos Dominus & custodit iuramentum, quod iurauit patribus uestris. & cap. 32. Pars Domini populus eius & Iacob funiculus hæreditatis eius, &c. quem locum & suprà citauimus. Hinc erat assiduus ille Prophetarum labor & conatus, quo dilectionem hanc Dei Israeli inculcabant, unde pacis quoque subinde mentionem faciebant, & nonnunquam uinculum coniugale inter ipsum ac
Ezech. 16. Deum statuebãt, sicuti cernere est Ezech. 16. Et Esaias amorem Dei erga populum ipsius comparat amori matris, quo illa infantem uteri sui tenerrimè complectitur, qui omnium soleat esse
Esa. 49. fortissimus. imò extollit illum etiam præ isto, cap. 49. cum dicit: Nunquid potest mulier obliuisci infantis sui, ut non misereatur filij uteri sui? Et si illa obliuiscatur etiam, ego tamen tui nõ
Psal. 103. obliuiscar. Et Dauid Psalmo 103 comparat eum amori paterno, dicens: Sicuti pater miseretur filiorum suorum, ita miseretur Dominus timẽtium se: quoniam ipse nouit figmentum nostrũ.
Hoseæ. 11. Et Hoseæ capite undecimo Deus ipse populum suũ Israelem filium suum primogenitũ uocat. Vnde & quorsum hęc omnia, si Ecclesiastes hominem uult de dilectione Dei certum esse non posse? Credemus ne illum tot diuinæ dilectionis testimonijs repugnare uoluisse? Atque hæc de ueteri sint Testamento dicta.

Argumenta ex nouo Testamẽto, quòd diligamur à Deo.

Deinde, si noui Testamenti qualitatem ac conditionem respexerimus, Christiana fides & religio nihil minus feret, quàm hanc de dilectione Dei dubitationẽ. 1 Primò nanq;, quid est fides Christianorum? An non est firma hypostasis rerum sperãdarum, & euidẽs comprehensio rerum non apparentium, qua certò nos sanguine Christi redemptos, filiosque & hæredes Dei absq; ullis nostris meritis per solam gratiã ac dilectionẽ ipsius factos esse credimus? Si uerbis Christi credimus, credimus etiam sic Deum mundũ hũc dilexisse, ut filiũ suum unigenitũ pro nobis dederit. Ioan. 3. de qua dilectione in præcedentibus, quantum satis uisum est, diximus.

Fides.

Regeneratio.

2 Deinde, Christianus quid est, nisi homo spiritu Christi regeneratus? Qui nanque spiritum Christi non habet, hic non est eius, inquit Apostolus Romanorum octauo. Quomodo ergo Christianus de dilectione erga se Dei dubitare poterit, qui credit pro se datum esse illius unigenitum, quiq; spiritum Christi habet, cuius testimonio filiũ se Dei esse persuasus clamat, Abba pater? Quid obsecro sunt hæc omnia, si adhuc de Dei nobis est dilectione dubitandum? Quid restat adhuc, quo hanc nobis testatam facere debeat? Sit nihil quòd creauit, ac uitam tribuit, quòd alimenta largitur, quòd lucem hanc impertit, quòd tot donis cùm corporis, tum animi, fortunæ quoq;, cumulat immeritos. Sint, inquam, ista nihil. Quid est quòd perditos redemit, idq; per filium suum unigenitũ? Quid est quòd spiritum suum in nos effundit? Quid quòd in filios & cohæredes unigeniti sui adoptat? Quid quòd in filio suo nos ad dexteram suam collocauit, Ephes. 2. An hæc quoq; nihil esse dicemus?

Vicaria dilectio.

3 Tertiò, quomodo diligere Deum poterimus, si de dilectione illius erga nos dubitauerimus? Amor enim certis argumentis cognitus amorem allicit. Quis diliget eum ex animo, de cuius erga se dilectione dubitat? Est autem hoc nobis diuinitùs præceptum, imò in hoc ipsum est ueræ pietatis caput, ut Deum ex toto corde, tota anima, ac totis uiribus diligamus. Iam quorsum requirit hoc à nobis, ut se diligamus, si ipse nos non diligit? Quid inde ad ipsum redit utilitatis, uel gloriæ redire poterit, si à peccatoribus mille modis impuris diligatur? Quis regum à nihili hominibus diligi cupiat? Vnde ergo est, quòd diuina maiestas uult à nobis diligi, nisi ex eo quòd ipse nos prior diligit? Itaque ex hoc præcepto duplici nomine dilectio Dei erga nos declaratur. Primò, quòd nulla potest illius esse causa alia, quàm ipsa dilectio, qua nos diligit. Deinde, quòd nos ipsum nunquam ritè diligere poterimus, nisi dilectionis ipsius sensu permoti.

Sacramenta fidei Christianæ.

4 Quartò, quid de sacramẽtis fidei ac religionis nostræ dicemus? Quid illo sunt aliud, etiam patrum testimonio, quàm inuisibilis gratiæ uisibilia signa? Si gratia certa nobis esse non potest,

teſt, quorſum inſtituit ac dedit uſum ſignorum? Si dubitant pontificij de gratia Dei, quâ fidè infantes ſuos baptizant? Quomodo namq; credet puerum ſuum acceptum eſſe Deo, qui de gratia illius erga ſe dubitat? An' non hac fide infantes noſtros baptizamus, qua credimus non modò nos in Chriſtum credentes, ſed & liberos noſtros benedictionis Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu factos eſſe participes? Ad hæc, qua fide utemur ſacramento corporis ac ſanguinis Domini, ſi de dilectione ac gratia Dei dubitare cogimur? Vnde eſt quòd mortuus pro nobis eſt Chriſtus? Vnde quòd nos corpore ac ſanguine ſuo cibat in uitâ æternam? Vnde quòd acceptum panem ac poculum porrigens dicit: Accipite & edite, hoc meum eſt corpus, quod pro uobis tradetur: item, Accipite & bibite ex hoc omnes. Hoc poculum nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine, qui pro uobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum, niſi quòd nos de gratia Dei certiſsimos reddere conſtituit? Vnde eſt inquam, quòd requirit à nobis, ut memores ipſius de pane hoc & poculo ipſius communicemus, & mortem ipſius cum gratiarum actione deprædicemus? An' non hoc eſt amoris ingenium ut in recordatione cupiat eſſe apud eos quos impenſè amet? Quomodo gratias agemus redemptori, ſi de dilectione ac gratia illius dubitauerimus? Siue igitur uetus ſiue nouum Teſtamentum reſpexerimus, nihil aliud deprehendemus utrobiq;, quàm continuam & euidentiſsimam philanthropiæ Dei declarationem, qua nobis illius φιλανθρωπία multis ac uarijs modis proponitur: quæ ſic etiam à ueris Chriſtianis percipitur, ut non grauentur quicquid malorum undequaque propter illam infertur, conſtanti perferre tolerantia. Quare nihil apud illos poterit habere loci dubitatio iſta de dilectione Dei, quam tradunt Scholaſtici doctores.

Sed inquiunt: Non negamus eccleſiam Chriſti, quæ ſponſa, corpusq; & caro, & os de oſsibus illius eſt, certam de dilectione Dei erga ſe eſſe: ſed unumquenq; Chriſtianũ per ſe certum de illa non eſſe dicimus, niſi ex ſpeciali quadã reuelatione, puta per angelum, aut uiſionem, &c. Reſpondeo: Quomodo de dilectione Dei certa poterit eſſe eccleſia, ſi de illa quiſq; Chriſtianus dubitare cogitur? Quid eſt eccleſia aliud quàm corpus fidelium Chriſtianorũ, in quo membrum eſt quiſquis uere Chriſtianus eſt? Si ergo unumquodq; corporis huius membrũ de dilectione erga ſe Dei dubitat, unde totum de illa certum erit corpus? Quomodo credit ac certum eſt corpus, niſi in membris? Quomodo eccleſiã, corpus ſuum, diliget Chriſtus, ſi non diligit unumquodq; illius membrum? Quomodo ciuitatem ſuam princeps diligere dicetur, niſi omnes ac ſingulos illius ciues diligat? Et quomodo certa de dilectione principis ſui poterit eſſe ciuitas, ſi de illa quiſq; ciuis dubitare cogitur? Si dilectionẽ Chriſti, qua eccleſiã ſuam diligit, non poterit ſibi quilibet Chriſtianus certa & indubitata fide applicare: unde eſt ergo, quòd Paulus diſertè de ſeipſo dicit: In fide uiuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me? Non dicit, Qui dilexit eccleſiam: ſed, Qui dilexit me. Vnde ſciebat hoc? Et tradidit, inquit, ſemetipſum pro me, Hinc ſcilicet certus erat de dilectione erga ſe Chriſti. Non dicit, Tradidit ſemetipſum pro eccleſia ſua: ſed, Tradidit ſemetipſum pro me. Non colligit ex ſingularibus reuelationibus ac uiſionibus, quas in tertium cœlum raptus acceperat, ſed ex communi argumento, quo dilectio Chriſti communiter erga omnes fideles communi redemptione in cruce per mortem ipſius facta declarata eſt: ne dicant dubitatores iſti, Paulus erat apoſtolus, potuit ut Apoſtolus certis reuelationibus certus eſſe de gratia ac dilectione Chriſti, quod non poteſt ſimplex Chriſtianus. Non loquitur hic ut Apoſtolus, ſed ut Chriſtianus: & loquitur non ſecundum ſpecialem aliquam reuelationem, ſed ſecundum Chriſtianã fidem, qua credimus omnes, mortuum eſſe pro nobis unigenitum Dei. Sic enim dicit: In fide uiuo filij Dei, qui dilexit me, ac tradidit ſemetipſum pro me. Quare cum hoc dicit, non excedit menſuram eius fidei, quæ communis eſt fidelibus omnibus: ut prorſus friuolum ſit quod doctores non fidei, ſed dubitationis tradunt.

Obiectio, Eccleſiam quidẽ certam eſſe de dilectiõe Dei, ſed non unumquemq; Chriſtianum.

Exemplum Pauli. Galat. 2.

Citant pro ſe uerba Eccleſiaſtę, quæ ſuprà ex cãpite nono adduximus: quare uidendum eſt, quæ ſit illius uera cùm lectio, tum expoſitio, quæ Hebræo textui conueniat. ad hunc nanque recurrendum eſſe, ubi locus aliquis ueteris Teſtamenti in diſceptationem uenerit, etiam ipſi põtificiorum canones docent: ſicuti Diſtinctione nona, Canone, Vt ueterum, ex uerbis Auguſtini citatur. Hebræa autem ſic habent in calce capitis octaui, & principio noni: Et uidi omnia opera Dei, quòd nequeat homo inueſtigare rationem operum Dei, eorum quæ ſub ſole fiunt, & quòd laboret homo quærendo, & non inueniat: & quòd etiãſi diſſerat ſapiens ad cognoſcendum, inuenire nequeat. Quoniã totum hoc poſui in corde meo, ut inueſtigarem totum hoc (hic admodũ inconſultò terminarunt caput octauum) quòd iuſti, & ſapientes, & opera eorũ in manu Dei ſunt. חבל באשר לבל חבל לפניהם חכל אחבת גם שנאת אין ידע האדם בלסרה אוור לצדיק רל רשע לשרב רלשחור רלשבוא רלאשר איננו זובח: id eſt, Etiã dilectio, etiam odium, non nouit homo omnia ante eos (id eſt, quæ ante eos ſunt) unicuiq; ſicut unicuiq;, euentus unus & iuſto & impio, & bono, & mundo & immundo, ſacrificanti & non ſacrificanti, &c. Hæc textus Hebræus habet. Vnde manifeſtũ eſt, quòd in Latina uerſione, ueteri illa & uulgata legitur: Et tamen neſcit homo, utrũ amore, uel odio dignus ſit, ſed omnia in futurũ ſeruantur incerta, alienũ eſſe à uerbis & à mente Eccleſiaſtæ. In Hebræo namq; nõ

Locus Eccleſ. 8 & 9. explicatur.

est, Vtrum dignus sit amore uel odio: sed simpliciter, etiam dilectio, etiam odium, intelligi iustorum ac sapientum, in manu Dei sunt. Nec quod in Hebræo est הבל לפניהם, id est omnia ante eos, uel, in facie eorum idem est quod, Sed omnia in futurum seruantur incerta.

Græca quoq; nihil huius habent. Sic enim initio noni capitis legitur: ὅτι τὰ πάντα ἔδωκα εἰς τὴν καρδίαν μου, καὶ καρδία μου σύμπαντα ἔδωκε τοῦτο, ὅτι οἱ δίκαιοι καὶ οἱ σοφοὶ, καὶ οἱ ἐργασίαι αὐτῶν ἐν χειρὶ θεοῦ, καίγε ἔρωτα, καίγε μῖσος, οὐκ οἴδεν ὁ ἄνθρωπος πάντα τὰ πρὸ προσώπου αὐτῶν, καὶ τὰ πάντα: id est, Quoniam totum hoc uniuersum dedi in cor meũ, & cor meũ uniuersum hoc cognouit, quòd iusti & sapientes, & opera eorũ in manu Dei, etiam dilectio, etiam odium, non est homo cognoscens, omnia ante faciem eorum, & cætera. Quid, obsecro, hic quoque legitur, quod ad opinionẽ Scholasticorum & uulgatam Latinam uersionem faciat, quam concilium illud Tridentinum unicè retinendam esse censuit? Nihil prorsus, sed qui caput hoc totum uel obiter inspexerit, nihil aliud Ecclesiastem agere persuadereq; uelle deprehendet, quàm ut credamus omnia esse in manu Dei: nec aliquem esse hominẽ, quantumuis sapientem, qui eorum quæ sub sole fiunt, iustisque ac sapientibus, perinde atq; iniustis & immundis contingunt, certam poterit deprehendere rationem, sed omnia esse in manu Dei, etiam iustos ac sapientes pariter atq; opera eorum, etiã amorem & odium: id est, quæ uel amando persequunttur, uel odiendo auersantur. Sic quippe placuisse Deo, ut quæcunq; ad externam hanc uitam nostram, illiusq; fortem attinent, omnia pariter tam bonis quàm malis eueniant, & hanc ob causam fide cõfirmanda esse mortalium etiam sapientum & iustorum corda, quo credant se ac opera sua Deo placere, & quæcunque euenerint, boni consulant. Hinc est quod subijcit: Vade & comede cum lætitia panem tuum, & bibe iucundo corde uinum tuum, quia placent Deo opera tua. quasi diceret: Non est ut putes te ideo non placere Deo, quòd eadem tibi quæ peccatoribus & impijs accidunt, cum uitam hanc aliter comparatam non esse uideas, quàm ut eadem eueniant omnibus tam iustis quàm iniustis. Proinde bono esto animo, certus quòd interim Deo placeas, isq; rationem tui habeat, etiamsi certam eorum quæ sub sole fiunt, rationem inuestigare nequeas. Est enim hoc impossibile, & frustranei prorsus laboris opus, id quod ego reipsa sum expertus, certusq; redditus quòd nemo sit qui hic aliquid præstare possit, &c.

Hic locus stabilit etiam certitudinẽ gratiæ ac dilectionis Dei, tam abest ut illi deroget.

Hic est uerus ac germanus præsentis loci sensus, qui tam abest ut certitudini gratiæ ac dilectionis Dei quicquam deroget, ut illam magis etiam stabiliat. Huc enim Ecclesiastes totus incumbit, ut admoneat rationis humanæ captum in hisce rebus prorsus esse uanum, quo gratiæ ac dilectioni Dei certa fide adhæreamus, à qua forsan ea poterunt incautiores abducere, quæ pariter omnib. in hac uita accidunt. Quis est ergo satan ille sacræ Scripturæ depravator, qui illam in contrarium quoq; sensum inuertere studet, & ea ex uerbis illius elicit, quæ Spiritus sanctus mentibus fidelium data opera eximere satagit? Mirum uideri potest, unde uerso ista præsentis loci duplici nomine falsa irrepserit, in qua & Hebraica ueritas negligitur, & ea redduntur, quæ uel communi sensui probari non poterunt. Etenim etiamsi concederetur, nescire Christianum quòd certò diligatur à Deo, quomodo stare poterit illud, quòd nescire quoq; dicitur, utrum odio sit dignus? Quis nam fideliũ est, qui odio se dignum esse nescit, si iusto sit iudicio indicandus, & non fateatur indignum esse se qui diligatur à Deo? Sciunt ista sancti, & citra dissimulationem fatentur, tam abest ut ea nesciant. Fatentur autẽ ad commendationem bonitatis & gratiæ Dei, quàm experiuntur esse tantam, ut etiam odio dignissimos diligat, & amanter complectatur.

Sed consideremus dogma hoc dubitationis paulo accuratius, quod, meo iudicio, omnium est iniquissimum, ac Deo uehementer displicet. Ioannes in Canonica sua dicit, Deum esse dilectionem. Quis nescit autẽ, hoc esse ueræ dilectionis ingenium, ut qui diligit, ægerrimè ferat, si is quem diligit, diligi se dubitet? Nihil enim magis in uotis habet, quàm ut ille agnoscat se diligi. Deinde tot sunt beneficia diligentis nos Dei, ut inexcusabilis sit diffidentia, si dilectionem illius non agnouerimus. Quid enim aliud sunt illius præcepta, correptiones, promissiones, fœdera, incarnatio unigeniti, & nostri per sanguinem illius redemptio, quàm certissima quædam & euidentissima diuinæ philanthropiæ testimonia? Fuerit ergo operæpretium dubitationẽ hanc de dilectione & gratia Dei, quã in carne nostra sentimus, aliquousq; inspicere, ac uidere qualis sit, & unde proueniat.

DE CAVSIS DVBITATIONIS HVIVS.

Dubitationem hanc non esse ex Deo.

PLurimùm refert, quibus de causis dubitatio de dilectione ac gratia Dei in cordibus nostris nascatur. Videamus igitur, unde sit ea, quam in præsenti reprobamus. Ex Deo illam non esse, omnium est certissimum. Accidit quidem sæpenumerò, ut is de cuius dilectione ac beneuolentia erga nos hæsitamus, hæsitationis causas præbeat ipse, dum ea quæ dicit & facit, nullam habeant beneuolentię significationẽ. At in Deo longè aliter habet, qui omnium ueriss imè dicere potest: Quid debui uobis facere, quod non feci? Ex nobis ergo sit hæc dubitatio necesse est, & non ex Deo. Sunt autem causæ illius diuersimodæ.

1 Princi-

1 Principiò, ex eo nonnunquã naſcitur, quòd ex ignorantia uerbi Dei rationis humanę iudicium ſequimur, ita ut ex qualitate eorũ, quæ nobis in hac uita triſtia ſubinde accidunt, de uoluntate Dei erga nos iudicemus. Hic dicit ratio humana: Si diligeret Deus, cauiſſet ne in haſce tribulationes incideres: uel certè poſtquam in illas incidiſti, confeſtim ſuccurreret, & adflictum liberaret. Hinc ſunt tentationes carnis, ac ſatanæ quoq;, qui ad Chriſtum dicebat: Exiſtimas te eſſe filiũ Dei, & interim ab illo derelictus, nõ habes hic in ſolitudine quod edas. Si filius Dei eſſes, diceres lapidibus iſtis: Eſtote mihi panes, & cõfeſtim mutarentur in panes. Inſenſate, putas ne Deum filium ſuum quem diligat, in locis deſertis conſtitutũ ſic deſerere poſſe, ut non habeat unde uiuat, niſi uiuere uelit ex lapidibus? Sic impij occinebant in cruce pendenti: Si filius Dei eſt, deſcendat de cruce. Sperauit in Deũ: ſaluet eum, ſi dilectatur illo. Et Chriſtus ipſe tale quid ſentiens, clamabat in cruce: Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me? Et Dauid alicubi, Proiectus ſum, inquit, à facie oculorum tuorum. Huiuſmodi cogitationes in carne noſtra experimur frequenter, dum triſtia & aduerſa patimur, illisq; paulo diutius exercemur. Iam etiam atq; etiam cogita, ſi hæc accidunt ijs qui Scripturas ſacras philanthropiæ Dei erga nos teſtes & legunt & norunt, quomodo non multo accident amplius illarum ignaris, quibus neceſſe eſt humano tantum, uel ſuo, uel aliorum iudicio de uoluntate Dei erga ſe ſtatuere? Tentationi ſatanæ occurrit Chriſtus teſtimonio Sacræ ſcripturæ. Et Apoſtolus dicit: Quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinã ſcripta ſunt, ut per conſolationẽ ſcripturarũ ſpem habeamus. Quomodo igitur tentationibus huiuſmodi reſiſtere poterunt, qui prorſus ſunt Sacrarum ſcripturarum ignari? Quo ergo ſpiritu ducuntur doctores dubitationum, dum imperitæ plebi fidelium Sacrarum ſcripturarum lectionẽ competere negant? An non ſeruiunt hac in re peſsimo ſuo conſilio, quo dubitationem de gratia Dei in animis Chriſtianorum regnare cupiunt, quo in illa turpiſsimi quæſtus ſui materiam retineant, deq; incertis ac hæſitantibus Chriſtianis negocientur?

1 Ex ignorantia uerbi Dei eſt hæc dubitatio.

2 Deinde accidit, ut dubitatio hæc de dilectione & gratia Dei non ex ignorantia Sacrarum ſcripturarum, ſed ex incredulitate naſcatur. Neq; enim ſatis eſt ſcire, quid referant nobis de uoluntate Dei erga nos Sacræ ſcripturæ, niſi fides accedat, qua illis in omnib. indubitatò credamus. Qui hac deſtituitur, etiamſi omnes omnium Sacrarũ ſcripturarum ſyllabas numeret, ac memoriter recenſere queat, nihilo tamen magis de dilectione erga ſe Dei certus eſſe poterit, quàm ſi eas prorſus ignoret. Et qui hac incredulitate tenentur, ne Deum mendacij inſimulare uideantur, alias dubitationis ſuæ cauſas comminiſcuntur. Quis nos certos faciet, inquiunt, eſſe hæc per Moſen, Prophetas, Apoſtolos & Euangeliſtas conſcripta? Deinde, Etſi conſtet per eos eſſe ſcripta, quis fuit Moſes? qui Prophetæ? qui Apoſtoli? An non fuerunt homines perinde atq; nos? Vnde certificari poterimus eſſe uerbum Dei, quod ſcripſerunt? Ad hæc, Diu eſt quòd ſcripſerunt Moſes, Prophetę & Apoſtoli. Potuerunt illorum ſcripta tot ſeculorum decurſu corrumpi, ut iam nihil minus habeamus, quàm ſincera illorum exemplaria. Alij, Obſcura eſt, inquiunt, Sacra ſcriptura, non poteſt intelligi: deniq; aliter atq; aliter exponitur à doctis, ut nihil inde certi poſsit haberi. Huiuſmodi uoces expuunt hodie palàm ex illis nonnulli, qui dogma dubitationis obtrudunt eccleſijs. Belli homines. Exigunt, ut credamus patrum traditionibus ac ſcriptis, quòd illi dubio procul ex inſtinctu Spiritus ſancti ſcripſerint, & interim Canonicas ſcripturas in dubium uocant: quaſi nequeamus & nos, idque multo uerius dicere: Quis fuit Origines? Quis Chryſoſtomus? Quis Hieronymus? Quis Ambroſius? Quis Auguſtinus? Quis Gregorius? ut de Thoma, Scoto, Bonauentura, & cæteris taceamus. An non & ipſi homines fuerunt? An falli nequiuerunt? Qui ſunt Romani pontifices? An non homines peccatores? Vnde collecta ſunt concilia? An non ex hominibus? Item: Diu eſt quòd uixerunt iſti patres, & ſcripta illorum toties tranſcribendo, & inter tot contentiones & hæreſes corrumpi adulterariq; potuerunt. Adhæc: Plerunq; diſcrepantia ſcribunt, ac Sacras ſcripturas alij aliter exponunt. Verùm hæc nõ cogitãt illi, qui ut nos humano magiſterio ſubiectos illaqueent, magiſterium Spiritus ſancti, quòd in Scripturis ſacris habemus, ſubuertere conantur, dum eas uocant in dubium, quaſi non conſtet eſſe illas ex Spiritu ſancto: ac negant ineſſe illis lucem perſpicuitatis, ut auocati ab eis quouis humanarum opinionum, conſtitutionum ac traditionum uento, dubij ac fluctuantes iactemur. Quapropter ſum mopere orandus eſt Deus, ut contra uirulentas iſtorum hominum linguas, eccleſias ſuas in cognitione ueritatis, dilectionis ac gratiæ ſuæ conſeruet.

2 Ex incredulitate.

De illis qui Sacram ſcripturã in dubium uocant.

3 Tertiò, naſcitur etiam hæc dubitatio ex nimia conſideratione noſtræ ipſorum infirmitatis & indiſpoſitionis, qua ſubinde cogitamus: Licet non dubitem de ueritate promiſsionum Dei, quas habent Sacræ ſcripturæ, deq; Euangelio gratiæ Chriſti, & conſolationibus doctrinæ Apoſtolicę, ſed firmiſsimè credam mortuũ eſſe pro peccatis noſtris Chriſtum ſeruatorem mundi, & credentes in ipſum habere uitam æternam, eſſeq; illi reuerà dilectos: ubi tamen me ipſum inſpicio, quis ſim ego, quàm adhuc infirmus, quàm non ſatis idoneus ac diſpoſitus ad percipiendum hanc gratiã, quæ pœnitenti, credenti, diligenti, ac gratias agenti offertur, non poſſum non dubitare de dilectione Dei erga me. Neque enim aliter de me ſentire poſſum,

3 Ex nimia cõſideratione noſtræ infirmitatis.

quàm quòd nondum ſatis pœniteat me delictorum, nondum ſatis credam, diligam, &c. Quare quantum me ueritas promiſsionũ Chriſti ad hoc uocat, ut de dilectione illius erga me non dubitem, tantum propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis conſideratio dubium reddit & incertum, ſic ut perſuadere mihi nequeam, quòd me diligat. Hanc dubitationem de dilectione Dei confirmant doctores dubitationis, qui anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimoſeptimo, tredecima Ianuarij, ad hunc modum in ſynodo Tridentina concluſerunt: Sicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deq; ſacramentorum uirtute & efficacia dubitare debet: ſic quilibet dum ſeipſum, ſuamq; propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt, cum nullus ſcire ualeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſequutum. Hæc illi.

Tridentinum concilium. anno 1547.

Primò, Deo ſit gratia, quòd confitentur neminẽ pium de miſericordia Dei ac merito Chriſti dubitare debere. Vtinam hoc ex animo ac competenti diligentia docerent. Deinde, quòd ſubiungunt, quemlibet de ſua gratia, id eſt de gratia Dei erga ſe, formidare poſſe ac timere, ſi propriam infirmitatem & indiſpoſitionẽ reſpiciat: & ipſum pij experiuntur, quoties ſeipſos conſiderant, ut nihil hic ſit controuerſiæ, niſi forſan uerbum Poſſe, pro licere, & non pro poſſibile eſſe uſurpauerint. Poſsibile eſſe, ut id fiat, non negamus: licere uerò, non concedimus.

Tertiò, quòd autem ſubiungunt, Cum nullus ſcire ualeat, certitudine fidei ſe gratiam Dei eſſe conſequutum, uirus habet omnium perniciоſiſsimum, ac mendaciũ impudentiſsimum, niſi de ſeipſis hoc pronunciauerint, ut quod dicunt, Cum nullus: idem ſit, Quod cum nullus noſtrùm ſcire ualeat, &c. Etenim ſi conſideremus, quales ſint iſti, qui ſic à Romano pontifice coacti de fide Chriſtianorũ decernũt, quis ſit illorũ ſtatus, qui mores, & quę ſtudia uitæ, facilè credimus, non ualere eos certitudine fidei ſcire, quòd gratiam Dei ſint conſequuti. At homo uerè fidelis ac Chriſtianus, licet ſuijpſius conſideratione nihil addubitet indignũ eſſe ſe, qui à Deo diligatur, ac gratia illius potiatur, nec unquam firmum ſe & ſufficienter diſpoſitum eſſe dicat: fiducia tamen promiſsionũ Chriſti & teſtimonio Spiritus ſancti in corde ſuo confirmatus, haudquaquam diligi ſe à Deo, & in illius eſſe gratia dubitat. Neque enim certitudo iſta propria noſtra dignitate ac diſpoſitione, ſed infallibili Seruatoris noſtri bonitate, dilectione, gratia & ueritate nititur, quàm propriæ indignitatis conſideratio, plenaq; confeſſio tam non extinguit, ut magis ad laudẽ gratiæ Dei faciat, quæ tanta eſt, ut immeritos quoque, infirmos & indiſpoſitos complectatur.

Quàm pernicioſum ſit hoc dogma.

1 Confirmat fiduciã propriæ iuſticiæ.

2 Facit ad carnificinam conſcientiarum

3 Gignit deſperationem.

4 Syncritatẽ fidei ac dilectionis extinguit.

5 Infirmã reddit patientiam afflictionum.

Conſideratio propriæ infirmitatis certitudinem dilectionis Dei non extinguit.

Sed hactenus de cauſis, unde dubitatio iſta pleriſq; naſcitur, cuius dogma quàm ſit pernicioſum, nemo ſatis explicuerit. 1. Principiò, fomentũ adfert fiduciæ, quæ ſit ex propriæ iuſticiæ cõſideratione. Dum enim negatur, eos qui ſe nondum ſatis bene diſpoſitos eſſe conſiderant, ſcire non poſſe certitudine fidei quòd à Deo diligantur, quid aliud agitur quàm ut ij qui ſe bene diſpoſitos eſſe cum phariſæis cenſent, in fiducia propriæ iuſticiæ confimentur?

2 Deinde, miris modis facit ad carnificinã conſcientiarũ, quæ alioqui conſideratione propriæ indiſpoſitionis ſic fluctuant, ut nullo recto ac certo tramite in cauſa ſalutis ſuæ ingredi queãt, ſed alijs atq; alijs ſtudijs ad ſalutẽ nihil facientibus, omniũ miſerrimè fatigẽtur, atq; ita expoſiti ſint nundinationib. miſſarũ & indulgentiarũ, & quibuslibet hypocritarũ impoſturis.

3 Tertiò, occaſionem quoque ſubminiſtrat de propria ſalute deſperandi, atque ita deplorate in quolibet peccatorum genere uiuendi.

4 Quartò, omnem fidei erga Deum ac ueræ dilectionis ſyncritatem extinguit. Quæſo ſi perſuaſeris mulieri, incertam erga ipſam eſſe mariti ipſius dilectionem, quomodo fieri poterit, ut ſi de illa dubitet, ſincera ſit erga ipſum fide, ac coniugali amore prædita?

5 Quintò, quàm firma poterit eſſe homini Chriſtiano afflictionum pro nomine Chriſti ferendarum tolerantia, ſi de gratia & dilectione Dei dubitare cogitur? Et ubi moriendum eſt, qua fide cõmendabimus animas noſtras fideli Seruatori, de cuius gratia dubitamus? Quare ſummopere cauendum eſt perniciоſiſsimũ hoc dogma, malis artibus ad hoc concinnatum, ut turpiſsimæ pontificiorũ nundinationi ſeruiat in eccleſijs, ſicq; ſentiendum cõſtanter, propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis conſiderationẽ in electis ac ueris fidelibus fiduciam ac certitudinem dilectionis & gratiæ Dei non extinguere, ſed utraſq; inter ſe tam non eſſe contrarias, ut in eodem pio homine neceſſariò reperiantur, ac pulchrè cauſam ſalutis noſtræ adiuuent. Quàm enim infirmæ ac corruptibilis naturæ noſtræ reſpectu Chriſtianus nunquã non de futura corporis ſui reſurrectione dubitaret, ſi hanc ſolam reſpiceret, cum tamẽ omnipotentiæ ac ueritatis Dei fide certus cum Iob dicat: Scio quòd redemptor meus uiuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſus circũdabor pelle mea: & in carne mea uidebo Deũ ſeruatorem meum, &c. tam in hac cauſa non poterit quidem non timere ſibi, ac de dilectione & gratia Dei dubitare, quoties propriam ſuam indiſpoſitionẽ conſiderat. uerùm interim fide promiſsionũ bonitatisq; Dei, haudquaquã in illius ſe gratia eſſe dubitat. Omnino cõiungitur in homine Chriſtiano gratiæ ac dilectionis Dei fiducia, & propriæ infirmitatis agnitio, ſic ut neutra extinguat alterã. Dum igitur fiduciã gratiæ Dei reſpectu promiſsionũ illius certò apprehẽdimus, reddamur indignitatis noſtrę humiles ac grati diuinę bonitatis deprędicatores.

Vbi

Vbi ſenſu indiſpoſitionis noſtræ tangimur, & ad dubitandum de dilectione Dei ſolicitamur, queramur de illa ex animo in cõſpectu Dei, petamusq; ſupplices, ut ipſe nos ſpiritu ſuo fingat & formet. Et interim papiſticá hác dubitationẽ, tanquá peſtilentiſsimũ uenenũ fugiamus.

DE FALSA DILECTIONIS AC GRATIAE DEI perſuaſione, quæ fidelibus Chriſti non conuenit.

QVemadmodum noxia eſt papiſtica illa dubitatio, de qua hactenus diximus, ita & falſa dilectionis Dei perſuaſio ac præpoſtera ſecuritas pernicioſa eſt ac reprehendenda. Et huius quoque inſpiciendæ ſunt cauſæ, ex quibus naſci ſolet.

Vnde ſit falſa gratiæ Dei perſuaſio.

1 Prima eſt, ex terrenarũ rerum proſperitate, cuius nos reſpectu charos eſſe Deo iudicamus. Sic enim ratio humana colligit, diligi eos à Deo, quib. datur in hac uita, ut in bonis ducant dies ſuos cum diuite epulone. Contra hanc ſententiá Sacra ſcriptura multis in locis pugnat.

1 Ex terrena proſperitate.

2 Secunda, ex opinione quadam eſt de bonitate Dei ex Euangelij prædicatione, citra uerá fidem concepta. Et hæc inanis eſt, nihil habens ſolidi, nec tam firma ut tentationib. reſiſtere queat. De hac non loquimur, quando fiduciam fidelium defendimus, quæ ut eſt ex uera fide per Spiritum ſanctum cœleſtis gratiæ pignus & arrhabonẽ: ita eſt & ſolida, uiua & efficax, ſtudioq; pietatis, humilitatis, patientiæ & charitatis ornata. Quòd ſi inanem illam opinionẽ Tridentini Concilij dogmatiſtæ intelligunt, cum dicunt, Nemini fiduciam ac certitudinem remiſsionis peccatorum ſuorum iactanti, & in ea ſola quieſcenti, peccata dimitti uel dimiſſa eſſe, dicendum eſt: cum apud hæreticos & ſchiſmaticos poſsit eſſe, imò noſtra tempeſtate ſit ac prædicetur uana hæc, & ab omni pietate remota fiducia, damnamus eam & nos, uocamusque mortuam: tam abeſt ut prædicemus eam: nec negamus apud plures eam reperiri, quàm gloriæ Chriſti conducat. Si uerò de hac intelligunt, quam electorum & fidelium eſſe dicimus, & pro qua ſola pugnamus, uiderint miſeri quomodo tam inſignem philanthropiæ Dei contumeliam, in conſpectu eius qui charitas eſt, iudicij tempore diluant.

2 Ex opinione de bonitate Dei, ſine fide ex Euangelij prædicatione concepta

3 Tertia eſt, ex opinione propriæ iuſticiæ, & reperitur apud phariſæos & iuſticiarios, quorum uox eſt: Domine ago tibi gratias, quòd non ſum ſicut cæteri hominum iniuſti, &c. Hæc reuerà remota eſt à propriæ indignitatis reſpectu, neq; gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſolam φιλαγαθίαν illius ob oculos habent, cum boni non ſint, ſed mali & impij. Reddit iſta ſuperbos, arrogantes, hypocritas, & infirmorum contemptores.

3 Ex opinione propriæ iuſticiæ.

Commemoramus iſta, ut perſpicuum faciamus, non loqui nos de inani perſuaſione, quæ & apud Iudæos & Turcos, & phariſæos & hæreticos, & Epicureos quoq; huius ſeculi filios reperitur: ſed de uera illa & indubitata fidelis animi certitudine, quæ electorum tantùm eſt, ueraq; fide & teſtimonio Spiritus ſancti nititur, ſolaq; mundum hunc, carnem, & ſatanam uincit. Sed hactenus de philanthropia Dei dictum eſto.

DE MISERICORDIA DEI.

QVEMADMODVM in rebus creatis quæ in unaquaq; naturalia ſunt, miſerabili quadam connexione cohærent: ita id diuina quoque natura comparatum eſſe uidemus, ut quæ illi inſunt naturaliter, ſic ſint conglutinata, ut ſine ipſius naturæ læſione ac diminutione, nihil illorum tolli poſsit. Sic fit, ut miſericordia, de qua dicturi ſumus, à bonitate ac philanthropia Dei, ſine naturæ illius iniuria ſeiungi nequeat. Vt enim natura bonus eſt & philanthropos, ita eſt & miſericors, clemens & propitius: quare ſicuti bonum eſſe fatemur, ſic miſericordem eſſe fateamur neceſſe eſt.

Miſericordia eorum eſt quæ naturaliter ſunt in Deo.

MISERICORDIA QVID SIT.

VOx Miſericordiæ in ualle hac miſeriarum & calamitatum notior eſt & uſitatior, quàm ſit illius uerus & germanus uſus, præſertim noſtra hac ætate, in qua dilectionis & miſerationis affectus mirum in modum rareſcit.

Definitio miſericordiæ.

Cicero alicubi miſericordiam definit dolorem animi, & ægritudinem de alterius miſeria conceptam, & ad ſuccurrendum propenſam.

Cicero.

Et Seneca in libro de Clementia: Miſericordia, inquit, eſt ægritudo animi ob alienarũ miſeriarum ſpeciẽ, aut triſticia ex alienis malis concepta, quæ accidere immerentibus credit.

Seneca.

Et Auguſtinus lib. 9. de ciuitate Dei, cap. 5. Quid eſt autẽ miſericordia, inquit, niſi alienæ miſeriæ quædam in noſtro corde compaſsio, qua utiq;, ſi poſsimus, ſubuenire compellimur? Et libro primo de Moribus eccleſiæ, cap. 27. Nam quis ignoret, inquit, ex eo appellatá eſſe miſericordiam, quòd miſerum cor faciat cõdoleſcentis alieno malo? Sic cõmuniter definiunt miſericordiã, quæ eſt omnino, intus in corde aliena miſeria tangi & affici. Hebræi miſericor-

Auguſtinus.

diam uocant רחם. Significat autem ea uox propriè uterum, quàm ideo transferunt ad misericordiæ significationem, quòd præcordia eorum qui alienæ miseriæ aspectu tanguntur, commiserationis affectu commoueri solent.

II. ESSE DEVM MISERICORDEM.

De misericordia Dei nõ solum priora, sed et hoc præsens seculum testatur.

DE misericordia Dei innumera extant testimonia, non modò priorum seculorum, sed & præsentis in quo uiuimus: cuius tanta est malicia, ut omnium ueracissimè dixerit, Misericordiæ Domini, quòd non consumimur. Etenim quomodo staret uno die præsens hic mundus, nisi per misericordiam Dei tam enormibus flagitijs ac sceleribus passim obtinentibus parceretur? Verùm permittamus hanc misericordiæ Dei consideratione illis hominibus, qui in oculos habent uidendi & corda intelligendi: & uideamus, propter imperitos res, quæ in Sacris scripturis de misericordia Dei habeantur testimonia.

Test. Scripturæ de misericordia Dei.

Exo. 34. Deu. 4. Psalm. 78. 86. 103. 111. 115.

Principiò, misericordem esse Deum testatur Moses, cum Exod. 34 dicit: Dominator Domine Deus, miserator & clemens, patiens & multæ miserationis, &c. Et Deut. 4. Quia Deus misericors, Dominus Deus tuus est, non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliuiscetur pacti, &c.

Deinde testatur & Dauid Psal. 78. Ipse autem misericors est, inquit, & propitius fuit peccatis eorũ, & nõ disperdidit eos. Et Psal. 86. & 103. dicit: Miserator & misericors Dominus longanimis & multum misericors. Non in perpetuũ irascitur, &c. Item: Quemadmodũ miseretur pater filiorum, sic miseretur Dominus timentium se. Et Plal. 111. Memoriam fecit mirabilium suorũ misericors & miserator Dominus. Et Psal. 115. Misericors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur. Et Psal. 145. Miserator & misericors Dominus, patiẽs & multum misericors. Suauis Dominus uniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.

Obseruet Lector, quanti fecerit Dauid elogium illud misericordiæ Dei, quod Moses protulit. Nam illo tertiò usus est in Psalmis, utpote Psal. 86. 103. & 145. Et uix est alius quisquam, qui tanta cum fiducia ac toties misericordiam Dei implorauerit.

Hier. 32. Ioel. 2. Ionæ 4.

Tertiò testantur idem & Prophetæ, ut Hieremiæ capite 32. cum dicit: Non erit tibi difficile omne uerbum, qui facis misericordiam in millibus. Et Ioelis capite 2. Conuertimini, inquit, ad Dominum Deum uestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, &c. quibus uerbis usus est & Ionas cap. 4. dicens: Scio enim, quòd tu es Deus clemens, & misericors, & patiens, & multæ miserationis. Sic uerba Mosis, quibus misericordiã Dei populo suo irascentis, implorauit dicens, יהוה יהוה אל רחום וחנון ארך אפים ורב חסד ואמת, piorum, sanctorũ, & Prophetarũ mentibus infixa fuerunt, ut uterentur illis, cum maximopere ad misericordiam Dei confugerent: qua in re utique & nobis præscribitur, qui multo ampliùs quàm illi gratia misericordiæ Dei opus habemus.

2. Cor. 1. Eph. 2. Tit. 3.

Quarto de misericordia Dei testatur & Apostolus, ubi 2. Corinth. 1. uocat illum patrem misericordiarum, ac Deum omnis consolationis, & Ephes. 2. diuitem in misericordia: & Tit. 3. de illo prædicat, quòd nos secundum misericordiam suam saluos fecerit.

Luc. 6.

Quintò, & Christus unigenitus Dei, an non & ipse de misericordia Dei testatur, cum Luc. 6 dicit: Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est?

Exod. 20. 22.

Sextò, quasi non sufficiant hæc testimonia sanctorum, Deus ipse quoque misericordem esse se prædicat, cum Exod. 20 misericordiam se facere dicit in mille generationes, & cap. 22. ubi sic dicit: Si pignus à proximo tuo acceperis uestimentum, ante solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum quo operitur indumentũ carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat. Si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. Et Esaiæ 58. Tunc inuocabis, inquit, & Dominus exaudiet te: clamabis, & dicet, Ecce adsum, quia misericors sum Dominus Deus tuus. Et Hierem. 9. Quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, &c.

Esa. 58. Hier. 9.

Hisce & alijs consimilibus Sacrarum scripturarum testimonijs abundè satis certus redditur homo fidelis de misericordia Dei, quamuis certis etiam experimentis non modò erga alios, sed & erga ipsum expressis, omnium certissimè persuadetur, esse Deum natura sua benum, philantrhopum, misericordem, mitem, clementem & propitium.

III. QVOMODO DEO CONVENIAT misericordia.

Stoici misericordiam non uirtutẽ, sed uitium esse censent.

VBi misericordiam definimus, compassionem cordis de aliena miseria conceptam, quæri poterit, quomodo possit Deo tribui quòd sit misericors, cum eiusmodi passio, dolor, tristicia & ægritudo mentis, locum in ipso non habeat? Stoici, è quibus est & Seneca, ne homini quidem, si sapiens sit, affectum misericordiæ tribuunt, nedum Deo. Censent enim misericordiam non esse uirtutem, sed uitium animi.

Quemadmodũ, inquiunt, religio deos colit, superstitio uiolat, ita clementiã manſuetudinemq; omnes boni præstabunt, misericordiam autẽ uitabunt. Est enim uitium pusilli animi ad spe-

ad ſpeciem alienorum malorum, ſuccidentis. Itaq; peſsimo cuiq; familiariſsima eſt. Anus & mulierculæ ſunt, quæ lachrymis nocentiſsimorũ mouẽtur: quæ, ſi liceret, carcerẽ effringerẽt.

Miſericordia, non cauſam, ſed fortunam ſpectat: clementia rationi accedit. Miſericordia, eſt ægritudo animi, aut triſticia ex alienis malis concepta: ægritudo autem mentis in ſapientem uirum non cadit. Serena enim eius mens eſt, nec quicquam incidere poteſt quod illam obducat. Nihil æquè hominem, quàm magnus animus decet. Non poteſt autem magnus animus eſſe idem, ſi metus & mœror contundit, ſi mentem obducit & contrahit. Item, Sapiens prouidus eſt, & in expedito conſilium habet. Triſticia autem mentem conturbat, ideoque inhabilis eſt ad diſpiciendas res, ad utilia excogitanda, ad periculoſa uitanda. Ergo ſapiens non miſeretur, quia & ſine miſeria animi facit cætera omnia, quæ faciunt qui miſerentur. Ad hunc modum & Ageſilaus Lacedæmoniorum rex ſentiebat, cum diceret: Quàm difficile eſt ſimul miſereri & ſapere. Sic de ſapiente ſuo diſputant Stoici, quem omnibus uerę humanitatis affectibus exuunt, indignumq́ue ducunt, in quo, cum homo ſit, humanæ miſeriæ ſenſus, & elati animi demiſsio locum habeant. Iam ſi miſericordia ſic eſt comparata, ut mentem contriſtet, conturbet, deijciat, doloreq́ue & ægritudine miſeram, uel certè miſeriæ uicinam reddat, ideoq́ue iuxta Stoicorum ſententiam locum in homine ſapiente non habeat, quæritur, quomodo Deo poſsit competere.

Dictum Ageſilai Lacedæmoniorum regis.

Reſpondeo: Quod miſericordiæ definitionem attinet, qua dicunt eſſe eam ægritudinem ac triſticiam cordis, de aliena miſeria conceptam, unde quæſtio hæc naſcitur: meo iudicio, non eſt illa ſic firma, ut ſi uox ipſa conſideretur penitius, alia illius definitio poſni non poſsit. Etenim ſic poſſum definire miſericordiam, ut non includat triſticiam & ægritudinem, de aliena miſeria conceptam, ut idem ſit quod ægricordia uel triſticordia, ſed ipſam miſerorum ac calamitoſorũ miſeriam cordi nobis eſſe ſignificet, non ut corda noſtra miſera & calamitoſa reddantur, ſed ut ſecundum Prophetæ ſententiam, intelligamus ſuper egenos, pauperes, miſeros & afflictos, & ad ſuccurrendum illorum miſeriæ permoueamur. Si medicum ad curandum ægrotos propenſum uoces ægricordem, quis adeò deſipit, ut inde colligat, ægricordiam eſſe triſticiam cordis, de ægritudine infirmorum conceptam, & non magis curam ac ſtudium animi ad curandum ægrotos impenſe dediti, ut ægricors medicus ſit, cui ægroti ſint cordi, etiamſi non ſic perturbetur animo, ut liquido ac ſereno illius amiſſo uidere non poſsit, quæ curandis ſint ægrotis utilia, & quæ non ſint. Si hominem, cui cordi ſit pupillorum cura, uoces pupillicordem: an mox pupillicordiam, triſticiam & perturbationem cordis de miſeria pupillorum conceptam definiemus, & non magis curam cordis, ad prouidendum pupillorum neceſsitatibus propenſam? Conſimili modo planè miſericordiam ſic definire poſſumus, ut non triſticiam & perturbationem cordis de aliena miſeria conceptam: ſed miſeriam miſerorum cordi nobis eſſe ſignificet, etiamſi ἀπάθειαν illa, ſerenitatem ac tranquillitatem cordis perturbantia non accedant. Vnde reuerà miſericors poteſt eſſe uir humanus ac ſapiens, ſic ut omnia miſericordię officia miſeris impendat, etiamſi ab omni ſit cordis miſeria alienus. Quid ergo impedit, quo minus Deum ſic uocet Scriptura miſericordem, ut haud tamen miſerum propterea tribuat illi cor, ut nulla ſit neceſsitas negandi miſericordiam in Deo, ne cor illi miſerum tribuere uideamur?

Reſpondetur Stoicis.

Definitio miſericordiæ.

Hæc certè de miſericordiæ definitione ueraciter cogitari queunt. Cæterùm quod ipſius naturam & operationem attinet, quam in corde humano exerit, in quo plerunq; triſticiam & compaſsionem excitat, non eſt ea ad Deum transferenda: quemadmodum non mox omnes affectus & operationis dilectionis, quibus locus eſt in corde humano, Deo competunt, cum tamen ſic illi dilectio tribuatur, ut ipſa dicatur eſſe dilectio, qua de re ſuprà loco præcedenti quædam annotauimus, quæ huc quoq; facere poſsunt. Tribuitur Deo ira quoq;, & zelus & odium, non quatenus iſta perturbationem mentis adferunt hominibus, ſed quatenus ille iuſticia eſt & potentia ad uindicandũ præditus. Diuinę naturæ ac maieſtati nulla uerba propriè congruunt, ſed quæcunq; de illa prædicantur, uicina magis ſunt quàm propria. Quare non eſt religioſi hominis uoces Sacræ ſcripturæ, quas Deo tribuit, diuexare, & ad proprietatem ipſarum, quam habent in affectibus & rebus humanis, exigere.

Diuinæ naturæ nulla uerba propriè congruunt.

In ſumma, cum legimus in Scripturis, eſſe Deum miſericordem, cogitandum nobis eſt non de triſticia ac perturbatione cordis, ſed de fructibus miſericordiæ, quibus miſeris ſuccurritur: ad quos etiam Scriptura reſpicit, dum miſericordiam Deo tribuit. Sic ubi Deo datur ira, odium, zelus, &c. de uindicta, quæ iuſticiæ Dei conuenit, cogitemus, nobisq́ue peccantibus timeamus. De eo uerò quod Stoici miſericordiam dicunt eſſe non uirtutem, ſed uitium animi triſtis, puſilli ac deiecti: dicturi ſumus magis in loco, ubi dicendum erit de miſericordia noſtra, quam erga miſeros & calamitoſos declarare debemus.

Quibus cauſis corda mortalium ad miſericordiam permoueantur.

VNDE SIT IN DEO MISERICORDIA.

MIſericordia hominis erga miſeros & calamitoſos, alijs atq; alijs ex cauſis naſcitur. Reperias qui naturali quadã puſilli animi procliuitate, facilè ad alienæ miſeriæ cõſpectũ,

Prouerb. 19. Homo indigẽs misericors est.

misericordiæ affectu tangantur, & ad compassionem permoueantur. Deinde sunt qui ex eo misereantur afflictorũ, quòd ipsi quoque calamitatibus & ærumnis nonnihil exercitati fuere. Sic illa dicebat: Non insueta mali miseris succurrere disco. Qui exilij molestias aliquando expertus est, facilè miseratur exules: qui aliquando uinculis irretitus fuit, in promptu habet, ut uinctis compatiatur, &c.

Tertiò, sunt qui propinquitate sanguinis ad misericordiam erga cognatos afflictos permoueantur, aliàs non ita procliues ad condolendum quibuslibet miseris.

Vnde non sint, & unde sint Deo miseratio num causæ.

Quartò, mouentur nonnulli ad misericordiam consideratione uel ætatis, uel personæ, uel fortunæ, magis quàm consideratione calamitatis in se. Sic uariæ sunt causæ, quibus ad affectum misericordiæ permouentur corda mortalium. In Deo autem quæ sint, non immerito quæsierit quisquam, si maiestatem illius omnium excellentissimam, omnium iustissimam, & omnium felicissimã consideret. Quòd homo hominis afflicti miseretur, nihil habet insolentiæ. Etenim eadem utrobiq; natura est, eadem naturæ conditio, fragilitas, humilitas, & communis totius uitæ miseria, & ingenij deprauatio. Verùm quid homini cõmune est cum Deo? Nihil prorsus. Ille excellentissimus, nos humillimi: ille iustissimus, nos peccatores sumus: ille per omnia felix, nos infelices, ac multis nominibus miseri. Nulla igitur misericordiæ causa Deo est, quæ sit in cõmunicatione eiusdem nobiscum naturæ, conditionis, uitæ ac fortunæ, cum ubiq; infinito discrimine ab illo uariemus. Et tamen usqueadeò misericors est, ut dedecetur etiam misericordia magis quàm sacrificio. Reliquum igitur est, ut quo amplior est in Deo misericordia, quàm sit in hominum cordibus, & quo minus locum in illo habent commiserationis humanę causæ, hoc euidentius sit nullã aliã esse illi misericordiæ causam, quàm incomparabilem naturæ bonitatem, ad quam loco præcedenti philanthropiam quoq; illam retulimus. Quare Apostolus ad Titũ 3. cum misericordiam Dei cõmendare uellet, per quam saluamur, præmisit illi bonitatẽ, dicens: Vbi autem bonitas & philanthropia apparuit Seruatoris nostri Dei, non ex operibus iusticiæ, quæ fecerimus nos: sed secundum misericordiam suã saluos nos fecit. quibus uerbis satis indicat, quòd philanthropos est Deus & misericors, non esse ex eo quòd causam diligendi nos ac miserandi habeat ex nobis, sed ex sola diuinæ naturæ bonitate. Sic & Propheta propitiationem & misericordiam Dei implorans, de bonitate illius præmittit, dicens: Quoniam tu Domine bonus es, & propitius, & multæ misericordiæ, Psal. 86. Et Psal. 100. Quoniam bonus Dominus, inquit, in seculum misericordia eius.

Quoties igitur misericordiam Dei siue in nobis, siue in alijs experimur, agnoscamus illius bonitatẽ, fateamurq; declarari, quàm sit bonus Deus, non quàm simus nos iusti ac boni.

Deinde, summa cum admiratione stupendam diuinæ bonitatis efficaciam celebremus, cui uni debemus, quòd excellentissima illa maiestas, iusticia, felicitas ac potentia, usque ad corruptibilis puluueris commiserationẽ sese demittit. Da regibus bonitatis huius ingenium, tanto erunt misericordiores, quanto sunt potentiores.

QVAE SIT OPERATIO MISERICORDIÆ DEI.

Ex ingenio humanæ misericordiæ, facilè est de diuina sumere iudicium.

QVoniam misericordia Deo per anthropopathiã tribuitur, quemadmodũ & dilectio, consequens est ut operationẽ eius ad naturam misericordiæ humanæ metiamur, & secundum illius ingeniũ de ingenio misericordiæ diuinæ sentiamus. Haud quidem abundantiam misericordiæ Dei, quæ humana est misericordia, adæquare poterit, cuius ne millesimam quidẽ partẽ assequitur: interea tamẽ ex consideratione illius facilè intelligimus, quid de misericordia Dei polliceri nobis, & quanta ad illam cũ fiducia confugere debeamus. Et hæc potissima ratio est, propter quam Sacra scriptura de Deo humano more loquitur. Cognitum nobis est, quod sit ingenium hominis boni, diligentis, miserentis, &c. scimusq; quid ex eo qui talis sit sperare ac petere possimus, & quàm debeamus illum amanter complecti, habereq; in precio. Transfert igitur Spiritus sanctus hasce bonitatis, dilectionis & misericordiæ uoces ad Deum, prædicans eum esse bonũ, diligentẽ & misericordẽ: ut multo adhuc amplius in illo quæramus, quæ ad ingenium bonitatis, dilectionis & misericordiæ pertinere scimus. Si uideris hominem singulari bonitate benignum, mitem, clementem ac misericordem erga omnes, nemini durum, humanum omnibus, ignoscentem facilè, tribuentẽ ac succurrentem egenis, consolantem tristes, pascentẽ famelicos, uestientẽ nudos, & erga inimicos quoque beneficum: an non in promptu est, ut huiusmodi misericordiã multo credamus esse amplius in Deo, quoties illum Scriptura nobis misericordem esse prædicat? Quid in Deo operetur misericordia, doceat nos illius efficacia, quam in corde humano ostendit.

Loquor aũt non de eo, quòd frequenter reddit animũ hominis tristem, & alienis miserijs compatientẽ, unde nihil cõmodi redit ad miseros & afflictos: sed de fructibus illius, quibus miserorũ calamitatib. succurritur, quã efficaciam suprà in definitione illius, expressimus: quo diximus eam idẽ esse, quod alienã miseriã esse nobis cordi, quo illi pro uiribus subueniamus.

Si qua

Si quæramus de operibus diuinæ miſericordæ, horũ nullus prorſus eſt numerus, quẽadmodũ nec miſeriarũ noſtrarũ, calamitatũ, afflictionũ, egeſtatũ, neceſsitatũ, &c. Quare de illis non eſt ut quæramus, ne quod infinitum eſt, in anguſtiam rerũ finitarum redigere conemur.

Qualis ſit operatio miſericordiæ Dei.

Qualis uerò ſit illius operatio, rectè quæritur, & facilè intelligitur. Ipſa hoc miſericordiæ uox ſatis indicat, ſi rectè definiatur. Miſeriam alienam inſinuat cordi, redditq; nos ad ſuccurrendum miſeris propenſos. Hæc eſt illius uis & operatio. Quid autẽ eſſe poterit in omnibus noſtris uiribus, facultatibus & fortunis, quod non ſeruiat miſericordiæ, ubi illa cor noſtrum corripuerit, & ad ſuccurrendum miſeris permouerit?

Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.

Cum Chriſtus diceret, Vbi theſaurus tuus eſt, ibi eſt & cor tuum: quid aliud dicere uoluit: quàm, ibi erit omnis cogitatio, omnis cura ac ſolicitudo, imò omnis uita tua? Et cum præciperet Deus populo ſuo Deut. 6 dicens: Diliges Dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis: eruntq; uerba hæc quæ ego tibi præcipio hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atq; conſurgens, &c. an non ſatis euidenter admonuit, quantum referat, num ea quæ præcipit, cordi nobis ſint uel ſecus: & quòd, ſi cordi fuerint, omnes noſtras uires, cogitationes, meditationes ac ſtudia, ad obſeruantiam ſui occupent & conſtringant.

Sedes enim omnium totius uitæ noſtræ meditationum ac ſtudiorum, in corde eſt. Cum ergo uirtus hæc ſit miſericordiæ, ut miſeriam miſerorum cordi miſerentis inſinuet, quis non uidet, quæ ſit illius & quàm efficax operatio? In homine quidem illa perfecta non eſt, propter uirium illius defectum: unde fit ut maiori ex parte in affectibus tantùm hæreat, & ubi efficaciter miſeris ſuccurrere non poteſt, miſerentis animum triſtem reddat, & lacrymas prouocet: in Deo autem perfecta eſt, & perfectam efficaciam declarat, quia non inuenit in illo unde impediatur. Sed hactenus de operatione miſericordiæ.

QVORVM MISEREATVR DEVS.

Teſtimonia Scripturarum, quorũ miſereatur Deus.

SI conſulamus Scripturas, miſeretur Deus quorũ uult, & quem uult indurat, Rom. 9. miſeretur ſeruorum ſuorum, Deuter. 32. miſeretur timentium ſe, quemadmodum filiorum ſuorum miſeretur pater, Pſal. 103. miſeretur pauperum ſuorum, Eſaiæ 49 miſeretur conuerſorum ac reſipiſcentium: ſic miſertus eſt Niniuitarum, Ionæ 3. miſeretur ſperantium in ſe, ſic Pſal. 31 dicit Propheta: Sperantes autem in Dominum, miſericordia circumdabit. miſeretur inuocantium ſe. ſic Pſal. 86 canit Dauid: Multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te. miſeretur eorum qui per ignorantiam errantes peccant. ſic Apoſtolus 1. Timot. 1 dicit. Miſericordiam conſequutus ſum, quia ignorans feci.

An Deus non miſereatur omnium.

Quid igitur? An non miſeretur omnium? Certè huiuſmodi ſpecificationes, quibus miſereri dicitur quorum uult, & nominatim ſeruorum ſuorum timentium ſe, reſipiſcentium, ſperantium, inuocantium, & ignorantium, uniuerſalem miſericordiam, qua miſereatur communiter omniũ, excludere, & tantopere in Scripturis cõmendatam diuinæ naturæ bonitatẽ & miſericordiam, ad paucos quoſdam aſtringere uidentur. Quid ergo dicemus ad hoc, quòd ſupra cauſam illius incomparabilem diximus eſſe naturæ diuinæ bonitatem, qua fit ut natura ſit miſericors? rectè ne miſericors uocatur, qui non omniũ miſerorum comuniter pro naturę ſuæ bonitate, ſed quorundã tantùm ſpecialibus de cauſis miſeretur? Non puto. Quemadmodum enim bonitatis elogium non meretur, qui non eſt natura bonus erga omnes, ſed per occaſiones erga quoſdam tantùm: ita ſanè admodum immeritò miſericors uocatur, qui non miſeretur omnium, ſed eorũ tantùm quos ſingulares ob cauſas quæ magis in illis quàm in ipſo ſint, amanter complectitur. Qui miſeretur iuſti, propterea quòd iuſtus eſt, & iniuſti, propterea quòd iuſtus non eſt, non miſeretur: cauſam miſerendi habet, non naturalẽ bonitatẽ, ſed philagathiam, ad quã aliena uirtute mouetur. Quarẽ admodũ incõueniens uidetur hoc tribuere Deo, quòd non omniũ communiter, ſed quorundã tantùm miſereatur, quos ſingulari fauore propter ipſorũ uel innocentiam, uel iuſticiam, uel uirtutem proſequatur; cum omnino ſit natura miſericors ac multæ miſerationis, & non tantùm φιλάγαθος, ſed & φιλάνθρωπος.

Rom. 11. Cõcluſit Deus omnia ſub peccatũ, ut omniũ miſereatur.

Accedit & illud, quòd Apoſtolus Rom. 11 dicit: Concluſit Deus omnia ſub peccato, ut omnium miſereatur. Quomodo omnium, ſi quorundam tantùm miſeretur? Verùm abſit, ut negemus Deum eſſe naturæ bonitate miſericordem & philanthropon, & Apoſtolum falſo hoc de illo ſcripſiſſe dicamus. Quoniã natura miſericors eſt, & amans humani generis, conſequitur, quòd hactenus etiam miſereatur omnium, non iuſtorũ tantùm, ſed & iniuſtorũ: iniuſtorum inquam, non quatenus ſunt iniuſti, ſed quatenus miſerabiliter ſunt miſeri. Abſit enim & hoc, ut dicamus Deum æqualiter & indiſcriminatim per omnia miſereri quorumuis.

Diſcretio miſericordiæ Dei.

Quærenda eſt igitur aliqua diuinæ miſericordiæ diſcretio, non ut aliquã quæ non ſit, comminiſcamur: ſed ut eam quæ reuerà eſt, inueniamus. Non puto autẽ præter ueritatem fore, ſi dicamus miſericordiam Dei eſſe alio atq; alio reſpectu generalem, ſpecialem, temporariam & ſempiternam, ut rectè dicatur miſereri omnium, & non omnium, idq; diuerſimodè.

Miſeri

Generalis misericordia Dei. Misericordia Dei generalis est, qua generaliter omnium non hominum modò, sed & bestiarum: non iustorum tantùm, sed & iniustorum necessitatibus succurrit. Ad hanc pertinet quod Christus dicit: Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est. Loquitur enim de misericordia, qua solem producit super malos & bonos, & pluit super gratos & ingratos.

Specialis. Specialis est, qua miseretur iustorum innocentum ad se clamantium, opemq; ipsius implorantium, & qua peccatis resipiscentium ignoscit.

Temporaria. Temporaria est, qua delinquentibus parcit ad tempus, quo resipiscant. Et sic dicitur non misereri, ubi non parcit, sed flagellat.

Sempiterna. Sempiterna est, quæ salutem æternam concernit, qua miseretur electorum, non eligendo tantùm, sed & regenerando, iustificando, & glorificando: cuius meminit Apostolus Ephes. 2. dicens: Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo Iesu, ut ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ, &c. Et hæc sempiterna ac suprema misericordia nonnunquam temporariam excludit, dum corripit fideles delinquentes, ac flagellat ad tempus, ne cum hoc mundo damnentur, 1. Cor. 11.

Cum ergo deprehendamus in Deo misericordiam non modò specialem, sed & generalem non solùm temporariam, sed & sempiternam, planè non relinquitur ulla causa, propter quam in quæstionem uocari debeat, sit ne natura misericors, qualis nobis in Scripturis proponitur. Nec est ulla creatura, quæ misericordia illius, pro sua conditione destituatur.

Non debet discretio misericordiæ Dei confundi. Est autem etiam atque etiam cauendum, ne discretionem hanc misericordiæ Dei confundentes, uel eam quæ specialis est & sempiterna, communem ac generalem faciamus, ut pertineat ad omnes, incidamusq; in errorem hæreticorum misericordiatarum, qui argumento misericordiæ Dei contendebant neminem posse in sempiternum perire, propterea quòd misericordia Dei tanta sit, ut ferre non ualeat æternam cuiuscunq; hominis perditionem: uel temporariam statuamus esse sempiternam, id quod faciunt, qui prætextu misericordiæ Dei securè peccant, existimantes illum quod facit ad tempus, ut prouocet ad resipiscentiam, facturum perpetuò, id quod se Ezech. 8 facturum negat, cum dicit: Ego faciam in furore non parcet oculus meus, nec miserebor.

ALIVD ESSE TEMPVS MISERICORDIÆ, *& aliud iudicij.*

Præsens uita misericordiæ, futura iudicio deputata est. QVemadmodum, teste Apostolo, non est Deus confusionis amans, ita & opera illius aliena sunt ab omni confusione: id quod nobis de misericordiæ quoque illius est dispensatione cogitandum. Dispensat misericordiam suam, dispensat & iudicium: alio misericordiam tempore, alio iudicium. Dum sumus in hac uita, dispensat misericordiam, uocans quoslibet ad resipiscentiam, docens errantes, remittens peccata conuersis ac resipiscentibus, iustificans credentes, exaudiens ad se clamantes, neminem deserens afflictum, adhortans desides, adiuuans laborantes, & (ut uno uerbo dicam) innumeris modis misericordiam suam erga quosuis declarans. In hac uita patet aditus ad thronum gratiæ, ut misericordiam inueniamus: in futuro uerò seculo dispensabit iudicium. Iudicat quidem & in hac uita, uerùm iudicio non perfecto & consummato, sed castigatorio, moderato: & non ad perditionem plenamque ultionem, sed ad salutem & emendationem usurpato: iuxta illud Apostoli, Dum iudicamur à Domino, corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Eiusmodi iudicium opus est misericordiæ. Extremum uerò illud & irreuocabile iudicium, in futurum tempus seruatur, in quo non erit locus misericordiæ, sed finalis & consummata retributio iuxta quod quisque designauit in hac uita.

Opus est misericordiæ, quòd prior locus misericordiæ, posterior iudicio datus est. Est autem & hoc misericordię Dei opus, quòd uniuersam hanc uitam misericordiam dependauit, futuram uerò iudicio. Poterat priorem locũ dare iudicio, posteriorem uerò misericordiæ. Verùm hoc pacto saluatus fuisset nemo. Nisi enim misericordia iudiciũ præueniret, nemini fuisset ad salutem factus aditus. Vnde est illud Prophetæ: Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo ullus uiuens. Poterat iudicium locum habere in omnibus, etiã unius diei infantibus (nascimur enim omnes natura filij iræ Ephesiorũ secundo capite) nisi pro sua incomparabili bonitate Deus priores partes dedisset misericordiæ, per cuius interuentũ à iusti iudicij sententia liberentur quotquot electi sunt, & ad uitam præordinati. Quid iustius competere uidebatur humano generi corrupto ac deprauato, ideoque condemnationem merito, quàm iustum iudicium? Verùm reiectum illud est ac suspensum, non ut futurũ non sit (neq; enim hoc iusticiæ Dei conueniret) sed ne protrem in causa generis nostri locum sortiretur, qui tamen illi nostro merito cõpetebatur, & prolata est illi misericordia: atq; ita factum, ut rectè dicamus, per misericordiam repressum esse iudicium, ne illud sententia sua perdat, quos ipsa interuentu suo à perditione liberat. Hunc itaq; intercessione uelut è lictoris manu eripimur, ac seruamur: ut rectè dicat Apostolus, Per misericordiam suam saluos nos fecit: ad Titum capite tertio.

Interea

Interea simul obseruemus, quàm sit interuentus hic misericordiæ Dei ad iusticiam futuri iudicij illustrandam facturus. Non solùm iustè iudicabit & damnabit reprobos, sed & iudicij sui iusticiam hoc efficiet illustriorem, quo ampliorem illi totius huius uitæ nostræ cursu misericordiam, eamq; expositam omnibus, præmittit. Sic nō habebunt reprobi in futuro iudicio unde excusentur, sed sua ipsorum conscientia omnium apparebunt dignissimi qui iudicentur ac damnentur: neq; habebunt qui saluantur, unde glorientur, sed totam salutis suæ causam non propriæ iusticiæ, sed uni misericordiæ Dei deberi agnoscent.

Præcedens misericordia sequentem iusticiā illustrabit.

DE POTESTATE AC DOMINIO DEI.

QVOD locū hūc præcedēti, in quo de misericordia Dei diximus, uestigiò subijcere uoluimus, haud est præter rationem factum. Etenim plurimùm refert. quid potestatis ac iuris cùm in nos, tum in cætera omnia habeat, cuius nobis misericordiam, bonitatē ac philanthropiam Scriptura tantopere deprædicat & extollit. Consolationis quidem aliquid habet, si homo hominis, inferior inferioris, uel par paris misereatur: uerùm nulla, aut certè modica ex eiusmodi misericordia poterit esse utilitas, nisi is quoq; misericordem se præbeat, qui omnem in nos potestatem habet, nostriq́ue dominatur in omnibus. Misericordia uulgi non liberat reum à morte, ubi iudicio plectendus sistitur: liberat uerò misericordia principis, qui potestatem uitæ ac necis in illum habet. Seruum illum, qui regi suo decē millia talentorū debebat, non liberasset misericordia conseruorū, liberarabat uerò misericordia regis, sub cuius erat dominio, iure ac potestate. Sic nullo nobis usui poterit esse humana, imò ne angelica quidem misericordia, nisi misereatur nostri Deus, sub cuius omnes sumus dominio ac potestate. Quare haud impertinenter fieri putamus, si post considerationem misericordiæ Dei, de dominio ac potestate illius aliquid annotemus.

Refert quis sit, qui nostri misereatur.

Simile.

Matthæi 18.

DE DOMINIO DEI.

QVemadmodum prius est esse regem, quàm habere regnandi potestatem, esse patremfamiliàs, quàm potestate super domesticos potiri: ita omnino prius est esse dominum, quàm potestatem habere in aliarū uitam & fortunas. Consimili ratione in Deo quoque priorem existimo considerationem deberi dominio Dei, quàm potestati.

Dominus prior est dominio, & dominium prius potestate

Quòd autem Deus non sit particulari aliquo dominio, sed prorsus uniuersali præditus, atque ita Dominus omnium, idq; non uno & altero seculo, sed per omnes generationes, non est ut comprobemus, cum sit in confesso omnibus. Regnum ipsius dominatur omnibus, & dominatio eius in omnem sese generationem extendit, quemadmodum Propheta canit, & si ille non caneret, ipsa seculorum omnium experientia clamaret.

Quod Latini uocant dominum, uocant Græci κύριον, & Hebræi אדון, Latinis dominus à dó domo deduci uidetur: qua uoce appellatur is qui superior est in domo, imperiumq; illius habet. Inde uox ista transfertur etiā ad quoscunq; superiores bonorū, ciuitatū, principatuum, ac regnorum. Græcis κύριος proprium sonat: unde κυριακῶν idem est quod propriè loquēs. Sic κύριον uocant eum, qui rei alicuius proprietatem, id est ius propriæ possessionis habet, quem nos uocamus dominū. Quur Hebræis אדון idem sit quod nobis Dominus & herus, haud aliam inuenio causam, quàm quòd illis אדן idem est quod basis ædificij & columna, unde sumptum uidetur, quod אדון uocant dominum, quòd dominus id esse debeat ijs, quos sub se habet, quòd columna est ædificio, sustentaculum uidelicet, cui tota domus innitatur. Si cogites de tota hac cœli terræq; machina, tanquā de domo aliqua, an non rectè eum uocamus illius dominum, qui est & superior in illa, & unica basis, & proprio illam iure possidet?

Dominus, à domino dictus.

κύριος.

אדן.

Porrò in hoc seculo alij aliter efficiuntur domini. Sunt qui nascantur domini, quales sunt primogeniti regum ac principum. Sunt qui in id fastigij eligantut à subditis, id quod in nonnullis regnis & ciuitatibus Imperij fieri uidemus. Sunt qui à superiori potestate constituantur, quales sunt, qui à Monarchis principatibus præficiuntur. Sunt qui pecuniæ interuentu in dominos rerum euadant. Sunt qui id dignitatis gladio acquirant. Sunt qui operatione ac laboribus suis acquisitum dominij ius possideant quod genus dominij omnium est iustissimum. Quid enim æquius esse poterit, quàm ut opifex sit opificij sui dominus? Nemo tamen ex illis omnibus propriè & non aliunde dominus est. Qui nascitur dominus, ut non ipsam uitam, ita nec dignitatem natalium habet à seipso: sed primùm à Deo, deinde à maioribus. Qui eliguntur à subditis, uel à superiori potestate constituuntur, palàm aliunde efficiuntur domini. Nec illi propriè domini sunt, qui uel pecunia dominatum acquirunt, uel gladio occupant, quandoquidem extraneis medijs domini efficiuntur. Videntur quidem ij demùm proprij dominij mereri titulum, qui operum ac laborum suorum sunt domini: uerùm si con-

Alij aliter efficiūtur domini.

Nemo mortalium propriè & à seipso dominus est.

consideres unde artem operandi & materiam operis, & accessoria media quibus usi sunt, ac ceperint, fateberis illos quoq; magna proprij dominij parte destitui. Figulus potestatem habet luti sui, ut faciat pro arbitratu suo aliud uas in honorem, aliud in ignominiam, Rom. 9. Et tamen ipsam luti materiam non facit ipse, nec alia organa sibijpse parat, quibus in arte sua utitur, nec artē operandi habet à seipso, sed omnia hæc accepit aliunde: unde fit, ut plena prorsus prij dominij gloria in opere suo potiri nequeat.

Dominium Dei unde.

Respiciamus iam ad dominium Dei, & uideamus quàm illud proprietatis gloria cæteris omnibus sit præstantius. Principiò, non possumus de Deo dicere, quòd sit natus dominus. Vt enim natus nō est, ita nec natus Dominus esse potest. Sed dicis: Quid istuc habet ambitiæ, non posse natum dominum dici, cùm id cōmune habeat cum quolibet seruo, qui & ipse natus dominus dici non potest? Respondeo: At ipse in omnium conscientijs dominus est, seruus uerò non est. Aliud est non posse natum dominum dici, quòd nō sis natus, etiāsi sis dominus: & aliud, quòd non sis dominus, etiamsi sis natus. Deus nō potest natus dominus dici, quia non est natus: seruus item non potest, quia non est Dominus. Non habet igitur à natiuitate aliquo naturale dominiū, & tamen hoc magis propriè Dominus est, quo minus dominium aliunde habet acceptum. Natus Dominus Christus unigenitus Dei est, quia & natus est & unigenitus Dei existit, paternorum bonorū omnium hæres. Habet igitur ille ut filius Dei dominium à patre, unde dominus non ab Apostolis tantùm post incarnationem, sed & ante à Propheta uocatur, qui dicit: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.

Deus non est natus Dominus.

Christus est natus Dominus.

Deus est à seipso Dominus, non aliunde.

Deinde, non est Deus electus à nobis, nec constitutus à superiori aliquo in dominum, nec pecunijs dominium sibi comparauit, nec ab aduersario aliquo uiolenter extorsit, sed ab æterno est & à seipso Dominus omnium. Præterea habet quidem in opera manuum suarum liberum, iustum ac proprium dominium: uerùm non ut figulus in suum lutum, & quilibet opifex in suum opificium, sed plenū ac perfectū, quandoquidē neq; materiā operum suorum aliunde accepit, sed hanc sibijpse creauit ex nihilo, neq; alicuius est uel arte uel ope ad operandum usus, sed digitis suis, & propria sua uirtute fecit hæc omnia. Quare omniū eorū quæ in cœlo sunt & in terra, solus est ac uerus Dominus, plenumq;, perfectū & irrefragabile habet in omnia dominium. Quàm latè pateat uerum dominium, agnoscebat ille, qui quamuis [illegible] appellaretur, sentiebat tamen imperium quod administrabat, quàm longissimè abesse à uero dominij fastigio, ideoq; Dominus uocari renuebat, quòd is titulus solius esset Dei.

Vnū est supremum dominiū, cætera sunt subordinata.

Non detraho dominationibus, quas uarias habemus in hoc mundo: sed uerū, proprium, plenum, perfectum & uniuersale dominium soli Deo uindico, qui solus omniū uerus est, primus, prius, plenus, perfectus & uniuersalis Dominus. Vnum est uerum ac supremum dominium, cætera omnia subordinata sunt, & à supremo in omnibus pendentia: idq; non sine singulari cōsilio & ordinatione Dei. Non est ut dicat seruus, subditus, ac ciuis: Vnus est dominus noster, nemo mortaliū in terris habendus est pro domino. Ergo nō est ut aliquē dominū præter unū Deū agnoscā. Hoc nihil esset aliud q̄ dominationes à Deo constitutas spernere, & ordinationi Dei resistere: id quod Petrus in posteriore sua Epistola pseudapostolis imputat.

De illis qui dicunt, Minister est super oēs.

Interea non possum non uehementer superciliū cordis humani in illis reprobare, qui cum non modò cōmunis fidei gratia, sed & respectu officiorum suorum uni deberent seruire Domino, cuius sunt serui, & sub cuius nomine suspiciuntur in terris: sic se gerunt, ut palàm appareat, meditari ipsos non ministerium, sed dominiū: unde & nonnulli contentiosè iactant ministrum esse supra omnes. Quid hæc propositio effecerit in Papatu, ad miraculum usq; nimis experti. Quid factura sit in posterum, ex præcedentibus exemplis colligi potest.

Quæstio, quomodo Deus solus sit omnium Dominus, cum & satan sit dominus, & quisque tyrannus.

Sed dicet quisquam: Quomodo Deus solus omnium est dominus, cum non dominetur omnibus solus? Nam & satan, princeps mundi huius ab ipso Christo uocatur, & habet suos, in quibus tanquā captiuis pro uoluntate sua operatur ac regnat. Deinde & reges gentiū subditis suis pro libidine sua dominantur, usurpantq; tyrannicū illud: Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas. Si domini sunt, qui dominantur, ergo & satan & tyranni sunt domini: nam & illi dominantur, idq; dominatione non subordinata, sed prorsus aduersaria.

Duo respectus dominij.

Respondeo: Duo sunt ueri dominij respectus: iuris unus, dominationis alter. Per ius intelligo possessionis proprietatē, cuius respectu Hebræi בעל uocant Dominū, quæ uox possessorem rei propriæ significat. Per dominationē uerò intelligo imperium, quod in subditos exercetur à Dominis. Sunt autē dominationis genera duo. Iustum unum, iniustū alterum. Iustum, quod est cum iure coniunctum: iniustum, quod sine iure præsumitur. Prius utiq; illius est Dei, qui plenissimum ius habet in omnia. Sunt enim illius omnia. dominationi huic iustæ ac propriæ subseruiunt potestates ordinariæ. Posterius uerò satanæ est, cui nihil iuris est, ne in pulicem quidē, nedum in homines. Huic seruiunt tyranni, uim iniustam exercentes in subditos. Verùm hoc dominationis genus, quod iniustum ac satanæ esse dicimus, duplici nomine à uero est dominio alienū, ideoq; dominum ex satana facere non potest. Et enim destituitur dominandi iure, deinde & dominationis plenitudine, qua qui uerè dominus est, de suo quod uult, facit. Non potest dominari, nisi uolentibus: Deus uerò non uolentibus tantùm,

Duo sunt genera dominationis.

Satan non dominatur, nisi uolentibus.

tantùm, ſed & inuitis, tanquam uerus dominus & perfectus dominator imperat quod uult & uoluntati ſuæ quoſuis ſeruire cogit. Non poteſt dominari, niſi cæcis & ignorantibus: Deus uerò & intelligentibus & ignorantibus dominatur. Adhuc, nõ poteſt dominari niſi reprobis. Bonos quidem tentat, quantùm permittitur, interim uerò dominari illis non poteſt. At Deus dominatur omnibus tàm reprobis quàm bonis. Et quod adhuc amplius eſt, ne in uolentes quidem, ignorantes ac reprobos aliter ac latius dominari poteſt, quàm ſecundũ Dei ueri domini iudicium, cui nolit uelit, non dominus ipſe, ſed ſeruus obedire ac ſeruire cogitur, quemadmodum & impij quiq; in hoc ſeculo tyranni. Sic Deus, tanquam uerus & perfectus omniũ dominus, etiam inimicis & aduerſarijs ſuis frenum imponit, ac uoluntati ſuæ quicquid ſunt ac poſſunt, ſeruire cogit. Etiam mentiendo & tentando & excæcando & affligendo, &c. ſeruit Deo ſatan: tam abeſt ut ad dominij titulum peruenire poſsit. Quare nõ conuenit, ut duos dominos ſtatuamus, cum ſit unus tantùm, uerus, perfectus, & uniuerſalis omnium dominus ac dominator, ex quo eſt quicquid uſpiam eſt dominationis ſiue iuſtæ ſiue iniuſtæ.

Satan non dominus, ſed ſeruus eſt.

Non ſunt duo domini, ſed unus tantùm.

DE POTESTATE DEI.

HActenus de dominio Dei diximus, cui priorem cõſiderationis huius partem competere cenſuimus: iam de poteſtate illius obiter uideamus. Etenim ſi præmiſſa rectè conſiderẽtur, facilè intelligemus, qualem oporteat eſſe poteſtatem talis domini, qualem eſſe Deum admonuimus.

Principiò, notum eſt omnibus, ad legitimum dominium neceſſariò pertinere, imò annexã eſſe poteſtatem, quam Græci uocant ἐξουσίαν. Vnicuiq; domino ut eſt rei propriæ ius ad poſſidendum, ita eſt & poteſtas ad utendum illa, pro uoluntatis ſuæ arbitrio, ſic ut nemini rationẽ reddere teneatur de ijs, quæ iure ac poteſtate ſua in eo quod ſuum eſt facit.

Dominio annexa eſt poteſtas.

Deinde, nec illud obſcurum eſt, legitimi dominij poteſtatem locum in illis habere nõ poſſe, qui ſunt uel liberi homines ac ſuijpſorum iuris, uel alterius iuri ſubiecti: hoc eſt, neminem habere liberam poteſtatem, niſi in eos qui ipſius ſunt iuri ac dominio ſubditi. Si quiſquam uel angelorum uel hominum liber, ac ſui ipſius iuris eſt, uel ſi Satan legitimi dominij ius habet in quenquam, cõſequetur Deo non eſſe poteſtatem in omnes. Si uerò talis reperiri poteſt nemo qui ſit liber, ne ipſe quidem ſatan, uel qui alterius cuiuſpiam ſit poteſtati extra Deum ſubiectus: reliquũ erit, ſoli Deo, ut omniũ domino, liberã ac legitimã poteſtatẽ cõpetere in omnes.

Poteſtas nõ eſt, niſi in ſubiectos.

Tertiò, ſi qualitatem legitimæ ac propriæ poteſtatis conſideremus, eſt illa gemina.

Prima, ad utendum proprio iure: altera ad remittendum, ubi placuerit.

Legitimam poteſtatẽ eſſe geminam.

Vſus iuris proprij tria habet. Primùm, uti rebus ſuis ad propriam uel utilitatem, uel neceſſitatem, uel gloriam, quemadmodum domo ſua & domeſticis utitur paterfamiliâs. Secundum, facere de illis quicquid uidebitur, mutare, tollere, minuere, augere, uendere ac diſtrahere, dono dare cui uoles, &c. Tertium, imperare ac prohibere, tanquam ſubditis, quæcunq; uidebuntur. Hæc omnia pertinent ad uſum propriæ ac legitimæ poteſtatis.

His annexum eſt & illud, quod poteſtate ſua quilibet dominus uti poteſt uel per ſeipſum, uel per alios. Et dum alijs poteſtatis ſuæ adminiſtrationẽ imponit, nihil omnino iuri ſuo derogat. Nam id quoq; poteſtatis ſuæ iure facit. Vſus autem propriæ poteſtatis non eſt illius diminutio, ſed magis confirmatio.

Altera propriæ poteſtatis ſpecies eſt, remittere de iure ſuo, uel partem aliquam, uel totum, cui, quantum, quando, & quandiu placuerit, ſic ut iuſticia miſericordiæ ac gratiæ cedere cogatur. Sic habebat rex ille Euangelicus poteſtatem remittendi ius ſuum, quo uti potuiſſet in ſeruum decem millium talentorum debitorem.

Hæc ſunt manifeſta, & propriè pertinent ad legitimi dominij ius ac poteſtatem. Iam ſi referas ea ad poteſtatem Dei, quam habet in omnes, aliquouſq; poteris illius uidere & agnoſcere qualitatem, ſiue ad utendum, ſiue ad remittendum. Vtitur rebus ſuis quas condidit, ad ampliſſimæ huius domus quam fabricauit utilitatem ac neceſsitatem, cœlo, ſole, luna, ſtellis, igne, aere, pluuia, nubibus, rore, glacie, niue, aquis, &c. Vtitur omnibus ſpiritibus, hominibus, beſtijs, &c. ad uoluntatis ſuæ exequutionem, poteſtate omnium liberrima & iuſtiſsima, ſiue ad exercendam iram & ultionem in reprobos, ſiue ad diſpenſandam beneuolentiæ ac miſericordiæ ſuæ gratiam, quod utrunq; fecit in mari rubro: quod tanquam uerus illius dominus, iuris ſui poteſtate primùm diuiſit, ad liberandum ac perducendum ſuum populum: deinde rurſus in unum coegit, ad ſuffocandum Pharaonem, cum omni illius exercitu, quo Iſraelem inſectabatur. Sic eodem mari cùm ad gratiæ, tum ad iræ ſuæ exequutionẽ ſuo iure ac poteſtate propria utebatur.

Poteſtas Dei in omnia.

Mare rubrum.

Incendebat tyrannus Babylonicus caminum ignis ad comburendum ueri Dei ſeruos. Putabat ſe ignem habere in poteſtate ſua, illumq; uoluntati ſuæ omnino ſeruiturum. Verùm omnis creaturæ dominus utebatur igne ſua poteſtate in cõtrarium, ſic ut ille conſeruaret iuſtos, quos in ſinum ſuum confouendos, non in rictum omnia uorantem conſumendos acceperat,

Caminus Babylonis.

Babylonios uerò regiæ crudelitatis ministros foris constitutos corriperet & absumeret. Sua creatura suo Domino primùm ad nominis ipsius gloriam, deinde ad seruorum ipsius consolationem, tertiò ad impiorum ultionem seruiebat. Quocunq; modo creaturis utatur, siue nostro bono, siue nostro malo, agnoscamus illius potestatem, quâ habet in nos & in omnia quæ condidit, dicamusq;: Dominus est, quod bonum est in ipsius oculis, faciat.

2 *De suo facit Deus, quicquid ipsi uidetur.*

Deinde facit de suo, quicquid ipsi uisum fuerit. Potestate sua mutat nostras uires, fortunas, conditiones, mentes, corpora, ualetudinem, & omnia. Diuitem facit & pauperẽ, exaltat quos uult, & humiliat quoq; quos uult: occidit & uiuificat, deducit ad inferos & reducit, tollit etiã quos uult prorsus è medio, ut nusquam appareant amplius: & imminuit quæ admodum fuerant aucta, & rursus aucta reddit quæ fuerant uehementer diminuta: distribuit quoq; & largitur de bonis suis, quibus ipse, & quantum, & quandiu uoluerit, & ubi uisum fuerit quæ dederat aufert, secundum illud Iob: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. Bona quidem sua usibus nostris distribuit, ut rùm potestatem suam interim, quam in nos pariter & illa habet, non resignat.

3 *Plena est Deo mandandi potestas.*

Tertiò, si consideremus potestatem mandandi & imperandi, & eam deprehendemus plenam & irrefragabilem pertinere ad Deum, cui ius est & dominium in omnes, cuíque omnes tenentur, & ubi ille uoluerit, coguntur. Mandandi potestatem erga me non habet, ad cuius ego dominium non pertineo, cuiq; obedire nõ teneor. Romanum idolum uindicat sibi ipse potestatem mandandi, reliquisq; omnibus imponit necessitatem obediendi. Sic impio sacrilegio rapit ad se quod solius est Dei. Vbi maioritas est, inquit, ibi est mandãdi potestas. In Ecclesia Christi maioritas, cui mandãdi sit potestas, nulla nisi solius Dei agnoscitur. Quòd si ei datur à Domino, ut cæteris sit maior, datur non ut mandandi habeat potestatem, sed ut omnibus ministret. Qui maior est in uobis, inquit, sit omnium minister. Aliud est esse Dominum, & aliud fide, uel scientia, uel ministerio cæteris esse præstantiorem. Potestas mandandi, ius requirit legitimi dominij, & extendit se ad subiectos, non ad alienos uel pares. Eius est mandare, qui mandando non illicita & aliena, sed legitima ac propria potestate utitur. Eius est mandare, qui de inobedientibus tanquam immorigeris ac rebellibus iure suo ultionem sumere potest. Eius est, inquam, mandare, qui non uerbis tantùm quæ fieri uelit, imperare, sed & spiritu suo animum & uires obediendi præstare potest, ut possimus ad ipsum cum Augustino dicere: Da Domine quod iubes, & iube quod uis.

4 *Potestate sua uti potest deus, uel per se, uel per alios.*

Quartò, diximus & id potestatis cuilibet esse Domino, ut potestate sua utatur uel per se ipsum, uel per alios. Quomodo alterutrum semper irreprehensibiliter facere possit homo, cui aliquid potestatis concessum est à Domino, disputari potest: quòd autem à Deo omniũ Domino semper rectè fiat, siue per seipsum, siue per creaturam aliquam, potestatem suam exerceat, prorsus est in confesso. Id tamen discretionis tenendum est hoc loco, ut non dubitemus nulli unquam creaturæ datam esse plenitudinem potestatis, sed limitatam ac determinatam accipere potestatem eos, quorum Deus ministerio uti constituit. Vt spiritum illis dat non in plenitudine, sed in mensura: sic dat illis etiam potestatem non in plenitudine, sed in mensura. Vni Christo tanquam non ministeriali creaturæ, sed unigenito Dei, hæredi ac Domino omnium, data est plenitudo & spiritus & potestatis, Ioan. 3. & Matthæi ultimo. Quare prorsus impudens & quæstuosum mendacium est, quod Rom. Pontifex uindicat sibi ipse potestatis plenitudinem, quę non nisi Domino competit. In eo quod Apostolis dictum est: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remissa erunt, & quorũ retinueritis, retenta erunt in cœlo. Item, Quodcunque ligaueritis in terra, ligatum erit in cœlo', & quodcunq; solueritis super terram, solutum erit in cœlo: concedebatur quidem illis potestas ligandi ac soluendi, uerùm non uniuersalis, non plena, non libera, non arbitraria, sed particularis, ministerialis & limitata. Si quem Deus in cœlo à peccatis soluisset, ipsi super terram ligassent: & quem ille ligasset, ipsi soluissent: & cui ille peccatum nõ imputasset, ipsi imputassent: planè fuisset, ut falsa, ita & irrita concessæ potestatis dispensatio: unde satis patet, accepisse eos ministerium, nõ plenitudinem potestatis. Si Apostolis non fuit plena potestas concessa, quibus tam euidentibus argumentis datus fuit Spiritus sanctus: quid de illis censebimus, quibus ne mica quidem spiritus Christi concessa probatur, ut quæ Apostolicam uocationem cõcernunt, taceamus? Demum uerè dominus est omnium, ac plena omniũ potestate iure proprio præditus, qui non ipse modò potestate sua efficaciter uti, sed & ministris illam quibus, & quantum, & quàm efficaciter uoluerit, cum ἀνράμυ exequendam imponere, simulq; cooperationem spiritus sui adiungere potest: unde certis argumentis cognosci queat, accepisse eos non humanæ temeritatis præsumptionem, sed concessam cœlitùs ministerij sui potestatem.

Plenitudinem potestatis nulli creaturæ cõpetere

Qualis potestas Apostolis cõcessa fuerit.

5 *Potest Deus potestate sua uti uel non uti.*

Quintò. Non licet ministro de potestate, quam administrandam accepit, aliquid remittere: quare uillicus iniquitatis uocatur, qui unicuiq; debitorum domini sui, de summa quâ quisq; debebat, partem aliquam pro arbitrio suo remittebat. Domino autem licet ac liberum est, potestate sua, in subditos uel uti uel non uti, deq; iure suo remittere uel aliquid, uel totum uel nihil. De suo quisque quod uult facit, de alieno id non licet. Sunt autem omnia iuri Dei omnium Domini

domini subiecta. Quare cum solus plenam habeat ac liberam iuris sui potestatem, solus etiam de iure suo remittere quibus uoluerit, potest. Remittit illis quorum miseretur, quos, si uellet, iure suo perdere posset: nec est ut in ius uocetur, quur id faciat. Non remittit illis quos indurat, quos Apostolus uocat uasa iræ parata ad interitum. Nec hîc est ut quæramus, qua id potestate faciat. Dominus est. Sunt ipsius omnia quæ in cœlo sunt, & in terra. Potestatem habet in res suas liberam & absolutam. Nemini quicquam debet. De suo, rectè quod uult, facit. Nemo illi sine enormi impietate dicere poterit: Cur me fecisti sic? Cur non melius de me statuisti? Hoc argumento Apostolus fortissimè reprimit eos, qui de potestate Dei haud rectè sentiẽtes, misericordiæ illius & indurationis libertatẽ temeritate sua diuexãt. Vide Rom. 9.

Hactenus obiter in imagine potestatis humanæ, quæ dominorum ius ac dominium concernit, dominium ac potestatem Dei delineauimus: non quòd in illa plenitudo diuinæ potestatis perfectè considerari possit, sed ut aliquousque uideamus, quid de illa sentire conueniat.

Aut limitanda est potestas Dei, aut fatendum, nihil illi esse illicitum, modò uelit.

In summa, quicquid humanæ rationis ingeniũ prætexat, aut restringenda ac limitanda est potestas Dei, ut non sit libera & absoluta: id quod sentire, prorsus impium esse duco: aut liberè ac simpliciter fatendum est, nihil esse illiciti, nihil reprehensibile, nihilq; potestati Dei inconueniens in eo quod Scriptura de illo prædicat, quòd elegerit aliquos ante cõstitutionem mundi, utique quos uoluit: quòd Iacob dilexerit, Esau uerò odio habuerit: quum utrique adhuc essent in utero matris, & nec mali quicquam nec boni fecissent: quòd cuius uult, misereatur, & quem uult induret: & quòd ferat uasa iræ parata ad interitum, paretq; uasa misericordiæ in gloriam: quòd omnes concluserit sub incredulitate, ut omnium misereatur: quòd reprobos tradat in immundiciam, in cupiditates ignominiosas, & in reprobum sensum: quòd omnia propter semetipsum operatus sit, etiam impium ad diem malum: quòd corda Regum sint in ipsius manu, illaq; quòcunque uoluerit inclinet: quòd operetur omnia in omnibus, & quę alia multa sunt eiusmodi in Sacris literis, quibus nonuulli fratres offendi uidentur: ideoq; commodas, ipsorum iudicio, expositiones comminiscuntur, quibus iusticię Dei patrocinentur, ne iniquitatis damnari, maliq; author haberi possit. Quod me attinet, nihil esse sentio ex his omnibus, quod non unico hoc liberæ, absolutæ ac plenæ potestatis argumento abundè defendatur. Verùm de iusticia Dei uidetur iam loco sequenti dicendum.

DE IVSTICIA DEI.

QVONIAM iusticiæ Dei consideratio magna ex parte pendet à præmissis, quę de bonitate, ueritate, philanthropia, misericordia, dominioq; ac potestate illius dicta sunt, haud importunum uidetur de illa iam subijcere. Non est animus simpliciter de iusticia dicere, neq; de ea quę hominum esse debet, sed aliquid adferre in medium ex ijs quę Dei uidentur iusticiam concernere. Est illa prorsus immensa, & nulli mortalium, imò ne angelis quidem ad plenum comprehensibilis. Satis fuerit tantùm ex illa cognoscere, quantum nostræ mentis angustia capere potest, salutisq; nostræ ratio poscit.

IVSTVM ESSE DEVM.

Quatenus omniũ sit conscientijs insitum, iustum esse Deũ. Scripturæ de iusticia Dei.

IVstum esse Deum, nec ab omnibus, nec in omnibus quæ facit, nec semper cognoscitur. Id tamen omnium est insitum conscientijs, sic esse iustum Deum, ut iusticiæ nomine timendus sit omnibus illis, qui iniustè quicquam agunt. Multo autem luculentius sacræ Scripturæ iustum esse Deum testantur, dum nobis iusticiam illius non modò elogijs, quibus illam deprædicant, sed & factorum illius exemplis commendant: quæ quoniam sunt plurima, numerari difficulter poterunt. Quod attinet diuinæ iusticiæ elogia, occurrũt illa passim in Psalmis & Prophetis. Iustus Dominus, inquit Propheta, & iusticias diligit. Item: Misericors Dominus & iustus. Et: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Et: Iustus Dominus in omnibus uijs suis. Item: Iusticia plena est dextera tua. Et: Recordabor iusticiæ tuæ solius. Et: Iusticia ante eum ambulat. Et: Iusticia eius manet in seculum, & iusticia tua in ęternum. Et hinc est quòd toties iusticiam Dei implorat, dicens: In iusticia tua libera me. Et Hierem. 12. dicit: Iustus quidem es tu Domine, si disputem tecum. Et Daniel. 3. Iustus es in omnibus, inquit, quæ fecisti. Et Zephanias capite tertio: Dominus iustus in medio eius. Et 2. Sam. 23. Dominator hominum iustus Dominus.

Sine iusticia Dei non duraret mundus.

Huiusmodi testimonia de iusticia Dei multa extant in Scripturis, quæ à pio homine plurimi fieri debent, sic tamen ut per illa ad rectam intelligentiam studiosè contendat, qua ritè cognoscat, quomodo iustus sit Deus, & quorsum fide iusticiæ illius uti debeat. Præterea ipsa totius huius uniuersi ratio tantum non clamat, sic oportere iustũ esse Deum in omnibus quæ

facit, ut si iniusticia locum in ipso habere posset, omnia subuerterentur, nihilq; constanter in ordine ac statu suo perduraret: id quod ex sequentibus melius intelligetur.

IVSTVM ESSE QVID SIT.

Definitio iusticiæ.

IVsticiam definiunt aliter atque aliter, communiter uerò uirtutem esse dicunt, quæ tribuat unicuiq; quod suum est. Aristides dicit esse τὸ μὴ ἐπιβουλεύειν τῶν ἀλλοτρίων. Alius aliud in definitione iusticiæ adfert, quod ad partem illius aliquam pertineat, magis quàm quo tota definiatur. Meo iudicio cum primis uidendum est, quid sit esse iustum, ut inde ad iusticiæ cognitionem perueniatur. Nam omnino à iusto est iusticia.

Iustũ esse quid sit.

Iustum autem esse, ut breuiter dicam, est esse syncerum, rectum & integrum, secundum statum, conditionem, officium & personam, quam quisq; gerit, ut illi in omnibus inculpabiliter respondeat. Est unicuique ordini, conditioni, statui & personæ suum mispat, suaq; iusticia.

Iustus rex est, qui regnum suum, secundum regni iusticiam, rectè administrat. Est autem regni iusticia, defendere subditos, & debellare superbos. Iustus iudex est, qui sine personarum acceptione iusto iudicio discernit inter sontem & insontem. Iustus dominus est, qui citra cuiusquam iniuriam bonis suis, secundum ius quod in illa habet, utitur. Iustus maritus est, qui coniugalem iusticiam uxori suæ præstat, sic ut nihil omittat, quod ad iusti mariti officium pertineat. Sic apud Iurisconsultos, qui in filium quenquam adoptat, interrogatur, num quem adoptat, iustum uelit habere filium: hoc est, num uelit eum esse loco ueri filij, & in illum declarare omnia, quæ pater in germanum suum filium declarat. Hoc sensu iustum esse, refertur ad conditionem eius de quo prædicatur. Nos Germani uinum syncerum, purum, nulla ex parte uitiatum aut corruptum, uocamus ein gerechten wein, id est iustum uinum. Menander alicubi terram uocat iustam, propterea uidelicet quòd fructificando bonæ terræ mispat præstat. Homo natura sua, ciuile animal est. Qui talis esse deprehenditur, rectè iustus homo uocatur, eo quòd hominis naturæ & conditioni omnibus numeris respondet. Tales autem sunt homines boni & humani: quare idem est esse bonum, quod iustum hominem.

Quid sit esse Deum iustum.

Hac consideratione facilè est intelligere quid sit esse Deum iustum, dominum iustum, iudicem iustum. Cum primis tenendum est quid sit esse Deum, quid sit esse dominum, quid sit esse iudicem: unde ad iusti Dei domini ac iudicis cognitionem peruenitur. Nisi scias quid sit uinum, & quæ sit illius natura, non poteris iudicare quid sit esse iustum uinum. Tenendæ sunt omnes uini uirtutes. Iustũ enim uinum est, quod in nulla uirtutum suarum deficit. Vidit hoc Theognis cum diceret, iusticiam continere omnes uirtutes.

Deum autem esse quid sit, quoniam non tenetur à multis, fit ut pauci norint, quæ sit iusticia Dei, & quid sit esse iustum Deum. Suprà initio locorum istorum diximus esse Deum, idem esse quod creatorem ac conseruatorem omnium, unde sunt, gubernantur, & conseruantur quæcunq; sunt in cœlo & in terra, cuncta scientem, omnipotentem, ubiq; præsentem, ac nutu suo cuncta moderantem. Quoniam igitur in nullo horum, quæ ad ueri Dei mispat pertinent, deficit unquam, sed omnia ueri Dei officia semper, ubiq;, in omnibus, modisq; infinitis præstat, rectè iustus Deus uocatur. Et hæc de seipso prædicat, dicens: Ego feci, ego fero, ego porto & seruo. Esa. 46. Et Apostolus 1. Timoth. 4. uocat eum Seruatorem omnium, maximè fidelium. Sic iusticia Dei est, qua præstantur ea bona, quę sunt ueri Dei, & à nemine præterea præstari possunt: utpote, qua creat & facit ea quæ non sunt, qua creata omnia alit, propagat, moderatur, & conseruat. Quare præter rationem non est, quòd uocatur à nonnullis summum bonum. Quomodo enim non est summum bonum, ex quo sunt omnia, & à quo conseruantur omnia?

Iusticia Dei quæ sit.

Haud igitur ineptè sensit, qui mentis humanæ iusticiam dixit esse sapientiam, corporis prosperam ualetudinem, uniuscuiusq; domus concordiam, & ciuitatis pacem. Tum enim iusta est mens hominis, quando prærogatiua sapientiæ ab irrationalibus est bestijs secreta: iustum corpus, quando in omnibus suis membris humani facit corporis officium: iusta domus, quando concordât inter se domestici: iusta ciuitas, quando ciues pacis inter se uinculo ueluti membra in corpore, ad ciuilem societatem conuertuntur. Sic puto censuram iusticiæ secundum uniuscuiusq; faciendam esse conditionem, ordinem, statum, personam & officium.

QVOTVPLEX SIT IVSTICIA DEI.

Quæ sit iusticia, mentis corporis, domus, ciuitatis.

EAdem est iusticia Dei, quemadmodum & eadem est illius bonitas. Et tamen quemadmodum certa illum ratione Deum, certa Dominum, certa iudicem uocamus: ita etiamsi certa quadam distinctione iusticiam illius non simpliciter esse considerandam, sed primò, quatenus iustus Deus, deinde quatenus iustus dominus, tertiò quatenus iustus est iudex. Est & pater, & à Christo ipsius unigenito, pater iustus uocatur, cum Ioan. 17 dixit: Pater iuste, mundus te non cognouit.

Qui

Quæ Dei ſit iuſticia, dictum eſt articulo præcedenti. Iuſticia uidelicet eſt ueri Dei omnium creatoris & conſeruatoris. Et hactenus coincidit cum bonitate Dei, quam Scriptura multis locis uocat צדק, quam uocem communiter uocant iuſticiam. ut Pſalmo 51. ubi Propheta dicit: Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ, & exultabit lingua mea (prædicando) צדקך, id eſt iuſticiam tuam. quibus ſanè uerbis non loquitur de iuſticia iudiciaria, qua peccatores puniuntur: ſed de bonitate ac probitate Dei, qua peccata reſipiſcentibus remittuntur. Hanc uocat Dei iuſticiam. Et Pſalmo 69. Appone, inquit, iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non ueniant ad iuſticiam tuam: id eſt, ad bonitatem ac miſericordiam tuam. Et Pſalmo 116. Clemens Dominus, inquit, & iuſtus, & Deus noſter miſeretur. Inter clementiæ ac miſericordiæ encomia inſeruit de iuſticia, intelligens non de iudiciaria, ſed de ea qua peccata remittuntur, quæ propriè Dei eſt. Et Pſalmo 145. Memoriam magnæ bonitatis tuæ loquentur, & iuſticiam tuam cantabunt. Clemens & miſericors Dominus, lentus ira, & magnus miſericordia. Non conueniunt iſta iuſticiæ ultrici ac iudiciariæ, ſed bonitati peccatis mortalium ignoſcenti. Quare ſatis pertinenter pleriſq; in locis, Septuaginta Ebræam uocem חסד quæ bonitatem ſignificat, δικαιοσύνην, id eſt iuſticiam uertunt. ut Geneſ. 19. ubi Loth inter alia dicit, ותגדל חסדך אשר עשית עמדי, illi uerterũt: καὶ ἐμεγάλωσας τὴν δικαιοσύνην σου. Et Geneſ. 20. זה חסדך אשר תעשה עמדי reddiderunt, τοῦτο τὴν δικαιοσύνην ποιήσεις μετ' ἐμοῦ. Conſimiles locos multos in Scripturis reperire licet, in quibus illi δικαιοσύνην, id eſt iuſticiam reddiderunt, pro חסד, id eſt bonitate. Sic nos Germani uirum bonũ ac probum, ein frummen mann uocamus: quo ſenſu iuſticia rectè frumbkeit uocatur. Hanc ego iuſticiæ Dei ſpeciem propriè ad diuinæ naturæ bonitatem refero, qua conſeruantur omnia, & qua non uult mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat, ignoſcitq; peccatis reſipiſcentium.

Iuſtus Deus.

צדק pro bonitate.

חסד Sept. uertunt δικαιοσύνην.

Et de hac iuſticia intelligẽda ſunt quę Apoſtolus de iuſticia Dei in Chriſto mortalibus propoſita ſcribit, qualia ſunt illa ad Rom. cap. 3. Nunc uerò abſq; lege iuſticia Dei manifeſtata eſt, dũ comprobatur teſtimonio Legis ac Prophetarum. Iuſticia uerò Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes eos qui credunt: & quæ ibi ſequuntur. quibus nobis iuſticia Dei, boni, philanthropi ac miſericordis, commendatur, qua per filium ſuum omnes in ipſum credentes gratuitò abſq; ullis operum meritis iuſtificare ac ſaluare conſtituit.

Rom. 3.

Iuſticia Dei in Chriſto.

Deinde, ut Dominus quoq; iuſtus eſt Deus. Species hæc iuſticiæ illius, iuſti dominij eſt, iuſtæ ac plenæ poteſtatis, proprietatis & poſſeſsionis, qua ut Dominus omnium dominatur omnibus quæ ſunt in cœlo & in terra, & pro libera ſua uoluntate miſeretur quorum uult, & quos uult indurat, faciens de ſuo quod ipſi placuerit: ſic ut nulla in re iniuſticiæ damnari poſſit, quicquid faciat, ſiue occidat ſiue uiuificet, ſiue perdat ſiue ſeruet, ſiue diligat ſiue odiat, &c. De hac iuſticia Dei loquitur Apoſtolus Roman. 9. cum dicit: Num iniuſticia eſt apud Deũ? Abſit. Vide quæ illic ſequuntur. Et in loco præcedenti ſatis de illa annotauimus, ubi de dominio ac poteſtate Dei diximus. Hæc proprij iuris ac dominij poteſtas tam eſt in Deo perfecta, plena & infinita, ut omnem à uoluntate, à præceptis & à factis illius iniuſticiam excludat. Eſt enim impoſsibile, ut quicquid uelit, præcipiat & faciat, iniuſtè uelit, præcipiat ac faciat: quandoquidem omnia hæc non in alienum quid, quod uel liberũ ſit uel alieni iuris: ſed in res proprias, ab ipſo creatas, & pleno iure poſſeſſas, citra cuiuſq; iniuriam ſeſe extendunt. Vbi iniuria locum non habet, ibi non eſt locus iniuſticiæ. In ijs autem quę pleno iure poſsidentur à Deo, non eſt locus iniuriæ. Quicquid enim de illis faciat, de ſuo facit. Si perdit, quod ſuum eſt perdit: idq; poteſtate omnium iuſtiſsima. Si diligit ac ſeruat, quod ſuum eſt diligit ac ſeruat, ſic ut ſingularem in eo diuinæ naturæ bonitatem ac miſericordiam declaret.

Iuſtus Dominus.

Rom. 9.

Vbi iniuria locum nõ habet, ibi nõ eſt locus iniuſticiæ.

Tertiò, non modò ut Deus & dominus, ſed & ut iudex iuſtus eſt. Pſalmo 7. dicit Propheta: Deus iudex iuſtus. Et Pſalm. 50. Annunciabunt cœli iuſticiam eius, quòd Deus iudex eſt. Et 2. Tim. 4. Reddet mihi Dominus (inquit Apoſtolus) in illa die iuſtus iudex. Iudex aliter iuſtus eſt ut homo, aliter ut rerũ ſuarum dominus, aliter ut iudex. Iudicis autem iuſticia in hiſce potiſsimùm, quæ recenſebimus, cõſiſtere uidetur. Primò, ſi diligat iuſticiam, & odio proſequatur iniquitatem. Deinde, ſi non ſit ſurdus ad clamores oppreſſorum, quales ſunt iudices iniqui, oppreſſorum contemptores. Tertiò, ſi non clamantibus oppreſsis, ipſius tamen cauſæ clamorẽ audiat, & ad iudicij ſui tribunal admittat. Quartò, ſi in iudicio nec perſonas nec munera recipiat, ſed ex aquo tam pauperi quàm diuiti iudicet. Quintò, ſi ſententiam pronunciet, quæ ueritati cauſæ reſpondeat, quo rectum ſit & iuſtũ iudicium. Sextò, ſi non ſolùm pronunciando iudicet, ſed & ſi in poteſtate magiſtratus conſtitutus ſit, reipſa iudicium exequatur, quo inſons liberetur, & qui malè egit, meritas pœnas experiatur. Septimò, ſi in ipſa iudicij exequutione non obliuiſcatur clementiæ, ne qua crudelitatis ſpecies appareat. In his uidelicet iuſticia iudicis conſiſtit, ut iudicis, ſecundum quam rectè iuſtus iudex uocatur.

Deus eſt iuſtus iudex.

Iuſticia iudicis.

Si referamus hæc ad cœleſtem & uniuerſalem iudicem, nihil prorſus ex illis deſiderabitur. Iuſtus Dominus, inquit Dauid, & iuſticias diligit. Et Pſal. 5. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem. Et Exodi 22. Viduæ, inquit, & pupillo non nocebitis. Si læſeritis eos, uociferabũtur ad me, & ego exaudiam clamorem eorum, &c. Præterea, etiamſi nõ clamet qui oppreſſus eſt,

Omnes partes iuſti iudicis ſunt in Deo.

ipsam tamen illius causam non aliter exaudit & agendam suscipit, quàm si admodũ adse ociferetur. Nota est historia Habelis & Cain. Quòd nec munera nec personas recipiat, sed tam pauperi quàm diuiti ex æquo iudicet, uidere est Deut. 10. ubi sic legimus: Deus magnus, potens & terribilis, qui personam non accipit, nec munera, facit iudicium pupillo & uiduæ. Quòd rectè iudicet, testatur Propheta dicens: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. De exequutione quoq; iudiciorum ipsius, non est dubium. Neque enim iudicat uerbis tantùm, sed opere. Imò tum iudicare dicitur, quando reipsa defendit insontes, & punit reprobos. Quòd autẽ in ipsis iudicijs clementię suæ nõ obliuiscatur, exẽpla iudiciorũ ipsius conuincũt.

Quòd si uel non statim iudicat, uel non mox pœnas meritas de peccatoribus sumit, uel nõ tam seueriter in illos animaduertit, quàm peccatorum enormitas poscere uidetur, ne sic quidem iniustè agit. Quia non est iudex tantùm, sed & Deus, natura clemens & misericors, & præterea dominus quoq; omnium, habens plenam potestatem, tam ad parcendum quàm ad iudicandum. Iusti iudicis scopum esse conuenit, ut nõ mox perdat, quos iudicandos accipit: sed quo ad eius fieri potest, sic iudicet, ut quod seruari potest, seruet. Huc planè incumbit iustus noster iudex, qui propterea tardus est ad iram & ad iudicium, ut resipiscentes seruet. Impœnitentes tamen tandem ubi dies iudicij aderit, iusto iudicio condemnabit.

Tres species iustitiæ in Deo.

Sic tres deprehendimus in Deo ueræ iustitiæ species: primã, quæ sit Dei creatoris & conseruatoris omnium, quæ nihil est aliud quàm diuinæ naturæ bonitas: secundam, quæ sit Domini iusta potestate in omnibus quæ condidit pro uoluntate sua dominantis: tertiam, quæ sit iudicis, mundum hunc iudicantis.

QVID DISCRIMINIS SIT INTER IVSTICIAM Dei, & humanam.

Iustitia hominis nulla est.

QVemadmodum nulla est comparatio hominis ad Deum, ita nec ulla potest esse inter iustitiam humanam, & eam quæ Dei est. Iustitia hominis, si naturæ corruptionem inspicias, nulla est. Vnde illud est Rom. 3. Non est iustus, ne unus quidem. Quando dum humanæ iustitiæ mentionem facimus, quidq; discriminis sit inter illam & eam quæ Dei est quærimus: non intelligimus de ea quam habeamus ex natura, sed de ea quam habere debemus, & ad quam in Scripturis uocamur. Et hanc quoq; non sic conferimus cum diuina, ut intelligamus quàm sit illius respectu modica, imperfecta & inconstans, sed quatenus singulari

Iustitia Dei ab humana discreta est.

quadam conditione ab illa sit discreta. Et hoc paucis explicandum puto, propter eos qui ubi de iustitia Dei disputant, ægrè à conditione humanæ iustitiæ discedunt, quasi cognitio diuinæ iustitiæ ab humanæ formis sit petenda: id quod ferè in disputationibus de Prędestinatione diuina, fieri uidemus.

Qualis iustitia à nobis requiratur.

Conditio iustitiæ, quæ à nobis requiritur, & ad quam præceptis diuinis instituimur, hæc est, ut à uoluntate Dei pendentes boni simus, diligamusq; ipsum & proximũ, colamus ipsum syncera fide, & innocenter uiuamus erga omnes, nemini faciamus quod nobis fieri nolimus: neminem immeritum, imò ne meritum quidem odio prosequamur: neminem damnemus, nisi manifestè malum ac certis causis dignum qui damnetur: neminem obstinatũ reddamus in malo, nec cui quæ impossibilia, ipsi sint imponamus, & quæ alia sunt huiusmodi, studiosè uitemus. Qui ad hũc modum comparatus est, haud alienus ab ea uidetur esse iustitia, quam à nobis diuina præcepta & cœlestis doctrinæ institutio requirunt. Qui uerò ab hac est diuersus, sic ut à uoluntate Dei nõ pendeat, proximos immeritos odio prosequatur, alijs quod sibi fieri nolit faciat, non manifestè malos, imò qui nihil mali fecerint damnet, in malo quos uoluerit, obstinatos reddat, impossibilia in humeros infirmorum ponat, hunc sanè nemo facilè iustum uocauerit, sed iniustum pronunciabunt omnes.

Nõ est iustitia Dei ad humanæ iustitiæ conditiones restringenda.

Hisce iustitiæ nostræ conditionibus si cõferas eam quæ Dei est, nolisq; de illa aliter quàm secundum ipsas sentire, non poteris per omnia de Deo pronunciare quòd sit iustus.

Primùm enim nõ pendet ille à superioris alicuius uoluntate, cuius sit præceptis subiectus, & cui studia & facta sua conformet, sed totus propria uoluntate sua ac libera potestate agit omnia. Deinde odit hominem ac damnat, qui non modò nihil dum mali facit, sed ne adhuc natus quidem est, sicuti patet in Esau. Et interea tamen non uult, ut se quisquam odio prosequatur. Tertiò, indurat quos uult, concludit omnes sub incredulitatem, impium facit diem malum, tradit in immundiciam, in cupiditates ignominiosas, & in reprobum sensum. Si respexeris ad iustitiam qualis à nobis requiritur, non poteris ista non damnare ac pronunciare, quòd aliena sint ab omnium iustissimo Deo, ideoq; necesse sit, ut secus quàm literalis bet exponantur. Sanè si hæc fiant ab homine, meritò damnabuntur. Vbi uerò teste Scriptura fiunt à Deo, in quo nulla locum habet iniustitia, quemadmodum suprà annotauimus, omnino requiritur, ut iustitiam Dei separemus ab humana, fateamurq; iustum esse quicquid ille fecerit, etiamsi nobis sit prohibitum, & iniustum, si à nobis fiat.

Quomodo iustum est, inquis, odio quẽquam nondum natum, nec aliqua dum in re culpabilem

bilem prosequi? Quomodo iustum est obdurare cor hominis, ne intelligat & resipiscat? Quomodo iustum est tradere quenquam in immundiciam, cupiditates prauas, & reprobum sensum? Respondeo: Iniusta sunt hæc, si fiant ab homine. Neq; enim possunt fieri ab homine sine iniuria in proximum admissa, & sine transgressione legis, quæ dictat, non esse faciendum alteri, quod tibi nolis fieri. Sed obsecro, æquum ne est, ut diuinam Maiestatem ijsdem cum homine legibus subijciamus? Homini data lex est, cõtra quam si fecerit, rectè cẽsetur iniustus. Quis nam Deus ille est, qui Domino Deo nostro legem aliquam præscripserit, cuius sit obseruãtiæ obstrictus? Quis ille poterit ex omnib. esse mortalibus, cui iniuria possit inferri à Deo? Si uerò fatemur, nullis esse legibus subiectum Deum, nedum ijs quæ nobis sunt impositæ: nec fieri posse, ut sit iniurius in quenquam quicquid faciat uel non faciat: & tamen hæc illi quæ iam commemorauimus, in Scripturis tribuuntur: quomodo nõ uidemus de iusticia illius nõ esse secundum leges hominibus positas, secundumq; iusticiam quæ ab hominibus rectè requiritur, sed secundum liberam & absolutam illius potestatem iudicandum, qua, cum Dominus sit omnium, liberè de quolibet facere potest, quod ipsi placuerit?

Non esse maiestatem Dei ijsdem cum homine legibus subijciendam.

Sit igitur hæc Christiani hominis discretio, ut de iusticia uel Dei uel hominis iudicaturus, nõ cõsideret simpliciter ac tantum quid in se sit quod fieri uidet: sed simul ad personam, cõditionem, statum, officium & potestatem facientis respiciat, sciens haud omnia omnibus esse pariformiter uel licita uel illicita, sed ab alijs posse licitè fieri: quę si alij facerent, sine culpa nõ fierent, & cum hac sit discretione de iusticia factorũ humanorum iudicandum, multo esse maiori discrimine inter diuina & humana facta discernendum.

Discretio Christiani hominis.

DE PROVIDENTIA DEI.

SI considerentur quæ de natura Dei dicta sunt hactenus, existimo abundè satis liquere, sic eam esse omnibus modis comparatam, ut toti huic uniuerso prorsus per omnes ipsius partes prospicere, cunctaque disponere & uelit & possit, imò prospiciat etiam ac disponat, idq; necessariò. Cum enim sit omnisufficiens & omnipotens, utiq; nihil esse potest tam arduũ, tam difficile, tam abstrusum, tam multiplex ac perplexum, tam latum & amplum, tamq; multa post secula futurum, quod prouidentia sua diuina plena & absoluta disponere nequeat. Quod futura attinet, non modò præscia est omnium, sic ut omnia nuda & aperta sint oculis ipsius: sed & præpotens, ad disponendum ea, ut adimpletio illorum & præscientia exactissimè sibi mutuò correspondeant. Quod præterita & præsentia concernit, facilè patet, non posse illa latêre eum, quem futura latêre non possunt. Nemo ignorat, multo faciliorem esse præsentium ac præteritorum scientiam quàm futurorum præscientiam. Vbi locum habet quod difficilius est, ibi nemo dubitat multo facilius locum esse posse facilioribus. Præteritorum ac præsentium scientia, humana potest industria acquiri, etsi non in omnibus, certè in plurimis: futurorum uerò præscientia diuinæ tantũ facultati relinquenda est, & quibus hanc illa reuelare dignatur. Cũ ergo diuinæ cogimur naturæ dare, quod impossibile est humanæ: multo amplius illi dare cogimur, quod in humana quoq; locum habere potest. Hæc considerantes, intelligimus posse Deum prouidentia sua disponere cuncta tã futura, quàm præterita & præsentia, ubi omnipotentiæ illius præscientiã coniungimus. Et uelle Deum prouidere ac prospicere omnibus suis creaturis, tam terrestribus quàm cœlestibus, ex ijs patet, quæ in loco de bonitate illius diximus. Cùm natura sit bonus, ideoq; causas benefaciendi accipiat non aliunde, sed ex seipso, sit que ad prospiciendum omnibus propensissimus, nulla prorsus ratio est, propter quam de uoluntate illius dubitare debeamus. Verùm de illa quoq; suprà peculiari loco annotauimus. Iã si hæc coniungamus, unde nobis de potentia ac uoluntate Dei irrefragabilis certitudo constat, nihil relinquitur amplius, unde ad dubitandum de factis illius permoueri debeamus. Etenim sic de illo testatur Scriptura, quòd quæcunque uult, faciat. Humana imbecillitas & impotentia magna est: & tamen si des homini quòd benefacere proximis non modò possit, sed & uelit, non habebis facilè dubitandi occasionem, an quod potest & uult, certò sit facturus. Quanto minus de Deo dubitandum est, quòd prouidentia sua disponat omnia, cùm de potentia ac uoluntate illius dubitare nequeamus, nisi omnipotentem ac summum bonum esse dubitemus?

Toti huic uniuerso prouidet Deus.

Præscientia Dei.

Et potest & uult Deus prospicere omnibus.

Quod uerò id eum necessariò facere diximus, non est de necessitate intelligendum, qua ipse opus habeat conseruatione ac dispositione eorum quę condidit, sed quam illa requirãt & poscãt. Sic enim comparatæ sunt, ut suapte uirtute, cura ac prouidentia subsistere nequeant, etiamsi uanitati subiecta non essent, cui tamen teste Apostolo sunt subiecta. Quare opus habent, ut creatoris sui prouidentia, cura ac dispositione gubernentur & conseruentur. Neque enim ulla creaturarum est, ne cœlestium quidem, quæ cæteris præstare possit, quod sibijpsi præstare nequit. Sic omnis omnium creaturarũ cura ac dispositio ad Deum solum necessariò

Qua necessitate disponat Deus omnia, Rom. 8.

deuoluitur, siue potẽtiam, bonitatem ac uoluntatem illius, siue creaturarum necessitatem & conditionem inspiciamus. Et hæc mihi ratio, utut uideatur esse simplex, respectu eorũ, quæ à nonnullis operosa commentatione adducũtur, expedita ac certa apparet, unde animus fidelis in fide prouidentiæ Dei, si illam diligenter consideret, confirmari possit.

ALITER ATQVE ALITER DE PROuidenia Dei sentiri.

QVamuis experimẽta diuinæ prouidentię omniũ sunt manifestissima, sic ut ab ethnicis quoq; sint agnita: reperiũtur tamen uarię de illa sententię. Nec mirum, cũ nihil pręterea tam sit unicum & certũ, quod non humana lippitudine, imò cæcitate uarijs modis discerpatur. Sol ueritatis clarissimus est, uerùm humanæ mentis oculi cæcutiunt.

Alij prouidentiam Dei negant.

Alij usq; adeò sunt impij, ut prouidentiam Dei prorsus negent. Non agnoscunt illum scire res mortalium. Dicunt in corde suo, Nec uidet Deus, nec intelligit. Sic animati sunt peccatores, operarij iniqui, qui populum Domini humiliant, & hæreditatem eius diuexant, dicentes in cordibus suis: Non uidet Dominus, nec intelligit Deus Iacob. Psal. 94. Cogitant impij fidelium oppressores, inhabitare Deum cœlos, sic ut procul sit à nobis terram hanc incolentibus remotus: atq; ita fieri, ut facta ipsorum nec uideat nec intelligat. Cogitant de illo tanquam de absente, nec cẽsent illum uidere & cognoscere, nisi quæ in oculis ipsius fiant. Sic faciunt eum similem homini Regi, qui utut potens sit, haud tamen omnia quæ in regno ipsius geruntur, uideat & cognoscat. Horum dementiam redarguens Propheta, dicit: Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantat aurem, an' non audiet? Qui fingit oculum, an' non uidebit? Sed de hac stulticia uide Commentarios nostros in eum Psalmum. Perstringit hoc genus insipientium & Iesaias capite uigesimonono, dicens: Vę qui profundi estis corde, ut à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis uidet nos? & quis nouit nos? Peruersa est hæc uestra cogitatio, perinde ac si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, Non fecisti me: & figmentum dicat fictori suo, Non intelligis. Et Ezechielis octauo de illis sic legimus: Certè uides fili hominis quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubilis sui. Dicunt enim: Non uidet Dominus nos, dereliquit Dominus terram. Qui sic animati sunt, ut cogitent Deum ne uidere quidem ea quæ geruntur in terra: etsi uideat, nihil tamen uidere, nisi facta externa & manifesta, occulta uerò nec uidere nec intelligere: quando crediturí sunt, scire illum, curare ac disponere omnia?

Alij dicunt, non curare Deum res humanas.

Deinde sunt, qui licet facilè credant uidere Deum, & intelligere omnia: cogitant tamẽ, esse illum ociosum factorum nostrorum spectatorẽ, nec curare res humanas: perinde ac si Rex quispiam è loco sublimiore ludos theatricos spectet, non ut illos dirigat ac disponat, sed ut sese eiusmodi spectaculis oblectet, animumq́ue serioribus curis fatigatum nonnihil releuet. Quemadmodum ridiculum esset, si quis Regiam maiestatem res ludicras, & theatrales inptias non modò spectare, sed & curare, dirigere ac disponere dicat, cùm innumera habeat multo seriora, ac Regia maiestate digniora quæ curet: sic isti omnino ridiculam & indignam rem esse existimant, si Deum res humanas non solùm uidere ac scire, sed & prouidentia sua disponere curareque dicas. Hi dicunt, Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filijs hominum. Hoc est, ipsorum iudicio: Non curat Deus quid faciant filij hominum. Dedit illis terram, reliquitque eos in manu consiliorum ipsorum, ut faciat quisque quod uult & potest: & interea seruauit sibijpsi cœlum, in quo regnat tanquam cœli Dominus, & quæ cœlestia sunt, curat ac disponit. Sic nostra hac ætate inuenti sunt assentatores magnatum, qui palàm dicerent: Cœlum cœli Domino, terram autem dedit Cæsari: imitantes eum qui olim dixit, Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habes. Verùm qui deponit potentes de sede, & exaltat humiles, aufertque spiritum principum, & corda Regum ueluti riuos aquarum in manu sua habet, ac quòcunque uult dirigit: frequenter declarat, non modò cœlestia se, sed & terrena curare ac disponere.

Cœlũ cœli Domino, terram dedit filijs hominum.

Alij dicunt: Vnde tot mala, Si regit Deus orbem?

Tertiò, sunt qui quidem perinde atque isti res humanas curari ac disponi à Deo non credunt, uerùm alia ad hoc ratione quàm isti mouentur. Si curat Deus facta hominum, inquiunt, unde tot mala quotidie in consilijs, studijs ac factis hominum deprehenduntur: quæ ille omnia, cura ac dispositione prouidentiæ suæ præuenire impedireq́; posset, siquidem res humanas curaret? Quis credat eum esse bonum patremfamiliàs, qui mala domus suæ cum possit, non auertit & impedit? An' non uel hoc argumento liquet, non curare Deum, non moderari ac disponere studia & facta hominum: sed reliquisse homini liberum in omnibus arbitrium, ut quod uult & potest, siue bonum siue malum faciat, & factorum suorum præmia ac retributionem in futurũ expectet? Et hoc argumẽto mouentur alij ad negandum hác diuinæ prouidentiæ partẽ, qua res humanæ disponũtur: alij, qui infirmiores sunt, ad dubitandũ, nũ uerè sint Deo curæ, quę uitã, studia ac facta mortaliũ concernũt. Sunt quidé multa quibus

ad cre-

ad credendum mouentur: uerùm iuxtà sunt ex oppositio quoq; multa, quorum consideratione impediuntur, ne firmum assensum parti huic prouidentiæ Dei prębeant: atq; ita dubij stãt, uelut in biuio, hæsitantes in quam partem plena ac secura fiducia concedant.

Quartò, sunt qui de nulla parte prouidentiæ Dei dubitant, sed certò credunt & agnoscunt, nihil fieri nec in cœlo nec in terra, quod sine prouidentię ipsius dispositione geratur: nihil esse uspiam, quod non cura ipsius seruetur ac subsistat. Verùm ex illis alij subinde querũtur, quòd tam bene est malis in hoc seculo, alij etiam in eo ipso prouidentiæ Dei consilia & iusticiã deprædicant: tam abest ut ad conquerendum permoueantur. Imò fit, ut qui ad tempus prosperitate impiorum offensi, contra prouidentiam Dei nonnihil querulantur, consilijs Dei propius inspectis probare incipiant ac deprædicare, quos antea fuerant offensi. Hac de re uidere est Hieremiæ 12. ubi sic legimus: Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum, ueruntamen iusta loquar ad te: Quare uia impiorum prosperatur? Bene est omnibus, qui præuaricantur & iniquè agunt. Plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt & faciunt fructum. Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. Vide, haud quidẽ negat impios plantari à Deo, uerùm in eo offenditur, quòd tanta rerum prosperitate utuntur. Consimilia legimus & Psalmo septuagesimotertio, ubi hac de re multis agitur: ad quorum inspectionem Lector, si uolet, Commentarios nostros uidere poterit. *De illis qui prouidentiam Dei agnoscũt.*

Sic igitur uariant mortalium opiniones in causa hac prouidentię Dei, ut alij humilius & abiectius de Deo sentientes, negent eum uidere & intelligere res humanas: alij contrà, præposterè Maiestatem diuinam extollentes, ridiculum putent, si tribuatur illi, quòd terrena hæc & humilia de cœlo uideat, curet ac disponat: alij consideratione iusticiæ illius permoti, sentiant eũ consilia, studia & facta hominum non disponere, sed ipsorum arbitrio relinquere: alij non dubitantes de prouidentia Dei, aliquando prosperitate impiorum offenduntur: ac rursus ad rectam illius intelligentiã conuersi, sapientiam ac iusticiam Dei in eo ipso, quo antea offensi fuerant, agnoscant & commendent. Bene tamen cũ rebus humanis agitur, quòd prouidẽtia Dei, qua disponuntur omnia, non uariat & uacillat, sicuti de illa mortalium sententiæ uariæ sunt & inconstantes, sed constanti ac perpetua serie cuncta moderatur ac disponit.

QVID SIT PROVIDENTIA.

NOrunt periti Scripturarum uoces illas, quibus diuinę Maiestati aliquid tribuitur, ex usu humano desumptas esse, ac sic naturæ Dei accommodatas, ut quæ nulla lingua propriè possunt exprimi, figuris saltem humani sermonis aliquò usq; adumbrentur. Sic tribuitur Deo præscientia, scientia, cura, prouidentia ac dispositio, perinde ac si sermo fiat de Rege quodam sapientissimo ac prudentissimo, quem nihil eorum lateat, quæ sint uel futura uel præterita uel præsentia, quiq; omnium eorum quæ sint in Regno ipsius curã gerat, & cuncta exactissima sua prouidentia disponat. *Quomodo tribuatur Deo. prouidentia.*

Est autem præscientia, Græcis προγνωσις, eorum quæ futura sunt, priusquã fiant, certa sciẽtia. Hac quosdam ante mundi constitutionem præsciuit ac prædestinauit, sicuti legimus Rom. 8. ubi Apostolus dicit: Quos præsciuit, hos & prędestinauit. Scientia uerò generaliter ad omnia pertinet, tã præterita quàm præsentia. Scriptura dum tribuit Deo scientiam, nihil aliud intelligit, quàm quòd nihil tam sit occultum, nihil tam sit antiquum, nihil tam minutum, nihil tam perplexum, quod conscientiã illius possit effugere. Qui hoc credit, satis tenet, quomodo scientia omnium diuinæ Maiestati tuibuatur, etiamsi Sophisticas quæstiones non teneat, quibus quomodo scientia sit in Deo, disputant. *Præscientia.* *Scientia.*

Curam quoq; Deo tribuit Scriptura. Sic 1. Pet. 5. legimus: Omnẽ sollicitudinem uestram proijcientes in eum, quoniam ipsi est cura de uobis. Non intelligit autem aliud, quàm non negligere Deum necessitates suorum, ne quis in uocem hanc scrupulosius inquirat, quomodo sollicitudo, quæ curam comitatur, Deo conueniat. Curam definiunt, flagrantem in corde stimulum, quasi sit corroda. unde illud est Vergilij: Quando hæc te cura remordet. Hactenus sanè non tribuitur Deo cura, in quo nihil tale locum habere potest. *Cura.*

Prouidentia aliquando idem est quod futurorum cognitio & præscientia, aliquando sonat facultatem prospiciendi alijs de ijs quæ sunt necessaria. Sic Deus in cœlo est, qui prouidus omnia curat. Cura ad præsentem, prouidentia uerò ad futuram potest necessitatẽ referri: ut prouidus sit qui suis prospicit in futurum: idq; facit in tempore, ne ubi necessitas urget, desint ea quæ necessarius postulat usus. Sic erat opus prouidentiæ Dei, quòd priusquam conderet hominem, de omnibus illi necessarijs prospexit. *Prouidentia.*

Dispositio hactenus à cura & prouidentia differt, quòd disponere, non simpliciter curare ac prouidere quæ necessaria sunt significat, sed singula secundum uniuscuiusq; qualitatem cõpetenti discretione ordinare & constituere: qua in re incomprehensibilis sapientia Dei commendatur, per quam illius cura ac prouidentia à fine ad finem usque pertingens, omnia dispõnit in pondere, numero ac mensura. Hac dispositione perstant in ordine suo cuncta tam *Dispositio.*

cœlestia

cœlestia quàm terrestria, tam suprema quàm infima & intermedia, cœlum, sol, luna, stellæ, pol-
lus, montes, campi, fontes, flumina, mare, animantia rationalia & irrationalia, cum omnibus
ad conseruationem horum pertinentibus.

Quid sit prouidentia Dei. Vbi hæc, ueluti partes quasdam prouidentiæ Dei consideramus, facilè intelligimus quid de tota sit sentiendum. Nempe esse illam omnium eorum quæ sunt, quæ fuerunt, & quæ fu-
tura sunt, præsciam & consciam curatricem ac dispositricem, per quam omnia secundum uo-
luntatem creatoris, gubernatoris ac seruatoris Dei sapientissimè disponuntur, & quæ facta
nondum sunt, fiunt: quæ facta sunt, diriguntur ac conseruantur: quæ humilianda, humilian-
tur: quæ exaltanda, exaltantur: quæ castiganda, castigantur: quæ tollenda, tolluntur: quæ mu-
tanda, mutantur, &c.

Sunt qui prouidentiam Dei definiant ad hùnc modum: Prouidentia, est perpetuum & im-
mutabile rerum uniuersarum regnum & administratio. Illi uoce Regni, dominium ac potes-
tem, administrationis uerò temperamentum dominij intelligũt: quam adiecerunt propter re-
rum omnium suppeditationem, quæ in speciẽ non minus ministerij quàm dominij uidetur ha-
bere conditionem. Sed hactenus de prouidentiæ definitione.

QVAE SINT PROVIDENTIAE Dei *species.*

Tres species prouidentiæ Dei. VNa quidem est, & eadẽ diuinæ Maiestatis prouidentia: uerùm si illius opera considera-
tur, certas quasdam species habere deprehẽditur. Possent hæ multæ assignari, at in pre-
senti tres ex omnibus, quæ principaliores sunt, in mediũ obiter inspiciẽdas adferemus.
Prima est creationis, secunda conseruationis, tertia gubernationis, uel si (mauis) regiminis.

I. CREATIONIS.

IN opere creationis concurrerunt bonitas, potentia, sapientia ac prouidentia Dei. Quòd hu-
mani generis bono, uniuersam hanc cœli terræq; machinam creauit, bonitatis illius habe
argumentum. Quòd uirtute uerbi sui creauit omnia, secundum illud Prophetæ, Dixit & fa-
cta sunt: est unde omnipotentiam illius agnoscamus. Quòd tam admirabili, tamq; commoda
& utili serie cuncta disposuit, sapientiam nobis incomprehensibilem commẽdat. Quòd uel
mox initiò sic omnia condidit, ut non in præsens tantùm, sed & in futurum ad finẽ usq; mundi
in genere quæq; suo & ordine primæuo durare, usibusq; nostris seruire queant, totũ hoc pro-
uidentiæ ipsius debetur. Sic prouidentia Dei dedit nobis lucem, qua utimur usq; in finẽ, sine
Opera prouidentiæ Dei. qua omnia tenebris immersa iacerent: diuisit inter tenebras & lucem, constituitq; diem ac noc-
tem: cuius utriusq; alternatione uices operandi ac quiescendi sic temperauit, ut nec cõtinua
& indesinenti luce supra uires humana imbecillitas grauaretur: nec si iuges essent tenebræ,
perandi necessitas excluderetur: constituit expansum illud, quod firmamentum uocamus, in
quo duo illa magna luminaria sol & luna, totum hunc orbem uicibus suis illuminarent: ut il-
le etiam omnia calore suo foueret, ista uerò frigiditate sua terram refrigeret, ut reliquos usus
usq; luminis usus taceamus.

Eadem prouidentia Deus mox initiò discreuit aquas ab aquis, & inferiores in locum uni
sic inclusit, ut telluri nihil possint incommodare, quam erat nobis inhabitandam daturus: ter
ræ uim indidit fructificandi, unde alerentur & homines & iumenta: herbis, & arborum fruc
bus semen dedit, unde unumquodq; genus secundum speciem suam in usus seculorum om
nium seruetur: aquas repleuit omnis generis piscium copia, & faciem terræ uolucribus: deni
bestijs, iumentis & reptilibus, quibus omnibus uim multiplicandi sese contulit, unde sing
lorum generum species in hunc usq; diem perdurant. Consimili modo & hominem formau
aptum ad generandum prolem, habentem in se speciei suæ semen, adiuncta illi muliere, qua
& ipsa ad concipiendum, pariendum & alendum fœtum esset idonea: quibus etiam benedi
ctione sua crescendi & multiplicandi uim naturaliter indidit: & hac prouidentia sua neq; uni
solum, neq; mulierem sine uiro, sed masculum & mulierem creauit: in quibus utriq; sexus ma
sculinus & femininus in unam carnem connubialiter coniuncti, humani generis integritatem
& seruarẽt & propagarent: qua cõiunctione nihil debebat in humano genere haberi sanctius
& custodiri purius. Quare prorsus antiqui serpentis & hostis humani generis cõsilio obsequi
tur, quotquot ab hoc diuinę prouidentiæ instituto abludentes, connubialẽ uiri ac mulieris co
iunctionem uel infamant ac impuritatis insimulant, uel uetant, uel dirimunt, uel illicitis mo
dis conspurcant: ut taceã, quæ à Sodomitis olim admissa horribilis ultionis exemplo sic fue
cœlitùs punita, ut uniuerso generi humano ad finem usq; mundi, uel cogitare de illis summo
posset esse horrori, nisi hodie quoq; multorum mentes diabolica illusione occęcatæ, in repro
bum essent sensum traditæ. Hæc obiter de prouidentia primæuæ creationis, de qua in Com
mentarijs nostris super Genesim capite primo pleraque annotauimus.

ILCO

II. CONSERVATIONIS.

Conseruatio eorũ, quæ sunt à Deo cõdita.

SEcundam prouidentiæ Dei speciem, conseruationis esse diximus. Intelligimus autem de ea, qua omnia ab ipso creata sic cõseruantur, ut non modò in seipsis subsistere, sed & in ordine quæq; suo sic perdurare ualeant, ut usui, in quem creata sunt, non uni & alteri generationi, sed per omnia secula seruiant, ac rationi cõsilioq; creationis respondeãt. Sine hac prouidẽtia tantũ opus durare nequiuisset, quin sua ipsius mole statim initio corruisset. Quòd sol ille, cũ totus igneus omnium sit ardentissimus, nec ipse comburendo consumitur, nec ea quæ in terra sunt ardore suo deuorat, an non manifestum est diuinæ prouidentię opus? Quòd passim scaturiunt fontes, quòd flumina continuo cursu contendunt in mare, quodq; è mari recurrunt in suos alueos, atq; ita perpetuitate fluendi usibus nostris seruiunt: quòd terra cœlitùs cõpluitur, cœlestiq; rore humectatur, ac hyemali niue ad insequuturæ æstatis ardores cõmodius ferendos præparatur: quòd fertilitas æstatis, unde omnis generis alimenta colliguntur, hyemis sterilitatem quotannis præuenit: quòd unicuique frugum & animalium generi sua species pariter, & naturæ uis immota seruatur: quòd ignis uim ardendi, calefaciendi ac comburẽdi, aqua refrigerandi, humectandi ac purgandi, & aer spirandi ad hunc usque diem constanter retinet: quòd fœtus in utero materno secundum uniuscuiusq; speciei naturam concipiuntur, aluntur, prouehuntur, illæsi in lucem eduntur ac conseruantur, & quæ alia sunt eiusmodi innumera, quid aliud prędicant, quàm non deesse prouidentiam Dei ab ipso creatis, qua cuncta in ordine suo conseruentur?

Conseruatrix prouidentia Dei bifariam considerandа.

Hanc prouidentiæ Dei speciem omnium conseruatricem bifariam considerare possumus. Primò, ut immediatam: deinde, ut mediatã. Immediata est, qua sine ullo medio: mediata, qua per media quædam conseruationis opus ac cura perficitur. Loquor autem de medijs, quæ ad nostram cognitionem uenire possunt, non de incognitis ac inuisibilibus. Manifesta sunt diuinæ prouidentiæ media, quibus genus humanum coniunctione maris & fœminę propagatur, liberi cura & opera parentũ educantur, terra labore hominum culta fructificat, corpora nostra uisibili ac terreno cibo aluntur, ægrota studio & arte medicorum curantur, potestate Magistratuum pax publica custoditur, imperiti disciplina doctiorum erudiuntur, &c. quibus omnibus opus prouidentiæ Dei, tanquam ordinatis ab ipso medijs perficitur. Quare cordati ac pij hominis est, quibuscunq; modis ac medijs alatur, curetur, & conseruetur, agnoscere erga se prouidentiam Dei creatoris sui, illamq; grato animo deprædicare.

De minutis animalculis. Hieronymus.

De minutis animalculis magni nostræ religionis Doctores, aliter atq; aliter sentire uidentur. Hieronymus existimat non singula, sed multitudinem tantùm illorum prouidentię, ac scientiæ diuinæ esse capacem. Sic enim in Habacuk cap. 1. annotauit. Sicut igitur in hominibus, etiam per singulos Dei currit prouidentia, sic in cæteris animalibus generalem quidem dispositionem & ordinem, cursumq; rerum intelligere possumus. Verbi gratia, quomodo nascatur piscium multitudo, & uiuat in aquis, quomodo reptilia & quadrupedia oriãtur in terra, & quibus alantur cibis. Cæterùm absurdum est ad hoc Dei deducere Maiestatẽ, ut sciat per momẽta singula quot nascantur culices, & quot moriantur, quæ cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus maiorum prędę cedere debeant. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam eius etiam ad ima detrahimus, in nosipsos iniurioſi simus, eandem rationabilium quàm irrationabiliũ prouidentiam esse dicentes. Ex quo liber ille Apocryphus stulticiæ cõdemnandus est, in quo scriptũ est quẽdam angelum nomine Tyri præesse reptilibus. Et in hanc similitudinẽ piscib. quoq; & arboribus, & bestijs uniuersis proprios in custodiã angelos assignatos. Hæc ille. Quæ si accuratè examinentur, plurimũ de perfectione ac plenitudine prouidentiæ Dei detrahere deprehendentur: quæ non in hoc consistit, ut generaliter tantùm sciat, quæ sit bestiarum multitudo, quomodo illa nascatur, quomodo oriatur, & quibus cibis alatur, sed & ut singulas cura sua, nedũ scientia complectatur, usq; adeò, ut ne passerculus quidem in terram cadat sine scitu Dei, teste Christo ipso Matth. 10. Quomodo hæc Hieronymi sententia conuenit argumento Christi, quo nos in unico passerculo, non in multitudine, sic de prouidentia Dei instruit: ut colligamus, non esse timendum nobis, ne deserat nos Deus, cum multis simus passeribus meliores? Ille dicit: Multas quidem, non autẽ singulas bestias curat. Christus uerò non dicit de multis, sed de unico passerculo. Quòd si Deus nescit per singula momenta, quot nascantur culices, & moriãtur, quomodo est in operibus suis omniscius? Si non refert quo nascãtur numero, quo moriantur, ita ut tam mors quàm natiuitas illorum cõscientiam Dei fugiat: quem dabimus illorum creatorem, à quo uitam accipiant, & quę ad uitæ sunt sustentationẽ necessariæ? Si accipiunt à Deo singulæ bestiolæ uitam, accipiunt utiq; non ab ignorante, sed à sciente. Ignorent mare ac terra quot singulis momentis producant omnis generis reptilia, non ignoret Deus, qui tam illorũ quàm angelorum unicus est creator & conseruator, & non minus est in operib. suis omniscius quàm omnipotens, nec plus laboris insumit ad cognoscendum singularum creaturarum suarum ortum & obitum, quàm ad curandum illarum multitudinem.

Locus Hieronymi examinatur.

Quanto

Augustinus. Quanto consultius Augustinus super Psalmũ 148. dicit: Attendat charitas uestra. Quis disposuit membra pulicis & culicis, ut habeãt ordinẽ suum, habeant uitã suam, habeant motum suum? Vnam bestiolam breuem, minutissimam, cõsidera quam uolueris: si consideres ordinẽ membrorum ipsius, & animationem uitæ, qua mouetur, ut pro se fugiat mortem: amat uitam, appetit uoluptates, deuitat molestias, exerit sensus diuersos, uiget in motu congruo sibi. Quis dedit aculeum culici, quo sanguinem sugat? Quàm tenuis fistula est qua sorbet? Quis disposuit ista? Quis fecit ista? Expauescis in minimis? Lauda magnum. Hoc itaq; tenete fratres mei, nemo uos de fide excutiat, & de sana doctrina. Qui fecit in cœlo angelũ, ipse fecit in terra uermiculum: sed angelum in cœlo pro habitatione cœlesti, uermiculum in terra, pro habitatione terrestri. Nunquid angelũ fecit repere in cœno, & uermiculum in cœlo? Distribuit sedibus habitatores, incorruptionẽ incorruptis sedibus dedit, corruptibilia in locis corruptibilibus. Totum attende, totum laudã. Hæc iste. qui in minutissimis quoq; ac singulis animalculis prouidentiam Dei considerandã esse censuit, non minus quàm in angelis cœlestibus, ac sine hac cõsideratione totum illius opus attendi non posse iudicauit.

1. Corinth. 9. Nũquid de bobus cura est Deo? Sed obiecerit quisquã illud Apostoli 1. Cor. 9. ubi cum uerba legis: Non obligabis os bouis triturãtis, ad propositũ suũ citasset, subiecit: Nunquid de bobus cura est Deo? Verùm ea de re in Cõmentarijs nostris super priorem ad Corinthios annotauimus. Non excludit Apostolus boues à cura prouidentiæ Dei: sed legem illam haud propter boues, sed propter homines laborantes, ut de labore suo uiuant, latam esse significat. Alia est cura prouidentiæ Dei, alia legislationis. Ad posteriorem non pertinent boues, pertinent uerò ad priorem. Lex illa scripta fuit non propter boues, sed propter nos, inquit. quibus uerbis de cura se Dei loqui satis indicat, non qua cunctis creatis prospicit, sed qua legem illam populo suo tulit. Quare locus hic Apostoli, sententiæ Hieronymi patrocinari non poterit.

III. GVBERNATIONIS ET *regiminis.*

TErtia prouidentiæ Dei species est, qua totus mundus, & quæ in illo sunt omnia gubernatur, reguntur ac disponũtur. Præest uniuersis prouidentiæ diuinæ dispositio, & interest nobis Deus, in quo uiuimus & mouemur. Est autem prouidentiæ huius series quædam, secundũ quam de illa cogitare possumus, licet sit immensa & inscrutabilis illius operatio. Hic in præsenti trina diuisione cõprehendimus sic, ut primũ locum teneat cœlestis, secundũ terrena, tertiũ spiritualis moderatio & dispositio. Cœlestis est, qua primũ præest angelis suis Deus, quos habet uoluntatis suæ ministros. Et hæc pars prouidentiæ Dei licet sit à cognitione & sensibus nostris remota tanquã inuisibilis, subinde tamen certis ac uisibilib. exemplis per angelorum apparitiones innotuit, de quibus multa in Veteris, & nonnulla in Noui testamenti Scripturis leguntur. deinde & qua firmamentũ hoc cœli, cum sole, luna, stellis, uẽtis, rore, pluuia, niue, grandine, pruina, &c. non modò generali ac consueto tenore, sed & singulari nõnunquã ac miraculosa dispositione sic moderatur, ut manifestum fiat omnibus, non esse illa fortuiti euentus, nec fieri posse ut tantus ordo errrantis sit materię: sed sic hęc omnia perpetuę legis imperio procedere, ut interim tamen uoluntati Dei sint subiecta, qua cursus ipsorum uel malo, uel bono nostro insolitis modis mutetur, aut sistatur, uel restringatur. Hãc partem attingit Christus, cum dicit: Qui producit solem suum ac pluuiam super bonos & malos. Et Propheta cũ canit: Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarũ, quę faciũt uerbũ. Et huc pertinet, quòd sol ad petitionem Iosuæ loco suo tandiu constitit, donec ulciscereturse Israel de inimicis suis. Iosuę 10. & quòd reuersus est decẽ lineis per gradus quos descenderat, quo Ezechiæ regi letaliter ægrotanti fides de adimpletione promissorum Dei fieret, Esaiæ 38. Huc quoq; referenda sunt solis deliquia, non modò certa illa ac naturalia, sed & miraculosa & insolita: deinde & portenta & signa quæ in sole, luna ac firmamento uisuntur.

Gubernatricis prouidentiæ Dei trina diuisio est.

Vide Iob 38.

Terrena prouidentiæ Dei dispositio omnia illa cõplectitur, quæ infra cœleste firmamentum in mari, in terra, & in omnibus quæ sunt utrobiq;, geruntur. Horũ alia inanimata, alia animata tam rationalia quàm irrationalia cõcernunt. Inanimata sunt, aqua, ignis, aer, terra, herbę, plantæ, & quæ alia sunt huiusmodi: de quib. prędicari non potest, quòd à seipsis regantur, uel quòd temerè ferantur, aut ab alio quopiam quàm à creatore suo gubernentur.

Vide Iob 38. Ab illo reguntur fluctus maris, & uel extolluntur, agitanturq;, uel cõpescuntur. Ab illo fluxus ac reditus maris, quibus littora certis horis nudantur, ac denuò operiuntur. Ab illo esterę uel fertilitas, uel sterilitas: cuius rei pulcherrimum exemplum est in historia Iosephi. Ab illo est aeris puritas, est etiam pestilens impuritas.

Animata sunt, uolucres cœli, pisces maris, bestiæ terræ, magnę ac minutę, quarum infinitus est numerus, & homo ad imaginẽ Dei conditus. Quod uolucres, & bestias, & pisces attinet, facilè potest intelligi, quòd diuina prouidentia regantur: quandoquidem sibijpsis præesse non possunt, rationis adiumento destitutæ, & sub curam humanam pars illarũ maxima non cadit.

Ac

At de homine cõtrouerti posse uidetur, propterea quòd ille rationis est iudicio, intelligentia & prudentia præditus, ut scire possit quid faciendum sit, & quid uitandum: ideoq; iugi diuinæ prouidentiæ moderatione opus non habeat, præsertim si libero sit præditus arbitrio, & potestatem dominiumq; rerũ terrenarum mox initio generis sui acceperit. Quare irrationalium gubernatione relicta de homine uidendum est, an ille quoq; prouidẽtia Dei regatur, illiusq; sit gubernationi ac moderationi subiectus. *An homo quoque gubernatrice prouidentia Dei regatur.*

Homo creatura Dei est partim cœlestis, partim terrena: & hactenus eidem est prouidentię Dei subiectus, cui generaliter subiectæ sunt creaturæ omnes tam cœlestes quàm terrestres. Constat anima rationali, & carne, è puluere terræ desumpta, ac multis infirmitatibus obnoxia. In anima rationali præditus est mente & corde. Mente ualet intelligentia rerum, iudicio & memoria: corde uult, appetit, amat, odit, sperat, timet: carne edit, bibit, dormit, ambulat, operatur, ægrotat, moritur & corrumpitur. Hæc sunt ferè quibus totus homo constat. Quòd si in illis locum non habet prouidentiæ Dei gubernatio, utiq; in toto homine non habet. Si uerò uniuersa hæc & singula diuina moderatione reguntur, puto manifestum esse, quòd totus homo quantus quantus est, prouidentia Dei regatur. *Homo.*

Principiò, quod attinet animam, qua uiuimus, an non illa prorsus est in potestate Dei, non ad dandum modò eam, quando uoluerit, sed & ad custodiendũ & auferendũ, quando uoluerit? Psal. 97. dicit Propheta: Qui custodit animas sanctorũ suorũ. Quod Christus dixit: Potestatẽ habeo ponendi animam meã, & iterum sumendi eam, à nobis tam ueraciter dici nõ potest, quàm est dictũ ab illo: quia concessa nobis non est animarũ nostrarũ potestas, quã habebat ipse tanquã omnium dominus. Ne sancti quidem suas ipsorum animas gubernare ac custodire possunt, quãto minus id poterũt cæteri? Nec principes sic animas suas custodire possunt, ut satis sint aduersus inimicorum suorum insidias tutę, quantumuis undiq; sint satellitibus ac custodijs munitæ. Verùm de hac parte animæ, qua uiuimus, forsan nemo est qui cõtendat, quin subsit moderationi prouidentiæ Dei: de cæteris uerò plus est cõtrouersiæ. In anima diximus esse mentem, & cor. Mens, quoniã propter intelligendi, iudicãdi, ratiocinãdi, ac memorãdi facultatem naturaliter à creatore acceptam, prę eminentiã in homine sortita uidetur, putãtur propria sua prudentia ac sapientia totũ posse gubernare hominem, ideoq; nõ esse diuinę gubernationi necessariò subiectã. Verùm utut beneficio hoc mentis in multis bene possimus uti, quę res humanas concernunt, nisi sit corrupta ac inordinatis affectibus deprauata, eò tamen usq; nõ ualet, ut sine gubernatione numinis regendis nobis sufficiat. Quantumuis enim ratiocinando ualeamus, firmũ tamẽ manet, quod Scriptura Pro. 16. dicit, linguã & gressus hominis gubernari à Deo, etiãsi corde pleraq; nostro iudicio sapienter disponamus. Quo modo igitur menti nostrę dari potest gubernatio, qua regamur, cũ ne uerborũ quidẽ ac gressuum habeat moderationem? An non & angeli intelligentia ac iudicio ualent? Et tamen prorsus desipiat necesse est, si quis illos diuinæ prouidentiæ gubernationi eximat. *Anima hominis.* *Mens hominis.*

Dicis: At homini concessa est singularis prærogatiuæ dignitas, qua ad imaginẽ Dei conditus, libero præditus est arbitrio, & dominus constitutus operum Dei, id quod esse non poterit, nisi seipsum prius quàm alios regere queat. Respondeo: Inter primæuã hominis creationẽ ac dignitatem, & mox sequutam corruptionem non minus interest quàm inter cœlũ & terrã. Homo, ut ille inquit, libero arbitrio malè utẽs, & se perdidit, & ipsum. Quare non est, ut amissam in Adamo dignitatem prætexamus. Experiuntur cordati omnes, nunquã magis ineptire hominem, quàm dũ sibijpsi relictus omnia suopte iudicio & arbitrio quã prudentissimè moliri uidetur. Vnde pij omnes omnia sua cõsilia, studia & facta cœlesti prouidentiæ cõmittũt. Hinc illa sunt in ore ferè omniũ, Auspice Deo, uolẽte Deo, disponẽte & adiuuãte Deo, si fuerit uoluntas Dei, & quæ alia sunt huiusmodi: quæ uoces nõ modò ex instinctu pietatis, sed & ex omniũ seculorum natæ sunt experientia. Res humanæ omnes, & omnia omnium hominũ studia duobus hisce terminis cõtinentur, ut aut fiant homini, aut fiant ab homine. Quæ fiũt homini, uel certè fieri possunt, infinitæ sunt considerationis. Fiunt illi alia à Deo immediatè, alia mediatè, uel per spiritꝰ bonos aut malos; uel per inanimatas creaturas tã cœlestes quàm terrestres, uel per animatas, bestias uidelicet & homines. Obsecro quomodo poterit mẽs hominis hisce omnibus sese, uel accõmodare ad bonũ, uel opponere ad uitandũ malum, nisi diuina prouidentia gubernetur ac regatur? Prę sentibus non sufficit, quomodo sufficiet futuris, de quibus ne per somnium quidem cogitare potest? Quæ fiunt ab homine, quantumuis prudenti cõsilio fiant, sic tamẽ euentus certitudinẽ nõ habent, ut maiori ex parte longè aliter cadãt quàm fuerãt instituta: id quod euenire necesse est, quoties aliud agit homo, & aliud cõstituit Deus. In summa, homo proponit, Deus disponit. Et uanæ sunt cogitationes hominũ, teste Scriptura. Quare ne hac quidem parte, quæ mentẽ & ἡγεμονικὸν illud, de quo admodum nõnulli gloriantur, concernit, statuendũ est aliter, quàm subesse hominẽ, etiam quatenus ratione utitur, prouidentiæ diuinæ gubernationi, nec subesse uiolenta, sed necessaria subiectione, non minus quàm reliqua animantia rationis beneficio destituta. *De dignitate & libero arbitrio hominis.* *Quæ fiunt homini.* *Quæ fiunt ab homine.*

Transeamus ad cor hominis, in quo sedes est affectuum, uolũtatis, appetitus, amoris, odij, *Cor hominis.*

ſpei, metus, triſticiæ, gaudij, &c. Quis ſatis explicuerit, quanta ſit in illo ſtulticia corruptio, et
Hier. 17. deprauatio? Prauũ eſt cor hominis, inquit Propheta, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud?
Cor uitã hominis perdere poteſt, regere nõ poteſt. Vitã hominis perdere poteſt, regere non poteſt. Et interea tamen rationi non obſequitur, et
tiamſi illa rectè quid dictitet. Vult, appetit, amat, ubi uelle, appetere & amare non debebat.
Auerſatur & odit, quę amplectenda fuerant. Sperat, ubi nihil eſt ſpei: diffidit, ubi maximè erat
fidendum: triſtatur, ubi erat gaudendum: timet, ubi nihil eſt timoris. Cum ergo ſic ſit in ſenſu
deprauatum, & rectis conſilijs haud acquieſcat, quid reſtat aliud, quàm ut diuina prouidentia
neceſſariò regatur, ne ſibijpſi permiſſum, & uitã, & fortunas hominis perdat? Qui cor regit, in
quo nihil uidetur eſſe liberius, in manu ſua habet, habet utiq; & aliorũ hominũ, ut regat uni-
Hier. 10. uerſam illorum uitam, conſilia, ſtudia & facta. Scio Domine, inquit Hierem. cap. 10. quod non
eſt hominis uia eius, nec uiri eſt, ut ambulet ac dirigat greſſus ſuos.

Caro & corpus hominis. De carne ac corpore hominis nihil eſt cõtrouerſiæ. Corpus hoc, carne, oſsibus uenis & ar-
terijs compactum, ſanguine humectatum, ac ſpiritu inflatum, inſtar iumenti non regitur, ſed re-
gitur, ac totum diuinæ prouidentiæ ſubijcitur: uſq; adeò, ut & greſſuum illius certus ſit apud
Deum numerus, & capilli capitis quoq; ſint numerati. Cõcludimus igitur totum hominem,
Iob. 31. & anima, & mente, & corde, & corpore cum omnibus ſuis conſilijs, ſtudijs, factis, fortunis,
&c. eſſe prouidentiæ Dei ſubiectum, perq; illam gubernari in omnibus.

Hactenus de cœleſti ac terrena prouidentiæ Dei diſpoſitione diximus, reſtat tertia, quæ ſpi-
ritualis eſt. Loquor autem de ea, qua corda electorum per ſpiritum Chriſti regenerantur, illu-
minantur, purgantur, ſanctificantur, iuſtificantur, ac reguntur, ſic ut uiuant iam nõ ipſi, ſed ui-
uat in eis Chriſtus. Hæc pars prouidentiæ Dei ſpecialis eſt, & deſtinata filijs Dei. Eſt autem
& ipſa ſic comparata, ut non ſolùm immediatè per operationem ſpiritus Chriſti, ſed & me-
diatè perficiatur in multis, per cooperationem miniſtrorum, quorum ille opera uti dignatur,
qua de re alibi diximus.

NON ESSE DOCTRINA PROVIDENTIAE *Dei abutendum.*

Duo genera hominum doctrina prouidẽtiæ Dei abutuntur. DVo ſunt hominũ genera, à quibus doctrina prouidentiæ Dei in abuſum pertrahitur. Primùm eorum eſt, qui ubi perſuadẽtur, omnia noſtra, ſiue uitam ipſam, ſiue ſtudia, ſiue fortunas noſtras concernentia, eſſe in manu prouidẽtię Dei, qua cuncta regantur, ac diſponantur, mox prępoſterè ſecuri negligunt omnia, quæ curare debebant, reijciuntq; ea
Deus prouidebit. in prouidentiã Dei, dicentes: Quorſum ego cura ac ſolicitudine fruſtrà conficerer? Deus pro-
uidebit ac diſponet, quæ mihi ſunt neceſſaria. Et huc uſurpant dictum illud Abrahæ, quo ad
Gen. 22. filium ſuum Iſaac dicebat, Deus prouidebit ſibi uictimam holocauſti, fili mi: unde tamen non
ſequitur, negligenda eſſe ea, quę ad noſtram curã pertinent. Quamuis audiſſet hoc Iſaac à pa-
tre ſuo, nihilo tamen minus ligna portabat, quibus holocauſti ſacrificium perficiendum erat,
non dicens: Si de holocauſto prouidebit ſibi Deus, prouidebit etiam de lignis: uel igne cœ-
litùs demiſſo abſumet holocauſtum, ut lignis non ſit opus. Nihil horum reſpondit patri, ſed
Iacta in Domiñ curã tuam. quod iuſſus erat facere, fecit, cætera Deo committens. Quare illud Prophetæ, Iacta in Domi-
num curam tuam, & ipſe te enutriet, non eò debet ab agricola rapi, ut agrum nec colat nec ſe-
Niſi Dominus ædificauerit domum. minet, ſed ut poſtquam arauit ac ſeminauit, incrementum operis ſui curæ ac prouidẽtiæ De
bona cũ fiducia permittat: quemadmodum nec illud, Niſi Dominus ædificauerit domum, in
uanum laborant qui ędificant eam, eò facere debet, ut ædificationem domus negligamus, &
quod à nobis fieri poteſt ac debet, prouidentiæ Dei faciendum relinquamus. In ſumma, quæ
à nobis fieri non poſſunt, rectè prouidentiæ Dei tum committemus, quando quæ facere poſ-
ſumus ritè ac legitimè, fide prouidentię illius fecimus. Secus facere, nihil eſt aliud quàm Deum
tentare. Paſcit nos omnes, ſed edentes ac bibentes. Nam etiamſi nõ in ſolo pane uiuit homo,
ſed in omni uerbo quod procedit ex ore Dei, cõmuniter tamen ſic nos alit, ut cibum quẽ ſibi
miniſtrat operando quęramus, & acquiſitũ edamus. Sic prouidentiæ Dei coniũgendus eſt la-
bor noſter: & tamen nihil dandum noſtro labori, ſed totum prouidentiæ diuinæ.

Ergo ex prouidentia Dei eſt, quòd peccamus. Alterum genus eorum eſt, qui doctrina prouidentię Dei admodum impiè abutuntur, dicen-
tes: Si omnia noſtra cõſilia, ſtudia & facta per prouidẽtiam Dei diſponuntur, neceſſe eſt ea-
dem per illã non modò quæ bona, ſed & quæ mala facimus. Quare quòd peccamus, non eſt a
nobis, ſed ex diſpoſitione prouidentiæ Dei. Prouidentia autem Dei æterna eſt & immutabi-
lis: ideoq; non modò quæ uidentur nobis euenire fortuitò, ſed & quæ facimus tã mala quàm
bona, lege in æternũ & immutabiliter dicta decurrunt, atq; ita trahunt nos fata, ut ſiue nolu-
mus ſiue uelimus, & pati & facere neceſſariò cogamur, quæ patimur ab alijs, & facimus nos
alijs. Hæc dicentes, omnem peccatorum ſuorum culpam non ſibijpſis, ſed Deo adſcribunt.

Quid ad iſta dicemus? Sunt hæ uoces hominum non piorum, ſed impiorum. Qui pij ſunt,
Rom. 7. cum Apoſtolo Rom. 7. dicunt: Malum quod odi, facio: & bonum quod uolo, nõ facio. Et unde
hoc? Habitat in me peccatum, inquit. Scio enim quòd nõ habitat in me, hoc eſt, in carne mea
bonum

bonum. Sic culpam mali tribuit non Deo, sed habitanti in carne ipsius peccato. Et malũ non diligit, sed odit: non excusat, sed magis accusat: nec reijcit in prouidẽtiam Dei, sed cõfugit ad illius misericordiã dicens, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Sic, inquam, animati sunt pij, carnis suæ corruptionem ac maliciam & agnoscentes, & cum dolore cõfitentes, inq; illam peccatorum suorum culpam reijcientes. Huc respicit Iacobus cap. 1. dicens: Nemo cum tentatur, dicat quòd à Deo tentetur. Deus enim ad malum non tentat. Nam neminem tentat ipse, sed unusquisq; tentatur à concupiscentia abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum concepe rit, parit peccatum, &c. *Iacobi 1.*

Interea tamen hac sua sententia pij nihil derogant diuinæ & inscrutabili prouidentię Dei: sed sciunt illum omnia nostra consilia, studia & facta pro uoluntate, uel gratiæ, uel irę suæ moderari ac gubernare, sic ut nihil à nobis ne cogitetur quidẽ, nedũ fiat, quod non sit ipsius prouidentiæ subiectum. In illo sumus, uiuimus & mouemur, inquit Apostolus. Ergo quòd sumus, quòd uiuimus & quòd mouemur, tam non potest illi esse incognitum, & à prouidentia ipsius alienũ, quàm fœtus uterinus matri, in qua est, uiuit, & mouetur, incognitus esse nequit. Imò non est ille sic notus matri, & maternæ subiectus prouidentię, quàm in cõscientia ac prouidentia Dei sumus, & omnis nostra uita, omnesq; motus tã cordis quàm corporis: ut nõ solùm sciat ille, ac præsciat quoq;, sed & regat nostra omnia, idq; pro libera ipsius uoluntate. *Pij nihil detrahunt prouidẽtiæ Dei.*

Si quid in nobis bonæ est non operationis modò, sed & uolũtatis, ex ipso Deo est, qui operatur in nobis & uelle & perficere, Phil. 2. Nos enim sufficientes non sumus ad cogitandũ boni aliquid tanquã ex nobis, sed omnis nostra sufficientia ex Deo est, 2. Cor. 3. Rursus, si quid quod malum sit uolumus & facimus, licet uelimus hoc ex proprij cordis malicia, & instinctu satanæ: haud tamen diffitendum est cordatis hominibus, ne id quidem à nobis sine prouidẽtia Dei fieri, qui malicia quoq; nostra pro uoluntate sua omniũ liberrima ac iustissima ad certum finem, quem sibi ab æterno proposuit, utitur, faciens in suo ac de suo quod sibi uidetur, quemadmodum & suprà in loco de iusticia Dei admonuimus. Sic rectè dicemus, neminem sine propria malicia peccare: & rursus, neminem peccare sine prouidentia Dei. *Phil. 2. 2. Cor. 3.*

Sic'ne desipiemus, ut existimemus maliciam cordis humani derogare iuri ac potestati Dei, ne posteaquam mali facti sumus, simus amplius dominio ipsi⁹ subiecti? Ne satanam quidem quantumuis malum, malicia liberum à potestate ac dominio Dei fecit, quo minus uoluntati illius ad seruiendum sit subiectus. Vtitur illius malicia Deus, quoties, & quando, & quomodo, & ad quid uoluerit, nunquam tamen ad malum finem, ad quem ipse satan studiosissimè satagit ac contendit: sed perpetuò ad certum scopum omnium conseruatori pariter ac iudici Deo conuenientem. *Malicia nostra non liberat nos à dominatu Dei.*

Consule historiam Iob, & uide, an'nõ & satan inter filios, id est ministros Dei compareat, &, an'non illi Deus uniuersas fortunas Iob tradat in manus. Primùm Sabæi abstulerũt illi omnes, & boues, & asinas, ac pueros quoq; percusserunt gladio: deinde cecidit ignis de cœlo, & cunctas illius oues pueros q; absumpsit: tertiò Chaldæi camelos illius abstulerunt, & pueros occiderunt: quartò uehemens uentus domum cõcusit ac subuertit, in qua liberi illius epulabantur, qui & omnes ruina domus oppressi perierunt: quintò, ipsum quoq; corpus Iob miserrimis modis afflixit, ac calamitosissimũ reddidit. Obsecro, iustũne erat, quòd Sabæi & Chaldæi boues, asinas & camelos Iob uiri innocentis, à quo læsi non erant, abstulerunt, ac seruos illius gladio percusserunt? An'non grande peccatum admiserunt non in Iobum modò, sed & innocentes illius seruos, quos præter iustam causam occiderunt? Sit nulla ratio boum, asinarum & camelorum, dicemus'ne sanguinem humanum temerè ac sine causa licitè posse fundi? An'non Deus ipse mox post diluuium dixit: Quicunq; fuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius? Obsecro quò referemus hanc iniusticiam? Ad satanam utiq;, qui mẽdax est, & homicida ab initio: deinde & ad ipsorum Sabæorum & Chaldæorũ iniquitatem. Sic loquor de facti huius iniusticia. Interea tamen quis nõ uidet factum ipsum totum ex uoluntate ac prouidentia Dei fuisse profectum, sine qua nec satan, nedum Sabæi ac Chaldęi quicquam horum in Iobum designare potuissent? Deus ipse dicens: Ecce uniuersa quæ habet, in manu tua sunt, potestatem ac facultatem, qua hæc fierent, satanæ tradidit. Et ne referamus ista ad maliciam impiarum Gentium Sabæorum & Chaldæorum, obstat, quòd ignis quoq; de cœlo delapsus oues ac pueros Iob absumpsit, & quòd uehemens uentus unà cum domo liberos illius oppressit. Dabimus'ne igni ac uento maliciam? An'nõ de illis propheta canit: Ignis, grando, nix, glacies, ac spiritus procellarum (qui est uehemens uentus) quæ faciũt uerbum eius? Quem constituemus Dominum horum omnium, præter ipsorum creatorem Deum? Est'ne igitur ille malorum istorum author? Malorum ut malorum, author non est, & tamen ea quæ Iobo euenerunt, ex ipsius illi uoluntate euenerunt. Mala non erant respectu prouidentiæ, uoluntatis ac potestatis Dei, mala tamen erant respectu satanæ & impiorum Sabæorum ac Chaldæorum. Sic peccabant illi cum satana ex propria malicia, & tamen quæ faciebant, ex singulari prouidentia Dei faciebant. *Historia Iob. Quomodo malicia peccantiũ, & prouidentia Dei concurrant.*

Dauid. Accipe exemplũ aliud: Peccauit Dauid iam ſenex numerando Iſraelem, propter quod peccatum percuſſus eſt populus peſte, mortuiq; ſunt ſeptuaginta milia uirorum. Si quæras, unde motus fuerit Dauid, ut Iſraelem numeraret, in promptu occurrit illud 1. Paralip. 21. Conſurrexit ſatan contra Iſraelem, & incitauit Dauidem, ut numeraret Iſraelẽ. Deinde illud 2. Samuelis cap. ult. Et addidit furor Domini iraſci contra Iſraelem, commouitq; Dauidem in eis ut ãceret ad Ioab: Vade, & numera Iſraelem & Iudam. Vides ſatanam quidem incitaſſe Dauidem, uerùm iuxtà uides non ſatanam, ſed Deum primarium fuiſſe motorem in hac cauſa. Inſtebatur ille Iſraeli, uolebatq; pœnas de illo ſumere: atq; ita mouebat Dauidem, ut peccandi cauſam præberet iræ ſuæ, propter quam quod conſtituerat, faceret. Sic peccauit Dauid inſtigatus à ſatana, & tamen ipſum factum primùm eſt ex prouidentia Dei profectum, qui opera ſatanæ ad hoc uſus eſt, ut Dauidem incitaret ad numerandum populum. Quare Scriptura non dubitat tribuere Deo, quòd iratus Iſraeli permouerit Dauidem. An non hoc quoq; uidemus, in facto culpabili non ſolùm maliciam ſatanæ, & peccatum delinquentis hominis, ſed & prouidentiam Dei concurrere?

2. Sam. ultimo

Ioſeph. Si conſideres hiſtoriã filiorum Iacob, qui fratrẽ ſuum Ioſephum iniquis modis tractarũt in Aegyptum uendiderunt, quid aliud deprehendes, quàm manifeſtũ & inſigne prouidentiæ Dei exemplũ? non modò præſciuit Deus, quid illi facturi eſſent, nec direxit tantùm ad bonũ finẽ quod fecerunt: ſed præordinauit illius omnia, animoſq; illorum ut ſic facerent, licet non intelligerent, direxit, imò diligenter cauit, ne aliter facerent. Sciebat hoc, & ſignificabat Ioſeph cum ad illos in Aegypto diceret: Non uos me huc miſiſtis, ſed Deus.

Obiectio. Dices: Ergo Deus corda fratrum Ioſeph ad hoc permouit, ut eum uenderent, peccatumq; tam grande non in ipſum modò, ſed & parentẽ ipſius admitterent. Si hoc dicimus, an non malũ ab ipſis admiſſum Deo, tanquam illius authori, tribuimus, atq; ita illos à culpa liberamus?

Nec author mali eſt Deus, nec inculpabilis qui peccat.

Reſpondeo: Neutrum facimus. Nec Deum mali authorem conſtituimus, nec illos inculpabiles reddimus. Malum facti huius à Deo non erat, ſed natum erat in illorum cordibus, odium uidelicet fraternum, quod ex ſatana eſt, non ex Deo, quo perciti, opus moliebantur propoſito & conſilio Dei contrarium, dum fratrem occidere conſtituebant, ut uiderent, quid illi de futuri eſſent ſomnia, quæ ipſis expoſuerat. Cauſas odij acceperant primùm ex eo, quòd uiderent Ioſephum impenſe diligi à patre: deinde ex eo quòd ille accuſaſſet ipſos apud patrem de peſsimo quodam crimine: & tertiò ex narratione ſomniorum, quę uiderat. Dicemus ne eiſmodi odium & propoſitum occidendi fratrem inſontem fuiſſe ex Deo? Abſit. At in eo erat facti huius malum, conſilio Dei contrarium, cuius impetum Deus per Ruben primùm, deinde per Iudam ſic fregit, ut conſilium prouidentiæ ipſius inoffenſo curſu ad deſtinatum finem contenderet. Quod Iudas ſuadebat, ut Ioſephum uenderent Iſmaelitis, nõ faciebat ex illius odio, ſed ex affectu miſericordiæ ac timoris Dei, cauere cupiens ne puer occideretur. Et hoc illius conſilium nec malum erat (niſi malum ſit, ex affectu miſericordiæ ac timoris Dei impedire conſilia odij fraterni, & effuſionem ſanguinis innoxij) nec prouidentiæ Dei illiuſq; propoſito aduerſabatur, ſed magis uiam illi parabat: ideoq; non erat ex ſatana, ſed ex Deo, quemadmodum nec illud, quod reliqui fratres relicto necis propoſito, Iudæ uenditionem ſuadenti obtemperabãt. Sic in hoc quoq; exemplo uidemus, quomodo humana, imò & diabolica malicia ita cum prouidentia Dei in eodem facto concurrant, ut nec Deus ſit author mali, nec ſtra illius prouidentiam quicquam geratur. Quare prorſus impium fuerit, ſi quis doctrinam de prouidentia Dei eò rapiat, ut uel culpam humanæ, uel diabolicæ maliciæ, Deo adſcribat, uel Deum omni liberæ gubernationis ac poteſtatis prouidentia ſpoliet. de cauſa hac meo iudicio, iudicandum eſt cum diſcretione. Quod Dei eſt, demus Deo: quod diabolicę uel humanæ maliciæ eſt, demus diabolo, uel homini malo ac corrupto. Voluit ac diſpoſuit Deus, ut uenderetur Ioſeph in Aegyptum: uoluit autẽ hoc non ſtudio mali, ſed bono ſui populi. Quod uerò fratres illum tam iniquo proſequebantur odio, non erat ex ipſius, ſed ex diaboli uolũtate: quam tamen ſic diuina ſua prouidentia moderatus eſt, ut fieret non quod diabolus, ſed quod ipſe conſtituerat.

Obiectio. *An fratres Ioſeph uendiderint eũ neceſſariò.* Rurſus dices: Prouidentia Dei immutabilis eſt, ideoq; neceſſarium eſt, ut quod ille prouidit ac diſpoſuit, perficiatur. Iam ſi conſtitutum hoc fuit ex prouidentia Dei, ut Ioſeph à fratrib. ſuis uenderetur, conſequitur, factum hoc ab illis eſſe neceſſariò. Si neceſſariò illum uendiderunt, an non citra culpam fecerunt, quod neceſſariò fecerunt: & aliter, quàm diuinitus conſtitutum erat, facere nequiuerunt?

Reſpondeo: Diſtingue inter conſiliũ Dei & cõſilium diaboli, & prudenter conſidera, quid in eodem facto ſit à Deo, & quid à diabolo. Quod à Deo eſt conſtitutũ, neceſsitati eſt obnoxium. Verùm huic neceſsitati nec diabolus nec malus homo ex animo obſequuntur, ſed propriæ ſtudent maliciæ. Quòd autem hac utitur Deus ad ſuum propoſitum, inſtigatque eos, ut faciant quod maligno conſilio facere præſumunt: uel malam ipſorum uoluntatem ſic moderatur, ut factum ipſum diuerſum ab eo, quem ſpectant ſortiatur finem, eſt ne piorum quisquam, qui hoc diuinæ Maieſtati ac poteſtati uitio uertendum ducat, & non magis omnia

fateatur esse iustissimum? Consilium diaboli erat, ut Iosephum fratres ipsius infensissimo odio prosequerentur, & neci destinarent: consilium Dei erat, ut uenderetur in Aegyptum, ut esset ibi præcursor Israelis, suo tempore illò migraturi. Quòd igitur illum uendiderunt, necessariò fecerunt: sed non ideo, quòd sic esset diuinitùs constitutũ, sed quòd malignis suis affectibus obsequerentur. Quare quod fecerunt, tam nõ sine culpa, quàm non sine crimine fecerũt. Restat itaq; ut totum opus referendum sit ad prouidentiam Dei: circumstantiæ uerò, quæ culpabiles sunt, maliciæ uel diabolicæ, uel humanæ, uel utriq; deputentur. Hanc ego sententiam existimo nihil habere incommodi, sed expeditam offerre solutionem earum obiectionum, quæ ab impijs hominibus prouidentiæ Dei obijciuntur. Si quis superstitiosiora quærit, consulat Sophistarum nugas, ubi plura est inuenturus, quàm unde sese extricare queat.

QVOMODO PROVIDENTIAE DEI CVM *casu & euentu fortuito conueniat.*

PRouidentia Dei sic est comparata, ut immutabili sua certitudine, qua cuncta reguntur, omnem casum & fortuitum euentum excludat. Casum autem & fortuitum euentũ uocamus, quicquid inopinatũ, improuisum, sine certa ratione ac temerè accidere uidetur, sic ut nullius prorsus, nec Dei nec hominis prouidẽtia factũ esse appareat, qualia innumera in rebus humanis euenire solent. Quantũ igitur casibus ac fortuitis euentibus datur, tantũ prouidẽtiæ Dei adimitur: nobis autẽ certũ est, nihil in omni hoc uniuerso temerè sine prouidẽtia omnia disponẽtis Dei accidere. Quare casum & fortuitũ euẽtũ inanes uoces esse iudicamus. *Casum & fortuitũ euentum prouidentiæ Dei excludit.*

Obiecerit quisquã ex sacris Scripturis duas hasce uoces מקרה & עת, quę pro casu & euentu poni solent: ut 2. Sam. 1. ubi qui Saulem occiderat, ad Dauidem dixisse legitur: Casu ueni in montẽ Gelboe. Et 1. Reg. 22. ubi hęc leguntur: Vir aũt quidam tetendit arcũ, in incertum sagittam dirigẽs, & casu percussit Regem Israel inter pulmonẽ & stomachũ. Et Ecclesiastes nono capite sic dicit: Non est uelocium cursus, non est fortiũ bellum, non est sapientum panis, non sunt intelligentium diuitiæ, & non est scientiũ gratia: sed tẽpore & casu eueniunt hæc omnia. Ergo non sunt casus & fortuitus euentus inanes uoces. Nam Scriptura talibus non uteretur. Consequitur ergo, nõ omnia certa prouidentia Dei geri, sed innumera casu euenire: qualia erãt, quòd uir ille in montem Gelboe in eo uenit articulo, quo Saul sibijpsi manum inferre conabatur, & quòd rex Achab incerta est sagitta percussus. *De casu & euentu ex Scripturis sacris.*

Respondeo: Qui Saulem occidit, Amalechites & ethnicus erat. Quare nõ est mirum, quòd casu se in montem Gelboe ueniſse dixit. Quis autem piorum non intelligit, necem Regis antea prædictam non constitisse casu & fortuito cuentu?

Quod reliquos duos locos attinet, in quibus non est ut negemus Scripturam uocibus istis uti: respondemus paucis. Scriptura utitur consuetis loquutionibus, ex usu humano desumptis. Obtinuit autem inter homines, ut casum & euentum uocemus, cuius nullam certam rationem tenemus, nec unde euenerit scimus. Hinc tamen non sequitur, negandum esse quòd mundus prouidentia Dei regatur. Nam hæ uoces, casus, euentus & fortuitum, non extendũt se ultra nostram conscientiam, cuius respectu sunt accipiendæ. Quæ nobis uidentur euenire citra certam rationem, ideoq; fortuitum quid esse apparent, coram Deo nihil minus sunt quàm casus & euẽtus fortuitus. Quare quoties tale quid audimus, aut in Scripturis legimus, maneamus in hoc humanæ conscientiæ termino, cogitemusq; rem eãdem quod nos attinet, uocari casum & euentum: quod Deum uerò omnia gubernantem ac disponentem cõcernit, certa esse, & immutabili prouidentia Dei dispositam. Exempli gratia: Quòd Achab rex Israel loco paulo antè citato casu inter pulmonem ac stomachum à sagittario iaculum in incertum dirigẽte percussus scribitur, simpliciter, ut in speciem & humano iudicio acciderat, narratur. Interea tamen constat, factum illud certa fuisse prouidẽtia Dei dispositum, & à Propheta prædictum: unde eodem loco Scriptura admonet, factum id esse secundum uerbũ Domini. Ergo sic constituerat Dominus, ut Achab iaculo percussus caderet in prælio. Et hoc erat illius fatum, quatenus fatum à fando dicitur. Verbum enim Domini fatum est immutabile, quo cuncta reguntur. Vnde Augustinus rectè alicubi dicit, fatum stellæ fuisse in Christo nato, non fatum Christi nati in stella. *Fatũ quid sit.*

Et quod locum Ecclesiastę attinet, quis non uidet hac illum esse discretione legendum? In seculo uidentur cursus, bellum, uictus, opes & gratia corã hominibus, haud quaquã pendẽre à uirib. humanis, sed ueluti cõtingere casu. Reuerà autẽ pendẽt hęc omnia à prouidẽtia Dei. Etenim si gressus hominis dirigitur à Deo, quid dubitabimus de cursu? Et si Deus Dominus est exercituum, utiq; est & belli. Et si aperiente illo manum implentur omnia bonitate, an nõ panis noster ex illius nobis prouidẽtia subministratur? Et si Deus pauperem facit & ditat, secundum Scripturam: certè diuitię nõ sunt fortuiti euentus, nisi in speciem. Et si corda mortalium omniũ sunt in manu Dei, est ergo in illius prouidentia & omnis gratia, quæ homini potest cõtingere ab homine. Quare discreti iudicij est in huiusmodi loquutionib. nõ cõfundere

illarum respectus, sed prudenter discernere inter eas, quæ referendę sunt ad prouidentiã Dei, & eas quæ nisi ad modulos humanorum sensuum referantur, tanto minus sunt ueraces, quanto magis in immutabilem diuinæ prouidentiæ ueritatem ac certitudinẽ impingunt. Sed hactenus quantum in præsenti satis uisum est, de prouidentia Dei dictum esto.

DE PRAESENTIA DEI.

Quod nonnulli malè intelligant Deũ esse in cœlis.

DE Deo prædicat Scriptura, quòd sit in cœlis, ibiq; habitet, ac sedem suam parauerit. Qui habitat in cœlis, inquit Propheta, irridebit eos. Et, Dominus de cœlo prospexit. Et, Dominus in cœlo parauit sedẽ suã. Et Deus ipse: Cœlũ, inquit, sedes mea. Et Christus sic nos ut oremꝰ instituit: Pater noster qui es in cœlis. Dum hæc audiunt impertiores, cogitant se Deũ habere tam procul à nobis remotũ & absentẽ, quàm procul abest cœlũ à terra, & cœlestia à terrenis: ideoq; potenter quidẽ & efficaciter agere in terris, uerùm per spiritus suos tam malos quàm bonos, quos absens ipse mittat, exequi omnia. Cogitant enim de Deo, perinde atq; de Rege quodã omnium potentissimo, qui potentia regia per ministros suos ac satellites in uniuerso regno suo cuncta gubernat, ipse interim in arce Regia sedens, & quæ facienda sint imperans. Hæc cogitatio puerilis est, & indigna Deo. Quare uisum est paucis de præsentia Dei annotare, qua cuncta subsistunt ac reguntur. Neq; enim habemus absentem Deum, sed ubiq; præsentem.

DEVM ESSE VBIQVE PRAESENTEM.

Ex Psalm. 139. quomodo Deus ubique sit præsens.

PRopheta Dauid, cui in delicijs erat perpetuò aliquid meditari de Deo, cum ab inimicis suis coram Saule accusaretur, quòd & ipsi & regno eius insidiaretur, causam innocentię suæ referens ad conscientiam Dei, Psalm. 139. primùm dicit omnia sua, sessionem, stationem, cogitationem, semitas & uias omnes, accubitũ, & sermonem esse Deo cognita, quibus hæc subiungit: Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiã? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si strauero mihi in inferno, en ades. Si sumpsero alas auroræ, & habitauero in extremo maris, etiã illic manus tua ducet me, & tenebit me dextera tua. Hisce uerbis disertè tribuit Deo, quòd sit ubiq; præsens, ac non ita habitet in cœlo, ut non simul sit in terra apud inferos, & in extremis maris. Cum dicit, Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? an' nõ satis significat, nullũ uspiam esse locum in quẽ possit quisquã non simpliciter à Deo, sed à facie Dei fugere? qua specificatione præsentiam Dei exprimit, sic implentem omnia, ut nemo queat illam effugere. Alioqui faciem Deus non habet ut homo: sed quia usu humano in facie aliquid est & comparere, præsentiæ argumentum habet, Deo tribuitur facies, ut præsentia illius significetur. Ponit autem cœlum, infernum, & extrema maris, ut per superiora, inferiora & interstitia, totum hoc uniuersum complectatur, ac præsentiæ Dei subijciat.

Hieremiæ 23. Implere Deũ cœlum & terram.

Hieremiæ cap. 23. legimus ad hunc modum: Deus è uicino sum ego, dicit Dominus, & non Deus è longinquo. Non absconditur quisquam in latibulis, ut ego non uideam eum, dicit Dominus. An' non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus. Et hîc quoque uidemus eorum reprobari stulticiam, qui Deum procul putãt à nobis esse remotum: ideoq; posse nos illius & conscientiam, & oculos effugere. Inducit itaq; Propheta Deum affirmantem se non esse Deũ è longinquo, sed è uicino: id est præsentem, ac uidere omnia, etiam ea quæ fiunt in abscõdito. Et ne quis cogitet, uidere ipsum omnia cœlitùs & non præsenter, subijcit: An' non cœlum & terram ego impleo? q.d. Quomodo potero Deus esse è longinquo, & ignorare abscõdita mortalium studia, cum sic sim ubiq; præsens, ut non modò cœlum, sed & uniuersam hanc terram non dico penetrem, sed impleam etiam? Quis non uidet qua emphasi Propheta uerbum implendi posuerit? Non mox implemus ea loca, in quibus præsentes sumus. Quare de præsentia nostra non potest statim prædicari adimpletio. Quæ uerò adimplemus, ea certè præsentia nostra haudquaquã destituuntur: de Deo secus cogitandũ est. Is sic est præsens, ut adimpleat ea, ubi præsens existit. Implet autem cœlũ & terrã. Ergo tam in terra quàm in cœlo præsens est. Deinde, adimpletio nihil relinquit uacuum, igitur ubiq; præsens est, ut nullus uspiam locus sit nec in terra nec in cœlo, qui præsentia Dei destituatur. Et hoc ipsa omnium eorũ, quæ condidit, requirit necessitas. Nihil enim eorum nisi in ipso suo potest opifice subsistere, ut ex quo & per quem sunt omnia, in illo etiam sint, uiuant ac moueantur omnia.

Verbũ implendi qua sit emphasi positum.

Necessitas præsentiæ Dei.

QVOMODO DEVS SIT VBIQVE PRAESENS.

Præsentẽ esse, idem esse quòd esse præ sensibus. Augustin.

SI Augustino credimus, præsentia nobis sunt ea, quæ sunt præ sensibus nostris siue exterioribus siue interioribus, eo quòd præsens esse idem sit quod esse præ sensibus: sicut præ oculis esse dicimus, qd præstò est oculis. Iam cũ sit quidẽ ubiq; Deus, & impleat omnia, uerùm

uerùm nõ ita præsentia illius omnium sensibus capiatur, sintq; innumeræ illius creaturę, quę sensus non habent: quomodo ubiq; præsens esse dici potest, si præsens id dicitur, quod est prę sensibus? Quis nàm mortalium peccare sustineret, si Deum haberet hoc pacto præsentem, id est præ sensibus siue exterioribus siue interioribus? Quare uidendum est, quomodo sit de prę sentia Dei sentiendum.

Præsentiam in rebus humanis multiplicem inuenio. Alia est corporalis, alia spiritualis: alia uirtualis, alia contemplatiua & imaginaria. Corporalis præsentia est, qua corpore alicubi sumus. Est hęc eadem cum locali, licet à nonnullis inter corporalem ac localem discernatur. Augustinus tamen de corporali sic loquitur: Spacia locorum tolle corporibus, & nusquã erunt: & quia nusquam erunt, nec erunt. Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, nõ erit ubi sint, & ideo necesse est ut non sint. Hęc ergo præsentia ad Deum referri non potest, cùm quòd corpus ille non habet, tum quòd loco includi non potest, & quòd localis præsentia eam nõ fert, qua cœlũ, & terra, & omnia implẽtur. De Deo rectè dicitur παρεῖναι χώρην, ἀλλὰ μὴ ἐντόπως εἶναι. Tertullianus libro aduersus Praxean tribuit Deo corpus, cum dicit: Quis enim negat Deũ corpus esse, etsi Deus spiritus est? Spiritus enim corpus est sui generis in sua effigie. Verùm ille uocem corporis pro hypostasi, id est substantia usurpat, inaniq; phantasiæ opponit, seruiẽs argumento quod tractat. Nos corpus uocamus, quod cõstat ex materia & forma, uisibileq; est, & palpabile ac locale. Huius præsentia & corporalis & localis Deo dari non potest, quia non constat ex materia & forma uisibili & palpabili, cum sit spiritus & incorporeus. Spiritualis præsentia est, qua licet corpore absumus, spiritu tamẽ alicubi præsentes sumus. De hac loquitur Apostolus 1. Cor. 5. cum dicit: Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui ut præsens eum, &c. Et Colos. 2. Nam etsi absens sum corpore, spiritu tamen uobiscum sum gaudens & uidẽs ordinem uestrum. Et Elizeus ad Giezi puerum suum: Nónne cor meũ in pręsenti erat, inquit, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? 2. Reg. 5. Nec hoc genus præsentiæ Deo conuenit, qui non dimidiata, sed plena & perfecta ubiq; est pręsentia, & cuncta totus adimplet. Homo, qui spiritualiter alicubi est, non est ibi totus, sed dimidiatus: quod de Deo sentiendum non est.

Præsentia multiplex.

Corporalis præsentia.

Ad Dardanũ.

Quomodo Tertullianus Deum corpus esse dicat.

Spiritualis præsentia.

Virtualis præsentia est, qua rex potentiam ac uires suas in omnibus regni sui locis etiam corpore ac spiritu absens per ministros suos, satrapas, duces, iudices & satellites exercet. Sic enim præstò est regaliter, licet nõ sit corporaliter. Et hoc genus præsentiæ conuenientius est regiæ maiestati, quàm si corporaliter esset ubiq;.

Virtualis præsentia.

Huiusmodi præsentiam uidetur Tertullianus dare Deo, cum alicubi dicit: Scimus Deum etiam intra abyssos esse, & ubiq; consistere, sed ui & potestate. Verùm ne hoc quidem præsentiæ genere plenitudo diuinæ præsentiæ, qua cuncta impleri diximus, exprimitur.

Contemplatiuam & imaginariam præsentiam uocamus, qua nobis ipsi ueluti præsentia sistimus ea, quę accurata contemplatione & imaginatione intus in animo speculamur. Hac res præteritas, imò & futuras, menti nostræ præsentes exhibemus. Quid non modò est, si recorderis? inquit ille. Hoc genus præsentiæ frequens est amantibus. Vsus est illo qui dixit: Propono Dominum in cõspectu meo semper. Verùm aliud est se sistere præsentem, & aliud per alterius contemplationem & imaginationem præsentem ueluti fieri. Quare nec hæc præsentię species ea est, quam quærimus.

Cõtemplatiua et imaginaria præsentia.

Quærimus præsentiam Dei, quæ & conueniat diuinæ naturæ, & toti huic uniuerso sufficiat. Eam complectimur essentia & potẽtia. Essentialis est illius ubiq; præsentia, quia essentia diuina nullo loco continetur, & tamen dici non potest, quòd sit nusquam: ut necesse sit esse illam ubiq;, perinde ac si de anima dicas, quòd nullo certo corporis loco teneatur, & tamen totum corpus impleat. Essentiali præsentiæ coniuncta est & potentialis, uel si mauis uirtualis. Neq; enim potest esse ociosa omnium conditoris, conseruatoris & gubernatoris præsentia, sed operatur omnia in omnibus. Sine illius potentia & operatione mortua prorsus & ineffacia iacerent omnia, haud aliter quàm si corpus nostrum operationibus animæ priuetur.

Qualem præsentiã Dei statuamus.

Scio similitudinem quam de anima adduco, haud respondere per omnia causæ, de qua loquimur: ad hoc tamen illa uti placuit, ut significem non probari mihi, si quis Deum ubiq; sola uirtute sua & operatione præsentem esse sentiat, quasi interim essentialiter ab operibus suis separatus agat, uel in cœlo, uel in semetipso tantùm. Magister sententiarũ rectè reprobat eos, qui Deum propterea ubiq; esse dicunt, quòd per illum omnis natura, & omne quod naturaliter est, in quocunq; loco sit, essentiam suam habet, & quod uirtutem suam in omni loco declarat. Nam hæc sententia, etsi nihil habeat falsi, insufficiens tamẽ est in hac causa, & essentiã Dei omnia pręsenter implentem in arctum nescio quo redigit, quasi illa alicubi manens uirtutem operationis suæ diffundat in omnia: id quod à sole fieri uidemus, qui cũ sit in cœlo, calore ac splendore suo operatur in terris: ad quem modum de Deo sentire, admodum est diuinæ naturæ & infinitę illius Maiestati inconueniens. Verùm est quod de Deo dicit Apostolus, quòd operetur omnia in omnibus. At interim & illud uerum est, quòd Acto. 17. in illo nos esse & uiuere ac moueri dicit. Non solùm ex ipso & per ipsum, sed & in ipso sunt omnia: id quod

Magister sententiarum.

fieri non posset, nisi præsentia sua impleret omnia. Non operatur omnia in omnibus absens, sed omnium præsentissimus. Non est illius essentia ab operationibus potentię ipsius separanda, ut alibi sit, & alibi operetur, quasi non æquè essentia sit atq; potentia infinitus. Putabimus ne cœlum & terram latioris esse dimensionis, quàm ut in illis Deus ubiq; essentialiter esse ac cuncta implere possit? An non ille mensus est aquas pugillo, & cœlos ponderauit palmo? An non tribus digitis appendit molem terræ, ac liberauit in pondere montes & colles? An non sunt coram illo gentes omnes quasi stilla situlæ, & momẽtum stateræ? & insulæ, quasi puluis exiguus? imò quasi nihil & inane? maior est Deus opere suo uniuerso. Cœli cœlorum non capiunt illius essentiam ac Maiestatem, nedum mundi huius angustia. Quare mirum uideri nó debet, quod omnia essentiali sua pariter ac uirtuali præsentia implere dicitur.

Esa. 40.

Maior est Deus opere suo uniuerso.

Cautio.

Non est Deus ubiq; per partes.

Deus non mouetur, licet in illo moueãtur omnia.

Absint autem angustiæ nostræ capacitatis cogitationes, quibus Deum audimus esse in omnibus non modò uirtualiter, sed & essentialiter præsentem: partem illius in cœlo, partẽ in terra, partem in mari, partem in inferis, imò in unaquaq; re particulam illius aliquam esse cogitemus, perinde atq; de aere per omnia diffuso cogitari potest, qui sic implet omnia quæ sunt in mundo, ut in singulis nõ sit totus, sed aliqua sui parte. Nõ diuiditur essentia Dei in partes, sed integra ac tota ubiq; est, & omnia adimplet. Nec cogitandum est, quoniã in Deo, & à Deo mouentur omnia, ideo & illum & unà cum ijs quæ mouet ipse moueri, sic ut de loco ad locũ moueatur, cum sit nec corporalis nec localis, ideoq; nec cum mobilibus mobilis. Sunt hęc nobis inscrutabilia. Quare cauendum est, ne quid curiositati nostræ ac scrupulositati ad inquirendum in ea indulgeamus, ne uel negemus ea quæ uera sunt, ac naturæ Dei conuenientia: uel comminiscamur alius alia, quæ sint & falsa, & diuinæ Maiestati inconuenientia & indigna.

QVOMODO DEVS SPECIALITER ESSE ALICVBI, *& quibusdam inesse, adesse, immanere ac coniungi dicatur.*

Quomodo Deus in cœlis esse dicatur, cũ sit ubique.

Deut. 7.

Psal. 23.

1. Ioan. 4.

SI Deus ubiq; & in omnibus generaliter, pariter ac singulariter præsens est, idq; essentialiter ac uirtualiter, non diuisus, sed totus: Quid est, dixerit aliquis, quòd Scriptura dicit, Deus noster in cœlo est, parauit in cœlo sedem suam, & habitat in cœlo? Quid magni est, quòd in cœlo est: cum nusquã non sit, & æquè dici possit: Deus noster in abyssis maris & inferis terrę est, atq; Deus noster in cœlo est? Itẽ, Quid magni est, quòd Moses ad Israelẽ dixit: Dominus Deus tuus in medio tui est? Et quod Christo datum est nomen עמנואל, eo quòd nobiscũ sit Deus: & quod Dauid Psal. 23 dicit, Si ambulauero in medio umbrę mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et quòd Ioannes in Canonica sua dicit: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et, Maior est qui in uobis est, quàm qui in mũdo est: & quæ huiusmodi multa in Scripturis legũtur. quale est & illud Prophetę: Deus noster ueniet, & seruabit nos. Et, Inuocate eum dum propè est. Et Num. 14. Nolite ascendere non enim est Deus uobiscum.

Simile de anima.

Generaliter præsens est Deus ubique, specialiter Maiestate in cœlo, per gratiã in electis & fidelibus.

Bifariã Deus præsens est electis.

Respondeo: Quemadmodum anima in toto quidem est corpore, & in cunctis illius membris essentialiter ac uirtualiter præsens, idq; non in partes diuisa, sed tota, & tamen præterquòd generaliter omnia uiuificat, & in omnibus operatur, aliter tamen & selectiora operatur in capite & corde, quàm in reliquis corporis partibus: ita & præsentia Dei cõparata est. Vbiq; & in omnibus generaliter præsens est, & cuncta conseruat ac dirigit, specialiter uerò per singularem maiestatem & gloriam in cœlo: per gratiam uerò est, habitat & manet in populo suo, in electis ac fidelibus, seq; diligentibus & obseruantibus, quos singulariter diligit, tuetur & custodit, ad quem modum in illis non esse dicitur, quibus irascitur, & quos tanquam reprobos auersatur. Hanc præsentiam Dei, qua est in electis suis, uocant Scholastici præsentiam gratię, de qua sancti plurimùm gloriantur, id quòd haudquaquam præter rationem faciunt. Etenim quæ maior potest homini tot periculis obnoxio contingere securitas, quàm si Deum sui singulari gratia præsentem habeat?

Bifariam autem hoc usuuenit electis. Primò, modis occultis, & ab oculis mundi abscondítis, idq; sub cruce ac tribulationibus, quibus sic disponente Deo affliguntur & exercentur, ut foris nihil minus appareat, quàm quod diuinam præsentiam arguat, imò à Deo derelicti ac reiecti etiam ipsis, nedum impijs & aduersarijs uideantur: unde sunt ista, Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? Et: Proiectus sum à facie oculorum tuorum. Et: Quare auertis faciem tuam à me? Et: Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum. Interea tamen manet & habitat in illis per gratiam suam Deus, qua in cordibus ipsorum confirmãt, & consolationibus intimis ac spiritualibus eriguntur, ne sub pondere tribulationum uicti concidant. Hoc genere præsentiæ Dei conseruati sunt, & Prophetæ, & Apostoli, & martyres: quorum constantiam admiratus quidem est mundus, interim tamen singularem numinis præsentiam in illis non agnouit.

Altero modo declaratur in electis præsentia gratiæ Dei, dum dextera illius a[illegible]brachio potenti sic palàm proteguntur, asseruntur, seruantur ac liberantur, ut cogantur impij diuinam

In illis præsentiam & potentiam agnoscere, ubi omnia illis pręter spem feliciter cadere uidét. Hic diuinæ præsentiæ modus declaratus est frequenter: utpote, in tribus pueris Ebræis, in liberatione Israelis è Babylone & Aegypto, in Iosepho, Abrahamo, Mose, Simsone, Gideone, Dauide, Iosia, Ezechia, &c. Seruit hoc genus pręsentiæ Dei non modò fidei laborãtium & infirmorum, sed & asserendæ gloriæ Dei, ubi illia blasphematur ab impijs.

Quomodo Deus ueniat, & propè sit, & in cœlo habuet.

Cum igitur Scriptura dicit, Deus noster ipse ueniet, & saluabit nos: intellige non de aduentu absentis, sed de declaratione singularis illius gratiæ. Et cum Propheta dicit: Inuocate eum dum propè est. q.d. Nõ semper sic erit in propinquo, sicuti nunc est, intellige de pręsentia gratię, qua se placatum offert ac propitium afflictis, si resipiscant, seq; inuocent. Et cũ datur Deo, quòd sit & habitet in cœlo, non est ut cogitemus eum cœlis esse inclusum: sed propterea in illis esse & habitare dici, quòd ibi uelut arx ipsa esse uideatur, unde quæ inferiora sunt regãtur, ad similitudinem regis, qui arcem suam loco selectiore ac splendidiore collocat, unde dominatum suum in omnes regni sui ciues exerceat. Sed hac de re plura alijs in locis Commentariorum nostrorum annotauimus.

QVIS SIT LOCI HVIVS VSVS.

POssemus præcedentibus subijcere quæstionem, quam nonnulli mouent, an ubiq; præsentem esse sic sit solius Dei, ut nulli sit creaturę possibile? Disputãt alij de spiritibus cœlestibus, conanturq; probare, posse illos multis in locis esse simul: alij consimilia asserunt de corpore Christi per resurrectionem glorificato. Verùm quoniã eiusmodi quæstiones scrupulosæ sunt, & parum utiles, relinquo eas ociosis hominibus. Meo iudicio, uehemẽter necessarium est ad ueram pietatem, ut de ijs, quæ de præsentia Dei annotauimus, nihil addubitemus. Faciunt enim ad hoc, ut quod solius est diuinæ naturæ, id illi soli demus, nec ulli creaturæ adscribamus. Qui solum Deum ubique credit esse, & essentialiter & potentialiter præsentem, quomodo poterit in necessitatibus constitutus inuocare creaturam aliquam, quam pręsentem sic esse non credit, ut & uota ipsius audire, & necessitatibus succurrere possit? Nisi inuocatores mortuorum sanctorũ adesse eos inuocatoribus ac cultoribus suis crederent, quorsum eos inuocarent? Sic illi quod solius est Dei, creaturis communicant, & eidola cordium suorum adorant.

Quod solius diuinæ naturæ est, id nõ est dãdum creaturis.

Deinde, admonent nos, ut piè ac religiosè uiuentes nullo non loco, in omnibus ac semper diuinę Maiestatis præsentiam reuereamur, scientes nos illius oculos effugere non posse, cum sit ubique præsens. Sic nolebat duorum senum consentire libidini Susanna, quòd sciret se in oculis diuinæ Maiestatis uersari.

Præsentia Dei ubiq; præ oculis habenda.

Et tertiò, incredibilis hinc esse potest afflictorum consolatio, quòd credunt se Deum habere etiam in igne, in aquis, in carceribus, & in ipsa morte præsentem, ut cum Dauide dicant: Si ambulauero in medio umbrę mortis, nõ timebo mala, quoniam tu mecum es. Huc facit illud: Si transieris per ignem & aquam, tecum ero, &c. Sed hactenus de præsentia Dei.

Deũ nos habere ubiq; in afflictionibus præsentem.

DE IRA DEI.

POSTEAQVAM de bonitate, philanthropia, misericordia, prouidẽtia ac pręsentia Dei hactenus pleraq; annotauimus, quæ ad consolationem infirmarum conscientiarum facere possunt, si fide capiantur: operęprecium fore putamus, ut & de ira Dei subijciamus, unde animi securiores ac remissiores excitentur, Deumq; uel iratum timeant, quem benignum ac placidum non satis uenerantur & obseruant.

IRASCI DEVM.

Nec irã esse in Deo, nec gratiam, Epicurei dicunt.

INuenti sunt philosophi, qui sentirẽt, ac disputando cõtenderent, nec iram esse in Deo, nec gratiam: ideoq; illum nec benefacere cultoribus suis, nec malè contemptoribus: sed in eo felicem esse & incorruptum, quòd nihil curet, & negociũ neq; ipse habeat, neq; alijs facessat. Quod nos de dijs uanis secundũ Scripturas dicimus, quòd uidelicet ne benefacere queãt, nec malè, id illi de uero Deo senserunt, quę nõ ritè cognouerunt. Et hæc stulta & impia opinio in schola Epicuri nata, sectæ illius omnium est conuenientissima.

Gratiã esse quidẽ in Deo, irã uerò nequaquam, dicunt Stoici.

Stoici uerò, quoniam in ira nihil considerant aliud, quàm quod sit uitiosum, utpote prętera rationem cõcitari, perturbari, insanire, & ad uindictam more ferarũ prosilire, ne sapienti quidem suo, quem fingunt, eiusmodi mentis commotionẽ ac perturbationem, nec um Deo conuenire existimant: ideoq; licet gratiam illi tribuant, qua cultoribus suis benefaciat, iram tamen non tribuunt, quòd illa tantos excitet in mente motus, ut statum illius immutet, liquidumq; ac serenũ perturbet, ac faciat ut dentes cõcrepent, labia tremãt, lingua titubet, uultus iam

iam rubescat, iam pallescat, oculi flammas eiaculare uideatur, quę tam fœda perturbatio Dei sit omnium indignissima. Sic sentiunt illi, ideoq; ubi considerant, quid ira faciat in homine, animũ illius corripiat, cauere uolentes ne in Deo quoq; tale quid operetur, Deũ irasci negãt.

Stoici Deũ cũcta subuersurũ dicũt, si irascetur.

Deinde colligunt ad hunc modum: Homo longè inferior Deo, si imperium habens irascatur, plurimum nocet alijs, sanguinem fundit, populos delet, urbes subuertit, florentes regiones desertas reddit, ipsum etiam cœlum deturbaturus, si posset: quid Deum aliud facturum cresebimus si irascatur, quàm totum hunc orbem cum incolis suis omnibus subuersurum? Quare necesse est, ut à tam graui malo omnium sit alienissimus. Sic illi argutantur ab ijs, quæ homo iratus designat in alios. Verùm in hunc errorem ex eo inciderunt, quòd in ira nihil spectarunt aliud quàm quod sit uitiosum: & ueriti sunt, ne quod illa facit in homine ad quæuis uitia propenso, faciat etiã in Deo, in quo tamen nullum esse ulli uitio locũ cogitate debebit.

Quanto rectius animati sunt illi, qui in ira considerant nõ ea tantum, quæ excessum habẽt, & tanquã uitiosa meritò reprobantur, Deoq; indigna censentur: sed & ea quę cũ uirtute sunt coniuncta, & conuictui humano contra quamuis iniusticiam necessaria? quorum consideratione rectè dictum est illud, Mentem non habet, qui iram nõ habet. Verùm committamus inter se philosophos, sinamusq; ut Epicureos Stoici, & Stoicos Peripatetici refutent. Nostrum est credere sacris Scripturis, quæ nusquam non de ira Dei testantur: & cauere, ne quem potius habere propitium ac placatum Deum, experiamur iratum.

Mentẽ non habet, qui iram non habet.

Iratum fuisse Deum populo suo, testantur sacræ Scripturæ.

Sæpenumero iratum fuisse Deum populo suo rebelli & immorigero, in Mosaicis historijs legimus: ut Exo. 32. Num 11. 16 & 25. Iratũ fuisse Sedomitis, legimus Deut. 29. Pharaoni & exercitui illius, Exo. 15. Salomoni 1. Reg. 11. Israeli, propter peccata Ioacham filij Iehu. 2. Reg. 9. contra Ozam 1. Paral. 13. Vt taceamus ea, quæ in Euangelicis Apostolicisq; scripturis de ira Dei leguntur, ne quis ueteris Testamenti Deum cum hæreticis alium ab eo, qui noui sit, esse nugetur. De uero & unico Deo, unde omnis nostra uita est & salus, testantur utriusq; Testamenti literæ, quòd irascatur malis, & amanter complectatur bonos.

QVOMODO TRIBVATVR DEO IRA.

QVoniam affectus iræ nostro uitio sic est comparatus, ut homini, nedum Deo indecẽs & inconueniens existat, licet sacræ Scripturę irasci Deum testentur: mirum tamen uidetur, quomodo illi ira tribuatur. Non audemus contradicere Scripturis, quas diuinitùs inspiratas esse non dubitamus: & iuxtà inficias ire nõ possumus, non esse Deo dandũ affectum, qui in homine meritò tanquam uitiosus reprobatur: qualis est affectus iræ, de quo legimus, quòd iusticiam non operetur: quare ipsa nos cogit necessitas, ut propter decorum diuinæ Maiestatis, & sacrarum Scripturarum ueritatem illibatè custodiendã quæramus, quomodo intelligendum sit, quòd Deus irasci dicitur.

Non irascitur Deus ut homo.

Quemadmodum non pœnitet Deum sicut homines, & non miseretur eo modo, quo misereri solent homines: nec zelat ut homo, & tamen pœnitentia, misericordia, & zelus illi in Scripturis tribuuntur: ita non irascitur ut homo, & tamen interim datur illi ira. Irascitur ut Deus, zelat ut Deus, miseretur ut Deus, pœnitet ipsum ut Deo cõuenit. Pœnitẽtia ipsius neq; est cum dolore, neq; post errorem. Misericordia ipsius non habet compassionẽ, non facit illi cor miserum. Zelus ipsius sine liuore est. Sic ira illius aliena est à perturbatione mentis.

Irascitur Deus sine perturbatione mentis.

Pœnitere dicitur, dum certas ob causas nobis incognitas aliquid eorum, quę fecit, mutat: misereri, dum ex bonitate sua opitulatur afflictis: zelare, dum populum suum propter scortationẽ cum dijs alienis admissam punit. Sic irasci illum intelligimus, dum animaduertit in peccatores. Non facit hoc iratus nostro more, sed nobis pœnas peccatorum dantibus irasci uidetur. Facit huc dicio, quod nos facimus ex animi commotione ac perturbatione.

Lactãtius iræ commotionem tribuit Deo.

Ad hunc modum Patres cauendum existimant, ne Deo demus aliquam mentis cõmotionem, dum iram illi tribuimus: Lactantius uerò in libro, quem de Ira Dei inscripsit, cap. 17. non hoc tantum Deo tribuit, quòd irasci uideatur, dum castigat ac punit peccantes, sed diserte illi dat commotionẽ etiam quandam, quam iram uocamus. Haud grauabor illius uerba adscribere: Necesse est, inquit. bono ac iusto displicere, quæ praua sunt: & cui malum displicet, mouetur, cum id fieri uidet. Ergo surgimus ad uindictam, non quia læsi sumus, sed ut disciplina seruetur, mores corrigantur, licentia comprimatur. Hæc est ira iusta, quæ sicut in homine necessaria est ad prauitatis correctionem, sic utiq; in Deo, à quo ad hominem peruenit exemplum. Nam sicuti nos potestati nostræ subiectos coercere debemus, ita etiam peccata uniuersorum Deus coercere debet: quod ut faciat, irascatur necesse est, quia naturale est bono ad alterius peccatum moueri & incitari. Ergo definire debuerũt: Ira, est motus animi ad coercenda peccata insurgentis. Nam definitio Ciceronis: Ira est libido ulciscendi, non multum à superioribus distat. Iram autem quam possumus, uel furorem, uel iracundiam nominare, hæc ne in homine quidem debet esse, quia tota uitiosa est. Ira uerò, quę ad correctionem uitiorum pertinet, nec homini adimi debet, nec Deo potest, quia & utilis est rebus humanis & necessaria.

Quid ira sit Ciceroni.

Hęc

Hæc ille. Quibus uerbis, commotionem & incitationem iræ, Deo non adimit, nisi eam quæ sit cum uitio coniuncta, adeoq; ne homini quidem conueniens.

Cõmotionem iræ qualis in Deo sit, nemo nouit nisi spiritus Dei.

Quis autem intelligere poterit, qualis sit hæc commotio & incitatio iræ Dei? Qualis sit hominis, scimus ipsi homines: qualis uerò sit Dei, quis nouit nisi ipse spiritus Dei? Prouerbio dicitur, esse & formicæ suam iram. Quis illius commotionem explicuerit, nedum Dei? Qui iã animo admodum est quieto, mox indignitate eorum, quæ uidet uel audit, ad irascendum cõmouetur & incitatur. An tale quid diuinæ sit tribuendum naturæ, unde sicut homo, uel aliter quàm homo ex quieto mutetur in commotum & incitatum, uel maneat ne in seipso quietus non minus dum castigans ac puniens, irasci, quàm dum benefaciens, beneuolus, ignoscẽs ac parcens, propitius & clemens uidetur, iudicet qui poterit. Ignis, dum cõburit quæ corripuit: iratus, dum uero calore suo commodè admota fouet, placi dus uidetur, cum tamen nullius sit in se commotionis, & altercationis capax. Verùm elementum illud est ἄλογον, unde non poterit ad Deum certi aliquid trãsferri, cuius nec ira nec beneuolẽtia ἄλογον esse potest. Quicquid sit, hoc constare debet homini pio, nõ moueri mutariq; Deum eo modo, quo mouetur ac mutatur homo. Quod reliquum est, non conuenit ut curiosius inuestigemus, quando quidem captum nostrum excedit.

IRAM DEI ESSE TRIPLICEM.

POssent iræ Dei plura assignari genera, uerùm nos in præsenti triplici illius diuisione cõtenti sumus: qua illam diuidimus in generalem, temporariam, & sempiternam.

Generalis ira Dei. Ephes. 2. Et eramus natura filij iræ.

Generalis est, qua uniuersa posteritas Adę propter originale peccatum constringitur. Mentionem huius facit Apostolus Ephes. 2. dicens: Et eramus natura filij iræ, quemadmodũ & cæteri. Hîc nemo excipitur. Quotquot participes sunt corruptæ & peccatricis naturę, huic sunt iræ Dei obnoxij: unde nõ nisi per Iesum Christum unicum nostrum mediatorem liberamur. Ex hac sunt omnes generis nostri miseriæ, quæ humanam conditionem ex æquo comitantur, & tam menti quàm carni nostrę inhærent. Esset autem ex illa & condemnatio generatalis omniũ, nisi Deus per Adamũ irritatus, in Christo sibi mundum reconciliasset: de qua reconciliatione uide 2. Cor. 5. Meminit huius Apostolus & Rom. 5. dicens: Commendat autem suam charitatẽ erga nos Deus, quòd cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit: multo igitur magis iustificati nunc sanguine eius seruabimur per eum ab ira.

Temporaria.

Temporaria est ira Dei, qua peccatis non impiorum modò, sed & piorum irascitur, ac pœnas de illis sumit in hac uita. Ad hanc potissimùm referẽda sunt, quæ in Scripturis de ira Dei leguntur exempla; quorum nonnulla suprà adduximus. Aliter tamen irascitur pijs, electis & fidelibus, & aliter impijs, reprobis & incredulis. Illis irascitur, ut pater dilectis filijs: istis ut Dominus ac rex aduersum rebelles & hostes. Vt pater irascitur ad castigandum delinquentes filios, uisitans in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorũ, ut emendentur ac seruentur. Hoc genus iræ paternæ dilectionis est & disciplinę. Vt rex & Dominus irascitur hostibus & inimicis suis nomen suum blasphemantibus, ac populum suum opprimentibus. Irascitur autem illis, ut uindictam & ultionem in eos exerceat, nominis sui gloriam potẽti brachio asserat, & populum suum liberet: quemadmodum iratus fuit Aegyptijs, Assyrijs, Babilonijs, Græcis & Romanis.

Sempiterna, et uentura ira.

Sempiterna ira est, qua reprobi & increduli in sempiternum condemnantur. Hanc uocat Apostolus uenturam iram, 1. Thess. 1. dicens: Ipsi enim de uobis annunciant, qualem introitũ habuerimus ad uos, & quomodo conuersi sitis ad Deum à simulacris seruire Deo uiuo & uero, & expectare filium eius de cœlis, quem suscitauit ex mortuis Iesum, qui eripuit nos ab ira uentura. Venturam uocat, propter uenturam illius declarationẽ, cui destinatus est ultimi iudicij dies, quem Rom. 2 ob hanc causam uocat diem iræ, cum dicit: Sed iuxta duriciam tuam, & cor pœnitere nescium, colligis tibijpsi iram in die iræ, quo patefiet iustũ iudicium Dei, qui redditurus est unicuiq; iuxta facta sua. At ira hæc in sempiternum constringens reprobos & incredulos, non in futuro demũ iudicij die sumptura est initium, sed inde ab initio reprobationis super ipsos manet, secundum illud Ioannis 3. Qui incredulus est filio, non uidebit uitã, sed ira Dei manet super eum. Et hanc ob causam uocat eos Apostolus uasa iræ parata ad interitum. Rom. 9.

ESSE DEVM TARDVM AD IRAM.

Propensio ad irã uitiosa est. Scripturæ de eo, quòd Deus tardus est ad iram.

QVi natura propensi sunt ad iram, quos Græci uocant ὀργίλους, illi ad irascendum commouentur ταχέως, & irascuntur οὐτε ὁ ἀὴρ, πρὸ ὀφθαλμῶν ὢν οὔτε ὁ ἀὴρ, πρὸ μᾶλλον ὢν ἀὴρ, ut ille ait. Hæc propensio ad iram admodum est uitiosa. Quare Scriptura sic Deo tribuit irã, ut interim inculcet, esse illum sic natura comparatum, ut haud facilè ad irascendum commoueatur: atq; ita uocat eum aliquoties ארך אפים id est lentum ac tardum ad irã, uel, si mauis, procul ab ira Tribuitur hoc illi lenitatis encomium primùm Exod. 34. deinde Num. 14. tertiò Nehemiæ 9. quartò Psal.

Psal.86.quintò Psal.103.sextò Psal.145.septimò Hieremiæ 15. octauò Ioelis 2.nonô Ionæ 4. decimò Nahum 1.

1 Principium illius Exo.34 ab ipso Domino profectum est, qui ea uerba, quę ibi leguntur de seipso ad hoc, ad Mosen protulit, ut animum illius erigeret pro populo propter peccatum ituli anxium ac metuentem, ne ab irato Deo funditùs deleretur.

2 Et consimili metu Moses illa Num.14 coram Domino ad hoc repetijt, ut iram illius placaret, ad quam fuerat murmurantis populi rebellione motus. Ex eo cœperũt usurpari à pijs hominibus, ad prædicandum diuinæ Maiestatis clementiam ac lenitatem.

אפים. Vox אפים quæ ibi legitur, haud qualemcunq; iram, sed uehementem & ardentem significat, qualis esse solet eorum, qui mox iritati excandescunt, & ad ulciscendum prosiliunt. Sonat enim אף nares & uultum: atq; ita pro tali ira ponitur, quæ flatum concitatiorem è naribus concitat, & totum uultum incendit: quod genus iræ mentem utiq; perturbat, & rationis moderationem reijcit, anhelans ad uindictam siue iustam, siue iniustam. Sic irasci solent qui impotentioris sunt animi, qualis ferè mulierculorum est. Cum igitur eiusmodi excandescentiæ impetus ac concitatio ne sapienti quidem, nedum diuinæ Maiestati conueniat, cum illa sit natura clemens ac misericors: rectè de seipso testatur Dominus, quòd sit, ארך אפים id est procul ab ira impetuosa & concitata.

3 Vsurpauit hoc oraculum Dei in oratione sua Nehemias, ut exaggeraret duritiam, incredulitatem ac rebellionem Israelis, & iuxtà lenitatem Dei extolleret in eo declaratã, quòd populum tam contumacem, tam incredulum, tam rebellem clementissima sua patientia non deseruit, sed tolerauit, cum dignissimus esset, qui semel in uniuersum deleretur.

4 Dauid usus est eo Psalmo 86. ad hunc modum: Deus, superbi insurgunt aduersum me, & cœtus robustorum quærunt animam meam, nec proponunt te in conspectu suo. At tu dominator Deus, miserator & clemens, tardus ad iram, ac multæ bonitatis & ueritatis. Vehementer mirum uidebatur, quomodo tam impia, & diuturna crudelitas Saulis & aliorum impiorum, omni timore Dei abiecto, innocenti sanguini insidiantium, tandiu toleraretur à Deo, cũ iusto possent iudicio puniri ac tolli è medio. Hac de re cogitans reijcit tam prolixæ patientiæ causam in bonitatem diuinæ naturæ, quæ sic comparata est, ut sit clemens ac tarda ad irascendum etiam contra iniquissimos. Quid nos hodie cogitabimus aliud, quoties Antichristianã & Sauliticam crudelitatem experimur, qua tanta cum sæuitia & immanitate sanguis piorum funditur, ut miraculum sit, quomodo illam iustus iudex tandiu ferre possit, quàm hoc ipsum quod Dauid sibijpsi ex oraculo Dei proposuit, esse uidelicet Dominum tardum ad irã, & procliuem ad tolerantiam malorum?

5 Psal.103 eodẽ planè sensu ac respectu usus est hoc oraculo, quo Nehemias, unde & subiecit: Non secundũ peccata nostra fecit nobis, neq; secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

6 Psalmo 145 citat illud ad hoc, ut bonitatem, clementiam ac lenitatem Dei, quam opera ipsius generaliter erga omnes declarant, extollat ac prædicet. unde & addidit: Bonus Dominus omnibus, & miserationes eius super omnia opera eius.

7 Hieremias illo usus est singulari quodam affectu, ad hunc modũ: Erant illi primores populi infensissimi, quærebantq; quibus illum modis è medio tollere possent, propterea quod breui futurum minabatur, ut Hierusalem subuerteretur, populusq; in Babylonem abduceretur: quę Israeli uidebantur & falsa, & in ciuitatem, templum, ac populum Dei contumeliose dicta. Hac de re loquens dicit: Tu Domine nosti (intellige, quòd non mentiar, sed uerissima dicã) recordare mei, & uisita me, & ulciscere me de persequentibus me, non quatenus tardus es ad iram, suscipe me, scias quòd propter te fero opprobriũ. Cum dixisset, Recordare mei, & uisita me, & ulciscere me de persequentibus me: occurrebat, esse Deum tardum ad iram, & ad ulciscendum, ideoq; mox subiecit dicens, אל לארך אפך, id est non ad prolongationem ac tarditatem iræ tuæ. hoc est: Ne differas ultionem hanc, qua me de manu persequentium me liberes, sed citò succurras, meq; suscipias & agnoscas, quòd propter uerbum tuũ probris afficior. Hic affectus singularis est, ac haud cuiuis imitandus, sed spiritui prophetæ relinquendus.

8 Ioel cap.2 usus est hoc elogio clementię ac lenitatis Dei, ut populum Dei, cui ultio grauissima præ foribus erat, ad conuersionem ac seriam resipiscentiam permoueret, quo iram Dei euaderet. Sic cum de imminente ultionis die uaticinatus esset, subiecit: Sed & nunc dicit Dominus, Conuertimini ad me in toto corde uestro, cum ieiunio, fletu & lamento. Et scindite corda uestra, & non uestimenta uestra, ac conuertimini ad Dominum Deum uestrũ: quia benignus est, misericors & tardus ad iram, ac multæ bonitatis, & quẽ pœniteat super malo. Sic ille admodum in loco usus est hoc oraculo Dei: quo cunctos admoneret, quamuis immineret dies ultionis, sic tamen comparatum esse Deum, ut admodum tardus sit ad ulciscendum, propensus uerò ad clementiam erga resipiscentes: ideoq; spem esse posse, quòd sententiã meritæ ultionis ac uastationis mutaturus sit, si ex animo ad ipsum conuertantur. Hoc exemplũ imitari debent uerbi ministri, non modò ubi in genere de ultione diuina loquũtur, sed & ubi certam & è uicino imminentem uindictam minantur.

Ionas

9 Ionas usurpauit hoc oraculum & ipse singulari affectu ad suum propositum. Cum mitteretur à Deo, ut Niniuitis prædicaret resipiscentiam, cogitãs futurum, ut pœniteret Dominũ mali, quod illis minabatur, atq; ita fieret, ut manentibus illis illæsis, ipse pro pseudopropheta haberetur. Quę illi cogitatio ex eo nascebatur, quòd sciret Deũ esse clementem, tardũ ad irã, ac misericordem, fugam moliebatur, impositam legationem detrectans. Tandem cum manu Domini retractus prædicasset Niniuitis, dicens: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur: illis aũt resipiscentibus, cũ Dominum parcere cerneret, indignatus dixit: Obsecro Domine, an' non hoc est uerbum meum, cum adhuc essem in terra mea? Propter hoc præoccupaui, ut fugerem in Tharsis. Sciebam enim, quòd tu es Deus clemens, & misericors & tardus ad iram, & multę miserationis, & quem mali pœniteat. Sic ille oraculo hoc est abusus diuersimode ab eo, ad quod illud Ioel usurpauit, unde & reprehensus est à Domino.

10 Nahũ illud sic citauit, ut causam redderet Israelitis, quare Deus tamdiu pepercerit Assyrijs, de quorum subuersione uaticinabatur. Propterea uidelicet, quòd tardus est ad iram. Verba illius sic habent, cap. 1. mox initio: Deus zelotes, & ultor est Dominus, ultor est Dominus, & potens furore, ultor est Dominus cõtra inimicos suos, & memor ad reddendum hostibus suis. Dominus tardus ad iram, at potens uirtute, & (qui uidetur) innocens, non erit innocẽs. Significat hic Propheta, ex eo non consequi impunitatem malorum, quòd diuina ultio lento gradu procedit, ac Dominus tardè irascitur, sed expectandam esse uindictam tanto grauiorẽ, quanto prolixior diuinæ bonitatis lenitas frustrà præcesit. Hosce locos propterea in mediũ adducere uolui, ut uideat Lector, quo usu fuerit sanctis oraculum hoc Dei, in quo nobis lenitas ac clementia illius proponitur, & quòd tardus ad iram sit, prædicatur.

QVAM GRAVIS SIT IRA DEI.

QVàm incomprehensibilis est amplitudo gratiæ Dei, quam ille infinitis modis erga eos quos diligit, quotidie & in sempiternum declarat, tam est & grauitas iræ eius incomprehensibilis & intolerabilis: & quemadmodum illa non scrutanda, sed expetenda est omnibus, ita hæc non inuestiganda, sed timenda est & fugienda. Vim iræ Dei nemo nouit, ne ij quidem qui illam experiuntur, nisi quantum sensu illius tanguntur. Quis nouit uim iræ tuæ? inquit Propheta Psal. 90. Quàm est magna in Deo potentia, tam est magna illius gratia, si sit beneuolus, & grauis ira, si sit iratus. Vt gratia potentiam illius habet ministram ad benefacien dum fidelibus, ita ira conuertit illam ad sumendum pœnas de reprobis. Vt omnes creaturas gratia utiles electis reddit, ita armat eas ira ad ultionem. Ira regis, inquit Salomon Prouer. 19. fremitus leonis. Et tamen homo rex est, nihil potens in quenquam, nisi quantum diuinitùs permittitur. Si tantopere timenda censetur illius ira, quanto magis timẽda est ira Dei, cui omnes creaturę seruire coguntur? Extãt illius horrenda exempla, quæ citari inspiciq; possent, nisi omnibus sacras Scripturas legentibus essent obuia. *Quàm magna est gratia Dei, tam grauis est illius ira.*

Quanta sit & quàm horribilis uis ignis omnia consumentis, sæpenumero experimur. Tyranni, ubi atroci supplicio & admodum horribili in eos uti uolunt, quos singulari mortis genere necare constituunt, abijciunt eos in ignem, sicuti in historia trium puerorum Ebr. uidemus, & nostra ætate tot horrendis exemplis in gratiam Antichristi declaratur. Vim ignis considerant, uim autem iræ Dei cõtemnunt. At interim illa igni comparatur in Scripturis. Moses cum metum & horrorem iræ Dei Israeli incutere uellet, ne cultu eidolorũ redderentur illi obnoxij, Deut. 4. sic dixit: Caue, ne quando obliuiscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum, & facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ Dominus fieri prohibuit: quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator. *Quàm horribilis sit uis ignis, cui ira Dei cõparatur.*

Et Deus ipse ultionem iræ suæ comparat igni, Deut. 32. dicens: Ignis succendetur in furore meo, & ardebit usq; ad inferni nouissima: deuorabitq; terrã cum germine suo, & montium fundamenta comburet. Cum timorẽ sui duro populo incutere uellet, descendit in igne maximo in montẽ Sina. Vim iræ suæ igne declarauit in Sedomitas, Genes. 19. in populum Israelis, Num. 11. in factiosos, qui erãt à patre Chore, Dathan & Abyron, & multitudinẽ rebellẽ, Num. 16. Vbi ignis quo de populo 14000. absumebãtur, ira à Domino egressa, uocatur in duos quinquagenarios & centũ illorum milites, quos Ochosias ad capiendũ Eliam miserat, 2. Reg. 1. Vt taceam exempla, quę in Sacris literis non sunt cõprehensa. Sic in fine mundi ubi iram suam semel est in totum orbem effusurus, ignem cœlitùs ad comburẽdum cuncta demittet. Sic iram illam ęternam, in qua torquebuntur post hanc uitam reprobi, Dominus ipse ignem ęternum uocat. Vtinam uel semel de grauitate hac iræ Dei cogitẽt, qui igne in electos Domini sęuiũt.

Verùm relictis reprobis, qui nolint uelint, olim experiẽtur quàm grauis sit ira Dei, uideamus quàm sit pijs hominibus horribile, si sensum iræ Dei experiãtur. Accidit hoc illis bifariã. Primò, ex eo quòd intelligunt se Dominum Deum suum offendisse, ac paternam illius beneuolentiam læsisse, unde supra modum dolent ac contristãtur. Quanto nanq; impensius illum diligunt, tanto acerbius cruciantur, ubi illum irasci sibi sentiunt. *Horribilem esse iræ Dei sensum.*

2 Deinde, quoniam etsi pij, homines tamen sunt, grauissimas angustias ex metu mortis, uel alterius cuiuspiam supplicij, conceptas sentiunt, de quibus in Psalmis Dauid, præsertim sexto, uidere licet. qua de re non est ut hîc plura annotemus, cum in Commentarijs nostris quâtum satis uideri possit, de illa dixerimus.

QVIBVS POTISSIMVM PECCATIS IRITETVR DEVS.

ODit Deus omnem iniquitatem, & quouis peccatorum genere offenditur: uerùm sunt quædam sic impia & enormia, ut per illa grauiter iritetur illius patientia, quorum in Scripturis plurima habentur exempla.

1. Eidololatria. 1 Primùm est peccatum eidololatriæ, quo perinde atq; maritus coniugis suæ adulterio, ad æmulationem & grauissimam indignationem prouocatur, cuius mentionem Dominus ipse in prima Decalogi tabula facit, dicẽs: Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo supernè, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neq; coles: Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, uisitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me, &c. quæ uerba in Decalogo unà cum peccati huius enormitate exposuimus. Sic prouocauerunt Israelitæ Dominum in Oreb, erigentes simulachrum uituli, deinde scortâtes cum Baal Peor, ac deinceps in ipsa promissionis terra dijs gentium seruientes, ac simulachra illorum colentes. Deut. 9. dicit ad eos Moses: Et in Oreb prouocasti eum, ac delere te uoluit. Et Dauid Psalm. 106. Initiati sunt, inquit, Baal Peor, & comederunt sacrificia mortuorum, & iritauerunt eum in adinuẽtionibus suis, & multiplicata est in eis ruina. Et Deus ipse Deuter. 32. Ipsi me prouocauerunt, inquit, in eo, qui non est Deus. Et passim in prophetis cernere licet, quomodo populus ille Dominum cultu simulachrorum, & adinuentionibus suis ad iracundiam prouocauerit, & magno suo malo exacerbarit. Quomodo se in hac causa gesserint Ecclesiæ Christi, & gerant hodie quoq;, quorsum attinet meminisse, cum & ipsum peccatum & grauissimæ illius pœnæ abundè de iritatione & exacerbatione Domini testentur?

2. Tentatio. 2 Deinde, prouocatur patientia Dei, & iritatur perfida tẽtatione, cuius in Israele multa præcesserũt exẽpla. Exo. 17 uidemus quomodo Dominũ Deũ suũ tentãdo ad iracundiã prouocarint. qua de re & Psal. 78 & 95 legitur, ubi de peccato hoc tentationis pleraq; annotauimus.

3. Murmur. 3 Tertiò, exacerbatur Dominus, impiè contra ipsius prouidentiam murmurando. Peccati huius grauitas & pœna exprimitur Num. 11 & 14. & Psal. 106 memoratur, quomodo ad mare rubrum murmurauerint. Tria hæc peccatorum genera, eidololatriæ uidelicet, tentationis, & murmuris, singulariter fugienda esse monet Apostolus 1. Corinth. 10. uide Commentarios nostros in eam Epistolam.

4. Contumax rebellio. 4 Quartò, est & cõtumax rebellio prouocatrix iræ Dei. Huius exemplum uide Numer. 14. Et Deut. 9. exprobrat Moses peccatũ hoc rebellionis Israeli, dicẽs: Et cum mitteret uos de Kades Barne, dicẽs: Ascendite, & possidete terrã, quam dedit uobis, cõtempsistis imperiũ Domini Dei uestri, & non credidistis ei, neq; uocẽ eius audire uoluistis, sed semper fuistis rebelles à die, qua nosse uos cœpi. De rebellione hac uide quæ in Psal. 106. uers. 7. annotauerimus.

Imputant nobis illam Romanistæ, quasi propterea simus rebelles, quòd iugum Antichristi detrectamus, id quod necessariò facimus, nisi iugum Christi cum iugo Belial coniunctim sustinere uelimus. Interim ipsi non cogitant, quanta cum contumacia seculis iam aliquot aduersus Deum ac Christum eius rebelles deprehendantur, ac propter hanc rebellionem quoti die magis ac magis pessum eant.

5. Effusio sanguinis innoxij. 5 Quintò, est & effusio sanguinis innoxij tale peccatum, quod Deum prouocet ad irã & ultionem. Nota est historia Habelis, cuius sanguis in cœlos ad Deum pro uindicta clamauit. Et Christus Matth. 23. ultionem sanguinis innoxij minatur ciuitati Hierusalem.

6. Viduarũ oppressio. 6 Sextò, uiduarum quoq; & pupillorum oppressio exacerbat Dominum, sicuti uidere est Exo. 22. ubi sic legimus: Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, uociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamq; uos gladio: & erunt uxores uestræ uiduæ, & filij uestri pupilli.

Impœnitentia. Hisce peccatorum speciebus singulariter iritatur & exacerbatur patiẽtia Dei, præsertim si accesserit cor obstinatum, ac pœnitere nescium. Impœnitentia siquidem quodcunque peccatum exaggerat, & iræ diuinæ grauitatem cumulat, sicuti testatur Apostolus Romanorum 2. dicens: Sed secundum duriciam tuam, & cor pœnitere nescium, colligis tibijpsi iram, &c.

Quàm autem necesse sit, non euadere impunè eos, qui iram Dei contra se prouocant, non est ut multis declaremus, præsertim si id plena ac consummata iritatione faciant. Nemo facilè regem contra se impunè concitabit, nedum diuinam maiestatem.

Plena iritatio quæ sit. Est autem plena iritatio, si fiat haud per ignorantiam, sed per contemptũ numinis. Etenim si quis per ignorantiã, aliàs non impius corde ea faciat, quæ in se sunt talia, ut ad iritationem Dei facere possint: habet in animo suo, unde ira Dei nonnihil mitigetur, quantumuis factum

externũ iritationis ſpeciẽ præferat. Vbi uerò & animus eſt impius, numinis contemptor, perinde habens ſiue exacerbetur Deus ſiue placetur: & factum tale, ut ad iritandũ patientiã Dei faciat: hoc genus iritationis plenum & conſummatum, neſcio an unquam impunè euadat.

Illud ſingulare eſt & extremum, quando ij qui prorſus ſunt hoſtes ueri Dei, palàm ac ſcienter Maieſtati illius inſultant ac dicũt: Vbi eſt Deus ueſter? liberet uos ſi poterit. ad quem modum prouocari poſſunt impunè dij falſi, ac debent etiam. Neque enim ſunt ueri dij, & nec bene nec malè facere poſſunt. *Inſultatiõ. Deut. 32.*

QVAE SINT INDICIA IRAE DEI.

QVemadmodum indicia & argumenta gratiæ Dei non ſuo tantùm ipſorum, ſed & publico nomine ſtudioſiſsimè obſeruant, qui piè uiuunt: ita obſeruant etiam ſigna & indicia iræ Dei, quo & ſeipſos & quoſuis alios ad reſipiſcentiam uocãtes caueant, ne uel ex improuiſa plaga Dei adobruantur, uel in ipſa ultione unà cũ pijs ſine iræ Dei ſenſu ſecurè in malo pergant, ac pereant. Quare uiſum eſt de illis quoq; quæ in præſenti occurrunt, annotare.

Indicia iræ Dei duplicis ſunt generis. Sunt enim alia manifeſtiora, alia occultiora. Manifeſtiora ſunt quę manifeſtis plagis, caſtigationibus & ultionibus declarantur: ut ſunt fames, peſtis, ſingulares morbi, uaſtatio bellica, & quæ alia ſunt huiuſmodi, quorum catalogum Leuit. 26. & Deut. 28. uidere licet. Sanè manifeſta ſunt iræ Dei teſtimonia, quando fruſtrà ſeritur, eo quòd uel hoſtes quæ ſata ſunt deuorant, uel cœlum ſupernè ferreum eſt denegans pluuiam, & terra ænea, non reddens quæ accepit, ſic ut omnis labor agricolantis hominis fruſtrà conſumatur, eo quòd terra ſterilis ſit iudicio Dei facta, & arbores quoq; nullos fructus adferãt: itẽ, quãdo gladius hoſtilis cũcta uaſtat, & alios abſumit, alios captiuitati ac ſeruituti ſubijcit: itẽ, quãdo aere corrupto paſsim graſſatur peſtis, homines q; & iumenta ,pſternit. Horũ omniũ ſenſus facilè nos iræ Dei admonet. Et tamẽ uſqueadeò deprauati ſumus, ut etiam ſi hæc omnia cõiũctim irruãt, calamitoſiores quidẽ, meliores uerò nequaquã reddamur. Quare neceſſe eſt ut grauius in nos ira Dei animaduertat, cuius rei horrenda exempla in Iſraele pręceſſerũt. *Indicia iræ Dei duplicis ſunt generis. Manifeſtiorã.*

1 Occultiora iræ Dei indicia nõ ea uocamus, quæ prorſus ſint abſcondita, & ad nullius hominis cognitionẽ ueniant: ſed quę licet oculis & auribus noſtris exponantur, à paucis tamen quòd irã Dei indicẽt, cognoſcũtur. Huiꝰ generis ſunt ſigna ac portẽta cœleſtia in ſole, luna & ſtellis, quę inſignioribus plagis prouidẽtia Dei prẽmittere ſolet. Vidẽtur illa indiſcriminatim ab omnibus, uerùm alij nõ intelligũt quid portendãt: alij ne curant quidẽ intelligere, alij etiã in contrariã partẽ interpretantur, atq; alios potius q̃ ſe cõcernere cẽſent. Quale eſt quod Ioſephus de Iudæis Hieroſolymitanis lib. 7. de bello Iudaico, cap. 12. ſic ſcribit: Deniq; miſerabilis populus fallacibus quidẽ, Deumq; calũniantibus credulus erat, certis uerò prodigijs & futuram ſolitudinẽ prẽnunciantibus, neq; attendebant animo, neq; credebant, ſed uelut attoniti, nec aut oculos habẽtes, neq; animas, edicta Dei diſsimulauêre: modò cũ ſupra ciuitatẽ ſidus ſteterit ſimile gladio, & per annũ perſeuerauit cometes: modò cum ante defectionẽ, primiq; bellimotus ad diẽ feſtum Azymorũ populo cõueniente (octauus autẽ dies erat Aprilis menſis) nona hora nocturna circũ aram, itemq; templũ tantũ lumen effulſit, ut clariſsimus dies putaretur, & hoc uſq; ad mediam permanſit horã: quod imperitis quidem bonũ anguriũ eſſe uidebatur, ſacrorũ uerò peritis, priuſquam eueniret, ſtatim dijudicatũ eſt. Et aliquãto poſt: Hæc ſi quis reputet, inquit, profectò inueniet, Deũ quidem hominibus cõſulere, modisq; omnibus præmonſtrare quæ ſint ipſorũ generi ſalutaria, ipſos autẽ ob dementiam ſuam malis uoluntarijs interire. Item: At uerò hi ſignorũ quædam pro ſua libidine interpretati ſunt, alia contemplere, donec patriæ excidio ſuaq; pernicie, eorũ iniquitas confutata eſt. Hæc ille. Obſecro, an non conſimili cæcitate pręſentium temporum prodigia alij cõtemnunt, alij ſiniſtrè interpretantur, pauci admodum magnorum malorum eſſe præſagia, & grauiſsimę indignationis Dei indicia agnoſcunt? Quare uocamus ea occultiora, etiamſi omnium oculos incurrant. *1. Occultiorã. Signa & portenta.*

2 Deinde in hanc claſſem & illud refero, quòd toties uidemus regnare propter peccata pòpuli hominem hypocritam & reprobum, Iob 34. qualis erat Saul, & pueros eſſe, effœminatoſque principes, Eſa. 3. Vbi uidemus uiros ſapientes, fortes, ſenes, honeſtos ac graues tolli è medio, quotuſquiſq; eſt, qui hoc agnoſcat eſſe iræ Dei indicium? Cui & illud conſimile eſt, quòd uiri iuſti, pij, ac timentes Dei ex hoc ſeculo auferũtur, quo poſtea plaga Dei liberius in multitudinem impiorũ ſęuire poſsit. Sic Ieſaiæ cap. 17. legimus: Iuſtus perit, & nõ eſt quiſquã qui ponat ſuper cor: & uiri pietatis colligũtur, dum nõ eſt qui intelligat, quòd à facie mali colligatur iuſtus. Germania noſtra nec intellexit ante annos aliquot, nec hodie intelligit, quid portendat tot inſigniũ uirorũ ablatio, qui ex hac uita migrarunt ad Dominũ: alij in pace, alij uiolenter occiſi, & interea copia uiliſsimorum hominum nuſquam non occurrit. Huc pertinet & multitudo falſorum prophetarum, qui ad hoc deſtinati ſunt, ut corda impiorum ac rebellium excæcent, & fames uerbi Dei, quam minatur Dominus immorigero populo, Amos 8. dicens: Mittam famem in terram, non famem panis, ſed audiendi uerbum Domini. *Regnum hypocritarum. Inſignes uiri auferuntur è medio. Falſi prophetæ inualeſcunt.*

Reprobi in reprobũ sensum dantur. Rõ. 1.

3 Tertiò, huc referendum & illud est, quòd reprobos post omnis generis castigationes, & flagella tradit Deus in reprobum sensum, & in cupiditates immundas, ut ignominia afficiant corpora sua inter se mutuò, ut relicto naturali usu fœminę exardescant alius in alium, masculi in masculos fœditatem perpetrantes, & pręmium, quod oportet, erroris sui, in sese recipiętes, atq; ita faciant, quæ facere non cõuenit, repleti omni iniusticia, scortatione, uersutia, auaricia, malicia, pleni inuidia, cæde, contentione, dolo, malis præditi moribus, susurrones, obtrectatores, Dei osores, contumelioſi, elati, glorioſi, excogitatores malorum, parentibns immorigeri, expertes intelligentiæ, pactorum haudquaquam tenaces, alieni à charitatis affectu, nescij fœderis, immisericordes: qui cum Dei iusticiam nouerint, nempe quòd ij qui talia faciũt, digni sint morte, non solùm ea faciunt, uerùm etiam assentiuntur ijs qui faciunt. Hi mores, imò hæ morum ac studiorum corruptelæ satis sunt hodie in propatulo, præsertim apud eos qui fastigia rerum occupant: at interea admodum paucos reperias qui intelligãt, hoc genus hominũ iustiſsimo esse irati Dei iudicio traditum in reprobos sensus. Qui uerò intelligunt, communicationem illorum deserunt, ne unà cum illis in foueam perditionis incidant.

Reprobi prosperè agunt in hoc seculo.

4 Quartò, huius generis & illud est, quòd huiusmodi impij in reprobũ sensum, & omnis generis ignominioſas cupiditates, uitamq; sceleratiſsimam traditi, prosperè ac securè agunt in hoc seculo. Tum enim reuera magna est super illos ira Dei, dum illis haudquaquam irasci uidetur. Perpendunt hoc admodum pauci. At qui cordatiores sunt, facilè intelligunt, magnam esse iram, quando peccantibus nõ irascitur Deus. Quem nanq; ille diligit, corripit & castigat omnem filium, quem recipit. Desperationis indicium est, quando ægrotum medicus curare cessat. Non potest nobis grauius irasci Deus, quàm dũ sinit nos ire uias nostras, & omni castigatione remota facit, ut successu, quò uolumus, in peccatis nostris absq; ullis remoris pergamus. Hæc nanq; prosperitas est, quæ perdit stultos & insensatos. Hanc ultimã irã suam minatur populo Iudaico Deus, Ezech. 16. dicens: Faciam ut cesset in te ęstus meus, & zelus meus à te recedat: quietus ero, neq; indignabor amplius. Tale quid & Psal. 81 legitur: Et non audiuit populus meus uocé meam, & Israel noluit me. Et dimisi eos in obstinatione cordis eorum, in cõsilijs suis ambulant. Quid autem perditioni uicinius esse poterit, quàm à Deo deseri, & pro prijs ferri consilijs? At interim illi, quoniam cum hominibus non flagellantur, sed in peccatis suis regnant, superbiunt & insolescunt, loquuntur è sublimi, ponunt in cœlũ os suũ, & lingua ipsorũ uagatur in terra: & quod omniũ est dementiſsimũ, gloriantur etiam de ea ipsa prosperitate, in qua quotidie magis ac magis proficiũt ad peius, tam abest ut agnoscant illã esse extremæ iræ Dei indicium. Sic Romana sedes de eo gloriatur, quòd immota sedeat regina, & quòd tot seculis cõtra quorumuis conatus prævaluerit, & hinc se fauore numinis constanter potiri colligit. Hactenus puto me, quantum in pręsenti satis est, admonuisse, quę & qualia sint iræ Dei indicia. Possunt quidem plura in medium adferri, uerùm optarim ex animo tantum nobis esse uigilantiæ, ut uel ista obseruemus, & obseruationem illorum bene collocemus.

Ezech. 16. Psal. 81.

Peruersa Romanæ sedis iactantia.

AN IRA DEI, ET QVOMODO *placari possit.*

Placari Deũ. Rom. 1. Psal. 60.

HAud minus testimoniorum extat in Scripturis sacris, placari Deũ, ac reddi propitium, quàm quòd irascatur peccantibus. Etiam ubi iratus est, miseretur. Iratus es, inquit Propheta, Psal. 60. & misertus es nostri. Et alio in loco: Nõ in perpetuum, inquit, irascetur, neq; in sempiternum comminabitur. Quare autem non irascatur in perpetuum, non poterit alia assignari causa, quàm quòd pro bonitate sua, ut tardus est ad irascẽdum, ita & propensus est ad ignoscendum ac remittendũ. Qui malo sunt, duro & immiti ingenio, iram, quam semel conceperunt, remittere nõ possunt: atq; ita fit ut sint implacabiles. Mutatur enim illis ira in odium, quod in finem usq; & extremũ halitũ non ponunt. Ingenium eiusmodi diabolicũ est, ex ipso maliciæ fonte promanans, adeoq; omniũ à diuina natura alieniſsimũ, quæ ut est bona ac tarda ad iram, ita est & clemens ac propitiabilis, iramq; mutat non in odium, sed in gratiam. Hinc toties in Scripturis occurrit illud, Et placatus est Dominus. Qui de Deo perinde sentiũt atq; de homine rege, aut de suo metiuntur illius ingenium, ægrè persuadentur placabilem esse illius iram: ideoq; incidunt, uel in contemptum illius, uel in desperationem. Quare non minus certò tenendum est placari eum facilè, quàm quòd peccatis nostris irascatur.

Diabolicũ est, mutare irã in odium.

Quomodo ira Dei placetur, quæ generalis est.

Quomodo autem reconciliari placariq; possit, non est de nostro statuendum, sed ex ipsius uerbo discendum. Quod attinet primam ac generalem iram, qua natura ex Adamo cõstringimur omnes, cuius suprà mentionem fecimus, placata est: & placatur illa per sanguinẽ Christi unici nostri mediatoris ac reconciliatoris. Deus enim erat in Christo, inquit Apostolus, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum. Recõciliationis autem huius participes reddimur resipiscendo, & in Christum credendo. Vnde & subiecit Apostolus: Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Hac ratione ministerium Euangelicæ prædicationis, ministerium reconciliationis uocat, dicens: Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis.

Quod

Quod attinet iram Dei, quam suprà temporariam uocauimus, placatur illa non temporis beneficio, quod frequẽter in rebus humanis euenire uidemus, ubi unica hora plurimũ ad mitigandum irati animum conducere potest, etiamsi prẽterea nihil accedat, unde mitigetur: sed certæ quædam rationes sunt, unde placari poterit. Prima, in ipso Deo est, quantumuis irato: secũda, in peccatore: tertia in illis, qui pro peccatore intercedũt. In Deo est naturalis bonitas, quæ seipsam, etiam ubi iraſcatur, negare non potest. Hæc natura sua iram mitigat. Est autem illa primaria placationis causa, sine qua reliquę nihil efficerent. In peccatore requiruntur, resipiscentia, humilitas cordis contriti, & supplex deprecatio, quæ fiducia misericordiæ Dei fiat. Sine resipiscentia, humilitate, ac supplici deprecatione, non placatur ira Dei. Huius rei multa sunt in Scripturis exempla. Iudęi usqueadeò desipiebant in hac causa, ut existimarent se iram Dei sacrificijs ac muneribus posse sine resipiscentia placare. Scindebant uestimenta sua, & humiliationem mentis sacco & cinere simulabant, à qua tamen aberant longissimè. Et hos, qui in Papatu uideri uolunt admodum religiosi, eueſtigiò sequuntur. De Euangelicis, quales uocamur, quid dicam? Ne obulo quidem meliores sumus. Quotus enim quisq; est, qui ex animo placandæ iræ Dei studeat? Iudęos reprehendit Micheas, dicens: Nunquid placari potest Dominus in milibus arietum, aut in multis milibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primo genitũ meum pro scelere meo? fructum uentris mei pro peccato animæ meę? Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtiq; facere iudicium, diligere misericordiam, & solicitè ambulare cum Deo tuo. Et Ioel secundo cãpite satis perspicuè Iudęos docet, quomodò Deum iratum ipsis placare possint. Nostra ætate excitati sunt à Domino multi, qui quosuis doceant & hortentur, quomodo iram Dei mitigent, uerùm surdis canitur fabula. Obstinatio mentium quæ perdidit Iudæos, nos quoq; perdet.

Quomodo placetur temporaria.

Tertiam rationem placandi numinis eã esse diximus, quà pij & iusti homines iram Dei populo suo iraſcentis interuentu suo mitigãt. Exẽpla huius sunt in Mose, Exo. 32 & 34. & Num. 14. & in Aarone, Num. 16. & in Samuele, 1. Samuel. 7. In hanc classem referre possumus exẽpla illa Mosis, Phinees & Iosuę, qui irã Domini à populo auerterunt, ubi pœnas de reprobis sumpserunt, Num. 25. postquam Moses principes in patibulis contra solem suspendit: & Phinees zelo commotus, utrunq; & scortatorem Israelitam, & scortum Midian gladio perfodit, cessauit à populo ira Domini. Et Iehosue septimo capite iram Domini à populo auersam legimus, ubi is qui illam commouerat, lapidatus fuit.

Quomodo ira Dei iustorum hominum interuentu placetur.

Duæ posteriores rationes efficaces sunt coram Deo, propter illius bonitatem, ne quis uel nostris uirtutibus uel satisfactioni, quæ est ex pœnis peccatorum, iræ illius placationem tribuat. Sempiterna ira Dei placationem non recipit: quare non est ut de illa dicamus. Sed hactenus de ira Dei dictum esto.

DE IVDICIIS DEI.

ESSE Deum non solùm immensæ bonitatis, summæ potentiæ, liberrimæ uoluntatis ac potestatis, sicut in præcedentibus nonnullis locis annotauimus: sed & factorum humanorum iudicem, testantur sacrę Scripturę, & quotidiana do cet experiẽtia. Et hinc Salomon Ecclesiastes cap. 12. in calce, omnes in uniuersum homines hortatur, ut Deũ timeant, ac mandata eius custodiant: propterea quòd cuncta quę fiunt, siue bona siue mala, in iudicium protrahat. Et Dauid Psalmo 75. Dicã stultis, inquit: Nolite stultè agere: & impijs, Nolite exaltare cornu. Nolite extollere in excelsum cornu uestrũ, nolite loqui ceruice præfracta: quia neq; ab Oriẽte, neq; ab Occidẽte, neq; ab Austrò quisquã est, qui exaltet: quoniã Deus iudex est. Ille est qui humiliat, is est qui exaltat. Quia calix in manu Domini est uino turbido plenus, miscet & ꝓpinat ex illo, etiam feces eius sugent, bibent omnes impij terræ. Et Apostolus Ebræorum duodecimo Deum uocat omniũ iudicẽ. Quòd uerò iustè iudicet, tanquã iustus iudex, suprà in loco de Iustitia Dei, diximus: quare nõ est ut hic de iudiciaria ipsius iusticia plura in mediũ adferamus.

Deum esse iudicẽ, testantur Scripturæ.

QVID SIT IVDICIVM.

EBræi uocant משפט quod nos uocamus iudicium: à uerbo שפט quod iudicare communiter significat. Aliàs nonnunquam ponitur pro decreto, iure æquo, cõsuetudine ac uindicta. Græcis κρίσις, est iudicium: à uerbo κρίνω, quod sonat aliquando discerno, aliquãdo damno, frequẽter iudico. Latinis uerbum Iudico, idem est quod, ius dico: & Iudex, quasi ius dicens: Iudicium, iurisdicium, ut ita dicam, uel iurisdictio. Sumitur tamen frequẽter pro ratiocinatione & intellectu, quo penes nosipsos de rebus uisis & auditis, quid sentiendũ sit, statuimus. Sic Apostolus 1. Corinth. 14 dicit: Prophetæ duo aut tres dicant, cæteri dijudicent. Sonat nonnunquam & condemnationem. Sic Christus, Nolite iudicare, inquit Matthæi 7. Et Ioan. 5. Qui uerbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in iudiciũ non ue-

משפט κρίσις. Iudicare.

non ueniet. ubi iudicium pro condemnatione positum est. Aliquando ponitur pro pœna ac supplicio, quo puniuntur reprobi. Sic qui graues pœnas luunt, graue dicuntur sustinere iudicium. Iurisconsulti iudicium accipiunt pro actione causę iuridicè discutiendæ, quæ fit coram iudice, in qua committuntur actor & reus, iudice audiente, cognoscente & pronunciante.

Quomodo Deo tribuatur iudicium.

Quomodo autem Deo tribui possit iudicium, facilè potest intelligi. Si in iudice requiritur intelligentia iudicandorum, studium æquitatis & iusticiæ, authoritas & ius decernendi, potestas & potentia liberādi insontes, & puniendi malos: utiq; illi potissimùm competit iudiciū, in quo nihil horum desiderari potest. Is autem unus est ac solus Deus, qui ab Esaiah Deus iudicij uocatur, & in Scripturis omnium sapientissimus, iustissimus, potētissimus, ac dominus omnium prædicatur. Siue igitur iudicium accipiatur pro intelligentia rerum, siue pro discretione, siue pro iurisdictione, siue pro condemnatione, siue pro supplicio reproborum, nemini melius conuenit, quàm Deo.

IVDICIA DEI ESSE DVPLICIA.

NOn scrutamur iudicia Dei, quæ, teste Apostolo, Rom. 11. sunt inscrutabilia. Et tamen modus aliquis est, etsi non ad plenam & perfectam, saltem ad qualemcunq; generum illorū considerationem peruenīedi. Præterquam quòd alia sunt occulta, alia manifesta, quemadmodum suprà de iudicijs iræ Dei diximus: possunt sic quoque diuidi, ut alia sint particularia, alia uniuersalia. Particularia uocamus omnia ea, quæ non sunt uniuersalia: uniuersalia uerò, quæ totum genus humanum inuoluunt. Particularia duplicis sunt generis: unum eorum est, quæ plures coniunctim: alterum eorum, quæ singulos priuatim constringunt. Plures coniunctim, dum eodem iudicio pariter multi corripiuntur, etiam integri populi, regiones & urbes: qualia fuerūt iudicia Sedomorum, Aegyptiorum, Israelitarum in deserto, Cananæorum, Amorrhæorum, Moabitarum, Idumęorum: rursus Israelitarum in ipsa terra promissionis, Assyriorum, Babyloniorum, Græcorum, Persarum, Romanorum, & aliarum nationum, quas totius orbis iudex propter peccata ipsarum inuisit, & iudicio suo iusto uel bellis, uel peste, uel fame, uel alio plagarum genere flagellat.

Particularia iudicia Dei duplicis generis.

Huc pertinent ea quoq; iudicia, quibus nō integri populi, sed è medio multitudinis aliqui, siue multi, siue pauci corripiūtur ac plectūtur. Horū quoq; exēpla multa sunt in Scripturis: ut pote Exo. 32. ubi propter uitulum cæduntur uiginti tria millia hominū. & Num. 14. ubi exploratores terræ, qui populū murmurare fecerant, prēter Caleb & Iosuæ, percutiūtur ac moriuntur in cōspectu Domini. & cap. 16. ubi Chore, Dathan & Abiron cū familijs suis terrę hiatu absorpti, & ducenti uiri, qui incensum offerebant, igne ab ipso Domino egresso extincti, & quatuordecim millia de plebe perijsse leguntur. & cap. 21. ubi plurimi è murmurante populo per serpētes à Domino immissos percussi interierūt. & cap. 25. ubi principes populi iussu Domini in patibulis uersus solē suspēdūtur. Verùm eiusmodi iudiciorū Dei plurima exēpla in Scripturis occurrunt, quæ hic omnia recensere superfluum fuerit, & prēter nostrum institutum.

Extāt & eorū iudiciorū Dei exempla nō pauca, quibus unus aliquis separatim ac solus corripitur, eo quòd solus peccauit. Primus hic occurrit Cain, qui propter fratricidiū iudicio Dei factus est obnoxius, Gen. 4. Deinde & Oza, qui à Domino percussus est, quòd arcam Dei, cū lapsura uideretur, temerè apprehēdit, 2. Sam. 6. Tertiò, & Giezi lepra percussus, ppter acceptam à Naaman Syro pecuniā, 2. Reg. 5. Quartò, & dux ille, qui Elizeo cōtradixerat, 2. Reg. 7. Istis adiunge & eum qui ligna Sabbato collegerat, Num. 15. & prophetam à leone percussum, 1. Reg. 13. In hisce & alijs cōsimilib. historijs, singularis ac priuati iudicij Dei exēpla habētur.

Vniuersalia iudicia Dei triplicia sunt.

Vniuersalia iudicia Dei triplicis inueniūtur esse generis. Primum est, quo propter originale primorum nostrorum parētum peccatum, in quo concipimur & nascimur omnes, mors uenit in mundum, ac totum genus mortalium occupat, etiam eos, qui nondum ad similitudinē transgressionis Adę peccauerunt, Rom. 5. Hoc iudicium, quod reatum & culpam, & ęternam quoq; condemnationem attinet, sublatum est per Christum, ut non constringat electos ac fideles: quod uerò corporis huius mortem, & annexas ærumnas concernit, ad finem usq; mundi durat, ubi mors postremus hostis conficietur, & è medio tolletur.

Secundum iudicium uniuersale est, quo propter catholicam carnis corruptionē quicquid in toto terrarum orbe, tam animalium quàm hominū spirabat, aquis diluuij (excepto Noah cum ijs qui cum illo erant in arca) deletum fuit à facie terræ. qua de re uide Gen. 6 & 7.

Tertium est finale illud, quod in fine mundi uenturum expectamus, in quo omnes in uniuersum ad tribunal iudicis Christi sistemur, & hœdi ab ouibus, reprobi ab electis, impij à pijs separabuntur.

Quorum hic admonemur.

Possunt quidem iudicia Dei in numerosiores species diuidi, si quis illa accuratius persequi uoluerit: uerùm nos hac facili & expedita diuisione contēti sumus, in qua cūcti admonemur, ne sic desipiamus, ut putemus nos securius posse peccare, si peccemus uel cum paucis, uel cū multis, uel cum omnibus mortalibus, uel soli: quasi nimium uideatur Deo, si iudicet de

uniuersi

uniuersi generis humani peccatis: uel citius ignoscat peccatis nostris, si cũ multis peccemus: uel possint illa in multitudine ac turba peccantium latêre, ac fallere illius conscientiam: aut indignũ sibi putet, si in paucorum, nedum unius priuati hominis peccata animaduertat. Absint huiusmodi cogitationes à pijs ac Dei timentibus. In seculo quidem hoc genus magistratuum ac iudicum reperitur, qui ad peccata, quæ in genere admittuntur ab omnibus, uel à multis, conniuendum esse censeant, atq; ita de paucorũ tantùm peccatis iudicent: uel econtrario qui de paucis ac priuatis iudicandum sibi non esse putent, quòd quæ à paucis peccantur, minus adferant periculi, ideoq; tũ demum ad iudicandi seueritatem excitentur, si quod malũ est in ipsa multitudine, inualescere cœperit. Verùm nihil horum locum habet in Deo. Nec est ut obijciatur illud, quod ad Ionam Dominus de Niniuitis dixit: An ego non parcam Niniuę ciuitati magnę, in qua sunt plus quàm centum uiginti millia hominũ, qui nesciunt quid sit inter dextram & sinistram suam, & iumenta multa? Neq; enim se multitudini peccantium, propterea quòd multi sint, sed multitudini innocentum, paruulorum uidelicet ac iumentorum, & in horum gratiam etiam reliquis, qui peccauerant, parcere dicit.

In summa, Iudex est Deus, idque totius orbis, iudicans de omnibus, multis, paucis ac solis, ubi peccata ad iudicium maturuerunt. Iudicium illius ignis est, consumens quæ corripit omnia, multa, pauca, & sola: sicuti fieri uidemus, ubi incendio conflagrant domus solæ, paucæ, multæ, & nonnunquam omnes, sic ut integræ ciuitates comburantur. Quare quemadmodũ sic cauemus incendiũ, ut nemo dicat in corde suo, Domus mea sola est hoc loco, ergo secura est ab incendio: uel sunt hîc paucę domus, ergo nihil illis periculi est ab igne: aut locus hic domos habet plurimas, sumus igitur tutiores à discrimine incendij: quia scimus hanc esse naturam ignis, ut nec solis, nec paucis, nec multis parcat, si inualuerit: ita cauendũ nobis est, ne obnoxij reddamur iudicio Dei iudicis omnium, scientes uim illius multo esse grauiorem quàm sit qualiscunq; incendij, nec obstare illi quamuis immẽsam peccãtium multitudinem, nec patrocinium nobis esse, uel à paucitate, uel à solitudine.

Iudicat Deus de omnibus: multis, paucis, ac solis.

Simile.

NON ESSE SCRVTANDAS IVDICIORVM *Dei rationes.*

PLeraq; iudicia Dei sic sunt comparata, ut rationes illorum cognoscere admodum sit utile. Et sacra Scriptura quoq; de illis haud tacet, ut nulla sit necessitas curiosius eas scrutãdi: quale est iudicium Sodomæ & Gomorrhæ, & aliorum consimilium: quorum nobis exempla ad hoc sunt proposita, ut admoneamur, esse in cœlis iudicem omnibus timendũ & obseruandum. qua de re meminit Petrus Apostolus epistola 2. cap. 2. ubi eiusmodi iudicia in exemplum eorũ dicit esse posita, qui impiè sunt acturi. Verùm iuxtà multa sunt iudicia Dei, quorum rationes non sic sunt expositæ, ut manifestæ sint omnibus. In illas non licet nobis curiosius inquirere, ne quę inscrutabilia uoluit esse prouidentia Dei, scrutabilia nobis facere uideamur. Iudicia tua abyssus multa, inquit Dauid. Hãc abyssum secretorũ Dei pro curiositate nostra scrutari malumus, quàm quæ obuiam sunt, & ad cognoscendũ exposita, cum timore illius cognoscere. Magna est hęc cordis humani peruersitas, qua ad nos pertinẽtia negligimus, & nobis non concessa affectamus, quę non scrutari, sed adorare debebamus, deq; illis sic religiose sentire, ut licet rationi nostrę uideantur esse iniusta & irrationalia, iustissima tamen esse haudquaquã dubitemus, sed dicamus potius cum Dauide: Iustus Dominus in omnibus uijs suis: & cum Daniele, Iustus es in omnibus, quæ fecisti nobis, & uniuersa opera tua uera, & uiæ tuæ rectæ, &c. Spectanda nobis sunt & consideranda opera Dei, sic tamen, ut si extent illorũ rationes, obseruemus eas ad ædificationem: si non extent, haudquaquam scrutemur.

Quorundã iudiciorum Dei rationes ipsa sacra Scriptura indicat.

Daniel. 3.

Exempla mirabilium iudiciorum Dei.

Iudicia Dei mirabilia ex innumeris aliquot uideamus. 1 Primùm occurrit illud, cuius Apostolus meminit Roman. 11. dicẽs: Concluſit Deus omnes sub incredulitatem, ut omnium misereretur. Hoc quàm sit profundũ & inscrutabile, testatur subiecta exclamatio: O profunditatem diuitiarum, & sapientiæ & cognitionis Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius. Quis enim cognouit mentem Domini? &c. Tam abest ut quærat hîc pius homo, quomodo conuenerit Deo, omnes mortales concludere sub incredulitatem, ut potius sapientiam illius extollens dicat cum Apostolo: Ipsi sit gloria in secula. 2 Deinde, quis nam cogitare poterit, quibus rationibus constent iudicia electionis ac reprobationis, quibus elegit sibi Deus aliquos, ut sint uasa gratię: reprobauit uerò reliquos, quos Apostolus uocat uasa iræ, paratæ ad interitum?

3 Tertiò reperitur & illud admodum esse mirabile iudicium, quòd Iacobum dilexit Deus, Esau uerò odio prosecutus est, cum adhuc in utero matris cõstituti, nec ille boni, nec iste mali quicquam fecissent: cuius rei meminit Apostolus Rom. 9. Diligere namq; eum qui nec mali nec boni quicquam fecit, haud fuerit inconueniens Deo: at talem odio prosequi, uidetur rationis nostrę iudicio, ne homini quidem, nedũ Deo omnium & iustissimo & optimo competere. 4 Quartò, Tale est & illud, quod eodẽ cap. scribit Apostolus, indurare Deũ quos uult, &

1 Roman. 11. quòd Deus omnes concluſit sub peccatum.

2 Quòd Iacobũ dilexit, Esau odio habuit.

3 Quòd aliquos elegit, et aliquos reprobauit.

4 Quòd indurat Deus quos uult.

quorum uult misereri: nec esse uolentis ac currentis, sed miserẽtis Dei. Si diceret, cuius misereri debet, miseretur: & quem indurare debet, indurat: &, nõ est uolentis ac currentis tantùm, &c. nihil alienum à iudicio rationis nostrę diceret, iam uerò, cum dicit: Cuius uult miseretur, & quem uult indurat, & simpliciter, Non est uolentis & currentis, sed miserentis Dei: profundius est hoc iudicium Dei, quàm ut rationem illius capiamus.

5 Quòd prosperè cedit malè agentibus, et malè ijs qui rectè agunt.

5 Quintò: Euenit sępenumerò, ut sinistrè cadat eorum conatus, qui opus iustum magno serio moliuntur: contra uerò prosperari uideantur, qui illis reluctãtur. Exemplum eiusmodi iudicij uidere est Iudicum 20. ubi scelestissimum facinus à Beniamitis quibusdam admissum ulciscì uolentes Israelitæ, cum secundò super ea re consuluissent Dominum, secundò grauiter à Beniamitis cęsi, quadraginta millia uirorum desiderarunt, cum Beniamitarum tantùm essent uigintiquinq; millia, & pro impijssimis ac flagitiosissimis hominibus arma aduersus uniuersum populum Dei cępissent. Erat hoc iudicium Dei super Israelem satis graue, & tamẽ de nullo peccato legitur, cuius pœnas eiusmodi clade dederit. Si consideres historiam filiorum & filiarum Iob, qui uiolenta ruina fraternæ domus subitò perierunt, & seruorũ pastorumq; illius, quorum alij à Sabæis, alij à Chaldæis cęsi, alij igne cœlesti absumpti sunt, an non mirabile fuit hoc iudicium Dei, cum nulla illorum peccata legantur, quorum tam subitas ac graues pœnas dederint?

6 Quòd infans plectitur propter culpam patris.

6 Sextò: Et illud singulare est, quòd infans, qui nihil dum mali fecit, propter paternum peccatũ immatura morte abripitur ex hac uita, cuius iudicij historiã legere licet 2. Sam. 12. ubi ad Dauidem dixit propheta Nathan: Quoniã blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter uerbũ hoc filius qui natus est tibi, morte morietur. Puer nõ peccauerat, sed Dauid illius pater. Et tamen patri dicitur: Non morieris, puer uerò qui natus est tibi, morte morietur. quare? propterea quòd inimicos fecisti blasphemare nomen Domini. Ecce peccatũ datur patri, pœna uerò infligitur illius filiolo. Si de hoc iudicio Dei rationis nostrę censuram petas, parum æquitatis habere uidebitur. Et tamen iniustum esse non potest, quoniam qui sic de puero illo iudicauit, non est homo peccator, sed Deus omnium iustissimus iudex.

7 Quòd propter peccatũ unius hominis multi pœnas luunt.

7 Septimò: De eo quoq; multi disputant, quòd propter peccatum unius hominis multi cædantur, quale iudicium Gen. 20 regi Abimelech minatur Deus, dicens: Nũc ergo redde uiro suo uxorem, & orabit pro te, quia propheta est, & uiues. Si autẽ nolueris reddere, scito quòd morte morieris tu & omnia quæ tua sunt. Culpa erat regis, & interim unà cum illo eidẽ fuissent obnoxij pœnæ omnes illius domestici, qui tamen nihil in hac causa peccauerant, nisi Saram Abrahæ restituisset. Sic propter obstinatam unius Pharaonis duriciem ac rebellionem, decem plagis tota punitur Aegyptus. Sic cum Achã, qui solus peccauerat, lapidati sunt uxor, filij & filiæ, oues, boues & asini, & cuncta quæ illius erant igni tradita. Iosue 7. Sic propter unius Dauidis peccatum, quod populum numerando admiserat, peste perierunt septuaginta millia hominum, 2. Samuelis ultimo.

8 Quòd posteri puniuntur propter peccata maiorũ suorum.

8 Octauò: Consimile & illud apparet, quòd posteri propter maiorum suorum peccatum puniuntur. Notum est illud Christi Matth. 23. Vt ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, usque ad sanguinem Zachariæ, filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico uobis, uenient hæc omnia super generationem istam. Sic domus Hierobeam uniuersa post mortem eius deletur propter peccatum, quo Israelem ille mox initio regni sui peccare fecerat, 1. Reg. 15.

9 Quòd cum plures idẽ peccatum admiserunt, aliqui tãtùm ex illis, et non omnes puniuntur.

9 Nonò: De eo quoq; quæsierit quisquam, qua ratione cum plures idem peccatum admiserunt, aliqui tantùm ex illis, & nõ omnes puniuntur. Num. 12. de Aarone ac Maria sorore illius legitur, quòd ambo cõtra Mosen propter illius uxorem Aethiopissam murmurauerint, eamque ob causam ambo sint à Domino reprehensi, & tamen sola Maria pœnas dedit lepra percussa, Aarone illæso manente, cum, si personam Aaronis consideres, peccatum illius grauius quàm sororis puniendum fuisse appareat. Huius generis multa sunt iudicia Dei, quorum rationes scrutandæ nobis non sunt, sed infinitæ illius sapientiæ, iusticiæ, ac prouidentię permittendæ. Vix grauius & irreligiosius in diuinã maiestatem peccari potest, quàm si iudicia illius ad nostræ rationis censuram in ius uocentur.

QVIS SIT VSVS IVDICIORVM DEI IN HOC SECVLO.

Quare iudicet Deus in hoc seculo.

QVoniam in fine mũdi iudicabimur omnes, stabimusq; ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque secundum quod gessit in corpore siue bonum siue malum: non immeritò quæsierit quisquam, quorsum iudicet Deus in hoc præsenti seculo, & nõ potius omnia omnium facta in futurum illud & finale iudicium seruet, ne bis de quolibet facto iudicet. Vt ad hanc quęstionem utiliter respondeamus, considerandum est, quis sit iudiciorum Dei usus in hoc presenti seculo. Hieronymus libro secundo aduersus Iouinianum dicit: Nõ est in præsenti retributio, sed in futuro. Vnde & dies iudicij in consummatione promittitur, quia nunc non est iudicium. Sine causa enim appellatur dies extrema iudicij, si modò iudicat Deus. Hęc ille. Negare non possumus, in præsenti quoque seculo iudicare Deum, idq; omne genus hominum.

mum, impios & pios: sic tamen, ut nihil derogetur finali iudicio, sed potius declarandæ illius iustitiæ uia præstruatur. Quare, meo iudicio, uidendum est in hac causa, quomodo in præsenti seculo iudicet Deus, & non iudicet: id quod non poterit uideri commodius, quàm si usum iudiciorum Dei consideremus, quibus in hac præsenti uita de factis nostris iudicat.

Quotuplex sit usus iudiciorũ Dei in hoc seculo.

Est autem usus illorum quadrifariam inspiciẽdus. Nam diuersimodè iudicat: aliter impios, & aliter pios. Principiò, sic iudicat impios, ut declaret se ultorem esse ac uindicem malorum, statuaturq; exemplum alijs. qua de re nos admonet apostolus Petrus in posteriore epistola, capite 2. ubi iudicia impiorum in exemplum eorum qui impiè acturi sunt, posita esse dicit.

Deinde, aliquousq; retribuit in hac uita tam impijs quàm pijs. Aliquousque inquam, retribuit. Nam plenam, cõsummatam ac finalem retributionem seruat in futurum iudiciũ, in quo de summa tam perditionis impiorum, quàm salutis piorum finaliter decernet. Hactenus utrisq; retribuit in hac uita, mala malis, bona bonis: ut illi sentiant se iritasse contra se Dominũ, ac gustum aliquem futuræ perditionis accipiant: isti uerò gratiam erga se diuinæ beneuolentiæ intelligant, & in uera pietatate confirmentur.

Tertiò, ad hoc quoq; iudicat reprobos in hac uita exercens in illos uindictam, ut à malicia & uiolentia illorum liberentur ad tempus electi. Sic tollit è medio tyrannos, populorum uoratores, & piorum omnium persequutores, nõ sinens fideles tentari suprà quàm ferre queãt. Exempla eiusmodi iudiciorum nõ sunt ex Scripturis tantùm, & maiorum nostrorũ historijs petenda. Ná hæc nostra tẽpora satis luculẽta crudeliũ tyrannorũ iudicia oculis nostris exponũt, unde uel cęcus uiderit, tolli eos è medio, ut ad tẽpꝰ sit pax ac trãquillitas ecclesijs Christi.

Quartò, iudicat autem non modò reprobos, sed & pios, flagellans eos & castigans, nonnũquam etiam immatura morte auferens ex hac uita: non ut perdat eos, sed ut caueat, ne cũ hoc mundo damnẽtur. Sic Apostolus 1. Corinth. 11 dicit: Cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Et adhoc iudicij genus tam est propensus, ut iudicaturus reprobos iudicet primùm eos, quos saluare constituit: unde & apostolus Petrus in priore epistola, cap. 4. iudiciũ Dei à domo illius incipere dicit. Et huc pertinet, quòd nonnunquã pios ob id ex hac uita tollit, ne uel futura mala uideant: sicuti 1. Reg. 14 de Abiah filio Hierobeam, & 2. Reg. 22 de Iosiah legitur: uel corda illorum per mũdi huius maliciam, & impiorum hominum conuersationem à sancto proposito mutentur. qua de re uide Sapientiæ 4.

Quadrifarius hic iudiciorum Dei usus in præsenti tantùm seculo locum habet, in futuro nõ habet. Tum enim non erit ratio, uel declarandi certis exemplis propter impiè acturos, esse ultorem malorum in cœlis: uel retribuendo gustum aliquem exhibendi iræ suæ erga reprobos, & gratiæ erga pios, uel refocillandi ad tempus pios per mortem tyrannorum: uel cauendi, ne cum hoc mundo damnentur pij, aut futura mala cum reprobis uideant & experiantur, sed de summa rerum omniũ, finaliq; ac perpetua piorum salute, & impiorũ perditione decernetur. Sic, puto, simplici hac & expedita consideratione patet, quis sit usus iudiciorũ Dei in hoc præsenti seculo, quidq; discriminis inter illa sit, & extremum quod expectamus.

DE EXTREMO IVDICIO.

Futurũ esse extremũ iudiciũ,

QVemadmodum ex eo, quòd extremum robis ac futurum iudicium in Scripturis expectandum proponitur, colligunt nonnulli nõ iudicare Deum quenquam in hoc præsenti seculo, sed iudicium differre in finem mundi: ita tempore Augustini colligebant quidã inanem esse futuri iudicij expectationem, eo quòd qui increduli sunt ac reprobi, iam sint iudicati: qui uerò credunt in Christum, in iudicium non ueniant, dicente ipso Christo, Ioan. 3. Nõ misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomen unigeniti filij Dei. Et cap. 6. Amen amen dico uobis, qui uerbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non uenit, sed transiet à morte in uitam. Hinc argutantes dicebant: Si & credentes non uenient in iudicium, & qui non credunt, iudicati iã sunt, ubi, & qui sunt, quos iudicaturus sit Dominus? Deinde & apostolus Petrus in posteriore epistola, cap. ultimo illusores futuros esse prædixit, qui secundum Christi aduẽtum negantes dicant: Vbi est promissio aduentus eius? Ex quo enim dormierunt patres, omnia sic perseuerant ab initio creaturę. Quare communiendæ sunt mentes fidelium, ne talibus cogitationibus seducti de futuro iudicio dubitent, propterea quòd aduentum Domini iam tot seculis prolongari cernunt. Quòd Dominus eos qui credunt, in iudicium haud uenturos esse dicit, intelligendum est de condemnatione, pro qua uox est iudicij posita, quemadmodũ & suprà meminimus, ut in iudicium non uenire, nihil sit aliud, quàm non uenire in condemnationem. Et quòd eos, qui non credunt in filium Dei, iam dicit esse iudicatos, non est de finalis sentẽtiæ promulgatione in extremo iudicio futura, sed de secreto & ęterno iudicio Dei dictum, in quo est ante mundi huius initiũ sic constitutũ, ut credentes in filiũ saluẽtur, nõ credẽtes damnentur. Quapropter admodũ temerarij & impij sunt, qui ex uerbis Domini colligũt,

haud

haud esse futurum, quod ipse plerisq; in locis tam disertè futurum esse prædixit, maximè Matthei 24 & 25. Illusoribus, de quibus prædixit, ipse respondet Apostolus.

Quando futurus sit iudicij dies, non est quærendum.

Quando autem futurus sit extremi iudicij dies, nostrum non est ut sciamus. Nam id solius est Dei præscientiæ ac potestati reseruatum. Sic Christus Matth. 24 dicit: De die autem illa & hora nemo scit, neq; angeli cœlorũ, nisi solus pater. Et hinc colligit, hoc uigilantius uiuendũ nobis esse, quo minus scimus, qua hora uenturus sit Dominus: qua de re in Commẽtarijs nostris super Matthæum diximus. Illud quidem certũ est, fore iudicium extremum in aduentu Domini, qui futurus est in fine mundi: quando uerò futurus sit mundi huius finis, certum nobis esse non potest. Hebræi iactant certum numerum seculorum, quibus hic mundus terminetur, tribuũtq; Eliæ prophetę hæc uerba *Dictum Eliæ.* ששת אלפים יהיה העולם שבי אל פים תחר, שבי אל פים תורה, שבי אל פים בשיח: id est, Sex erunt annorum millia huius mundi. Duo millia inane (sic uocat tempus quod præcessit legem) duo millia lex, duo millia Christus. Facit quidem hæc sententia multum ad confutandum Iudæorum obstinationem, qua Christum uenisse pertinaciter etiamnum negant: uerùm ad determinandum mundi huius spacium ac finem, authenticum nobis esse non debet. Et Lactantius mundum hunc sexto millenario terminat. Augustinus alicubi refutat eos, qui secundum numerum dierum quibus septimana cõstet, mundi huius millenarios statuunt, ut diem octauum resurrectionis ac finis seculorum typum habere astruant. Quod me attinet, libenter ignoro quod me Deus scire noluit: quare nec approbo cõiecturas eorum, qui in hac causa disputare maluerunt, ac secreta Dei scrutari, quàm secundũ admonitionem Dominicam in studio ueræ pietatis uigilare.

Lactantius. *Augustinus.*

Quomodo futurum sit iudicium.

Si de modo quæratur, quo futura sit iudicij huius actio, nõ puto certiora posse tradi, quàm quæ Dominus ipse Matth. 24 & 25. expressit, dicens: Statim autem post tribulationẽ dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & uirtutes cœlorum commouebũtur: & tunc apparebit signum filij hominis in cœlo, ac plangẽt omnes tribus terræ, & uidebũt filium hominis uenientẽ in nubibus cœli cum uirtute multa & maiestate, & mittet angelos suos cum tuba, & uoce magna, & congregabũt electos eius à quatuor uentis cœli, à summo cœlorum usque ad terminos eorum. Et paulo post: Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, & alter relinquetur. Duæ erũt molentes in mola: una assumetur, & altera relinquetur. duo in lecto: unus assumetur, & alter relinquetur. Et cap. 25. Cũ uenerit, inquit, filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues à dextris, hœdos uerò à sinistris. Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis à cõstitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi quod ederem: sitiui, & dedistis mihi quod biberem: hospes erã, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & uisitastis me: in carcere eram, & uenistis ad me. Tunt respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te uidimus esurientem, & pauimus te? sitientem, & potauimus te? Quando te uidimus hospitem, & collegimus te? aut nudum, & cooperimus te? aut quando te uidimus infirmum, aut in carcere, & uenimus ad te? Et respondẽs rex, dicet illis: Amen dico uobis, quatenus fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet rex & his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi quod ederem, &c. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te uidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmũ, aut in carcere, & nõ ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amẽ dico uobis, quatenus nõ fecistis uni de minimis his, mihi non fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti uerò in uitã æternam. Et Ioannis 5. Nolite mirari, inquit, quia uenit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient uocem filij Dei: & prodibunt qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ: qui uerò mala egerunt, in resurrectionẽ iudicij. Et Apostolus 1. Cor. 15. Hoc autem dico fratres, inquit, quòd caro & sanguis regnum Dei possidere nõ possunt, neq; corruptio incorruptibilitatẽ possidebit. Ecce mysterium uobis dico. Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur, in puncto temporis, in momẽto oculi, per extremam tubam. Clanget enim, & mortui resurgent incorruptibiles, & nos immutabimur, &c. Et 1. Thess. 4. Hoc enim uobis dicimus in uerbo Domini, inquit, quòd nos qui uiuemus, & reliqui erimus in aduentu Domini, nequaquam præueniemus eos qui dormiunt. Quoniam ipse Dominus cum hortatu & uoce archangeli, ac tuba Dei descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primùm: deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus, simul cũ illis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aera, & sic semper cũ Domino erimus. Et 2. Thess. 1. Cũ reuelabitur Dominus Iesus, inquit, de cœlo cum angelis potentiæ suæ, cum incendio flammæ, qui infliget ultionem ijs qui nõ nouerunt Deum, & qui nõ obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, qui pœnam luent, interitũ æternum à facie Domini, & à gloria fortitudinis illius, cum uenerit ut glorificetur in sanctis suis, &c. Et 2. Petr. ult. sic legimus: Veniet autẽ dies Domini sicut fur in nocte, quo cœli procellæ in morẽ transibunt, elementa uerò æstuantia soluentur, terraq; & quæ in ea sunt opera, exurentur.

Matth. 24. *Matth. 25.* *Ioan. 5.* *1. Cor. 15.* *1. Thess. 4.* *2. Thess. 1.* *2. Petr. ult.*

exurentur. Cum igitur hæc omnia ſoluenda ſint, quales oportet eſſe uos in ſanctis cõuerſationibus ac pietatibus expectantes, & accelerantes ad aduentum diei Dei, per quem cœli incẽſi ſoluentur, & elementa ęſtuantia liqueſcent. Sed cœlos nouos & terram nouam iuxta promiſſum illius expectamus, in quibus iuſticia inhabitat. Hęc uiſa ſunt Spiritui ſancto utilia cognitu, ideoq; illa ſcripturis Sacris inſeruit, ut qualemcunq; ſcientiam habeamus, quis futurus ſit extremi iudicij modus. Reliqua ſi æquè fuiſſent ſcitu utilia, utiq; & illa expoſuiſſet.

Qui ſiſtendi ſint ad tribunal Chriſti.

Si quæras qui nam ſiſtendi ſint coram iudice Chriſto, in promptu reſponderi poteſt, ſecũdum Apoſtolum, omnes: & ex uerbis Chriſti ſuprà citatis, omnes gentes: & ſecundum fidei noſtrę confeſsionem, tam mortui quàm uiui, quos omnes iudicaturus eſt Dominus. Intelligimus autem mortuos, eos qui ante aduentum Domini ab initio mundi dormierunt, qui omnes uirtute potentię illius ad iudicium excitabuntur: & per uiuos, eos qui tum adhuc in uiuis erunt, ſecundum Apoſtoli ſententiam, unde articulus iſte in fidei noſtræ ſymbolum relatus eſt. Auguſtinus in Enchiridio ſuo ad Laurentium cap. 55. particulam hanc duobus modis accipi poſſe dicit: ſiue ut accipiamus eo ſenſu, quem iam oſtendimus ex Apoſtoli uerbis, ſiue ut per uiuos, iuſtos: per mortuos uerò, iniuſtos intelligamus. Verùm poſterior ſenſus alienus eſt à ſimplicitate ſymboli, quę plebi Chriſtianæ ſit attemperata: prior uerò & ſimplicior eſt, & ſententiæ Apoſtoli conuenientior. Lactantius ſentit eos tantùm iudicandos fore, qui in religione Dei fuerunt. Vide lib. 7. cap. 20.

Auguſtinus de uiuis & mortuis.

Lactantius.

DE SIGNIS EXTREMVM IVDICIVM *præcurrentibus.*

Tempus quod iudicij diẽ præcedit, notũ nobis uoluit eſſe Dominus.

QVi omnium eſt moderator Deus, etiam hâc cauſam ſic moderatur, ut licet noluerit cuiquam mortalium diem & horam extremi iudicij eſſe notã: uoluerit tamen fideles ſuos haud prorſus ignaros eſſe eius temporis, quod illam præcurrit, ne aduentu illius ex improuiſo, & imparati adobruantur. Ideo ſigna quædam obſeruanda propoſuit, quibus de illo præmoneamur, & in ſtudio uigilandi confirmemur, contraq; quoſuis aduerſariorum, præſertim Antichriſti inſultus ac perſecutiones animemur.

Signa extremum iudicium præcurrentia duplicis ſunt generis.

Sunt autem popoſita ſigna, quantum præſenti tractationi ſufficit, duplicis generis. Nam alia è longinquo præcurrunt, alia è proximo præcedunt. Quæ è longinquo præcurrunt, eſſe Dominum in procinctu, ut ad iudicandum ueniat, tempeſtiuè prænunciant. Quæ uelut ante faciem illius præcedunt, præ foribus illum eſſe clamant, perinde ac ſi regis cuiuſdam bellica expeditio maturè prænuncietur, dum adhuc durat illius apparatus: ubi uerò exercitus illius è uicino imminere incipit, curſores aduolent, & quoſuis ad occurrendũ illi prouocẽt & urgeãt.

Signa è longinquo præcedentia.

E longinquo præcurrentia recenſentur quædam ab ipſo Domino, & quædam ab Apoſtolo. Matth. 24. dicit Dominus: Sicut autem fuit in diebus Noe, ita erit & aduẽtus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes ac nuptui tradẽtes uſq; ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt donec uenit diluuiũ, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis. Et Lucę 17 additur: Similiter ſicut factum eſt in diebus Loth, edebant & bibebant, emebant & uendebant, plantabant & ædificabant: qua die autem exijt Loth tè Sodomis, pluit ignẽ & ſulphur de cœlo, & omnes perdidit. Secundũ hæc erit qua die filius hominis reuelabitur. Igitur ſecuritas illa iamdudum inualeſcẽs, qua ſine omni ſolicitudine & expectatione futuri iudicij perinde uiuimus, ac ſi nunquam ſit rediturus ad nos Dominus: atq; ita ſecurè edimus, bibimus, nubimus ac nuptui damus, plantamus & ædificamus: quid aliud eſt quàm ſignum è longinquo præcurrens, ac cordatis hominibus aduentum Domini prænuncians? Quò pertinet & illud parabolicum Matth. 25. Morã autem faciente ſponſo, dormitauerunt omnes & dormierunt. An non uidemus ferè cunctos in utrã uis aurem cordibus crapula & ebrietate, curaq; ac ſolicitudine huius uitæ grauatis dormire, ſic ut nullis Euangelicæ prædicationis clamoribus excitari queant: nec euigilaturi uideãtur, donec per tubam angelicam in ipſo aduẽtu Domini ab hoc catholico & inuincibili lethargo excitentur? Futurum hoc præuidit Apoſtolus, ideoq; præmonuit nos, dicens: Igitur non dormiamus ſicut cæteri, ſed uigilemus ac ſobrij ſimus, 1. Theſſ. ultimo.

Ad primum hoc ſignorum genus pertinent quæ Apoſtolus 1. Tim. 4. 2. Tim. 3. & 2. Theſſ. 2 ſcribit. In priore ad Tim. Spiritus autem certò loquitur, inquit, quòd in poſterioribus temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus impoſtoribus, ac doctrinis dæmoniorum per ſimulationem falſiloquorum, cauterio notatam habentium conſcientiam, prohibentium contrahere matrimoniũ, & iubẽtium abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad ſumendũ cum gratiarũ actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt ueritatẽ: quòd quicquid creauit Deus bonum ſit, & nihil reijciendum, ſi cum gratiarũ actione ſumatur. Cum diſceſsionẽ hãc à ſana doctrina, & fide poſteriobus temporibus futuram eſſe dicit: utiq; intelligit de ſeculis aduentũ Domini pręcurrentibus, in quibus illa iã olim cœpit, ſicuti res ipſa teſtatur: ideoq; rectè inter ſigna numeratur, quę nos præmonent, ut uigilemus, diemq; Domini uigilanter expectemus.

1. Tim. 4.

Qua-

Quare licet in hac causa magisterium erroris, quod Papistę in ecclesijs exercent, haud prę-
ter rationem reprehendamus: simul tamẽ cogitandum est, significari nobis per hanc apostasiam,
esse postrema tempora in transcursu, debereq; illam sic inspici, ut nõ solùm impostu-
ram satanæ, sed & signum postremorum temporum agnoscamus.

2. Tim. 3. In posteriore ad Timotheum cap. 3. sic legimus: Illud autem scito, quòd in extremis diebus
instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines sui amantes, auari, fastuosi, superbi, male
dici, parentibus immorigeri, ingrati, impij, carentes affectu, nescij fœderis, calumniatores, in-
temperantes, immites, negligentes bonorum, proditores, præcipites, inflati, uoluptatũ aman
tes, potius quàm amantes Dei, habentes formam pietatis, uim tamen eius abnegarunt. Hæc
dicens Apostolus, nimis ueraciter prę sentium temporum mores mirum in modũ corruptos,
uelut acu depinxit & expresit. Et quia tales homines in extremis diebus fore prædixit, nos
facilè ex consideratione morum qui iam obtinent, intelligimus incidisse nos in hęc periculo-
sa extremorum dierum tempora: ideoq; reipsa monemur, ut uigilemus, similesq; reddamur il
lis, qui Dominum suum in sua quiq; statione uigiles expectant.

2. Thess. 2. In posteriore ad Thess. cap. 2. de aduentu Domini sic dicit: Non adueniet Dominus, nisi ue
nerit defectio prius, & reuelatus fuerit homo ille scelerosus, filius perditionis, qui aduersarius
erit, & efferetur super omnem, qui dicitur Deus, aut numen, adeoq; ut in templo Dei sedeat,
ostentans seipsum esse Deum, &c. Nemini dubium est, quin loquatur de Antichristo, forteq;
prædicat, ut ille ante aduentum Christi reueletur. Est itaq; reuelatio Antichristi, signũ eorum
temporum, quæ aduentum Domini præcurrunt. Lubet autem hìc in medium adferre, quæ
Bernhardus de Antichristo. Bernhardus in Psalmum, Qui habitat, Sermone 6. in fine dicit: At nunc quidem pax, inquit, à
paganis, pax ab hæreticis, sed non est pax à falsis filijs. Multiplicasti gentem Domine Iesu, sed
non magnificasti lætitiam, quoniam multi sunt uocati, pauci electi. Omnes Christiani, & om
nes ferè quæ sua sunt quærunt, nõ quæ Iesu Christi. Ipsa quoq; Ecclesiasticę dignitatis officia
in turpem quæstum, & tenebrarum negocium transiêre: nec in his salus animarum, sed luxus
quæritur diuitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequenter ecclesias, Missas cele-
brãt, psalmos decãtant, pro episcopatibus & archi diaconatibus, abbatijs, alijsq; dignitatibus
impudenter hodie decertatur, ut ecclesiarum reditus in superfluitatis & uanitatis usus disi-
pentur. Superest ut reueletur homo peccati, filius perditionis, dæmonium nõ modò diurnũ,
sed & meridianum: quod non solùm transfiguratur in angelum lucis, sed & extollitur supra
omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Hæc ille. unde satis liquet, ad quem Apostoli uer-
ba referenda esse censuerit, ne quis nobis imputet, quasi primi illa ad coryphæum corruptisi
mi clericatus, Romanum uidelicet Simonẽ referamus. Instare suo tempore Antichristi reue-
lationem ex Ecclesiasticorũ Simonia, nũdinatione, ambitione & luxu collegit. Horum enim
caput ex membrorũ qualitate reuelari incipiebat. Vbi obiter obseruandũ est, agnouisse Bern
hardũ nõ modò, quòd reuelandus iamiã esset Antichristus, sed & quod esset in ecclesia. Alio-
qui reuelari nequiuisset, si futurus adhuc fuisset illius aduentus, sicuti in papatu existimatur.

Signa aduentum Domini è uicino præcurrentia. Hactenus de signis tempus extremi iudicij è longinquo prænunciantibus, quædam atti-
gimus. Haud enim propositum est omnia persequi. Videamus iam aliquot ex illis, quæ ante
ipsam aduentus Domini faciem è uicino præcedent. Primo occurrunt ea, quę Dominus ipse
Matth. 24 futura prædixit. Statim autem, inquit, post afflictionem dierum illorum sol obscu-
rabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & uirtutes cœlorum commo
uebuntur, & tunc apparebit signum filij hominis in cœlo, &c. Hęc dubio procul proxime ad-
uentum Domini prædicent. Diximus autem de illis in Commentarijs nostris super Matth.
quibus citra tamen aliorum præiudicium, nihil adijcimus. Sunt enim sic comparata, ut ad co
gnitionem nostram certò non ueniant, nisi per futuram experientiam. Vbi illa uenerit, tum
demũ sciemus quomodo sol obscuretur, luna non luceat, stellæ de cœlo cadant, uirtutes cœlo
rum cõcutiantur, & quale signum filij hominis in cœlo appareat. Interea diuinare de illis pos-
De conuertendis Iudæis. sumus, certi aliquid statuere nõ possumus. Si tamen cui lubet uideat Lactan. lib. 7. cap. 16. Re-
stat adhuc illud Apostoli Rom. 11. Nolo uos ignorare fratres mysteriũ hoc, ne sitis apud uos-
Rom. 11. metipsos elati animo, quòd excęcatio ex parte Israeli accidit, donec plenitudo gentium adue
nerit, & sic totus Israel saluus erit. Hanc Iudæorum conuersionem separo ab illis signis, quæ
iam olim fieri, & aduẽtum Domini præcurrere cœperunt, & refero ad ea quæ illum proximè
præcedent. Quomodo autem illa sit futura, & quis sit futurus articulus impletæ uocationis
Gentium, definiat qui potest, nos hæc optare magis quàm certò definire possumus. Augusti-
nus lib. 2. Quæstionum Euangelicarum, cap. 33. Erit enim, inquit, aliquando aperta uocatio Iu
dæorum in salute Euangelij. Verùm quando & quomodo illa sit futura, non exprimit.

Qualis futurus sit mundi huius status post iudiciũ Lactantius. Qualis futurus sit mũdi huius, deinde tam impiorum quàm piorum status post iudicium,
quærendum putant nonnulli. Lactantius Christum post iudicium mille annis inter homines
uersaturum, eosq; iustissimo imperio recturum dicit. Et addit: Tunc qui erunt in corporibus
uiui, non morientur: sed per eosdem mille annos infinitam multitudinem generabunt, & erit
soboles eorum sancta, & Deo chara. Qui autẽ ab inferis suscitabuntur, ij prę erunt uiuentibus

uelut

uelut iudices. Gentes uerò non extinguentur omnino, ſed quædam relinquentur in uictoriã Dei, ut triumphentur à iuſtis, ac ſubiugentur perpetuæ ſeruituti. Sub idem tempus etiã princeps dæmonum, qui eſt machinator omnium malorum, uincietur catenis, & erit in cuſtodia mille annis cœleſtis imperij, quo iuſticia in orbe regnabit, ne quid malum aduerſus populum Dei moliatur. Poſt cuius aduentum congregabuntur iuſti ex omni terra, peractoq; iudicio ciuitas ſancta conſtituetur in medio terræ, in qua ipſe conditor Deus cum iuſtis dominantibus commoretur. Tunc auferentur à mundo tenebræ illæ, quibus offunditur atq; obcæcatur cœlum, & luna claritatẽ ſolis accipiet, nec minuetur ulterius. Sol autẽ ſepties tanto quàm nunc eſt, clarior fiet. Terra uerò aperiet fœcunditatẽ ſuam, & uberrimas fruges ſua ſponte generabit. Rupes montium melle ſudabunt, per riuos uina decurrent, & flumina lacte inundabunt. Mundus deniq; ipſe gaudebit, & omnis rerum natura lætabitur, erecta & liberata dominio mali & impietatis, & ſceleris & erroris. Non beſtiæ per hoc tempus ſanguine alentur, non aues præda, ſed quieta ac placata erunt omnia. Leones & uituli ad præſepe ſimul ſtabunt, lupus ouem non rapiet. Canis non uenabitur. Accipitres & aquilæ non nocebunt. Infans cum ſerpentibus ludet. Deniq; tunc fient illa, quæ poetæ aureis temporibus facta eſſe, iam Saturno regnante, dixerunt. Et aliquanto pòſt: Viuent itaq; homines tranquilliſsimam uitam & copioſiſsimam: & regnabunt cum Deo pariter, & reges gentium uenient cum donis ac muneribus, ut adorent & honorificent regem magnum, cuius nomen erit præclarum ac uenerabile uniuerſis nationibus, quæ ſub cœlo erunt, & regibus qui dominabuntur in terra. His ſubijcit elapſis mille annis aurei ſeculi ſoluendum denuò eſſe diabolum, & gentes ciuitatem ſanctam obſeſſuras: Deum uerò debellaturum eſſe impios ad extremum uſq;, pœnisq; æternis traditurum, & electos ad gloriam angelorum poſt reſurrectionem translaturum. Hæc ſatis prolixè proſequitur Lactantius. Opinionem autem hanc millenariorum haud primus induxit, ſed ſequutus illam eſt poſt Papiam, Irenæum, Apollinarium, Tertullianum, & Victorinum Pictauienſem, quam tamen reliqui patres non immeritò reiecerunt

Opinio millenariorum.

Auguſtinus in Enchiridio ſuo ad Laurentium duas poſt reſurrectionem, & extremum iudicium ciuitates fore dicit. Vnam Chriſti, alteram diaboli: unam bonorum, alteram malorum. quod quàm cõuenienter dicat, & quo ſenſu, iudicent alij. Sunt qui de uoluntate, pœnitentia, ac pœnis reproborum poſt iudicium quærant, an ſupplicium, quod paſſuri ſunt, non ſit futurum remiſsius, & num futura ſit aliqua mundi huius reſtitutio. Verùm, meo iudicio, ſatis conſolationis eſſe poteſt homini Chriſtiano, ſi credat indubitatò uerum eſſe, quod Apoſtolus dicit: Rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus, & reliqua permittat prouidentiæ Dei.

Auguſtinus duas poſt reſurrectionem ciuitates fore dicit.

DE COGNITIONE DEI.

HACTENVS locis aliquot breuiter quidem, ſpero tamen haud inutiliter, ea percurrimus, quæ credenda & indubitatò tenenda nobis ſunt de

Dei
- Natura
- Sufficientia
- Omnipotentia
- Voluntate
- Veritate
- Bonitate
- Philanthropia
- Miſericordia
- Poteſtate, iure ac dominio.
- Iuſticia
- Prouidentia
- Præſentia
- Ira, &
- Iudicijs

Iam recto ordine progrediendum eſt ad ea, quæ à nobis tanquam ueris fidelibus, in cauſa pietatis requiruntur: inter quæ primum locum damus cognitioni Dei: idque non immeritò, quandoquidẽ ſine illa locum in nobis non poſſunt obtinere reliqua. Quomodo namq; Deũ ignotũ ſincera fide colemus, inuocabimus, diligemus, ac reuerebimur? Ignorantia Dei, cæcitas eſt mentis. Vbi illa obtinet, fieri non poteſt quin omnis noſtra uita, omnis generis erroribus ſit obnoxia. Verùm propè nemo eſt, qui non putet ſe Deum cognoſcere, cum ſint reuerà pauciſsimi, qui illum uerè ac ritè cognoſcant. Notus in Iudæa Deus, inquit Propheta. Et tamẽ per Eſaiam clamat Deus, dicens: Bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini

Tranſitio ad ea quæ à nobis requiruntur.

Ne Iudæi quidẽ omnes Deũ cognouerunt.

sui, Israel uerò non cognouit, & populus meus non intelligit. Et in Hierem. cap. 4. Stultus populus meus, inquit, me non cognouit. Et Hoseæ quinto: Spiritus fornicationũ in medio eorum, & Dominum non cognouerunt. Et Christus ipse Ioan. 8 exprobrat Iudæis, quòd Deum non cognouerint. Alibi quidem dicit: Et mundus te non cognouit. Verùm minus est mirum, quòd mundus in maligno positus, & per omnia cæcus, Deum non cognoscit, quàm quòd populus Dei in ueritate à maioribus institutus, iná; lege ac fœdere Dei enutritus, de ignorantia Dei non semel atq; iterum, sed toties à prophetis & Christo ipso accusatur. Putabimus ne fieri non posse, ut quod Israeli accidit, Christianis quoq; maiori ex parte accidat? Neque enim minor est inter nos, quàm inter Israelitas carnaliũ hominũ numerus, de quibus ueraciter dici possit, quòd Deum non cognoscant. Quare operæprecium fore puto, ut de uera cognitione Dei, quæ necessaria uidebuntur, annotemus.

Quòd Iudæis accidit, Christianis quoque accidere potest.

QVAE AD VERAM COGNITIONEM DEI *requirantur.*

1 Cognoscendũ est esse Deum aliquem.

PLuribus constat uera cognitio Dei gradibus, donec ad eam perueniatur, cuius meminit Dominus ipse, dicens: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerũ, & quẽ misisti Iesum Christum. 1. Principiò requiritur, ut alieni ab impietate eorũ, qui dicunt in corde suo: Non est Deus, Deum aliquem esse cognoscamus & fateamur. Haud quidem in hoc gradu uera cognitio Dei consistit, & tamen sine illo ad ulteriora ascendi non potest, à quibus absunt omnium longissimè, qui Deum aliquem esse negant. Verùm hac de re statim initiò admonuimus, ubi de Deo dicere cœpimus in articulo, sit ne Deus.

2 Deinde, quis sit uerus Deus.

2. Deinde cognoscendum etiam est, quis sit uerus Deus, ne per errorem ethnicum incidamus in aliquẽ, qui Deus non est. Ad hunc gradum quomodo perueniatur, loco iam citato diximus.

3 Quid sit esse uerum Deum. Simile.

3 Tertiò: Requiritur ut cognoscamus etiam quid sit esse uerum Deum. Nemo rectè accommodabit se medico, etiamsi cognoscat personam medici, nisi simul sciat quid sit esse medicũ, quo illo tanquam medico competenter & utiliter possit uti. Consimili planè modo etiamsi cognoscas esse aliquem Deum, nec ignores hunc esse creatorẽ cœli & terræ: nisi tamen scias etiam quid sit esse uerum Deum, non poteris illi plena cum fiducia tanquam uero Deo connenienter in omnibus adhærere. Sed hac quoq; de re suprà in loco de Deo annotauimus.

4 Vnum esse Deũ essentia, & trinum hypostasi.

4 Quartò: Cognoscendum etiam est, quòd sit unus ac solus uerus Deus: unus essentia, trinus hypostasi. De hac unitate essentiæ Dei, & hypostatica Triade, cuius mysterii in Christo reuelatum est, ubi suprà quæ sufficere uidentur diximus, ut necesse non sit hîc illa repetere.

5 Qualis sit Deus natura.

5 Quintò: Requiritur etiã, ut qualis, sit Deus natura cognoscamus. Verùm & initio locorum illorum, & suprà in loco de natura Dei, hanc cognitionis Dei partem explicuimus.

6 Esse Deum patrem domini nostri Iesu Christi.

6 Sextò: Et hoc ad ueram cognitionẽ Dei pertinet, ut cognoscamus illum esse patrem Domini nostri Iesu Christi, & quòd hunc salutis humanæ gratia mediatorem, redemptorem ac seruatorem miserit in mundum ad saluandum omnes eos, qui in illum credunt, quodque tales in filios sibi adoptarit, ac hæredes regni sui constituerit. Hac cognitione Dei separamur ab omnibus alijs nationibus, quæ alienæ sunt à Christo.

7 Etiam nostrũ esse Deum ac patrem.

7 Septimò: Licet præmissis gradibus uera cognitio Dei consurgat, requiritur tamen, ut non modò in genere scias esse Deum, & hunc esse creatorem mundi, conseruatorẽ omnium, unicum ac solum essentia, trinum hypostasi, natura bonum, clementem, iustum, &c. patrem Domini nostri Iesu Christi, & fidelium omnium: sed agnoscas illum etiam specialiter tibi esse Deum ac patrem, beneuolum ac propitium, & certissimum Seruatorem. Nisi enim hæc in Deo agnoscas, frustrà cætera omnia cognoueris.

8 Non cognoscendum tantũ esse Deum, sed & diligendum & colendum.

8 Octauò: Et hæc cognitio tum erit utilis & efficax, si quem uerum ac tuum Deum esse agnoscis, ut Deum colueris, obseruaueris ac dilexeris, uni in omnibus obediens, ab uno sincera fiducia dependens, & unum omnibus, quæ in cœlo sunt & in terra præponens. Si hæc defuerint, conueniet tibi illud Apostoli: Fatentur se nosse Deum, factis uerò negant, Tit. 1. Et illud 1. Ioan. 2. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo ueritas non est. Hisce gradibus constat uera cognitio Dei, quos si hac nostra ætate requiras in illis, qui potissimùm de cognitione Dei gloriantur, puto nihil minus inuenies, quàm quod uerbis & ritibus externis simulant.

QVOMODO AD COGNITIONEM DEI *perueniatur.*

Duo sunt ad cognitionem rerũ necessaria.

AD quamcunq; cognitionem duo hæc cum primis requiruntur. Vnum, ut quod cognoscendum uenit, tale sit quod cognosci queat: alterum, ut qui cogniturus est, sic sit comparatus, ut habita intelligendi facultate, id quod cognoscendũ est, cognoscere possit. Nisi hæc duo concurrant, cognitio rerum locum habere non potest. Etenim quæ sic sunt abstrusa, & à sensibus nostris remota, ut ad ipsa nec cogitando, nec uidendo, nec audiendo, nec palpando, nec gustando, nec ratiocinando ullus pateat accessus, cognosci utiq; non possunt.

Multò

Multo minus cognoſci poſſunt, quæ prorſus non ſunt, nec unquã in rerũ natura fuerunt, nec ullo ſunt tempore futura. Rurſus niſi in eo, qui cognoſcẽda ſit cogniturus, facultas ſit intelligendi, qua quod uidet, audit, contrectat, olfacit & guſtat, quid & quale ſit cognoſcere ualeat, nihilo plus intelliget & cognoſcet, quàm animantia ratione deſtituta, etiam in illis, quæ in omnes ipſius ſenſus incurrunt, ſuntq; omniũ in ſe manifeſtiſsima. Quid poſt Deum intelligentius angelo? Et tamen cogitationes cordis humani, nedum ſecreta Dei, nequeũt cognoſcere angeli, niſi ipſis reuelentur. Dominus enim eſt cordiũ noſtrorum ſcrutator, quorum aliàs inſcrutabilis eſt profunditas. Hier. 17. Rurſus, quid clarius ſole? Et tamen quæ ratione prædita non ſunt, cognoſcere nequeunt quid ſit ſol, & quis ſit illius curſus & uſus.

Si referamus hæc ad cauſam cognitionis Dei, qua de loquitur, obſecro, eſt'ne quicquã in cœlo & in terra, quod uerius exiſtat, quodq; ſit illuſtrius, & magis ubiq; preſens & cuncta adimplens, quàm ſit Deus? Quî fit igitur, quòd nihil illo minus cognoſcitur, cũ nihil eo magis ad cognoſcendũ pateat? An'non in illo ſumus omnes, uiuimus & mouemur? An'non dat homini intelligentiam? Et tamen reperiuntur innumeri, quibus Deus haud minus eſt cognitus, quàm beſtijs ratione deſtitutis. Verùm relicta horum cæcitate, uideamus quomodo cognitio Dei diſpenſetur mortalibus. 1 Principiò, generaliter datur à Deo mortalib. omnibus ratiocinandi, intelligendi ac iudicandi facultas: unde ex ijs quæ uident in hac rerũ machina, & quibus fruuntur, colligere queant & cognoſcere, eſſe Deum: hoc eſt, numen aliquod, cuius tãta ſit ſapientia, tanta potentia, tantaq; bonitas, ut hæc quæ uidentur, omnia initiò condere, & poſtquã condidit, cõſeruare, dirigere ac gubernare ualeat, & ex quo ſit omnis noſtra uita, & neceſſaria alimonia. Sic Apoſtolus Rom. 1. dicit: Palàm fit ira Dei de cœlo aduerſus omnem impietatẽ & iniuſticiam hominũ, qui ueritatẽ in iniuſticia detinent, propterea quòd id quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in illis. Deus enim patefecit illis. Siquidem quæ ſunt inuiſibilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intelligũtur, peruidentur, ipſaq; æterna eius potentia ac diuinitas, in hoc, ut ſint inexcuſabiles: propterea quòd cum Deum cognouerint, non ut Deũ glorificauerunt, neq; grati fureunt, &c. Hæc ille. Ergo nõ abſcondit ſe Deus erga homines, ſed manifeſtat illis, quantũ ab omnibus in uniuerſum tradita intelligendi facultate cognoſci poteſt. Deus, inquit, patefecit illis. Quid? Id quod de Deo cognoſci poteſt, inquit. Intellige, per naturalẽ intelligentiã, omnibus naturaliter traditam. Quaſi dicat: Quãtum naturali omniũ iudicio de Deo poteſt cognoſci, tantum illis patefecit. Quid illud? Quòd oculis uidelicet cerni nõ poteſt, ſed mentis eſt intelligentia capiendum. Deum, illiusq; ſapientiam, potentiam & diuinitatẽ homo uidere nequit. Sunt enim omnia ad ueram illius diuinitatem pertinentia inuiſibilia. Quomodo patefecit illis? Ex creatione mundi, inquit, dum per opera intelliguntur ac peruidentur. Igitur ex operum Dei conſideratione manifeſtatur hominibus generaliter, quòd Deus ſit qui illa condidit, ſapiens, potens, &c.

Generaliter datur omnibus ratiocinandi facultas, unde Deus ex operibus ſuis cognoſcatur. *Rom. 1.*

Non abſcondit ſe Deus erga homines.

Tale eſt & illud, quod Actorum tredecimo de Deo dicit Apoſtolus: Ecquidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum. Et quod capite 17 legitur ad hunc modum: Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt: hic cœli & terræ cum ſit dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipſe det omnibus uitã & inſpirationem, & omnia: fecitq; ex uno, omne genus hominũ habitare ſuper uniuerſam faciem terræ, definiens ſtata tempora, & terminos habitationis eorũ, ut quærant Deum, ſi fortè palpent ipſum & inueniant, quamuis no longè abſit ab uno quoq; noſtrũm. Per ipſum enim uiuimus & mouemur & ſumus, &c. Ergo primus cognitionis Dei gradus generaliter propoſitus eſt omnibus, conſtatq; ex cõſideratione operum Dei, quæ in hiſce tribus Apoſtoli locis, triplici reſpectu diſtinguuntur, ſic ut alia ſint creationis ſemel initio mundi facta, alia pertineant ad alimenta corporum noſtrorum, alia nos ipſos ac uitam noſtram concernant.

Act. 13. 17.

Hæc Apoſtolus attulit in medium aduerſus gentes idololatras, ſine Deo in hoc mundo uiuentes: ut oſtenderet illis, quàm ſine cauſa neglecto uero Deo adhærerent & ſeruirent dijs falſis, quamq; hæc illorum cæcitas nihil prorſus haberet excuſationis: propterea quòd ueri Dei diuinitas inde ab initio mundi manifeſtiſsimis ſit argumentis declarata, ex quibus cognoſci queat, eſſe Deum aliquem, eumq; haud alium, quàm rerum omnium opificem, ſeruatorem ac moderatorẽ, ſapientia, potentia, bonitate ac iuſticia incomparabiliter præditum, qui ſit ab omnibus unicè colendus, reuerendus, diligendus & obſeruandus. Et hanc ob cauſam inexcuſabilis eſt omnis eidololatra, quòd cum ex tam clara operũ Dei luce uerũ Deum cognoſcere queat, mauult adorare illius loco imagines ligneas, lapideas, argenteas, ſurdas & mutas, & procumbere ante opera manuum hominum, quàm ante eum qui & hominem & omnia condidit, à quo factus eſt & ipſe, in quo & uiuit & mouetur.

Cæcitas idololatrarum nihil habet excuſationis.

2 Secundus modus ad cognitionẽ Dei perueniendi, eſt per ipſius uerbum, quo uoluntatẽ ſuam hominibus manifeſtat, primùm particulariter quibuſdam tantùm, deinde generaliter omnibus totius orbis nationibus. Particulariter patriarchis, & poſtea illorũ poſteris Iſraelitis, idq; partim per apparitiones angelorũ, partim per Moſen, Prophetas, & Chriſtũ ipſum:

Per uerbũ Dei ad cognitionẽ illius uenitur ſpecialiter.

quem ob id Apostolus ministrum uocat circuncisionis, quòd nõ esset missus pro sua persona, nisi ad perditas oues domus Israelis. Ad hoc genus uerbi pertinet, quod Propheta canit Psal. 147. Qui annunciat uerbum suũ Iacob, iusticias & iudicia sua Israeli. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Hic modus innotescendi per uerbũ, selectior est eo qui fit per operũ testimonia, propterea quòd ut ex operibus diuinitas, sapientia & potentia, ita ex uerbo uoluntas Dei erga homines cognoscitur: quæ cognitio, familiaritatis ac necessitudinis aliquid requirit. Potentiã ac maiestatẽ regis facilè cognoscunt omnes incolæ regni, uoluntatem uerò illius non cognoscunt, nisi quibus uerbum illius cõmunicatur. Quare Propheta haud immeritò singularẽ hãc uerbi Dei gratiã Israel cõcessã deprædicat & extollit.

Simile.

Generaliter. Generaliter uerò uoluntas Dei erga genus humanum omnibus populis & gentibus per uerbum Euangelicæ prædicationis innotescit, cuius dispensatio concredita fuit Apostolis ab ipso Domino, dicente: Euntes, docete omnes gentes. Et: Euntes in orbem uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. Hoc est generale uerbum, propositũ omnibus uerbum salutis ac uitæ, per quod exponuntur mysteria Dei abscondita à seculo, de sancta Triade, de incarnatione uerbi, de redemptione ac reconciliatione generis humani, de adoptione in filios Dei, quæ est per Christum, de iustificatione ac glorificatione fideliũ, de spiritu regnantis Christi, & quæ alia sunt huiusmodi. Iam cogitet homo pius, quanti facere debeat uerbi huius communicationem, si Propheta uerbum legis, unde nemo saluatur, tanti facere potuit, ut diceret: Non fecit taliter omni nationi. An non multo iustius gloriando dicere potest: Bene dictus Deus qui uerbum gratiæ suæ annunciat omnibus gentibus, & Euangelium regni sui omnibus populis: non fecit taliter soli Israeli, sed omni nationi, & unigenitum suum manifestauit omnibus? Mysteria gratiæ Christi neque per opera Dei, neque per uerbum particulare missum Israeli, sed per uerbum Euangelij toti orbi propositum cognoscuntur. De eo autem quòd singulari consilio Deus uerbum legis, in quo est ministeriũ mortis & iræ, non omnibus gentibus, sed uni tantùm Israeli, populo duro ac rebelli: Euangelij uerò uerbum, in quo ministerium est salutis ac uitæ, non uni tantum Iudæorum genti, sed omnibus in uniuersum totius orbis nationibus tradidit, diximus super Psal. 147. loco suprà citato.

Cognitio Dei ex reuelatione spiritus. 3 Tertius modus, quo ad ueram cognitionẽ Dei uenitur, omnium est selectissimus, & electis tantùm contingit. Is est per singularem reuelationẽ Spiritus sancti, qua corda electorum luce ueritatis illuminantur, ut cognoscant Deum patrem & Christum filium eius, quem in mundum hunc seruatorem misit. Hac autem reuelatione manifestat pater filium, Matthæi 16. & filius patrem, Matthæi 11. Haud uerò separamus eam à stulticia prædicationis Euangelicæ, per quam uisum est Deo saluos facere credẽtes, 1. Cor. 1. & de qua prædicat Apostolus, quòd sit ministerium non occidentis literæ, sed uiuificantis Spiritus, 2. Cor. 3. Per se quidem auditus uerbi inanis est & inefficax, nisi accedat operatio Spiritus, corda aperientis ac illuminantis: uerùm in electis, ubi & uox uerbi, & instinctus Spiritus coniunguntur, uirtus Dei est in uerbo, ad salutem eorum qui credunt, secundũ exemplum Purpurissæ, Act. 16. Consimili modo & de lectione Sacrarum scripturarum sentiendum est: quæ & ipsa tum est efficax, quando quod in literis legitur, per Spiritum Dei cordibus inscribitur.

QVID COGNITIO DEI OPERETVR *in homine.*

Quomodo cõparata sit cognitio. NAtura sua sic comparata est omnis cognitio rerum, ut ea faciat in homine, quorum opposita facit ignorantia.

Per ignorantiã & iudicio, & uoluntate & opere erramus. Reddit autem ignorantia hominem & iudicio, & uoluntate, & opere errantẽ. Quod uerum est, falsum: & quod falsum est, uerum: quod bonũ est & utile, malum ac noxium: rursus quod malum reuera est ac noxium, bonum & utile esse iudicat.

Deinde, quoniam sic comparati sumus, ut uelimus & appetamus ea quæ uera, bona, & utilia: & econtrariò nolimus & auersemur omnia quæ falsa, mala & noxia esse iudicamus: consequitur, ut errante iudicio, erret & uoluntas, & omnis qui uoluntatem comitatur appetitus, fiatq; ut pro ueris, bonis & utilibus, uelimus & appetamus prorsus contraria.

Per cognitionẽ rectè iudicamus, uolumus, & operamur. Tertiò, quia uoluntati nostræ omnes nostræ uires, quoad eius fieri potest, subseruiunt, & quod illa appetit, in opus perducunt: quid aliud fieri potest, quàm ut qualia uolumus, talia etiam operemur? Sic ignorantia rerum, totum hominem reddit errantem in omnibus: atq; ita, nisi diuinitùs seruetur, in multa discrimina conijcit, ac tandem perdit. Contraria facit cognitio, format rectum iudicium, ut quæ uera, bona & utilia sunt, haudquaquam pro falsis, malis & noxijs: & quæ falsa, mala & noxia sunt, omnium minimè pro ueris, bonis & utilibus habeas, sed de singulis rectè ac ueraciter iudices. Deinde format & uoluntatem, rectitudine iudicij, ne quæ mala sunt uelimus, & bona nolimus. Tertiò consequenter & hoc confert, ut mala uitemus, bona faciamus. Hæc facit recta rerum cognitio.

Transferamus hæc, quæ in genere de cognitione rerũ diximus, ad speciẽ cognitionis Dei.

Quid

Quid illa faciat in homine, colligamus ex oppositis, quæ fiunt per illius ignorantiam. Si igno res esse Deum aliquem, redderis hac ignorãtia prorsus ἄθεος, ut in corde dicas, Non est Deus: atq; ita neq; de quærendo, neq; de metuendo, nec de colendo Deo cogites unquam: imò pro fabulis habeas quæcunq; de Deo siue à cordatis siue uulgò prædicantur. Hanc impietatem gignit primus ignorantiæ Dei gradus. Ergo ex opposito, si cognoscas esse Deum aliquem, impediet ea cognittio, ne sis ἄθεος, gignetque in corde tuo cognitionem de quærendo illo, metuendo, colendo & obseruando. *Quid faciat ignorantia, & ex opposito cognitio Dei.*

Deinde, etiamsi scias esse Deum aliquem, nescias autem quis nam ille sit, & unus ne sit, uel plures, quid faciet aliud hæc ignorantia, quàm ut colas falsos deos pro uero, plures pro uno? Sic Galatis quarto dicit Apostolus: Sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui natura non sunt dij, seruiebatis. Ex quibus uerbis patet fieri hoc per ignorantiam Dei, ut & plures & falsi dij pro uno ac uero colantur. Ex opposito igitur per cognitionem Dei fit, ut neque plures neque falsi, sed unus ac uerus Deus colatur.

Tertiò, si scias quidẽ, uerum & unicum esse Deum, conditorem, seruatorem ac gubernatorem omnium, nescias uerò qua sit ille natura, quo ingenio, quaq; uoluntate erga genus humanum, & quid à cultorib. suis requirat: an non hæc ignorantia faciet, ut licet eum quæras, timeas & colas, facias tamen ista haudquaquam ritè ac conuenienter: atq; ita incidas in præpostera erga illum studia, cæcum timorẽ, ut timeas ubi non conuenit, & ubi conuenit non timeas: deniq; & in omnis generis falsos cultus, de quibus suprà suo loco diximus, cuius rei exempla in papatu nimis multa, ac ipso sole manifestiora uisuntur. Hæc ignorantia reddit superstitiosos homines, & iusticiarios quoq;: id quod de Iudæis prædicat Apostolus Rom. 10. dicens: Ignorantes iusticiã Dei, & suam statuere quærentes, iusticiæ Dei non sunt subiecti. Deniq; reddit alienos à uita Dei, sicuti uides Ephes. 4. & ueritatis quoq; Dei ac uerorũ fidelium persequutores: id quod & Paulo accidit, qui de seipso testatur, quòd persequutor, uiolẽtus & blasphemus fuerit per ignorantiam. Consequitur itaq; opposita horum fieri per cognitionẽ Dei, qua nõ modò quòd Deus sit aliquis, & quis nam ille sit, sed & quo sit ingenio, & qua uoluntate erga homines, quidq; ab illis requirat, cognoscitur. Qui hac præditus est, quæret eũ, metuet, colet, & obseruabit haud præposterè, sed conuenienter. Hac cognitione Dei præditi fuerunt multi, qualis fuit Nicodemus, Centurio, & Eunuchus Candacis reginæ, &c.

Sed dices: Atqui reperias multos, de quibus dicere non poteris, quòd Deum non cognoscant, etiã hactenus, ut uoluntatẽ eius haud ignorẽt, & tamen illum nec metuant nec colant. Quomodo ergo cognitio Dei eò ducit hominẽ, ut Deũ uerè quærat, timeat, colat & obseruet? *Obiectio.*

Respondeo. Duo sunt in cognitione Dei respectus, quòd præsentẽ causam attinet. Vnus est naturæ, alter effectus. Si naturam illius consideres, secundũ hanc sic est comparata, ut reddat homines timentes, studiosos, ac cultores Dei, dum ut tales fiant, causas subministrat. Si uerò effectũ respicias, secundũ hunc nõ facit in omnibus quæ dicimus, idq; non suo, sed subiectorum uitio. De lege Domini canit Propheta, quòd cõuertat animas, Psalm. 19. Facit hoc, quia causas conuersionis offert. Non facit in omnibus, quia duricia subiectorum impeditur. Sol natura sua sic est comparatus, ut illuminet oculos. Cæcorum tamen oculos haud illuminat, non suo, sed illorum uitio, & tamen recte illi uirtutem illuminandi tribueris. Rom. 1. perstringit Apostolus eos, qui cum cognouissent Deum, haud illum tanquam Deum glorificauerunt: & cum iusticiam Dei scirent, quòd iniqui, malicios & iniusti digni sint morte, non modò omnis generis mala perpetrarunt, sed & assensi sunt ea facientibus. In hoc hominum genere nihil aliud facit cognitio Dei, quàm quòd reddit eos inexcusabiles, ac maliciam eorum aggrauat, testaturq;, quòd sint reprobi, & in reprobum sensum traditi. *Quomodo fiat ut etiam nonnulli, qui Deũ cognoscunt, Deum non colant.*

Quartò, restat ignorantia Christi, quæ non est ex defectu auditus, sed ex incredulitate. Illa nisi illuminetur per spiritũ Christi, reddit hominẽ obnoxiũ iudicio, etiamsi aliàs Deũ uerum ac uoluntatem eius cognoscat, & in speciẽ religiosè uiuat. Ex opposito cognitio Christi, quæ est ex fide, qualẽ confessus est Petrus Ioan. 6. dicens: Et nos credimus & cognouimus quòd tu es Christus filius Dei uiui, liberat à iudicio, ac confert uitam æternã, iuxta illud Ioan. 17. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christũ. de quibus uerbis uide Cõmentarios nostros in Ioan. Sed hactenus de efficacia cognitionis Dei. *Quid faciant ignorantia, & cognitio Christi.*

COGNITIONEM DEI IMPERFECTAM ESSE *in hac uita.*

QVemadmodum in alijs quoq; rebus nulla contingit homini perfectio, ita comparata est & cognitio Dei, rerũq; diuinarũ scientia, quæ & ipsa nemini perfecta cõceditur donec uiuimus in hoc seculo. Huius rei & ratio, & Scripturæ Apostolicæ testimonium assignari potest. Quanquam quorsum opus est rationibus & testimonijs Scripturarum in re ut manifesta, ita & extra omnem controuersiam posita? Et tamen ex abundanti proferemus primum certas huius rei rationes, deinde & Apostoli testimonium subijciemus.

Quibus rationibus fiat, ut imperfecta sit cognitio Dei in hac uita.

Prima ratio est ex consideratione præsentis uitæ, cuius status sic est comparatus, ut perfectionis capax esse nequeat, usqueadeò, ut nihil in eo possit ostendi, quod sit perfectum, ne in humanis quidem ac terrenis, ne dum diuinis ac cœlestibus.

Secunda sic considerari potest. Præsens uita destinata est, quod religionẽ attinet, ei cognitioni quæ constat fide, per quam nos Apostolus 2. Corinth. 5. & non per speciẽ ambulare dicit. Fides autem constat non expressa uisione (est enim rerũ non apparentium. Hebr. 11.) sed auditu, signis, ac reuelatione Spiritus: futura uerò uita destinata est perfectæ cognitioni, quę continget nobis neq; fide, neq; auditu, neq; signis, neq; reuelationibus Spiritus: sed manifesta uisione, & omnium certissima experientia. Tum & Deum patrem & Dominũ Iesum Christum, & promissa cœlestis uitæ bona sic perfectè cognoscemus, ut nihil desiderari possit amplius: qualis cognitio dum in hac peregrinatione absentes sumus à Domino, mente à nobis quantumuis fideli capi non potest. & in rebus humanis sic est comparatum, ut quæ audiendo ac credendo cognoscimus, haud quaquam sic cognoscamus perspicuè & perfectè, atq; ea cognoscimus, quæ ipsis oculis coràm cernimus, & reipsa experimur.

Tertia ratio sic habet. Vbi consummata cognitio Dei est, ibi est & consummata felicitas. Est autem singulari consilio Dei sic dispositа præsens hæc uita, ut sit exercitium ac disciplina pietatis, non sit plena comprehensio felicitatis. Comprehenderet autem plenam & consummatam felicitatem, si consummatam cognitionem Dei comprehenderet. Illam autẽ nequaquam in præsenti seculo apprehendimus, ergo nec hanc apprehendere datur. Hisce rationibus liquet, cognitionem Dei imperfectam esse in hac uita.

1. Cor. 13. testimonium Apostoli, cognitionẽ Dei imperfectam esse in hac uita.

Sed uideamus testimonium Apostoli, quod 1. Cor. 13. sic legitur: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. At ubi uenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est abolebitur. Cum essem puer, ut puer loquebar, ut puer sentiebam, ut puer cogitabam. At ubi factus sum uir, aboleui puerilia. Cernimus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc uerò cognoscam, quemadmodum & cognitus sum. hæc Apostolus. Quibus typhum & insolentiam eorum deprimit, qui propter qualemcunque scientiam Dei sic erant inflati, ut charitatis nullam haberent rationem. Sic dicit, Siue scientia, abolebitur: intelligens de ea quæ in hac uita per auditum & reuelationem acquiritur, quæ utique in futuro seculo cessabit, præsenti tantùm destinata. Deinde ut imperfectionem illius exprimat, dicit: Ex parte cognoscimus. Plenum & perfectum non est, quod est ex parte tantùm. In eo quod ex parte est, adhuc desunt ea quæ ad totius plenitudinẽ perficiendam desiderantur. Addit: At ubi uenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est abolebitur. Ergo nondum adest perfectionis tempus, sed futurum expectatur. Cum essem puer, inquit, loquebar, sentiebam, cogitabam ut puer: at ubi factus sum uir, aboleui puerilia. Simili & notissimo & aptissimo declarat ea quæ dicit. Præsentem nostram uitã confert puericiæ, quod cognitionem rerum diuinarum attinet: futuram uerò uirili ætati. Scientia puericiæ multũ habet imperfectionis, id quod per uirilẽ ætatem corrigitur. Sic habet & scientia nostra in hac præsenti uita, quæ puerilis & imperfecta per futuram perfectionẽ corrigetur. Et adhuc clarius: Cernimus enim nunc, inquit, per speculum, in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Quæ per speculum & ænigmà cernuntur, obscurè cernuntur, & imperfectè cognoscuntur. Sic habet cognitio Dei in hac uita. Perspicua & perfecta seruatur in futurum seculum, ubi Deum uidebimus facie ad faciem, & uidentes perfectè cognoscemus, ac consummata felicitate fruemur. Horum itaque consideratione abundè patet, cognitionem Dei in hac uita nemini contingere perfectam, sed esse puerilem, ex parte obscuram, & imperfectam. Sed hactenus de cognitione Dei.

DE SPE

COGNITIONEM Dei, quæ per fidem est, comitantur spes, dilectio, patientia, inuocatio, timor Dei, obedientia, & quæ alia huiusmodi ad ueram pietatem pertinent. Quare, quemadmodum in præcedentibus annotauimus, ea qnæ in Deo consideranda sunt homini pio, & per cognitionem illius intelligenda, ita in sequentibus dicendum de hisce uidetur, quæ in nobis cognitionem Dei sequuntur, & sine quibus uera pietas locum habere non potest. Nec profuerit nobis earum rerum cognitio, quæ de Deo recensuimus, nisi ab illo syncera fide, spe, charitate, patientia, inuocatione, reuerentia & obedientia pendeamus. Diximus autem suprà loco peculiari de uera fide, quantum sufficere uisum est. Iam de spe dicemus, quæ annotanda uidebuntur.

QVID SIT SPES.

NOn quærimus hîc de sensu uocis, qui omniũ est notissimus. Quis enim ignorat quid sit sperare, & an præteritorum, uel præsentium, uel futurorũ sit spes? de quibus quærere,

meo

meo iudicio, nodum est inscirpo quærere. Scio uerbum Sperandi, à Latinis aliquando usurpari de re præsenti, imò & præterita: ut si dicas, Spero te intelligere, quàm me res ista fatiget. Item, Spero me de omnibus, de quibus accusor, abundè satis fecisse. Verùm in huiusmodi loquutionibus Sperare sumitur, pro credere, putare & existimare, id quod propriè nõ est sperare. Sed relinquamus ista Grammaticis. Dum quærimus hic, quid sit spes, quærimus de spe Christianorum, quid & qualis sit illa. Nec de alia dicere instituimus, nisi per occasionem forsan, idque breuiter.

Spem definiunt expectationẽ esse futurorum. Definitio hæc est generalis, locum habens tam in filijs huius seculi, quàm in Christianis. Et generalis illa quoq; est, de qua dicit Apostolus Rom. 8. Spes quæ uidetur, non est spes. Nam quod uidet quis, quorsum speraret? Si autẽ quod non uidemus speramus, per patientiam expectamus. Et tamen accommodat eam speciali spei, quæ Christianorum est, dum præmittit: Non solùm autem illa, sed & nosipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionẽ corporis nostri. Spe namq; salui facti sumus. Vnde uidemus ad spem Christianorum pertinere, ut corporum nostrorũ liberationem expectemus, quæ futura est per resurrectionem & glorificationem filiorum Dei. Expectatio hæc pars illius est. Si totam definiendo comprehendere uelis, non poteris id facere plenius ac certius, quàm si dicas, esse spem Christianorum certam & immotam eorum expectationem, quæ in Christo nobis sunt promissa, quorum nihil apparet in hac uita, sed cuncta in futuro demùm seculo exhibebuntur: utpote reditus Seruatoris ad liberandum nos, ac colligendum è medio malorum, corporum nostrorum resurrectio & glorificatio, uita, salus, ac felicitas sempiterna, & consortium angelorum, imò ipsius Christi, uisio & cognitio Dei perfecta: ut taceam ea quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec cor hominis capere potest, quæ parata sunt electis.

Spes generaliter quid sit.

Spes Christianorum.

Sunt quidem & in hac uita pleraque, in quibus spes Christianorum locum habet, utpote quòd non sit desiturus Deus sperantes in se: unde & Psalmo 17. משׁשׁיע חוסים, id est seruator sperantium uocatur. Nam eius rei promissio extat, qua dictum est à Deo, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te: & quod non sit permissurus, ut tentemur suprà quàm ferre possimus, & quæ alia sunt huiusmodi. uerùm si Christianæ religionis qualitatem consideres, ut illa obiectum habet, ac respectum futurę felicitatis, ita & spes Christianorum propriè hæc est, qua futuræ uitæ bona in Christo promissa sperantur, sic ut extra eam spem miserabiliores simus omnibus hominibus, propterea quòd religio nostra omnium minimè præsentis uitæ bonis intendit, sed tota ad futuram felicitatem collimat.

VNDE SIT SPES CHRISTIANA.

IVdicio rationis spem tribuunt meritis. Et sic comparatum est in rebus humanis, ut immeritus parum, malè meritus nihil, nisi iram & odium: bene uerò meritus iure quodam suo æquam retributionem speret. Sic ille canit: Et spes ex meritis quæ uenit, æqua uenit. Sic sentitur in seculo, in quõ ut gratuita beneficentia parum loci reperit, ita & spes non est alia, quàm quæ sit ex meritis. Id autem admodum inconueniens est religioni Christianæ, quod Magister sententiarũ quoq; libro tertio, Distinct. uigesima sexta, eiusmodi sese iudicio conformans, dicit: Sine meritis aliquid sperare, nõ spes, sed præsumptio dici potest. Illi homines magis humanæ rationis, quàm Sacrarum scripturarum ductu, in rebus salutem nostram concernentibus uersati sunt: non attendentes tantum se detrahere gloriæ gratiæ Dei, quantum meritis nostris tribuunt. Verùm de meritis suprà loco peculiari diximus.

Spes ex meritis.

Magister sententiarum.

Nos relicta spe seculi, de spe Christiana uideamus, unde nam illa in corde Christiani hominis nascatur. Ex meritis nostris esse non potest. Nam bona futura quæ speramus, maioris sunt momenti, quàm ut meritis nostris uindicari queant. Donum Dei est uita æterna, inquit Apostolus Rom. cap. 6. Ergo non est ex meritis. Si non ex meritis, utique nec spes illius ex meritis esse potest. Vnde ergo? Ex fide & cognitione Dei nascitur spes Christiana. Quia Deũ scimus esse ueracem, & promissis illius credimus, fit ut quæ fide credimus, spe quoq; firma expectemus. Exemplum huius rei proponitur nobis in Abrahamo, Rom. quarto, ubi Apostolus dicit illum credidisse in spem contra spem: quòd sciret Deum sic esse potẽtem, ut quæcunq; promiserit, præstare possit. Coniungit fidem, scientiam & spem. Ex spe fides non est, quemadmodum nec scientia: sed spes ex fide promissorum, ac scientia potentiæ Dei nascitur. Abraham credebat promissis Dei, & sciebat Deum quæ promiserat, posse præstare, ideoq; & futura illa sperabat, nihil hæsitans, licet cursus naturæ reclamaret. Verùm suprà in loco de fide, hac de re nonnulla diximus. Propheta cum Psalmo nono dicit, Sperabunt in te, qui nouerunt nomen tuum, quòd non derelinquas quærentes te Domine: an non satis manifestè significat, spem esse ex cognitione Dei? Si diceret, Sperabunt in te, qui bene de te meriti sunt, quoniam bene meritos non deseris: haberent Scholastici occasionẽ suæ sententiæ, qua spem sine meritis non spem, sed præsumptionem esse sentiunt.

Christiana spes ex fide est, & cognitiõe Dei.

Quomodo Apostolus Rom. 5. spem esse ex probatione dicat.

Sed contra id quòd spem ex fide ac cognitione Dei nasci dicimus, obijci posse uidentur, quæ Rom. 5. sic leguntur: Non solùm hoc autẽ, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio uerò spem: spes autem non confundit. Quibus uerbis uidetur Apostolus originẽ spei deducere non ex fide & cognitione Dei, sed ex probatione, quam gignit patientia tribulationum: quasi ex illa sit spei initium, nec sit spes ulla in animo credentis, priusquam ad hanc probationem perueniat. Verùm quoniam possibile non est, ut sine spe sit animus pro Christo afflicti fidelis, dum in ipsa tentatione ac tolerantia tribulationũ uersatur, non potest initium spei esse ex probatione. Quare quòd Apostolus dicit, Probatio uerò spem: nõ de initio, sed potius de augmento spei intelligendum est. Et uerbum κατεργάζεται, quo utitur Apostolus, non ex eo sensu positum est, ut idem sit quod gignit, initiumque spei significet, sed idem est quod absoluit ac perficit. Significat enim Apostolus, tam abesse, ut tribulationes pro nomine Christi illatæ, spem gloriæ filiorum Dei extinguant, ut hanc magis inualescere faciant, ac firmam reddant. Itaq; si quæras spei initium, respice ad fidem & cognitionem Dei: si uerò augmentum ac confirmationem illius quæsieris, locum habebunt quæ hîc tractat Apostolus.

VNDE SPES ALATVR AC CONFIRMETUR.

Quibus modis spes Christiana tentetur.

QVoniam inuisibilium ac futurorũ, non uisibilium ac præsentium, spes est, fit ut animi sperantium subinde grauiter tententur, ac spes illorum sic laboret, ut subsidijs & confirmationibus opus habeat, quibus alatur & corroboretur, ne prorsus extinguatur. Imò ipsa mora, qua differuntur quæ speramus, sic molesta est, ut etiamsi præterea nihil tentationis accedat, uel sola ad hoc sufficiat, ut spem quantumuis eximiam, ad desperationem sollicitet, nisi diuinitùs sustentetur. Innuit hoc Salomon, cum dicit: Spes quæ differtur, affligit animam. Quis autem sufficienter perpenderit quanta uis tentationum aliunde in spem nudam, & à solo Deo pendentem irrua? Totus humanarum rerum cursus, quoniam præsentibus, non futuris inhiat, & diuersorum studiorum spectacula sperantiũ oculis quotidie ingerit, an non spem illorum, qui non præsentia, sed futura bona sectantur, irridet, ac stulticiæ damnat? Vox est filiorum huius seculi, δός μοι τὸ σήμερον, καὶ λάβε τὸν αἰῶνα. Si respicias ea quæ pijs accidunt in hoc seculo, sic sunt illa comparata, ut admodũ aliena uideantur à sorte eorũ, qui ueræ sint salutis ac felicitatis hæredes, ut huic quoq; multum tentationis luctanti spei nascatur. Accedit catholica impiorum contradictio, qua spes Christiana impugnatur, ac grauissimis persequutionibus obnoxia redditur, impietatisq; damnatur. Meminit huius Apostolus 1. Timoth. 4 capite, dicens: In hoc enim laboramus, & opprobrijs afficimur, quòd speramus in Deum uiuum, qui saluator est omniũ hominum, maximè fidelium. Graue quidẽ est, hanc impiorũ sustinere contradictionem: id uerò multo est grauius, quod acerbior etiam insectatio ab ecclesia malignantiũ, ac conspiratione carnalium Christianorũ, aduersus fidem ac spem ueri Christiani instigante diabolo excitatur, haud secus quàm si Christum negasset, propterea quòd uitulos Dan & Bethel cum omnibus illorum cultoribus auersatus, uerum Deum non ad præscriptum Hierobeæ Romani, sed secundum uerbum unici sui magistri ac seruatoris Christi colit & adorat. Hic audit hæreticus, schismaticus, apostata, impius, hostis ac proditor Ecclesiæ, & non modò igni adiudicatur ipsius corpus, sed & anima diabolo ac gehennæ deuouetur. Et hæc tanta pseudochristianorũ acerbitas nomine ac specie religionis, Ecclesiæ, & zeli Dei palliatur, ut hic spes ueri Christiani illibata & immota manens, Catholicorum Christianorum contra se iudicium & condemnationem tanti non faciat, ut à ueritate discedat, quis non uidet quantis opus sit gratiæ Dei subsidijs & cõfirmationibus? præsertim si consideretur carnis nostræ infirmitas, ad diffidendum & desperandum procliuis, ac sensus peccatorum nostrorũ, & propriæ indignitatis, secundum quam nos uermes & opprobrium hominum, plebisq; abiectionem & expurgamentum esse censemus. In his omnibus spe firma consistere, opus est non humanarum uirium, sed uirtutis diuinæ.

Spes Christiana alitur & cõfirmatur à Deo.

Videamus igitur unde spes Christiani hominis alatur & confirmetur. Principiò constat illam perinde atq; fidem esse singulare donum Dei. Sunt ergo alimenta illius cum primis ex Deo, ut qui dedit ut speremus, spem etiam in cordibus nostris alat & confirmet. Non deserit dona sua, sicuti de struthione Iob capite trigesimo nono legitur, quòd oua sua deserat in pulueretерræ, nec curet, pereant ne uel seruentur: sed quod semel dedit, alit etiam, prouehit & conseruat. Et hoc facit per operationem spiritus sui, qua ut fidem, ita & spem in cordibus electorum fouet, alit, munit & corroborat. Nouit enim hanc esse salutis nostræ anchoram, & satanam huc totum incumbere, ut funem illius abrumpat, ideoq; communit eam sua gratia & uirtute, ut quod uiribus nostris fieri non potest, ope ac uirtute sua perficiat.

Oratione.

Deinde, ipse sperans uim tentationum sentiens, orando ad Dominum Deum suum confugit, obnixè petens ut seruetur, ne tentationib. uincatur. Sic monebat discipulos suos Dominus in horto, cum potestas tenebrarũ immineret, dicens: Orate, ne intretis in tentationem.

Spiritus

Spiritus quidem promptus est, caro autē infirma. Et in oratione Dominica, ipsius institutione docti dicimus: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Huiusmodi orationum multæ sunt in Psalmis Dauidis formulæ, in quibus cernitur, quomodo Propheta spei suæ alimentum ac robur orando ac psallendo quæsierit.

Tertiò, plurimùm etiam alimenti ac roboris luctanti spei confert fides promissorum Dei, cognitioq; ueritatis ac potentiæ diuinæ. Cuius rei exemplum in Abrahamo Romanorum 4. proponitur, cuius & suprà mentionem fecimus. Lacte fidei, unde nata est, alitur spes futurorum: & robur fidei, robur redditur spei. Augustinus libro Meditationū, capite decimoquarto, de confirmatione spei suæ sic scribit: Tria sunt quæ sic roborant & confirmant cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla consideratio propriæ uilitatis, nulla æstimatio cœlestis beatitudinis de celsitudine spei deijcere possit. In ea firmiter radicatur anima mea. Vis scire quæ sint illa? Tria considero, in quibus spes mea tota consistit. Scilicet charitatem adoptionis, ueritatem promissionis, potestatē redditionis. Murmuret iam quantum uoluerit insipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu? Aut: Quanta est illa gloria? quibusue meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo, Scio cui credidi: & certus sum, quia in charitate nimia adoptauit me Deus: & quia uerax est in promissione, & potens in exhibitione. Licet enim ei facere quod uoluerit. Hæc ille. *Fides.* *Augustinus.*

Quartò, ipsa quoq; patientia afflictionum, qua Christianus exercetur ac probatur, spem reddit uegetam & firmam: quò facit locus Apostoli Rom. 5. cap. quem suprà exposuimus. Impatientia ex opposito, etiamsi quid spei sit, inutile reddit & extinguit. *Patientia afflictionum.*

Quintò, admodum etiam profuerint alendæ ac confirmandæ spei exempla piorū, qui per omne genus tentationum & afflictionum spem firmam ad finem usq; retinuerunt, & coronā uitæ acceperunt, quorum ex patribus catalogum ponit Apostolus Ebr. 11. & mox initio capitis 12. subijcit: Itaq; & nos tantam habentes martyrum nubem, deposito onere omni, & tenaciter inhærente peccato, per tolerantiā curramus in proposito nobis certamine. Et huc cum primis conducet consideratio capitis ac seruatoris nostri Christi, cuius nobis exemplū idem Apostolus dicto iam loco proponit, dicens: Respicientes ad fidei ducem & consummatorem Iesum, qui proposito sibi guaudio pertulit crucem ignominia contempta, & ad dexterā throni Dei consedit. Reputate enim, quòd is talem sustinuerit à peccatoribus aduersus se cōtradictionem, ne defatigemini animis dissolutis. Sunt quidem adhuc multa, quæ secundum uariè tatem sperantium & circunstantiarum, uarijs modis luctanti possunt spei succurrere. Verùm hæc quæ recensuimus, sic sunt comparata, ut generaliter omnibus seruire queant. *Exemplis piorum.*

QVAE SIT SPEI VIRTVS.

ESt spes impiorū, quam Salomon Prouerb. 10. perire dicit. Est spes hypocritæ, qua mendacio se fallere posse impostor, & effecturum quod uult sperat: & hanc quoq; subsistere non posse, Iob 8. legimus. Est spes hominum, quam gignit uel ratio, uel appetitus carnis, quæ solet esse uanissima. Hanc Pindarus & Plato uigilantium somnia uocant. Et Germanicè de illa dicimus. Hoffen und harren, macht manchen narren. Nullam harū intelligimus, ubi de uirtute spei loquimur: sed ueram illam quæ Christianorum est, quæ ut certissimo fundamento nititur, ita fallere non potest. Huius efficacia & operosa est & mirabilis. *Spes impiorū, hypocritarū, & hominum, inanis est.*

Principiò, quod Quintilianus in genere de spe dicit, Voluntatē spes facit: id in hac nostra uerissimè impletur. Quomodo enim non faceret spes uera uoluntatem ac propositum, cùm faciat spes uana ut uelis ac proponas, quæ aliàs uelles nunquam, præsertim si euentum præscires? Spes restituendæ sanitatis medico uoluntatem curandi, ægroto uerò curæ se medici subijciendi facit. Spes lucri uoluntatem alijs negociandi, alijs militandi gignit. Et spes ueræ salutis & æternæ uitæ ociosa erit in Christiano, ut non faciat illi uoluntatem faciendi ea quæ ad acquirendum tanta bona conducunt, & necessariò requiruntur? *Spes uoluntatem gignit.*

Deinde, non solùm uoluntatem facit spes, sed & inducit animum sperantis, ut opus ipsum aggrediatur, laboret, & uoti compos euadere conetur. Ipsa namq; ratio hoc dictat, quòd spe ociosa & pigra nihil efficiatur. Vnde & Socrates alicubi dicit, ὅτι γυνὴ χωρὶς ἀνδρὸς, ὅτι ἐλπὶς ἀγαθὸ χωρὶς πόνου γεωργῷ τι χρήσιμον. Sic spes fructus in causa est agricolæ ut agrum colat, aret, seminet ac irrituret: & militem spes uictoriæ allicit, ut strenuè pugnet. Et hæc fiunt in rebus incertis, ubi sæpenumero euentus laboranti ac satagenti spei non respondet, imò prorsus cōtrarium adfert. Quid aliud anno 1548. impulit Alfonsum Viuem Hispanum, ut Constantiā, tum adhuc urbem Imperij, ex insidijs adoriretur, quàm quod expugnaturum se illam esse sperabat? Hac spe fretus, & dolo & uiribus nihil intentatū relinquebat. Quid accidit? Non modò uana erat illius spes, sed & iuxta illud, Malum consilium consultori pessimum: ipse primus, priusquam manum operi proposito admouisset, ictu bombardæ percussus interijt. Hæc quotidie fiunt in rebus humanis. Quomodo ergo spes Christiana non aggredietur ea operando ac satagendo, quæ fidelem hominem, & professione religionis decent, & uoti compotem reddunt. *Spes inducit ad operandum.* *Alfonsus Viues Hispanus.*

Tertiò,

Spes retinet operantem in opere.

Tertiò, est & hoc spei opus, quod retinet operantem in opere, cuius contrariũ facit desperatio, quæ mox atq; animum hominis uel leuiter tentat, deserendi operis cogitationem inspirat. Verùm donec durat spes firma ab opere quod cœpit, non sinit deficere operantẽ. Sic firmitudo spei consummationem gignit operis. Quemadmodum spes acquirendarũ opum negociantem in studio negociandi, ita spes futuræ felicitatis Christianum in studio pietatis conseruat. Quartò. Quemadmodum per dilectionem efficax est fides, Gal. 5. ita & per spem illa redditur efficax, sine qua prorsus esset inanis & mortua. Quid enim expectabit eorũ, quæ futura credit, si spe futurorum destituta fuerit? Quintò. Non minus illa patientiam in statione sua firmã reddit & inuictam, dum spe obfirmati quæuis aduersa pro ueritate Dei constanter ferimus, quàm per patientiam & probationem corroboratur. Sic mutuam operam spes & patientia inter se conferunt, & alteram altera in certamine pietatis & assiduis afflictionibus suffulcit & roborat. Sextò, animum sperantis pacatum reddit in medijs tribulationibus, quod nulla possunt humanæ sapientiæ præstare consilia, quæ laborantem animum perturbant magis, quàm pacatum reddunt. Septimò, propter certitudinem promissorum Dei reddit nos tutos à cõfusione, sic testante Apostolo Rom. 5. Spes non pudefacit. Mundana spes sic est inanis & uana, ut quotidie pudefaciat suos alumnos. Octauò, gignet tandem gaudium & exultationẽ, ubi quæ iam speramus, & non sine molestia expectamus, reipsa acquiremus. Huc conuenit illud Prophetæ: Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua, uenientes uerò uenient cum exultatione, portantes manipulos suos. Nam omnino implebitur illud: Lætabuntur omnes qui sperant in te, in æternum exultabunt, &c. Hæc obiter de efficacia spei recensere uisum est, cuius uirtutem nemo pro dignitate explicare poterit.

Spes dilectionẽ reddit efficacem, & patientiam cõfirmat, & animũ pacatum ac tutũ à confusione gaudentemq; reddit.

In quibus efficacia hæc spei reperiatur.

Sed dixerit quisquam: Atqui efficacia ista, quam spei Christianorum tribuis, in plurimis Christianis haud quaquam reperitur. Respondeo: Spes Christiana, spes electorum est, ac uerorum Christianorum. Electi autem & ueri Christiani pauciores sunt numero, quàm ut multitudinem hanc constituant, quam catholicam uocant. Deinde, ut fides Christiana, ita & spes ea demùm uera est, quæ non ex humana est institutione, & catholica consuetudine, externaque religionis, professione, sed ex singulari dono Dei, non inanis & mortua, sed efficax & uiua. Maxima pars Christianorum ut à puero instituti sunt, ita se credere profitentur: & ut audiunt, sperandam nobis esse uitam æternam, ita concipiunt sibi, & fingunt spem, quæ magis opinio spei, quàm spes est. Interea ne uoluntatem quidem ullam, nedum opus ueræ pietatis ex ea spe consequuntur. Nos autem non de hac, sed uera spe uerorum Christianorum loquimur, quæ omnino ea quæ recensuimus, in alio plus, in alio minus, secundum mensuram donationis Christi operatur.

QVID SPES VERA POSSIT APVD Deum in hac uita.

Sperantes in Deum, prædicantur beati.

ALiquot Scripturæ locis usqueadeò commendatur piorum hominum spes, qua toti à Deo pendent, ut propter illam beati prædicentur: ut Psalmo 84. Beatus homo, inquit, qui sperat in te: & Prouerb. decimosexto: Beatus est, qui sperat in Domino. Et Psalmo quadragesimo. Beatus uir, cuius est nomen Domini spes eius.

Beatitudo sperantium ex Deo est.

Operæprecium igitur fuerit, beatitudinis huius quærere rationem. Neq; enim in seipsa tale quid spes est, ut beatum reddat sperantem: cùm magis miserum reddere uideatur, dum expectantẽ animum, teste Salomone, affligit. Iudicio rationis beatius est possidere præsentia, ac frui acquisitis, quàm sperare & expectare futura, præsertim ea quæ in alterius sita sint potestate: sic ut ille, quod speras, pro sua uoluntate dare possit, uel denegare. Oportet igitur, ut aliunde aliquid rationis accedat, propter quod beatum prædicet Scriptura sperantẽ in Domino, quandoquidem hæc beatitudo nec spei est, nec speranti tribuenda. Ex Deo itaq; sit, necesse est. Hac de re testantur Scripturæ, quoties de Deo prædicant, quòd beneplacitũ ipsius sit super eos qui sperant in ipsius misericordiam, sicuti canit Propheta Psalmo 146. & quòd bonus sit sperantibus in ipso, Threnorum 3. Qua autem illius beneuolentia, gratia & beneficentia destitui possunt ij, qui ipsi beneplacent, ac bonitatem ipsius experiuntur? An non ea demùm uera beatitudo est, si placeas Deo, habeasq; illum in omnibus benignũ ac beneuolum?

Quomodo non miserebitur sperantiũ in se, qui ipsi placent, & quibus pro sua bonitate bene, imò optimè uult cõsultum? An non Psal. 32 Propheta canit: Multa flagella peccatoris, sperantem autẽ in Domino misericordia circundat? Et Psal. 33. Ecce oculi Domini super timentes ipsum, & super eos qui sperant in misericordia eius? Non simpliciter dicit, Miseretur sperantium: sed, Circundat sperantẽ misericordia, & oculi ipsius intenti sunt super sperantes in misericordia ipsius. Non potuit Propheta curã ac beneuolentiã Dei erga sperantes in ipsum clarius exprimere. Hinc necessariò sequitur, non posse sperantes deseri à Deo. Sic Iudith à cæde Holofernis reuersa dicebat: Laudate Dominum Deum nostrum, qui nõ deserit sperantes in se. Capite decimotertio: Et quomodo cõfundi possunt, qui à Deo deseri nõ possunt? ut recte dicat Apostolus, Spes nõ confundit. Et Propheta Psal. 22. In te sperauerunt patres nostri,

& non

& non sunt confusi. Quòd enim sperantes per seipsos in necessitatibus efficere non possunt, facit hoc Dominus Deus ipsorum, in quo sperant. Spera in Deo, inquit Propheta, & ipse faciet. Psal. trigesimoseptimo. Liberat eos ac seruat. Sperauerunt, inquit, & liberasti eos. Psal. uigesimosecundo. Item, Quoniá in me sperat, liberabo eum. Et Psalmo decimoseptimo uocatur Seruator sperantium. Et Prouerb. uigesimooctauo dicit Salomon: Qui sperat in Domino, seruabitur. Iam collige hæc omnia, & uide an præter rationem beatos prædicet Scriptura eos, qui sperant in Domino, nisi beati non sint, qui Deo beneplacent, ac bonitatem illius experiuntur, quos misericordia Dei circundat, & super quos oculi ipsius sunt intenti, qui nec deseri possunt à Deo, nec confundi, sed ab illo liberantur & seruantur.

Vnde igitur hæc est sperantium in Deo beatitudo, nisi ex mera bonitate, fide ac ueritate Dei, qua sic est animatus, ut deserere sperantes in se non possit, etiamsi illi nihil meritorum prætendere queant, modò syncero sint erga se corde: & quod sperant, sperent ex animo, nullo alio quàm bonitatis ac ueritatis ipsius repectu.

DE DESPERATIONE.

HAVD inutile fore iudicamus, si paucis de desperatione annotemus, ac subijciamus ea quæ nos de uitanda illa præmoneant. Quid autem sit desperare, tam est notum, quàm notum est, quid sit sperare. Quare non est, ut rem per se notam definiamus. Quin potius hæc tria uideamus:

Primum, quotuplex sit desperatio.

Deinde, quæ sint illius causæ. *Dispositio.*

Tertium, quàm sit noxia ac pernicioſa.

QVOTVPLEX SIT DESPERATIO.

QVatenus refert de quo desperetur, hactenus malum hoc desperationis plures habet species, ac secundum pluralitatem specierum est multiplex ac fœcundum, sicuti solet esse natura mali.

Est autem desperationis species alia qua de Deo, alia qua de proximis, alia qua de nobis ipsis, & alia qua de rerum uel sperandarum, uel faciendarum possibilitate desperamus, atque ita quadruplex inuenitur esse desperatio. *Quatuor desperationis species.*

Primam ponimus eam, qua de Deo desperatur. Hæc enim & grauitate sua cæteras excellit, & locum illis parat, ut facillimum sit de Deo desperanti, desperare etiam de proximo, de seipso, deq; rebus gerendis ac sperandis. Desperatur autem de Deo, dum uel de potentia, uel de uoluntate eius, aut de utraq; simul desperatur. Crassissima eorũ desperatio est, qui de potentia eius desperant, quem omnipotentem esse constat. Exemplum illius habetur 2. Reg. capite 7. ubi initio capitis sic legitur: Dixit autem Helizæus. Audite uerbũ Domini. Hæc dicit Dominus: In tempore hoc, cras modius similæ uno statere erit: & duo modij hordei, statere uno in porta Samariæ. Hoc Prophetæ uerbum uidebatur rem promittere prorsus impossibilem. Erat enim Samaria obsessa à Syris, inq; tantam rerum necessariarum adacta penuriã, ut inualescente fame uenundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis: imò duæ mulieres de mactandis & comedendis proprijs suis liberis consultarent, & infantem unum ederent, ac propter alterũ coram rege altercarentur. Dux igitur quidam apud regem prȩcipuus, considerato præsenti rerum statu, usqueadeò iudicabat impossibile esse quod Propheta dixerat, ut etiamsi Deus illud implere uolens, ipsas cœli fenestras pluendo aperiret, fieri tamen non posset, ut modius similæ uno statere, & duo modij hordei uno statere in porta Samariæ uȩnirent: ideoq; dicebat ad Prophetam, Si Dominus fecerit cataractas in cœlo, nunquid poterit esse quod loqueris? Si dux ille de potentia Dei non desperasset, dixisset potius: Deo nihil est impossibile. Si ille uolet, fiet quod dicis. *1. Quæ de Deo desperatur.* *2. Reg. 7.*

De uoluntate Dei desperant omnes illi qui uel de bonitate ac misericordia, uel de iusticia, uel de ueritate illius desperant. Econtrà uero, de uoluntate Dei desperare non possunt, qui neque de bonitate ac misericordia, neque de iusticia, neque de ueritate illius desperant. Sed hæc obiter de prima desperationis specie.

Secundum esse diximus, qua de proximis nostris desperamus. Tritum est illud: Qui semel malus, semper præsumitur malus. Vbi hoc dictum regnat, facillimè de proximorum emendatione, adeoque & salute desperatur. Longè diuerso ingenio est charitas, quæ omnia credit, & omnia sperat. Quare præter rationem non est, quòd Augustinus aliquot locis, de nullius adhuc in hac uita constituti conuersione desperandum esse contendit, eo quòd crastinus dies ignoretur. *2. Quæ de proximis desperatur.*

Tertia desperationis species est, qua de nobis ipsis desperamus, eo quòd quæ uel agenda sunt uel ferenda, non diuina gratia, sed nostra imbecillitate metimur, ac secundum hanc de nobis ipsis desperamus. *3. Quæ de nobis ipsis.*

Quarta,

4. Qua de rebus agendis desperamus.

Quarta est, qua rerum gerendarum grauitatem usqueadeò exaggeramus, ut de possibilitate illarum desperemus. Sic enim comparati sumus, ut quod per nos leui non potest negocio fieri, impossibile præstitu esse iudicemus, præsertim si sumus pigri & minus exercitati. Sic comparatæ sunt quatuor hæ desperationis species.

QVAE SINT DESPERATIONIS CAVSAE.

MVltæ sunt ac uariæ desperationis causæ, quas omnes haud facilè quisquam recensuerit, præsertim speciales, quæ alijs aliæ accidunt: quare generaliores quasdam annotabimus, quas utinam omnes effugere possimus. Nam queamadmodum spes uera ac constans non est omnium, sed electorum ac fidelium tantùm: ita desperatio carni nostræ admodum est insidiosa, ad quam maxima pars hominum sic est procliuis, ut in illam omnium incidant facillimè. Vnde tamen ægerrimè pauci aliquot liberantur. Loquemur autem non nisi de primæ desperationis causis, qua de Deo in causa salutis desperatur. Sunt hæ sic comparatæ, ut aliæ finalem & inemendabilem, aliæ temporariam & curabilem desperationem concernant: qua in re prudentis Doctoris discretio requiritur, ut non mox pro finali & incurabili desperatione habeat, si quem de gratia Dei ac propria salute desperare, uel desperatione tentari senserit, ne & ipse in desperationem fraternæ salutis temerè incidat.

Desperatio de Deo alia finalis est, alia temporaria.

Principiò, eius desperationis, quam finalem & incurabilem uocamus, causæ sunt aliæ occultæ, aliæ manifestæ. Occulta causa est reprobatio, sicut occulta ueræ spei causa est electio. In hanc inquirere non est nostri nec propositi nec officij. Id tamen constat, quemadmodum spes certa ac constans electorum est, ita finalem & incurabilem desperationem esse reproborum: & ut spes donum est gratiæ Dei, ita desperationem hanc iudicium esse reprobationis, omnino iustum, licet nobis sit incognitum.

Causæ finalis desperationis.

Manifestæ causæ sunt incredulitas, impœnitentia, & duricies cordis: idque non leuis aliqua, sed pertinax, & ad finem usque obstinata. Has causas separo ab illis, quæ temporariæ sunt desperationis: & uoco manifestas, non quòd sic nobis mox sint manifestæ, ut sciamus quæ'nam incredulitas, impœnitentia, & cordis duricies finalis sit & incurabilis: sed quòd certum sit, finalem incredulitatem, impœnitentiam, & cordis duriciem haudquaquam esse ueræ spei capaces, nec fieri posse quin gignant consummatam desperationem. Sunt quidē aliqua illarū indicia, uerùm, meo iudico, satius est perpetuò sperare meliora, quàm temerè de salute cuiuscunque hominis adhuc uiuentis desperare: nisi accedat cognitæ & agnitæ quoque ueritatis non simplex & coacta abnegatio, sed quæ sit cum blasphemia coniuncta. Vbi illa locum reperit in homine, ibi difficile est aliquam sperare conuersionem. Temporariæ uerò & curabilis desperationis causæ sunt hæ.

Meliora semper speranda de homine.

Tēporariæ desperationis causæ.

Prima, est ignorantia Dei ac uerbi illius. Illa nonnunquam in electis quoque ad tempus uocationis usque reperitur: interea si occasio de salute cogitandi incidat, sentitur in corde desperatio, quæ accedente luce uerbi & cognitionis Dei, in spem mutatur.

1. Ignorantia Dei.

Secunda est, conscientia peccatorum, quæ in animis nondum de gratia Dei in Christo Iesu satis instructis ut spem salutis, perinde ut stomachus uitiatus cibum ægrè recipit, ita & desperationem allicit. Hoc intelligit, opinor, Chrysostomus, dum opera mala desperationem gignere dicit. Verùm hoc est in illis qui spem aliam nesciunt, quàm quæ sit ex bonorum operum meritis, qua de suprà diximus. Nam eodem rationis iudicio, quemadmodum meritò sperare uidentur, qui quæ bona sunt, faciunt: ita non frustrà desperare censentur, qui malorum operum conscientia redarguuntur.

2. Conscientia peccatorum.

Tertia est, inueterata peccandi consuetudo, quæ in nonnullis tam est tenax malum, ut citius desperationem salutis gignat, quàm emendationem recipiat. Talis enim peccator, ubi prædicationem resipiscentiæ & gratiæ non nisi pœnitentibus, conuersis, ac credentibus salutem promittere intelligit, licet non sit malè erga ueritatem affectus: quoniam tamen peccandi se consuetudinem abijcere posse desperat, simul & de salute sua desperat, donec cœlestis gratiæ uirtute mutatus, ex animo resipiscat.

3. Inueterata peccandi consuetudo.

Quarta est, ignauia à studio ueræ pietatis abhorrens, ac castigationem corporis peccati refugiens. Vbi peccator ignauus non solùm abstinendum esse à malis, sed & facienda quæ sunt bona, & carnē peccati cum cōcupiscentijs suis crucifigendā intelligit, præ ignauia cordis sui citius de salute sua desperat, quàm ut ei se doctrinæ accommodet. Et eiusmodi ignauia per desperationem quam gignit, perinde atq; mater à filia nutritur, donec tempus ueræ conuersionis aduenerit, & hanc ignauiam unà cum desperatione, uirtus gratiæ Dei abstulerit.

4. Ignauia, abhorrens à studio pietatis.

Quinta est, pudor ille quem in Papatu experiuntur, qui enormius aliquod peccatum admisserunt. Hi quoniam audiunt nullum posse peccatum remitti, cuius non sit in aures sacerdotis facta confessio: pudore à peccati sui confessione abhorrentes, de remissione illius, adeoq; & salute sua desperant. Ignorant enim remissionem peccatorum pendere non ab ea confessione quæ sacerdoti, sed ab ea quæ Deo fiat: qua de re suprà in loco de Pœnitentia diximus.

5. Pudor.

Sexta

6 Sexta est, ex doctrina satisfactionis ac satispassionis, quã se peccator pro singulis suis peccatis implere posse desperat, quam desperationem Canones pœnitẽtiales in immensum auxerunt. Incredibile est, quantam conscientiarum carnificinam doctrina satisfactionis inuexerit in Ecclesias. *Doctrina satisfactionis.*

7 Septima est, enormitas singularis alicuius peccati, quod tam sit graue, ut peccator cũ Caino dicat, Maior est iniquitas mea, quàm ut ueniam merear. Vbi enormitas peccati maior esse censetur, quàm sit ipsa clementia & gratia Dei, quid aliud consequi poterit, quàm propriẽ salutis desperatio? *Enormitas peccati.*

8 Octaua est, nimia propriẽ indignitatis cõsideratio. Nisi huic cognitio bonitatis ac philanthropiæ Dei succurrerit, in desperationem salutis desinat, necesse est. Quare pernicioſi doctores sunt, qui respectu propriæ indignitatis, fiduciã gratiẽ Dei in cordib. infirmorũ extinguũt. *Nimia propriæ indignitatis cõsideratio.*

9 Nona est, coacta per tyrannicam uiolentiã cognitæ ueritatis abnegatio & abiuratio, qua carnis infirmitas præter animi sententiam periclitatur, & in desperationẽ gratiæ Dei ac propriæ salutis conijcitur: cuius rei exemplum nostra ætate, anno uidelicet 1548. propter detestabile illud INTERIM memorabili, in Francisco Spiera cernere licuit. *Veritatis abnegatio.*

Hæ sunt generaliores desperationis causæ, quas ob id recẽsere uoluimus, ut admoneamur omnes, ne in causa salutis nostræ ueram cognitionem Dei, & gratiæ illius, præsertim nouissimis hisce temporibus, negligamus: sed magno desiderio ambiamus, & religiose nos illi accõmodemus: quandoquidem tot modis ad desperandũ de Deo ac propria salutis sollicitamur, nec fieri potest ut sine cognitione hac ueram spem obtineamus, sine qua ad portũ salutis pertingere non datur.

QVAM NOXIA ET PERNICIOSA *sit desperatio.*

NOn omnis desperatio mala est. Inuenias causam in qua melius sit desperare, quàm sperare. Vbi spes est uana ac mala, ibi desperatio bona est & utilis. Mala spes erat, qua sperabant Scribæ & Pharisæi regno suo fore consultum, si Christũ è medio tollerent. Melius postea desperare cœperunt, ubi uirtutẽ spiritus passim sub nomine Christi obtinere cernebant. Spes uana erat, qua discipuli sperabãt Christum in carne regnaturum, ac Israelem de seruitute Romanorum redempturum. Melius hac de re postea desperabant, cum Dominũ uiderent morte crucis sublatum ac sepultum, ac dicerent: Nos sperabamus eum redempturum esse Israelem. Quare cum desperationẽ noxiam & pernicioſam esse dicimus, de ea loquimur, qua ibi desperamus, ubi quàm maximè sperare conueniebat, non simpliciter de quauis desperatione. Nam pro mirabili suo cõsilio Deus sic res nostras dispensat, ut sinat suos nõnunquã experiri desperationem aliquam, quasi quãdam caliginem, quo pòst restituta luce gratiæ suę, magis quàm antea cognoscant, nihil esse firmi in omnibus suis uiribus, nec stare se, firmamq; spem retinere posse, nisi diuina ac cœlesti gratia erigantur & conseruentur. *Non est omnis desperatio mala.* *Quando sit desperatio mala.*

Vt spes autem, ita & desperatio aliter se habet in electis, & aliter in reprobis. In electis, licet reddat illorum mentes disturbatas & inquietas, ut cum Dauide dicant, Proiectus sum à facie oculorũ tuorum: & existiment se ipsos inferorũ experiri dolores, finalis tamen & cõsummata nõ est, sed tandẽ luce gratię Dei in spẽ lętã terminatur. At in reprobis grauissima mala gignit. *Aliter in electis se habet desperatio.*

Principiò, si quid fidei fuit, aufert, facitq; ut quę antea asserebantur, iam prorsus negentur: quæ laudabantur, iam uituperentur. Deinde, in afflictionibus gignit omnimodam impatientiam, idque cum blasphemijs coniunctam, quibus diuina Maiestas impijssimè proscinditur. Tertiò, reddit homines deploratè malos, qui seipsi scienter ac prudenter in omne genus impietatis, immundiciæ & iniusticiæ tradãt: cuius meminit Apostolus Ephes. 4. dicens, Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitię, in operationem omnis immundiciæ, in auariciam, &c. Tale quid & Hieremiæ 18 legitur, ad hunc modum: Hæc dicit Dominus, Ecce ego fingo contra uos malum, & cogito contra uos cogitationem. Reuertatur unusquisq; à uia sua mala, & dirigite uias uestras & studia uestra. Qui dixerunt: Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus, & unusquisq; prauitatem cordis sui mali faciemus. Sic cogitat impius de salute sua desperãs, ac proprio iudicio perditioni adiudicatus: Vt quid fruſtrà meipse affligerem, non faciens quę animo meo adlubescunt, cum sciam me perditioni esse deuotũ? Sic aliquando monasterij cuiusdam prępositus, cum de salute sua desperasset, liberè genio suo indulgere cœpit, quod eius conscientias hominum latère posse putabat. Hic enim in uigilia Paschatis partẽ carnis ferinæ, quæ crastino pro more Papistico benedicenda esset, clanculum edere cœpisset, & ab œconomo domus ex improuiso in ipso facto deprehensus, quur id faceret interrogaretur, cum die crastino liberè de illa quantum uellet edere posset: & an propter modicũ ferinæ carnis edulium, animæ suæ salutem in discrimen adducere uellet. Respondit: Sine ut faciam, quod mihi in præsenti adlubescit: quod animæ meæ salutem attinet, de illa ego non cogito, sciens in regno Dei nihil mihi esse loci. Quòd si illud ingressus fuero per impossibile, *Et aliter in reprobis.* *Ephes. 4.* *Hier. 18.*

rara auis ero, & rarior quàm sit hęc caro ferina. Tales animos gignit in reprobis propriæ salutis desperatio. Et huc plurimùm facit cæcitas mentium, cui Papistica doctrina singulari consilio Satanæ admodum seruit. Ignorabat miser, catholica cæcitate impeditus, regnum Dei non esse escam & potum: & doctrinam non Christi, sed Antichristi esse ac dæmoniorum, qua cibi prohibentur, quos Deus creauit, ut cum gratiarum actione sumantur.

Quartò, adigit miseros ad id insaniæ, ut sibijpsis inferant manus cum Iudah proditore, instigati uidelicet ab eo, qui hostis est humanæ uitæ, & homicida ab initio. Augustinus alicubi dicit, hoc genus desperatorũ admodũ esse timendũ, eo quòd nihil illis sit reliquũ, neq; quod futuram, neque quod præsentem uitam attinet, quòd timeant, & cuius gratia tentare quod uolunt, prohibeantur.

De desperatione Francisci Spierę. Quintò, excludit à uera felicitate, & æternæ condemnationi reddit obnoxios. Hoc postremum est malorum omnium. In hoc articulo existimo nobis nõ esse temerè iudicandũ. Quod me attinet, causam Francisci Spierę, cuius suprà memini, relinquo in medio, sic ut eam nec ad ea quæ saluandis quoq; nonnunquam eueniunt, nec ad ea quæ reproborum & condemnatorum sunt, connumerare ualeam. Conscripta est eorum quidem historia, quæ Paduæ cum illo sunt gesta, at quomodo se postea gesserit, & quis illius exitus fuerit, me fugit. Neq; enim de illis ad me quicquam (nisi me memoria fallat) peruenit. Grauissima fuit hominis desperatio, consummatam fuisse nescio. Quod Dominicam orationem tanto serio semel atq; iterum cũ adstantibus orauit: deinde ex animo optauit, ut uel modicã gratiæ Dei spem habere posset: tertiò adstantes adhortatus est, ut cognitioni gratię Dei studio pietatis respondeant: quartò, ueritati doctrinæ Dei, quam per carnis infirmitatem à ministris Antichristi compulsus abnegauit, ne uerbo quidem maledixit: hæc faciunt, ut nesciam illum prorsus habere pro reprobo & condemnato: quandoquidem eiusmodi indicia, præsertim quum finem hominis ignorem, pietatis adhuc, licet admodum oppressæ, aliquid in corde ipsius fuisse significent. Eorum causa multo periculosior est, qui quum ueritatem Euãgelij Dei ac sanæ doctrinę & cognouerint & professi sint, nulla ui compulsi, ut carnis possit infirmitas prætexi, sed uel inanis gloriæ, uel quæstus studio, uel liuore, aut odio, aut nescio unde moti, quod uerum esse cognouerũt professique sunt, non modò abnegarunt, sed & hostiliter, quasi indicto bello, & uerbis, & scriptis, & factis impugnant, oreq; blasphemo proscindunt: quos ego obtestor in Domino, ut exemplum Spieræ, & nonnullorum aliorum, quorum nomina taceo, cum timore Domini considerantes, colligant in tempore, quid sibi timendum sit, nisi maturè resipiscant, & gratiam Seruatoris ambiant.

DE DILECTIONE.

POSTQVAM nonnulla de spe Christianorum annotauimus: ipsa fidei, spei & charitatis series poscit, ut cõsequenter de dilectione dicamus, quam Ebręi uocant אהבה Græci ἀγάπλω, pro qua Latinus interpres reddere solet charitatẽ, cum reddere posset simpliciter dilectionem, quo Græcã uocem non alia Græca, sed Latina uerteret. Est enim & charitas Græca dictio, à χάρις, id est gratia, singularem significans fauorem & amorem, quo non omnes communiter, sed specialiter coniunctiores, ut parentes, liberos, & cognatos prosequimur. Scimus aũt immensam esse & inexplicabilem dilectionis uim, ut impossibile sit recẽsere omnia, quæ ad illius naturam, ingenium, mores & efficaciam pertinent. Quare propositi nostri nõ est, plenam & absolutam illius moliri explicationem, sed ea tantùm inspiciemus, quæ in præsenti occurrunt, idq; non nisi de ea quæ in Scripturis sacris à nobis requiritur. Nã de ea qua nos diligit Deus, in loco de philanthropia illius dictum est.

אהבה ἀγάπη. Dilectio. Charitas.

QVID SIT DILECTIO.

QVid sit dilectio, uidetur non esse quærendum, cum appareat esse notissimum. Et tamen, meo iudicio, nõ potest sufficienti & absoluta definitione exprimi, sed magis sentitur ab ijs qui uerè diligunt, quàm intelligitur à non diligentibus. Ne philosophus quidẽ, quantumuis studiosus definitionum, quid sit diligere expresit, cum φιλεῖν esse dixit: βούλεσθαί τινι ἃ οἴεται ἀγαθὰ, κατὰ δύναμιν πράττειν αὐτοῦ ἕνεκα τούτων. Hoc enim magis est docere q̃d faciat dilectio, quàm quid sit. Si quis dicat, ignem sic esse comparatum, ut consumat ea quæ corripit, is certè nondum dicit quid sit ignis, sed opus ignis exprimit.

Dilectio magis sentitur à diligentibus, quàm intelligitur à non diligentibus.

Alius dicit: Dilectio uirtus est, qua diligẽs copulatur dilecto. Et hic quoq; non exprimitur quid sit, sed quid operetur dilectio. Perinde ac si dicas: Odium, est uitium quo disiungitur odiens ab eo quem odit: in quibus uerbis, non quid sit odium, sed quid operetur, dicitur.

Augustinus alicubi propius accedit, cum dilectionem dicit esse motum cordis delectantis se in aliquo. Quanquam ne sic quidem satis exprimitur quid sit dilectio, nisi idem dicturi sumus

mus esse amorem & delectationem, quæ amorem comitatur. At amorem comitatur sæpenumero & tristicia, in separando uidelicet, non minus quàm delectatio in complectendo. Vt ergo non rectè dixeris, amorem esse motum cordis contristati in aliquo: ita non uidebò, quomodo dici debeat, esse motum cordis in aliquo sese oblectantis.

Summa dilectio tale quid est, quod exactè ac perfectè definiri nequit, sentitur uerò ab omnibus tam insipientibus quàm sapientibus. Et Apostolus 1. Cor. 13. quamuis multis de dilectione disserit, haud tamẽ definit quid sit, sed totus in eo uersatur, ut operationes illius exprimat. Et Ioannes in sua Canonica, licet singulari studio dilectionẽ commendat, nec ipse tamẽ definit quid sit. Cum uellet eam summopere cõmendare, dixit, Deus est dilectio: quibus quidem uerbis significauit, nihil esse quod propius ad naturam Dei accedat, quàm dilectio: uerũ quid illa sit, nõ definiuit. Haud igitur tã est quærendũ nobis, quid sit, quàm qualis sit dilectio.

Definiri nõ potest dilectio.

2. Ioan. 4.

QVOMODO NOBIS DILECTIO PRAECIPIATVR.

COnstat dilectionem diuina quadam prouidentia omnibus esse creatis inditam, nõ hominibus tantùm, sed & animantibus irrationalibus, imò & insensatis creaturis. Nemo angelorum est qui non diligat, nemo hominum uiuit, qui expers sit dilectionis: nulla uspiam creatura est, quæ non uim aliquam dilectionis in se contineat, qua sibi conuenientia cupidè amplectatur. Ignis diligit materiam præcipuè sulphuratam, aridam, & pinguedine aliquà imbutam, illamq; cupidissimè amplectitur: nec desinit, donec eam in se transferat, sibijq; conformem reddat. Arbores ac plantæ diligunt in siccitate pluuiam, in frigore solem. Et hæc dilectio mirabili quodam modo per uim coniunctionis & operationis mutuæ, conseruat ea quæ diuinitùs sunt creata. Nulla esset rerum cõseruatio, nisi simile diligeret sibi simile. Et nisi dilectio illa Dei, omnibus quæ cõdidit operatione sua adesset, nihil prorsus cõsisteret. Vsque adeò uidelicet uirtus dilectionis omnibus est indita creaturis. Haud igitur simpliciter præcipitur nobis dilectio. Quorsum enim pręciperetur, quod aliàs naturaliter inest omnibus? Sed præcipitur recta & ordinata dilectionis directio, quo quæ uerè diligenda sunt diligamus. Bona est in se dilectio, necessaria est, ex Deo est ac diuina: per corruptionem uerò naturæ nostrę sic est ac ipsa corrupta, ut uel non diligenda, uel non sicuti oportet ac conuenit diligamus. Bonus est qui diligit, inquit alicubi Augustinus, bona est dilectio, bonum est quod diligitur. Nã & diligens creatura Dei est, & quod diligitur creatura Dei est, & dilectio ipsa ex Deo est: uerùm corruptio illa qua diligimus non sicut oportet, mala est, & ex Deo non est. Quapropter quando dilectio præcipitur, non præcipitur simpliciter dilectio, quasi illa in nobis nõ sit, sed præcipitur illius recta directio & ordinatio. Cõsimili modo de fide quoq; dici potest. Quãdo requiritur ut credamus, nõ requiritur simpliciter ut credamus, nam id alioqui facimus (quis nanq; mortalium est qui nihil credat) sed ut rectè credamus.

Dilectio naturaliter insita omnibus.

Quæ dilectiò præcipiatur.

Nec præcipitur nobis ut diligamur ab alijs, sed ut diligamus. Natura quidem sic comparatum sumus, ut malimus diligi quàm diligere. Verùm & diuinius est & præstãtius diligere quàm diligi, quemadmodum & honorare quàm honorari. Vt enim honor non est in honorato, sed in honorante: sic & dilectio non est in dilecto, sed in diligente. Quare quod præstantius est ac diuinius, inq; nobis situm per gratiam Dei, id à nobis rectè requiritur.

Nõ præcipitur nobis, ut diligamur ab alijs.

QVORVM NOBIS DILECTIO PRAECIPIATVR.

SIrecta & ordinata dilectio naturaliter in nobis esset, nullis opus fuisset præceptis, quandoquidem ultrò illam præstaremus. Nusquam legimus præceptum matribus, ut diligant suos liberos. Faciunt enim hoc naturali ductu, quem diuinitùs acceptũ sequuntur. Liberis uerò pręcipitur, ut honore parẽtes suos prosequãtur. Est enim hic natura in illis deficiens propter corruptionem: quare necessarium est ut illius defectus præceptis sarciatur. Requirit autem dilectionis ordinatio, primùm ut diligamus eos qui sunt diligendi: deinde ut diligamus sicuti conuenit hominibus pijs, & ad imaginem Dei conditis.

Quod primum attinet, præscribitur nobis triplex dilectio. Prima est, qua dominum Deum nostrum: secunda, qua proximum: tertia, qua fratres diligamus. Vna quidem est & eadem in pijs hominibus dilectio, uerùm propter tres illius species φιλεδίαν, φιλοπλουσίαν & φιλαδελφίαν, dicimus eam esse triplicem.

Præcipitur nobis triplex dilectio.

DE DILECTIONE DEI.

DE dilectione Dei præceptũ extat Deut. 6. ubi sic legimus: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis. Mandatum hoc maximum est & primum in lege, constringitq; populum, cuius Dominus Deus est, qualis tũ erat Israel. Vnde est quod dicit: Audi Israel, & non simpliciter, Dominus Deus tuus est, Diliges Dominum Deum: sed, Dominus

Deut. 6. Quod Israeli præceptũ est, nos quoq; concernit.

Deus tuus, Deus unus est, diliges Dominum Deum tuum. Quare quod dicit, Audi Israel: idē est quod, audi populē meus. Non est igitur ut dicat quisquam: Pręceptum hoc nominatim est Israeli datum, ideoq; nos non constringit, qui non sumus Israelitæ: sed ex gentibus Israelem constringebat, propterea quòd esset populus Dei. Si nos populus Dei non sumus, nō potest de Deo prędicari, quòd sit Deus noster. Si Deus noster non est, utique nō constringimur hoc præcepto ut ipsum diligamus, quo præcipitur ut Dominum Deum nostrum diligamus. Si sumus in hoc mundo sine Deo, nō poterimus præstare quod hic præcipitur. Si uerō gloriamur de Deo aliquo quòd sit Deus noster, res ipsa poscit, ut illum diligamus. Iam cum Deus noster sit idem qui Israelis Deus est, quomodo ad nos non pertinet quod ille præcipit suo populo, dicens: Diliges Dominum Deum tuum?

Cum ergo constringamur hoc præcepto Domini Dei nostri, cuius sumus iuri ac potestati subiecti, omnino requiritur, ut quod in illo præcipitur, diligenter obseruemus. Præcipitur autem non simpliciter ut diligamus, sed ut Dominum Deum nostrum diligamus, id quod planè dignum est & iustum: deinde ut diligamus eum dilectione haud dimidiata, sed integra ac plena. Qui plures Deos colunt, nullum ex illis toto corde, sed diuiso ac dimidiato diligunt: perinde ac si mulier non uni tantùm, sed pluribus uiris sit addicta, cui possibile non est, ut aliquem ex illis toto & integro corde diligat. Huiusmodi dimidiatam dilectionem reijciens, ac plenam & integram requirens, non simpliciter dicit, Diliges Dominum Deum tuum: sed addit, Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis. Et huc pertinet quod prēmittit: Dominus Deus tuus, Deus unus est. Significat uni sibi integrè deberi quicquid est cordis, animæ ac uirium, eo quòd non sit Deus quisquam alius præter se: ideoque nolit, nec ferre possit, ut populus ipsius iuxta se Deos alios colat, seque non integro, sed dimidiato corde ueneretur.

Pendet igitur præcepti huius ac dilectionis Deo debitę adimpletio ab ea fidei integritate, qua uerus Deus non cum alijs coniunctim, sed unicè ac solus colitur. Quare impossibile est ut à Diuorum cultoribus & inuocatoribus impleatur, quantumuis negent uerbis plures se Deos colere, dum mortuos sanctos colunt.

Math. 22. Citatur autem hoc præceptum à Christo ipso Matthæi 22. ubi legis doctori tentanti se, & quod nam esset mandatum magnum in lege, interroganti respondit, dicēs: Diliges Dominū Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est primum & magnum mandatum. Eo loco annotauimus, quid obseruandum sit primùm ex eo, quòd præcepta nobis à Deo prescribuntur: deinde, quòd dilectionem prȩcipit: tertiò, quomodo diligēdus sit Deus, & quis sit uerborum istorum sensus, quodq; sit ueræ ac plenæ dilectionis ingenium: & quartò, quomodo illa acquiratur: postremò, unde deprehendamur diligere Deum.

Dilectio Christi. Ab hac dilectione Dei nō debemus separare dilectionem unigeniti illius Christi seruatoris. Aliquid est quod Israeli præcipitur ut tanquam populus Dei Dominum Deum suum unicè diligat, idq; toto corde, & tota anima, totaq; mēte. Verùm ut perfectior cognitio, ita & perfectior dilectio Dei reseruata erat Noui testamēti gratiæ, qua Deus ut pater in Christo ipsius filio, & cognoscitur & diligitur. Maior lux, maior gratia, maiorq; ac plenior cognitio: maiorē utiq; ac plenioręm dilectionē Dei, patris uidelicet & filij requirit ac gignit. Quod enim 1. Ioā. 5. legimus, Qui diligit eum qui genuit, diligit etiam eum qui natus est ab eo: hic quoq;, imò amplius etiam, locum habet.

Nec repugnat huic dilectioni, quod in lege dicitur, Dominus Deus tuus, Deus unus est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Norunt enim Christiani, dum patrem ac filium ex æquo diligunt, non diligere se duos Deos: nec corde esse in hac dilectione diuiso, sed unum ac solum Deum in hisce duabus patris & filij hypostasibus integra ac plena dilectione colere ac uenerati.

II. DE DILECTIONE PROXIMI.

SEcundam dilectionis speciem hanc nobis diuino mandato præscribi diximus, qua proximum nostrum diligamus. Præceptū huius extat Leuitici 19. ubi sic legimus: ואהבת לרעך כמוך אני יהוה, *Leuit. 19.* id est, Diliges amicum, uel proximum tuum sicut teipsum, ego Dominus. *Matth. 22.* Vocat hoc præceptum Dominus Matth. 22. secundum, priori simile, & addit: In his duobus mandatis tota lex pendet, & prophetæ. Quis autem sit proximus noster, satis expressimus in Commentarijs nostris super Matthęum, cap. 5. Is uidelicet proximus nobis est, qui aliqua nobis occasione coniungitur. Non respicitur hic ad carnis ac sanguinis cognationem, sed ad omnis generis qualemcunq; coniunctionem, per quam fit, ut occasio sit diligendi ac benefaciendi: qualis erat, qui uulneratus à latronibus proximus factus est transeunti Samaritano, sicuti uidere est Lucæ decimo. Nullum respicitur hic discrimen, siue personæ, siue conditionis, siue fortunæ. Nulla tam est abiecta humilitas, quæ impediat, quo minus uel pauperrimus omnium ditissimo, idiota doctissimo, ac stolidus prudentissimo fiat proximus.

Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana, cap. 30. & in libro de Vera religione, argumentis aliquot

aliquot contendit, omnem hominem proximi esse nomine intelligendum. Respicit ille ad cõsortium communis naturæ. Verùm qui remotis à nobis locis uiuũt, licet homines sint & ipsi, haud tamẽ satis pertinenter proximi nostri uocari possunt. Quare simplicius est, ut eos habeamus pro proximis, qui quacunq; nobis occasione iungũtur, sic ut illorum necessitas sensibus nostris possit obijci, & beneficiorum nostrorum capax reddi. *Augustinus omnẽ hominẽ proximum nõ bis esse contendit.*

Neq; præter rationem est, quod nominatim præcipitur, ut diligamus proximum. Requiritur enim synceri ac boni animi probitas, quæ se exerat erga quoscunq;, & quacunq; occasione bonitatem suã declaret, idq; hoc euidentius, quo propius uelut ad ignẽ accesseris. Quemadmodum enim praui ingenij malicia hoc magis sentitur, quo plus cum illo inieris commercij: ita bonitas hominis candidi ac humani tanto redditur cõpertior, quanto illi fueris factus uicinior. Ideo præcipitur nobis non simpliciter ut quẽuis, sed ut proximũ diligamus: atq; ita quàm simus boni, certo experimento erga quosuis quocunq; modo coniunctos declaremus.

Quoniam autem frequenter accidit, ut inter externè coniunctos oriantur rixæ & inimicitiæ, ne per illas fieri putemus, ut nõ sint amplius proximi nostri, qui nobis inimicãtur, ideoq; haud diligendi etiam, iuxta traditionem pharisæorum, qui ex præcepto Dei colligebant ad hunc modum: Scriptum est, Diliges socium & amicum tuum. Ergo ex opposito cõsequitur, odio esse prosequendum inimicum. sic exponit præceptum hoc Christus, ut non amicos tantum, sed & inimicos pro proximis habendos esse doceat. Hac de re Matth. 5. sic legimus: Audistis quòd dictum sit: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. At ego dico uobis: Diligite inimicos uestros, beneprecemini deuouẽtibus uos, benefacite ijs qui uos odio prosequuntur, orate pro ijs qui lædunt & insectantur uos, ut sitis filij patris uestri, qui in cœlis est, quia solem suum oriri facit super bonos & malos, &c. Vide locum ipsum, & quæ in illum annotauerimus. Neq; enim propositi nostri est eadem sæpius repetere. Et illud ibidem expositum est, quod dicit, Sicut teipsum. De eo quod dñs dicit: Secundũ simile est huic. Et, In his duobus mandatis pendet tota lex & Prophetæ uide Cõment. nostros in Matth. cap. 22. *Non amici tantùm, sed & inimici proximi nostri sunt.* *Matth. 5.*

Scholastici nonnulli in quęstione de diligendis inimicis ponunt duplicem dilectionis affectum: unum qui sit innocentiæ, alterum beneficentiæ. Innocentię, qua diligens nolit malefacere: beneficentię, qua propensus sit ad benefaciẽdum etiam. Atq; ita disputant, an' non prioretãtùm, sed & posteriore teneamur affectu diligere inimicos. Verùm ipsum Christi seruatoris uerbum sic est manifestũ, ut eiusmodi disputationibus non egeat, imò per illas magis obscuretur quàm illustretur. At ego dico uobis, inquit (agnosce authoritatẽ) diligite inimicos uestros. Quis nescit, quid sit diligere? Eodem uerbo tam ut inimicos, quàm ut proximum diligamus præcipitur. Et ut de uera se dilectione loqui declaret, de efficacia illius ac ueris fructibus subijcit, dicẽs: Beneprecemini, benefacite, orate. Deinde ne de ijs inimicis loqui putetur, qui non sint prorsus hostiliter erga nos affecti, non dicit simpliciter, Beneprecemini ac benefacite illis, &c. sed, Beneprecemini deuouentib. uos, benefacite ijs qui uos odio prosequũtur, orate pro ijs qui lædunt & insectantur uos. An deuouere, odio prosequi, lædere & insectari, eorum est qui leuiter inimicantur, & non magis eorum, qui sic sunt hostiliter erga nos animati, ut totos nos ac funditùs perdere cupiant, nec amittant eorum aliquid, quæ quouis modo ad perditionem nostri facere uidentur? Ergo iubemur etiam extremè & hostiliter nos insectantes non simpliciter diligere, sed quibus possumus tam coram Deo, quàm coram hominibus beneficijs afficere. Et hæc est doctrina Christi, quicquid de illa disputent Scholastici. *De eo quòd Scholastici duplicem dilectionis affectũ ponunt.*

Conformis est doctrina Apostoli, quæ Rom. 12. sic legitur: Non uosmetipsos ulciscentes dilecti, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi ultio, ego rependam, dicit Dominus. Si igitur esurierit inimicus tuus, pasce illum: si sitit, potũ da illi. Hoc enim si feceris, carbones ignitos coaceruabis in caput illius. De hac Apostoli doctrina uide in Commẽtarijs nostris super Epistolam ad Romanos. Durum uidetur Christianis nonnullis, quòd inimicos suos perinde atque proximum diligere iubemur, cum prorsus idem legali sit populo præceptum, & à pijs quoq; sub lege uiuentibus præstitum, cuius rei multa præclaraq; exempla in Scripturis reperiuntur. Vide historias Dauidis, item quid Elizæus propheta fecerit exercitui regis Syriæ ac regi Israel, ut & ipse faceret, iusserit, 2. Reg. 6. capite. De primis Christianis uide in historijs Ecclesiasticis. *Rom. 12.*

Sed obiecerit quisquã uerba Dauidis, quibus Psalmo 139. dicit: Non' ne odientes te Domine, odio prosequor, & in eos qui aduersum te insurgunt, excandesco? Consummato odio odi illos, inimici facti sunt mihi: hinc colligendum putans, rectè posse pium hominem inimicos suos odio prosequi, si illi sint impij. Vtpote si Christianus, uiuens inter Turcos, nominis Christi hostes, uel aliàs inter impios ac pseudochristianos ueritatis Dei osores, illosq; patiatur inimicos, nõ esse illi illicitum, si eos uicissim odio prosequatur. Deinde, cum hoc sit dilectionis ingenium, ut qui diligit bonos, ex oppositio odiat malos, quemadmodum iusticiæ dilectio odium gignit iniusticiæ, etiam hoc nomine posse uirum iustum odio prosequi inimicos suos, tanquam homines malos. *Obijciuntur uerba Dauidis Psal. 139.*

Respondeo, uerba Dauidis non fauent odio inimicorum nostrorum. Aliud est impios ut

Aliud est Dei, & aliud nostros inimicos odio prosequi.

inimicos Dei, & ut malos: & aliud, ut nostros inimicos odio prosequi. Odiẽtes te Domine, inquit, oderam, & in eos qui aduersum te insurgunt, excandesco. Erant illi utiq; & ipsius inimici, quemadmodum dicit, Et inimici facti sunt mihi: haud tamen ob id eos odio prosequebatur, quòd ipsius essent inimici, seq; persequebantur: sed quòd essent osores Dei, & aduersus illum insurgebãt. Hoc illi odium ex insigni dilectione Dei nascebatur, non ex amore suijpsius. Qui seipsum impensius amat, is utiq; inimicos suos odio prosequetur: qui uerò non seipsum, sed Deum diligit, is sùos inimicos diligere potest, Dei uerò nequaquam. Multum ergo refert,

Refert, unde nascãtur odiorum causæ.

unde nascantur odiorum causæ. Nam secundum illas de odijs & inimicitijs nostris iudicabitur. Facilè præteximus maliciam & impietatem inimicorum nostrorum, quos odimus: uerùm non ita facilè diligimus bonos & pios, ut bonos ac pios: quos omnino diligeremus, si malos & impios, non ob id quòd inimicantur nobis: sed propterea quòd mali sunt & impij, odio prosequeremur. Deus autem est qui scrutatur corda ac renes, ipsas uidelicet dilectionis & odij sedes, quem fallere poterit nemo, quicquid uerbis prætexat. Cæterùm quomodo sine dilectione inimicorum non possit constare dilectio proximi, annotauimus in Matth. cap. 5.

DE DILECTIONE FRATRVM.

TErtiam præceptæ nobis dilectionis speciem diximus esse φιλαδελφίαν, id est dilectionem fratrũ, qua nos mutuò diligamus, qui Christiani uocamur, ac de uno Deo patre gloriamur, cuius sumus in Christo filij, & inter nos fraterna propinquitate coniuncti.

Præceptũ Christi, de fraterna dilectione, Ioan. 13. & 15.

De hac dilectione pręcipit nobis, qui illius est author, causa & fundamẽtum, Christus unigenitus, Dei communis noster Dominus ac Seruator, Ioan. 13. dicens: Filioli, adhuc paulisper uobiscum sum. Quæretis me, & sicut dixi Iudæis, quò ego uado, uos non potestis uenire: ita & uobis dico nunc. Præceptum nouum do uobis, ut diligatis uos mutuò, sicut dilexi uos, ut & uos diligatis uos mutuò. In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei sitis, si dilectionem habueritis inter uos mutuam. Et cap. 15. Hoc est pręceptum meum, ut diligatis uos mutuò, sicut dilexi uos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam quis ponat pro amicis suis. Et ibidem tertiò repetit, dicens: Hæc præcipio uobis, ut diligatis uos mutuò.

Præceptum hoc in Commentarijs nostris super Ioannem, quãtum satis uisum est, exposui mus, ac simul quæ de illo considerari possunt annotauimus: quibus quæ sequuntur, adijcienda existimamus.

An sublata sit generalis dilectio.

Principiò, nascitur hic quæstio, an hoc nouo Christianæ charitatis præcepto sublata sit è medio generalis dilectio, qua lege Dei proximos diligere iubemur: quemadmodum successione Noui testamenti sublatum est uetus, in quo de diligendo proximo præcipitur.

Specialior dilectio generalem non tollit.

Respondemus paucis. Specialior dilectio generalem non tollit, quemadmodum neque ea quæ naturalis est, euacuata est per legalem: & specialis amicorum, consanguineorum, parentum, filiorum, coniugum, fratrum ac sororum coniunctio eam non tollit, qua ciuis ciui, & homo homini lege naturæ coniungitur. Sicut ergo non impedimur in rebus humanis, quominus domesticos nostros pręcipuè diligentes, diligamus etiã conciues: ita nec in regno Christi impedimur, quo minus generaliter diligamus omnes homines, etiam inimicos, licet Christiani existentes Christianos arctius complectamur. Christianismus, quemadmodum non facit, ut nec parentes, nec fratres, nec cõiuges, nec cognati, nec ciues, nec homines in medio hominum uiuentes simus: ita nec dilectionem tollit, qua diligamus eos, quibus aliqua ratione coniungimur. Sic Apostolus, licet Christianam beneficentiam erga domesticos fidei nostræ præcipuè exercendam esse hortetur: tam abest tamen, ut generalem erga omnes prętandam à studijs Christianorũ eliminet, ut illam disertè requirat, dicẽs: Dum tempus habemus, operemur quod bonum est erga omnes: ac tum subiũgat, Maximè autem erga domesticos fidei, Gal. 6. In summa, quatenus homines sumus, omnes homines tanquam naturæ nostræ consortes, ut populus Dei, Dominum Deũ nostrum, ut coniuncti coniunctos ac proximos, ut Christiani Christianos diligamus.

Quare dederit nobis Christus hoc præceptũ.

Deinde uideamus, quare nobis præceptum hoc fraternæ dilectionis dederit Christus. Magnam lucem adfert seruandis Christi pręceptis, si rationes illorum considerẽtur. Sunt autem præsentis præcepti uariæ causæ.

Diligens Christus, dilectis discipulis mutuã dilectionẽ præcepit.

1 Prima est ex eo qui dilectionem hanc præcipit, ipso uidelicet Christo, & ex conditione eorum quibus illam præcipit. Diligebat eos, quibus præcipiebat, ut se mutuò diligerent: Sicut ego, inquit, dilexi uos. Et initio capitis, Cum dilexisset suos, inquit Euangelista, usq; ad finem dilexit eos. Præcepit ergo diligens Dominus dilectis discipulis. Quid igitur illis conuenientius præcepisset, quàm dilectionẽ hanc, qua ipse erga eos omnes ac singulos afficiebatur? idq; duplici nomine. Primò, ut quod faciebat ipse, illi quoq; facerent. Diligebat eos, ideo uolebat ut & ipsi diligerent eosdem. Deinde, ut singuli chari essent & accepti fratribus, perinde atque ipsi erant chari. Vtrunq; hoc requirebat morum similitudo, propter singularem connexionẽ, qua inter se erant coadunati.

Dilectio facit ad conciliationem.

2 Secunda causa hæc est. Conueniebat hoc genus præcepti ei præcipuè, qui ad hoc uenerat in

in mundum, ut nos cum Deo conciliaret. Habet enim dilectio communicationem quandam cum diuina natura, quò respicit Ioannes in Canonica sua, cum dicit: Deus est dilectio, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in ipso. Ipse Christus per dilectionē patris ad nos missus uenit. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, inquit, ut filium suum unigenitum daret. Venit ille, ut nos cum Deo coadunaret. quò potissimum facit dilectionis uirtus, quæ rectè spiritus Dei uocari potest. Non possumus quidem sine fide Deo placere ac coniungi: & tamen si fides detur, quæ dilectionis huius sit expers, nemo sibi polliceatur, quod per illam Deo possit coniungi. Potissima coniunctionis uis in eo est, quod utrinq; in partibus coniungendis, Deo uidelicet & nobis, magis quàm in eo quod uel in Deo duntaxat, uel in nobis tantū reperitur. Omnipotentia nihil in nobis loci habet, in Deo tantùm tota ac perfecta existens. Nō est ergo sic illa comparata, ut per eam Deo iungamur, quamuis non sit omnino ab hoc opere excluſa. Fides dono Dei locum habet in nobis: in Deo non habet, cui omnia sunt aperta, manifesta, & præsentia. Neq; in hac igitur Deo coniungimur, licet illi nisi credamus, haudquaquam iungamur. Dilectio uerò sic est comparata, ut in Deo sit, & per hunc nobis inseratur, efficiatq;, ut illi bonitatis ac dilectionis ingenio conformemur. Materiam hanc attingit Christus Matth. 5. ubi de præcepto dilectionis disserit. Perfecta dilectio, & per dilectionem coniunctio est (ut hanc simili aliquo declarem) quando nemo in domo est, qui non diligat domesticos omnes, & uicissim diligatur ab omnibus. Vt cum paterfamiliâs diligit uxorem, liberos & domesticos suos omnes, & uicissim illum diligunt omnes, uxor, liberi, ac domestici, & sese mutuò cuncti ac singuli. Sic est perfecta charitas in domo Dei, quādo nos inuicem diligimus omnes, & à Deo ac Christo filio eius diligimur omnes, ac utrunque uicissim diligimus omnes. Igitur hæ duæ causæ, personam Christi, ac dispensationem à patre acceptam, propriè cōcernunt: ut nihil potuerit conuenientius præcipere discipulis Deo patri conciliandis, quàm ut sese mutuò quàm arctissimè diligerent.

3 Tertia causa est, quòd mutua dilectio cōpetit unitis. Qui Christi sunt, in fide, ueritate ac gratia Dei sunt uniti. Conuenit igitur, ut mutuò sese, tanquā unanimes, in Christo diligāt, in quo sunt coniuncti. Qui diuersa studia sectantes à se inuicem dissident, non possunt sese mutuò diligere. Nam ut similitudo conciliat amorem, ita dissimilitudo parit odium. Quare non est amor dissidentiū, sed unitorū. Cū ergo Christiani in uno Deo ac patre, uno Domino Christo filio eius, una fide, una spe uocationis, uno baptismate, unoq; spiritu sint uniti ac fratres: quid illis peculiarius ac conuenientius præcipi potest, quā ut sese inuicē quàm arctissimè diligāt? *Mutua dilectio conuenit unitis.*

4 Quartò. Et ipsa dilectionis efficacia & operatio talis est, ut rectè nobis à Christo ꝓcipiatur. Primū enim eos qui uniti inter se sunt, in concordia conseruat. Nam tollit ea quæ unitatem diuidunt, ac fraternam concordiam dissoluunt: utpote, impatientiā, Pharisaicam inhumanitatem, & hypocriticam seueritatem, inuidentiam, temeritatem ac procacitatem, inflationem, inhonestas actiones, studium proprij commodi, facilitatem exacerbādi, suspiciones sinistras, delectationē in malo, diffidētiam ac desperationē. His enim uitijs dissoluitur unitas fraterna, unde & Apostolus illorum 1. Cor. 13. meminit, ubi dilectionis ingenium describit. Et Eph. 4. dilectionem, unitatē, ac uinculum pacis coniungit. Et Colos. 3. dilectionē uinculum perfectionis uocat. Quin & publica nationū odia, qualia fuerunt inter Iudæos, & Samaritanos, & Gentes, tollit dilectio, quæ est ex spiritu Christi in cordibus fidelium. *Efficacia dilectionis.*

Disputant hodie multi de concordia & unitate Ecclesiastica, & hāc quærunt in conformi externarū ceremoniarū obseruantia. Quāto melius ad Christianā hanc dilectionē rediremus omnes? Neq; enim sita est in ritibus uera Christianorum concordia, sed in unitate fidei, ac uera dilectione. Etiamsi ijsdem omnes cucullis deformati incederemus, & eandem externæ cōuersationis regulam profiteremur: fieri tamen hac ratione nō posset, ut uerè cōcordes in Domino efficeremur, id quod ipsa docet experiētia. Vix enim uspiam acerbiora reperias odia, quàm in monasterijs, inter eos, quibus omnia externa conformia inter se esse uidentur.

Quàm autē unitatis conseruatio, quę per dilectionem est, necessaria sit ad propagationem ueritatis ac regni Christi, nemo cordatus est qui nō intelligat. Queritur alicubi Cōstantinus Imp. de dissidijs Episcoporum, quòd per illa propagatio Christianismi plurimum impediretur. Et notum est illud: Concordia paruæ res crescunt, discordia magnæ dilabuntur.

Deinde & in eo declaratur dilectionis efficacia, quòd quę necessaria sunt, tribulatis & egenis suppeditat. Est enim larga erogatrix & cōmunicatrix. Et hanc quoq; ob causam admodū est cōmoda Christianis, præsertim tēporibus tribulationū ac persequutionum, ne qui infirmi sunt, uel desperatione uel rerum penuria ad relabendum à sancta professione adigantur. Vbi in corde obtinet ista dilectio, non est ut dicat Christianus: Pauper sum, nō habeo quod dem. Diliget fratrem, & uel uerbis solabitur tristem, uel plorabit cum plorante, si non poterit aliud. Neminem quantumuis pauperem, quantumuis diuitem, ociosum & inutilem Regno Christi relinquet dilectio. Neque dicet, qui uerè diligit: Præceptum est ut diligam. Diligam igitur, nec opus est ut dem aliquid. Dilectio non quærit eiusmodi effugium. Nec dicet: Darem, si scirem quantum, & cui sit dandum. Hæc omnia moderatur dilectio. De usuris,

cum illę primùm Ecclesias Christianorum paulatim inficerent, à doctis plurimùm disputabatur. Eiusmodi disputationes haudquaquá essent necessariæ, si non refriguisset, iuxta uaticiniũ Christi, Christianorum dilectio. Nec de fide & operibus tãtopere altercaremur hodie, si uera essemus dilectione prædíti. Per hãc enim efficax esset fides, & omnis generis bona opera proferret. Quare huiusmodi disputationes satis arguũt, parum fidei ac dilectionis reliquum esse in Ecclesijs Christi, etiam inter eos qui de cognitione ueritatis plurimùm gloriantur.

Dilectio nunquam finitur.

5 Quintò, accedit & illud, quòd dilectio nunquá finitur, sed in futura quoq; uita durabit, in qua nec fides nec spes locum habere poterunt. Futuræ uitæ felicitas sine dilectione perfecta, Dei, Christi filij eius, & inter nos mutua consistere non poterit: poterit aũt sine fide, spe, patientia malorũ, &c. Et hoc itaq; nomine rectè præcipitur fidelibus Christi ad uitá & felicitatẽ æternam electis, ut sese in hac uita mutuò diligant, ut sicut æterna uita, quæ per fidẽ dono Dei acquiritur, dum adhuc in hoc seculo uiuimus incipit: ita & ea hîc incipiant, quæ illi erunt in futuro seculo indesinenter coniuncta, ut sunt, dilectio Dei, Christi, & fratrum, pax & gaudium in Spiritu sancto, & doxologia Dei. Et hinc est quòd Apostolus 1. Corinth. 13. dilectionem hoc nomine extollit, quòd nunquá excidat. Possunt & aliæ rationes assignari, propter quas Dominus præceptum hoc mutuæ dilectionis discipulis ac fidelibus suis præceperit. Verũ si has quinq;, quas recitauimus, consideremus, abundè satis puto, patebit, esse hoc ab illlo præceptũ omnium pertinentissimè ijs, qui in ipsum credunt propositum.

QVOVSQVE FRATRES DILIGERE *debeamus.*

Sicut ego dilexi uos.

COnsequenter uidendum est, quousq; sese præceptũ hoc fraternæ dilectionis extẽdat, ac quatenus fratres diligere teneamur. Patet hoc in ipso præcepto Domini, ubi dicit: Sicut ego dilexi uos. Item, Maiorem dilectionem nemo habet, quàm ut animam suá quis ponat pro amicis suis. Ergo extenditur præcepti huius perfectio ad ipsum usq; Christi exemplum. Quæramus itaq;, quomodo suos & quousq; dilexit Christus. Quamuis sic est immensa erga nos illius dilectio, ut nequeat ampliudo & excellentia ipsius mente cõcipi, possumus tamen aliquot circumstantias considerare, atq; ita cognoscere, quomodo nos mutuò ad illius debeamus diligere exemplum.

Dilexit nos Christus prior.

Principiò, dilexit nos prior, nondum à nobis dilectus. Multum hoc facit ad commendationem germanæ ac synceræ dilectionis. Diligere diligentẽ, iustum quidem est & æquũ: at non tantæ bonitatis, quantæ est diligere nondum diligentẽ, & forsan nunquá uicissim dilecturũ: sicut maior est bonitatis uirtus, si quis benefaciat illis, à quibus nihil unquam beneficij accepit, nec fortasis recepturus est aliquándo. Quemadmodum igitur prior nos Christus dilexit, causasq; dilectionis suæ nullas à nobis accepit, sed ex patre: unde & Ioã. 15. dixit, Sicut dilexit me pater, ita & ego dilexi uos: ad eũ modum cõpetit & nobis, ut alius aliũ diligẽdo præueniamus, nec ullas dilectionis causas spectemus, q̃ hanc unã, quòd à Christo ipso quoq; priores dilecti sumus. Magnam laudem meretur quisquis prior est in bono, siue diligendo, siue benefaciendo, siue delicta condonando, siue reconciliationem inchoando, &c.

Diligit infimos, impios et peccatores. Rom. 5.

Deinde, cum sit omnium maximus, sanctissimus, iustissimus, ac potentissimus, haud tamen spernit, sed diligit infimos nullo sibi pacto cõparabiles, inglorios, impios adhuc peccatores & inimicos. qua de re uide Rõ. 5. Itaq; in mutua hac dilectione, quá nobis præcipit, nulla est cuiusquá tanta dignitas, tanta iusticia, tanta excellentia, tanta maiestas: nec rursus tãta cuiusquá est obscuritas, humilitas, imperfectio, indignitas, ruditas, &c. quæ non diligentem excusare queat. Tantum discriminis inter nos, qui Christi sumus nunquá reperietur, quantum inter diligentem Christum, & nos ab illo dilectos irrefragabiliter intercedit. Obseruent hæc illi potissimùm, qui reliquis sunt quocunq; pacto præstantiores, & in persona ac dignitate diligentis nos Christi discãt, quãm neminẽ ex Christianis, ne infimum quidem, à dilectione sua excludere debeant.

Diligit nos, nõ suo, sed nostro bono.

Tertiò, dilexit nos non suo ipsius, sed nostro commodo. Diligit oues & lupus, diligit & falsus pastor: sed uterq; ad uorandum. Verus pastor diligit oues suas, non suo, sed illarum bono. Dilexit nos non carnaliter, & aliquo nostro carnali commodo, sicuti parentes liberos suos amare solent: sed spiritualiter, & spirituali perpetuoq; nostro bono, ad uitá uidelicet æternam, ut cũ Deo patre recõciliati, in sempiternũ felices reddamur. Hactenus itaq; debemus & nos alius alium diligere, ut nos inuicem ad ueram felicitatem, quantum in nobis est, inducamus, instruamus & ædificemus. Interea non excluditur corporalis ac necessaria beneficentia, de qua mentio fit Matth. 25. qua & Christus ipse usus est erga suos, & hodie quoq; utitur. Ipsius enim sunt omnia, quibus etiam corporaliter utimur.

Diligit nos per seuerãter, & ardenter.

Quartò, diligit nos perseueranter, nec facilè abijcit, licet imperfectos, & quotidie delinquentes. Cum dilexisset suos, inquit Euangelista, qui erant in hoc mundo, in finem usque dilexit eos. Ergo nobis quoque præcipitur, ut constanter diligamus fratres.

Quintò,

Quintò, diligit nos haud leuiter ac tepidè, sed ardenter & excellenter, sic ut animam suam pro nobis in cruce posuerit. Sic ipse Ioan. 15. dicit Maiorem dilectionē nemo habet, quàm ut animam suam quis ponat pro amicis suis. Ergo à nobis quoq; requirit, ut perfectæ huic ipsius dilectioni fratres diligēdo respondeamus. Hinc illud Ioannis est, in Canonica ipsius cap. 3. Quoniam ille animam suam pro nobis posuit, debemus & nos animas pro fratribus ponere. Cogitemus hîc quàm ab hac dilectionis meta distemus, dum ne pecunias quidē & alia modici momenti bona, fratrum necessitatibus impendimus. Hactenus obiter attigimus dilectionis Christi circumstantias, etsi non omnes, tales tamen, quas si uera φιλαδελφία exprimemus, haud longè à proposita nobis dilectionis meta distaremus, à qua tamen adhuc absumus longissimè, quantumuis Christiani ac discipuli Christi uideri uolumus.

Sed dixerit hîc quisquam: Quomodo possibile est, ut ad metam hanc & excellentiam dilectionis Christi diligendo fratres perueniamus, qua ille nos ad mortem usq; dilexit? Quis nā Christianorum est, qui Christi poterit perfectionem diligendo adæquare? Hoc est præceptū meū, inquit, ut diligatis uos mutuò, sicut ego dilexi uos. Quis nā fideliū hoc prę̄stare poterit? *Quomodo præstari possit hoc præceptū.*

Respondeo: Non debet hoc, Sicut ego dilexi uos: sic intelligi, ut credamus nos per omnia incomprehensibilem dilectionis Christi excellentiam diligendo fratres posse adæquare: sed sciendum est, modum esse aliquem, quo dilectio nostra dilectioni Christi conformetur. Aliud aût est conformari dilectioni Christi, & aliud excellentiā illius adæquare. Neq; uocula illa Si cut, omnimodam ubiq; æquipollentiā & per omnia correspondentem æquiparationem notat. Matth. 5. dicit Seruator: Estote ergo perfecti, sicut & pater uester perfectus est. Et Lucæ 6. Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est. Quis adeò stupidus est, ut putet eā à nobis perfectionem & misericordiam requiri, qua diuinam illam & incomprehensibilē perfectionē ac misericordiā, cuius nec modus nec finis est ullus, ex ęquo exprimamus? Quid hoc aliud esset, quàm postulare, ut Christianus homo sit Deus, uel certè paria cū Deo faciat? Quē admodū nemo sic potest esse iustus, sic perfectus, sic potēs, sic misericors, sic bonus ut Deus, nisi sit & ipse Deus: ita nemo sic potest perfectè diligere ut Christus, nisi sit & ipse Christus. Interea tamen sicut dictis locis Matth. & Lucæ, modus aliquis perfectionis & misericordiæ in Deo proponitur, quem imitemur, qui est, ut sicut ille & dignis & indignis, & bonis & malis, & gratis & ingratis benefacit: ita nos quoq; non amicos tantùm, sed & inimicos diligamus, ut integra sit hactenus & perfecta dilectio ac misericordia: ad eum modum & hoc loco quędam sunt in dilectione Christi, quæ nobis ad illius exemplum imitanda proponuntur, ea uidelicet, quæ paulò suprà recensuimus. *Vocula Sicut.*

Dices: Atqui nec illa imitando assequor. Respondeo: Bene habet, quòd imperfectionē tuā agnoscis. Connitendum tamen est, & imploranda gratia spiritus Christi, deploranda etiā carnis nostræ corruptio, orandaq; uenia, quæ pœnitentibus ac lugentibus haud negatur.

Interea non est ut cogites, haud aliter diligi nos à Christo, quàm ipsi diligimus proximum. Non dicit, Sic ego diligam uos, sicuti uos mutuò alius alium diligitis: sed mandat, ut nos diligamus mutuò, sicut ab ipso diligimur. Dilectio Christi erga nos exemplum est, ad hoc nobis propositum, ut ad illud imitandi studio connitamur. Est hoc in se perfectum, & ordine quoque & excellentia prius. Quapropter non poterit fieri, ut formetur illud ad mensuram eius dilectionis, qua nos mutuò diligimus: sed nobis imponitur, ut illud sequamur. Nemo præceptor imperfectionem discipuli, in præscribendo quæ discenda sunt, imitatur: sed quā fieri potest, quæ præscribit, integra & elaborata proponit. Sic par est, ut dilectio Christi præceptoris ac seruatoris nostri, sit in se perfecta & absoluta: quandoquidē exempli uice proponitur, nec ad imperfectionem nostram minuatur: quę quantumuis sedulò connitamur, durabit tamen in hac uita, tempore uidelicet imperfectionis, donec quod perfectum est ueniat. Quemadmodum enim ex parte cognoscimus, dum adhuc in carne sumus, ita ex parte quoque diligimus, non modò proximos, ac fratres, sed & Deum ipsum. In futuro demū seculo & cognoscemus, & diligemus perfectè cùm Deum, tum nos mutuò. *Nostræ dilectioni nō conformatur dilectio Christi.*

Dum hæc dicimus, non patrocinamur carnalibus ac reprobis, sed imbecillibus cōscientijs consulimus, quas Christus ipse usq; adeo dilexit, ut mori pro ipsis uoluerit. Currēdum est unicuiq; pro uiribus ad propositam dilectionis metam, interim tamen nemo eousq; promouebit, ut gloriari possit, sic se fratres perfectè diligere, sicut à Christo diligimur: sed perpetua erit hæc piorum lucta, perpetuum studium, quo licet usq; ad propositam metam connitendi, & simul irremissa de imperfectione querela. Hactenus de triplici dilectione dictum est, φιλαδελφία uidelicet, φιλανθρωπία & φιλαδελφία, quantum in præsenti sufficere uidetur.

DE ORDINE DILIGENDI.

Error geminus ex Augustino, quod ordinē diligendi attinet.

QVærūt de ordine diligendi, & ex Augustino statuunt primū diligendū esse Deū, deinde nosipsos, tertiò proximū & fratres, quartò corpora nostra & proximorū. Scriptura de huiusmodi ordine inhil habet. Christus quidē dicit mandatū primū esse in dilectione Dei,

Dei, secũdum uerò tribuit non φιλαυτίᾳ, id est ei dilectioni qua nos ipsos diligimus, sed φιλητικῇ οἰᾳ id est dilectioni proximi, cum Math. 22. dicit: Secundum autem simile est priori, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Error igitur geminus hoc loco admittitur ab illis qui Augusti num non satis circumspectè sequuntur. Vnus in eo, quòd φιλαυτίαν adnumerant inter species præceptæ nobis dilectionis, cum nusquam ullum extet de illa præceptum. Naturaliter enim inest omnibus, ut nosipsos diligamus, ut non sit necesse quicquam de hac dilectione præcipere. Quòd autem illa corrupta est per habitans in carne nostra peccatum, ea corruptio non corrigitur præcipiendo, ut nosipsos diligamus, sed per dilectionem Dei, proximi & fratrũ: quæ ob id nobis est disertis pręceptis pręscripta, ut naturales in nobis diligendi affectus corrigat, & recto ordine dirigat. Quare timendum non est, ut qui Deum, proximum & fratres ritè diligit, seipsum negligat ac perdat, etiamsi totũ se abneget, & quantus quantus est gloriæ Dei, ac saluti proximorũ addicat. Alter in eo est, quòd φιλαυτίαν referunt in secundũ locum post dilectionem Dei, cum is disertè sit à Christo dilectioni proximi assignatus.

Nulla uirtutis conditio adiecta propter quam diligendus sit Deus, proximus & frater. Nõ excluditur specialis dilectio iustorum.

Priusquam locum hunc absoluã, de eo quoq; admonendus est Lector, quòd in tria illa prę ceptæ dilectionis diuisione, qua de hactenus diximus, nulla est adiecta uirtutis alicuius conditio, propter quam diligendus sit uel Deus, uel proximus, uel frater: sed simpliciter præceptũ ut diligamus Deũ ex toto corde, proximũ ut nosipsos: fratres, quemadmodũ dilexit nos Christus. Vbiq; adijcitur diligendi modus, eò spectans, ut quantũ nos attinet, syncera sit nostra dilectio. Quà in re admonemur, ut non tam inuestigemus, qualis sit proximus, & qualis frater, quàm ut utrunq; syncerè ac candidè diligamus.

Interea tamen non excluditur specialis dilectio iustorum, piorum ac bonorum, imò uigor primæ dilectionis requiritur. Quemadmodũ enim φιλαγαθὸς est Deus, diligens bonos, pios ac iustos: ita & illi, secundum ueræ dilectionis ingenium φιλαγαθοὶ sunt, qui Deum ueraciter diligunt. Diligit Deus iusticiam, odit iniquitatem: diligit bonitatem, odit maliciam: diligit humilitatem, odit superbiam. Eodem affectu prædíti sunt etiam isti. Diligunt & ipsi iusticiã, bonitatẽ, humilitatẽ, &c. ubicunq; illã repererint. Verùm interea non sunt scrupulosi fratrũ inquisitores, ubi necessitas poscit, ut dilectionis erga eos fructus proferant: sed spiritu dilectionis imbuti, ut uerè diligunt quosuis, ita & in quosuis beneficentiæ suæ studium exercent.

DE TIMORE DEI.

In quibus timor coniungẽdus sit dilectioni.

PVTO nos haud impertinẽter post locum de Dilectione, eum subijcere qui sit de Timore Dei, si respiciamus ad eam dilectionis speciẽ, qua Dominum Deũ nostrum diligere præcipimur. Est enim hæc ueræ ac syncerę dilectionis conditio, qua inferior superiorem suum diligere tenetur, ut diligat eum non contemptim, sed cum reuerentia, timore, ac debita subiectione: ad quem modum uxores, maritos, ac liberi parentes suos diligere simul ac reuereri debent. Diligunt & mariti uxores, & parentes liberos suos, uerùm nõ conuenit, ut eos timeãt. Neq; enim æquũ est, ut superior inferiorem se timeat: æquum uerò est, ut illum ex animo diligat. Diligit nos & Deus, & nos illũ uicissim diligimus. Quis aũt sic est demens, ut in illo requirat φιλανθρωπίαν cũ φοβερὰ βροντῇ coniunctã, quemadmodũ in nobis φιλοῖαν cũ φοβερᾳ cõiungi cõuenit? Requirit Apostolus ut uiri uxores suas diligant, Eph. 5. & uicissim præcipit, ut adolescentulæ uiros suos ament, Tit. 2. Nusquam aũt legitur præceptũ uiris, ut uxoribus suis sint reuerẽter subditi, sicuti uxoribus præcipitur, ut subditæ sint uiris. Timor itaq; coniungi debet dilectioni in subditis erga superiores, & non econtrà in superioribus erga subditos: cuius rei multæ sunt, ac prægnantes rationes. Quòd igitur locum hunc de timore Dei præcedenti subijcimus, referendum est ad eam speciẽ dilectionis, qua Deum diligere iubemur, ne quo pacto fiat, ut quẽ simul diligere ac timere tenemur, haud rectè diligamus, siquidem timore illius destituamur

I. QVID SIT TIMOR.

QVamuis propositũ non sit de timore simpliciter dicere, quæ in genere de illo multa possunt adferri in medium, sed ea tantùm annotare, quæ timorẽ Dei concernunt: existimo tamen aliquo pacto ad propositum facere posse, si paucis quid, & quàm necessarius, & unde, & quotuplex sit timor, annotauero.

Definitio timoris.

Definiunt illum esse metum appropinquantis mali, ac subijciunt metui: cuius species sunt pigricia, pudor, terror, timor, pauor, exanimatio, conturbatio, formido. Est autem pigricia metus consequentis laboris: terror, metus concutiens, unde est pallor, tremor ac dentium crepitus, sicut ex pudore rubor: pauor, metus animum consternatum reddens: exanimatio, metus pauorem subsequens, & ueluti concomitans: conturbatio, metus, ea quæ cogitata sunt excutiens: formido, metus permanẽs. Omnes hæ species sub metũ cadunt, inter quas est & timor,

quo

quo appropinquantia mala, uel quæ etsi non appropinquant, appropinquare tamẽ putamus, timemus. Et huius affectus prorsus est contrarius appetitui, quo quæ bona, utilia & iucunda sunt, uel esse putantur, affectamus, & cupidè expectamus. Vnde fit, ut plerũq; animi nostri inter spem ac timorem inter se luctantes, non sine graui molestia laborent.

Timor omnibus naturaliter inditus, & utilis ac necessarius.

Videntur autem nonnulli, meo iudicio, admodum inconsideratè timoris affectũ quasi inutilem, inhonestum, imò noxium, qui uirum sapiẽtem dedeceat, culpare, cum sit à Deo omni carni naturaliter inditus, & utilis etiam non modò rebus humanis, sed & religioni ac pietati, imò necessarius ac debitus. Tolle timorem mali, quis erit usus castigandæ iuuentutis & coercendi, per leges, ac suppliciorum minas, temeritatem reproborum? An est prẽter rationem dictum illud: Nõ audent peccare mali formidine pœnæ. & quod Apostolus Rom. 13 dicit: Si malè egeris, time: non enim frustra gladium gestat. In quem finem conscribuntur, leguntur, ac recitantur exempla eorum, qui uel malè uel imprudẽter agentes periclitati sunt, si nullus debet esse in nobis timoris usus, quo cohibeamur, & cauti reddamur, ne eadem patiamur & nos? Præcipit toties Scriptura, ut Deum timeamus: id quod haudquaquam faceret, nisi timor homini pio & utilis esset, & necessarius. Cũ ergo sit affectus timoris inditus nobis à Deo, perinde atque gaudij, amoris, spei, odij, &c. nec possit eo carere cùm humanæ uitæ societas, tũ ueræ religionis pietas, quis non uidet, quanta debeat illius haberi ratio? nec spoliandam esse naturã dotibus à Deo acceptis, ne omnia illius reddãtur elumbia & proiecta. Fieri nanque non potest, ut retineamus spem & amorem, si timore priuemur. Est enim res soliciti plena timoris amor, & spem timor consequitur. De hac præsenti uita loquor, aliàs in futura sic amabimus, ut interim nullus sit in nobis timori locus.

TIMOR MVLTIVARIVS.

Quatuor timoris genera.

ESt autem timor secundũ uarietatem eorum quæ timentur multiuarius. Potest tamen in quatuor cõmuniora genera diuidi, sic ut alius sit inopię, alius morborũ, alius ignominię, alius eorum quæ corporibus nostris per uiolentiã inferri possunt. Quemadmodũ enim amor est uarius, quo alij opes, alij bonã corporis ualetudinẽ, alij gloriã, alij uoluptates, & cõmuniter omnes uitã hanc amamus: ita nascitur etiam timoris uarietas. Is aũt magis nos cõcutit, qui alienę potentię metu impendet. Magno enim strepitu & tumultu uenit, ut Senecę uerbis utar. Ferrũ circa se & ignes habet, & catenas, & carcerem, & uarij generis torturas, & gladium, & cruces, & quicquid præterea commenta est sæuitia. Quare non est mirũ, si maximus huius rei timor est, cuius & uarietas magna, & apparatus terribilis est. Norunt tyranni ex humanæ infirmitatis consc ientia, quàm sint hęc terribilia carni, ideoq; usurpant ea ad cogendas subditorum mentes, & quæcunq; ipsis placent, extorquendum.

Tyrannicæ potentiæ metus.

Ab his autem timoris generibus segregandus est is, qui ex honesta ac debita superiorum dilectione nascitur, quo nihil timetur aliud, quàm offensa eorũ, quos nobis in omnibus benevolas habere cupimus. Sic timemus Deum cum primis, deinde liberi suos parentes, & uxores maritos suos reuerentur.

QVARE TIMOR DEI IN SCRIPTVris præcipiatur.

Præcepta timoris Dei.

DEut. 6 ac 10 præcipitur ad hunc modum: Dominum Deum tuũ timebis, ac illi soli seruies. Et Ios. 4. Timete Deum, & seruite ei. Et Psal. 34. Timete Dominum omnes sancti eius. Et Christus Matth. 10. Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna. Et 1. Pet. 2. Deum timete, regem honorificate.

Quæri poterit, cum sit timor eorum qui nos perdere possunt, omniũ cordibus naturaliter insitus, quorsum attineat præcipere de timore Dei, cum ille omnium sit potentissimus, atque ita naturali ductu timeri possit præ alijs omnibus?

Nõ esset opus præcepto timoris, nisi essemus naturâ corrupti.

Respondeo: Sanè sic habet. Nullo esset hic præcepto opus, si quos naturaliter insitos habemus, incorrupti nobis mãsissent affectus. Postquã uerò sunt illi corrupti, fit ut quemadmodũ peruerso amore amamus peiores, & odimus meliores, iuxta illud Basilij, ἀβέλτερος εἶ ἄνθρωπε καὶ μισεῖς τὰς ἀρίστους, καὶ φιλεῖς τὰς χείρονας: ita peruerso quoq; timore metuamus non metuenda, & mementa contemnamus, & quod omnium insanissimum est, timeamus homines, & non timeamus Deum. Est itaq; summopere necessariũ, ut ista in nobis timoris corruptio sanetur ac corrigatur, primùm præceptis, deinde & operatione Spiritus. Et hæc est ratio, cur præcipiatur nobis, ut Deum timeamus. Nam natura huc nequaquam propendemus, non rei ipsius, sed nostro uitio. Consimili ratione præcipitur Leuitici 19. de timendis parentibus: Vnusquisq;, inquit, patrẽ suum ac matrẽ suã timeat. Si perinde naturaliter timerent parentes suos liberi, sicut naturaliter à parentibus diliguntur, tam non esset necessarium hoc præceptum, quàm necessarium non est præcipere parentibus, ut liberos suos diligant: quandoquidem aliàs hoc naturali ductu faciunt, imò plus illos sæpenumero diligunt, quàm conuenit, ipsisq; conducit.

Leuit. 19. de timendis parentibus.

Iustis,

Iustis, inquit Apostolus, non est lex posita, sed iniustis. Si iusti hactenus essemus, ut Deũ timeremus, non esset posita nobis lex, quæ præciperet ut Deum timeamus. Quorsum enim attineret præcipere ac dicere diligenti, Dilige: timéti, Time? Dum igitur præcipitur nobis, ut Deũ timeamus, satis manifestè arguitur nostra corruptio: qua fit, ut quem cum primis & ante omnia timere debebamus, uix postremo loco alicuius faciamus.

QVOTVPLEX SIT TIMOR DEI.

Felices prædicãtur, qui Deũ timent.

LAudat quidem Scriptura, ac felices eos prædicat qui Deum timẽt. Timentes Dominum glorificabuntur, inquit Propheta. Et: Firmamẽtum est Dominus timentibus ipsum. Et: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentib. te. Et: Nõ est inopia timentibus eum. Et: Voluntatẽ timentiũ se faciet. Item: Beati omnes qui timẽt Dominum, & quæ huiusmodi multa in Scripturis leguntur: uerùm plurimũ refert quo genere timoris timeamus Deum. Non est enim idem in omnibus timor Dei, sed alius atq; alius, longè â se inuicem diuersus: qua de re pauca quædam annotanda uidentur.

Timor Dei triplex.

Communiter duplicem timorem Dei ponunt, seruilem uidelicet, ac filialem. Possumus assignare triplicem. Primum uidelicet eorum, qui dicunt in corde suo, Nõ est Deus. Secundum, eorum, qui Deum timent propter uindictam & ultionẽ, ubi audiũt eum esse iustum iudicem ac uindicem malorũ. Tertiũ eorum, qui timent eum ut patrẽ, metuentes ne ipsum offendant.

Timor eorum qui dicunt, Nõ est Deus.

Quod primum timoris genus attinet, dixerit quisquá fieri nõ posse ut Deum timeant, qui Deum esse non credentes in corde suo dicunt: Non est Deus. Sanè quemadmodum diabolũ non timet, qui omnia quæ de diabolo in Scripturis leguntur, pro fabulis habet, non credens esse diabolum (quomodo enim timeret, quem esse non credit?) ita uidetur fieri non posse ut Deum timeat, qui credens non esse Deum, inania iudicet esse commenta quæcunq; de Deo narrantur. Verùm si consideremus uim conscientiæ, quæ subinde in talibus quoq; fulgore ueritatis Dei nonnihil tangitur, negare haudquaquam poterimus, euenire illis sæpenumero, ut

Timẽt athei ne fortè sit Deus aliquis.

anxij metuant, ne fortè sit Deus aliquis, quãuis ipsi nullum esse putent: sintq; nimis uera, quę de iusticia ac iudicijs illius prædicantur, atq; ita futurum sit ut aliquando uindictam illius maximo suo malo experiantur. Eiusmodi cogitationes quis dubitat nonnunquá excitari in cordibus eorum, qui sibijpsis persuadere conantur, non esse Deum? At sic cogitare, quid aliud est quàm sensu aliquo timoris Dei tangi? Idem euenit & illis, qui quoniam nulla spe prẽditi sunt consequendæ futuræ felicitatis, toti in hoc sunt, ut persuadeant sibi non esse post hanc præsentem uitam expectandam aliam, nec fore iudicium aliquod, sed morte corporis nostri terminari omnia, ut de nobis nihil superfit amplius. Putamúsne illos conscientias habere posse perpetuò securas, sic ut nunquam metum gehennæ in cordibus suis experiantur, licet futurá illam negare conantur? Sanè quemadmodum facultatis nostræ non est, ut quæ credenda sperandaq; sunt, rectè credamus, & credentes immota spe expectemus, nisi cœlesti gratia ac spiritu fidei donemur: ita nec plena & consummata incredulitas sic est in nostra potestate, ut quæ credere nolumus, constanter ac perpetuò falsa esse sentire possimus. Nolint enim uelint impij, singulari consilio Dei subinde sensu ueritatis sic tanguntur, ut quantumuis in eo laborẽt, ut mentes suas in incredulitate confirment, omnemq; futuri iudicij metũ prorsus excludant, nihilo tamen minus frequenter compungantur, & anxij reddantur.

Timor pœnæ seruilis est.

Secundum timoris Dei genus eorum esse diximus, qui cõscientia Dei uicti credunt ac sciunt esse Deum, illumq; nõ tam amant ut Deum, quàm metuunt ut iustũ iudicem, qui meritis pœnis animaduertat in eos qui peccãt: perinde atq; seruus herum quidem suum agnoscit, uerùm non ita diligit atq; timet, propter conscientiam delictorum, metuens ne durius aliquid in se statuat. Hic timor seruilis est ac legalis, ad quem referendũ est illud Apostoli Rom. 8. Nõ enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. Spiritus seruitutis, spiritus seruorũ est, qui heros suos sic timent, ut seruiant illis non amore, sed metu pœnæ. Talis est spiritus eorum qui uiuunt sub lege, ac iusticiæ studeant secundum literam, & legalia præcepta: eoq; studio cauere se confidunt, ne seueritatem Dei tanquá iusti iudicis experiri cogantur, id quod non facerent, nisi ultionem metuerent.

Timor offensæ, timor est filiorum.

Tertium genus timoris Dei est, quo electi ac uerè pij Deũ uenerantur ac colunt ut patrem, obseruantes uoluntatis illius cum reuerentia, & unicè metuentes, ne quo pacto illum offendant, propter amorem, quem erga ipsum habent. Differunt isti à præcedentibus perinde atq; casta ac fidelis uxor, mariti sui amans, differt ab adultera. Maritos suos timent utræq;, sed dispari ratione. Illa, ne animum eius offendat, & à se abalienet, id quod ipsi omnium esset molestissimum, propter amorem, quo erga ipsum coniugaliter afficitur: ista, ne perfidiæ suæ pœnas dare cogatur, quas magis metuit quàm illius offensam, quia corde erga ipsum est haud syncero. Prior ægrè fert mariti sui absentiam, & aduentum illius expectat magno desiderio: posteriori uerò admodum molesta est uiri ipsius præsentia, iucũda uerò absentia, & ingratus reditus, quem nõ expectat cupidè: sed metuit, ne citius quàm uelit, ad se domum reuertatur.

Consimili

Consimili discrimine differunt à se inuicem qui Deũ seruiliter, & non nisi metu pœnæ timẽt, & qui illum affectu ac spiritu filiorum tanquâ patrem metuunt ac reuerentur. Horum timor in Scripturis uocatur timor sanctus, & ad ipsum referendâ sunt quę suprà in Scripturis de felicitate timentium Dei prædicari diximus.

Quomodo timor non sit in charitate, 1. Ioannis 4.

Hunc timorem Dei non excludit charitas: sed magis, quantumuis sit magna, gignit. Quare de illo intelligendum non est, quod 1. Ioan. 4. sic legitur: Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habẽt. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Loquitur enim ibi Apostolus de timore extremi diei, in quo uenturus est Dominus ad iudicandum: id quod ex præcedentib. patet, ubi dicit: In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciã habeamus in diem iudicij: quia sicut ille est, ita & nos sumus in hoc mundo. His dictis subiungit: Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. quasi dicat: Quia sic comparati sunt, qui uerè diligunt Dominum, ut non timeant, ne ueniat dies ille iudicij, in quo rediturus est ad nos Dominus, sed hunc magis optẽt, & cũ bona fiducia expectent. Sic ergo fiduciam tribuit dilectioni, ut timorem qui cũ illa stare non potest, excludat. Quis dicet eum populum uerè diligere suũ principem, de cuius sibi timet aduẽtu? An non potius optat fidelis populus, ut quàm primùm redeat ad se princeps ipsius, præsertim si reditus illius facturus sit ad plenam regni possessionem, omniumq; inimicorum ac rebellium expulsionem? Hoc sanè sensu uerissimum est quod dicit Ioannes, timorem non esse in dilectione perfecta.

Timorẽ mundi non esse in dilectione Christi ac fratrum.

Addam & illud. Vrget Apostolus ille perpetuò, ut Christianus Christianũ diligat, idq; non uerbo tantùm, sed & opere. At erat illud tum temporis cum periculo coniunctum. Erant enim in hoc mundo Christiani eo prorsus loco, quo erat Christus, omnium uidelicet odijs expositi: id quod ipsis Dominus prædixerat, dicens: Hæc mando uobis, ut diligatis uos inuicẽ. Si mundus uos odit, scitote quia me priorem uobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum esset, diligeret. Quia uerò de mundo non estis, sed ego elegi uos de mundo, propterea odit uos mundus. Item: Si me persequuti sunt, & uos persequentur. Si sermonem meum seruauerũt, & uestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient uobis, propter nomen meũ, &c. Sic fiebat ut multi Christiani, timentes mundum magis quàm diligentes Christum, cunctatiores essent in diligendo, complectendo, accipiendo, fouendoq; fratres, metuẽtes ne propter illos obnoxij redderentur odijs mundi ac persequutionibus. Hoc genus timoris non est in dilectione. Nam quãto magis diligit Christum ac fratres, qui Christianus est, hoc minus timet mundũ, & eos qui corpus occidere possunt. Quare & hoc sensu uerum est quod Ioannes dicit, Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Verum autẽ non esset, si de timore filiorum Dei, quem uera gignit charitas, intelligeremus. Nam ille permanet in seculum in cordibus piorum, iuxta illud Psal. 19. Timor Domini castus uel purus, permanens in seculum: & usqueadeò diuinæ Maiestati placet, ut uolũtatem sic se timentium faciat, secretaq; sua illis reuelet.

VNDE SIT TIMOR DEI.

Timorem Dei esse ex dono et spiritu Dei.

PErtinet timor Dei ad affectus cordis, quemadmodum & spes, & amor, & gaudium. Refert autem plurimùm, quale sit cor, ad hoc ut timeat homo Deum, quem non uidet: non minus quàm ut diligat eum, cum ęgrè diligat proximum, quem uidet. Reipsa experimur non esse timorem Domini quorumuis, ideoq; haud nasci illũ ex carne: unde rectè statuimus, esse illum ex dono ac spiritu Dei. Et hoc sacræ quoq; Scripturę testantur. Sic enim Hieremiæ 32. legimus: Dabo eis cor unum & uiam unam, ut timeant me uniuersis diebus, & bene sit eis & filijs eorum post eos. Et feriam cũ eis pactũ sempiternum, & nõ desinam eis benefacere, & timorem mei dabo in corda eorum, ut non recedant à me, & lætabor super eis, cum benefecero eis. Ecce cor timendi Dominum datur à Domino. Et Iesaiæ cap. 11. legitur ad hunc modũ: Et egredietur uirga de caudice Isai, & surculus de radicibus eius crescet. Et quiescet super eũ spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intelligentiæ, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & timoris Domini.

Ex hisce duobus sacræ Scripturæ testimonijs colligimus, primùm, cor timendi Dominum dari à Domino. Non est igitur ex uiribus carnis, sed singulare donum Dei.

Deinde eos qui hoc dono Dei potiuntur, haud inconstanter & modico tempore, sed uniuersis diebus suis timere Dominum. Tertiò, esse eos sempiterni pacti Dei participes.

Quartò, esse eos felices, non ipsos modò, sed & filios ipsorũ. Vt bene sit eis, inquit, & filijs eorum post eos. Et: Nõ desinam eis benefacere. Item: Et lætabor super eis, cũ benefecero eis.

Quintò, spiritũ Domini, in uirga & surculo Isai: id est, semine Dauidis Christo, quiescentẽ, esse spiritum ut sapientiæ, intelligentiæ, consilij, fortitudinis & scientiæ: ita & timoris Domini, non tam quòd hæc in persona Christi operetur, quàm quòd dona hæc in corda fidelium Christi effundit. Sed hac de re uide in Commentarijs nostris, Iesaiæ undecimo. Idem spiritus

Dei, qui ſpiritus eſt ſcientiæ Dei, fidei, ſpei & dilectionis, eſt etiá timoris Dei, in electis ac fidelibus. Loquimur autem de timore caſto & ſancto, quo de articulo præcedenti diximus.

Vnde ſit timor ſeruilis.

Seruilis autem metus alijs quibuſdam medijs etiam carnalibus hominibus incutitur: utpote uel uiſu & auditu, uel ſignis, uel exemplis, uel intenta conſideratione potentiæ ac ſeueritatis Dei.

Viſu & auditu fulgurum ac tonitruorum, quibus terrentur animi etiam reproborum. Tale erat, quod Iſraeli euenit Exodi decimonono & uigeſimo capitibus, quum audirent in monte Sina tonitrua ac clangorem buccinæ, uiderentq; fulgura, & nubem denſiſsimam, & montem horribiliter fumantem & ardentem, atq; ita uehemẽter perterrefierẽt. Erat enim conſiliũ Dei hiſce medijs timorem ſui populo duro incutere. Vnde & Moſi dicebat: Congrega ad me populum, ut audiant ſermones meos, & diſcant timere me omni tempore quo uiuent in terra, doceantq; filios ſuos. Deuter. quarto, ubi & ſequitur: Et acceſsiſtis ad radices montis, qui ardebat uſq; ad cœlum, erantq; in eo tenebræ, nubes & caligo, loquutusq; eſt Dominus ad uos de medio ignis.

Signis quoq; potentiæ ſuæ erga populum illum uti ad hoc uoluit, ut ſe timerent. Sic Ioſue 4. duodecim lapides de medio Iordanis ſumptos erexit Ioſua ad hoc, ut eſſent ſigna potentiæ Dei, qua populum ſuum ſicco pede per alueum Iordanis traduxerat, uiſisq; illis diſcerẽt omnes terrarum illarum populi, & ipſe quoq; Iſrael, fortiſsimam manum Dei agnoſcere, illumq; timere. Vide locum ipſum.

Exempla quoq; potentiæ Dei, qua pij de multis & magnis malis eripiũtur, & impij cum ſomine ipſorũ perduntur, in ſacris Scripturis in hunc uſum proponuntur, ut qui illa uiderint, timere Deum, ac potẽtiam eius reuereri diſcant. Sic Pſal. 40. dicit Propheta: Videbũt multi & timebunt, & ſperabunt in Domino. Quid uidebũt? Præmiſit hoc, dicens: Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exaudiuit preces meas: & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fecis. Et ſtatuit ſupra petrã pedes meos, & direxit greſſus meos. Et Pſal. 52. Quid gloriaris in malicia q potẽs es in iniquitate, &c. Propterea deſtruet te Deus in finẽ, euellet te, & emigrare te faciet é tabernaculo tuo, & radicẽ tuã de terra uiuẽtiũ: uidebũt iuſti, ac timebũt, &c.

Et intenta potentiæ ac ſeueritatis conſideratio & ipſa plurimùm facit ad imbibendũ timoris Dei affectum. Vt ſi cogitet homo quanta ſit potentia Dei, qua ille poteſt non modó corpora occidere, ſed & animam & corpus perdere in gehenna, Matt. 10. non poterit illũ nõ timere.

Et huc admodũ ſeruit ſeria lectio ac meditatio uerbi Domini, unde & de Rege populi Dei ſic præcipitur Deut. 17. Poſtquam autem ſederit in ſolio Regni ſui, deſcribet ſibi deuteronomium legis huius in uolumine, accepto exemplari à ſacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus uitæ ſuæ, & diſcat timere Dominum Deum ſuum, &c. Sed hactenus obiter de hoc articulo, unde ſit timor Dei, dictum eſto.

QVOMODO TIMOR DEI DIVInitùs ordinetur.

TImorem, de quo loquimur, diximus eſſe donum Dei. Nõ ſolùm autẽ dona ſua Deus largitur mortalibus, ſed & diſpenſat illa certo quodam ordine, pro ſingulari ſua prouidentia, qua omnia ſaluti noſtræ prudentiſsimè accommodat. Sic & timorem ſui competenti ordine ac moderatione diſpenſat, dũ illi primùm tribuit conuerſionis gradũ, facitq; ut qui increduli fuerant & contemptores numinis, timere ac reuereri incipiant eum, quem antea cõtemſerãt, quem poſtea timorem affectus dilectionis ſequitur: quo propius cognitam ipſius bonitatẽ paulatim magis ac magis diligere, bonaq; ab illa fiducia pẽdere, ac laudis illi ſacrificiũ offerre incipiant. Ad hunc modũ per timorem Dei aperitur oſtium cordis humani ad cõuerſionem ac ueram pietatem: ut rectè Auguſtinus alicubi comparet illum ſetæ, quæ ubi ingreſſa fuerit, trahit poſt ſe filum ſutorium, unde conſuatur quod antea fuerat diſiunctum.

Primum cõuerſionis gradum eſſe in timore Dei.

Timorem Dei ſimilẽ eſſe ſetæ ſutoriæ.

Et ordinata hæc timoris Dei diſpenſatio in Iſraele ſic eſt declarata, ut primùm in illo gradũ habuerit. Neq; enim dilectionis in monte Sina, ſed timoris ſpiritum, ueteri & elemẽtario Teſtamento cõuenientem acceperunt, in quo perinde atq; pueri ſub pædagogia ac diſciplina legis erant erudiendi & inſtituendi, donec ad libertatis tempus peruenirent, & ſpiritum dilectionis, qui eſt filiorum, conſequerentur: de quo Apoſtolus ſic ſcribit, Nõ enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorũ Dei, in quo clamamus Abba pater. Quibus uerbis ſatis indicat, ſic fuiſſe conſilio Dei diſpoſitum, ut populus ueteris Teſtamenti ſub ſeruitute legis cõſtitutus, timoris ſpiritu ageretur: Noui uerò ſpiritu filiorũ qui eſt ueræ dilectionis ac libertatis, duceretur. Quõ pertinet & illud Ebr. 13. quod ad credentem Noui teſtamenti populum ſcriptũ eſt: Non enim acceſsiſtis ad cõtactũ montem, & incenſum ignem ac turbinẽ, & caliginẽ, & procellã, tubęq; ſonitum & uocẽ uerborũ, quam qui audierant deprecati ſunt, ne his adiungeretur oratio. Non enim ferebant, quod edicebatur: Si beſtia tetigerit montem, lapidabitur, aut iaculo cõfigetur: &, Adeò terribile erat uiſum

Spiritus timoris Iſraeli datus.

quod

quod apparebat. Moſes dixit: Expauefactus ſum ac tremebũdus, ſed acceſsiſtis ad montẽ Sion, & ad ciuitatẽ Dei uiuẽtis, Hieruſalem cœleſtem, &c. quibus uerbis diſcernitur inter uetus ac nouum Teſtamentum ſub figuris Sina ac Sion: exprimiturq; quãto cum timore dedicatũ fuerit prius, & quàm diuerſimodus ſit ad poſterioris communicationem acceſſus.

Quin & Noui teſtamenti initia ſuum habuêre timorem. Nam & Hieroſolymis tale quid euenisse legitur, cũ nominis Chriſti gloria multis ſignis ac prodigijs quotidie magis ac magis in omnium oculis inclareſceret. Ad hunc enim modum Act. 2. legimus: Et erat omni animæ timor. Multa quoq; prodigia & ſigna per Apoſtolos ſic ædebantur, ut metus magnus eſſet uniuerſis. Et ij quibus dabatur ut Euangelio Dei crederent, initio conuerſionis ſuę audita prædicatione Petri compungebãtur, timore uidelicet, quem ex illa conceperant, dicentes: Quid faciemus uiri fratres? Et ex ultione Ananiæ ac Sapphiræ magnus timor ſuper uniuerſam congregationem, & cæteros quoq; oriebatur, Act. 5. Verũm hunc timorem ſequutus eſt ſpiritus dilectionis ac filiorum Dei tam potẽs, ut & abnegare ſeipſos, & accepta cruce ſua Dominum ſequi, & omnia pro nomine illius perpeti non dubitauerint.

Initia Noui quoq; teſtamẽti habuiſſe timorẽ. Act. 2.5.

Non eſt autem prẽter rationem, quòd ſic eſt diuino conſilio ordinatum, ut non dilectio timorem, ſed timor dilectionem præcedat (loquor hic non de timore quem filialem uocãt, qui ex amore naſcitur: ſed de eo quem ſeruilem uocamus) & initiũ cõuerſionis faciat. Etenim eiuſmodi timor, qui ex ſenſu potentiæ, iuſticiæ ac ſeueritatis Dei mentibus mortalium incutitur, quaſi cuſtos quidam eſt debitæ obſeruantiæ ac reuerentiæ, per quẽ cauetur, ne ſequens dilectio negligentiam ac præpoſteram ſecuritatem poſt ſe trahat. Eſt enim uehementer procliue, ut animus nũquã aliquo Maieſtatis Dei ſenſu perculſus, ubi de bonitate illius initio cõuerſionis ſuæ perſuadetur, atq; ita illũ incipit diligere, quem nunquam timuit, tandem ſuſq; deq; faciat, quem & amare & reuereri debebat. Videmus parum ſecunda eſſe & felicia coniugia, quorũ initia aliena ſunt à timore ac reuerentia ſpõſæ erga ſponſum. Vbi uerò ſponſa primùm reueretur ſuũ ſpõſum, experiturq; certis argumẽtis futurã illius poteſtatẽ ac maieſtatẽ, ex eiuſmodi primordijs conſtans ſperari poteſt coniugalis amor pariter & obſeruantia.

Conſiliũ Dei eſt, ut timor dilectionem præcedat.

Et præterea, ut pueris educandis utilior eſt ſpiritus timoris, quo pædagogi ſint præceptis obſtricti, & ueluti metu uirgæ in diſciplina contineantur, quàm ſpiritus libertatis: ita cõparatus eſt & timor Dei in elementarijs, ac rudibus Chriſtianis, qui haud ſunt aliter inſtituendi quàm pueri elemẽtarij, nec aliter ipſis quàm illis cõducit, ut ſub timore Dei cõtineantur, donec accepto amplioris fidei, ſpei & charitatis ſpiritu, non ſint amplius elementarię ac ſeruilis diſciplinæ capaces. Planè peruerſus eſſet inſtituẽdi hominis ordo, ſi puericiæ illius detur ſpiritus libertatis, uirili uerò ætati ſpiritus timoris ac ſeruitutis.

QVAE SIT EFFICACIA TIMORIS DEI.

QVoniam timorem Dei donum eſſe conſtat, quod ab ipſo ſolo detur, ac ſingulari conſilio & ordine diſpẽſetur, facilè cogitari poteſt, oportere ipſum eſſe utilem & ad ſtudiũ pietatis efficacem. Licet enim neminem reddat perfectum, ea tamen facit, ſine quibus ad perfectiora aſcendi non poteſt. Quare de efficacia illius obiter ſaltem annotandũ uidetur.

Si cõſideremus, quid in diſcipulo faciat timor præceptoris, poterimus ex ea imagine diſcere, quid in homine non reprobo faciat timor Dei. Principiò, timor præceptoris cohibet diſcipulum, ne præceptorem ſuum contemnat, neue uel ſecurus ſit in negligentia ſua, uel temerè ſe ſcire præſumat, quæ nondum didicit. Deinde, reddit illum attentum ad audiendum, ac ſedulum ad diſcẽdum. Tertiò, cautum ac ſollicitum facit, ne quid præceptorum tranſgrediatur, fiatq; dignus qui uirgam diſciplinæ experiatur. Quartò, reddit eũ præceptori acceptũ. Quintò, tandem efficit, ut amans fiat literarum eruditionis, ac præceptoris, euadatq; in hominem doctum & eruditum.

Simile timoris quo diſcipulus præceptorem ſuum timet.

Conſimili modo timor Dei, cum primis excludit cõtemptum Dei, ac præpoſteram carnis noſtræ ſecuritatem: nec locum permittit falſæ perſuaſioni, qua de propria iuſticia præſumamus. Nemo facilè ſuſq; deq; facit eum quem timet, nouitq; eſſe ad uindicandum potentiſſimum. Nemo ſecurus de eo poterit eſſe, quem timens ubiq; nouit eſſe præſentem, nec ulla in re poſſe falli. Nemo de propria iuſticia cõfidit, qui peccatorum ſuorum conſcius timet eum, quem nõ ignorat omniũ eſſe iuſtiſsimum iudicem. Hæc nihil loci habere poſſunt in homine, qui Deum uerè timere cœpit.

Timor excludit contemptũ Dei.

Deinde reddit timor Dei hominem attentum ad percipiendum eloquia Dei, diſcẽdumq;, quid faciendum ſibi ſit, quo ſe uoluntati ipſius accommodet: qua in re principium eſt ſapientiæ iuxta illud: Initium ſapiẽtiæ timor Domini. Cum Paulus cœlitùs eſſet proſtratus, ac timore Domini perculſus, dicebat: Domine, quid me uis facere? Et populus ad prędicationem Petri perterre factus & compunctus, mox quid faciendum ſibi eſſet, interrogabat.

Reddit docilẽ, ut quæ ſit uoluntas Dei diſcatur.

Tertiò, ex timore Dei eſt ſtudiũ fugiẽdi ea quæ mala ſunt, Deoq; diſplicẽt. Sic Pro. 14. legimus:

Gignit ſtudiũ fugiẽdi ea quæ ſunt mala.

mus: Sapiēs timet, & declinat à malo. Et Pro. 8. Timor Domini odit malum. Et cap. 15. 16. Per timorem Domini declinet omnis à malo. Sic obstetrices Ebræorū præcepto Pharaonis, quo in partubus Ebręarum mulierum mares occidere & fœmellas reseruare iubebantur, obedire detrectabāt, propterea quòd timerent Deum. Ad hunc enim modū Exod. 1. legimus: Timuerunt autem obstetrices Deū, & non fecerunt iuxta præceptum regis Aegypti, sed conseruabāt mares. Sic etiam Susanna, quoniam timebat Deum, nolebat acquiescere libidini nequissimorum senum ac iudicum. Et hinc est, quòd reipsa omnis generis flagitia inter eos obtine re uidemus, qui non sunt timore Dei prædi ti. Sciebat hoc Abrahā cum peregrinādum sibi esset in Geraris, ideoq; cogitās in corde suo: Forsitan nō est timor Dei in loco isto, & interficiēt me propter uxorem meam. Saram uxorem suam, sororem suam esse dicebat, Genes. 20. Et Apostolus cum Roman. 3. dixisset: Non est iustus quisquā, non est intelligens, non est requirēs Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulchrum apertum est guttur eorum, linguis suis dolose agunt, uenenum aspidum sub labijs eorum, quorum os execratione & amarulentia plenum est, ueloces pedes illorum ad effundendum sanguinem, contritio & calamitas in uijs eorum, & uiam pacis non cognouerunt, ueluti malorum horum omnium causam expressurus subiecit, dicens: Non est timor Dei coram oculis eorum.

Genes. 20.
Rom. 3.

Gignit studiū pietatis.

Quartò, gignit timor Dei studiū pietatis ac cultus diuini. Sic timor ac seruitus Dei iūgunt Deut. 6. ubi legitur ad hunc modum: Dominū Deum tuum timebis, & illum coles. Et Iosue 4. Timete Deū, inquit, & colite eum. Et hinc est quòd in Scripturis nonnunquā uox יראה ppriè timorē significans pro cultu Dei, qui est ex timore illius, sumitur: ut Psal. 5. Adorabo in tēplo sancto tuo, in timore tuo: id est, in cultu tuo. Significatur, uerum cultū Dei nō esse, quo illum se colere iactant homines profligatæ uitæ, & nihil minus quàm timentes Dei.

Facit studiosum iusticiæ.

Quintò, qui Deū uerè timet, sedulus est in studio iusticiæ erga proximum. Sic Cēturio, de quo in Actis legitur, cum esset timens Dei, multus erat in eleemosynis egēti plebi largiendis.

Act. 10.

Gratū reddit Euāgeliū Dei.

Sextò, timor Dei facit, ut Euangeliū gratiæ Dei sit acceptissimū. Quid enim acceptius esse poterit cōscientię timore Dei ac sensu peccatorum perculsæ, quàm Euangeliū de remissione peccatorum, æternaq; salute per Christū parta? Quare uidemus eos qui absq; timore Dei de propria sua iusticia præsumunt, iniquos esse doctrinæ gratiæ, illiq; & manibus & pedibus reluctari, quemadmodum tempore Christi & Apostolorum faciebant iusticiarij ac pharisęi inter Iudæos. Cum hoc reipsa experiretur Apostolus, Christum in synagoga Iudæorum prædicaturus, ac uerbum gratiæ genti pertinacissimę propositurus, non solùm initio sermonis dicebat: Viri Israelitæ, qui timetis Deum, audite: sed & in progressu illius repetebat, dicens: Viri fratres, filij generis Abrahæ, qui in uobis timent Deum, uobis uerbum salutis huius missum est: innuens doctrinam gratię nihil apud eos inuenire loci, quorū animi non sunt timore Dei & conscientia peccatorum humiliati, adeoq; & gratiæ Dei auidi.

Animos præparat ad diligēdum Deum.

Septimò, animos pręparat timor Dei ad diligendum Deum, postquā ad fidem gratię illius in Christo peruenimus. Sed ea de re dictum est suprà.

Magnam prærogatiuam coram Deo consequitur.

Octauò, insignem prerogatiuam corā Deo cōsequitur syncerus illius timor. Verūm mentionem huius suprà initio tertij articuli fecimus. Potest hic addi ex Salomone, quòd timori Dei tribuit prolongationē dierū, cū cap. 10. dicit: Timor Domini apponet dies, at anni impiorum breuiabuntur: & fiduciam spemq; fortitudinis, etiam in posteris, cap. 14. dicens: In timore Domini fiducia fortitudinis, & filijs eius erit spes: & fontem uitæ, cum ibidem mox subiungit, Timor Domini fons uitæ, ut declinet à ruina mortis. Hęc obiter de efficacia, & utilitate timoris Domini percurrere libuit, magis quàm operosius multis uerbis tractare. Vtinam illam reipsa experiamur in hoc postremo seculo, in quo parum uidemus esse timoris Domini.

DE ABVSV TIMORIS.

IN secundo articulo mentionē fecimus timoris peruersi, quo non timenda magis quàm timenda: & quæ timēda sunt, non recta ratione timemus. De hoc timoris abusu pauca quædā memorāda uidentur, priusquā locū hunc terminemus. Dicemus aūt non in uniuersum de omnibus peruersi timoris generibus, sed de ijs tantùm quæ religionem Dei concernunt.

Timere conscientiam hominū magis quàm conscientiam Dei.

Principiò, peruersus timor est, quo timetur cōscientia hominum magis quàm cōscientia Dei: id quod frequenter fit, dum peccaturi non timent, ne uideat & sciat Deus, cuius oculis patent omnia: timent uerò conscientiā hominū, sic ut si hanc fallere queant, securius peccēt: sin minus, cohibeant se ne faciant, quod aliàs erant facturi. Rectè quidē ille, qui monet ut peccaturo obstet filius infans, & ut nil dictu uisuq; fœdum tangat ea limina, intra quæ puer est. Nam sentit esse cauendum, ne maiorū suorum exemplis mollis ac rudis ætas inficiatur & corrumpatur. Verùm nos de ea loquimur cautione, qua peccaturi nō alijs, sed nobis ipsis parcentes, hominum cōscientiam magis quàm conscientiam Dei metuimus ac fugimus, id quod nihil est aliud quàm magis timere homines quàm Deum.

Deinde,

2 Deinde, talis est & eorum timor, qui potentiam hominum magis metuunt, quàm potentiam Dei: id quod faciunt, qui timent tyrannos, corporum occisores: Deum uerò, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna, non timent, uel certè nõ tantum quantum illos timent. Hanc timoris peruersitatem corrigit Christus Matt. 10. ubi de illà annotauimus. *Potentia hominum timere magis quàm potẽtiam Dei.*

3 Tertiò, quando sic pluris fit authoritas hominũ quàm authoritas Dei, ut religio sit, nõ obseruare quæ homines in Ecclesia statuunt ac præcipiunt, non sit uerò nõ obseruare præcepta Dei, an' nõ rectè huiusmodi timor peruersitatis eius accusatur, qua min⁹ timetur Deus quàm homo: id quod in Papatu inexcusabiliter fieri uidemus, ubi pro summo & uix remissibili piaculo habetur, si quis Romanorum pontificum statuta transgrediatur, cũ interim transgressio præceptorum Dei susq; deq; fiat. Nostra hac ætate igni traditi sunt sacerdotes, propter initũ matrimonium nulla lege Dei prohibitum, & carne uescentes ijs diebus, quibus uetuit Romana tyrannis, nusquam uetuit Deus: & interea impunes euadunt, qui non in secundam modò, sed & primam præceptorum Dei tabulam eidololatrando, peierando, & cætera, peccant. *Præcepta hominũ pluris facere quã præcepta Dei.*

4 Quartò, an' non & illi præpostero modo Deum timent, qui ab illo præcepta non ideo seruant, quia ab ipso sunt præcepta: sed quia homines timent, à quibus ad obseruandum illa urgentur? Hoc genus timoris reprehenditur ab ipso Domino, Esaię 29. & Christus ipse, disertè illud perstringit Matth. 15. *Præcepta Dei seruare non quia Deus, sed quia homines præcipiunt.*

5 Quintò, eorum quoq; prępposterus timor est, qui zelo Dei præter scientiam præditi, ea faciunt in timore Dei, quæ cum uoluntate illius pugnant. Sic timentes Deum, obediunt falsis prophetis, dicẽtibus: Hæc dicit Dominus, cum nõ sint à Domino missi: & seruiunt Antichristo, uicarium se Christi, & caput Ecclesiæ mentienti. Quare nisi sit scientia diuinæ uoluntatis cum timore ac zelo Dei coniuncta, nihil potentius est ad seducendum imperitos, quàm eiusmodi timor. *Ex timore Dei facere quæ sunt contra uoluntatem Dei.*

6 Sextò, quid de illorum timore dicendum est, qui mortuos quosdam sanctos, ob id, quòd existimant eos facilè iritari, & iritatos, nisi placentur, ulcisci sese grauiter, qualem faciunt Antonium, Sebastianum, Rochum, &c. magis quàm Deum ipsum timẽt, illosq; ob hanc causam sacrificijs & annuo cultu, nonnulli etiam quotidianis precationibus propitios sibi reddere sagunt: haud secus quàm de Indianis quibusdam populis legimus, qui consimili timore diabolum uenerantur, ac quotidianis sibi sacrificijs placare conantur, ne ab illo perdantur. Et horum imagines quoq;, quantumuis surdas, mutas, inanimes, & nec bene, nec malè facere ualentes, uix citra tremorem inspicere possunt, maximè si fabrili artificio uultus habeant ad ueritatem compositos, truces ac minaces: id quod mihi olim cum puer essem, aliquoties accidisse recordor. Hæc obiter de abusu timoris Dei, quem utinam Dominus in eum mutet, qui sit uerus ac syncerus, præsertim postremo hoc seculo, in quo propè omnis timor Dei extinctus iacere uidetur. *Magis timere mortuos sanctos quàm Deum.*

DE OBEDIENTIA.

TIMORIS Dei ornamentum est ac supplementum, prompta ac legitima obedientia. Quare uisum est de illa iam consequenter ea, quæ utilia fore iudicauero, annotare. Cõmendatur ea non modò in Scripturis, sed & cõmuni omnium sensu, tanquam pulcherrima uirtutũ omnium: inobedientia uerò, nemini non detestabilis habetur, quòd illa non religioni tantùm, sed & humanarum rerum statui plurimum aduersetur. Habebimus autem rationem primùm eorum, qui prę alijs Christianis sic se obedientiã professos uideri uolunt, ut omnis ipsorũ uita nihil aliud esse appareat, quàm ipsissima obedientia: nec sit quicquã erroris ac superstitionis, quod non hoc prætextu excusare conẽtur: deinde & eorum, qui libertatem Christianam hactenus usurparunt, ut omnem timorem Dei prorsus excussisse uideri queant.

IN CAVSA OBEDIENTIAE OPVS. *esse discretione.*

ABsq; omni controuersia, magna est & inæstimabilis obedientiæ uirtus, id quod diserte fatemur, imò asserimus. Quare quæ hoc loco dicturi sumus, tam nolumus pugnare cũ uera ac legitima obediẽtia, ut hinc magis illam assertam uelimus. Duo autẽ ad hoc nostrum propositum necessaria uidentur. Vnum, ut uera obedientia ritè cognoscatur: alterũ, ut ea non ignoretur, quæ cum falsa sit, specie probabili imperitos seducit, præsertim eos, qui obedientiæ sunt impense studiosi. Quemadmodum ei qui auri studio tenetur, satis non est, scire quàm bonum & utile sit aurum, & quod colore sit non albo, sed fuluo: sed necessariò requiritur, ut sciat & alia quędam esse metalla, siue natura siue arte: quę cum aurũ non sint, auro *Discernendum esse inter uerã & falsam obedientiam. Simile.*

tamen haud sint colore absimilia, quorũ specie facilè seducantur imperiti. Ad hunc modũ utile quidẽ est, si scias insignem esse obedientiæ uirtutem: iuxtà tamẽ scire oportet, esse & aliam quandam obedientiam, ueræ simillimã, quod ad externam speciem attinet, reipsa tamen falsam. nisi enim hoc scias, in proximo est, & admodum procliue, ut deceptus sub prætextu obedientiæ, contra eam quæ uera est, pecces. Nostra ætate uocari cœperunt in Imperio obedientes, nõ qui uerbo Dei, sed qui Antichristo & illius propugnatorib. obedirent: cum in conspectu Dei rebelles magis essent, quàm obedientes. Hoc autem inobedientiæ malum ijs potissimùm insidiatur, qui religione numinis, ac studio obediendi tenentur: interea uerò nihil norunt discriminis inter ueram ac falsam obediẽtiam, hoc uno contenti, malum esse non posse, quod animo maioribus obediendi fiat. Horum gratia pauca quædam annotabo: utpote,

1 Quid sit obedientia.
2 Quotuplex sit.
3 Quàm sit necessaria, & quæ sit illius efficacia, quantumq; bonum.

QVID SIT OBEDIENTIA.

Definitio obedientiæ. DEfinitionem obedientię ex ipsa illius uoce sumere licet. Dicitur enim obediẽtia quasi obaudiẽtia, quemadmodum & Græco uocabulo dicitur ὑπακοή. Est autem nihil aliud, quàm fidelis animi submissio, qua uoci ac uolũtati præcipiẽtis mos geritur, animusq; unà cum auribus ad uerba & mentem illius arrigitur, & quæ præcipiuntur, sine contradictione proluiribus adimplentur. Neq; enim solã manum, sed & animum obsequentem uera obedientia requirit. Proinde inter obedientes numerari non possunt, in quibus locum non habet ueræ obedientiæ definitio: quales sunt, qui aut opere tantum, sine prompti animi uoluntate: aut uerbis & aure duntaxat, sine opere, cum licet, obsequuntur. Cum licet, inquam. Nam ubi id fieri non potest, uolũtas obediendi pro facto reputatur, id quod & Germanico prouerbio exprimimus, dicentes: Gott nimpt den willen fur das werck.

QVOTVPLEX SIT OBEDIENTIA.

Vera obedientia quæ sit. OBedientia duplex est. Vera una, falsa altera. Vera est, de qua ueraciter prędicari potest, quod sit iusta, syncera & integra. Et ut quę talis sit, probè cognoscatur, uidendum est, cui, qua in re, & quomodo obedias.

Cui sit obediendum. 1 Principiò namq; non licet ei qui seruus est, liberum uoluntatis suę arbitriũ nõ habens, cuiuis sese ad obediendum addicere, nisi illius se uelit imperio eximere, quem unum ac legitimũ habet dominum. Neq; etiam fieri potest, ut duobus dominis rectè seruiatur, secundũ Seruatoris nostri sententiam, Matth. 6. Nam ut Apostolus Roman. 6. dicit: Cui teipsum accommodas seruum ad obediendum, eius seruus es, cui obedis.

Itaq; si scire cupis, uera ne sit obedientia tua, cum primis uide, cui nam obedias. Si ei, ad cuius ius ac dominium legitimè pertines, ueram habes hactenus obedientiã, quatenus obedis non alieno, sed legitimo tuo domino: si alijs, non illi, non es uerè obediens, sed magis pręuaricator. Quem autem statuemus, cui soli omnis omnium debeatur obedientia, nisi unum ac uerum Dominum Deum nostrum, omnium conditorem & conseruatorem? Cuius enim sumus, nisi eius, qui & fecit nos, cum non essemus, & uitam dedit, ac cuncta sustentandæ illi necessaria largitur, inq; cuius terra ueluti domo habitamus, cui omnes creaturæ, nolint uelint, subesse coguntur, & meritò quoq; obediunt? Oportet igitur omnem obedientiam, si uera sit, uni Deo addicere, cuius solius sumus, cuius obediẽtiæ nulli licet creaturæ sese subducere. Et ille sic animatus est, ut non ferat iuxta se alios dominos, quibus obediamus. Vnde & zelotypum sese nominat, Exod. 20.

Deo deberi omnem obedientiam.

An uoluntati Dei obedias. 2 Secũdo loco ad ueram obedientiã requiritur, ut uideas num uoluntati præcipientis Dei obedias. Neq; enim locum hic habet ulla præsumptio, sed uni est uoluntati Dei obsequendũ. Nam extra hanc non poterit esse uera obedientia, quicquid simulaueris. Et hac ratione reprobatus est ficticius ille Iudæorum cultus, quem suopte arbitratu ad morem Gentium instituerant, cum id ipsis esset ex præcepto Dei prorsus illicitum, Deut 12. ubi sic legimus: Quãdo disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, & possederis eas, atq; habitaueris in terra earum, caue ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subuersæ, & requiras ceremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita & ego colam. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt dijs suis offerentes filios & filias, comburẽtes igni. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas. Huius præcepti transgressores per inobedientiam facti, non ad uoluntatem Dei, sed secundum suas ipsorũ cogitationes Dominum Deum suum colere cœperunt: unde tot sunt in prophetis & Psalmis querimoniæ contra adinuentiones Israelitarũ, quibus Deũ iritarũt, sicuti uidere est Psal. 106. & multis alijs Scripturę locis. Est itaq; peruersa obedientia, qua à Deo præcepta omittentes,

quæ

quæ non sunt ab illo præcepta, nec uoluntati illius sunt conformia, præstamus.

Tertiò, & hoc ad ueram obedientiam pertinet, ut non simpliciter, quæ ille præcepit, opere, sed animo quoq; sincero, fideli ac uoluntario perficias, quo ipsi menti Dei obedias, idq; magna cum delectatione, sic ut nolis ea præcepta non esse diuinitùs data, nec uelis ea transgredi, etiamsi nihil sit periculi ex transgressione metuendum, ad quem modum marito suo fidelis & morigera uxor, ac parenti suo filius probus & ingenuus obsequitur. *An obediãs Deo non opẽre tantùm, sed & animo uoluntario, & in omnibus, & semper.*

Simul & illud ad ueram obedientiã requiritur, ut non quibusdã tantùm præceptis Dei, sed omnibus obedias: aut non ad tempus duntaxat, sed per omnẽ uitã ueræ obedientiæ studeas.

Ad hanc formam pijs omnibus est uera examinanda obedientia, sit ne iusta, syncera, spõtanea, & consummata. Sic enim comparata ueritatis censuram sustinere potest. Quòd si per imperfectionem nostrã desideratur aliquid, quicquid huius est, per gratiam Christi cõdonatur.

Vera hæc obedientia ipsissimus est cultus Dei. Quid enim aliud est colere Deum, quàm in omnibus illi ex animo obedire? Et huiusmodi obedientia longè est omnibus sacrificijs & holocaustis præstantior, iuxta illud 1. Sam. 15. Nunquid uult Dominus holocausta & uictimas, & non potius ut obediatur uoci Domini? Melior est enim obedientia quàm uictimæ, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolãdi est repugnare, & quasi scelus eidololatriæ, nolle acquiescere. *Vera obedientia cultus Dei est. 1. Sam. 15.*

Caput obedientiæ huius, & perfectum exemplar Christus est, cuius uox est Psal. 40. Oblationem noluisti, aures autem adaptasti mihi. In capite libri scriptum est de me, ut faciam uoluntatem tuam. Et Ioan. 4. Meus cibus est, ut faciam uoluntatem eius qui misit me. & cap. 5. Non quæro uoluntatem meam, sed eius qui misit me. & cap. 6. Descendi de cœlo, non ut faciam uoluntatem meam, sed eius qui misit me. & Philip. 2. Factus obediens est, inquit Paulus, usque ad mortem. *Perfectũ exemplar obediẽtiæ Christus est.*

Ad hoc obedientiæ exemplar reformandi sumus & nos, siquidem ueri cultores Dei haberi uoluerimus. Matth. 12. dicit Seruator: Qui facit uoluntatem patris mei qui in cœlis est, hic est frater meus. & cap. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit uoluntatem patris mei qui in cœlis est.

Sed obiecerit quisquam: Ergo reijcis omnem obedientiam in unius Dei uoluntatẽ, ut nulla sit danda rebus humanis, nemoq; maioribus suis obedire teneatur: imò non sit amplius alius alio maior, sed æquales omnes, utpote æqualiter sub unã unius Dei obediẽtiam cõclusi. *An' non sit obediendum maioribus.*

Respondeo: Non puto quenquam esse, qui uni Deo mortales omnes subesse, illiusq; uolũtati obedire debere neget: neq; licere cuiquam, ut illius sese imperio eximat, & alteri addicat. Sunt hæc certa, nec ullam patiuntur contradictionem. Quòd si ipse nos Deus quibusdam in hac terra uel sapientia, uel authoritate, uel potestate præstantioribus subiecit, bene, obediamus illis: sed haud aliter quàm sicut ipse disposuit, nec alia ratione quàm quòd illos ipse nobis præfecit. Hoc facientes, non declinamus ab illius obedientia, quam præstare non possumus, nisi obediamus illis, quibus ipse obediendum nobis esse constituit. Tam abest ergo, ut per obedientiam uni Deo præstandam, ordo superiorum, & subiectio inferiorum tollatur, ut nequeat in rebus humanis necessaria obedientia aliunde magis quàm ex illa confirmari. *Deo obedimus, dum illis obedimus, quibus nos ille subiecit.*

Cogitemus hunc mundum esse instar domus cuiusdam, in qua paterfamiliãs sit Deus, supremam habens potestatem in liberos, seruos, ancillas, pecudes, & omnia. Et quemadmodũ in domo bene instituta, ad unam quidem patrisfamiliãs uoluntatem diriguntur omnia (nisi enim hoc fiat, non poterit seruari εὐταξία, nec status domesticus saluus consistere) ut una sit in omnibus, & per omnia consona uoluntas, quę ex paterfamiliãs, tanquam ex capite in omnes domesticos ueluti corporis unius membra deriuetur: ordine tamen certo cæteris quidã pręponuntur, quibus reliqua turba, siue ętate, siue cõditione inferior subijciatur, illisq; obediat, propter uoluntatem & cõstitutionem patrisfamiliãs, qua potestatem illis quos reliquis prępecit in domo sua cõtribuit: quibus tum rectè obeditur, si per eam obedientiam superiori patrisfamiliãs uoluntati ac potestati nihil derogatur. Ad hunc modum comparata est etiam cauta obediẽtiæ huius, de qua loquimur. Summus rex & paterfamiliãs in toto hoc mundo Deus est, cuius una uoluntas in omnibus, & ab omnibus unicè est spectanda. Quòd si nemini nos illa subiecit, nemini mortalium obedire tenemur: si uerò sunt quibus nos subiectos esse oportet, non potest hoc esse aliunde, quàm ex ipsius uoluntate, ut necesse sit illis obedire, nisi immorigeri esse uelimus. *Simile de domo ac patrefamiliãs.*

Videndum igitur est, quibus nos subiecerit diuina uoluntas, ne si temerè quibusuis obediamus, non Deo, sed humanæ temeritati subijciamur. Hac autẽ de re non poterimus alicunde melius ac certius instrui, quàm ex sacris Scripturis, in quib. nos Spiritus sanctus de uera obedientia ritè præstanda, diligenter instruit, ne uel sic Deo reddamur obediẽtes, ut interim reluctemur illis, quos ipse nobis præfecit: uel hisce sic morem geramus, ut diuinæ uoluntati repugnemus: sed ut regia uia incedentes, in omnibus nos sic præstemus obedientes, ut totius nostræ obedientiæ scopus in una sit uoluntate Dei fixus. *Quib. nos subiecerit Deus.*

Principiò autem occurrit nobis in hoc ordine Christus Iesus communis omnium Domi- *Ante omnia Christo summe subiecti.*

nus ac primogenitus in domo Dei, cui tanquam naturali suo & unigenito filio pater omnem potestatem dedit in cœlo & in terra, ac cuncta subiecit: iuxta illud Matth. 11. Omnia mihi tradita sunt à patre meo: & capite ultimo, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Hic est nobis unicus constitutus Dominus, cui obedire tenemur, sic Deo de cœlis præcipiente ac dicēte: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitū est, hūc audite. Iuri ac potestati huius subiecti sumus, non solùm quatenus uerbum est patris, à quo sunt condita omnia, & à quo cuncta seruantur: sed & quatenus nos sanguine suo redemit: iuxta illud Apostoli Rom. 14. Nemo nostrūm sibijpsi uiuit, & nemo sibijpsi moritur. Siue enim uiuimus, Domino uiuimus: siue morimur, Domino morimur. Siue ergo uiuamus, siue moriamur, Domini sumus. Ad hoc enim mortuus est Christus, & resurrexit, ut & uiuorum & mortuorum dominetur. Et 1. Corinth. 6. Nō estis uestri, inquit. Empti estis precio magno. Et 2. Corinth. 5. Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui uiuunt, iam nō sibijpsis uiuant, sed ei qui pro ipsis est mortuus. Propterea mandatū quoq; patris est, ut credamus in nomen unigeniti filij ipsius, 1. Ioan. 3. Et Apostolus Rom. 1. & 16. fidei in Christum obedientiam tribuit, cum cap. 1. dicit: Per quem accepimus gratiam, ac muneris Apostolici functionem, ut obediatur fidei inter omnes gētes super ipsius nomine, &c. & cap. 16. in calce: Ei autem qui potens est uos confirmare, secūdum Euangelium meum & præconium Iesu Christi, iuxta reuelationem mysterij, &c. in obedientiam fidei in omnes gentes patefacti, &c. Ratio huius est, quòd Christo debetur obedientia ex uoluntate patris, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. Et quid aliud est, quòd in Christum baptizati sumus, nisi quòd non modò in fidem, sed & obedientiam illius sumus obsignati? Cum ergo nos pater subiecerit filio, utiq; patri obedit, qui obedit filio: rursus qui filio non obedit, omnino patri est inobediens & damnabilis.

Obediendū esse Christi ministris.

Hinc consequitur, cum pater omnem regni sui potestatem dederit in manus filij, teneri nos ad obsequendum illis obstrictos, quos ille habet ministros, & Ecclesijs suis præfecit, modò uoluntati ipsius ritè subseruiant. Constituit autem alios apostolos, alios prophetas, alios pastores & doctores, alios Euangelistas, in opus administrādi Euangelij, sicuti uidere est Ephes. 4. In illis uerum est illud Matth. 10. Qui uos audit, me audit. Et: Qui uos spernit, me spernit. Et illud Ebr. 13. Obedite præpositis uestris, & morem gerite, siquidem illi uigilant pro animabus uestris, tanquam rationem reddituri. Sic obedientia ministris Christi præstanda in primā illā concluſa est, qua uoluntati Dei in omnibus obedire tenemur. Quemadmodum qui honorat ministrum Christi, Christum ipsum, & per consequens patrem quoq; illius honorat: ita qui obedit ministro, obedit Christo, & in Christo ipsi quoque illius patri.

Obedientiā deberi Magistratibus, regibus, principibus ac iudicibus.

Deinde, cōstituit Deus in terra potestatem gladij, reges, principes, magistratus, iudices terræ, ut sint ministri iusticiæ, ad uindictam malorum, ac laudem bonorum, quibus & ipsis non solùm gentes & quosuis infideles, sed & credentes in se subiecit. Ad hos pertinet illud Psal. 2. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cū tremore. Osculamini filium, &c. Hinc est quod Christianos docet Apostolus Rom. 13. obedire potestatibus supereminentioribus, gladium gestantibus, tanquam Dei ministris: tametsi essent illi adhuc alieni à Christo, & infideles. Quale est & illud Tit. 3. Admoneto illos ut principatibus ac potestatibus subditi sint, ut magistratibus pareant. Et illud 1. Pet. 2. Proinde subditi estote cuiuis humanæ creaturæ propter Dominum, siue regi tanquam præcellēti: siue præsidibus, ut qui per eum mittantur ad uindictam quidem nocentium, laudem uerò rectè agentium.

Subiecta est mulier uiro suo.

Tertiò, subiecit mulierem uiro suo, Gen. 3. tanquā capiti, cui obediat: unde & Apostoli mulieres sedulò hortantur, ut subditæ sint maritis suis, illisq; obediāt. Sic Ephes. 5. legimus: Vxores proprijs uiris subditæ sitis, ueluti Domino, quoniam uir est caput uxoris, quemadmodū & Christus est caput Ecclesiæ: & idem est, qui salutem dat corpori. Itaq; quemadmodum Ecclesia subdita est Christo, sic & uxores suis uiris subditæ sint in omnibus. Et Colos. 3. Vxores subditæ estote proprijs uiris, sicuti conuenit in Domino. Idem & Tit. 2. legitur. Et Petrus Epistola priore cap. 3. Similiter uxores, inquit, subditæ sitis uestris uiris, &c. quemadmodum Sara obediuit Abrahæ, Dominum illum uocans, &c. Ergo obedientia quæ Deo debetur, tam non excludit eam, qua uxores uiris suis obedire tenentur, ut eam potius requirat. Neq; enim fieri potest, ut ritè obediat Deo mulier, nisi subsit marito suo, illiq; secundum diuinam constitutionem obediat.

Liberi subesse & obedire debent parentib.

Quartò liberos subiecit parentibus, idq; certa & expressa lege. Vt Exod. 20. Honora, inquit, patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Et legis huius trangressoribus ultionem admodum grauem cōstituit Deut. 21. ubi sic legitur: Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audiat patris ac matris imperium, & coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius ad portam iudicij, dicentq; ad eos: Filius noster iste proteruus & cōtumax est, monita nostra audire contemnit, commessationibus uacat & luxuriæ atq; conuiuijs: lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur: ut auferatis malum de medio uestri, & uniuersus

Israel

Israel audiens pertimescat. Et Apostolus diligenter hanc iustæ obedientiæ partem fidelibus inculcat Ephes. 6. dicens: Filij obedite parentib. uestris in Domino. Nam id est iustum. Honora patrem tuum & matrem, quod est præceptũ primum in promissione, ut bene tibi sit, & sis longæuus in terra. Et Coloss. 3. Filij obedite parẽtibus in omnib. hoc .n. bene placet Domino.

Quintò, seruis quoque & ancillis constituit, ut subsint dominorum suorum imperio. Ideo Apostoli adhortantur illos ad obedientiam hanc in Domino præstandam. Ephes. 6. Serui, inquit, obedite ijs, qui domini sunt iuxta carnem, cum timore ac tremore, cum simplicitate cordis uestri, tanquam Christo, non ad oculum seruientes, uelut hominibus placere studentes: sed tanquam serui Christi, facientes quæ uult Deus ex animo, cum beneuolentia seruientes Domino, & nõ hominibus: illud scientes, quòd unusquisq; quod fecerit boni, hoc reportabit à Deo, siue seruus fuerit, siue liber. Consimilia & Coloss. 3. leguntur. Et Tit. 2. dicit: Seruos horare, ut suis dominis pareant, in omnibus illis placeant, non responsatores, non suffurantes, sed fidem omnem ostendentes bonã, ut doctrinam seruatoris nostri Dei ornent in omnibus. Et prima Petri secundo: Famuli, inquit, subditi sint cum timore dominis, non solùm bonis ac humanis, uerùm etiam prauis. *Serui subiecti sint suis dominis.*

His itaq; superiorum ordinibus, diuina constitutione prępositis, sic subijcimur, ut illis obedientes Domino Deo obediamus: immorigeri uerò, nõ tam hominibus, quàm ipsi Deo repugnemus: tàm abest ut suprema illa obedientia, uni Deo præstanda, gradus hosce debitæ inter homines obedientiæ excludat, cum hi ab illa unicè dependeant, nec ullam excusationem inueniat subditorum inobedientia, nisi hanc unam, si ad ea quæ uoluntati Dei aduersantur, à superioribus adigantur, ut locum habeat illud Apostolicum: Oportet Deo obedire magis quàm hominibus, Act. 5.

DE FALSA OBEDIENTIA.

HActenus de uera obedientia annotauimus, consequenter uidendum est de falsa. Hanc esse dicimus, si qua ueræ obedientiæ notas, quas suprà assignauimus, non habet, aut cõtrarias habet. Quare ad cognoscendum eam conferenda est primùm cum uera, ut ex illa quasi Lydio quodam lapide probetur. *Falsa obedientia quæ sit.*

1 Prima nota est ueræ obedientiæ, si Deo obediamus. Ergo falsa obedientia est, qua nõ Deo, sed creaturis extra ordinem ab illo constitutum obeditur. Notam hanc inspiciant monachi, uideantq; cui nam obediant, dum se alius Benedicto, alius Dominico, alius Francisco, & nescio quibus Abbatibus, Prioribus, &c. ad obediendum obstringunt, quos Deus nusquam fidelibus suis prefecit. Christum nobis, ac uerbi illius ministros, reges ac magistratus, parentes & dominos prępositi, de Abbatibus, magistris, prioribus, prouincialib. gardianis nõ legimus. *Monastica obedientia.*

2 Secunda ueræ obedientię nota est, ut in rebus uoluntati Dei conuenientibus obediamus. Ergo falsa obedientia est, quæ prętatur in rebus à uoluntate ac cõstitutione Dei alienis. Hac obeditur humanis constitutionibus & doctrinis, quarum innumera multitudo non modò cœnobia, sed & ecclesias Christi iam olim oppressit, sic ut de illis Augustinus quoque suo sit tempore conquestus.

3 Tertia nota est falsę obedientiæ, si Deo quidẽ, idq; in illius præceptis, uerùm nõ syncerè & ad mentẽ prącipientis obediatur: id quod fit, quando externũ opus intẽtioni prącipientis nõ respõdet. Iudæis (ut exempli gratia dicam) Paschatis erat præcepta celebratio, ad conseruandã liberationis Aegyptiacæ memoriã, alendamq; fidem & gratiarum actionem, erga diuinam bonitatem. At illi opus quidem externum, agnũ comedendo, seruarunt, menti uerò Dei pauciſsimi responderunt: ad quem modum & in legibus oblationum, primitijs frugum, alijsq; legalibus obseruationibus fecerunt. Sabbatum externo ocio celebrarunt, quasi placeat Deo ocium in se, & non magis ille ocium propter alendam fidem & charitatem præceperit. Relictis Iudæis inspiciamus nos ipsos. Baptizamus, cœnam Domini celebramus, uerbi prædicationem frequentamus: quæ ad hoc nobis à Christo sunt commendata, ut fidem ac pietatem in cordibus nostris alamus. Quod finem hunc & propositum Domini attinet, pauciſsimi sunt uerè obedientes: quod externum opus concernit, obediunt plurimi. Præcipitur nobis à Domino Matth. 5. ut mutuum demus, & cuiuis petenti tribuamus. Externum opus aliqui utcunque præstare conantur, mentem prącepti, id est charitatem proximi, pauciſsimi attingũt. At eiusmodi obedientia non est syncera, sed falsa, quam nemo paterfamiliãs domi suæ ferret, aut probaret, si ferret.

Deinde & in eo est falsæ obedientiæ nota, quando non ex animo præceptis Dei obeditur, sed cum tergiuersatione quadam, ita ut mallemus nulla nos esse obediendi necesitate obstrictos: nec obediremus, nisi pœnas inobedientiæ ac transgressionis metueremus. Præcepit nobis Deus, ut filium ipsius Christum Iesum Dominum nostrum audiamus: hoc est, illi obediẽtes simus, adiectis minis, fore ut anima nõ audiẽtis illum de populo Dei exterminetur, sicuti uidere est Deut. 18. Hic requirit à suis, ut abnegãtes seipsos uestigia ipsius sequãtur. Obsecrò

quotusquisq; est, qui hoc ex animo faciat? qui non more seruorum magis metu pœnæ, quàm amore Domini iussis pareat? Pauciſsimi sunt qui instar probi filij, & ad exemplum capitis nostri Christi, mandatis Dei obediant ex animo. At hæc obedientia sincera non est, nec Deo placere poterit, quam nemo domi suæ probauerit. Queritur Chrisostomus in epist. ad Ebr. homil. 10. omnia suo tempore fieri in ecclesia tantùm ὡς συνήθειαν, perfunctoriè, nihil aliud spectantibus Christianis, quàm ut debitum pensum utcunq; soluant ac præstent, ne de neglectu possint accusari. ἀλλ' ὡς συνήθειαν φησὶ, ὅτου πληροῦντες τὴν χρεωστουμένην, καὶ ἀφειδόμενοι: id est obiter, sine animi intentione, pro more, & ad id tantùm perfunctoriè Christianismũ implentes, ne culpam neglectus incurrant. Quid de nostris tẽporibus conqueri possint homines pij, quorsum attinet meminisse, cum nota hæc falsæ obedientiæ iá tũ Chrysostomi tẽpore obtinuerit in ecclesijs?

Tertiò, id quoque inter falsæ obedientiæ notas referri potest, quando quæ facienda sunt, fiunt non integrè, sed μερικῶς: utpote, quando uel unum quidem præceptum utcunq; seruatur, reliqua uerò negliguntur: ut si adulterium quidem non admittas, interea tamen nec unum Deũ ritè colas, nec nomen illius sanctifices, nec sabbatũ custodias, nec parentes honores, &c. Vel ne unum quidem plenè custodias: utpote, si præceptum de diligẽdo proximo sic serues, ut amicos tantùm & cognatos diligas: reliquos uerò, præsertim inimicos, non diligas. Hæc obedientia dimidiata est, non pertingens ad præscriptum ueræ dilectionis scopum. Nam Matth. 5. disertè præcipitur, ut non amicos tantùm, sed & inimicos diligamus, ad exemplum
1. Sam. 15. patris nostri qui solem suum producit super bonos & malos. Sauli pro inobedientia reputatum est, quòd mandatum Dei, de extirpandis Amalechitis, non impleuerat perfectè, sed regẽ & pecora quædam seruauerat.

Quartò, & hoc falsæ est obedientiæ, quando non ad finem usq;, sed ad tempus obeditur, & mox ad inobediẽtiam declinatur. Quemadmodum enim si impius ab inobedientiæ suæ impietate desiterit, & ad ueram se obedientiã conuerterit, uita uiuet, nec ulla erit amplius apud Deum impietatum ipsius recordatio: ita uicissim, si iustus relicta obedientia delapsus fuerit ad impietatem rebellis inobedientiæ, non uiuet, & omnis ipsius iusticiæ nulla erit apud Deũ memoria. qua de re uidere est Ezech. 18. Requiritur enim ad ueram obedientiam, obediendi stabilitas & constantia, ut obedientia nostra similis sit ei, qua ægroti obediunt medico, ubi nihil profuerit ad tempus obediuisse, nisi ad sanitatem usq; perfectè recuperatam perseueretur. De Christi legitur obedientia, quòd obediens fuerit patri usq; ad mortem, Philip. 2. Hæc imitanda nobis est, perseuerandumq; in illa, si seruari uoluerimus. Nam is demùm saluus erit, qui ad finem usq; perseuerauerit.

Sed hactenus de falsa obedientia dictũ esto, cuius fons & origo partim est ex cęcitate mentis, partim ex corruptione animi, ex præuaricatione primorum parentum contracta. Cæcitas est, quòd creaturis præ Deo, & quòd non ad Dei, sed ad humanæ uoluntatis præscriptũ obeditur. Corruptio animi est, quòd non syncerè, non ex animo, non integrè, & haud constanter obedimus. Hinc uidelicet impedimur, quo minus diuinę nos uoluntati cõformamus, unusq; & idem cum Deo spiritus reddimur.

QVAM SIT NECESSARIA OBEDIENTIA, *& quæ sit illius efficacia, quantumq; bonum.*

Virtute obedientiæ totum uniuersum seruatur.

MVltę utilitatis est hic locus, in quo consideratur, quomodo ad conseruationẽ uniuersi faciat, si unitas ista, quæ per obedientiam est, cum cuncta moderantis Dei intentione cõstanter seruetur: utpote, si respicias uniuersum cœli ac terrę corpus, quomodo illud in omnibus ubiq; membris superioribus & inferioribus, per unam conditoris mentem regatur, cui & omnia constanter obtemperant, inq; statu & ordine suo uirtute obedientiæ perdurant, sine qua necessariò cuncta subuerterentur ac perirent: id quod & in corporibus nostris fieri uidemus, quę nisi esset morigera illa membrorum omnium pro sua cuiusq; portione obedientia, qua ad imperiũ spiritus qui in homine est, & ad naturalem impulsionem cuncta agũtur & obsequuntur, haudquaquam persisterent. Eiusmodi est & rerumpublicarum, statuum, ordinum, & uniuersæ humanæ uitæ conditio. Tolle unam obedientiæ uirtutem, in unũ quasi confusum chaos perituramq; Babylonem cuncta corruere ac prolabi uidebis.

Quatenus obedientia ad salutem nostram faciat.

Verùm huius generis considerationem prosequi, non est præsentis instituti, sed de eo potius uidebimus, quomodo necessaria & utilis sit uirtus obedientiæ ad ueram salutem & sempiternam, quæ in Christo est, uitam. Vera obedientia est, quæ unã reddit præcipientis & obedientis uoluntatem. Hæc autem unitas, qua cum Deo uniuntur electi, sola est quę seruet. Etenim omnium salus in uno est Deo, sic ut iuxta Psalmistam, omnino pereant, quotquot ab illo elongantur & abalienantur: quemadmodum necessariò cæci sunt, qui separantur à luce: & siti torquentur, qui fontem aquarum uiuentium deserunt: nec uiuere possunt, qui ab ipsa uita discedunt. Quid aliud expectandum est illis, qui à summo bono, à quo condita sunt omnia & cuncta seruantur, ipsum uitæ ac omnis felicitatis fontem deserentes, discedunt, quàm ut pereant, & infelices euadant in sempiternum?

Separã

Separationem autem à Deo introduxit inobediẽtia primi noſtri parentis, qua factum eſt, ut à Deo ſeparati mortem inciderimus, & temporalem & æternam: qua in re admodũ fit manifeſtum, quantum ſit inobedientiæ malum. Quid enim perniciosius obtingere poteſt quàm ab eo ſeparari & alienari, qui ſolus omnis eſt boni fons & origo, ſine quo nihil uſpiam conſiſtere poteſt? At hoc facit inobedientia, quæ nõ modò in primo noſtro parente fuit, ſed & uniuerſum genus humanum corripuit ac perdidit.

Primorum nõſtrorum parẽtum inobedientia ſeparauit nos à Deo.

Malo huic non potuit alio remedio ſuccurri quàm reconciliationis, reparationis, ac cõuerſionis. Inobedientia perdidit à Deo ſeparatos: opus ergo fuit, & eſt obediẽtia, qua quod perditum eſt reparetur. Oportet enim omnino ad diuinæ uoluntatis unitatem redire ſaluandos, quandoquidem æterna illa, indiuiſibilis & immutabilis unitas uoluntatis diuerſitatem ferre non poteſt. Perinde nanq; atq; lucis ſplendor tenebras non recipit, ſic illa inobedientiæ repugnantiam ferre nequit. Nam ut 1. Ioan. 1. legimus, Nullæ ſunt in Deo tenebræ, ſic ut ambulatoro cum illo neceſſarium ſit, ut nõ in tenebris, ſed in luce ambulet, quòd alioqui mendax ſit futurus, nec aliquid cum Deo poſsit habere ſocietatis. Ad quem modum hic quoq; dicere licet, fieri non poſſe ut ſocietatem cum Deo habeat, quiſquis per inobedientiam diuerſa ab illo eſt uoluntate diuiſus.

Per obedientiam reparari oportuit quod per inobedientiam perditum fuerat.

Miſſus eſt igitur in carnẽ noſtram unigenitus Dei ſecundus Adam, ut quod primus per inobedientiam ſuam perdidit, ipſe per obedientiam repararet, Deoq; reconciliaret, ac ſeruaret. Hac de re Apoſtolus Rom. 5. diſſerit, dicens: Quemadmodum per inobediẽtiam unius hominis peccatores facti ſumus multi, ita per obedientiam unius iuſti conſtituuntur multi. Quomodo quæſo? Quemadmodũ per inobedientiam, inquit, unius hominis. Quę fuit illa? Tranſgreſsio ſcilicet Adæ. Quomodo per illam peccatores, ideoq; & morti obnoxij ſumus multi? Primò, quia radix ipſa generis noſtri uitiata fuit in Adamo, ac planè perdita: deinde, quia malum hoc in poſteros quoq; tranſiuit: hoc eſt, in omnes eos, qui ex Adamo ſecundum carnem naſcuntur, etiamſi ipſo nondum opere ad exemplum Adæ peccauerunt. Quomodo autẽ per obedientiam unius, iuſti conſtituuntur multi? Vnus ille Chriſtus eſt, ſecundus Adam, quẽ pater eſſe nobis uoluit inſtar uitis, unde ueluti in palmites uera in nos obedientia ac iuſticia deriuetur: ut quemadmodum primus Adam ſe ac poſteros ſuos à Deo per inobedientiam ſeparauit, iræq; illius reddidit obnoxios, & uirus peccati in uniuerſam poſteritatem tranſtulit: ita ipſe nos in gratiam & unitatem Dei reſtitueret, illiq; reconciliaret, & per ſpiritum ſuum uerã obedientiam in corda noſtra propagaret. Quare bonum nobis obedientiæ duplici nomine in ipſo ſeruatore noſtro Chriſto commendatur. Primùm in eo, quòd redẽptionis noſtræ fons in eo eſt, quòd ad redimendum genus humanum factus eſt patri ad mortem uſq; obediens: deinde in eo, quòd in ipſa redemptione per obedientiam conſeruamur, cuius ſtudium cordibus noſtris Spiritus ſanctus effudit.

Rom. 5.

Per obedientiam Chriſti ſeruamur.

Duplex obediẽtiæ bonum in Chriſto cõmendatur.

Quin de eo quoq; conſiderari poteſt, quòd ut in cœlis uirtute obedientię omnia in ſumma conſeruantur unitate & pace, ita & in terris qui ſtudioſi illius ſunt, unanimes reddũtur. Nam hæc demùm concordiæ eſt & unitatis uia, ſi diuinę uoluntati obediuerimus. Et hoc eſt quod Chriſtus Ioã. 7. dicit: Si quis uoluntatẽ Dei facere uoluerit, cognoſcet de doctrina mea, quòd ex Deo ſit. Quid enim aliud eſt in cauſa, quòd tot diſsidijs hodie ſcindimur, niſi hoc unum, quòd ſuo quiſque ſenſui magis quàm diuinæ uoluntati obſequundat?

Cõcordiæ uia eſt, ſi Deo omnes obediamus.

Vt ad finem itaq; conſiderationis huius collimemus, obiter obſeruemus. Primò, quæ ſit ratio diuinæ maieſtati, quòd præcepta ſua mortalibus præſcribit, illorumq; obedientiam tantopere requirit, & inobedientiam condemnat. Nõ eſt tyrannicè erga nos affectus. Neq; enim hoc tãtùm ſpectat, ut nobis dominaliter imperet, quo nos ad omnia habeat morigeros, ſicuti plurimi ſolent huius ſeculi principes, qui nõ ſubditorũ bono dominium exercent, & quibus imperant, obedientiamq; extorquent: ſed ut ipſi omnibus pro animi ſententia potiantur, imò in omnibus libidinentur: ſed hoc magis quærit, ut ipſi coadunati ſeruemur, felicesq; ſimus. Alioqui unde nam prohiberi poſſet, quo minus nos ad omnia quæ uellet, etiam inuitos ſubijceret? Quis enim uoluntati ipſius reſiſtere poterit? Nulla igitur alia ratione obediẽtiam à nobis requirit, quàm ut ſibi reõnciliemur, & uoluntatis unitate cõiungamur, ſitq; inter nos & ipſum idẽ uelle & idẽ nolle: in quo nõ modò uera eſt amicitia, ſed & perpetua felicitas. Et hanc ob cauſam inobedientiæ malum præceſsit, totumq; genus humanum miſerum & afflictum reddidit, ut reipſa experiremur, ſaluos nos & felices eſſe nõ poſſe, niſi per obedientiam ſecundi Adæ reconciliati in eandem cum Domino Deo noſtro uoluntatẽ coadunemur, inq; ea unitate immoti perſiſtamus.

Ad quid Deus obedientiam à nobis requirat.

Deinde id quoq; conſideremus, quàm non faciat ad ſalutem noſtram ea obedientia, quæ extra diuinæ uoluntatis præſcriptum ac ſeriem præſtatur. Imò quàm ſit noxia, & quanta nos cum pernicie à ueræ obedientiæ bono abducat, dum perſuadet, probè nos obedire Deo, cũ nihil minus facere deprehendamur. Tertiò, obſeruemus etiam, quo nos ſtudio diuinæ uoluntati addictos eſſe oporteat. Nec aliud eſt quod in oratione Dominica dicimus: Fiat uoluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. Hoc quomodo ueraciter dicere poſſunt, qui nullo tenentur diſcendæ

discēdæ & adimplendæ diuinæ uoluntatis studio? imò, qui data opera scientiā uiarū Dei fugiunt, ad quos pertinet illud Oseæ 4. Quia tu repulisti scientiam, repellam & ego te. Hoc autem obedientiæ Dei studium tanti est exercitij, ut nihil opus sit uitam nostram statutis humanis addicere. Delinquunt subinde & sancti, sed præter animi ipsorum sententiam, imò illa reclamante, sed cū dolore, sed cum resipiscentia. Tenentur enim perpetuo obsequendi diuinæ uoluntati studio: reliqui uerò occæcati, obdurati, præfracti, citra omnem diuinæ uoluntatis respectum temerè in omnis generis transgressionem & inobedientiam feruntur, partim quā uis admonitionem contemnentes, partim sibijpsis operum humanorum splendore blandientes, quo utroque malo peius nihil esse poterit.

Hactenus tamen sancti uirtute primariæ obedientiæ, quæ Christi est, seruantur, ac pro iustis censentur, quatenus fide illi sunt incorporati: impij uerò contemptores Dei, peccato inobedientiæ tam in seipsis quàm in Adamo pereunt.

DE ORATIONE.

IOCVM hunc in Commentarijs nostris super Matthæū cap. 6. quantum homini pio satis esse possit, meo iudicio, tractauimus. Et tamē, ne in hisce locis nostris potissima hæc religionis nostrę portio prorsus desideretur, uisum est obiter ea perstringere ac percurrere, quæ illic sunt tractata fusius, & quædam illis addere.

PROPTER QVAS RATIONES *sit orandum.*

PRincipiò, certæ sunt rationes, propter quas & pium & utile & necessarium est, ut sedulò ad Deum oremus, quibus mentes nostræ communiendæ sunt contra eorum impietatē, qui orationem, quæ fit ad Deum, inutilem, inefficacem, imò absurdam esse ex eo nugantur, quòd quæcunq; nobis ab illo dantur, iā antea sint prædestinata, dēturq;, etiāsi nihil illorū petamus: deinde, quòd absurdum sit, uelle Deū flectere, ut faciat ea de quibus nihil cōstituit.

Orandum est, quia Christus iussit, &c. 1 Prima ratio est, quòd ipse nos unigenitus Dei non modò hortatus est, ut ad Deum patrem indesinenter oremus, sed & orare iussit, formulam orandi præscripsit, promissionemq; impetrationis adiecit, & ipse quoq; frequenter orauit. Cum ergo nobis studium orandi ad Deum ab ipso Christo, exemplo, adhortatu, iussu, instructione ac promissione commendetur: reuera nō Christi, sed Satanæ spiritu ferūtur, qui illud uanitatis & absurditatis damnare præsumūt.

Propter necessitates nostras. 2 Secunda est ex necessitate, qua ad orandam adigimur. Siue spiritualia, siue corporalia bona respicias, quibus carere non possumns, an non ipsa necessitas cogit, ut petamus ea ab omnium largitore Deo? Nihil nobis debet, nihil illi eripere inuito possumus, nullā commutationem nullumq; precium recipit, etiamsi commutando soluendoq; essemus. Quid restat aliud quàm ut precario, quæ necessariò sunt, accipere ab illo satagamus? Innumeræ sunt afflictiones, tentationes, pericula ac discrimina, quibus nostris uiribus occurrere nō possumus. Quid requirit hic necessitas aliud, quàm ut opem cœlestem imploremus? Sic Christus ipse cū passionis primordia ingruerent, ad orandum se conuertit: id quod in sanctis quoq; tam ueteris, quàm noui Testamenti uidere licet, præsertim in Dauide.

Ad exercendū fidem. 3 Tertia ratio est, ut fides nostra exerceatur. Nequit enim inuocari Deus sine fide, teste Apostolo Rom. 10. ubi dicit: Quomodo inuocabunt eum in quem non credunt? Vnde manifestè patet, studium orādi esse exercitium fidei. Et huc potissimùm spectat diuina prouidentia, dū requirit, ut à se, quib. opus habemus, petamus. Posset omnia non rogata largiter dare, id quod & erga reprobos, & bestias quoq; facit. Verùm à filijs suis uult inuocari, quo fiduciam cordis erga se exerceant, & de bonitate sua, dū impetrant quæ petūt, magis atq; magis certificentur.

Propter alendam dilectionem Dei. 4 Quartam uindicat sibi amoris natura, quo pij erga Deum afficiuntur. Ingenium huius sic est comparatum, ut qui amat, magnopere delectetur colloquio amati, nihilq; magis in uotis habeat, quàm ut in sinū illius ea quibus afficitur, effundat. Huc accedit, quòd amor colloquio amati magis ac magis accenditur & inardescit. Igitur & hac causa sic comparati sunt pij, ut propensi sint ad orationem & inuocationem nominis Dei, quo non modò solatijs, quæ hinc nascuntur, fruantur: sed & ad amorem Dei magis ac magis accendantur.

Propter mandatum & cultum Dei. Psal. 50. 5 Quintam quoq; assignare possumus istam, quòd diuino mādato Dominū Deum nostrum inuocare iubemur, qui diserte præcipit, dicens: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te: & simul indicat, inuocationem hanc pertinere ad cultum, & facere ad nominis sui gloriam, cū addit: Et glorificabis me. Tam igitur necessariò ad orationem & inuocationem nominis Dei, quàm ad studium obedientiæ & cultus illius astringimur. Sed hactenus de causis & rationibus, propter quas non modò utilis est, sed & necessaria ad pietatem oratio & inuocatio nominis Dei, obiter dictum esto: iam consequenter uidendum est, quid sit uera oratio.

QVID

II. QVID SIT ORATIO.

VOcabulum orationis accipiunt Scholastici propriè, cõmuniter, & cõmunissimè. Propriè, pro ascensu mentis in Deum, adaliquid degustandum, uel impetrãdum, uel exoluendum. Communiter, pro quouis actu cõtemplatiuè relato ad Deum. Communissimè, pro omni opere bono. unde illud Glossatoris citãt: Non cessat orare, qui non cessat benefacere. Et hinc est quòd orationem diuersimodè definiunt, secundũ diuersos illius respectus. *Quomodo Scholastici uocabulũ orationis accipiant.*

Ebræi orationem uocant תפלה, à uerbo התפלל quod est orare. Sonat autem פלל iudicare, unde est uerbũ התפלל: quod si proprio sensu ueitas, idem est quod seipsum iudicare. Quoniam autẽ uerè ad Deũ orãs, cum primis semetipsum iudicat, accusat, indignumq; cẽset, atq; ita diuinæ se uoluntati gratiam illius & misericordiam implorans subijcit: existimo hinc factũ esse, ut תפלה usurpetur pro oratione, cũ ea uox proprie sonet iudiciũ. Deinde & alijs uocibus orationem exprimunt: utpote חניגה & תחיגה, & צעקה & שריעה, & חגיג & שיח, & אנחה & שאגה, & רגה & אמירה. Sonat autẽ חניגה, quemadmodum & תחנה, orationem, quatenus orando gratiã & misericordiam Dei in oculis nostris miserabiles imploramus, à uerbo התחנן: quòd idem est atq; seipsum miserando gratiam & misericordiam apud Deũ quærere. Eiusdẽ significationis est & תחנון. Quatenus uerò oratio clamore perficitur, uocatur צעקה & שריעה. Et quatenus intentam habet afflicti animi meditationem, uocatur חגיג & שיח. Et propter gemitus, appellatur אנחה: propter rugitum, שאגה: propter lanentationem & eiulatum, רגה. Quatenus uerò sermone expeditur, quo cogitationes cordis exprimuntur, uocatur אמירה, quod nõnulli eloquiũ uertunt. Hę uoces frequẽter in Psalmis occurrũt, quibus ferè exprimitur, quicquid in afflicti animi precibus deprehenditur. Sic enim sancti, dum cordium suorum æstus in conspectum Domini effundunt, intentissima meditatione ac gemitibus seipsi cũ primis accusant & iudicant, misericordiam Dei implorant, dolorem animi clamore, lamentatione & rugitu exprimunt, & uerbis quoq; querimonias ac preces suas explicant. *Quomodo Ebræi orationẽ uocent.*

Græci quoq; uoces quasdã habent in usu, quibus species orationis exprimũt: quales sunt, εὐχὴ, προσευχὴ, δέησις, ἐντευξις, προσκύνησις, ἱκετηρία, ἔντευξις, &c. Sonat autem εὐχὴ, uotum, optionem & orationem: προσευχὴ, adorationem: δέησις, precationem ac deprecationem: ἱκετηρία, supplicationem: προσκύνησις, quam communiter adorationem uertunt, humillimam subiectionem ac prouolutionem, qua ueluti ad pedes diuinæ maiestatis prouoluimur, ad quem modum catellos pedibus herorum suorum in terram prouolutos adrepere uidemus: ἔντευξις, inuocationem: ἔντευξις, interpellationem, qua pro alijs intercedimus. *Quibus uocibus Græci orationem exprimant.*

Latini communiter utuntur uoce orationis, quam nonnulli idem esse uolunt, quod oris ratione. Sanè petitionem ac precationẽ hactenus sonat, quatenus ore exprimitur, quo loco Ebræis est אמירה. Vsurpatur autem simpliciter pro quauis precationis specie, etiam ubi nihil uerborum ore promitur. Aliàs oratio Grammaticis aliud sonat quàm theologis, quemadmodum & orator. Germani quãuis speciem orationis uocãt, Gebett, & uerbaliter, Betten: quod idem est quod, Bitten, sumptum à Latina uoce, petere. *Oratio quid sit Latinis.*

Hęc de uocibus breuiter annotare uisum est, quibus species orationis exprimuntur. Generaliter definiunt orationẽ, mẽtis in Deũ eleuationẽ. Augustinus lib. de Spiritu & anima, cap. 50. sic definit: Oratio est mẽtis deuotio: id est, cõuersio in Deũ per piũ & humilẽ affectũ. Nos sic: Oratio, quæ ad Deũ penetrare potsit, afflicti cordis affectus est & gemitus, quo diuinũ auxiliũ suppliciter imploratur, siue hoc uerbis, siue absq; uerbis, solis gemitibus & suspirijs fiat. *Definitio orationis.*

III. QVIS SIT INVOCANDVS & orandus.

CVm Christo diceret satan, Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me: hoc ab illo responsum accepit, Scriptum est: Dominum Deũ tuum adorabis, illumq; solum coles, Matth. 4. Et præterea sic ad orandũ ab illo instruimur, ut dicamus, Pater noster qui es in cœlis, &c. Et Deus ipse mandat nobis, dicens: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Et sancti ad Dominum Deum suum cum tribularentur, clamauerunt. Ergo manifestũ est, inuocandum nobis esse in tribulationibus Dominum Deum, ac patrem nostrum cœlestem. *Matth. 4. solũ esse Deum adorandum.*

At hoc nemo aduersariorum negat. Interim tamen docent & angelos, & diuos, non solum Deum esse inuocãdos. Verùm si res ipsa rectè inspiciatur, manifestum est, esse quædam sic necessariò ad eum qui inuocandus sit, pertinentia, ut si quid illorum desit, frustrà inuocetur. Vtpote primò, ut possit: deinde, ut sciat: tertiò, ut uelit inuocantes se iuuare, quibuscunq; tandẽ malis afflictentur: & quartò, ut sic sit comparatus, ut ad ipsum possint preces miserorum pertingere: & quintò, ut melius etiam, quàm ipsi miseri intelligat, quibus malis laborent, & quomodo, quando, ac quousq; sint liberãdi. Si possunt hæc in angelis ac diuis perinde atq; in Domino Deo nostro reperiri, bene: inuocẽtur unà cum eo & illi. Quis autem adeò insanit, ut nõ uideat conditiones hasce reperiri non posse, nisi in eo qui sit omnipotens, omniscius, summè bonus, quosuis ubiq; terrarum ad se clamantes audiens, ac melius intelligens quibus rebus *Propter quas rationes solus sit Deus inuocandus.*

opus habeamus, quàm à nobis posit exponi? At talis nemo dari potest, nisi unus ac uerus Deus. Quare non est nisi solus ipse inuocandus, qui solus omnipotens est & perfectus in omnibus, quæ huc necessariò requiruntur. Vnde & dicit: Deus saluans non est præter me. Esaiæ 45. Et: Ego sum, ego sum, & absq; me nō est saluator. Si seruare possunt angeli ac diui, falsum est, quod hic de seipso prædicat Deus. Sed absit. Non est seruator quisquam nisi unus Deus, diues in omnes qui ipsum inuocant: ideoq; non est præter hunc inuocandus quisquam, siue angelus, siue diuus. Vbicunq; oraueris, inquit alicubi Augustinus, intus est qui exaudit. Quis nam angelorum intus in cordibus nostris ubicunq; locorum fuerimus, esse & orantes exaudire potest? Soli Deo competit hæc gloria, qui solus est ubiq; præsens, & intus nos exaudire potest. Quare & solus est inuocandus.

Adhuc aliæ rationes docent, non esse nisi Deum inuocandum.

Præmissis hisce rationibus & aliæ quædam accedunt, propter quas illicitum censendum est, si alios præter unum Deum inuocemus.

1 Prima est, quòd inuocatio fieri non potest sine fide, qua credatur in eum, qui inuocatur, teste Apostolo Rom. 10. ubi dicit: Quomodo inuocabunt eum in quem non crediderunt? Nō credimus autem in angelos, quemadmodum nec in sanctos, sed in sacrā Triaden tantùm, in quam ex mandato Christi baptizamur. Ergo sanctos & angelos inuocare non possumus, nisi prius quod nullo modo licet, in illos credamus.

2 Secunda est ex ingenio amoris, cùm quo diligimur à Deo patre, tū quo illum uicissim diligimus. Quia nos ille diligit, uult ut ad se unicè cōfugiamus, opemq; ipsius imploremus: nec ferre potest ut alios inuocemus. Rursus, si nos illum uerè diligimus, non poterimus ut à fiducia, ita nec ab inuocatione ipsius aliorsum auelli. Sic cōparatus enim est ueri amoris affectus, ut mutuò sese amātes, de omnibus suis necessitatibus inter se cōmunicent. Quare hanc quoque ob causam non poterunt homines pij & amantes Dei, in necessitatibus constituti, quenquam inuocare alium quàm Dominum Deum.

3 Tertia est ex consilio ac proposito Dei, quo nos uirga paternæ disciplinæ ad hoc castigat, & peccātes corripit, ut agnitis delictis nostris resipiscamus, humiliemur, ac gratiam & opem ipsius imploremus. Ab hoc scopo uehementer abludunt, qui castigati & afflicti non Dominū Deum suum, à quo castigantur, sed mortuos sanctos inuocant.

4 Quarta est, quòd fieri nequit, ut non colamus eos quos in tribulationibus inuocamus, inuocandosq; nobis esse censemus. Sic uidemus inuocatores sanctorum simul esse illorum cultores, contra manifestum uerbum Domini dicentis: Dominum Deum tuū adorabis, illumq; solum coles. Imò ipsa inuocatio potissima pars est cultus Dei, ideoq; soli Deo conuenit. Si rationes istæ seriò ac cū timore Domini considerentur, fieri non poterit, ut in corde Christiani hominis locum habeat angelorum ac diuorum inuocatio, quandoquidem sine impietate nō potest tribui creaturis, quod propriè & unicè est soli Deo tribuendum.

Scholastici duplex orationis genus tradunt.

At Scholastici distinguunt ad hunc modum. Dupliciter, inquiunt, potest quis porrigere alteri preces (sic ipsi loquuntur) aut ut tanquam per ipsum implendæ, aut ut tanquam per eius impetrationem adimpleantur. Primo modo solus Deus est orandus, quia illa bona quæ principialiter sunt petenda, à solo Deo dantur. Secundo modo orādi sunt sancti, qui à Deo impetrāt exauditionem orationis nostræ. Et propterea cum oramus Deū, uel Christum, dicimus: Miserere, uel Da nobis: sed cū oramus sanctos, dicimus, Orate pro nobis. Respondeo: Secundum hanc distinctionem poterant Israelitæ in necessitatibus constituti, inuocare non solùm Deum, sed & Abrahamum, Isaacum & Iacobum, cæterosq; sanctos. At nihil tale factum ab illis esse legimus. Nec Scriptura quicquā habet, unde hæc distinctio probetur. Et Ecclesia Christianorum neminem sanctorum nouit præter unum Christum, per cuius intercessionem impetremus ea quæ petimus. Vnde & orationes suas hac clausula, Per Christum Dominum nostrum, terminant. Si in præsenti causa ualeret hæc distinctio, ualeret utiq; & in causa adorationis, ut nō solum Deum, sed & diuos adorare liceret. Imò satan Christo respondere potuisset: Scriptum quidem est, adorandum esse Dominum Deum, uerùm ex eo nō impediris, quo minus & me adores. Potes enim adoratione dupliciter uti. Primò sic, ut Deum tāquam Deum: deinde ut eos qui potestatem à Deo acceperunt, uel aliàs plurimùm apud ipsum ualent, qualis & ego sum, tanquam mediatores ac proxenos, adores. Distinctionem hanc tum ignorabat satan. Seruabatur enim tempori Antichristianæ seductionis.

In nonnullis quidem locum habet distinctio: utpote, in dilectione & timore Dei, sic ut dilectio dupliciter sit præstanda. Primò Deo, deinde & proximo, quemadmodū & timor. Nam non modò Deū, sed & potestates superiores timere debemus. Verùm longè secus comparata est inuocatio. De duplici dilectione ac timore docemur in Scripturis, in quibus diserte præcipitur, ut ante omnia diligamus ac timeamus Dominum Deum nostrum, deinde & proximum, & regem & magistratus: qualis est & honoris conditio, quem & Deo debemus cū primis, postea & regi, & parentibus, & uerbi ministris, imò & fratribus. Et ista sic sunt comparata, ut non solùm sine diuinę maiestatis iniuria fieri possint, sed & utilia sint, decentiaq;, & fieri etiam debeant. At eiusmodi non est inuocationis conditio, in qua distinctio hæc locū habere

non

non potest, quemadmodum nec in fide, nec in cultu: ut non sit præter rationem, quòd nullo Scripturæ loco sanctos & angelos, sed solum Deum inuocare docemur ubiq;.

Spiritus cœlestes ac sancti, inquiunt, orant pro nobis: ergo sunt inuocãdi. Si dixeris, unde probetur quòd pro nobis orent, citant Scripturas & rationes. Zacharię primo, inquiunt, scriptum est: Et respondit angelus Domini, & dixit: Domine exercituum, usq; quò tu non misereberis Hierusalem, & ciuitatum Iehudah. Et Apoc. 5. Quatuor animalia, & uigintiquatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. Et cap. 8. Et alius angelus uenit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum, è manu angeli coram Deo. Hisce locis probare nitũtur, quòd orent pro nobis & angeli & sancti mortui.

An spiritus cœlestes ac sancti orent pro nobis.

Zach. 1.

Apoc. 5.

Apoc. 8.

Ad ea quæ ex Zacharia citantur, respondeo, habere illa uisionem, qualis prophetis plerunque contigit, ideoq; non sic esse accipienda, quasi sint res uerè gestę. Quòd si quis ea tanquam ad literã gesta acceperit, consequenter & reliqua omnia uerè ac solidè gesta esse statuat. Deinde, quid si per angelum hoc loco in propheta loquentẽ intelligendus sit afflatus Spiritus sancti, qui loquutus sit in corde ipsius uerba bona, & ad hanc illum querimoniam impulerit, ut diceret: Domine exercituum, usquequò tu non misereberis Hierusalem, & ciuitatum Iehudah: atque ita uerba hæc non angeli, sed prophetæ sint ex instinctu Spiritus sancti ad Deum orantis? Sed esto, sint hæc uerba uerè ab angelo dicta, non possunt tamen alio dicta esse fine, quàm ut spiritus prophetæ disceret, quid oraret, & ad eiusmodi preces excitaretur. Alioqui si nihil habent aliud quàm orationem angeli ad Deum, ad quid opus erat, ut in uisione ad prophetam facta proferrentur, cum in cœlis seorsim proferri potuerint? Quare conspicuum est, ad id ea menti prophetę esse obiecta, ut ad orãdum pro restauratione Ierusalem ac ciuitatum Iehudah, finito iam septuagesimo Babylonicæ captiuitatis anno, deq; illa uaticinandum, eo quòd iam præ foribus esset, animaretur, ut magis instructionem prophetæ habeant hæc uerba, quàm orationem angeli ad Deum. Nihil igitur certi poterit ex illis de eo colligi, quòd angeli orent pro nobis in cœlo.

Zach. 1.

Quod locos ex Apocalypsi citatos attinet, quibus probare uolunt, orare pro nobis in cœlo mortuos sanctos: uno uerbo respondemus, intelligenda esse quæ ibi leguntur de orationibus non mortuorum, sed adhuc in terris uiuentium sanctorum. Aliàs quorsum attineret eorum sanctorum orationes qui in cœlis sunt, per manus angeli offerri super altare, quod est ante thronum? Et illud citant ex Baruch cap. 3. Domine omnipotens Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum. Verùm audiant uel Lyranum, qui sic exponit: id est, sanctorum patriarcharum & prophetarum, qui uiuentes orauerunt ad te pro bono statu posterorum. Et filiorum ipsorum, qui peccauerunt ante te: id est, uocem nostram audi, qui licet peccauerimus tibi, tamen pœnitentes clamamus ad te. Hæc ille. unde satis apparet, quàm eiusmodi uerba tam hic quàm in Apocalypsi, haud quaquam aduersariorum sententiæ patrocinentur, nequeatq; per ea probari, quòd mortui sancti pro nobis orent in cœlis, multo minus quomodo orent: an pro toto simul electorum corpore, uel etiam pro singulis indiuiduis nominatim ac specialiter, idque in omnibus necessitatibus tam communibus quàm priuatis, tam corporalibus, quàm spiritualibus.

Apoc. 5. 8.

Baruch 3.

Sed esto, orent pro nobis, ex eo ne sequitur, esse illos inuocandos, dicẽdumq; ad eos: Sancte Gabriel, & sancte Petre, ora pro nobis? Possunt ne omnium necessitatum nostrarum esse gnari? Augustinus in libro De cura pro mortuis agenda, ignorare se affirmat, sciant ne sancti mortui, quid hic agant uiui, etiam ipsorum filij: existimatq; eos non magis scire, quid nos hic agamus in terris, quàm nos quid ipsi agant in cœlis. Quis ergo certò cognoscet, quomodo uiuentibus adsint ubiq;, precesq; & suspiria illorum audiant, cũ ea soli Deo conueniant? Abraham cum in uiuis esset, diem Christi post plurima secula futurum uidit, post mortem uerò statum posterorum suorum non uidit, sicuti patet Esa. 63. ubi sic legimus: Attende de cœlo, & uide de habitaculo tuo, & solio gloriæ tuæ. Vbi est zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo uiscerum tuorum, & miserationum tuarum? Super me continuerũt se. Tu enim pater noster. Et Abraham nescit nos, & Israel ignorat nos. Verùm Scholastici hoc loco uiderunt, quę Augustinus uidere non potuit, & quæ nullo sunt sacræ Scripturę testimonio tradita. Magister sententiarum libro quarto. Distinctione quadragesima quinta sic argutatur: Si angeli à Deo per uerbum eius discunt petitiones nostras, & quid de his implendum sit, quid non: cur non credamus & animas sanctorum Dei faciem contemplantium in eius ueritate intelligere preces hominum, & quæ implendæ sint, uel non? Hæc ille. quibus Scotistæ ac Thomistæ pleraque adijciunt. Respondemus autem paucis.

Etiamsi orent pro nobis mortui sancti, haud tamen esse inuocandos.

Magister sententiarum.

De eo quòd angelos preces nostras per uerbũ Dei discere dicunt.

Quòd angeli petitiones nostras à Deo per uerbum eius discãt, scimus uel ex historia Cornelij. Quòd uerò idem sit de animabus quoque sanctorum sentiendum, non credimus, quia uerbum Dei hac de re cui credamus, non habemus: tutum autẽ non est credere sophisticę ar-

gumentationi, sine uerbo Dei propositæ, quæ hoc est ad seducendum instructior, quo incautis, pbabilior apparet. Si uerò queras, quare nõ æquè petitiones nostras ex uerbo Dei cognoscant animę sanctorũ in cœlo existentes atq; angeli: accipe manifestam rationem. Animarum conditio non est eadem, quę est angelorũ. Angeli sunt ministratorij spiritus, nuncij Dei, quos mittit propter electos, Ebr. 1. Igitur illis reuelat Deus non modò orationes nostras, sed & omnia reliqua, quorum cognitione opus habent, ad perficiendum iniunctum ipsis ministerium. Sic angelo ad Cornelium misso, innotuerant ipsius orationes (quas non ad angelum, sed ad Deum effundere solebat) propterea quòd cœlitùs esset ad eum mittẽdus. Nihil tale de animabus sanctorũ in Scripturis traditur. Quare prorsus friuola est ista Scholasticorũ argutatio: Intelligunt sancti preces hominum, inquiunt, ex reuelatione Dei. Vnde hoc probatur? Quia, inquiunt, angeli sic eas intelligunt, cur non credamus idem fieri & animabus sanctorum? Quas preces nostras intelligunt angeli ex reuelatione Dei? An eas quibus ipsi à superstitiosis cõtra uoluntatem Dei inuocantur? At huius rei nullum est in sacris Scripturis testimonium, nec est ratio, ob quam eiusmodi preces Deus angelis suis reuelet, quas ipse nec probat, nec exaudit, & ad quarum exequutionem nullo utitur angelorum ministerio. Intelligunt ergo preces nostras ad ipsum Dominum Deum nostrum factas, quatenus uoluntati Dei ad illarum exequutionem sunt ministraturi, & eam ob causam de illis instruũtur diuinitùs. Quid ista obsecro ad inuocationem sanctorũ? Sancte Petre, inquiunt, ora pro nobis. Vnde intelliget hanc inuocationem Petrus? Ex reuelatione Dei, inquiunt. Quę est aũt ratio, ut Petro dicat in cœlis Deus, Populus meus, uel ille, aut ille, inuocat te, ut pro ipso apud me intercedas? cum eiusmodi orationes non probet, nec populum suum ut sic orent ad diuos, uerbo suo instruxerit, nec opera Petri perinde atq; angelorum ad iuuandum eos uti constituerit? Disertè dixit: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Quomodo ergo pbare poterit, frater, quòd nõ ipsum, sed mortuos sanctos inuocas? Si nõ probat, quomodo adeò desipis, ut putes ipsum orationes tuas sanctis quos inuocas, tuo bono reuelare, & sanctos in cœlis sic esse ignaros uoluntatis Dei, ut eiusmodi inuocationem approbent, quam non approbat Deus, & quæ nunquam in usu piorum hominũ extitit? Si princeps dicat: Volo ut mei omnes in necessitatibus constituti, opem meam ex animo, & bona cum fiducia implorent, ac promitto illis meum auxilium in omnibus, quo me tanquam principem suum glorificent: quis nam subditorum, nisi admodum desipiat, ad proceres aulæ cõfugiet, illorumq; intercessionem implorabit, aut hoc facientem principi placiturum iudicabit? Obsecro, quàm adhuc amplius desipiũt illi, qui sanctos mortuos inuocant, ad quos ipsorũ inuocatio peruenire non potest, nisi primùm perueniat in conspectum Dei, & ab illo, ut Sophistæ uolunt, ipsis reueletur? Si omnino necesse est ut orationes nostræ cum primis ad Deum perueniant, quare illas non rectà ad ipsum dirigimus, cum id nos facere iusserit? An non est multo consultius, ut precationes nostrę sic ueniãt in cõspectum Dei, ut conformes sint ipsius uoluntati ac uerbo, quàm ut sint ab utroq; alienę? Sed hactenus pius satis de commento Scholasticorum.

Quod autem rationes attinet, quas adferunt, qui inuocationem sanctorum defendunt, remitto Lectorem ad ea quæ in Commentarijs nostris super Mstthæum annotauimus, ubi re-
1 spondimus ad ea quibus obijciunt, multos per inuocationẽ sanctorum liberari ac curari: pec-
2 catores non exaudiri à Deo, ideoq; opus esse ut ad intercessionem sanctorum confugiamus:
3 in aulis principum uideri quid possit eorum intercessio, qui principibus sunt coniuncti & ac-
4 cepti: si alius pro alio orat in hac uita, citra iniuriã mediatoris Christi nihil impedire, quo mi-
5 nus & in cœlo orent pro nobis sancti. Item, Si sancti per charitatem cum hic in terris agerent, pro alijs orarunt: multo eos id facere magis in cœlo, ubi iam sunt in charitate perfecti. Quàm sint hæ rationis friuolæ, illic admonuimus.

IIII. QVANDO SIT ORANDVM.

Vera oratio nulli certo tempori alligatur.

ORatio, quæ uera sit, hoc est quę nõ fiat ore tantùm, sed & corde, sic ut cor sit in ore, nulli potest certo tẽpori alligari, sed pendet à qualitate affectuũ. Si roges, quando sit cantandum, quando plorandũ: in promptu responderi potest, cantandũ esse, quando cor lætitia quapiam perfusum exultat: plorandum uerò, quando res tristes sic animum afficiunt, ut nolenti quoq; erumpant ex oculis lachrymæ. Si quæras quando sit edendum, quando bibendum, quando imploranda cura medici: nemo est qui nõ statim respondere possit, Vbi esurieris, ede: ubi sitieris, bibe: ubi ægrotare cœperis, consule medicum. Sanis enim nõ est opus medico, sed malè habentibus, inquit Seruator: & cibus necessarius nõ est saturis, sed esurientibus: & potus nõ cõducit, nisi sitientibus. Consimilis prorsus est & orationis cõditio, quę tum est tẽpestiua, quãdo nõ est ἄλογος καὶ ἄψυχος, id est ratiõe & animo destituta, sed præsenti necessitati & causę correspõdẽs, & αὐάλογος. Hinc est quod Iacob. ca. 1. dicit: Si qs indiget sapiẽtia, postulet à Deo: & cap. ulti. Tristatur aliqs uestrũm, oret: bono animo est, psallat. Si cõsideres orationis partes, quę sunt, precari ac petere, deprecari, cõqueri, opẽ implorare, pro alijs interpellare, laudare

Quando tẽpestiua sit oratio.

Iacobi ultimo.

laudare & gratias agere, facilè intelliges, quando sit tempestiuum ut ores. Indigentia docet, quando sit petendum ac postulandum. Conscientia peccati urget ad precãdum ac deprecandum: precandum scilicet ueniam, & deprecandum iram Dei. Calumnię à reprobis illatę, tempestiuas reddunt afflictorum querimonias. Tribulatio & afflictio docent quando opem Dei implorare debeas: charitas & commiseratio mouent ad intercedẽdum pro fratre afflicto, uel alias tentationibus aut iræ Dei obnoxio. Sensus bẽneficiorũ Dei, ac zelus gloriæ illius, incitant ad laudem & gratiarum actionem. Vbi nihil horum sentitur in animo, ibi intempestiua & inanis est omnis oratio, quocunq; tandem tempore fiat.

Sed obijcitur illud Apostoli 1. Thess. 5. Sine intermissione orate: & quod Christus Lucę 18. semper orandum, & haud deficiendum esse docuit. Verùm ad ea respondimus in Commentarijs nostris super Matthæum. Christiano homini nunquam desunt certæ orãdi causę. Interea tamẽ, quoniam nec fieri potest, nec commodum est, ut relictis alijs negocijs, nihil agamus aliud, quàm ut indesinenter orationibus uacemus, id quod Euchitarum secta faciendum putauit: in more iam olim est sanctis hominibus, ut certas horas precationibus deputent, quibus cordium suorum æstum in conspectum Dei suppliciter effundãt. Sic Dauid media nocte surgebat ad supplicandum Domino Deo suo, & Christus ipse nocturni temporis cõmoditatẽ precationibus dabat: & Daniel in captiuitate constitutus, tribus uicibus per diem ad Dominum Deum suum orare solebat, Dan. 6. Quare non est alienum à Christiano homine, ut nõ in ecclesia modò cum plebe Christi, sed & domi suę certis temporibus & horis preces suas corã Domino effundat: quemadmodũ à famelico stomacho alienum nõ est, ut statis prandijs aut cœnis urgenti fami occurrat: de quo, cum id facit, dici nõ potest, quòd sine esurie cibũ sumat. Et Apostolus, quantumuis operi Domini ad prædicandũ Euangelium omniũ esset intentissimus, haud tamẽ sine cõmoda temporum distributione id muneris obibat, præsertim ijs locis constitutus, ubi Iudæorum erant Synagogæ: quod reliquum erat, manuum labori dabat.

1. Thess. 5. Sine intermissione orate.

Sancti certas horas precationibus suis deputant.

Simile.

Nihil tamen uetat, quo minus inter laborandum quoq; oret ac psallat homo fidelis, qua de re & Augustinus alicubi monet: quemadmodum & de nonnullis patribus legimus, quòd inter laborandũ & cibũ gustare, & uel precari, uel psallere consueuerint. Vt Sabbati, ita & quorumcũq; temporũ dominus est Christianus, sic ut illis pro sua cõmoditate, nedum necessitate liberè uti possit, ad unum hũc scopum collimans in omnibus, ut religiosè, fideliter ac ueraciter cum Domino Deo suo agat, & necessitatis cùm suæ, tum proximorum rationẽ habeat.

Etiam inter laborandum orare potest homo fidelis.

V. VBI SIT ORANDVM.

LOcales sumus, ubicunq; in hac terra degimus. Quare fieri non potest, ut inter orandum non simus aliquo loco. Interea tamen quæritur, referat ne quo loco oremus. Referre uidetur ex eo quod Dominus de templo Hierosolymitano dixit: Scriptũ est, Domus mea domus orationis uocatur. & Matth. 6. Tu uerò cum oras, introito in conclaue tuum, & occluso ostio tuo, ora patrem tuum in occulto, &c.

Contrà haud referre uidetur, ex eo quod Apostolus 1. Tim. 2. dicit: Volo uiros orare quouis loco, leuãtes puras manus. Et Christus Ioã. 4. Mulier, crede mihi, uenit hora, quando neq; in monte hoc, neq; Hierosolymis adorabitis patrem, &c. sed uenit hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate. Nam & pater tales quęrit, qui adorẽt ipsum. Spiritus est Deus, & eos qui adorãt eum, in spiritu & ueritate oportet adorare. Refert igitur, & non refert ubi oremus. Respondeo, referebat populo legali, cui locus certus erat certas ob causas Hierosolymis ad cultum Dei deputatus, ac nomini ipsius cõsecratus. qua de re uide 1. Reg. 8. quò respexit Dominus, cum de templo Hierosolymitano diceret: Domus mea domus orationis uocabitur. Iam uerò postquam in Nouo testamento legales cultus cessarũt, ac nominis Dei religio nulli est certo loco astricta, sed secundum Malachiæ uaticinium, ab ortu solis ad occasum usq;, magnum est nomen Dei in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur illi oblatio munda: non refert amplius ubi oremus, sed quouis loco secundum Apostoli doctrinam, constitutis licet nobis leuare in cœlum puras manus, & ad patrem nostrum orare in spiritu ac ueritate. Quod uero Christus Matth. 6. dicit: Cum uis orare, introito cõclaue tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito: non ad hoc dicit, ut precationes fidelium suorum cubiculis & conclauibus astringat, sed ut uitium ostẽtationis, cui inter orandũ studebant pharisæi, in angulis platearum & Synagogis palàm orantes, quo conspicui essent hominibus, proq; religiosis haberentur, & hoc prætextu domos uiduarum uorarent, summopere uitandum ipsis esse admoneat. Et præterea secreta conclauium admodum illis sunt ad orandum accommoda, qui seriò orant, & cordium suorum æstus in conspectũ Domini effundunt. Quare admodum superstitiosi sunt, qui nisi in templis manufactis, & ante aras ac simulacra prouoluti, orare nesciunt, quam superstitionem prorsus ethnicã pseudepiscopi templorum & ararum consecratione confirmarunt. Quin Augustinum audiunt, qui sic alicubi dicit: Quid supplicaturus Deo locum aptum & sanctum requiris? Interiora tua munda, & omni in

Nõ refert quo loco oremus. Cap. 1.

Matth. 6. Quomodo iusserit Christus orare in conclaui.

de mala cupiditate repulsa, præpara tibi in cordis tui pace secretum. Volens in templo orare, in te ora, & ita age semper, ut Dei templum sis. Ibi enim Deus exaudit, ubi habitat. Hæc ille, quibus satis patet, iam tum illius tempore relapsos fuisse Christianorum plerosq; ad superstitionem templariam, non in cultibus modò, sed & precationibus: ut putarint efficacius orari in templis quàm alijs locis, quæ ut prophana orationibus non conuenire putabant.

Quemadmodũ igitur in rebus humanis non refert ubi edas, ubi bibas, quod corporis sustentationem attinet, modò edas ac bibas sanus, utilia & conuenienter: ita in religione nõ refert, ubi ores, modò ores piè ac religiose, in spiritu ac ueritate. Quod enim Deum attinet, quẽ inuocamus, nulla est habẽda locorum ratio, cum sit ubiq; præsens: & quod attinet qualitates locorum, non sanctificant nostras orationes, sed magis pietate orantium sanctificantur.

VI. PRO QVIBVS SIT ORANDVM.

Pro quibus rebus sit orandũ.

DE hoc cogitãdũ est bifariã. Primò, pro qua re: secundò, pro quibus personis sit orandũ. Pro qua re orandum, id est quid à Domino Deo nostro petendum sit, nõ habet modi ci momenti consideration em. Neq; enim mox quælibet petenda sunt à Deo, quemad modũ nec speranda. Ne à patre quidẽ suo filius poscet quælibet, si nõ desipiat, sed rationẽ habebit facultatis ac uoluntatis ipsius, honoris quoq;: deinde & suæ ipsius personæ, quid illi cõducat & conueniat: quanto magis ei qui ad Deum orat, non sunt temerè petenda quælibet?

In oratiõe duo esse spectanda.

Quæramus igitur, & certa quadam ratione statuamus, quid rectè à Deo, & sic peti possit, ut obtineri posse, sperare liceat. Dicã quid mihi uideatur, idq; quàm potero breuiter: In qualibet oratione uel necessitatem, uel decorum spectare conuenit. Necessitatem, quæ uidelicet premit & urget petentem: decorum, Dei scilicet, à quo petitur, & eius qui petit.

Necessitas duplex.

Necessitas aut est spiritualis, aut corporalis. Spiritualis est eorum, quæ pietatem, religionem ac salutem nostram concernunt. Hac compulsi petimus à Deo spiritum bonum, donum fidei, remissionem peccatorum, patientiam in aduersis, perseuerãtiam in uera pietate, & quæ alia sunt huiusmodi, sine quibus seruari non possumus. Corporalis est, quæ uitę nostrę sustentationẽ, utpote corporũ alimentũ, curationẽ & liberationẽ cõcernit: ad quam pertinet, quod in oratione Dominica dicimus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: & quod ægroti curationem, & captiui liberationem, in periculis constituti, conseruationem petimus.

Decorum Dei.

Decorum Dei est, ad quem oramus, ut det petentibus nobis non quælibet, sed quæ à uero Deo rectè ac decẽter dari possunt: quemadmodũ decorũ est patris, ut det liberis suis quæ patrẽ dare: principis, ut indulgeat populo, quæ bonũ principẽ indulgere: præceptoris, ut proponat discipulis, quæ fidelẽ præceptorẽ proponere decet. Quemadmodũ sæpenumero accidit, ut liberi à patre, subditi à principe, discipuli à præceptore suo ea petant inconsultò, quæ cum decoro personæ quæ geritur, dari non possunt: consimiliter accidit & in hac causa, nõ dico sæpenumero, sed sæpissimè ac frequenter, ut petamus à Deo, quæ ab illo nobis, ut à Deo, cũ decoro Dei, dari nequeũt. Quare cum decorum Dei in oratione legitima requirimus, omnes superstitiosas, impias, iniustas, curiosas, temerè præsumptas, inutiles, nedũ noxias precationes excludimus, eaq; petenda esse monemus, quæ à Deo tãquam Deo decenter dari possunt. Vt necessitatibus nostris tam corporalibus quàm spiritualibus succurrat, ipsissimum est officiũ Dei: quare ad decorum illius facit, si eiusmodi petitis nostris clementer annuat.

Decorum petentium.

Decorum petentium est, ut cum primis rationem habeant gloriæ ac nominis Dei: hoc est, ut ante omnia in uotis habeant & petant ea quæ gloriam Dei concernunt. Exemplum huius manifestum in Dominica nobis est oratione propositum, ubi ab ipso Domino instituti dicimus: Pater noster, qui es in cœlis: Sanctificetur nomẽ tuum: Adueniat regnum tuum: Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Deinde, ut quicquid petierint, aliter non petant, quàm ut totum uoluntati Dei commendent, idq; exemplo Christi, qui in extremis angustijs orans, dicebat: Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicuti tu uis.

Etiã sancti aliquando nesciũt quid petere debeant.

Hoc puto compendio breuiter comprehendi posse, quę nam rectè possint à Deo peti. Singulares tamen nonnunquam tentationes & afflictiones accidunt electis, in quibus nesciunt quid orare ac petere, sicut oportet, debeant. qua de re uidere est Romã. 8. In eiusmodi casibus infirmitati & ignorantiæ nostræ succurrit Spiritus sanctus, postulãs pro nobis gemitibus inenarrabilibus, quos intelligit ille, qui scrutator est cordium.

Pro quibus personis sit orandum.

Pro quibus autem sit personis orandum, puto non posse certius statui, quàm si consideremus, quibus secundum doctrinam Christi dilectionis officia impendere debeamus, ut quos diligere tenemur, pro ijsdem etiam oremus. Iubemur autem diligere non solùm propinquos & amicos, sed & inimicos. Orandum itaq; nobis est non modò pro amicis & proximis, ac religionis consortibus: sed & pro inimicis, alienis & infidelibus. Et quemadmodũ lege charitatis perinde alios atq; nos ipsos diligere iubemur, ita & orando pro illis eadem à Deo petere debemus, quę ut necessaria nobis ipsis petere solemus, & petẽda esse ducim⁹. In illis aũt prorẽ locũ uindicãt sibi spiritualia, posteriorẽ uerò corporalia. Augustinus alicubi meminit, quo

Augustinus.

studio

ſtudio pro amicis ſuis à ueritate aberrantibus orauerit. Cupiebat eos è tam grandi malo eripere. Etenim à ueritate aberrare, quid aliud eſt quàm errãdo perire, niſi per gratiam Dei reditus ad uiam ueritatis fiat? Hoc genus orationis potiſsimũ pro illis fieri debet, qui ſunt in ſublimitate conſtituti, quales ſunt reges ac principes: quò pertinet locus Apoſtoli 1. Tim. 2. Nemo ſatis perpenderit, quãto cum publico bono id genus hominum ad ueritatem Dei perducatur. Conſimili modo orandũ etiam cum primis eſt pro uerbi Dei miniſtris: cuius rei multę ſunt cauſæ, ut haud fruſtrà fuerit quod Apoſtolus à Coloſſenſibus petijt, ut pro ſe oraret, Coloſ. 4. dicens, Orationi inſtate uigilãtes in ea cum gratiarum actione, orantes ſimul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis, &c. quem locum citans Auguſtinus in concione quadam, hortatur populum ut pro ſe orent. Orate pro nobis fratres, inquit, ut & quod uidendum eſt, bene uideamus: & quod dicendum eſt, bene dicamus. Rom. 15. quoq; pro ſe orari petit Apoſtolus, cum dicit: Obſecro autem uos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, & per dilectionem Spiritus, ut me laborantem adiuuetis precationibus pro me ad Deum, ut liberer ab incredulis in Iudæa, &c. Idem facit & 2. Theſſ. 3. dicens: Cæterùm fratres orate pro nobis, ut ſermo Dei currat & clarificetur, ſicut & apud uos, ut liberemur ab importunis & malis hominibus. Nõ enim omnium eſt fides. Et Epheſ. 6. Per omnem orationem, inquit, & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo uigilantes in omni inſtantia & obſecratione pro omnibus ſanctis, & pro me, ut detur mihi ſermo in apertione oris mei, ut cum fiducia notum faciam myſterium Euangelij, &c. Hiſce locis uidemus, quãti fecerit Apoſtolus preces fidelium, & ſimul intelligimus, quid pro miniſtris orantes petere à Deo debeamus: uidelicet, ut aperiat illis oſtium ſermonis, detq; fiduciã prædicandi ac patefaciendi euangeliũ, & liberet eos ab incredulis & malis hominibus. Huiuſmodi preces ab eccleſia fideliũ factas, apprimè placent in conſpectu Dei. Perinde nanq; comparatę ſunt, ac ſi paruuli pro incolumitate parentum ſuorum, & ægroti pro ſalute medici alicuius orent, ubi multum poteſt commiſeratio coram Deo: ut haud præter rationem fuerit, quòd eccleſia tam Hieroſolymis pro Petro, Act. 12. quàm inter gentes pro Paulo indeſinenter ad Deum orauit.

Orandum prõ illis qui à ueritate aberrant.
Pro principibus.
Pro uerbi miniſtris.

Non eſt aũt orandum nobis pro miniſtris uerbi tantùm, & pro principibus, ſed & pro omnibus ſanctis, id eſt fidelibus, ſicuti monet Apoſt. Epheſ. 6. loco ſuprà citato: imò, pro omnib. hominibus, Apoſtolo hortatore, qui 1. Tim. 2. dicit: Adhortor igitur, ut ante omnia fiãt deprecationes, obſecrationes, interpellationes, gratiarũ actiones pro omnibus hominibus. Nec impedit quod perſequuntur nos & calumniantur increduli, quo minus pro illis quoq; oremus. Sic enim Chriſtus docet: Orate pro perſequentibus & calumniãtibus uos. Matth. 5. Et Hier. cap. 29. Iſraelitis in Babylone captiuis ſcripſit, ut orarent pro pace ac ſtatu eius ciuitatis, per quam captiui detinebantur: quod perinde erat, ac ſi Chriſtianis hodie ſub Turcorum tyrãno captiuis ſcribat quiſquam, ut pro pace ac tranquillitate Turcorum orent ad Dominum.

Pro omnibus ſanctis orãdũ, imò pro omnibus hominibus

Conſtat hęc eſſe firma per ſacras Scripturas. De eo autem dubitauerit forſan aliquis, an ſit nobis orandum pro peccatoribus: ad quod paucis reſpondeo. 1 Principiò, dubium non eſt, orandum eſſe pro peccatoribus, qui uerbo Dei admoniti reſipiſcũt. Pro illis bona poſſumus ad Deum orare cum fiducia, ut reſipiſcentibus peccata clementer remittat. Nam ſcimus talibus promiſſam eſſe peccatorum remiſsionem, Ezech. 18.

An pro peccatoribus ſit orãdum.

2 Deinde pro illis quoq; rectè oramus, qui peccant non ad mortem. Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei uita peccanti nõ ad mortem, inquit Ioannes in Canonica ſua, cap. ult. 3 Imò etiam ſi ſic peccet grauiter, ut ad mortẽ peccare uideatur, non erit illicitum pro illo orare. Neque enim hoc uetat Ioannes, cũ dicit: Nõ pro illo dico ut roges: quod aliud eſt, quàm ſi diceret, Pro illo dico ut nõ roges. Orauit Moſes pro populo, cũ erecto uitulo grauiſsimè peccaſſet. Sic nos orare poſſumus pro ijs, quos enormiter peccare uidemus, etiãſi nondũ reſipiſcant: nõ ut ſit hoc illis impunè, ſed ut reſipiſcãt & ſeruentur.

Sed obiecerit quiſquam ea quæ Hier. 7. leguntur ad hunc modum: Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis lamentum & orationem, & ne interpelles me, quoniam non exaudiam te: & quæ cap. 11. conſimilia leguntur. Verùm hiſce uerbis non damnabatur ſtudiũ Prophetę, quo indeſinenter pro populo Dei orabat: ſed admonebatur, fruſtrà pro illo orari, eo quòd tẽpus iudicij & iræ præ foribus eſſet, ſicuti uidere eſt cap. 14. ubi ſic legitur: Noli orare pro populo iſto in bonum, &c. quoniam gladio, peſte, ac fame conſumam eos. Interea Propheta non ceſſabat à ſtudio, ut prędicandi, ita & orandi, quantũuis aliquoties audiret à Deo, quòd nihil efficeret orãdo. Duo ſuo uiſitationis genera, quibus populus corruptus ac deprauatus uiſitatur à Deo. Vnum eſt uerbi, alterum flagelli. Et duo ſunt peculiaria prophetarum ſtudia: prædicandi unum, orandi alterum. Donec primum uiſitationis genus durat, à neutro ſtudio ceſſat fidelis propheta, donec prædicationis officiũ adminiſtrat, ſimul & in ſtudio orãdi perdurat. Imò etiam ubi non eſt amplius prophetandi locus, ſed magis propter flagellum Dei eiulandi ac lamentandi, à precibus abſtinere non poteſt, nec cohibere ſe, quò minus ad Deum iratum ac flagellantem pro populo meritas pœnas luente intercedat. Nemini bono culpabile uideri poteſt, ſi benefaciat ingratis, & fruſtrà. Conſimili modo nemini debet uitio

Obiectio ex Hieremia: Tu noli orare pro populo hoc.
Duo ſunt uiſitationis diuinæ genera, & geminum eſt prophetarum ſtudium.

uerti, si oret ad Deum pro peccatoribus, etiam impœnitẽtibus, ac frustrà Deus ipse pro bonitate sua benefacit malis & ingratis, ac beneficia ipsius malè collocantibus, cũ id ignorare nequeat. Quomodo ergo culpabile poterit esse factũ, si quis studio charitatis impulsus pro talibus oret, quantumuis hoc frustrà, Deo nõ exaudiẽte, faciat. Verùm hoc genus orantiũ admodũ rarũ est nostro seculo, ut uideri possit, haud adeò multis hac de re esse lectorẽ instruendũ.

An sit orãdum pro mortuis.

Existimamus itaq; ex his quæ commemorata sunt liquere, quàm debeamus neminem excludere ab orationum nostrarum cõmunicatione: sed orare pro omnibus, superioribus, inferioribus, ministris uerbi, fidelibus, infidelibus, amicis, inimicis & peccatoribus. Verùm de mortuis, an pro illis quoque sit orandum, admodum controuertitur. Papistæ, quo quæstui suo consulant, obnixè contendunt, plurimum prodesse mortuis ut è purgatorio liberentur, si pro illis oretur. Citant Augustinum, qui pro matre sua mortua orasse legitur, ac locis aliquot mentionem facit eiusmodi orationum, quas ecclesia fundat ad Deum pro spiritibus defunctorũ. Huic addunt & Damascenum & Dionysiũ, nescio quẽ. Et ne sacrarum Scripturarum testimonio destitui uideantur, citant cum primis exemplum Iudæ Machabæi ex libro secũdo Machabæorum, capite duodecimo. In nostris uerò ecclesijs consuetudo hæc orandi ac sacrificandi pro mortuis non recipitur.

De exemplo Iudæ Machab.

Quod exemplum Iudæ attinet, respondemus paucis. Primò, notum est ex Patrum quoq; & Conciliorum sententijs, libros Machabęorum esse apocryphos, & extra Canonicarum scripturarum authoritatem reliquis imprudẽter in corpus Bibliorum insertos. De illis Hieronymus in præfatione Prouerbiorum Salomonis scribit ad hunc modum: Sicut ergo Iudith & Tobię, & Machabęorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas nõ recipit: sic & hæc duo uolumina (Sirach & Sapientia) legit ad ędificationem plebis, nõ ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum cõfirmandam. Hæc ille. Et in Concilio Laodiceno, capite quinquagesimonono & ult. ubi Canonici sacrę Scripturę libri recensentur, omittũtur libri Machabæorum, Ésdræ secundus, Sapiẽtiæ, Ecclesiasticus, & Apocalypsis Ioannis. Quid igitur authoritatis meretur in ecclesia Christi exemplum hoc Iudæ, cum ea Scriptura ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam facere nequeat?

Explicatur factũ Iudæ Machabæi.

Sed locum ipsum recitabo ad uerbum: Sequenti die (inquit Iosephus, librorum istorum author, teste Hieronymo) uenit cum suis Iudas, ut corpora prostratorum tolleret, & cum parentibus poneret in sepulchris paternis. Inuenerunt autem sub tunicis interfectorũ donaria eidolorum (id est anathemata, quæ ex templo eidolorum abstulerant) quæ apud Iamniã fuerant, à quibus lex prohibet Iudæos. Omnibus ergo manifestum est factum, ob hanc causam eos corruisse. Hactenus de peccato occisorũ. Subiungit: Omnes itaq; laudarunt iustum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifesta. Deinde ad preces conuersi, rogauerũt μὴ διὰ τὴν γενὸς ἁμάρτημα τελείως ἐξαλειφθῆναι, id est ne propter admissum peccatum penitùs delerẽtur. Hactenus rectè & inculpabiliter fecerunt. Timebant ne propter admissum peccatum, ira Dei nõ cõtenta interfectorum clade, in ipsos etiam qui supererant porrò sæuiret. Id deprecabantur. Sequitur: At fortissimus Iudas hortabatur populum, ut se seruarent sine peccato ipsis oculis uidentes, quid acciderit propter peccata eorum qui prostrati sunt. Rectè & hoc à Iudah factũ. subiungitur: Et facta collatione duodecim millia drachmas argẽti (in Græco est, κατὰκλισιν τὰ εἰς ἀργυρίου δραχμὰς δισχιλίας, id est uasa uel ornamenta ad duo millia drachmarũ argenti) misit Hierosolymam, ut offerretur sacrificiũ pro peccato. Poterãt hęc ad præcedentẽ curam ac solicitudinem referri, qua populus superstes ad Deum orabat, ne propter occisorũ peccatũ ipsi funditùs delerentur, sic ut in eundem finẽ sacrificium quoq; Hierosolymis pro peccato offerri uoluerint, nisi adiecta essent hæc sequentia: Bene ac religiosè de resurrectione cogitãs. Nisi enim eos qui ceciderãt resurrecturos speraſſet, superfluum uideretur & uanũ orare pro mortuis. Et quia considerabat, quòd qui in pietate obierunt, optimam habent repositam gratiã. Sancta hæc & pia est cogitatio. Vnde & mortuorum expiationẽ fecit, ut peccato soluerẽtur.

In hac appendice, qua factum Iudæ exponitur & laudatur, duo memorantur: quorũ prius laudem meretur, posterius uerò sacris Scripturis confirmari & probari nõ potest. Laudabilis sanè fides erat, qua mortuos resurrecturos esse, & in uera pietate obeũtes, optimam in cœlis gratiam repositam habere credebat. Sancta utique & pia erat hæc cogitatio. Verùm quemadmodum plerunque fieri, & sanctis quoque hominibus accidere solet, ut ex causa bona, certa ac sancta, & sacrarũ Scripturarum testimonijs confirmata, incautius colligatur ac præsumatur aliquid, quod alienũ sit à sacris Scripturis: ita prorsus accidit & Iudæ huic, in eo quod quoniam occisos fratres, licet peccassent, iudicioq; Dei percussi essent, resurrecturos credebat: sacrificium pro mortuis, quo à peccato expiarentur, faciendum esse putauit, cũ nihil esset ea de re uspiam in lege præceptum ac traditum, nec in ecclesia Israelis præcedẽtibus seculis usitatum. Hoc uidelicet est, quod in facto Iudæ probari non potest, nec in exemplum trahi debet, quamuis sancta ac pia fuerit illius cogitatio, qua resurrectionem mortuorum fore credebat, unde natum est hoc factum. Non sequitur: Pia cogitatio est, & sancta fides, qua mortuos resurrecturos credimus: ergo & pium sanctumq; opus est, orare ac sacrificare pro mortuis,

tuis, quo à peccatis post mortem soluãtur. Quòd si omnino bonum ac sanctum est, quicquid ex occasione sanctæ cogitationis præsumitur, erat & illorum factum sanctum ac bonum, qui pro mortuis propterea baptizabantur, quòd resurrecturos eos esse credebant, quorum meminit Apostolus primæ Corinthiorum decimoquinto, dicens: Alioqui quid faciũt qui baptizantur pro mortuis, si omnino non resurgunt mortui? ut quid & baptizantur pro illis? fidem illorum probat, qua resurrectionem mortuorum credebant: at baptismum mortuorum, inde natum, non ita probat. Quod si probasset, quasi pium & sanctum, debuisset utique de illo præscribere ecclesijs. At ea de re ne uerbum quidem extat uspiam. Quare rectè Ambrosius nõ factum illorum probat, inquit, sed fixam fidem in resurrectionem ostendit. Quis autem non uidet, quàm in Iudæ quoque exemplo, quod adducunt papistæ, discernendum sit inter factum & rationem facti: quemadmodum inter baptismum mortuorum, & fidem resurrectionis, ex qua ille præsumebatur, & inter prudentiam uillici iniquitatis, quam laudauit Dominus, & factum illius, quod erat iniquum?

De fide ac facto eorum qui pro mortuis baptizabãtur. In eo quod Iudas fecit, discernendum est inter factum & rationẽ facti.

Quid igitur est, quòd exemplum hoc Iudæ tam inconsultò, ne quid durius dicam, ecclesijs Christi proponitur, inq; illo non tam fides resurrectionis, quàm sacrificium pro mortuis ad imitandum præsumitur: cætera uerò relinquuntur, quæ piè proponi poterãt? ut taceã, quòd Iudas pro certo ac manifesto occisorum peccato, cuius ultionem in ipsum populum quoque redundaturam timebat, sacrificandum Hierosolymis esse putauit, cum Papistę prorsus communi ac generali lege pro omnibus ac singulis mortuis qualitercunque defunctis, idque non semel tantùm, sed iterum atque iterum sacrificandum esse censeant: ideoque non contenti primis exequijs, septimas, tricesimas, & annuas è plebe Dei extorqueant, & hinc inæstimabilem quæstum faciant: ut non sit frustra factum, quòd pro duobus drachmarum argenti millibus ipsi duodecim millia legant, quo luculentior & auctior sit ipsorum quæstus, quàm fuerit Hierosolymitanorum. Sed hæc forsan fusius de exemplo Machabæi, quàm res ipsa tam manifesta postulat.

Quod patres attinet, quos adducunt, scimus illos esse de statu mortuorum diuersimodè loquutos. Augustinus libro secundo quæstionum Euãgelicarum, capite tricesimooctauo sic scripsit: Quod autem apud Lucam Abraham diuiti dicit, ad ea loca in quibus torquentur impij, iustos, etiamsi uelint, non posse transire: quid aliud significat, nisi post hanc uitam ita receptis in carcere, ut inde non exeant, donec reddant nouissimum quadrantem, propter incommutabilitatem diuinæ sententiæ, nullum auxilium misericordiæ posse præberi à iustis, etiamsi uelint præbere. Quod admonet scilicet, ut in hac uita homines subueniãt quibus possunt, ne postea, etiamsi optimè recepti fuerint, eis quos diligunt opitulari nõ ualeant, &c. quibus uerbis plurimum derogat illis, qui ad mortuorum sanctorum patrocinia confugiunt. Et Sermone decimoquinto de Sanctis: Animæ sanctæ, inquit, quæ in hoc seculo aut per uitæ innocentiam puræ sunt, aut pœnitentiæ satisfactione purgantur, à Saluatore nostro recipiũtur, & cũ eo esse credendæ sunt, secundum Apostoli dictum: Cupio dissolui, & esse cũ Christo. Animæ ergo fratrum parentumque nostrorum minimè cibis carnalibus delectãtur. Offendi his magis possunt quàm delectari, si cum illæ in sacris sedibus sint, uos eas esse in terra credatis. Hęc ibi. Scimus quid in eo loco agat Augustinus. At interea dicit animas parẽtum ac fratrum nostrorum esse in beatis sedibus, & non in terra, nedum sub terra, nescio quibus purgatorij cauernis inclusas. Consimile est & illud, quod super Ioannem tractatu quadragesimonono dixit: Vnusquisque, inquit, cum causa sua dormit, & cũ causa sua resurget. Et Epistola octuagesima ad Hesychium: In quo quenque, inquit, inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum cõprehendet mundi nouissimus dies. Quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur. Hæc ille. quę ut Scripturis sunt consona, ita tutius etiam à fidelibus hominibus retinentur, quàm quæ sine Scripturis sacrificia & orationes pro mortuis in commẽticio purgatorio constitutis, fieri docent. Confessionũ tamen libro nono, capite duodecimo & decimotertio orat ad Deum, ut peccata matris defunctæ remittat, & interim laudat illius pietatem: & dicit se credere, quòd iam antea fecerit Deus ea pro quibus orat. Et libro de Cura pro mortuis agenda, supplicationes pro spiritibus defunctorum non esse præmittendas dicit. Quomodo ista præcedentibus conueniunt?

De patribus, qui de statu mortuorum diuersimodè locuti sunt.

Augustinus: Vnusquisq; cũ causa sua dormit, & cũ causa sua resurget Cap. 4.

Diuersitatis huius causam, si quis quærat, hanc esse puto. Accidit patribus istis, quod hodie quoq; doctis hominibus accidere uidemus, ut nonnunquam ad receptam suorum temporum opinionem ac consuetudinem scribendo respiciant: aliquando uerò rem eandem ad normam sacrarum Scripturarum, absque catholicæ opinionis ac consuetudinis respectu accuratius tractent, atque ita fit, ut de illa diuersimodè loquantur. Et hoc illis in hac quoque causa usuenit. Vbi de illa secundum Scripturas loquũtur, talia dicunt quæ haudquaquam opinioni ac consuetudini receptæ, de sacrificio ac precibus pro mortuis faciendis patrocinãtur: ubi uerò sese inconsultis Scripturis consuetudini accommodant, ea dicunt, quæ contra nos aduersarij adducunt. Quis autem cordatus non uidet, quàm alia sit illa, ut Cicero alicubi monet, cum ueritas ipsa limatur, in disputatione subtilitas: alia, cum ad opinionem communem

Quare patres diuersa scripserint.

Lib. 2. Officiorum.

munem accommodatur oratio? & quàm in ijs rebus, quæ fidem ac pietatem salutemque nostram concernunt, plus sit habendum fidei doctrinæ sacris Scripturis conformi, quàm receptis opinionibus absq; Scripturis accommodatæ? Sanè quantum interest inter ueritatem & opinionem communem, & quantum certius tenenda est ueritas quàm opinio: tantum interest inter ea quæ de statu mortuorum secundũ Scripturas, & ea quæ de sacrificijs & precibus pro mortuis faciendis, secundum usitatam opinionem dicuntur, tantumque priora posterioribus sunt anteponenda.

Sacrificia & orationes pro mortuis nõ fuerũt in usu temporibus Apostolorum.

Quòd sacrificia & orationes pro mortuis fidelibus tempore Apostolorũ fuerint in usu, nemo facilè docebit. Postea quidè bono episcoporum studio factum est, ut memoria eorũ qui in Domino obijssent, præcipuè martyrũ, in ecclesijs celebraretur, & sacrificia quoq; offerrentur, laudis uidelicet: uerùm nõ fiebant ea pro mortuis, ut illorum saluti prodessent, sed pro uiuis fidelibus, ut mentes illorum in fide Christi cõfirmatiores redderentur. Horum sacrificiorum meminit Cyprianus lib. 4. Epistola 5. quomodo uidelicet pro martyrib. Laurentio, Ignatio, & reliquis sacrificia offerre consueuerint. Quare patet, non eam illis fuisse tẽporibus pro mortuis sacrificandi rationem, qua in papatu utuntur. Sacrificarunt pro martyribus, at ita ut haudquaquam pro illis orarent: id quod & Augustinus alicubi testatur. Sic sacrificium pro mortuis nõ habebat adiunctam pro illis orationem, sed pro uiuis fidelibus. Tandem uerè eo usq; progressus est hic mos sacrificandi pro mortuis, ut nõ solùm pro martyribus, sed & quibusuis defunctis: non modò laudis & gratiarum actionis, sed & expiationis gratia sacrificare, orationesq; pro mortuis fundere cœperint: id quod mirum uideri nõ debet, si cogites, quàm simus ad degenerandum ab eo quod syncerum est, ad deteriora procliues.

Quomodo ueteres pro mortuis sacrificauerint. Cyprianus.

Inter memoriã & orationem pro mortuis, multum interest.

Errãt igitur plurimum, qui ubi de memoria & sacrificio mortuorum apud antiquiores patres legunt, mox de nostrorum seculorum consuetudine cogitãt, atq; ita orationes quas pro mortuis habent, in usu confirmari existimant. Multum discriminis est inter memoriam mortuorum, & orationem pro mortuis. Memoriam iustorum non improbamus, quam in benedictione, ac perpetuã esse in ecclesijs conuenit, cuius rei testimonia habentur in Scripturis: orationem uerò pro mortuis, qualis in usu est in papatu, probare nõ possumus, quia nulla de hac extant Scripturæ sacræ testimonia. Deinde, inter sacrificia quoque & orationes pro mortuis interest plurimùm. In sacrificijs pro mortuis agebantur Deo gratiæ, quòd dedisset illis perseuerantiã in fide Christi ad finem usque perseuerandi: & petebatur, ut ijs qui adhuc in mundo & carne essent, eandem largiri dignaretur. In oratione pro mortuis petitur à Deo, ut remittat illis peccata, quasi sine peccatorum remissione discesserint ex hac uita, sintque animæ illorum neque in sedibus beatorum, neque in loco damnatorum: cum Scriptura nesciat quicquam de statu qui sit inter resocillationem beatorum, & gehennam intermedius. Vnde probamus, quod in Ecclesiastico dogmate, capite septuagesimonono legimus ad hunc modum: Post ascensionem Domini ad cœlos, omnium sanctorum animæ cum Christo sunt, & exeuntes de corpore ad Christum uadunt, expectantes resurrectionem corporis sui, ut adintegram & perpetuam beatitudinem cum ipso pariter immutentur: sicut & peccatorum animæ in inferno sub timore positæ, expectant resurrectionem sui corporis, ut cum ipso ad pœnam detrudantur æternam. Hæc ibi.

Animæ defunctorum uel in cœlo sunt, uel in inferno.

Nec est ut uerba hęc, Omnium sanctorum animę cum Christo sunt, cum Papistis papistice intelligas, qui sanctos alios nesciunt, quàm quorum nomina in Calendarium sunt relata: sed magis Apostolicè, de omnibus fidelibus ac ueris Christianis, quos Apostolica scriptura, dũ adhuc in terris degunt, sanctos uocare solet. Neq; per peccatores intelligas omnes eos qui aliquid peccati admiserunt: sed secundum Scripturæ sensum, eos qui studio peccãdi absq; omni resipiscentia ad finem usq; dediti fuerũt, ideoq; meritò damnatis & gehennę accensentur.

Quid faciendũ sit pro mortuis.

1. Thess. 4.

Dices: Quid igitur faciemus mortuis nostris, si neque sacrificandum, neque orandum est pro ipsis? Respondeo: Consule Apostolum, & audi quid ille faciẽdum esse doceat. Cæterùm, inquit, nolo uos ignorare fratres, de ijs qui obdormierunt, ne cõtristemini, quemadmodum & cæteri, qui spem non habent. Nam si credimus, quòd Iesus mortuus est & resurrexit, sic & Deus eos qui obdormierunt, per Iesum adducet cum illo. Hoc enim uobis dicimus in uerbo Domini, quòd nos qui uiuemus, & reliqui erimus in aduentu Domini, nequaquam præueniemus eos qui dormiunt. Quoniam ipse Dominus cum hortatu & uoce archangeli ac tuba Dei descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primùm: deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aera, & sic semper cum Domino erimus. Proinde consolemini uos mutuò sermonibus his. Hęc Apostolus. Obsecro, si sacrificijs, eleemosynis & orationibus nostris remissionem peccatorum ac salutem mortuis impetrare possumus, quid accidit Apostolo, quòd ne uerbo quidem ea de re meminit, cum ex professo de mortuis uellet instruere fideles, dicens: Cæterùm nolo uos ignorare fratres, de ijs qui obdormierunt, ne contristemini? Annón hic cõueniebat dicere: Habetis sacrificia, eleemosynas & preces. Sacrificate & orate, & eleemosynas facite pro illorum salute? An rem tanti momenti, quanti illam fieri uidemus, per obliuionem uel incuriam ecclesiæ Dei non

Dei non proposuit? cum in eo esset, ut tristiciam illam animis fidelium eximeret, quam ut homines de obitu amicorum in cordibus nostris experimur, rationemq; ostenderet, qua nos mutuò in eiusmodi casu solemur? Quid est quòd spem resurrectionis & futuræ felicitatis proponit? An non admonet, quid de mortuis nostris sperare, nobisq; certò promittere debeamus? Non purgatorium & satisfactiones pœnales, pro quarum remissione orare ac sacrificare debeamus, sed unà cum resurrectione futuram felicitatem, & sempiternam cum Christo ac nobis societatem. Hac spe uoluit Apostolus animos nostros, quod mortuorum salutem attinet, reddere quietos ac securos. Ergo ubi spes illa in animis nostris extinguitur, nihil potest aliud cõsequi, quàm ut de salute mortuorum nostrorum reddamur anxij, atq; ita faciamus omnia sumptibus omnium maximis, quæ sacerdotalis impostura præscribit. Sed hactenus de oratione pro mortuis quid sentiendum sit, dictum esto.

CVM QVIBVS SIT ORANDVM.

PErtinet hæc consideratio ad orationes ecclesiasticas, quę non fiunt priuatim, sed à fidelibus in ecclesiam congregatis tanquam à corpore ecclesiæ communiter. Hic quęstio est, sint'ne indiscriminatim quilibet ad hanc ecclesiasticam precum communicationem admittendi: deinde, liceat' ne Christiano homini cum qualibet ecclesia communiter orare.

Sint'ne quilibet ad communes preces recipiendi.

Quod primam quæstionem attinet, uideo in Ecclesiasticis historijs haud fuisse quoslibet ad orationis communicationem admissos. Cum peregrinis, qui sine literis uenissent, non orabant ueteres aliqui. Et erant forsan tum certæ rationes, propter quas id facerẽt. Orant quidẽ multi cum ecclesia, qui cum illa in eodem fidei ac pietatis spiritu haud communicãt, quos tamen illa ab oratione separare nõ potest. Verùm an' non rectè possint excludi, qui sic uiuũt, ut secundum Apostoli sententiam ne ad cibi quidem communicationem sint recipiendi, de quibus uidere est 1. Cor. 5. aliorum permitto iudicio. Nam uideo nonnullis ueterum hunc fuisse morem, ut ad orationem ecclesiæ admitterent, quos tamen ad mensę Dominicę communicationem admittere nolebant, id quod Ioannes Hierosolymitanus episcopus fecisse legitur.

Liceátne cum qualibet ecclesia communiter orare.

Ad alteram quæstionem, liceatne homini Christiano cum qualibet ecclesia communiter orare, facilius ac certius responderi potest. Quoniam ad cultum pertinet oratio, deq; illa censendũ est secundum qualitatem fidei ac religionis, quæ in ecclesia obtinet, refert omnino plurimùm, qualis sit religio, qualis fides, qualesq; cultus eius ecclesię cum qua sit in oratione cõmunicandum. Cum ecclesia Turcorum orare nõ possum: quia cum religione, fide ac cultu illorum nihil mihi communicationis intercedit. Cum Iudęorum quoq; synagoga preces meas ad Deum non fundo, propter fidei, religionis ac cultuum diuersitatem. Cum ethnicis etiam eandem ob causam communiter orare nequeo. Quid faciam cum ecclesijs papistarum, quas catholica eidolomania, innumeræ superstitiones, falsiq; cultus alienas à Christianæ fidei ac religionis synceritate reddiderunt? Quibus in cultibus consors esse possum, quomodo in oratione communicare potero? Sed hanc materiam in Proscæro nostro tractauimus. Separamus nos à communicatione orationis eorum, nõ quòd peccatores illi, nos uerò iusti simus. nam & ipsi peccatores sumus, & oramus, Remitte nobis debita nostra, perinde atque illi: sed quòd per eidololatriam, superstitiones, & falsos cultus, ut sacerdotalem quæstũ taceam, alienos sese à ueræ fidei ac Christianæ religionis consortio reddiderunt. Quare admodum peccant, qui cum sint de ueritate Dei instructi, nihilominus ad sacra illorum accedunt, & unà cũ eis capita ante aras simulacrorum aperiunt, in genua procumbunt, & simul orãt, cùm in fide ac religione cum illis communicare nequeant.

AN CONTRA ALIQVOS ORARE LICEAT.

Duobus modis cõtra aliquem oratur.

VIdeamus primùm quomodo cõtra aliquem orare dicamur. Fit hoc duobus modis. Vno, quando cõtra studia & conatus hominis iniquè agentis ad Deum oramus, ne progressum sortiantur, sed impediantur ac reprimantur. Sic orantes cõtra ipsum hominẽ orare dicimur, quemadmodum aduersari dicitur homini, qui conatibus illius aduersatur: & iuuare hominem, qui studia illius adiuuat ac dirigit. Hoc genus orationis in quæstionem hãc non uenit. Neq; enim pugnat cum charitate, imò nonnunquam ipsissimũ est charitatis opus, impedire mala hominum studia. Cùm Dauid oraret ad Dominum, dicens: Infatua quęso Domine consilium Achitophelis: suæ quidem causæ respectu aduersus consilium illius orabat, uerùm nihil inde erat illi incommodi futurum, siquidem uoluisset. Et Apostoli cum aduersus studia & conatus Herodis, Pilati, scribarum, pharisæorum ac sacerdotum orarẽt, dicentes: Et nunc Domine respice in minas eorũ, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui uerbum tuum, &c. haud peccabant in legẽ charitatis, quia id quod petebãt, magis ad salutem eorum, quàm ad perditionẽ facere poterat. Sic nihil illiciti admittimus, quando oramus, ut studia & conatus im-

1. Quando contra mala studia iniquè agentium oratur. 2. Sam. 15. Act. 4.

tus impiorum hominum, quibus & nos & ueritatem Dei subuertere moliuntur, reprimãtur & confundantur. Vt enim hoc magis sese perdunt, quo magis iniqua conãdo ac faciẽdo pergunt: ita hoc plus illis occasionis est ad resipiscentiam, quo minus successuũ fortiuntur. 2 Altero modo contra aliquẽ oratur, quando oratur ut iusto iudicio Dei perdatur. Si sic contra sanctam ores, nulla est quæstio: si contra hominẽ uerõ, nõ est modica controuersia, recténe uel secus facias. Præceptum Domini est, ut oremus pro ijs qui nos persequuntur. Quantũ ergo abest, ut contra eos orare liceat? Occurrunt nobis exempla Christi ac martyrum, qui etiã pro ijs orarunt, à quibus occidebantur. Rursus extant in Scripturis exempla sanctorũ, qui cõtra inimicos & aduersarios suos sic orarunt, ut peterent ea quæ ad perditionem illorum erant facturа. An non Dauid Psal. 5. dicit: Quoniã non est in ore eorum ueritas, cor eorum uanũ est. Sepulchrum patens est guttur eorum, lingis suis dolose agunt. Iudica illos Deus: & quæ sequuntur. An non ad perditionem talium impiorum facit, si iudicentur à Deo? imò si, ut in Hebræo est, iniquitatis condemnentur. Quod enim uulgata uersio habet, Iudica eos Deus, quẽ admodum & Græcus interpres uertit, in Hebræo est אַשְׁמ֣וֹתָם, id est tanquã iniquos cõdemna eos, ac perde: quod Hieron. reddidit, Cõdemna eos. Et Psal. 59. dicit, Eripe me de inimicis meis Deus meus, ab insurgentibus in me protege me, &c. Et tu Domine Deus exercituum, Deus Israel, exurge ad uisitãdas omnes gentes, ne benignus sis cuiquam iniquè præuaricãti, &c. An non legi charitatis aduersatur, quòd orat ad Deum ne parcat præuaricantibus? Quale est & illud, quòd Hieremias cap. 18. contra inimicos suos orat, dicens: Attẽde Domine ad me, & audi uoces aduersariorum meorum. Nunquid redditur pro bono malum, quia foderũt foueam animę meæ? Recordare, quòd steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis. Propterea da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladij. Fiant uxores eorum absq; liberis & uiduæ, & uiri earũ interficiantur morte. Iuuenes eorum confodiantur gladio in prælio, & audiatur clamor de domibus eorum, cum duxeris super eos latronem repentè: quia foderunt foueam ut caperent me, & laqueos abscõderunt pedibus meis. Tu autem Domine scis omne consilium eorum aduersus me ad mortem. Ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur. Hæc ille cõtra eos orat, qui primores erant in populo Dei: quę sanè non ad salutem, sed ad perditionem eorum faciebant. Et Paulus, an non contra Alexandrum ærarium orat, cum 2. Tim. 4. dicit: Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, reddat illi Dominus secundum opera eius, quẽ & tu deuita. Neq; enim firmum est, quod Augustinus de sermone Domini in monte, libro primo contendit, uerba Apostoli hoc loco non esse imprecantis, sed prænunciantis, eo quòd nõ dicat, Reddat: sed, Reddet illi Dominus iuxta opera eius. Nam in Græco nõ est ἀποδώσει, id est reddet, sed ἀποδώη, id est reddat: siquidem Græcis exemplaribus, quę in manibus habemus, habenda est fides. Quid quòd Dauid nõ solùm orat contra inimicos suos, imprecans illis ultionem à Deo, sed & perfecto illos odio prosequitur, dicens: Si occideres Deus impium, uiri sanguinum declinate à me, qui rebellant tibi nefariè, eleuantur frustra hostes tui. Non ne odientes te Domine, odio prosequor, & in eos qui aduersum te insurgũt excandesco? Consummato odio odi illos, inimici facti sunt mihi. Si licuit hoc Dauidi, quomodo non licuit orare contra eos quos consummato odio prosequebatur? Quid enim magis contra charitatẽ est, quàm perfectum ac consummatum odium? Quid ad ista dicimus?

Quando oratur aduersus ipsas malè agentium personas.

Psal. 5. & 59.

Hier. 18.

2. Tim. 4.

Psal. 139.

Singularis sanctorum zelus nõ est quibuslibet imitabilis.

Breuiter. Huiusmodi sanctorum orationes singularis zeli Dei exempla habent, ideoq; non sunt quibusuis imitabiles. Quod pugnant cum charitate, quæ ad secundam tabulam pertinet, non reddit eas culpabiles, sed lege dilectionis Dei defenduntur. Neque enim ideo contra inimicos suos orant sancti, quòd ipsis sunt infesti: sed quòd experiuntur eos esse hostes Dei, ac ecclesiæ & ueritati eius diabolico furore percitos aduersari. Hic sanè locum nõ habet dilectio proximi, ubi illa cum dilectione Dei pugnat: hoc est, ubi non potest cum Deo diligi proximus, sed necesse est ut alterutrius dilectio deseratur, præsertim si se proximus odibilem in causa Dei reddat. Nõ est igitur orandum contra eos, qui nobis sunt inimici, propterea quòd nos infestant: sed hactenus magis conuenit, ut pro illis oremus. Contra eos uerò, quos uidemus Deo aduersari magis quàm nobis, rectè orabimus, ut contra inimicos Dei, si zelo gloriæ Dei præditi fuerimus.

QVOMODO SIT ORANDVM.

SCimus omnes quantum referat, quomodo quod in se bonum est, perficiatur: ne si non ritè fiat, noceat magis quàm prosit. Si cui sit in conspectu regis oratoris subeunda prouincia, an non illi summopere curandum est, quomodo non modò certa dicat, sed & debitis ac conuenientibus modis inter orandum sese gerat? Quanto amplius oraturis ad Deum sata gendum est, ut oratio ipsorum circunstantijs modorum ac conditionum sic ornetur, ut oculis diuinæ maiestatis possit esse accepta?

Conditiones orationis.

Conditionum autem alię ipsam orationem, alię personam orantis concernunt. Orationis conditio-

conditiones sunt, ut sit necessaria & decora, qua de re suprà articulo sexto diximus: deinde, ut sit reiecto multiloquio breuis ac succincta. Hanc conditionem Christus ipse Matth. 6. præscripsit, dicens: Cum oratis, ne sitis multilóqui, sicut ethnici. Putant enim fore, ut ob multiloquiũ suum exaudiantur. Ne igitur efficiamini similes illorum. Nouit enim pater uester, quibus rebus opus sit uobis, priusquam petatis ab illo. Hæc ibi. Displicent ergo in conspectu Dei uerbosæ, elegantes & elaboratæ orationes, in quibus quantum uerbis accedit, tantum spiritui decedit. Huiusmodi Ethnicis magis, quàm Christianis orationibus abundat papatus, in illis potissimùm, qui sub prætextu longæ precationis domos uiduarum iam olim uorare cœperunt. Verùm de hoc uitio diximus in Matthæo nostro.

Conditiones orantis.

Orantis conditiones sunt, ut alienus sit à singularibus illis peccatis, quæ Deus summopere auersatur. Fieri non potest, ut qui orat ad Deum, ab omni sit peccato purus, neq; hoc Deus ipse requirit. At interim fieri potest, idque necessariò requiritur, ut non sit uiolentus & crudelis. Talium enim preces indubitatò repulsam patiuntur. Sic enim Esa. 1. legimus: Cum extenderitis manus uestras, auertam oculos meos à uobis: & cum multiplicaueritis orationem, nõ exaudiam. Manus enim uestræ sanguine plenæ sunt. Deinde, Prouerb. 21. dicit Salomon: Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperum, clamabit & ipse, & non exaudietur. Tertiò, 1. Tim. 2. Volo uiros orare, inquit Apostolus, in omni loco, leuantes puras manus, sine ira & disceptatione. Et Christus Marci 11. Cum stabitis ad orãdum, remittite, si quid habetis. Item: Si non remiseritis ex cordibus uestris, non remittet uobis pater uester. Et: Vade prius, recõcilia re fratri tuo, & tũc ueniens, &c. Quartò, 1. Petri 5. Deus superbis, inquit, resistit, humilibus uerò dat gratiam. Et Dauid, Cor contritum & humiliatum, inquit, Deus non despicis. Quintò, Iacobi 1. legimus: Postulet in fide, nihil hæsitãs. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à uento mouetur & circunfertur. Non ergo existimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino. Ergo cauendum est illis, qui ad Deum efficaciter orare cupiunt, ne sint uiolenti ac crudeles, immisericordes, superbi, ac diffidentes: curandumq;, ut alieni sint ab ira ac disceptatione, nec grauatim remittant, si quid habẽt aduersus proximos. Nam huiusmodi uitijs sic offenditur Deus, ut propter illa orationes nostras auertat. Possunt & aliæ conditiones assignari, sed hæ sunt communiores, ideoq; maiore cautione fugiendæ.

Modi quibus sit orandum. Lucæ 18.

Requiruntur autem & modi, ipsi actui orantium conuenientes. Primus est, ut oremus humiliter ac suppliciter. Huc pertinet peccatorum nostrorum confessio, ac supplex gratiæ Dei imploratio. Qui sic orant, seipsi in conspectu Dei accusant, & humiliãt. Notum est exemplum publicani orantis, ac dicẽtis: Deus, propitius esto mihi peccatori. Cui cõtraria est oratio pharisæi, qua sic orabat: Deus gratias ago tibi, quòd non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, uelut etiã hic publicanus: ieiuno bis in sabbato, decimas do omniũ quę possideo.

Pertinent etiam huc gestus externi, humilitatem ac submissionem uerè supplicem spirantes. Hi autem sunt uarij. Alij ~~procumbunt in~~ genua. Sic Daniel tribus uicibus per diem faciebat, cap. 6. Et Christus Lucę 22. in horto flexis genibus orauit. Et Paulus pro ecclesijs gẽtium orans genua sua flexit, Ephes. 3. Alij simul leuant manus suas in cœlum: ad quem modum Salomon ad Deum ante arcam orasse legitur, 1. Reg. 8. ~~Alij faciem quoque~~ cœlum uersus dirigunt, alij ~~prorsus in faciem~~ sese prosternunt, quod & Christus fecit Matth. 26. ~~Alij in cinere, ci~~licio ac sacco coram Deo humiliantur: quale est quod Dauid Psalm. 35. de seipso meminit, & Ionæ 3. de rege Niniuitarum legitur. ~~Inuenias qui sedendo orarint~~ ad Deum. De Eliah 1. Reg. 19 legitur, quòd subter iuniperum sedendo orauerit ad Deum. Et Dauid coram Domino sedẽs orauit, 1. Paral. 17. De publicano, cuius orationem Deus exaudiuit, Lucæ 18. legitur, quòd stãs orauerit, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Et Christus Marci 11. dicit: Cum stabitis ad orãdum. Nihil etiam prohibet, ægrotos in lecto decumbentes orare ad Deum, quem admodum de Ezechiã 2. Reg. cap. 20. legitur. In summa, quocunque modo ac gestu oremus, siue in genua procumbentes, siue in faciẽ prostrati, siue in cinere, cilicio ac sacco, siue sedendo, siue stando, siue decumbendo, quòd Deum attinet, nihil, uel certè parum refert, modò oremus ex animo, seriò, corde humili & contrito.

Secundus modus orandi.

Secundus orandi modus est, ut simus in oratione non frigidi, sed feruentes, præsertim in grauioribus calamitatibus: cuius rei exemplum habemus in oratione Christi, facta in horto, priusquam caperetur. Ad exprimendum feruorem adhibebant ueteres ieiunium, ubi ardẽtibus uotis ac precationibus ambienda esset diuinę maiestatis clementia, sicuti uidere est Iudicum 20. in filijs Israel: qui cum grauiter essent à Beniamitis cæsi, sedẽtes in terra ac ieiunantes flebant & orabant ad Deum. Multa sunt eiusmodi in Scripturis exempla. Et Dauid Psal. 35. dicit: Humiliabam in ieiunio animã meam, & oratio mea in sinu meo cõuertebatur. Et prophetæ cum uellent populum ad seriam orationem uocare, uocabãt illum ad ieiunium & planctũ.

Tertius modus orandi.

Tertius modus est, ut oremus indesinenter. Hunc nobis Christus ipse præscribit Lucæ 18. ubi sic legitur: Dicebat autem & parabolam ad eos, quòd semper orare oporteat, & nõ deficere, &c. Quid autem sit indesinenter orare, ac non deficere, in conclusione patet, ubi dicit: An Deus non faciet uindictam electorum suorum clamãtium ad se die ac nocte? Ergo orare, cla-

mare est ad Deũ: & orare indesinenter, ac nõ deficere, clamare est nocte ac die: hoc est, uespẽri ac manè, cùm cubitum eundo, tum è lecto surgendo. Hoc dicens, significat nõ probari Deo orationes eorum, qui non irremissa ad se spe ac fiducia orant: sed ubi semel atque iterum orarunt, nisi mox exaudiantur, deficiunt.

Quartus orandi modus. Quartò, plurimum commendationis accedit orationi, si fiat cum eleemosyna, id quod in historia Cornelij uidere est Actor. 10. ad quem angelus dixit: Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectum Dei. Est enim grata Deo pietas, quæ adiunctam habet misericordiam ac beneficentiam.

Quintus orandi modus. Quintus orandi modus peculiariter Christianorum est, quo orationes nostras Deo patri per Christum Dominum, ac mediatorem nostrum unicum offerimus, ac propter illum exaudiri petimus. Huc pertinet promissio Christi, quæ Ioan. 16. legitur ad hunc modum: Amen amen dico uobis, quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Hactenus non petistis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium uestrum sit plenũ. Et cap. 14. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio. Sed hactenus de conditionibus ac modis cùm ad orationem, tum ad orantem, ipsumque orandi actum pertinentibus, breuiter dictum esto.

CVIVS MOMENTI SINT ORATIONES *nostræ coram Deo.*

QVomodocunq; oremus ad Deum, nisi constet orationes nostras nõ esse frustraneas, sed per gratiam acceptas & efficaces, inane sit necesse est quodcunq; orandi studium. Quare uidendum est, audiamur ne à Deo, imò exaudiamur orantes, impetremusque quod petimus, & quæ sint causæ, propter quas non oramus ad Deum frustrà.

Quibus argumentis constet quòd audiamur à Deo. De eo quòd audiamur à Deo, imò exaudiamur etiam, tribus modis certi reddimur. Primò per id quod mandat, ut se inuocemus, Psal. 50. dicens: Inuoca me in die tribulationis. Deinde ex adiecta promissione, qua dicit, Et eripiam te. Hinc est illud Esaiæ cap. 58. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet te: clamabis, & dicet, Ecce adsum, quia misericors sum Dominus Deus tuus. Et cap. 65. Deus ipse per prophetam dicit: Eritq; antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam. Et huc pertinet promissio Christi, qua dicit: Quicquid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit uobis. Tertiò per exempla in sacris Scripturis ad hoc proposita, ut ad orãdum prouocemur. Horum numerosior est multitudo, quàm ut hic sint singula recensenda. Iacobus cap. ultimo, unum nobis Eliam proposuit, dicẽs: Multum ualet deprecatio iusti assidua.

Elias. Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, ut non plueret super terram, & nõ pluit annos tres & menses sex: & rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum. Quàm sit in re magna exaudita Eliæ oratio, ad hoc commemorat, ut admoneamur quantum possint coram Deo fidelium orationes. Et ne id personæ prærogatiuæ dandum esse uideatur, & non magis gratię Dei, qua propensus est ad exaudiendum orantium ad se preces, præoccupat, dicens: Elias homo erat. quasi dicat: Non erat angelus, sed homo: & addit, Similis nobis, ne de illo sublimiora, quàm de homine sentiamus.

An non & Iosuæ 10. luculentissimo exemplo declarata est admirabilis efficacia orationis,
Iosue. ubi ad uota Iosuæ sol in medio cœli unius diei spacio constitit, ut interea ultionem de hostibus suis sumeret populus Dei? Orãte Abrahamo sanauit Deus regem Abimelech, & uxorem
Abraham. ancillasque eius, & peperẽrũt, Genes. 20. Orauit ad Deum Isaac pro uxore sua, eo quòd esset
Isaac. sterilis, & orationem illius exaudiuit Deus: deditque illi, ut conciperet ac pareret, Genes. 25.
Iacob. Orauit Iacob, cum timeret sibi à fratre Esau, & sic est exauditus, ut colluctatione angeli confortaretur, priusquam frater ipsi occurreret, Genes. 32. Quoties orauit ad Deum Moses, exau-
Moses. ditus est. Orante illo pro Pharaone, sublatæ sunt ranæ, Exod. 8. & muscæ, cap. eodem: cessarunt grando & tonitrua, cap. 9. abreptæ sunt locustæ, cap. 10. uicti sunt Amalechitæ hostes Israelis, cap. 17. placatus est Dominus Israeli, à quo grandi fuerat erecti uituli peccato exacerbatus, cap. 32. & 33. à lepra curata est soror ipsius Maria, Num. 12. quieuit ira Dei, qua Israelẽ murmurantem, & in Aegyptum redire uolentem delere uolebat, cap. 14. curatus est populus à ser-
Israel. pentibus ignitis, cap. 21. Israel humiliatus à Midianitis clamat ad Dominum, & liberatur, Iudi-
Manue. cum cap. 6. Orat ad Deum Manue pater Simsonis, & impetrat apparitionẽ angeli, cap. 13. Sim-
Simson. son admodum sitiens orat ad Dominum, impetratq; aquam ex molari dente maxillæ asini, ac bibens recreatus est, cap. 15. Deinde orans recipit pristinas uires, ut se de inimicis suis, quam-
Anna. uis cæcus esset, ulciscereturcap. 16. Anna uxor Elkanæ orãdo impetrauit à Deo prolem, cum
Samuel. esset sterilis, Samuelem uidelicet prophetam, 1. Sam. 1. Samuel orat ad Dominum pro Israele, & exauditur, liberaturque Israel de manu Philistinorum, 1. Sam. 7. Orante Samuele, dedit Dominus de cœlo uoces ac pluuias, cap. 12.

Dauid. De efficacia orationum Dauid uidere est passim in Psalmis, ubi occurrunt ista frequenter: Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me. Et, Cum clamarem, exaudiuit me Deus iu-

stitiæ,

ſticię meę. Et, Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eum. Et, In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui, & exaudiuit de templo ſancto ſuo uocem meam, & clamor meus in conſpectu eius introiuit in aures eius. Vide ſequentia Pſal. 18. Item, Clamaui ad te, & ſanaſti me. Et, Clamauerunt, inquit, ad Dominum cum tribularentur, & exaudiuit eos, &c. Orat Salomon ad Deum, & exauditur 1. Reg. 8. & 9. Orando ad Deum excitat Elias mortuum uiduæ Sareptanæ filium, 1. Reg. 17. Oráte illo cadit ignis de cœlo, & uorat holocauſtum, & ligna, & lapides, & puluerem, & aquam, cap. 18. Et Elizæus orando mortuum puerum excitat, 2. Reg. 4. Orat ad Dominum, & impetrat, ut puero ipſius aperirentur oculi, ad uidendum cœleſte auxilium, 2. Reg. 6. Ezechias & ſanitatis ſuæ reſtitutionem, & uitę prolongationem orando impetrauit à Domino, 2. Reg. 20. Amici Iob nõ fuerant rectè locuti coram Domino, quod illorum peccatum remiſſum eſt ꝓpter orationem, quam fudit pro illis Iob. Iob ult.

Salomon. *Elias.* *Elizæus.* *Ezechias.* *Iob.*

Orant Apoſtoli ad Deũ, & mouetur locus in quo cõgregati erant, replenturq; Spiritu ſancto, Act. 4. Petrus facta ad Deum oratione, mortuam Thabitã excitat, ac uitæ reſtituit, Act. 9. Cornelij orationes exauditas à Deo fuiſſe legitur Act. 10. Orat eccleſia pro Petro in carcere ab Herode cõiecto, & exauditur, Apoſtolumq; liberatum recipit, Act. 12. Orantibus Paulo & Pila terremotu cõcutitur carcer, aperiunturq; omnia illius oſtia, ac uincula ſoluuntur, Act. 19. Orauit Paulus pro patre Publij ægrotante, & reſtituit eum ſanitati, Act. ultimo.

Apoſtoli. *Petrus.* *Cornelius.* *Paulus et Silas.* *Paulus.*

Hæc ex Scripturis proponũtur nobis exempla, quibus declaratur, quàm ſint aures diuinæ maieſtatis apertæ & intentæ ad preces eorum, à quibus ex animo, ſiue pro ipſis, ſiue pro alijs inuocatur, unde uidemus quæ ſit orationis coram Deo efficacia.

CAVSAE PROPTER QVAS EFFICAX eſt oratio.

SI quæramus cauſas, propter quas oratio tantæ ſit apud Deum efficaciæ, quantam memorata iam exempla declarant, retulerit forſan eas quiſquam ad dignitatem, prærogatiuam ac iuſticiam eorum, quorũ exempla adduximus, dixeritq;, Iacobus non ſimpliciter, Multum, inquit, ualet deprecatio: ſed, Multum ualet deprecatio iuſti aſsidua. Et Abrahã, Iſaac, Iacob, Moſes, Ioſue, Anna mater Samuelis, Samuel, Dauid, Salomon, Elias, Elizeus, Ezechias, Iob, Apoſtoli, Petrus, Paulus, &c. homines quidem fuerunt ſimiles nobis, paſsibiles ac mortales, uerùm ſimul ſingularem fuerant coram Deo dignitatis ac gratiæ prærogatiuam ſortiti: quare non eſt, ut ad illorum exempla reſpiciamus nos, qui illis longè ſumus inferiores. *Quæſtio.* *Quid nobis exempla iuſtorũ & ſanctorũ proſint, cum ſimus nos illis diſsimiles.*

Nos paucis ad huiuſmodi cogitationem reſpondemus. Non eſt alienum à Deo exaudire preces amicorum ſuorum, quos ſingulari eſt fauore complexus. Hinc tamen non ſequitur, quòd illorum tantùm, & non inferiorum ac peccatorum quoque preces exaudiat. Publicanus utique & latro in cruce peccatores fuerunt, quorum tamen preces exauditas eſſe ſcimus. Non debemus igitur ſic dare Deo reſpectum iuſticiæ, ut reſpectum illi neceſsitatis noſtræ, ac commiſerationem calamitatum auferamus, quaſi non ſit ueraciter dictum illud: Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. & illud Exod. 12. Aduenam non contriſtabis, neque affliges eum. Aduenæ enim & ipſi fuiſtis in terra Aegypti. Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læſeritis eos, uociferabuntur ad me, & ego exaudiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamq́ue uos gladio: & erunt uxores ueſtræ uiduæ, & filij ueſtri pupilli. denique & illud: Homines & iumenta ſeruas Domine, quemadmodum multiplicas bonitatem tuam Deus. Item, Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus ipſum. Hi ſanè Scripturæ loci non tribuunt Deo dignitatis alicuius, ac ſingularis prærogatiuæ iuſticiæq́ue, ſed magis neceſsitatis ac miſeriarum reſpectum, cui dandum eſt, quòd pauperes, miſeros & afflictos ad ſe clamantes non faſtidit, ſed etiamſi ſint peccatores, clementer exaudit ac ſeruat. Quantumuis ergo frater teipſe infra perſonarum quas memorauimus dignitatem abijcias, imò ne inter homines quidem reputandum, ſed iumentis adnumerãdum eſſe iudices, ne ſic quidem deſperare debes de infinita bonitate ac clementia Dei, qua non homines modò, ſed & iumenta ac pullos coruorum ad ſe clamantes exaudi ré ſeruareq́; dignatur. Sunt igitur cauſæ huius, quòd clamãtes ad ſe exaudit Deus, proprię ac ueræ, infinita illius bonitas, philanthropia, clementia ac miſericordia, ſecundum quas natura ſua ad hoc omnium eſt propenſiſsimus, ut miſeros & afflictos ad ſe clamantes exaudiat. *Verè cauſæ, propter quas orantes ad ſe exaudit Deus.*

AN SEMPER EXAVDIAT NOS Deus ad ſe orantes.

QVoniam cauſæ eius quòd nos exaudit Deus ad ſe orantes, partim bonitatẽ illius, partim noſtram neceſsitatem ac ſalutem concernunt, ſecundum illarũ reſpectus reſpondere poſſumus, quòd exaudiat nos ſemper, & quòd nõ exaudiat nos ſemper. Semper

Exaudit nos Deus semper, & nõ semper.

& nõ ſemper, uidetur habere contradictionem: uerùm ſi rectè diſtinguas, nulla erit hic contradictio, quam reſpectuum diuerſitas excludit. Si bonitatem diuinæ naturæ reſpicias, unde eſt quòd exaudimur orantes, ſecundum hanc nunquam non exaudimur ſeriò orantes: hoc eſt, nunquam non acceptæ ſunt Deo orationes noſtræ, quas ſic exaudit, ut neceſſitatum noſtrarum rationem habeat multo meliorẽ, quàm nos intelligere ualeamus, etiamſi quod petimus uel prorſus non præſtet, uel non eo modo, aut tam citò præſtet, ſicuti nos petimus. Paulus ter Dominum rogabat, ut auferretur ab ipſo angelus ſatanæ, à quo colaphis cędebatur, & tamen quod petebat non impetrabat. Et Chriſtus ipſe ſeriò admodũ orabat, ut tranſiret calix, quem bibiturus erat, & tamen quod orabat non præſtabatur. Quis autem dicturus eſt, nec Apoſtoli nec Chriſti unigeniti Dei orationes eſſe à Deo patre exauditas?

Si uerò conſideres ea quæ nos ſubinde petimus, qualia illa ſint, & quomodo ſaluti noſtræ ac neceſſitati conducant uel obſint, ſecundum horum reſpectum ſæpenumerò fit ut non exaudiamur: hoc eſt, ut non impetremus ea quæ petimus. Paulo neque neceſſarium neque conducibile erat, ut à ſtimulo ſatanæ, ſicuti petebat, liberaretur, ſed ſufficiebat ipſi gratia Dei. Neque ſecundum conſilium Dei ſalutiſque noſtræ rationem fieri poterat, ut calicem quem bibiturus erat, non biberet Chriſtus. Quare quòd orabat, nõ præſtabatur. Quod nos attinet, competit nobis illud Iacobi quarto: Petitis & non accipitis, eo quòd malè petatis, ut in concupiſcentijs ueſtris inſumatis. Plerunque impediunt nos ea peccata, de quibus ſuprà articulo nono nonnulla diximus. Nonnunquam oramus adeò frigidè, adeò ſine corde ac ſpiritu, ut non animaduertamus quæ ſint quę uerbis utcunque murmuramus. Cum ergo ſic oremus, ut à nobis ipſis non audiamur, quomodo ſperari poteſt, quòd ab ipſo Deo exaudiamur? Imò, quod adhuc amplius eſt, non ideo oramus, ut exaudiamur: & quomodo exaudiret Deus eos quibus perinde eſt ſiue exaudiantur, ſiue minus?

In ſumma, quoties non exaudimur orantes, non Deo tribuendum hoc eſt, ſed noſtris uitijs, quibus bonitatem, gratiam ac miſericordiam illius impedimus, quo minus præſtet ea quæ petimus. Sic enim bonus ac miſericors erga nos eſt, ut rationem habeat ſalutis noſtræ, detque ea quę neceſſitatibus noſtris conducant. Quare frequenter fit, ut ob idipſum non det quæ petimus, quòd noxia nobis futura ſint, ſi dentur, magis quàm utilia.

Quædã negat Deus propitius, quæ concedit iratus.

Et hoc gratiæ illius deputandum eſt, non iræ. Eſſet autem manifeſtum iræ illius argumentum, ſi noxia petentes exaudiret: id quod in filijs Iſrael patuit, quibus cõcupiſcentia carnium flagrantibus ac murmurantibus, nõ in gratia, ſed in ira coturnicum copiam dedit, Num. 11. ut rectè Auguſtinus alicubi dixerit: Quædam negat Deus propitius, quæ concedit iratus. Stolidi amoris eſt ac noxiæ indulgentiæ, ſi ſic amet pater, ut nihil non liberis ſuis indulgeat, nec quicquam eorum quę concupiſcunt, negare poſsit. Huiuſmodi amoris indulgentia aliena eſt à Deo. Amat nos, ſed ſapienter: exaudit orãtes, ſed facit hoc certis reſpectibus, idq; noſtro bono, nõ malo, niſi iuſta nobis ira ſuccenſeat. Exaudit orantes aliquando ex gratia ſingulari, aliquando ex miſericordia, nonnunquam ex ira. Ex gratia ſingulari, quãdo amicos ac timentes ſe exaudit: quales fuerunt Abraham, Iſaac, Iacob Moſes, Dauid, Iob, Daniel, &c. Ex miſericordia, quando exaudit afflictos, ac neceſſitatibus illorum ſuccurrit. Ex ira, quando reprobis ea concedit, quæ ſuo ipſorum malo concupiſcunt, quę niſi iratus haudquaquam cõcederet. Sed hactenus de oratione, quantum in præſenti ſatis uiſum eſt, dictum eſto.

DE VOTIS.

VSVS uotorũ ſemper habitus eſt pijs hominibus ſacroſanctus, donec tandẽ monaſtica & idololatrica ſuperſtitione corruptus eo uſq; degenerauit, ut iã à multis ignoretur alius, quàm qui uel monachos uel eidololatras uotarios obſtrictos tenet. Accidit illi idem quod orationi & inuocationi, cuius pars quædam olim eſſe conſueuit. Quare commodum uidetur, ut poſt orationem de illo ſubijciamus.

QVID SIT VOTVM.

Duplex eſt ſignificatio uoti.

VOti ſignificatio duplex eſt. Significat enim uouere, & ſanctè promittere, & optare ac deſiderare. Vnde & uotum aliquãdo promiſsionem Deo factam, aliquando deſiderium ſignificat, quemadmodum & εὐχὴ & ὄιχὴ duplici hoc ſenſu à Græcis uſurpantur. Solemus uouendo aliquid à Deo impenſius petere ac deſiderare, unde fit, ut uotum ſæpenumero pro deſiderio & oratione accipiatur. Sic quando quę deſiderauimus, ex animi ſententia ſuccedunt, pro uoto ſuccedere dicuntur: & uoti compotes euadunt, qui deſideratis potiũtur. Propria tamẽ ſignificatio uocis huius eſt, qua promiſsionẽ ſignificat, eãq; nõ quamlibet, ſed Deo religioſe ac ſanctè factã. Si quid promittas homini uel alij cuipiã creaturæ, promiſſum quidẽ rectè uocabitur, uotum uerò non ita.

Magiſter ſententiarum.

Magiſter ſententiarũ definit ad hũc modum: Votum eſt teſtifica-

testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de his quæ Dei sunt propriè fieri debet. Scholastici quidam sic: Votum, inquiunt, est propositi supererogantis promissio, Deo facta, propter bonum finem, ex deliberatione firmata. Supererogâtis propositi uel boni, propterea quòd in uoto de re necessaria ad salutẽ, nõ habetur propriè ratio uoti. Promissio Deo facta, eo quòd homini facta promissio rationem uoti non habeat. Quid ergo sentiendum est de uotis, quibus hodie uouent diuis, nõ modò monachi Benedicto, Dominico, Francisco, sed & reliqua ægrotantium ac periclitantium turba, alij alijs sanctis, à quibus curari ac liberari petunt? Ad bonum finem, ut ea uota reijciantur quę ad bonum finem uel non faciunt, uel facere non possunt. Nam eiusmodi uota Deo placere nequeunt. Ex deliberatione firmata, ad discriminandum inter ea quæ ex deliberato, & ea quæ temerè ac sine deliberatione fiunt. Addunt nonnulli, intentionem obligandi se ad implẽdum promissum, propterea quòd existimant solam deliberationem nõ facere ad firmandum promissum. Hi ponunt in uoto certos quosdam gradus, per quos absolutum & obligatorium reddatur. Primùm statuunt in deliberatione, secundum in processu, tertium in cõsummatione, quartum in solẽnizatione, ut loquuntur. Deliberatio est, quando primùm de faciendo uoto cogitamus, ac faciendum'ne sit uel secus, penes nos ipsos deliberamus. Processum uocant, quando ubi deliberauimus, uotum facere proponimus: ideoq; propositum appellant. Consummatio ipsis est, quando, quod proposuimus, expressis uerbis & animo obligandi nos promittimus. Solennizationem uocant, quando alicui prælato ritu solenni ac palàm, ad uoti seruandi obligationem sese obstringunt, sicuti monachis est in usu. Sic loquũtur de uoto Scholastici, de quo accuratè disputantes magis ad corrupta, quàm sincera uotorum genera commendanda inclinant. *Scholastici.*

QVOTVPLEX SIT VOTVM.

VOtorum, inquit Gnomodidascalus, aliud est commune, aliud singulare. Commune est quod in baptismo omnes faciunt, cum spondẽt renunciare se diabolo & pompis eius: singulare, cum aliquis spontè promittit seruare uirginitatem uel continentiam, uel aliquid huiusmodi. Item singulare uotum aliud est priuatum, aliud solenne. Priuatum est in abscondito, solenne uerò in conspectu ecclesiæ factum.

Addũt Scholastici adhuc alia duo uotorũ genera. Vnũ, quod fiat absq; cõditione, qd uocãt purũ & absolutũ: alterũ cõditionale, quòd adiecta cõditione fiat. Sic illi de generib. uotorũ. *Tria sunt uotorum genera.*

1 Nos uerò sacris Scripturis inhærẽtes tria ponimus uotorum genera. Primum eorum quæ fiunt in necessitatibus, afflictionibus ac periculis. Sic qui in tempestatibus marinis iactãtur, qui in locis desertis errant, in uinculis & umbra mortis detinentur, in lectis ægroti decumbunt, in bellis periclitari uidentur, uel alijs consimilibus periculis in discrimine uitæ uersantur, non simpliciter clamant ad Dominum, opemq; illius implorant: sed uoto aliquo adiecto sanctè promittunt aliquid, quod liberati offerre illi gratitudinis loco uelint, quo palàm testentur ac deprædicent illius se beneficio è maximis esse periculis seruatos. Sic cõiunguntur in hoc uotorum genere, ardentissima diuini auxilij imploratio & uotum, laudis ac sacrificij promissionem continens. Psal. uigesimosecundo fit illius mentio, ubi sic legimus: Non spreuit neque despexit deprecationem pauperis, nec auertit faciem suam à me: & cum clamarem ad eum, exaudiuit me. Subiungitur de adiecto uoto, illiusque impletione: De te, inquit, laus mea: id est, te laudabo in ecclesia magna: uota mea reddam in cõspectu timentium te. Et Psal. 66. Introibo, inquit, in domum tuam in holocaustis, reddam tibi uota mea, quæ distinxerunt labia mea, & loquutum est os meum in tribulatione mea: holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boues cum hircis. Huius generis uota & alijs nonnullis Psalmis occurrunt. Et Esaię decimonono uaticinatus est propheta de Aegyptijs, quòd clamaturi essent ad Dominum à facie tribulantis, uoturique illi uota, ac redditurí. Votum hoc omnibus est populis & gentibus usitatum. Qui deos alienos & falsos colunt, mox atque aliquo discriminum genere periclitantur, uel periculi alicuius metu corripiuntur, opem illorum uotiuis precibus implorant, & aliquod sacrificium, uel donarium promittunt, unde & uotiua anathemata in templis deorum uisuntur. Ad hunc modum in papatu catholicum est, inuocare diuos, illisque uota nuncupare. Sic quod uni uerò Deo conuenit, & Gentes & papistæ, ac Israelitæ quoq; dijs falsis exhibuerunt: qua in re laudantur pij, quòd in necessitatibus suis ad Dominum conuersi opem illius implorarunt, ac sacrificia laudis illi & gratiarum actionis sanctè & religiosè uouerũt: quod usqueadeò diuinę maiestati placet, ut & per prophetam hortetur pios omnes ad huiusmodi uota facienda & reddenda, dicens: Vouete & reddite Domino Deo uestro omnes, qui in circuitu eius affertis munera, Psal. 76. *1 Primum eorum qui periclitari de uita uidentur.* *Psal. 22.* *Psal. 66.* *Esa. 19.* *Vota ethnicorum.* *Vota papistarum.* *Psal. 76.*

2 Secũdum genus uotorum est, quo extra necessitates & discrimina uouetur Deo aliquid studio gratificandi. Sic Dauid iurasse uouisseq; Deo legitur, dicens: Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascẽdero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, ac requiem temporibus meis, donec inueniã locum Domino, tabernaculum *2 Quo uouetur aliquid studio gratificandi.*

culũ Deo Iacob. Psal. 132. Vouit hoc pientissimus rex cum potiretur pace ac quiete per gratiã Domini, quietusq; in domo sua sederet, nec ullis esset periculis ut antea obnoxius, 2. Sam. 7. Huc refero & ea uota, quibus nonnulli Domino sese ad tempus consecrabant ac deuouebãt, quos Scriptura Nazaræos uocat: de quibus legimus Num. 6. Vir siue mulier, inquit, cum fecerint uotum ut sanctificentur, & se uoluerint Domino cõsecrare, à uino & omni quod inebriare potest, abstinebunt, & cætera. Qui hoc faciebant, ex studio faciebant Domino gratificãdi. Tale erat & Annæ matris Samuelis uotum, quo si filium acquireret, Domino illum consecraturam se uouebat, 1. Samuelis 1.

3 Quo sub lege ieiuniũ uouebant.

3 Tertium genus est, quo sub lege nonnulli animas suas humiliare & affligere uolentes, certorum dierum ieiunium, & rerum quarundam abstinentiam uouebant. Huc pertinent ea quę Num. 30. legimus: Si uouerit, inquit, & iuramento se constrinxerit, ut per ieiunium uel cætera rum rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio uiri erit, faciat ne, uel non faciat.

Votorum alia temporaria, alia perpetua.

Horum uotorum alia sunt temporaria, alia perpetua. Perpetuum uotum erat, quo Samuel propheta, priusquã in utero conciperetur, perpetua consecratione ministerio Dei deuouebatur, 1. Sam. 1. Poterat tamen uotum eiusmodi cõsecrationis temporarium esse, quemadmodũ & cætera plerũq; tẽporaria fuisse cõstat. Hæc obiter de generibus uotorũ ex sacris Scripturis assignare uoluimus. Si cui quę Scholastici tradũt probãda uidẽtur, per me licet illa sequatur.

DE CIRCVNSTANTIIS VOTORVM.

NE uotum sit illicitum, plurimùm refert quibus circunstantijs fiat. Sunt autem hę considerandæ illius circunstantiæ. Primò, quis: deinde, cui: tertiò, quid: quartò, quo cõsilio & proposito: quintò, quousq; uoueat.

Refert quis uoueat.

1 Principiò admodũ refert quis uoueat. Sacra scriptura Num. 30. in eo qui Deo sit aliquid uoturus liberã requirit potestatem, qua proprij sit iuris, ac nullius superioris potestati subiectus. Sic uiro dat uouẽdi potestatem, dicens: Si quis uirorum uotum Domino uouerit, aut se cõstrinxerit iuramento, non faciet irritum uerbum suum, sed omne quod promisit, implebit: filiæ uerò in domo patris adhuc, & ætate puellari constitutæ, & uxori, non permittit efficaciam uoti, nisi pater illi, maritus isti cõsentiat. Vidua uerò ac repudiata, inquit, quicquid uouerint, reddent. Haud quidem mentionem facit filijfamiliàs sub patris adhuc potestate constituti, & serui: meo tamen iudicio non errant à scopo, qui illis quoq; negant esse liberam uouendi potestatem, sed perinde requiri patris & heri consensum, atque in uxore & filia innupta. Neque enim consilium Dei est, ut patris potestas à filio, & domini à seruo, prętextu uoti infringatur, cum utranque conueniat infractam seruari erga domesticos, non modò uxores & filias innuptas, sed & filios ac seruos.

An non sit inferioribus liberũ seruire Deo nisi superiores permittant.

Dicet aliquis: Ergo nõ est liberum uxori, filię, filio ac seruo, seruire Deo, nisi maritus, pater ac dominus cõsentiant, quasi maior sit patria, maritalis & herilis potestas quàm diuina: sitq; sic cultus Dei cõparatus, ut superiorũ potestatẽ impediat, si inferiores Deũ colere uoluerint.

Respõdeo: Non debemus causam uotorum sic reddere ad salutem necessariam, ut sine illa, perinde atq; sine seruitute ac cultu Dei, seruari nequeamus. Cultus Dei non est alligatus uotis. Deo seruire possumus absq; obstrictione uotiua, per fidem, dilectionẽ, inuocationẽ, timorem & obedientiam, quæ nihil deterunt de potestate, quam maiores habent in minores. In causis igitur uotorum non sic Deus obligari sibi uult inferiorũ conscientias, ut liberè possint contra superiorum suorum cõsensum quodlibet facere uotũ, ac potestati illorũ derogare: sed magis placet obedientia ac subiectio, quàm ipse minoribus imposuit, quàm qualecũq; uotũ.

Scholastici disputant hic de episcopis, clericis beneficiatis, ut loquuntur, religiosis, abbatibus, ac prælatis religiosorum, liceat ne illis facere uotum, quod ecclesijs & officijs ipsorum incommodet: utpote, si episcopus uel clericus uotum faciant peregrinationis ad sanctum Iacobum, uel Hierosolymam, &c. uel religionis alicuius, teneãtur ne ad præstandum quod uouerunt. Monachis non permittunt ut aliquid uoueant, nisi habito superiorum suorum cõsensu: eo quòd abdicarint uelle suum & nolle, sintq; omnino abbatum suorum uoluntati obstricti. De monachis, nonnis, abbatibus ac prelatis ipsorum nullam nos quæstionẽ recipimus, quid ipsis liceat, uel non liceat: quãdoquidem de toto illorum statu, ordine & instituto, quod Deo placeat, nullis potest sacris Scripturis perdoceri. De episcopis & ministris ecclesiarũ sic sentimus, ut improbemus si uota faciant monastica & superstitiosa, non ob id modò, quòd ea sine ecclesiarum suarum & concrediti ministerij detrimento prestare non possunt: sed & quòd debeant illa nõ modò reprobare, sed & prohibere, ne à subditis ipsorum tale quid uoueatur. Interea tamen quid impedit episcopum, quo minus in periculo aliquo constitutus sic imploret opem Dei, ut uoueat illi sacrificium laudis, cum Dauide dicẽs: De te laus mea erit in ecclesia magna, uota mea reddam in conspectu timentium te, sacrificabo tibi sacrificium laudis?

Cui sit uouendum.

2 Deinde, refert etiam, cui uoueas. Suprà, primo articulo admonuimus, hanc esse conditionem uoti, ut soli sit Deo faciendum, quod & Scholastici doctores agnouerũt. Quare illicitum

ac repre-

ac reprehensibile est quodcunq; uotum, quod creaturę cuipiam uouetur, qualia multa in usu sunt Papistis. Vouete, inquit Propheta, & reddite Domino Deo uestro. Quid ergo faciunt cęci, qui sanctis mortuis uota faciunt, de quibus dicere non possunt, quòd sint ueri dij.

Obseruet hic Lector, quid discriminis sit inter uotum & iuramentum. Vouere non licet nisi Deo soli: iurare uerò possumus homini, illiq; nos iureiurãdo reddere obstrictos. Quare nõ est ut de conditione uoti secundum conditionem iuramenti iudicemus. *Quid discriminis sit inter uotum & iuramentum.*

3 Tertiò, & id ad circunstantias uoti pertinet, ut uideamus qualia sint quæ Deo uouemus. Neq; enim conuenit ut uoueamus ea quæ illi non placent: qualia sunt illicita & mala, uel inutilia & stulta, uel impossibilia, uel cum manifesto periculo coniuncta. Illicita uota sunt, quæ licitè præstari non possunt. Votum Ieptæ non erat licitum: quia illicitum erat mactare hominem, nedum filiam, in sacrificium. Si uxor uoueat cõtinentiam uirginalem, qua debitum marito suo deneget, uotum est illicitum, quia pugnat cum ordinatione diuina. Inutile ac stultũ est uotum, quo cibi alicuius abstinẽtia certis diebus seruãda promittitur. Nam esca nos Deo non commendat, nec aliquid ad ueram pietatem habet momenti. Inuenias mulierculas, quæ uoueãt, quòd die sabbathi capitis sui capillos componere nolint. Huiusmodi uota sunt inutilia & stulta, nec Deo placere possunt. Impossibile uotum est, si uoueas quod in carne sine carne uiuere uelis, nisi singulari dono Dei possibile fiat, quòd aliàs est impossibile. Tale est uirginitatis uotum. Virginem esse non est malum in seipso. Si hanc uouisti, etiam atq; etiam uide, quomodo quod uouisti, præstes: idq; non corpore tantùm, sed & spiritu: maximè, ne uoti huius gratia cõtra Deũ pecces. Aliàs, teste Apostolo, melius est nubere quàm uri. Adhuc, si quis uouerit abstinentiam earum rerum, quibus natura ipsa ægrè carere, & sine quibus uita haud facilè sustentari potest, sic ut periculum sit, ne in morbos periculosos conijciatur, si quod uouit, reipsa præstare uoluerit, periculosum uotum est, ac Deo ingratum. *Qualia debeãt esse uota. Illicita uota. Inutilia. Impossibilia. Periculosa.*

4 Quartò, refert etiam quo consilio & proposito fiat uotũ. Siquidem hinc potissimùm de illo censetur. Si uentris, uel temporarij commodi, uel cultus quoq; gratia uoueris, non poterit placere uotum. Sunt autem ferè talia monachorũ & monialium uota. *Quo consilio uoueatur.*

Postremò nec illud modici momẽti est, ut uotũ suo quasi termino limitetur, ne ultra q̃ cõducere potest, extẽdatur: uel perpetuũ ꝓponatur, quod tẽporariũ esse cõueniebat. Perpetua nãque uota plerũq; reddũtur inutilia, imò sępenumero noxia. hęc obiter de circũstãtijs uotorũ.

REDDENDA ESSE VOTA.

IPsa quidem ueritate, cuius sumus alumni, constringimur ad reddẽdum, si quid Deo uouerimus, cui etiam communis omnium mortalium sensus astipulatur: uerùm hac de re manifesta extãt sacræ Scripturæ præcepta, quę ijs qui uouerunt, uelut ex abundanti proponuntur. Sic Num. 30. legitur: Si quis uirorum uotũ Domino uouerit, aut se constrinxerit iuramẽto, non faciet irritum uerbum suum: sed omne quod promisit, implebit. Et Deut. 23. Cum uotũ uoueris Domino Deo tuo, nõ tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absq; peccato eris. Quod autẽ semel egressum est de labijs tuis, seruabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo & propria uolũtate, & ore tuo loquutus es. Et Psal. 76. Vouete, inquit, & reddite Domino Deo uestro omnes qui in circuitu eius affertis munera. Et Ecclesiast. 5. Si quid uouisti Deo, ne moreris reddere (displicet enim ei infidelis & stulta promissio) sed quodcũq; uoueris, redde: multoq; melius est non uouere, quàm post uotũ promissa nõ reddere. His Scripturę locis satis patet, quare qui uouerunt, ad præstandum quod uouerunt, constringantur. Nõ requirit Deus ut fiat sibi uotum: si uerò factum fuerit, requirit ut reddatur. Quare? Quia peccatũ est, si uerbum, quod nulla est coactione, sed propria uoluntate ac sponte, nõ modò cogitatum in corde, sed & ore diserto Domino Deo promissum nulla necessitate, sed leuitate & inconstantia mentis, factum fuerit irritum: quæ leuitas si erga hominem fiat, admodum est reprehensibilis, quanto magis si erga Deum admissa fuerit? Deinde, quia irritatio hęc uotiuæ promissionis in contemptum Dei cedit, ideoq; nequit abire inulta. Requiretur enim à Deo. *Num. 30. Deut. 23. Psal. 76. Eccles. 5.*

QVOMODO SINT REDDENDA VOTA.

QVemadmodũ refert quid, & cui, & quo proposito uoueas: ita refert etiam quomodo, quod uouisti reddas. Nã ut uouẽdo, ita & uota reddẽdo sic peccari potest, ut magis irritetur, q̃ placetur diuina maiestas. Qui uouet aliq̃d, dupliciter peccare potest. Primũ nõ reddendo: deinde, nõ ut decet, reddendo. 1 Reddendũ est aũt uotũ primò, non mutilum, nõ truncatũ ac semiplenũ, sed integrũ. Hinc est quod Moses Num. 20. dicit, כבל חירצא מהיר יעשה id est, Secudũ omne quod egressum est ex ore eius, faciet. Sic cõparata est caro, ut ubi pro incõstantia sua mallet prorsus nõ reddere quod uouit, reddat aliquid, ne nõ reddidisse uideatur. Qui sic reddit, min9 reddit: ac magis displicet Deo, q̃ si prorsus nihil redderet. Prętereq̃ *Refert quomodo reddatur uotum. Reddendũ est uotũ integrè.*

enim quòd nõ præstat quod promisit, impostorem etiam agit, quasi fallere possit eũ cui promisit: deniq; & seipsum fallit, ut putet se nihil minus esse, quàm nõ præstiti uoti reum: ideoq; minus resipiscit, quàm si nihil omnino præstitisset. De illis loquor, qui non ex infirmitate aliqua impediuntur, quo minus quod promiserunt, integrè præstare queant: sed inconstantia quadã ac leuitate mentis ab eo quod proposuerant, deficiunt, & tamẽ utcunq; euadere conãtur, ne corã Deo irriti uoti reatũ incurrant. Sic cõparati sunt, qui continentiam monasticam quam uouerunt, non præstant ex integro: sed hactenus tantum quòd abstinent à coniugio, quasi abstinentia coniugij totam in se continentiã contineat, & interim scortantur, omnisq; generis libidinibus toti conspurcantur. Et hoc facientes nolunt uideri uotifragi, sed eius peccati accusant eos, qui licet continentiam monasticam inconsultò uouerint & ipsi, malunt tamen nubere, quàm scortando in barathrum perditionis incidere.

Reddẽdum est uotum incunctanter.

2 Deinde, reddendũ est uotũ haud cũctanter, sed absq; mora, quoad eius fieri potest. Huius admonet Scriptura, dicẽs: Cum uoueris uotum Domino Deo tuo לא תאחר לשלמו, id est, nõ differes illud reddere, Deut. 23. quod & Ecclesiastes cap. 5. monet. Agnatum ferè omnibus est hoc uitium, ut prompti simus ad promittendum, præsertim ubi in necessitatibus opem alicuius imploramus: tardi uerò ad reddendum. Ea cunctatio admodum est uitiosa, & manifestũ habet ingrati & inconstantis animi indicium. Quemadmodum autẽ qui citò dat, bis dat. hoc est, tam est acceptus, ac si bis det: ita qui dat cunctanter, perinde est ac si non det.

Reddẽdum est uotum ex animo.

3 Tertiò, omnino requiritur, ut non minus reddamus, quàm uouimus, ex animo. Fieri potest, ut citò quidem reddas quod uouisti, & tamen reddas non ex animo & alacriter, sed ob id tantùm, ut te liberes uinculo debiti, ac morsum cõscientiæ effugias. Qui sic citò quod debet, reddit, suaipsius conscientia uictus fatebitur, nõ delectari se redditione uoti, sed malle nullũ à se factum esse uotũ: perinde atq; usuuenit illis, qui pecuniam mutuò acceptam reddũt quidem ad constitutum diem, uerùm non ex animo: sed mallent haud se reddendæ illius debito obstringi, uel certè mutuò illam non accepisse. Huiusmodi uotorum redditores Deo placere non possunt, qui non moratur quæ damus uel reddimus, sed cor alacre & spontaneum requirit. Vbi uota reddũtur, adiungendum est sacrificium laudis. Super me, inquit Propheta, sunt uota tua Deus, reddam laudes tibi, Psalmo 56. Et Psalmo 61. Sic psallam nomini tuo in seculum, ut soluam uota mea de die in diem. Quomodo autem uota sua cum laude Dei reddent, qui non reddunt ex animo?

Simile.

Reddẽda sunt uota quædam manifestò.

4 Quartò, uota illa, quæ in angustijs afflictionum, & periculis inter precandum sunt facta, post acceptum auxilium reddenda sunt, non in occulto, sed palàm, idq; in medio Ecclesiæ, ac cœtu fidelium. In occulto quidem possunt eiusmodi uota sub solius conscientia Dei fieri, ad quem solum preces & uota in angustia mentis diriguntur: redditio uerò uotorum non in occulto facienda est, sed in propatulo, spectante & audiente ecclesia fidelium, quo & illa in fide ac laude Dei ædificetur, unaq; cum uotarijs laudis illi sacrificium offerat.

Huius rei exempla præcesserunt in Israele, sicuti uidere est in Dauide, qui uota sua, quæ fecerat in exilio ac locis desertis, Hierosolymis in domo & ecclesia Dei reddidit, non modò sacrificans & offerens quæ uouerat, sed & beneficium & opem à Deo acceptam palàm coram populo deprædicans, & laudibus extollens. Sic Psalmo 22. dicit: Salua me ex ore leonis, & à cornibus unicornium responde mihi. Hæ erant preces. Subiungit uotum: Narrabo nomen tuum, inquit, fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Quomodo? Audi: Timentes Dominum (sic erat alloquuturus populum Domini in medio ecclesiæ, ubi redditurus erat sua uota) laudate eum, omne semen Iacob: glorificate eum, & expauescite ab illo omne semẽ Israel. Quoniam nõ despexit, neq; abominatus est humilitatem pauperis, neq; abscondit faciẽ suam ab illo: & cum clamaret ad eum, exaudiuit. De te laus mea in Ecclesia magna (id est, hãc tibi laudem offeram in Ecclesia magna, qua conuenire solet omnis Israel) uota mea reddam coram timentibus te. Comedẽt humiles (intellige, de uotiuis sacrificijs, quæ oblaturus erat) & saturabuntur: laudabunt Dominum, qui quærũt eum. Viuat cor uestrum in seculum. Consimilia leguntur & Psal. 66. Ingrediar, inquit, domum tuam cum holocaustis, reddam tibi uota mea, quæ distinctè expresserunt labia mea, & loquutum est os meũ in tribulatione mea. Holocausta pinguium offeram tibi cum incẽso arietum, sacrificabo boues cum hircis. Selah. Venite, audite omnes qui timetis Deum, & narrabõ quæ fecerit animæ meæ. Ad ipsum ore meo clamaui, & (nunc) exaltatur sub lingua mea, &c. Sic in Israele reddebãtur uotiua sacrificia in cœtu fidelium, & prædicabatur beneficium Dei, ac prouocabantur omnes ad reddendum illi sacrificiũ laudis. Ipsa sacrificia erant ex pecudibus, pro more ueteris Testamenti: nobis uerò, qui noui Testamẽti populus sumus, destinatũ est sacrificium nõ pecuinum, sed αἰνέσεως, laudis uidelicet. Illa nobis non possunt esse uotiua, hoc uerò esse potest. Verùm nullus iam est illius usus in ecclesijs. Dum ægrotamus, precamur quidem, & ecclesiæ quoq; preces per ministrũ uerbi ambimus, quo per gratiam & opem Domini sanitati restituamur: at preces nostræ non sunt uotiuæ: ideoq; sanitati restituti nullam uoti alicuius redditionem, neq; per nos, neq; per publicum aliquem ministrum ecclesiæ Dei proponimus. Probandum est quòd opẽ Dei in ecclesia

Psal. 22.

Psal. 66.

Publicæ preces pro ægrotis publicã etiã gratiarũ actionẽ requirunt.

clesia per preces fideliũ imploramus: id uerò probari non potest, quòd sine conscientia eccle siæ sanitati restituimur, illamq; celamus opẽ diuinitùs acceptã, ac sacrificio laudis priuamus, quod nobiscũ Deo reddere debebat. Sed hactenꝰ de uotis quomodo sint reddẽda, dictũ esto.

DE VOTIS MONASTICIS.

STudia uitæ monasticæ tẽpore Chrysostomi singulari quodam feruore inualescebant, ac plurimũ ab illo alijs clarissimis uiris cõmendabantur, & aduersus uituperatores defendebantur, quemadmodũ ea testantur, quę Chrysostomus aduersus illos conscripsit: qui tamen nullã facit monasticorũ uotorũ mentionẽ, ut appareat nõ fuisse ea temporũ illorũ monachis in usu, quo postea nõ tam religionis, quàm opum conseruandarum gratia esse cœpit.

Alij autẽ aliam habent uouendi ac profitendi formam. Benedictini uouent morũ conuersionem, obedientiam ac stabilitatem. Dominicastri unã promittunt obedientiam, secundum instituta superiorum suorum, quibus ordinis cura commissa est. Alij ponunt tria uota substãtialia: obedientiam, castitatem & paupertatem. Morum cõuersio potest esse mala, potest esse bona. Si per hanc mali mores mutantur in bonos, & relicta incredulitate, transitur ad uerã fidem, ab odio ad dilectionẽ proximi, à superbia ad humilitatem, à ferocia ad mansuetudinem spiritus, & in summa, à ueteri ad nouam creaturam, quæ est per renouationẽ mentis, quis nõ conuersionẽ eiusmodi bonã esse agnoscet? Si uerò diuersa fuerit monastica hæc morum conuersio, ab ijs quæ ad Christianum hominem pertinent: utpote à uera Christi fide ad falsam: à uera religione, ad omnis generis superstitiones: ab humilitate mẽtis, ad pharisaicum superciliũ: à communi omnium Christianorum dilectione ac sympathia, ad sectariam conspirationem: à libertate Christiani spiritus, ad seruitutem traditionum humanarũ, &c. quomodo non manifestum est, hoc genus conuersionis esse malum? *Conuersio mõrum.*

Quod obedientiã attinet, quæ probanda sit, quæ non sit, suprà suo loco diximus. Si de ea intelligunt, quę sit præceptis Dei secundum illius uoluntatem seruandis consecrata, hanc nemo piorum non probat: si de alia quam diximus esse reprobam, qua serui non Dei, sed hominum redduntur, illam absq; cunctatione reprobamus.

Consimiliter de stabilitate seruãda sentiri debet. Stabilem esse in bonis moribus, & uera obedientia Dei, laudem meretur apud omnes. Verùm si quis stabilis sit in malo, impœnitentia ac pertinacia potius fuerit, quàm uera stabilitas.

Sed hic meritò quæritur, quomodo hæc ad monastica uota, singularemque separati status professionem trahantur, cum ad omnes pertineant Christianos? An non omnium fideliũ est eiusmodi morum conuersio, quę fiat de malo ad bonum: & obedientia, qua uoluntati Dei secundũ illius uerbum obediatur: & stabilitas, qua ad finem usq; in uera pietate ac fide Christi perseueremus ac seruemur? Vtiq; pertinent hęc ad omnes Christianos. Quorsum ergo sic uouentur à monachis, ac si illorum professio nõ sit Christianorum omnium, sed monachorum tantùm? Quare non agnoscunt pro religiosis omnes eos, qui mutatis ueteris Adæ moribus, sub obedientia Dei ad finem usque immotam stabilitatem per gratiam Dei seruant, etiamsi nec rasi sint, nec cucullati? *Quæ monachi uouent, pertinent ad omnes Christianos.*

Deinde & illud in quæstionem uenit, quid sibi uelint, quòd hæc solenniter uouent, quasi in baptismo non sit professio innouationis, obedientię ac stabilitatis? Quid hac in re aliud faciunt, quàm quòd generalem Christianorum omnium professionem semel in baptismate factam, quantum in ipsis est, pessundãt ac contemnunt? Atq; huius rei manifestum testimoniũ ab illis æditur, qui abdicatis nominibus quæ in baptismate Christo dederant, noua sibi assumunt, quæ non amplius Christianæ, sed monasticæ professionis symbolum habeant. Obsecro, quid de eo sentiemus milite, qui nomen duci suo præstitum, facta ad alium ducem transitione, perfidè mutat, & aliud usurpat? *De eo quòd solenniter uouẽt monachi.*

Hæc inquam, quæri poterunt, si uota Benedictinorum de uera obediẽtia Dei, recta morũ conuersione, ac pijs omnibus necessaria stabilitate intelligẽda ueniũt. Si uerò monastico hęc ac superstitioso sensu uouentur, ut morum conuersio sit abdicatio uitæ popularis, qua extra monasteria inter Christianos in ijs statibus & ordinib. uiuitur, qui à Deo sunt cõuictui mortalium deputati: utpote, subesse parentibus ac dominis, nubere, liberos gignere, domos regere, magistratum gerere, &c. obedientia sit, qua non Deo, sed Abbatibus ac Prioribus: nõ præceptis Dei, sed constitutionibus monasticis subijcitur: stabilitas sit, qua non in uera obedientia, sed adultera ad mortem usq; perseueretur: manifestum est, non esse ea uoluntati Dei conformia, ideoq; nec uouenda, multo minus præstanda. *De monastico & superstitioso uotorum sensu.*

Præterea communiter quædam magna superstitione obseruantur in monasterijs, ad quæ se uotiua professione obstrictos esse existimant: utpote, abdicatio proprietatis, bonorumq; omniũ cõmunicatio, præscripta forma pariter ac color cucullati uestitus, præscripti gestus, ac ceremonię peculiares, stati dies ciborũ ac ieiuniorũ, clausura loci, castitas perpetua, et abdicatio matrimonij. Habẽt hæc speciẽ quidẽ religionis, pietatis ac sanctimoniæ: uerũ si ad normã uerbi *Cõmunes quædam & superstitiosæ obseruationes monachorum.*

uerbi Dei ac ueræ pietatis exigantur,& opiniones illorum ac circunſtantiæ inſpiciantur,longè diuerſa ab eo quod eſſe uidentur,deprehendentur. Aut enim ſunt diuinitùs præcepta, aut ſunt adiaphora. Si diuinitùs præcepta ſunt,pertinent ad omnes Chriſtianos:atq; ita non cõſtituunt ſingularem perfectionis ſtatum in Eccleſia. Non ſunt autem præcepta. Ergo pertinẽt ad res adiaphoras,& omnibus liberas. Interea autem probari non poteſt, quòd in monaſterijs titulo religionis imponuntur,& ſpecie obedientiæ commendantur,cum nullum uſpiam de illis diuinæ uoluntatis teſtimonium extet.

De cauſis et opinionibus uitæ monaſticæ.

Quod cauſas & opiniones uitæ monaſticæ concernit,refert admodum quomodo ac quare fiant,quæ ſunt adiaphora,imò & quæ ſunt in ſe bona. Nihil hic dicam de craſſa illa carnalium hominum intentione,qua monaſticam uitam uel ocij,uel uentris gratia tãquam γαστρὸς ἀργὰς amplectuntur: uel in puericia à parentibus in illam intruduntur,ut ſit uel ipſis proſpectũ temporaliter,uel reliquis liberis pluſculum de paternis bonis per hanc occaſionẽ remaneat. De alijs potius uideamus,qui ſibi religioſo prorſus ſtudio,ac ſancta intentione genus hoc uitæ delegiſſe uidentur. Horũ communis opinio eſt,in monaſtica ſe uita Deo præ cęteris Chriſtianis ſeruire,& neſcio quàm præclara mereri præmia propter ordinis,ut loquuntur,rigorẽ. Rigor ordinis inquiunt,& multa bona quæ feciſti,& adhuc facturus es, cedant tibi in remiſſionem peccatorum. His uerbis utuntur in abſolutione,dum monachus monachum poſt factam peccatorum confeſsionem abſoluit.

Propter hãc opinionẽ reproba ſunt duplici nomine, quę ſuprà memorauimus. Vno,quòd ex humanis conſtitutionibus cultum Dei faciunt,contra manifeſtam Chriſti ſententiã,dicẽtis Matth.15. Fruſtrà colunt me,docentes doctrinas & mandata hominum. Negari quippe nõ poteſt,eſſe ea non præcepta diuina,ſed humanitùs præter teſtimoniũ diuinæ uoluntatis præſumpta ſtatuta. Dicunt: Quicquid bona intẽtione ad gloriam Dei deſtinatur,Deo placet. Ergo & ea quæ in ordine noſtro fiunt,Deo placent. Audi frater: Quin magis dicis ad hunc modum? Quicquid ad præſcriptum diuinę uoluntatis geritur,id demum Deo probatur. Altero, quòd merita ſibijpſi ex humanis traditionibus,ac proprijs ſuis operibus cõtra doctrinam fidei pollicentur, id quod merito mortis Dominicæ admodum derogat: ut taceam,quòd hæc ſua nihili merita,imò magis demerita,in quęſtũ uertunt,deq; illis in Eccleſia negociãtur. Sic itaque monaſticæ uitæ ſtatuta,ſi cauſas & opiniones illorum inſpicias,omnium iuſtiſsimè reprobantur: præſertim ſi conſideres,quanta cũ ſeductione ac ſupercilio phariſaico perfectionis illis ſtatum adſcribant,

DE ACCESSIONE VOTI.

Votum monaſticũ repugnat libertati Chriſtianorum.

HVc accedit,quòd eiuſmodi adiaphora,ad quæ nemo adſtringitur, nõ modò opinionũ & cauſarũ reſpectu,quemadmodũ iã diximus,reproba fiũt,ſed uoto quoq; adiecto,in naturã ac uim legis traſmutãtur,ut iã nihil ſint minus quàm adiaphora. Et hanc ob cauſam fit,ut libertati fidelium,quam nobis Chriſtus ipſe acquiſiuit,uehementer repugnẽt. Propter uotũ quippe,quę antea fuerant libera iam nõ libera ſunt amplius,ſed obligatoria. Proinde dãnabilis eſt monaſtice,quòd lege uoti conſcientias uotariorũ in elementis mundi huius tenet captiuas. Nec eſt,ut dicat uotarius: Lubens facio,quę uoui,ideoq; cõſcientia mea captiua non eſt. Vtut enim lubens quæ uouit,faciat: in eo tamẽ liber nõ eſt, ut captiuitatẽ iſtam euadat,& quę uouit,ſine conſcientia peccati omittat. Et huc accedit uoti perpetuitas admodum uſque duratura,quæ quomodo incognita fuerit monaſticæ uitæ primordijs, in ultimo Chryſoſtomi contra uituperatores Monachiſmi uolumine uidere licet: qui nihil erat aliud, quàm temporaria quædam pædagogia,ad inſtituendã uitæ pietatem uſurpata, ſic ut nemo prohiberetur liberos ſuos rectè inſtitutos ad ſe recipere,connubioq; tradere.

Perpetuitas uoti.

Acceſsio uoti duplici nomine reprobãda.

Itaq; acceſsio hæc uoti duplici nomine reprobãda uenit. Primò,quòd Chriſtianę libertati repugnat,fideliũ conſcientias,quas conuenit eſſe in rebus adiaphoris liberas,elemẽtis huius mundi ſubijciens,idq; contra diſertã Spiritus ſancti doctrinã,quę Col.2. legitur ad hunc modum: Itaq; ſi mortui eſtis cum Chriſto ab elemẽtis mundi, quid quaſi uiuẽtes in mũdo decretis tenemini? Ne tetigeris,ne guſtaris,neq; contrectaris,quæ omnia ipſo pereũt abuſu, iuxta præcepta & doctrinas hominũ,quæ uerbotenus quidẽ habent ſpeciẽ ſapientiæ per ſuperſtitionẽ ac humilitatem animi,& læſionem corporis,non per honorem aliquẽ ad expletionem carnis,&c. Cui malo id eſt agnatum,quod in ijs rebus,quas Deus nuſquam à nobis requirit, peccati generat conſcientiã: quaſi non ſit ſatis mandatorum Dei,quorum tranſgreſsione culpabiles ac rei reddamur,opuſq; habeamus diuina clementia,quæ tranſgreſsionibus noſtris ignoſcat. Verùm oportuit magiſtros errorũ hoc pacto dominari in conſcientijs ſubditorum, habereq; præcipua quædã peccata,in quæ ipſi animaduerterent,& ſic implere illud Apoſtoli 2.Tim.3. Captiuas ducentes mulierculas oneratas peccatis.

Altero nomine damnanda eſt acceſsio uoti,quòd Chriſtianæ charitati aduerſatur,liberãs Chriſtianos uotarios ab eo præcepto,quod nos omniũ ſeruos conſtituit,dum non ſolũ obedientiã diuinitùs inſtitutam,ut eſt magiſtratus, parentum,&c. ſoluit,ſed & captiuos ſuos ſic

detinet

detinet obstrictos, ut non liceat illis necessitatibus proximorum pro libera charitate, imò ne parétum quidem secundum Dominicũ præceptum succurrere. Imò, quod omnium est pessimum, non solùm ab ipso Christianæ charitatis opere impedit, sed & conscientiam debiti operis extinguit, ut non putent ad se pertinere, quæ à reliquis Christianis requiruntur: atque ita peruerso modo ligat absolutos, & absoluit ligatos, auferens eos Christo ac proximis, & nescio quibus præpositis addicens.

DE PAVPERTATE VOLVNTARIA.

MOnachi paupertatem iactãt in speciem, perinde ac si nihil uel parum habere ad caput religionis pertineat, cum interea sit ipsis abundè de omnibus prospectũ. Constitutiones Dominicanorum cap. 11. omnem proprietatem auferũt, nec permittũt monacho, ut quicquam sine conscientia superioris sui habeat, neq; scyphum, neq; uasculũ aliquod, nec clausum quid, quod claue sit aperiendũ: nec admittunt aliquid munusculorum, quod uel det uel accipiat, & secus facientem furti condemnãt. Quin etiam lectos scrutari iubent, an quicquam inueniatur quod sine conscientia superiorum possideatur. In regula Benedictinorum proprietas bonorum uitium uocatur funditùs extirpandum. Ibi neq; codex aliquis, neq; tabella, neq; graphium, neq; acus, sed omnino nihil permittitur, utpote quibus nec corpora, inquit, nec uolũtates licet habere in propria potestate. Omnia necessaria à patre monasterij petenda esse sancitur, nec habendum quicquam quod Abbas nõ dederit aut permiserit: sed omnia debere illis esse cõmunia, sicut scriptũ est: Et erant illis omnia cõmunia. Quod si quisquã, inquit author illius regulæ, huic nequissimo uitio deprehensus fuerit delectari, correptioni subijciatur, &c. Hæc illa regula. Vnde illud est, Monachus habens obolum, non ualet obolũ.

Abdicatio prò prietatis quasi Christiano sit illicita.

Minoritani, quòd singulari superstitione cæteros excellãt, etiam contactũ pecunię illicitũ sibi esse prætexũt. Et tamẽ multa ducatorũ millia pro Carnalitia dignitate Romano Simoni numerasse scribũtur. Sed uideamus quid de hac sit monachorũ uotiua paupertate sentiendũ.

Volũtaria paupertas duplex est.

Voluntaria paupertas duplex est: spiritualis una, corporalis altera. Spiritualis est, qua sic animati sumus, ut corde à terrenis rebus libero, nec confidamus si affluxerint opes, nec inhiemus illis si defuerint, multo minus desperemus. Hoc genus paupertatis omnium est Christianorum, idq; necessariò, nõ ex cõsilio. Huc pertinet illud Christi seruatoris, Lucæ 14. Nisi quis renunciauerit omnibus quę possidet, non poterit meus esse discipulus: & quod Apostolus 1. Cor. 7. dicit, Qui emunt, sint tanquam non possideant. Christiani hominis est, non possidere nihil, sed ijs quæ possidet haud aliter affici, quàm si ea non possideat. Christiani hominis est, inquam, sic esse animatum, ut sciat cum Paulo & abundare & penuriam pati, Philip. 4. Spiritualem hanc paupertatem uouere Deo, quasi non requiratur à nobis necessariò, sed sit cõsilij, prorsus alienum est à ratione uotorum.

Corporalis paupertas, uel si mauis, externa, nihil est aliud quàm rerum necessariarum penuria, quæ aliunde sit sarcienda. Hęc uel diuinitùs immissa est, uel sponte præsumpta. Diuinitùs immissam patienter tulerunt prophetæ, Elias, Elizeus & Apostoli, 2. Corinth. 6. & 11. & ecclesia Hierosolymitana, cui Paulus & Barnabas undique colligebant, ac mittebant subsidia. Hanc non uouent monachi, sed odiunt cane peius & angue, quamuis saluberrimum habeat fidei & patientiæ exercitium. Sponte præsumpta, qua proprijs bonis reiectis, inhiatur alienis, deque aliorum labore ac sudore uiuitur. Hanc uouent monachi, & in usu habet monastica religio. De illa sic sentimus.

Quale sit, nihil habere prò prij.

Nihil habere proprij, sed de communi, iuxta præscriptũ superioris alicuius uiuere, nec malum in seipso est, nec bonum, nisi accedant alia quædam, unde fiat uel bonum uel malum. Aliàs culpandum esset hoc uitæ genus in pueris, seruis ac fatuis, qui sub aliorũ potestate ac dispositione uiuunt, & nihil pro suo uoto possident, sed quæ necessaria sunt, aliunde accipiũt. Quare si culpandum hoc esset in se, culpandum esset etiam in istis: rursus si laudandum, consimiliter in hisce quoque laudem mereretur. Sed nemo hoc laudat & admiratur in istis, ergo nec in monachis admodum est magni faciendum.

Haud uerò displiceret hoc uitæ genus, si institutionẽ haberet iuuẽtutis, qua ad tempus formaretur: non superstitionẽ perpetuam, ac seruitutem indesinentẽ, qua uix alia est grauior ulla. Si monasteria essent moderata quædam pædagogia, in quibus minor ætas ad pietatem aliquádiu institueretur, quemadmodum Chrysostomi tẽpore fiebat: uel moriones alerẽtur, qui sibijpsis prodesse nõ possunt. Pulchrè faceret exercitium hoc communicationis & abdicatæ proprietatis ad extirpãdam auariciam, ac spiritualem illam paupertatem: de qua diximus, in animis teneris adhuc & rudibus plantandam, quo à puero assuescerẽt nullis rebus impẽsius affici, sed omnibus posse carere, nec à uita frugali abhorrere. Eiusmodi ἀσκήσεις nemo cordatus improbauerit. Verùm quàm sint ab hoc instituto nostrorum temporum monasteria prorsus aliena, nemo est qui ignoret.

Monastica paupertas.

Quod uerò monasticam paupertatẽ attinet, meritò improbatur: primò, quòd paupertatis speciem

ſpeciem prætexunt monachi, cum ipſiſsimam poſsideant terrenarum rerum abundantiam: qua in re & Deo & hominibus illudunt. Neque enim uera paupertas eſt, nihil habere proprij ſingulos, & interim omnes abundè, quæ neceſſaria ſunt, de cõmuni accipere. An ignoramus quid ſit eſſe pauperem? Quòd ſi pauperem eſſe nihil eſt habere proprij, & tamẽ omnia neceſſaria accipere: quomodo nõ erunt pauperes diuitũ liberi, quibus nihil relinquitur quod pro arbitrio ſuo poſsideant, ſed omnia ſecundum paternam curam ac diſpoſitionem adminiſtrãtur? Quis quæſo illos pauperes eſſe iudicat? Quare damnabilis eſt monaſtica paupertas hoc primũ nomine, quòd prætexitur paupertatis ſpecies, ubi nihil loci habet uera paupertas. Deinde ex eo quoq;, quòd ſingulari hoc paupertatis titulo factum eſt, ut nec alicuius fiat uerorum pauperum inopia, nec egeſtati illorum tãto ſtudio, quanto cõueniebat, ſuccurratur, dũ maxima facultatum pars in titularem illam monachorũ paupertatem ſic eſt à maioribus noſtris impenſa, ut habeant abundè, unde nõ modò uiuant, ſed & delicientur non ſolùm uulgares homines, ſed & nobilium ac diuitum liberi. Apoſtolus diſertè cauit, ne grauetur Eccleſia per eos, qui de ſuo, uel parentum ſuorum bonis ali poſſunt, ut ueris pauperibus alendis ſufficere poſsit, 1. Tim. 5. Quid putas illum dicturum, ſi cerneret hodie potiri eos paupertatis titulo, ac ſplendidè ſaginari, qui pauperes nec fuerunt, priuſquam monaſteria ingrederẽtur: nec in ipſis ſunt monaſterijs, quãdoquidem ingẽtibus ſunt opibus cumulati: iuxtà uerò tot eſſe ueros pauperes, ſenes uiduas, orphanos & infirmos, qui neceſſario ſubſidio deſtituantur?

De eo quod prætexunt ex Actis, primis Chriſtianis omnia fuiſſe communia, in Commentarijs noſtris ſuper Matthæum cap. 6. annotauimus. Non erat ea communicatio rerum ſectaria, ſed uera & communis eorum Chriſtianorum, qui paupertate premebãtur. Hic nemo excludebatur. In hac uerò non communicant, niſi eiuſdem ſectæ ac loci conſortes. Et ſalua erat fidelibus, & libera rerum poſſeſsio, quæ in monaſterijs quaſi illicita reprobatur. Sed hęc obiter de paupertate monaſtica.

DE VESTITV RELIGIOSORVM.

Vſus ueſtium quis ſit.

COnſiderandum hic eſt, quis ſit rectus ac primæuus indumentorum uſus. Hac de re uidere eſt Gene. 3. Vſus ueſtium eſt, ut nuda noſtra corpora pudoris gratia amiciãtur, & aduerſus iniuriam frigoris obtegantur. Hinc eſt quòd illas uocamus amictum & tegumentum. Sic Paulus 1. Tim. 6. Habentes uictum, inquit, & quibus tegamur, contenti ſimus.

Abuſus ueſtiũ quadruplex.

Eſt uerò abuſus ueſtium quadruplex. Primus eſt ex mollicie, qua corporis teneritudini & delicijs inſeruitur. Hæc admodum dedecet Chriſtianos. Obtinet autem in domibus magnatum. Vide Matth. 11.

Secundus eſt ex faſtu ac ſtudio ſplendoris. Perſtringitur ille in diuite Euangelico, qui induebatur purpura & byſſo. Hoc ab uſu ſeruitur inani gloriæ & oſtentationi. uide 1. Petr. 3. quomodo perſtringatur.

Tertius eſt ex leuitate uanorum hominum, qua ueſtes hodie miris modis proſcindũtur ac deformantur. Obtinet ille non inter milites tantùm, ſed & aulicos, imò ipſum quoq; uulgus.

Quartus eſt ex hypocriſi, ad hoc excogitatus, ut per ſpeciem ſanctitatis fallat imperitos. De illo eſt Matth. 23. ubi Dominus dicit: Dilatant fimbrias ſuas.

De cucullis monachorũ.

Reſpondeant nunc monachi, quo loco cucullos ſuos habeant, & quomodo ab hypocriſi & ſuperſtitione tueantur, quòd ſingulari & colore & formâ à conſueto ſeſe ac populari amictu diſiunxerunt, quandoquidem a[illegible] ueſtiendum nuditatem, defendendumq; corpus aduerſus frigora nihil confert, neq; color neque ſingularis forma. Sunt qui prętexant, neſcio cuius humilitatis & innocentiæ indicia. At hæc moribus exprimenda ſunt magis, quàm monſtroſitate ueſtium. Regula Benedicti cap. 55. de ueſtibus ad hunc modum præcipit: Nulla ſit de colore aut groſsitudine cura, ſed quales inueniri poſſunt in prouincia qua degunt, aut quod uilius comparari poſsit. Regula Auguſtiniana: Non ſit, inquit, notabilis habitus ueſter, nec affectetis ueſtibus placere, ſed moribus. Et Conſtitutiones Dominicanorũ cap. 10. nec de colore, nec de forma mentionem faciunt. De longitudine ac numero tunicarũ & pelliceorũ præcipiunt. Scapularia ſemper habere iubent.

Cum itaque non ſit alius ueſtium uſus quàm amiciendi, & à frigore defendendi, & Chriſtianos non deceat notabilis ſingularitas, ſed requiratur magis, ut per charitatem alij alijs ſeruiant: defendi non poteſt, ſi quis ſingularitatem in ueſtibus religionis gratia, ut prætexitur, mordicus retinere uoluerit. Inuenias uſq; adeò ſuperſtitioſos, ut ſi ad paſſus aliquot è latibulis ſuis ſine cucullo progrediantur, uel noctu ſine illo dormiant, neſcio qua peccati conſcientia diuexentur, metuantq; ne à ſatana corripiantur.

DE CLAVSVRA MONASTERIORVM.

CLauſuram hanc nec Benedicti, nec Auguſtini regulæ præcipiunt. In poſteriore ſic legitur: Quando proceditis, ſimul ambulate: cum ueneritis quò itis, ſimul ſtate. Hæc ibi.

Chriſtiana

Christiana charitas monasticam clausuram ferre nõ potest. Requirit enim, ut uisitemus infirmos & captiuos, id quod in nouissimo die aut remunerabitur adimpletum, aut punietur neglectum. Deinde & illud cum Christiana & ecclesiastica charitate pugnat, quòd nonnulli in medio fidelium habitantes, ab ecclesiasticis sese cõuentibus separãt, ac seorsim cum suę sectæ hominibus, quæ religionis esse putantur, peragunt. Neq; in Augustini regula aliud legitur, q̃ ut religosi ecclesiasticos cõuentus ingressi, cõmodè sese gerant, maximè quod ad custodiendam pudicitiam attinet. Illud uerò omnino opus est Antichristi, quòd in cõstitutionibus Dominicanorum cap. 29. sub pœna anathematis interdicitur monasterij exitus. Quis hãc anathematizandi potestatem impostoribus hisce in re adiaphora usurpandi dedit? *Monastica clausura aduersatur Christianæ charitati.*

DE VIRGINITATE.

VEram uirginitatẽ multis encomijs à quàmplurimis deprædicatã esse scimus. Nec nos eam culpamus, neq; quenquã ab ea, qui donũ illius acceperit, reuocamus. Verùm professores illius admonemus, ut salutis suæ rationẽ habentes, uideant ne uel temerè illã uouendo, uel sibi quàm non habent adscribendo, seipsi decipiant. Vt enim paucorum est uera uirginitas, ita obest magis quàm prodest inanis illius professio. Quare admodum periculosum est, tam numerosam incautæ iuuentutis multitudinem ad uotum ac professionem illius admittere, maximè in eum statũ, in quo est iners ocium, & abundantia & saturitas panis, ex quibus quantum malorũ proueniat, Ezech. 16. uidere licet, ubi sic legimus: Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, abundantia, & ocium ipsius & filiarum eius: & manum egeno & pauperi non porrigebant, & eleuatæ sunt, & fecerũt abominationes coram me, &c. Vtinam hæc nihil loci habuissent unquam in monasterijs. *Votum uirginitatis periculosum.*

Est autem uera uirginitas non ea, qua corpus tantùm à congressu naturali continetur: sed qua animo simul & corpore uirginalis abstinentia ad hoc seruatur, ut omnis uita melioribus studijs & negocijs, Deo sic disponente, consecretur. Quod enim corpus attinet, parũ momenti habet illius cõtinentia: quandoquidem multas quoq; bestias inuenire licet, quæ & ipsæ cũ paribus haud miscentur, unde Augustinus uirginitatẽ rectè uocat nõ corporis, sed animi uirtutẽ. Et Apostolus 1. Cor. 7. dicit, Vt sit sancta & corpore & spiritu. Nec uult ociosam esse uirginitatem, sed cogitare quę sunt Domini: quod nihil est aliud quàm uoluntati Domini ex animo inseruire, iuxta quod necessitas sanctorũ, & cuiusq; temporis conditio exposcit. Ociosa uirginitas nihil meretur laudis. Nec angeli ob id laudantur in Scripturis, quòd sunt cœlibes: sed quòd sunt angeli, id est nuncij Dei, & ministri electorũ, Ebr. 1. Et Augustinus uirginitatẽ obedientiæ postponit, qua præceptis Dei obeditur, libro De bono cõiugali, cap. 23. Maius est, inquit, bonũ obedientiæ, quàm continentiæ. Nam cõnubium nusquam nostrarũ Scripturarũ authoritate damnatur, inobedientia uerò nusquam absoluitur. Item, Obedientia, inquit, potest esse sine uirginitate, quia uirginitas ex consilio est, non ex præcepto. Item, Virginitas autem, inquit, propterea potest esse sine obedientia, quia potest fœmina consilio uirginitatis accepto, & custodita uirginitate præcepta contemnere: sicut multas sacras uirgines nouimus, uerbosas, curiosas, ebrioſas, litigiosas, auaras, superbas, quæ omnia contra præcepta sunt: & sicut ipsam Euam inobedientiæ crimine occidunt. Quapropter non solùm obediens coniugata inobedienti uirgini, sed & obedientior minus obedienti præponenda est. Hæc ille. *Quæ sit uera uirginitas.* *Maius est bonũ obedientiæ, quàm continentiæ.*

Itaq; ueram uirginitatem non reijcimus, dum falsam improbamus, sed admonemus uotarios, ut etiam atq; etiam uideant, ne seipsi specie ac titulo cœlibatus decipiant: deinde ne sibi nimium de custodita uirginitate adblandiantur, quasi in illa sita sit salus ac felicitas, quam nequeant habere coniugati. Neq; enim dubium est, & coniugibus patêre uiam salutis ac felicitatis, & negligentibus eos, ociosisq; uirginibus longè præponi, si fideles fuerint, & coniugium suum ritè custodierint. Vnde Chrysostomus super epistolam ad Ebræos homilia septima, sic dicit: Nam & beatitudines quæ à Christo dicuntur, non monachis tantùm dictę sunt, alioqui totus mundus periret, & accusaremus crudelitatem Dei. Si nanq; beatitudines solis monachis dictæ sunt, secularem autem hominẽ impossibile est eas implere: ergo cum ipse nuptias iusserit, omnes perdidit. Si enim non potest ea quæ monachorum sunt cum nuptijs implere, omnia perierunt & corrupta sunt, & in angustum concluſit ea quæ sunt uirtutis. Et quomodo honorabiles sunt nuptiæ, quæ nos tantopere impediunt? Quid ego? Possibile est, & ualde possibile, etiam eos qui uxores habent, uirtutem aggredi, si uoluerimus. Quomodo? Si habentes tanquam non habentes simus, si non gaudeamus in his quæ possidemus, si mundo utamur, tanquam non utentes. Si autem aliqui impediti sunt ex nuptijs, sciant, quòd non nuptiæ illis impedimentum fuerint: sed uoluntas, quæ malè utitur nuptijs. Nam neq; uinum facit ebrietatem, sed mala uolũtas & excessus moderationis. Vtere cum moderatione nuptijs, & primus eris in regno, & bonis frueris omnibus. Hæc ille. Proinde, non glorietur uirgo in uirginitate sua, in qua non est sita beatitudinis uia, cum illam habere queant & coniugati: sed magis curet, ut uiam mandatorum Dei per debitam obedientiam currat. *Chrysost.*

Quare Apostolus ad uirginitatem hortatus sit: et quomodo Christus quosdam se propter regnum cœlorũ castrare dicat.

Quod uerò Apostolus ad uirginitatem consilio suo hortatur, haud facit propter singularẽ aliquam illius prærogatiuam ac dignitatem, propter quam sit expetenda Christianis: sed propter temporum illorum necessitatem, qua Ecclesia Christi graui persequutione passim afflictabatur. Et quod Christus Matthæi decimonono, quosdam esse dicit, qui seipsi propter regnum cœlorum castrent, haud ita intelligendum est, quòd eiusmodi castratio ad salutem faciat (alioqui oporteret omnes eos castrari, qui salui fieri cupiunt, & excluderetur coniugium à spe salutis) sed quòd propter Euangelium hoc fiat, cui qui liber est à coniugio, liberius & expeditius seruire potest. Sic uidemus finem ac scopum uirginitatis tam Christo, quàm Paulo esse, ut regnum cœlorum per ministerium Euangelij liberius promoueat in mundo.

De eo quòd uotũ uirginitatis extẽduur in totam uotarij uitam, & naturã præcepti adfert.

Porrò, id quoque probari non potest, quòd uirginitas, eaque non ad tempus aliquod, sed per omnem uitam seruãda uouetur. Est enim carni impossibilis, nisi singulari dono Dei possibilis fiat. Nec esse potest adolescentibus, imò ne adultioribus quoq;, doni huius certitudo. Quare Apostolus uiduas in ecclesiæ subsidium non recipit, nisi sexagenarias. Deinde, cum sit uirginitas aliquando consilij, præcepti uerò nunquã, uoto fit, ut iam non sit consilij amplius, sed habeat naturam præcepti: quæ peruersitas inexcusabilis est, & liberis conscientijs laqueos injicit. Quod malum Apostolus uitare uolens, diserte 1. Corinthiorum septimo dicit: Virgo si nupserit, non peccat. Hæc illius sententia per legem uoti redditur irrita. Præterea & illud improbandum est, quòd obseruantiam uotiuæ uirginitatis ornant titulo obedientiæ, contra naturam obedientiæ. Neque enim illa Deo debetur ex præcepto, à quo præcepta non est: nec hominibus, quibus illam præcipere non licet. Quod autem præceptum non est, ex obedientia præstari non potest.

1. Cor. 7.

DE SOLVTIONE VOTORVM.

QVoniam infirmis conscientijs uoti religio plurimùm negocij facit, de eo quoque dicendum esse iudico, sit ne simpliciter quodcunque uotum insolubile: uel si sunt exilis aliqua solubilia, quando irrita fieri possint.

AN QVODCVNQVE VOTVM LIGET.

QVi monastica uota defendunt, multa congerunt ex Scripturis, quibus uota seruãda esse probent. Vtpote illud ex Psalmo uigesimo secundo: Vota mea reddam in conspectu timentium eum. Et Psalmo 66. Tibi reddam uota mea, quæ distinxerunt labia mea. Et Psalmo 76. Vouete & reddite Domino Deo uestro. Et Deuteronom. 23. Cũ uotum uoueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus, &c. Et Eccles. 5. Si quid uouisti Deo, ne morẽris reddere, &c. Hæc adferunt in medium pro confirmanda uotorum obligatione. Debebant probare ea seruanda esse uota, quæ nos impugnamus, ne miseris conscientijs laqueum injicerent. Nos uerò sentimus, neque omnia, neque semper sic esse comparata uota, ut sint seruanda: sed nonnunquam requiri, ut irrita reddantur, tum uide licet, quando sunt illicita & inutilia. qua de re in Decretis quoque multa leguntur. Vt uigesima secunda, Quæstione quarta ex concilio Toletano, Can. Si publicis, sic legimus: Nunquid non tolerabilius esset stultæ promissionis uota reijcere, quàm per inutilium promissionum custodiam horrendam criminum implere mensuram?

Nonnunquam requiri, ut uota reddantur irrita.

Ibidem Can. In malis promissis rescinde fidem, inquit, in turpi uoto muta decretũ. Quod incautè uouisti, ne facias. Impia est promissio, quę scelere impletur. Hæc ibi leguntur, unde satis patet, nec stulta nec inutilia, nedum mala ac turpia uota obligare conscientias eorum qui uouerunt: sed esse incunctanter soluenda, ut nihil sit addubitandum, non semper esse seruãda uota. Igitur admodum iniquè agunt, qui infirmis conscientijs prædictos Scripturæ locos sic objiciunt, ut asserant simpliciter esse illis seruanda quæ uouerunt, cum probandum magis sit monastica illa uota placere Deo, & omnino esse seruanda. Scriptura de illis non loquitur, sed de ueteris testamenti uotis, quibus sacrificia Deo ab afflictis ac tribulatis inter orandũ, uouebantur, quemadmodum suprà admonuimus, quæ & licita erant, & omnino reddenda. Objiciunt de uoto uirginitatis, illud Apostoli de uiduis, 1. Tim. 5. Apostolus, inquiunt, dicit: Iuniores uiduas reijce. Cum enim lasciuire cœperint aduersus Christum, nubere uolunt, habentes condemnationem, quòd primam fidem reiecerint. Quid iam de monachis & monialibus sentiendum est, quibus in Lutheranismo nubere conceditur, quantumuis uirginitatẽ uouerint? An non de illis rectius dicetur, quàm de uiduis denuò nubentibus, quòd primam fidem reiecerint, ideoq; cõdemnationem habeant? Respondemus: Non loquitur Apostolus de uotarijs uirginibus, sed de uiduis, quas Ecclesia tum tẽporis alebat, sicuti uidere est Act. 6. ubi Græci aduersus Ebræos murmurasse leguntur, propterea quòd uiduæ ipsorum in ministerio, id est subsidio quotidiano negligerentur. Admonet, nõ esse iuniores uiduas in communionem eius subsidij assumendas, sed sexagenarias. Obsecro quid hoc ad monastica uota, & quomodo contra

1. Tim. 5.

do contra nos facit? Imò, quomodo nō uident, quàm pro nobis faciat hic locus? Primò, in eo quòd sexagenarias deputat, non facit cum illis qui puellas ad uota monastica admittunt.

Deinde, exemplo earū, quæ satanam sequutæ fuerant, iuniores uitandas esse monet. Tertiò, non modò reijcit iuniores, sed & præcipit ut nubant, ne locus sit satanæ. Si hæc seruata fuissent in ecclesijs, tantum loci non fuisset datum satanæ, ad perdendum Christianorū adolescentes & puellas. Malum hoc præuidit Apostolus, ideoq; diserte præcepit, dicens: Iuniores uolo nubere, liberos procreare, matres familiâs esse, nullam occasionem dare aduersario.

Et illud simpliciores nōnullæ ex monalibus obijciunt: Ei quę desponsata est, alteri nubere non licet, Monialis autem uirgo desponsata est Christo: Ergo moniali nubere non licet. *Obiectio. Mònialis desponsata est Christo: ergo non licet ei alteri nubere.*

1 Respondeo: Si uouere idem est monialibus, quod nubere, Benedicto, uel Dominico, uel Francisco magis nubūt, quàm Christo. Si & Christo & horū alicui nubūt, an' nō sunt digamę?

2 Deinde, si uotum illarum uinculum habet coniugij cum Christo, quid est ergo quod factum est in Baptismo? An' non Paulus 2. Corin. 11. dicit: Despondi uos uni uiro, uirginem castam exhibere Christo? Quis nescit hoc ab illo non de monachismo, sed de Christianismo dici? Christianis loquitur, fide Christo desponsatis, non monialibus. Cū ergo moniales ut Christianæ Christo sint desponsatæ, quomodo ut moniales Benedicto desponsantur? & quomodo de Christo sponso solæ gloriantur?

3 Tertiò, si spirituale coniugium cum Christo impedit à matrimonio monachos & moniales, quomodo non omnes Christianos impedit? Aut, quomodo nō impedit despōsatio Christianorum, cuius Apostolus meminit, impedit uerò monastica? Sed cesso. Paruuli sunt sensibus uotarij, utinam paruuli sint malicia. Audiāt saltem, quid Augustinus hac de re scripserit, *Augustinus.* cuius hęc uerba in libro de Bono uiduitatis, cap. 10. leguntur. Proinde qui dicunt, talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi uidentur satis acutè ac diligenter considerare quid dicant. Fallit eos quippe similitudo ueritatis. Quia enim coniugium Christi dicūtur eligere, quæ Christiana sanctitate non nubunt, hinc argumentantur quidam, dicentes: Si uiro suo uiuo quæ alteri nubit, adultera est, sicut ipse Dominus in Euāgelio definiuit: uiuo ergo Christo, cui mors ultrà non dominatur, quæ coniugium eius elegerat, si homini nubit, adultera est. Qui hoc dicūt, acutè quidem mouentur, sed parum attendunt hāc argumentationem, quanta rerum sequatur absurditas, &c. Vide locum ipsum.

Cogitet hic homo uerè pius ac religiosus, ualeat ne ad hoc uotum, ut saluti uouentis incōmodet, propter quam Christus est mortuus. Deinde, an uiuere in scortatione & libidine illicita non sit contra Deum, & saluti nostræ incommodet.

Tertiò, an' non sit melius uiuere in matrimonio, quàm in scortatione: imò, an' nō teneatur obedire Apostolo, qui se non continet, cuius prę ceptum est, ut qui se non cōtinet, nubat? Hic non impedit continentiæ uotum, cum illam uotarius à Deo non accepit. In summa: Si nō uouisset eam, an' non teneretur nubere? utiq;. Quid ergo postquam eam uouit? Si iā illi nubere non licet, ergo uotum eò ualet, ut saluti uouentis incommodet, quādoquidem illi uinculum est factum non salutis, sed perditionis. Hæc uoti obligatio ex Deo nō est, sed ex satana. Quare qui cōiugia uotariorum pro adulterijs habent & dirimunt, non Christi sunt, sed satanæ ministri, faciuntq; contra suos ipsorum Canones, in quibus 27. Dist. Canone quodam sic habetur: Quidam nubentes post uotū asserunt adulteros esse: ego autem dico, quòd grauiter peccant, qui illos diuidūt. Et sunt uerba Augustini in libro de Bono coniugali. Sed hactenus de uotis.

DE AFFLICTIONIBVS.

QVONIAM singulari consilio Dei, cùm propter naturæ nostræ infirmitatem, tum propter præsentis seculi maliciam, ut religionis nostræ professionem, & hostiles satanæ inimicitias taceam, omnis generis afflictionibus obnoxij sumus, donec in hac carne uiuimus: operæpreciū fore puto, ut hac de re annotē, quæ pijs hominibus conducere queant. Admodum nanq; refert, quomodo in commoda, quæ uitari non possunt, intelligamus, subeamus, feramus & uincamus. Nihil enim adeò triste est ac molestum, quod Christianus rectè animatus, per gratiā Seruatoris sui uincere non possit. Tractabimus autem materiam hāc sic nostro more, ut certis illam capitibus comprehendamus, hisce uidelicet:

1 Quot sint afflictionum genera.
2 Vnde sint.
3 Quo consilio Dei immittantur.
4 Quàm diuersimodè inferantur.
5 Quæ illarum sit utilitas.
6 Quomodo subeundæ sint, ferendæ ac superandæ.
7 Quomodo agendum sit cum afflictis.
8 Quomodo gerat se Deus cum afflictis.

I. QVOD SINT AFFLICTIONUM GENERA.

Duo genera afflictionum.

INnumeræ ſunt afflictionum ſpecies, quarum ne minima quidem portio recenſeri poterit. Quare propoſiti noſtri non eſt, ut mare hoc immenſum ingrediamur, ſed contenti ſumus hac diuiſione, ut afflictionum duo ponamus genera: unum, quod humanas: alterum, quod eas comprehendat afflictiones, quę religionis gratia inferuntur. Et Apoſtolus ſic eas diuiſiſſe uidetur, ubi 1. Corinth. 10. dicit: Tentatio uos non cepit, niſi humana. quibus uerbis humanas afflictiones ab ijs ſeparat, quæ Chriſtianis ut Chriſtianis, à mundo hoc impijſsimo, inſtigante ſatana inferuntur.

Afflictiones humanæ.

Humanas afflictiones eas uocamus, quæ extra cauſam religionis hominibus in hoc ſeculo ut hominibus eueniunt.

Humanæ afflictiones triplici ter accidunt.

Accidunt autem illæ tripliciter. 1 Primò, ut natura imbecillibus: deinde, ut conditione ac fortuna humilibus & abiectis: tertiò, ut malis ac flagitioſis. Vt natura imbecillibus accidũt multa incommoda & moleſta, mox ab ipſo partu, per omnes totius uitæ noſtræ ætates. Partus noſtri, cunabula, infantia, puericia, adoleſcentia, iuuentus, ætas uirilis, & ſenectus, ſcatent multis afflictionibus & moleſtijs. Quis recenſuerit dolores carnis, quos inferũt frigus, æſtus, fames, ſitis & morbi, unicuique ętati peculiariter inſidioſi: ut eos taceam, qui ſingulari aliquo caſu accidunt? Generaliter quidem uniuerſa natura noſtra corrupta eſt, imbecillis ac morbida, uerùm corruptio illius unicuiq; ætati peculiares quaſdá moleſtias gignere ſolet. Hæ ſunt communes tam bonis quàm malis, tam ſuperioribus quàm inferioribus. Accidunt enim nobis non ſecundum conditionum uarietatem, ut potentibus & imbecillibus, ut doctis & indoctis, ut ſuperioribus & inferioribus, ut diuitibus & pauperibus: ſed ut hominibus, ſecundum communis naturæ defectus, quos extrema demum mortis neceſsitas terminat.

2 Vt autem conditione ac fortuna humilibus accidunt contemptus, oppreſsio, ſpoliatio, egeſtas, cum omnis generis iniurijs, quibus à potẽtioribus ij qui tenuiores ſunt, temerè obteruntur, ac perinde in hoc ſeculo ac piſces in mari à ualidioribus uorantur: qua de re cõqeritur Habakuk cap. 1. dicens: Vſquequò Domine clamabo, & non exaudies? Vociferabor ad te patiens, & non ſaluabis? Quare oſtendis mihi iniquitatem & laborem, ut uideam deprædationem & uiolentiam coram me, & eſt lis, & iudicium ſublatum eſt. Idcirco lex non uiget, nec iudicium exequutionem ſortitur, quãdoquidem impius circumuenit iuſtum: hinc eſt quòd egreditur iudicium peruerſum. Hoc genus afflictionum, quibus premuntur in hoc ſeculo pauperes, uiduæ, orphani, peregrini & innocentes, per omnes gentes impunè dominatur, ut non ſit fruſtra dictum, Vexat cenſura columbas. &, Pauper ubique iacet: & Germanicè, wer bas mag, der ſtoſst den andern in ſack.

Habac. 1.

3 Tertiò, ut malis ac flagitioſis accidunt ſæpenumero afflictiones ipſorum merito, quas uel ſibijpſis prauis ſuis ſtudijs & factis inferũt, ſicuti uidere eſt in adulteris, ſcortatoribus, ebrijs & crapulæ deditis: uel ab alijs illatas ferre coguntur, ſiue dum priuatas ultiones experiũtur, ſiue dum per magiſtratus iuſto iudicio puniuntur. Hæc obiter de priori afflictionum genere, quas humanas uocamus.

Afflictiones propter religionem illatæ.

Alterum genus earum diximus eſſe afflictionum, quę pietatis ac religionis gratia inferuntur, quibus & eas coniungimus, quas homines iuſti propter iuſticiam perpetiuntur. Harum omnium catalogum texere, meo iudicio, fuerit impoſsibile. Obiter quædam tanquam generaliores recitari poſſunt, quarum aliæ cõmuniter omnibus, alię alijs, uel plures uel pauciores pijs ac iuſtis hominibus inferuntur. Communiter omnibus accidunt, diſplicentia, odium, ſeparatio, abominatio, blaſphemia, conuicia & probra, ac ſtudium nocendi & perdendi. Principiò náq; quotquot uerè pij ſunt in Chriſto, illiusq; uerbo ſincera fide adhærent, impijs huius ſeculi filijs admodum diſplicent, quia ſtudia ipſorum probare nõ poſſunt. Et hoc principium eſt earum afflictionum, quibus pij in hoc mundo infeſtantur, id quod ipſis hoc eſt moleſtius, quo magis omnibus in bono placere ſatagunt.

Deinde, diſplicentiam hanc eueſtigiò conſequitur odium infenſiſsimum, ac pluſquá Vatinianum, quod ſatan miris modis in animis impiorum inflammare ſolet. Tertiò ex hoc odio naſcuntur mala omnia, quibus pij affliguntur. Confeſtim exoritur coniunctorum ſeparatio, qua omnis ſoluitur amicitia, cognatio ac familiaritas: ſic ut liberi à parentibus, parẽtes à liberis, frater à fratre, coniunx à coniuge, amicus ab amico, uicinus à uicino ſeparentur. Omnino ſic comparatum eſt ingenium humanum, ut obſequẽtes amanter complectatur, ueritatis uerò ſtudioſos odio proſequatur: & quos odio proſequitur, auerſetur, illorumq; ſocietatẽ contentioſa ſeparatione fugiat. Mox atque animi in cauſa religionis ſeparantur, ut diuerſæ ſint ſententiæ, ac diuerſa uoluntas, ſimul ipſa uitæ ſocietas diſilit, ut qui coniunctiſsimi fuerant, à ſe inuicem ſeparentur. Separationem hanc comitatur abominatio, qua impij pios, quaſi omnium ſint impijſsimi, execrantur. Sic ſolent abominabiles haberi, qui hęreſeos damnãtur. Vt pro tali haberetur Ioannes Huſs, cum ad ſupplicium duceretur, impoſuerũt illi tiaram, cui & antè & retrò imagines diaboli appingi fecerant.

Abomina-

Abominationi iunguntur blasphemiæ, probra & conuicia, quibus pij ab impijs iniquissimis modis proscinduntur, & aliorum odijs & abominationi exponuntur. Neq; enim satis esse putatur, si priuatim nonnullis, nisi & publicè omnibus sint abominabiles.

Accedit indefessum nocendi ac perdendi studium, quo impij piorum & honori, & fortunis & uitæ perniciem machinantur. Hæ sunt communes afflictiones, quibus omnes pij religionis gratia redduntur obnoxij.

Quæ alijs aliæ accidunt, specificari omnes nequeunt. Sunt ex illis hæ: persequutio, exiliũ, egestas, fames, sitis, uerbera, carceres, uincula, condemnatio, gladius, laqueus, ignis, &c. Apostolus Rom. 8. meminit famis, nuditatis, periculi, persequutionis & gladij: & 2. Cor. 6. necessitatum, angustiarum, plagarum, carcerum, seditionum, laborum, uigiliarum & ieiuniorum: & cap. 11. suas afflictiões recitat, labores uidelicet, uerbera, carceres & mortes. A Iudæis, inquit, quinquies quadragenas plagas una minus accepi, ter uirgis cæsus fui, semel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi: in itineribus sæpè, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gẽtibus, periculis in ciuitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis inter falsos fratres, in labore & molestia, in uigilijs sæpè, in fame & siti: in ieiunijs sæpè, in frigore & nuditate, præter ea quæ extrinsecus accidunt, &c. Non est dubitãdum, alijs quoq; Apostolis uariarum fuisse ferendam afflictionum crucem. Vt enim impietas sæua est, crudelis & atrox aduersus electos Dei: ita est & ingeniosa ad excogitandum alias atq; alias afflictionum species.

Quid dicam de ijs quæ animos piorum affligunt, etiamsi nihil aduersi corporibus illorum inferatur? An non lex peccati mors quędam est in ipsorum membris, per quam fit, ut bonum quod probant ac uolunt, non faciant: & malum quod odiunt, hoc faciãt, ideoq; cum Apostolo, haud sine graui dolore cordis exclament ac dicãt: Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Quàm hinc grauiter affligantur homines pij, non norunt nisi experti. Huc accedunt & aliunde, unde grauiter contristantur: utpote, contemptus nominis Dei, quem passim obtinere cernunt, quo de suprà quædam in loco de Nomine Dei attigimus. Quemadmodum ex animo dicunt, Sanctificetur nomẽ tuum: ita non possunt nõ grauiter dolere, quoties illud contemni uel prophanari uiderint. Deinde & catholica ecclesiarum seductio, quæ in uniuerso Papatu regnat, ad tot millium animarum perniciem, tamq; asponda dissidia operatur, ut regnum, pacem & prosperitatem impiorum taceam. Præterea quis infirmatur inter fideles, ut pius non infirmetur unà cum illo? quis offenditur, ut ipse nõ uratur? quis aliquo incommodo premitur, cuius ipse pressuram non sentiat in corde? Reuera non modò multæ, sed & innumeræ sunt tribulationes iustorum in hac uita, ut non frustrà dictum sit ab Apostolo: Si in hac tantum uita spem habemus fixam in Christo, maximè miserabiles omniũ hominum sumus. Sed hactenus de generibus afflictionum.

De afflictionibus animorum.

Rom. 7.

II. VNDE SINT AFFLICTIONES.

QVamuis multæ nobis accidãt afflictiones, de quibus unde sint nõ quęrimus, eo quòd id sit abundè manifestum: pij tamen hominis est primùm in genere, deinde & specialiter, quoad eius fieri potest, diligẽter cognoscere, unde sint mala, quæ accidunt uel omnibus ex æquo, uel quibusdam tantùm, siue bonis siue malis. Hæc nanq; consideratio plurimum ad hoc facit, ut ad quæuis aduersa ferenda instructiores reddamur.

Afflictiones immitti à Deo.

Principiò, nemini non persuasissimum esse debet, nihil prorsus accidere humano generi, siue generaliter, siue specialiter, sine dispositione diuina, nõ modò quod sit bonũ, sed & quod sit malum, id est triste & aduersum. Etenim cum ne passerculus quidem in terram citra prouidentiam Dei cadat, quomodo homini accidere poterit, quod sit incommodum, citra dispositionem Dei? Confirmatur hoc ipsius quoq; testimonio Dei, Esaiæ 45. dicẽtis: Absq; me non est Deus. Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras: faciẽs pacem, & creans malum. de quibus uerbis uide in Commentarijs nostris super Esaiam.

Causæ afflictionum.

Deinde cogitandum: est de causis malorum, quæ nos premunt. Harum aliæ sunt ex primis nostris parentibus, aliæ ex nobis ipsis qui affligimur: aliæ extrinsecus ex alijs, aliæ immediatè ex Deo. Ex primis nostris parentibus sunt mala quæcunq; communiter humanæ naturæ in omnibus accidunt mortalibus, quorum suprà mentionem fecimus. Debemus enim hæc omnia illorum transgressioni, propter quam facti sumus miseri, calamitosi, morbis, fami, siti, lassitudini, frigori, æstui, omnis generis doloribus ac passionibus, morti deniq; & corruptioni obnoxij, quotquot ex illis in hac carne peccati nascimur.

Ex nobis ipsis sunt eorum malorum causæ, quibus propter nostra peccata affligimur. Huc pertinet illud Psalm. 89. Visitabo cum uirgâ iniquitates eorum, & cũ uerberibus peccata eorum. Et quod Dominus paralytico Matthęi nono dixit, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: & Ioannis 5. Ecce iam sanus es factus, ne pecces amplius, ne tibi quid deterius contingat. Vnde uidemus flagellari nos diuinitùs propter peccata, quibus in nos iram Dei prouocamus.

Psal. 89.

Matth. 9.

camus. Et præterea sic comparata sunt nonnulla peccata, ut & animos & corpora nostra affligant, etiamsi nulla peculiari uindicta Dei puniantur. An non ebrietas corpora, auaricia uerò & inuidia animos nostros affligunt & conficiunt? Omnis inordinatus affectus, inquit ille, pœna est sui ipsius.

Nonnullarum uerò afflictionum causæ extra nos sunt, in illis qui nos præter meritũ odio prosequuntur & affligunt. Sic comparatæ sunt eorum malorum causæ, quibus pij, iusti & innocentes in hoc seculo ab impijs opprimuntur. Hæ sunt, impietas, malicia, ira, odium, inimicitia, inuidia, superbia, philautia, philonicia, &c.

Ioan. 9. Accidit nonnunquam, ut causa afflictionis immediatè sit ex Deo. Exemplum huius Ioannis nono in cæco proponitur: de quo cum discipuli percontarẽtur, quis peccasset, ipse ne uel parentes eius, quòd cæcus esset natus? respondit Dominus, dicens: Neq; hic, neque parentes eius peccarunt, sed ut manifestentur opera Dei in illo: intellige, cęcus est natus. Grauis est afflictio luce oculorum ex utero matris destitui. Et tamẽ huius nulla erat alia causa in eo cæco, quàm quòd Deo uisum erat gloriam suam in illo manifestare. Nulla, inquam, eiusmodi erat in eo cæcitatis causa, non quòd peccato non esset natiuitas illius obnoxia, ac maiore quoque quàm sit cæcitas, pœna digna: sed quòd haud propter illud uoluerit Deus ei homini inferre cæcitatis incommodum, quem organum potius esse uoluit, in quo per unigenitum suum inclarescceret.

De finalibus afflictionum causis, non est ut hoc loco dicamus. In sequenti iam articulo rectius illarum mentio fiet.

III. QVO CONSILIO DEI AFFLIctiones immittantur.

QVemadmodum non delectatur Deus perditione filiorum hominum, ita nec afflictionibus illorum delectatur. Neq; enim natura est sæuus & misanthropos, qualem ueteris Testamenti Deum hæretici quidam finxerunt, qui ad hoc propendeat, ut malis afficiat homines tam bonos quàm malos: sed bonus, mitis & philanthropos, sic ut beneficentia delectetur, iuxta illud Hier. 32. Lætabor super eis, cum benefecero eis. Quòd igitur afflictiones immittit, ex eo non est, quòd procliuis sit ad affligendum, cum id sit à natura ipsius alienum: sed dum nos affligit & flagellat, opus alienum facit, ut ad id quod proprium ipsi est, perueniat.

Hiere. 32.

Alienũ opus facit Deus, ut ad proprium perueniat.

qua de re uidere licet Esaiam 28. ubi sic legimus, Vt faciat opus suum, alienum est opus eius: ut operetur operationẽ suam, aliena est operatio eius. Propriũ Dei opus est non affligere, sed afflictos liberare ac seruare. At ingenij nostri malicia fit, ut instar fidissimi patris uirga nos disciplinæ castigare & erudire cogatur, quo ad proprium opus suum perueniat, & alias perituros seruet. Hoc consilio populum Israelis propter duram illius ceruicem, & inferendam rebellionem frequenter afflixit, quo ad se illum reflecteret. Sic legimus Oseæ 2. Propter hoc ecce ego sepiam uiam eius spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet, & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos, & quęret eos, & non inueniet: & dicet, Vadam, & reuertar ad uirum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quàm nũc. Sic affligit peccantes, dum uias suas sequuntur, quo ad se conuersi resipiscant.

Esa. 28.

Oseæ 2.

2. Cor. 11. Consimilis locus habetur 1. Cor. 11. ubi Apostolus dicit: Cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum mundo damnemur. Affligi uocat παιδεύεσθαι, quod sonat in morem pueri corripi, castigari & erudiri: ut significet nihil agere Deum aliud dum nos affligit, quàm quod pater agit, dum filium delinquentem flagellat & erudit. Hoc consilium Dei Ebræorum 12 fusius exponitur ad hunc modum: Nondum enim usq; ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugnantes, & obliti estis consolationis, quæ uobis tanquam filijs loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit, &c.

Ebr. 12.

Itaque potissima hæc est ratio omnis generis afflictionum, quibus in hac uita affligimur, ne si impunè peccemus, nosipsi perdamus.

Quare iusti affligantur.

Cæterùm quoniam non modò qui peccant, sed & iusti homines propter iusticiam & pietatem plurimùm affliguntur in hoc seculo: haud immeritò quæsierit quisquam, quod nam ea in re sit consilium Dei. Vt ad hanc quæstionẽ breuiter respondeam, duæ sunt principales causæ, propter quas Deus iustos homines impijs & iniustis affligendos obijcit. Vna est exercitij, altera singularis exempli. Exercitij, quo in fide, spe, inuocatione & laude nominis ipsius exerceantur. Tale quid expresit Apostolus 2. Cor. 1. dicens: Non enim uolumus ignorare uos fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia. Nam supra modum grauati fuimus supra uires, ita ut tæderet nos etiã uiuere. Quin & ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ne simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos, qui de tãtis periculis eripuit nos & eruit, in quẽ speramus, quòd adhuc eripiet, adiuuãtibus uobis in oratione pro nobis, ut ex multarũ facierũ personis eius, quę in nobis est donationis, per multos gratię agãtur p nobis.

Exercitium ex afflictionibus.

Sic

Sic exercentur pij in fide prouidentiæ Dei, quo propria infirmitate agnita omnẽ in Domino Deo ſuo fiduciam collocare diſcant. Sic exercẽtur ad ſperandum in eum, cuius in afflictionibus auxilium ſunt experti. Sic aſſuefiunt ad inuocandũ eum, à quo firma cũ fiducia pendent, & ad ſacrificandum illi ſacrificium laudis, à quo ſe ex omnibus afflictionibus liberari ſciunt.

Exemplum.

Altera cauſa, quam ſingularis eſſe exempli diximus, bimembris eſt. Partim enim ſeruit illa eccleſiæ fidelium, partim gloriæ nominis Dei. Exemplo fidei ac patientię redduntur homines electi ac pij, dum certamina afflictionum in hoc ſeculo conſtanti fide ac tolerantia ſuſtinent, atq; ita in eccleſia fidelibus quaſi luminaria quædam prælucẽt. Sic Prophetas Chriſtus Apoſtolis imitandos proponit Matthæi 5. Seruiunt gloriæ Dei, dum potentia ac bonitas illius in ipſis declaratur. Huc refer ea quæ pertulit Iob. Hiſce rationibus immittuntur afflictiones à Deo hominibus iuſtis ac pijs, quibus dignus non eſt hic mũdus. Poſſunt & alię aſsigna ri, ſed hæ ſunt principaliores.

Quare Deus affligat impios in hac uita.

Præterea quæri poterit, ad quid Deus non ſolùm peccatores, in quibus adhuc locum habet reſipiſcentia, & iuſtos homines, ſed & impios affligat, in quibus dictæ iam rationes nihil poſſunt habere loci. Etenim ne plagis quidem emendantur, & pœnas dabunt in extremo iudicio. Reſpondimus ad hanc quæſtionẽ ſuprà in loco de iudicijs Dei. Flagellantur impij quoque in hac uita, ne quid illis relinquatur, unde aliquam excuſationis ſpeciem inueniant. Et præterea utile eſt pijs, extare certa quædam argumenta cœleſtium iudiciorum, quibus declaretur, quàm non probet Deus, ſed iudicet & damnet omnes qui agunt impiè.

IIII. QVAM DIVERSIMODE INFERANTUR *afflictiones.*

Diſparibus afflictionibus flagellantur peccatores.

QVi diſponit omnia pro ſua incomprehenſibili ſapientia in numero, pondere & menſura, hanc quoq; cauſam, de qua loquimur, omnium ſapientiſsimè haud pariformiter, ſed diuerſimodè diſpenſat rationibus, modis & menſuris, imparibus quidem & diuerſis, uerùm ſumma prouidẽtia attemperatis. Prudentis medici eſt ſecundum uarietatem morborum uariare in adhibendis remedijs: imò eodem nonnunquam morbo laborãtes, haud ijſdẽ curare modis ac remedijs, ſed pro uarietate perſonarum ægrotãtium rationes quoq; mutare medendi. Cordati item præceptoris eſt in adhibenda uirga diſciplinæ rationem habere ingeniorum, ut accommodet ſe uarietati diſcipulorum: per quam fit, ut alius alio crebrius ſit caſtigandus. Conſimili planè ratione uidemus maximam eſſe afflictionum & caſtigationũ uarietatem, qua mortales in hoc ſeculo diuina diſpoſitione flagellantur & exercẽtur. Etiam ij qui propter idem peccatum flagellantur, haud eodem ſemper afflictionum genere ac modo caſtigantur. Parcitur nonnullis táquam infirmioribus, in quoſdam animaduertitur paulo durius. Generalis quidem eſt in Deo philanthropia, & ſalutis noſtrę cura, modi uerò & rationes ſeruandi nos uariant, quemadmodum & dona cœleſtia diuerſimodè diſtribuuntur.

Et iuſti uarijs afflictionibus exercentur.

Deniq; nec iuſti eadem afflictionum menſura exercentur ac probantur, ſed longè diuerſa. Aliter Samuel, aliter Dauid: aliter Iſaac, aliter Iacob: aliter atq; aliter prophetæ, & aliter apoſtolus Paulus, aliter cæteri Apoſtoli. Quemadmodum ille laborum, ita & afflictionum cumulo excelluit. Imò uidemus nonnunquam iuſtos homines admodum tranquilllo rerũ ſtatu uiuere in pace, dum alij interea uarijs tribulationibus exercentur. Inuenias qui ſtatim à puero, rurſus inuenias qui admodum ſerò exerceantur. Omnium horum rationes ſolus ille nouit, qui ſolus omnia pro ſua prouidentia diſponit, in quas noſtrũ non eſt curioſius inquirere. Cõ

Simile.

flatoribus metallorum hanc curam permittimus, ut ſciant, quomodo aliter conflent aurum, aliter argentum, aliter plumbum, aliter æs, aliter ferrum. Quanto magis cõuenit, ut Deo omnium ſapientiſsimo, & humani generis amantiſsimo liberam hanc poteſtatem in nos & curam permittamus, ut de uita noſtra exercenda & erudienda ſtatuat omnium liberimè: nec dubitemus, quin id faciat noſtro non malo, ſed bono?

V. QVAE SIT AFFLICTIONVM VTILITAS.

Rom. 5. Afflictio patiẽtiam parit.

SI accuratè conſideretur, quo conſilio Dei immittãtur nobis afflictiones, qua de re ſuprà diximus, facilè poterit intelligi, qua id utilitate noſtra fiat. Placet tamen ut de illa ſeparato hoc articulo annotemus. 1 Principiò, commendaturus eam Apoſtolus Rom. 5. ſic dicit: Nec id ſolùm, uerùm etiam gloriamur ſuper afflictionibus, ſcientes quòd afflictio patientiam, patiẽtia probationem, probatio ſpem pariat. quibus uerbis eleganti gradatione docet, ex afflictione præclaras haſce uirtutes naſci, patientiam, probationem ac ſpem: de quibus uide in Commentarijs noſtris ſuper epiſtolam ad Rom. Hactenus ex afflictione ſunt patientia, probatio & ſpes, quòd cauſa illarũ eſt, quam uocãt ſine qua nõ. Etenim ut ſpes infirma eſt citra probationẽ, probatio eſſe nõ poteſt ſine patiẽtia: ita patiẽtia eſſe nequit, ubi nulla eſt afflictio. Rectè ergo omnis illa utilitas, quę eſt patiẽtiæ, probationis ac ſpei, afflictioni tribuitur.

Patientia afflictionum fidem reddit probatam, unde spes est, quæ non confundit. Quis autē sufficienter perpenderit, quantę sit utilitatis ad ueram salutem, si quis sit erga Deum probata fide, ac spe certa contra quasuis tentationes, ipsas etiam inferorum portas confirmatus?

Afflictio dat intellectum.

2 Deinde accedit & illud, quòd terror afflictionum (Hieronymus uertit uexationem Esaiæ 28.) dat intellectum auditui, quo quæ antea negligentius & minus intellecta ex uerbo Domini audiuimus, sub terrore crucis cōstituti, & inde quoq; liberati, multo melius intelligimus. qua de re uide in Cōmentarijs nostris super Esaiam. 3 Tertiò humiliat etiam afflictio, quem admodum rerum prosperitas reddit elatum. Est aūt ut duplex elatio ex prosperitate, ita & duplex humilitas ex afflictione. Qui rerū successu potiūtur, & animo redduntur elati, & in seculo quoq; sublimes habentur. Contrà, qui rebus aduersis exercentur & affligūtur, hi utrobiq; & in corde suo, & in seculo humiliantur. Quam sit aūt utile, alienum esse ab omni elatione, & humiliari coram Domino, nemo satis perpenderit. Dum agimus in pace, haud cognoscimus nosipsos, quàm simus & animo, & fide, & corpore quoq; imbecilles: uerùm tribulati & afflicti imbecillitatem nostram reipsa experimur, atq; ita nō solùm in oculis mundi, sed & in ipsa nostra cōscientia humiliamur. Humiliati uerò multo sumus ad obseruantiam mandatorum Dei procliuiores, quàm fueramus antea. Notum est illud Dauidis: Priusquá humiliarer, ego deliqui. Item: Humiliasti me, ut discam mandata tua.

Afflictio gignit resipiscentiam.

4 Quartò, gignit etiam resipiscentiā afflictio, & trahit ad Deū: cuius rei documentū in filio prodigo proponitur, qui per afflictionē sic ad meliorē mentē cōuersus fuit, ut diceret: Ibo ad patrē meū, &c. quo animo haud fuerāt antea, cum genio suo indulgeret, ac delicijs diffluret.

Afflictio cohibet prauas concupiscentias.

5 Quintò, cohibet afflictio animum à prauis concupiscentijs, & auellit à rebus terrenis, reddituq; per omnia cautum ac uigilantem. Hac quoque ratione Dauidi multo fuit utilius exiliū, quàm pacis ac prosperitatis ocium. Cum in exilio afflictaretur, ne Sauli quidem infensissimo suo hosti incommodare sustinebat, cum id omniū facillimè posset: in ocio uerò quantum iniuriarum fidelissimo seruo suo intulerit, testantur historiæ.

Afflictio gignit feruorem orandi.

6 Sextò. Quemadmodum rebus tranquillis uel nihil oramus ad Deum, uel oramus admodum frigidè, ita rebus afflictis excitatur in nobis spiritus ac feruor orandi: cuius rei exēpla in Psalmis Dauidis passim occurrūt. Sic condimentū orationis est afflictio, quēadmodū fames cibi. Planè insipida est eorū oratio, qui alieni ab afflictionib. nō orāt uerè, sed orare se simulāt.

Per afflictionē certificamur de cura Dei.

7 Septimò, per afflictionem non modò nos reddimur probati, sed & ipsa nobis cura Dei cō probatur, qua miris modis cōsolatur afflictos. Huius meminit Apostolus 2. Corinth. 1. dicēs: Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater miserationū, & Deus omnis consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Item, Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christū abundat consolatio nostra. Et Dauid alicubi dicit: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificant animam meam. Habent igitur locū diuinæ consolationes in tribulatis & afflictis, non in ijs qui agunt in tranquillitate, quiete, ac securitate.

Ex afflictione nascitur sacrificium laudis.

8 Octauò. Et hoc emolumentum est per afflictiones, quòd animi afflictorum excitantur ad sacrificium laudis, quo Deum deprædicent & extollant, quoties sensu consolationum illius tanguntur, sicuti uidemus in uerbis Apostoli iam citatis.

Ex afflictione instruimur ad consolandum alios.

9 Nonò, ex afflictionibus & hoc utilitatis consequitur ecclesia Dei, quòd quotusquisque fidelium præ alijs affligitur, & cruce exercetur, hoc est ad consolandum alios afflictos instructior. Sic per firmiores ac probatiores Deus infirmiores consolatur. Meminit huius quoque Apostolus loco iam adducto, ubi cum dixisset, Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: subiecit, In hoc, ut possimus consolari eos, qui sunt in quauis afflictione, per consolationem, qua consolatur nos ipsos Deus.

Ex afflictione gloria.

10 Decimò. Accidit nonnunquam singulari dispositione Dei, ut quo quis fuit in hoc seculo afflictior, hoc reddatur in ipso quoque præsenti seculo illustrior. Accidit hoc Israelitis in Aegypto, qui quo magis afflictabantur à Pharaone, hoc magis crescebant, & tandem magnificè in ipsa Aegypto illustrabantur. Accidit ante illos & Iosepho in Aegypto, qui à fratribus uenundatus, & in carcerem quoque coniectus, tandem ex ipso carceris squallore tantum non est in ipsum regni solium euectus. An non & Iob plus est gloriæ post afflictiones consequutus, quàm habuerat antea? Huiusmodi exempla extant permulta. Verùm hæc obiter de utilitate afflictionum, quæ contingit in hac uita. Quam in futuro seculo expectamus, nemo pro dignitate explicare poterit.

QVOMODO SVBEVNDAE, FERENDAE AC SVperandæ sint afflictiones.

Refert in qualem hominem incidant afflictiones.

QVantumuis magna sit afflictionum utilitas, refert tamen plurimùm in qualē hominē incidant, & quomodo ferantur. Etenim si incidant in reprobum & impium, tā abest ut aliquid illi conferant utilitatis, ut magis adhuc illū perdāt, perinde atq; solet ignis,

per

per quem purgatur argentum, absumitur uerò scoria. Deinde si incidant in hominẽ haud impium, sed uel iustum, uel peccatis nonnullis obnoxium, neq; tum proderunt, nisi ritè ferãtur. Quare operepreciũ fuerit hac quoq; de re aliquid præcedentib. subijcere. Videbimus igitur, quomodo subeũdæ sint afflictiones: deinde quomodo ferẽdę: & tertiò, quomodo superãdæ.

Quomodo sub eundæ sint afflictiones.

Principiò, non sunt ultrò accersendæ afflictiones. De talibus nanq; dici non potest, quòd à Deo sint immissę. Quemadmodum morbum corporis nemo cordatus ultrò asciscit, ita nec afflictiones nostra ipsorum sponte in nos ipsi prouocare debemus. Si uerò præter nostrũ studium inferantur, primam hanc nobis curã esse conuenit, ut de uoluntate erga nos Dei nostri cogitemus, quo nos consilio rebus aduersis adfligere constituerit: an ut fidem ac patientiam nostram exerceat: uel, ut nos propter peccata quædam castiget: uel, ut conseruet, ne in peccatorum occasiones incidamus. Plurimum enim conducet hęc cogitatio ad hoc, ut afflictiones competenter feramus. Post illam conuertet se pius homo ad orationem, qua se gratię Dei cõmendet, dicatq; ex animo, si se ut peccatorem affligendũ esse uiderit, Domine, propitius esto mihi peccatori, nec agas mecum secundum peccata mea, sed secundum immensam tuã misericordiã: si uero impeti se ab impijs nõ propter peccata sua, sed propter uerę religionis, aut causæ cuiusdã iustę, professionẽ uiderit, oret dicens: Domine, ne inducas me in tentationẽ, sed libera me à malo: & conserua, ne per quamcunq; afflictionẽ à ueritatis tuę professione deficiã.

An non liceat fugere afflictionem.

Quæsierit quisquam, sicne subeunda sit afflictio, ut non liceat imminentem fugere, & coram Deo deprecari, hoc est, & animo illam & corpore auersari. Respondemus, quòd nõ sit illicitum deprecari coram Deo imminentem afflictionem, crucem & mortem. manifestum nobis extat testimonium ex facto Christi, qui cum in horto esset, immineretq; hora tenebrarũ, calicem passionis, quem bibiturus erat, deprecans tertiò dicebat: Pater, si fieri potest, trãseat à me calix iste, ne bibã illum. Quis iam piorum dicturus est, non licere Christiano quod Christum ipsum fecisse scimus, nec damnare possumus? Extant & aliorũ sanctorum exempla, qui & ipsi deprecati sunt imminentia pericula. Notum est quid fecerit Iacob, cum timeret sibi ab aduentu fratris sui Esau: Deus patris mei Abraham, aiebat, & Deus patris mei Isaac, &c. erue me de manu fratris mei Esau: quia ualde eum timeo, ne fortè ueniens percutiat matrẽ cum filijs, Genes. 32. Quid autem exemplis opus est, ubi manifestum extat præceptum Dei, quo pręcipit, dicens: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te? Psal. 50.

Cæterùm, liceátne fugere afflictiones ac persequutiones, quamuis ex ueteribus nonnulli diuersum senserint: manifestum tamen est, ne id quidem esse illicitum. Aliàs haud rectè dictum esset à Christo: Si persequuti uos fuerint de ciuitate una, fugite in aliam, Matthæi 10. Et Matthæi 24. monet ut qui tempore futuræ uastationis fuerint in Iudæa, fugiant ad montes. Et Ioseph ab angelo iussus fuit, ut sumpto puero ac matre eius, fugeret in Aegyptum, Matthęi 2. Iacob fugit ad Laban auunculum suum, ut irã fratris sui Esau effugeret, Genes. 27. Moses à facie Pharaonis fugit in terrã Midian, Exodi 2. Moses & Aaron cum orta esset seditio, & inualesceret tumultus in populo, fugerunt ad tabernaculum Domini, Numeri 16. Dauid consilio & auxilio uxoris demissus per fenestram, fugit à facie Saulis, 1. Samuelis 19. & 21. & 27. & à facie Absolom, 2. Sam. 15. Et Apostolus Paulus per murum à fratribus dimissus fugit à facie pręfecti Damascenorum, Act. 9. & 2. Corinth. 11.

Etiam auertere afflictiones licet.

Nec alienum est à sanctis, nõ modò fugere afflictiones imminentes, sed & quibus possunt alijs modis, modò non illicitis, illas auertere. Sic Iacob irã fratris sui Esau muneribus auertere moliebatur, Genesis trigesimosecundo. Sic Dauid quum sibi periculũ in aula regis Achis imminere intelligeret, os suum coram rege immutauit, & quibus potuit modis insani hominis furias simulãter expressit, ita ut rex diceret: Vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me? An desunt nobis furiosi, &c. Dimittite illum hinc, ne ingrediatur domum meam. Atq; hoc pacto periculum quod metuebat, effugit, primo Samuelis uigesimoprimo. Et Paulus cum loris ut flagellaretur, constrictus esset, quo eam afflictionem à se auerteret, dicebat: An hominem Romanum, & haud cõdemnatum licet uobis flagellare? Et hoc Romani nominis prætextu pręsens discrimen auertit, Actorum uigesimosecundo. Et quum staret in concilio sacerdotum, Pharisæum se esse, & iudicari propter spem resurrectionis mortuorum clamabat, quòd sciret concilium illud constare ex Pharisæis ac Sadducæis, esseq; inter has duas sectas inconciliabile disidium propter mortuorum resurrectionẽ, quam negabant Sadducæi, asserebant Pharisæi: & hoc modo turbabat totum concilium, ne in illo quid cõtra se concorditer statui posset, Actorum uigesimotertio. Tale quid egit etiam, cum Iudæorum aduersum se coniurationem tribuno per nepotem ex sorore patefecit, capite eodem. & cum Cæsarẽ appellauit, ne Iudęis à pręside Festo traderetur, cap. uigesimoquinto. Huiusmodi exemplis abũdè satis declaratur, haud esse illicitum auertere afflictiones & pericula, si id modis licitis fieri datur, ut nõ peccetur, si illa nõ statim subeamus. Vbi uerè nihil ulla potest ratione effici, quo minus subeunda sit afflictio, tum demum intelligere poterimus, sic esse constitutum à Domino, ut cruce & afflictioni subijciamur, eoq; intellecto, totos nos uoluntati Dei sistemus.

Quomodo ferendæ sint afflictiones.

Deinde, ubi immissas à Deo tribulationes necessariò pariter & haud inuiti subiuimus, refert

fert haud parum quomodo eas feramus. Neque enim satis esse debet pio homini, si aduersa simpliciter ferat, quandoquidem aliter non potest: sed ferenda illi sunt quemadmodum conuenit homini nō modò sapienti, sed & iuxta Deum pio & syncerè Christiano. Haud enim ob id illa diuinitùs immittuntur, ut simpliciter affligamur, ac miseri calamitosiq; reddamur, qua si malit nos Deus miseros, quàm felices: sed ut exerceamur, probemur ac castigemur, sicuti suprà ostendimus. Quare sic sunt ferendæ adflictiones, ut quas articulo præcedenti recensuimus, locum in nobis habeant illarum utilitates. In hunc enim usum immittuntur. Videamus igitur quæ nam huc requirantur.

Principiò, opus est afflictis fide, qua credant se manu Dei cœlestis patris castigari, exerceri, erudiri, probari, & à perditione seruari. Nisi sit hæc fides, non poterunt haberi reliqua, quæ & ipsa requiruntur. Quare hanc cum primis necessariam esse dicimus, qua & manum & consilium Dei flagellantis nos agnoscamus.

Deinde, requiritur spes, qua non dubitemus fore aliquando, ut nos clementia Dei liberet à cruce, quam ipse nobis imposuit. Spes hæc nascitur ex fide, qua Deum credimus esse fidelē, sic ut non sinat nos tentari ultrà, quàm ferre queamus, sed imponat afflictionibus nostris suo tempore finem, largiaturq; exitū. qua de re loquitur Apostolus primæ Corinthiorū decimo. Spei huius uox est illud Iob decimotertio: Etiamsi me occidat, sperabo in eum. Et illud: Post tenebras spero lucem. Quàm autem spes illa non sit inanis, ex eo patet, quòd Deus ipse Psalmo 91. dicit: Quoniam in me sperauit, liberabo eum.

Tertiò, fidem hanc & spem sequitur patientia illa nunquam satis cognita & laudata uirtus. Sed de hac seperato loco dicemus.

Quartò, non modò patientia opus est, sed & gaudio spiritus. Haud quidem gaudij uidetur esse afflictio, sed mœroris, si carnis sensum respicias: uerùm si locus sit spiritui fidei, gloriabitur ille potius, & gaudebit super afflictionibus, quàm contristabitur. Hinc est quòd hortatur nos Dominus, dicens: Beati estis, quum maledixerint uobis homines, & persequuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersum uos, mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Hoc scientes Apostoli, ibant gaudentes à cōspectu concilij, propterea quòd digni habiti essent, qui propter Christum contumelijs afficerentur, Actorum quinto. Sic Paulus non solùm in spe gloriæ filiorum Dei, sed & in tribulationibus gloriari se testatur, Romanorum quinto. Et Iacobus capite primo dicit: Omne gaudium existimate fratres mei, quū in tentationes uarias incideritis, scientes quòd probatio fidei uestræ patientiam operatur. Sic igitur ferendæ sunt afflictiones, ut per fidem ac spem feramus eas non modò patienter, sed & cum gaudio.

Matth. 5.

An dolor et gemitus, & querimoniæ, & diuini auxilij imploratio excludantur.

Dicet hic quisquam: Ergo excluditur ab hac causa omnis dolor, gemitus & querimonia, imò & auxilij diuini inuocatio. Quomodo enim poterunt hæc habere locum in animo de afflictionibus gaudente ac gloriāte? Respondeo: In homine pio sunt caro & spiritus. Secundū carnem sentit in afflictionibus dolorem, mœsticiam & angustiam, & ingemiscit, queritur, & ut liberetur, opem diuinā obnixè implorat. Huius rei manifesta sunt exempla sanctorum in Scripturis, præsertim in Psalmis Dauidis, imò in ipso seruatore nostro Christo. Secūdum spiritum uerò, qui ex Deo est, nō solùm patienter fert omnia: sed & gaudet in afflictionibus, deque illis gloriatur, sciens illarum fructum, quem caro cognoscere non potest. Sit nobis exēplo Christus ipse. Desiderio desiderabat secundum spiritum edere pascha cū discipulis suis, priusquā pateretur: ubi uerò ad ipsas passionis fores peruenit, carne angustiatus, cœpit esse tristis, ac calicem passionis deprecari. Quid m[illegible]n, si idem usuueniat homini, etsi pio, incomparabiliter tamen infra Christum constituto? In summa, caro infirma est, spiritus uerò promptus: idq; in uno & eodem homine. Quare nihil hic est contradictionis. Idem Christianus in afflictionibus constitutus, carne contristatur, dolet, ingemiscit, angustiatur, & opem Domini implorat: spiritu uerò gaudet & gloriatur, promptusq; est ad ferenda quæuis aduersa pro ueritate ac gloria nominis Dei.

Quomodo superādæ sint afflictiones.

Restat ut de eo quoq; dicamus, quomodo non ad tempus tantùm ferenda sit afflictio, sed & prorsus superanda. Superatur autem afflictio bifariam. Primò, si sic te in illa gesseris, ut cesset ac desinat: deinde, etiamsi non desinat, nihil tamen efficiat, unde superatus nocumentum accipias. Superatur morbus, quādo restitutæ sanitati cedere cogitur. De hoc genere uictoriæ non loquimur in præsenti. Inuenias qui sic superēt afflictiones pro ueritate Dei illatas, ut ipsi magis superentur quàm illę. Christianus homo sic eas uincit, ut in ueritate ac fide Dei firmus permaneat. Sic certat, ut ueraciter cū Apostolo dicat: Certamen certaui, cursum cōsummaui, fidem seruaui: quod reliquū est, reposita est mihi corona iusticię, quam reddet mihi in illa die iustus iudex. Vincit itaq; Christianus omnes afflictiones, dum illas patienter ferendo in statione sua firmus consistit, & de fide ac ueritate Dei ne latum quidem unguem discedit. Sic superauit Iob omnes illas calamitates, quas satan ipsi permissione Dei intulit, dum per patientiam confirmatus, nihil contra Deum est loquutus, imò etiam nomini illius benedixit.

Rom. 8. Verùm huius rei pulcherrimum habemus exemplum in Apostolo, Romanorum octauo, ubi

ubi dicit: Quis ergo nos separabit à dilectione Christi? An tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculũ? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est, Quoniã propter te occidimur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis: uerùm in his omnib. superamus, per eũ qui dilexit nos. Quomodo superabat in his omnibus? Audi quid subiungat: Nã mihi persuasum, inquit, habeo, quòd neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potentatus, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; ulla creatura alia poterit nos separare à dilectione Dei, quę est in Christo Iesu. Ergo sic ferre afflictiones, ut nequeas per illas à dilectione ac ueritate Dei separari, est eas uincere. Sic uincit Christianus omnia, mundũ & satanam ipsum, etiamsi mille modis afflictetur & occidatur.

QVOMODO AGENDVM SIT CVM *afflictis.*

NOn est absq; singulari cõsilio Dei sic comparatus præsentis uitę cursus, ut non sint in uniuersum ex æquo mortales omnes afflicti ac miseri: sed pleriq; & animo & corpore, & facultatib. huius seculi haud infeliciter agant: deinde, ut qui afflicti sunt, haud uno & eodé afflictionis genere premantur, quo nõ modò qui cómodè agunt, sed & qui aliquo miseriæ genere laborant, afflictorum rationem habere queant. Quare pius homo non id tantùm curabit, ut propria mala competẽter subeat, ferat ac superet, sed simul in eo quoq; totus erit, ut erga aliorum miserias, quoad eius poterit, rectè se gerat. Et hac de re diligẽter ac sedulò admonendi sunt fideles, ut non solùm fortes & infracti quæuis aduersa pro ueritate Dei perferant, & manum castigantis se Dei patienter tolerẽt: sed & erga miseros & afflictos alios, quàm sint ueri Christiani ostendãt. Inuenias uerbi Dei ministros, qui tempore persecutionis fortiter quidem quosuis ad perseuerantiam hortentur: interea tamẽ ne uerbo quidem admoneant, quomodo accipiendi sint afflicti & exules, cum id sit nõ minus sedulò inculcandũ omnibus, quàm quomodo in ueritate Dei sit perseuerandũ, & quæuis aduersa patienter ferẽda.

Non solùm seruanda est patientia sub cruce, sed & alijs afflictis cõpatiendum.

Quomodo autem agendum sit cum miseris & afflictis, haud potest certius ac compendiosius exprimi, quàm secundum Christi sententiã, qua dicit: Quæcunq; uultis ut faciant uobis homines, eadem facite uos & illis. Cogitet quisque quomodo secum agi uelit, si sit exul, pauper, nudus, esuriens, ægrotus, uinctus, &c.

Principiò, nihil minus uolet, quàm ut magis adhuc affligatur. Quis nam esuriẽs ac sitiens felle cibari, & aceto potari uolet? At hoc accidit illis, qui cum afflicti sunt, adhuc amplius affliguntur à reprobis: quod quàm sit inhumanum, & singulari ultione diuina dignum, Psalmo sexagesimonono uidere licet, ubi sic legimus: Opprobrium fregit cor meum, & afflictus sum, & expectaui num esset, qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Effunde super eos irã tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti, persequuntur, & de dolore uulnerum tuorum prædicant: etiam igitur atque etiam cauendum est, ne ledamus afflictos, ac dolorem illorum intendamus: cogitandumq; non modò quàm sit hoc inhumanum & crudele, sed & quàm molestè laturi simus, si tale quid nobis accidat, & quàm horribilem ultionẽ hoc facientibus imprecetur Propheta.

Non est addendum miseriæ miseriorum.

Deinde, nemo afflictus propterea quòd calamitosus ac miser est, contemni uolet. Haud igitur conuenit ut afflictos contemnamus ipsi, quandoquidem nobis id usuuenire nolumus: & si usuueniat, molestè ferimus. Notũ est illud Psalmi uigesimisecundi: Omnes uidentes me, deriserunt me, loquti sunt labijs, mouerunt caput. id quod & Christo in cruce pendenti accidit. Huiusmodi contemptus ex sinistra afflictionum interpretatione nascitur, qua iudicamus illas argumentum habere singularis maliciæ, propter quam diuinitùs flagellentur, quos afflictos & miseros esse uidemus. Et hinc frequenter fit, ut calamitosos homines perinde auersemur, ac si diuinitùs sint anathemate percussi, abominabilesq; facti. Pro tali nemo miser haberi uolet. Nemo igitur ad hunc modum de afflictis sentiat.

Non sunt contemnendi afflicti.

Tertiò, nec illud leue peccatum est, quòd nonnullos de afflictorum miseria gaudere uidemus, cum si id ipsis accideret, omnium ægerrimẽ ferrent. Obijcitut hoc Ezechielis uigesimo quinto Ammonitis, & Tyro capite uigesimosexto: Pro eo, inquit, quòd dixistis, euge euge, super sanctuarium meum, quod pollutum est, & super terram Israel, quòd desolata est, & super domum Iudah, quòd ducti sunt in captiuitatem: idcirco ego tradam te filijs Orientalibus in hæreditatem, & cætera. Et: Fili hominis, pro eo quòd dixit Tyrus de Hierushalem, euge, confractæ sunt portæ populorum, & cætera: propterea hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego super te Tyre, & ascendere faciam contra te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans, & dissipabunt muros Tyri, & cætera. Rectè ergo sapiẽs Prouerbiorum decimoseptimo dicit: Qui in ruina alterius lætatur, non erit impunitus. Et nos Germanicè dicimus: wer sich eines anderen vnglück freuet, dem ist das syn vor der thur.

Non est gaudẽdum de aliorũ miseria.

Quartò,

Iuuandi sunt afflicti.

Quartò, quid igitur expetit miser & afflictus? Primùm sic sumus natura comparati omnes, ut auxilium appetamus afflicti, quo liberemur ac seruemur, perinde atq; terra arida & siticulosa cœlestis est auida pluuię ac roris. Sunt igitur iuuādi nobis afflicti, quoad unicuiq; suppetit facultas, qua necessitatibus illorum succurrat. Vestiendi sunt nudi, cibandi famelici, hospitio accipiendi exules, liberandi captiui, curandi ægroti, &c. Notum est illud Christi, Matthęi uigesimoquinto: Esuriui, & cibastis me, &c.

Compatiēdum afflictis est.

Deinde, ubi hoc fieri non potest, proximum est, ut cupiat afflictus ea quæ patitur compassionem saltem mouere in cordibus spectantium. Sic Dauid, Expectaui, inquit, qui simul contristaretur, & non fuit. Hoc requirit à nobis Apostolus, cum dicit, Flete cum flentibus: & in Hebræis fidelibus laudat, dicens: Et uinctis compassi estis. Hebræorum decimo. & Iob id se fecisse commemorat, capite trigesimo, cum dicit: Flebam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Præstare potest hoc tam pauper quàm diues, imò pauper melius quàm diues: afflictus citius quàm nō afflictus, cum primis homo pius ac fidelis, siue pauper sit, siue diues. Diues utique erat Iob, cum anima illius pauperibus compateretur: uerùm iuxtà erat pius.

Cōsolandi sunt afflicti.

Compassionem hanc sequitur consolatio, quæ fit uerbis: sequitur etiam oratio ad Deum pro afflictis. Iam quotusquisque est, qui hæc præstet? Refriguit omnis compassio, quia refriguit charitas. Quare rarissima est fraterna consolatio, rarissima ad Deū oratio. Cordibus obduratis, quid faceret os, quid manus? Vbi nulla est compassio, quid aliud sequi potest, quàm ut nulla sit etiam consolatio, neq; quæ fiat uerbo, neq; quæ fiat opere.

Quæstio. Vbi succurrendum est afflictis, non debemus in uitam ipsorum inquirere.

Dixerit quisquam: Quid si qui afflictus est, sit homo infidelis, uel peccator, uel aliàs pernicax, qui proprio uitio afflictetur? Respondeo: Quisquis sit qui miser est & afflictus, miserabilis est, ut afflictus. Samaritanus ille, de quo est in Euangelio, opem tulit ei, qui in latrones inciderat, nulla habita ratione diuersæ religionis. Vt homo miserebatur hominis miserè periclitantis. Succurrere afflicto ut afflicto, bonum opus est, & impendendū omnibus. Quòd si quis ut fidelis & frater pro ueritate affligitur, huic succurrendum est præ omnib. Operemur quod bonum est, inquit Apostolus Galat. sexto, erga omnes, maximè autem erga domesticos fidei. Si propter peccata sua quisquam castigatur, etiam in hunc declaranda est misericordia. Nec displicebit hoc Deo, si quos ipse flagellat, compassione & cōmiseratione prosecuti fuerimus. Quin hoc ipsum poscit, sicuti uidere est Esaiæ decimosexto, ubi requirit à Moabitis, ut Israelitas, quos ipse flagellabat, amanter acciperent. Abscōde, inquit, fugientes, & uagos ne prodas, habitent apud te profugi mei. Cū ergo uerę bonitatis opus sit misereri afflictorum, non debemus, ubi succurrēdum illis est, in religionem, uitam & causas afflictionis ipsorum inquirere, sed ex commiseratione illis tanquam afflictis opem impendere.

QVOMODO SE GERAT DEVS *cum afflictis.*

SI simpliciter affligeret nos Deus, nihil agens aliud, quàm ut miseros & afflictos redderet, frustrà quæreretur, quomodo se gerat cū afflictis. Id enim ipsa satis monstraret miseria & afflictio. Verùm quoniam nō hoc agit, ut nos miseros reddat, quantumuis affligat: rectè quærimus quomodo se gerat cū illis, quos afflictionibus in hac uita uel exercet, uel castigat. Caro existimat se ab illo tanquā iratò abiectam esse ac desertam, dum affligitur: cuius sensum & Christus ipse in cruce expertus clamauit, Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? Et Dauid idē carne sentiēs, toties sub cruce ingeminauit illud: Quare auertis faciē tuā à me? Et, Proiectus sum à facie oculorum tuorū. Et mundus quoq; haud aliter de Deo sentit, quàm quòd miserorum & afflictorum nullam habeat rationem. Est igitur ualde necessariū homini pio, haud ignorare quomodo gerat se Deus cum afflictis, ut sciat quid sibi de illo in afflictionibus polliceri debeat: deinde ut exactum habeat, quod imitetur, ueræ bonitatis exemplar.

Quomodo agat cum afflictis Deus.

Vt uno uerbo dicam, agit cum afflictis Deus pro sua natura, qua est pater misericordiarū, & Deus omnis consolationis, miserator, clemens & propitius. Da talem hominem, cui hæc prædicata tribui queāt, & facilè intelliges, qualiter ille animatus sit erga miseros & afflictos. Quis ignorat, quid faciat singularis clementia, miseratio & propitiatio? Quid illa negligit, uel grauatim præstat, quod saluti eorum quorum miseretur, ullo pacto conducere potest?

Adest Deus afflictis.

Adest igitur afflictis suis, perinde atq; medicus ægrotis. Non deserit quos ipse castigat, purgat, exercet ac probat. Quomodo nanq; deesset operi suo quod format, seruat, & glorioſum reddere constituit? Hinc sunt illa Psal. 91. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Et Esaię 43. Cum transieris per aquas, tecum ero. Hac fide canit Dauid Psal. 23. Si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Nō adest Deus afflictis ociosus Simile.

Deinde, non adest ociosus, sed adest ut opificio suo opifex. Argentarius pręsto est argento suo, quod probat & purgat in igne: præstò est autem haud ociosus, sed moderatur ignem, ne si nimius sit, non purget argentum, sed perdat: & reliqua facit secundum artem suam, quæ ad hoc re-

hoc requiruntur, ut probetur ac purgetur argentum. Et putamus Deum abesse operi suo, qui tamen nusquam abest, sed implet omnia: uel ociose adesse, ut non faciat omnia, quæ opificio suo necessaria esse nouit? Absit. Præstò est & ipse suo argento, tum potissimùm, dum illud cõ- 1. Cor. 10.
flat & purgat: moderatur ignem afflictionum, ne sic excrescat, ut ferri nequeat. dat donum patientiæ, ut sustinere possimus, audit nostros gemitus & preces, parat exitum, educitq; ubi tempestiuum fuerit, & tandem expolit & glorificat.

Quòd autem haud statim eripit afflictos, sed sinit ut affligantur alius alio prolixius ac grauius, & interim dissimulat suam præsentiam usqueadeò, ut uideatur eos abiecisse, nec preces eorum audire uelle, non fit citra paterni animi consilium, quo saluti illorum consulit. Nec argentarius argentum suum mox igni eximit, ubi liquefieri incipit, sed tantisper conflari sinit, donec purgatum possit eximi: nec pater dum filium suum castigat ad primam illum clamoris uocem dimittit, sed tantum uerberat, quantum illi profore credit. Quicquid igitur huius est, diuinæ debemus permittere prouidentiæ, nec dubitare quin illa faciat nostro bono omnia, siue mitius nos ac leuius, siue durius ac prolixius castiget. Sed hactenꝰ de afflictionibus quantum in præsenti satis uisum est, dictum esto. *Quare Deus non statim eripiat afflictos.*

DE PERSEQVVTIONIBVS.

TAMETSI quæ de afflictionibus in genere dicta sunt loco præcedenti, de persequutione quoque, tanquam de specie afflictionis intelligenda ueniunt: placet tamen loco hoc seperato dicere de persequutionibus, propterea quòd pars hæc afflictionum ecclesias Christi, inde ab initio ad hunc usque diem irremissa pertinacia affligere solet, qua impij & carnales homines, fideles ac pios indesinenter insectantur.

QVID SIT PERSEQVI.

NOtum est autem, quid sit persequi. Qui persueráter aliquem studio ulciscendi insectatur, sic ut nullum faciat insequendi finem, nunquam ab eo quod cœpit desistens, is persequutor rectè uocatur, etiamsi tandem præter animi sui sententiam ac propositum desistere cogatur: id quod omnibus persequutoribus accidit, qui nolint uelint, tandem coguntur persequutionis suæ abrumpere cursum.

Sunt tamen quibus persequi idem esse uidetur, quod perfectè, id est per omnia sequi: quale est quòd canis uenaticus fugientem feram per montes ac ualles, perque queuis aspera loca insectatur. Vterq; sensus conuenit huic persequendi uerbo. De priori est illud 1. Sam. 23. Quę- 1. Sam. 23.
rebat Dauidem Saul cũctis diebus, & non tradidit eum Dominus in manus eius. Quid est aliud quærere aliquem cunctis diebus ad occidendum, quàm indesinenter eum persequi? De posteriori est, quod eodem capite sic legitur: Quòd si in terram sese obstruxerit, perscrutabor eum in cunctis millibus Iudah. Significabat se Dauidem summo studio per omnia persequuturum, nec omissurum quicquam quod ad persequendum eum facere posset. Et Dauid propriè usus est hoc uerbo, Psalmo decimooctauo, dicens: Persequar inimicos meos, & compre- Psal. 18.
hendam illos, & non conuertar, donec deficiant. Cõfringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos. Cum dicit, Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: propositum persequentium exprimit, quod eò tendit, ut quos persequuntur, comprehendant. Quod addit, Et non conuertar, donec deficiant, ad irremissum insectationis studium pertinet: & illud, Confringam illos, nec poterũt stare, cadẽt subtus pedes meos, ultionem exprimit, quam persequutor de eo quem persequitur, sumere intendit. Et hæ sunt partes plenæ persequutionis, indesinenter persequi, comprehendere & ulcisci.

QVOTVPLEX SIT PERSEQVVTIO.

PRincipiò, alia est persequutio, qua amans id quod amat: & alia qua inimicus eum quem odit, persequitur. Persequitur amans amatum, ut comprehendat quidem, uerùm non ut uindictam de illo sumat, sed ut fruatur. Sic Apostolus Philip. 3. dicit se palmam supernæ uocationis διώκειν, id est persequi. Sic mercator per mare, per terras persequitur opes, quibus ditescat. Persequitur inimicus, non ut fruatur eo quem odit, sed ut uindictam de illo sumat. De priori persequutionis genere nõ est ut dicamus, quamuis sit multo Christianius, si qui spirituales uideri uolunt, utantur illo ad persequendum ueritatis Dei scientiam, & palmam supernæ uocationis cũ Apostolo, quàm quòd hostiliter electos Dei, & ueritatis alumnos cum tyrannis huius seculi persequuntur. *Aliter amans, & aliter inimicus persequitur.*

Deinde, alia est persecutio publica, & alia priuata. Publica est, quæ uel toto terrarum orbe, *Alia est persecutio publica, et alia priuata.*

uel in regno aliquo, aut republica, uel ecclesia, publico edicto in omnes eos exercetur, q̃ pro hostibus regni aut reipublicę, uel ecclesiæ habẽtur. Hãc expertus est Dauid, quẽ Saul rex populi Dei hostilissimè p̃secutus est: experti sunt ꝓphetæ, Christꝰ, Apostoli, & uera Christi Ecclesia.

Priuata est, qua homo priuatus, priuato odio, uel unum aliquem cui inimicatur, uel plures persequitur, idq; citra publicam authoritatem ac potestatem. Nam ubi illa accedit, magis est publica quàm priuata persequutio: qualis erat, qua Saulus acceptis à summo sacerdote literis, ecclesiã Dei, quamuis esset homo priuatus, persequutus est. Priuata persequutio erat, qua Alexander ærarius Paulum ãpostolum est persequutus, 2. Timoth. ultimo.

Persequutio alia extranea est, alia intestina.

Tertiò, persequutionum alia extranea est, alia intestina & domestica. Extraneam uocamus, quæ infertur ab ijs, qui alieni sunt à fidei Christianę professione, etiamsi alias eiusdem sint gẽtis, populi & regni consortes. Hãc olim Christiani à sua quique gente & natione pertulerunt. Hac de re scribit Apostolus 1. Thess. 2. dicẽs: Vos enim imitatores facti estis fratres ecclesiarũ Dei, quę sunt in Iudæa, in Christo Iesu, quòd eadem passi sitis & uos à proprijs cõtribulibus, quemadmodum & ipsi nos à Iudæis: qui ut & Dominum Iesum occiderunt, & proprios prophetas, ita & nos persequuti sunt, & Deo non placent, &c. Ex gentibus erãt Christiani Thessalonicenses, ex Iudæis Paulus & reliqui Apostoli: & quemadmodum illi à sua quidem natione, ita isti à sua persequutionem sunt passi: uerùm propter Christum, quem & Gẽtes & Iudæi reijciebant, ideoq; & exteri erant, & alieni ab illius ecclesia. quare eiusmodi persequutionem uocamus extraneã. Desijt illa, ubi regna terræ ad professionem sunt Christianissimi perducta. Vtinam autem simpliciter desijsset, & non in peiorem mutata esset.

Extranea.

Intestina.

Intestina persequutio est, quæ in eiusdem ecclesiæ cõsortes religionis gratia à primoribus ac pastoribus exercetur. Intestinã hanc uoco propterea, quòd interiora corporis ecclesiastici exagitat, & à se inuicẽ discindit, licet alterutra pars inter uera ecclesiæ membra numerari nequeat. Domestica est, qua pater filium, filiam, uxorem, seruum, famulã, &c. persequitur. quod genus persequutionis nostra quoq; ætate in causa religionis exerceri uidemus.

Intestinarum persecutionum alia iusta est, alia iniusta.

Quartò, intestinarum persequutionum alia iusta est, alia iniusta, secundum diuersitatem causarum, quę persequutionem reddunt uel culpabilem, uel liberant à culpa. Et hãc differentiam, quam causæ iustæ & iniustæ constituunt, Patres non in republica tantùm, sed & in ecclesia locum habere existimant, ut quemadmodum iniusta persequutio est, si ciuis innocẽs à magistratu suo & conciuibus in exilium abigatur, fortunisq; suis spolietur, uel ad mortẽ insectando quæratur: iusta uerò, si hæc fiant erga ciuem perfidum & rebellem, aut aliàs sceleratum ac flagitiosum: ita iusta sit & ea persequutio in ecclesia, qua Christianum hominem, ecclesiæ desertorem, hostem, schismaticum & hæreticum persequuntur Christiani magistratus: iniusta uerò, qua persequũtur uerè fidelem & innoxium. Sic Augustinus epistola quinquagesima ad Bonifacium Comitem: Si ecclesia uera ipsa est, inquit, quæ persequutionem patitur, non quæ facit (sic dicebant Donatistæ) quærãt ab Apostolo, quam ecclesiam significabat Sara, quãdo persequutionem faciebat ancillę. Liberam quippe matrem nostram cœlestem Hierusalem, id est ueram Dei ecclesiam in illa muliere dicit fuisse figuratam, quæ affligebat ancillam. Et paulo pòst: Deinde quæro, si boni & sancti nemini faciunt persequutionem, sed tantummodo patiuntur, cuius putãt in Psalmo esse uocẽ, ubi legitur: Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant. Si ergo uerum dicere uel agnoscere uolumus, est persequutio iniusta, quam faciunt impij ecclesiæ Christi: & est iusta persequutio, quam faciunt impijs ecclesiæ Christi. Hæc ille.

Quin potius de eo cogitare debebat, quod sequitur, ubi carnalis eũ qui spiritualis est, persequi dicitur.

AN CONVENIAT ECCLESIAE POTESTAS PERSEQVVTIONIS.

FRatres quosdam sic sentire in hac causa scio, ut existiment nõ cõuenire Ecclesiæ Christi, ut quẽquam persequatur: sed magis pertinere ad illius sortem, ut perferat ipsa persequutionem, quàm ut cuipiam inferat. Dicam citra cuiusquam p̃iudicium, quid mihi uideatur. Duo sunt respectus in hoc persequutionum genere, quo de in præsenti loquimur: unus est persequentis, alter persequutionem ferentis. Si quæratur, iuste ne persequutionem patiatur, uel iniustè, quem ecclesia persequitur: de eo mox responderi potest secundum causas persequutionis. Si propter iniusticiam factus est persequutioni obnoxius, iustam: si propter iusticiam, iniustam persequutionem patitur. Hic nihil est ambiguitatis, nisi forsan illata persequutio modum excedat. Si uerò quæratur, an ecclesia persequens aliquem, faciat quod Christi conueniat ecclesiæ: hic puto non esse tam ad personam, quam illa persequitur, quàm ad mispat & iusticiam ueræ respiciendum ecclesiæ, quid uidelicet hanc secundum spiritum Christi deceat magis, quàm quid persona peccans sit merita. Quòd si non est inconueniens ecclesiæ, ut malos persequatur, perinde atque non erat inconueniens Dauidi regi, ut inimicos populi Dei persequeretur, propter officium regis, rata est Augustini & aliorum patrum sentẽtia. Verùm hic magnæ potest esse controuersiæ materia, si distinguatur inter magistratum & ecclesiam

Ad decorum ecclesiæ magis, quàm ad personam peccantem esse respiciendum.

siam: sic ut magistratui tribuatur gladius, ad quem persequutio pertinet, ecclesię uerò non tribuatur. Meo iudicio, persequutio qua quæritur merita uindicta, magistratui cõuenit, ecclesię Christi non conuenit. Qua merita uindicta, inquam, quæritur. Nam id officij expresse tribuitur magistratui, Roman. 13. Quòd si hæc non conuenit ecclesiæ, quomodo conuenire illi potest, qua utuntur hodie episcopi, ecclesiarum domini, sæuiendo, subuertendo & extirpando, non ut haud malè agatur amplius, & uera salus amittatur: sed ne inter uiuos agatur amplius, nec reditus ad ueram salutem esse possit. Ecclesia, inquit Augustinus, loco suprà citato, persequitur diligendo, ut corrigat & reuocet ab errore, & in ueritate proficere faciat. At eiusmodi persequutio matris est amantis, non nouercæ odientis. Sic sentio de persequutione ecclesiastica, qua præsides ecclesiæ non innocẽtes, sed noxios homines ecclesiæ nomine politicè magis, quàm ecclesiasticè persequuntur. Eam uerò, qua falsi pastores non hœdos, quos fouent, sed ueras Christi oues, uocem unici pastoris sui sequentes, alienorum uerò fugientes, proscriptionibus & exilijs, carceribus, iniquis iudicijs, laqueis, gladio & igne sub prætextu hęreseos ac schismatis persequuntur, quid uocabimus aliud quàm Antichristi tyrãnidem? Cum Augustinus diceret, Est persequutio iniusta, quam faciunt impij ecclesię Christi: meritò adiũxisset, Et decuplo iniustior, quam facit pijs ecclesia malignantium. Sed illius temporibus nondum Romana tyrannis sic caput extulerat in apertum, ut palàm à se dissidẽtes, omnis generis persequutionibus exagitaret & opprimeret.

Persecutio magis magistratui, quàm ecclesiæ conuenit.

Augustinus.

Dicet quisquam: Sic nullam relinquis ecclesiæ potestatem persequendi reprobos, hæreticos, schismaticos, defectores, ac pacis ecclesiasticæ turbatores, dum non solùm culpas tyrãnicam persequutionem, culpabilem omnino, sed & adimis illi politicam, qua repulsis malis catholicæ paci cõsulitur: unde nihil sequi poterit aliud, quàm ut ecclesia Christi quorumuis nebulonum peruicaciæ ac temeritati turbanda exponatur.

Respondeo: Habet ecclesia Christi gladium non ferreum, quo corpora, sed uerbi Dei, quo noxios errores, hęreses & schismata amputet ac persequatur, donec deficiãt. Si hoc uti uoluerit, ut debet, abundè habebit quod utiliter ac salubriter agat: nec deerit illi facultas, qua paci suæ, & conscientijs fidelium suorum consulat. Habet pręterea spiritum Christi, spiritum uerę dilectionis, quo prędita patiens est, benigna est, omnia sperat, omnia suffert ac sustinet: auidaque est non sanguinis, sed salutis: & prompta non ad perdendum, sed ad seruandum.

Habet ecclesia gladium uerbi Dei.

Sed quid, inquis, si incidat in obstinatos, pertinaces, & incurabiles hæreticos, uel aliàs sceleratos? Respondeo: Interroga charitatem, quid erga tales faciat. An desunt charitati uiscera? lachrymæ? suspiria & gemitus, & preces, quibus clementiam Dei solicitet, opemq; illius imploret? Præterea quod facit mater erga filium phreneticum, faciat hoc ecclesia erga eos quos incurabiles esse uidet. Non interimit illa, quem curare nõ potest: imò studiosissimè cauet, ne uel seipsum ille, uel reliquos liberos interimat, tam uidelicet à sanguine pignorum suorum abhorret. Idem faciat ecclesia, uel conetur saltem ac satagat, si perficere non datur. Hęc autem de ecclesia dicens, non præscribo magistratui: qui, si Christianus sit, turbatores ecclesiarum, ac flagitiosos homines sic coercebit, ut minus nocere possint. Huius gladium ecclesia tam nõ exacuet, ut magis etiam intercessione sua hebetiorem reddere conetur, quàm merita seueritas poscat: cuius moderationis episcopos olim studiosissimos fuisse constat, donec tandem corrupto per secularem potẽtiam ordine Ecclesiastico, persequutores uerorum fidelium esse cœperunt, qui quondam meritam reproborum persequutionem intercessione sua mitigare consueuerant. In decretis Alexandri papæ primi, persequutores sanctorum patrum à liminibus ecclesiæ arcẽtur: & in epistola Nicolai primi ad Michaelem Imperatorem memoratur, quis cõsueuerit esse eorum Imperatorum exitus, & quàm execrabilis infamia, qui ecclesiam persequuti sunt, præsertim Romanam. Ah Christe seruator, peccatis nostris hoc debemus, quòd iam ecclesia paucos habet patres, multos uerò dominos, prælatos, magistros & pontifices, qui nulli possunt esse persecutioni obnoxij: sed ipsi persequuntur nõ laicos tãtùm, ut uocant, sed & Imperatotes, idq; sub titulo Romanæ ecclesiæ. Ab horum uiolentia & pertinacissima persequutione, quomodo inferioris ordinis homo tutꝰ esse poterit, à qua summi Imperatores tuti, testibus historijs, esse nequiuerunt? nisi id fiat singulari iudicio Dei, quo factum est nostra ætate, ut immensa Romani Antichristi potentia, ne unum quidem fraterculum, Martinum uidelicet Lutherum, quãtumuis indefessa persequutione opprimere potuerit, quæ prioribus seculis summos monarchas anathemate suo exagitare ac frangere solebat. Sed hæ sunt rerum uices non humanarum tantùm, sed & ecclesiasticarum.

Quid faciendum sit ecclesiæ erga obstinatos hæreticos.

In decretis Alexandri papæ primi
In epist. Nicolai primi ad Michaelem Imperatorem

Romani Antichristi potentia ne unũ quidem fraterculum M. L. opprimere potuit.

QVAE PERSEQVVTIONIS SPECIES *sit grauior.*

GRaue quidem est quodcunque persequutionis genus homini honesto ac pacis studioso, quare pars hęc afflictionis meritò haud postrema censetur. Inuenias afflictiones, in quibus interdum liceat afflicto quiescere ac recreari: at in persequutionibus rarò con-

ceditur, ut aliquandiu respires. Quàm enim indesinens est persequutoris furor, tam indesinens est illum fugiendi molestia, nisi in manus illius incidere uelis. At hæc molestia circumstantijs persequutionum aggrauatur.

Domestica. Qualis qualis sit simpliciter priuata, domestica tamẽ, propter singularis necessitudinis ac cognationis diuulsionem, singularem cordi non lapideo dolorem adfert. Nõ reddit uera pietas homines inhumanos, quibus perinde sit, cohęreantne parẽtibus, cognatis, domesticis & amicis, uel amicitia illorum priuentur, sintq; exosi, quibus uel naturæ lege cõiunctissimi esse debebant. Vbi impletur in homine Christiano illud Christi Matthæi 10. Veni separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suá, & inimici hominis domestici eius. Tolerat quidem patienter eiusmodi separationem, uerùm haud sine sensu doloris, quem adfert ipsi tam arctæ cognationis diuulsio, propter causam regni Dei oborta: in qua etiamsi antea fuissent disiuncti, concordes reddi debebant.

Publica. Domestica persecutione grauior est ea, quę publico totius regni, populi, aut reipublicę nomine perinde alicui infertur, ac si sit hostis patrię ac dignus qui publica omnium execratione tollatur è medio. Si hæc cadat in hominem non innocentem modò, sed & amantẽ patrię gentis, & præterea honestum, tanto grauiorem illi afflictionem infert, quanto & amantius & reuerentius est erga patriam, quàm erga domum & familiam suam affectus: quãtoq; plus est ignominiæ ex publica persequutione, quàm ex qualicunque priuata: & quanto maior ex illa quàm ex ista conscientiæ diuexatio nascitur, ut exilij molestiam taceam, quam extra patrium solum inter extraneos perferre cogitur. qua de & Dauid locis aliquot conqueritur.

Ecclesiastica. At hæ persequutionis species, si ad ecclesiasticam conferantur, multo sunt quàm illa tolerabiliores. Hæc enim omnium est grauissima, qua non solùm corpus multis periculis obijcitur, sed & ueræ salutis ac sempiternæ uitæ spes, quantum in persequutoribus est, absciditur. Quos enim ecclesia persequitur, persequitur hoc titulo, quòd sint hæretici, schismatici, falsi Christiani, homines impij, & ecclesię hostes execrabiles ac maledicti. At hanc in ecclesia Dei Christianum hominem ferre ignominiam, quàm sit graue, nemo nouit, nisi reipsa expertus. Leue est, si à toto reliquo mundo pro talibus habeamur, cuius de nobis iudicium secura possumus conscientia contemnere: ecclesiæ uerò Christi tam horrendam sustinere censuram ac

Simile. persecutionem, quomodo homini Christiano poterit esse non omnium grauissimum? Quòd columbam persequitur accipiter, nihil est mirum: si uerò fiat hoc à columbis eiusdem columbarij consortibus, ipso aspectu cùm miserandum, tum mirandum uideri poterit: propterea quòd eius generis uolucri minus est fellis, ut cogitari queat, nefandum aliquid inesse eiusmodi columbæ, unde omnibus facta sit columbis intolerabilis. Tale quid accidit hic quoq;. Nusquam maior simplicitas (estote simplices, inquit Christus, sicut columbæ) nusquá maior charitas, maior sympathia & coniunctio: minus uerò fellis iniuriarumq;, quàm inter ueros Christianos est, ut omnino grauissimas uideatur subesse causas, si Christiani hominem Christianum è consortio suo ac domo Dei eijciant & persequantur.

Magnum quidem est innocenti Christiano solatium ex conscientiæ testimonio, quo certus est in conspectu Dei, quòd persequutionem ferat immeritam: at interim quomodo nõ dolebit illi grauissimè, quòd ecclesiæ habetur pro anathemate, pro homine maledicto, hęretico, schismatico, & populi Dei hoste, à Christo ipso proiecto? Nam etiamsi sciat censuram hãc ecclesię non esse ex ueritate causæ, sed ex malicia prælatorũ, ac seductione populi errãtis: hoc tamen ipsum summopere deplorabit, quòd falsi pastores captiuam tenent ecclesiam, inq; oues Dominicas tyrannidem exercent, iuxta uaticinium Apostoli, quo Actorum 20 prędixit fore, ut post discessum suum exurgant in ecclesia lupi rapaces, non parcentes gregi: de quibus & Christus ipse præmonuit Matthæi 7. Huc accedit, quòd eiusmodi rapaces lupi iactitant illud Christi: Qui uos audit, me audit: & quotidie audire cogitur, Tu ne solus nõ erras? an tota potest errare ecclesia? quicquid sit de pastoribus, an leue est dissentire ab ecclesia? Et illud Christi: Si quis ecclesiam nõ audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus: & quæ alia sunt huiusmodi multa, quibus quasi machinis animus Christiani hominis sic impetitur, ut fide ac cõstantia opus sit prorsus infracta, qua omnes isti insultus immoto animo perferãtur. Quare, si hęc omnia perpendantur, puto manifestum fieri, quòd ecclesiasticam persequutionem homini uerè Christiano grauissimam esse dico, omnium esse uerissimum.

QVOD POTISSIMVM GENVS HOMINVM *ecclesiasticis sit persequutionibus obnoxium.*

NOn quærimus quinam digni sint, quos ecclesia persequatur. Etenim etiamsi cõuenire illi censeamus, ut persequutionis flagellum in quosdam usurpet: per se tamen patet dignos illo esse non ueros Christianos, sed reprobos. Si uerò quæras, quinam illi sint, in quos potissimùm persequutio hæc cadere soleat: si nostra & præteritorum seculorum tempora inspiciamus, nõ erit ut reprobos eos esse respondeamus. Nam omnino illi regnant in ecclesia,

clesia, tam abest ut persequutionibus sint obnoxij : imò illijpsi clauum persequutionis habẽt in manu, suntq; persequutionum non authores modò, sed & rectores. Audiamus igitur hac de re Apostoli sententiam, qui ad Galatas capite quarto, paucis uerbis quęstioni huic satisfacit, dicẽs : Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc. Ergo eos qui nati sunt ex spiritu Dei, hoc est electos ac ueros Christianos persequuntur homines carnales, dominium obtinentes in ecclesia. Deinde, non est hoc nouum, sed admodum antiquum: neq; priscorum duntaxat temporum, sed & eorum quæ ad nouum Testamentum pertinent. Vt tunc, inquit, ita & nunc, qui carnalis est, spiritualem persequitur. Is, inquit, qui secũdum carnem natus fuerat. Loquitur de Ismaele carnali filio Abrahæ, quem sine promissione genuerat ex Agar ancilla. Persequebatur eum, inquit, qui secundum spiritum. Intelligit Isaacum. Erat & ille ex carne Abrahæ natus : uerùm secundum promissionem & spiritum electionis ex Sarah libera. In hisce duobus typos eorum considerandos proposuit, qui in ecclesia Dei alij falsi, alij ueri sunt fideles : & quàm illi diuerso, imò contrario sint inter se ingenio, sic ut alij persequutionem inferant, alij ferant. Violentiam & iniquitatem persequutionis tribuit carnalibus, tolerantiam uerò spiritualibus. Inspice nunc & confer utranque partem : alteram quæ persequutionem patitur, & alteram quæ hanc infert: & uide utri sint carnales, & utri spirituales. An non carnalis est, in quo carnis opera regnant : spiritualis uerò, à quo fructus spiritus proferuntur? de quibus utrisque uide Galatis quinto. Ex fructibus, inquit Christus, cognoscitur arbor. Vis scire qui sint persequutores spiritualium? Qui secundum carnem nati sunt, alieni à spiritu electionis ac promissionis, hi sunt persequutores fidelium in ecclesia. Vis scire qui sint persequutionibus carnalium obnoxij? Qui secundum spiritum electionis ac promissionis ex Deo nati sunt, hi persequutiones à carnalibus illatas patiuntur. Vis scire qui sint in ecclesia carnales, & qui spirituales? Cognosce ac distingue arbores ex fructibus. Manifesta sunt opera carnis. Nihil habẽt obscuri, unde fiat ut cognosci nequeãt. Quæ sunt illa? Adulterium, inquit Apostolus, scortatio, immundicia, lasciuia, simulacrorum cultus, ueneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, cõcertationes, seditiones, hæreses, inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia. Vbi hæc non semel atq; iterum fiunt, sed regnum obtinuerunt, agnosce homines carnales. Cõtrà, neque fructus spiritus latent in abdito, sed manifesti sunt & ipsi: utpote charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia, &c. Vbi hi proferuntur, constanter agnosce spirituales. Confer hosce fructus spiritus cum operibus carnis, & cognosce utrinque, quorum ingenium ad persequendum fratres sit procliue, & quorum à persequutione sit alienum. An non adulteri, scortatores, immundi, lasciui, simulacrorum cultores, uenefici, inimici, litigiosi, æmulatores, iracundi, contentiosi, seditiosi, hæretici, inuidi, percussores, ebrij, comessatores, & cęteri, procliuiores sunt ad inferendum persequutiones, quàm ad patiendum? An non qui diligunt fratres, pacifici sunt, lenes, benigni, boni, fideles, mansueti, temperantes, &c. propensiores sunt ad perferendum persequutiones, quàm ad inferendum? Vtra pars magis ad hoc est comparata, ut lædat alteram, quàm ut lædi se sinat? & utra facilius læditur, quàm lædit? Ipsa ingeniorum diuersitas abundè satis monstrat, non modò qui sint fratrum in ecclesia persequutores, & qui sint persequutionibus illorum obnoxij, sed & quàm illi persequutiones ferre, isti uerò inferre nequeant. Multo igitur consultius Augustinus typos persequentium, & persequutiones ferentium cum Apostolo in Ismaele & Isaaco, quàm in Sarah & Hagar proposuisset. Verùm accommodauit se causæ quam agebat.

Galat. 4.

Spirituales in ecclesia obnoxij fiunt persequutionibus.

Qui sint spirituales, & qui carnales.

Seruiant hæc electis ad hoc, ut cognoscãt, qui nam sint illi, à quibus propter ueritatem uerbi Dei grauissimis persequutionibus exagitantur. Ancillę filij sunt, non liberæ: ex carne, non ex promissione nati, quãtumuis antiquam iactitent religionem, deq; Apostolica & catholica ecclesia plenis buccis omnium impudentissimè gloriẽtur. Haud nouum est, quòd filij carnis titulos sibi uindicant Apostolorum & ecclesiæ, subq; illis tyrannidem in filios promissionis exercent. Verùm fabulam hanc quam ludunt, miserrimo tandem exitio suo terminabunt.

DE PATIENTIA.

TAM est laudata pariter & utilis, imò necessaria patientiæ uirtus, ut committere nequeam, quin faciam, ut ipsa quoque Locos hosce nostros locupletet & ornet. Et utinam tam facilè in corde meo, & omni uita locum inueniat, quàm facilè est aliquem illi in Locis nostris præbere locum. Neque enim præter rationem est, quòd Tertullianus mox initio libri sui, quem de Patientia inscripsit, ijs qui patientiam commendant, competere censet, ut illam non uerbis tantùm, sed & propriæ conuersationis authoritate dirigant. Sanè, ut ille ait: De uirtute loqui minimum est, uirtutibus uti, Hoc Samsonis opus. Quid autem faciã? Dicam ne de uirtute patiẽtiæ haud plura, quàm de illa reipsa præstare queam? Si hac lege circumscribendi sunt

lucubrantium labores, sunt utique & concionantium ac docentium. Egregium quidem & præclarum fuerit, si hæc sit cordis & calami, oris & uitæ consonantia, ut eadem scribamus & dicamus, quæ corde spiramus, & opere præstamus. Verùm admodum concisam lex ista lucubrationum ac doctrinarum utilitatem reddet, si non ea modò, quę in uita nostra pro sua quisque mensura operamur, sed & ne plura quidem de illis uel scripto, uel sermone tradere liceat, quàm modus nostrorum operum exprimat.

Commendabimus igitur patientiam, secundum quod illa commendabilis est in seipsa, & sacrarum Scripturarum testimonijs laudata, nō secundum quod à nobis præstatur, perinde facientes atq; faciunt ægroti: qui quamuis sanitate corporis destituuntur, multi tamen sunt ac frequentes in illius laude ac deprædicatione: quo simili & Tertullianus ad hoc usus est, ut animum suum ad propositum opus aggrediendum ac prosequēdum obfirmaret. Annotabimus de patientia, quæ non alijs tantùm, sed & mihi conducere queant. Nam dum hisce de rebus scribo, quæ salutem nostram concernunt, haud minus meipsum quàm alios instruo.

QVID SIT PATIENTIA.

QVod Latini interpretes in sacris Scripturis reddiderunt patiētiam, apud Hebręos est, ארך אפים, id est, procul ab ira: sicuti uidere est Prouerb. 14. 15. 16. & Eccles. 7. Et תסורת, id est expectatio, ut legitur Iob 4. & Psalmo 9. & 71. apud Græcos uerò ὑπομονὴ: quæ uox ἀπὸ τῦ ὑπομένειν deducta, permansionem ac perseuerantiam significat. Sunt tamen qui ὑπομένειν accipiunt pro sustinere, ferre ac tolerare, ut ὑπομονὴ sit tolerātia ac patientia, qua mala sustinentur. Cicero lib. 2. De inuentione perseuerantiam definit hoc modo: Perseuerantia est in ratione bene considerata stabilis & perpetua permansio. At hæc perseuerantiæ definitio propriè conuenit Græcæ uoci τῇ ὑπομονῇ, quam ferè omnes patientiam uertunt. Patientiam uerò ibidem sic definit: Patientia est honestatis aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium uoluntaria ac diuturna perpessio. Ergo perseuerantia generalis uirtus est, qua in omni eo quod ratione bene considerata cœpimus, constanter permanemus ac pergimus. Patientia uerò species est perseuerantię, qua res arduas, difficiles, aduersas & tristes uoluntariè ac cōstanter perpetimur. Haud displicet definitio Ciceronis. Neque enim mox quæuis rerum tristium tolerantia uocanda est patientia. Nemo mortalium est, qui non patiatur multa, quæ pati nollet, si quo pacto resistere posset: & tamen non statim quosuis patientes uocamus, quemadmodum neque impatientes uocantur, qui nihil aduersi patiuntur: sed qui patiuntur quidem, uerùm animo molesto & indignabundo. Vt igitur ad patientiam requiritur uoluntaria perpessio, ita impatientia est, quando quæ patimur, inuoluntarij ac tergiuersantes cum indignatione patimur. Vigilanter autem non uoluntariam tantùm, sed & diuturnam malorum perpessionem in definitionem patientiæ retulit. Neque enim in eo solùm constat patientiæ uirtus, si uoluntaria sit perpessio, sed requiritur etiam perpetiendi constantia. Reperias qui ad tempus quidem sint ad patiendum uoluntarij, uerùm mox deficiant, & impatientes reddantur. Illis non potest uera patientia tribui, quæ sic est cōparata, ut simul sit & uoluntaria & diuturna. Quemadmodum & fides eorum, qui ad tempus credunt, & tempore tentationis deficiunt, uera fides non est: nec uera eorum dilectio, qui hodie diligunt, cras odiunt: ita nec uera patiētia est, si ad tempus sis patiens, & paulo pōst patientiam in impatientiam mutes. Sine constantia uirtutum ueritas consistere non potest.

Perseuerantia.

Patientiam speciem esse perseuerantiæ.

Ad patientiam requiritur uoluntaria ac diuturna malorū perpessio.

QVAE SINT PATIENTIAE PARTES.

IAm si colligas ex Hebræis uocibus, Latina quoq; & Græca, habebis quasi partes patiētiæ, unde tota teneatur. Quòd enim quem nos patientē, Hebræi ארך אפים uocant, significatur primam hanc esse patientiæ partem, ut simus procul ab ira, haudquaquam iritabiles. Nequit enim fieri, ut capax tenaxq; sit patiētiæ, quisquis pronus est ad iram. Deinde, quòd תסורת quoq;, id est expectationem, pro patientia usurpant, ad id pertinet, quòd sine sufficiēti rerum meliorum expectatione patientia locum in animis nostris habere nō potest. Impatientis est festinare, patientis uerò expectare. Expectationis erat, adeoq; & insignis patientiæ, quod Dauid cum hostem suum Saulem è medio tollere posset, id facere nolens dicebat: Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius uenerit, ut moriatur, aut descendens in prælium perierit, propitius sit mihi Dominus, ut nō mittam manum meam in Christum Domini, 1. Samuelis 24. Si ad liberandum se è tam grauibus periculis per impatientiam festinasset, confestim manum in illum misisset. Expectatio hęc multis nobis Scripturę locis commendatur, qua in tribulationibus constituti, manum Domini liberatoris ac seruatoris expectemus. Vt Psalmo 27. Expecta Dominum, & uiriliter age. & 37. Expecta Dominum, & custodi uiam eius. Et 55. Expectabam eum qui saluum me fecit. Et Esaiæ 49. Non confundentur, qui expectant. Et Abac. secundo: Si moram fecerit, expecta.

Prima pars patientiæ est, non esse iritabilem.

Secunda est expectatio.

Tertiò,

Tertiò, quòd Græci patientiam uocant ὑπομονὴν, id est permansionem, satis innuit hanc quoque patientię partem esse, ut in tribulationibus & iusticia, propter quam affligimur, constanter permaneamus. Etenim nisi hoc faciamus, frustra est omnis malorum tolerantia. Neque enim patiendo uincimus, sed in eo quod iustum est permanendo, nec ullis nos ab eo afflictionibus in diuersum abstorqueri sinendo. *Tertia pars patientiæ, est permansio.*

Quartò, quòd Latini uirtutem hanc Patientiam uocarunt, ob eam est rationem factum, quòd sine uirtute & constantia quęuis aduersa perpetiendi fieri non potest, ut sit quisquã procul à propensione irascendi, & expectet manum Domini, permaneatq; in eo quod iustum est. Nam per impatientiæ molliciem fit, ut uel leuiter tentati frangamur, & à proposito iusticię ac ueritatis auellamur. Sunt ergo patientiæ partes, mansuetudo iniritabilis, expectatio diuini auxilij, permansio in iusto, uero ac bono, & quæuis acerba perpetiendi uirtus. His illa partibus absoluitur, nec una ex illis sine læsione totius desiderari potest. *Quarta est uirtus perpetiẽdi.*

QVOTVPLEX SIT PATIENTIA.

PRincipiò, patiẽtia alia Dei est, alia hominum. Sic illam mox initiò discernere placet: propterea quòd aliter patiens est Deus, aliter homo. Si uocem urgeas, quæ à passione deducitur, patientia in Deo locum non habet, in quem passio nulla cadit. Nihil enim pati potest. Et tamen Scriptura tribuit illi patientiam, ubi uocat eum clementem, patiẽtem ac miseri cordem in psalmis Dauidis, & Romanorum secundo, ubi Apostolus dicit: An diuitias bonitatis ac patientiæ eius contemnis? Et 1. Petri 3. Quando expectabant, inquit, patientiam Dei in diebus Noe, &c. Verùm, ut Augustinus ait, patientia Dei qualis & quanta sit, quem nihil patientem, nec tamen impatientem, imò etiam patientissimum dicimus, uerbis explicare quis possit? Ineffabilis est ergo illius patientia, non tamen nulla, sicut zelus eius, sicut ira eius, & si quid huiusmodi est. Nam si tanquam nostra ista cogitemus, in illo nulla sunt. Nihil enim horũ nos sine molestia sentimus. Absit autem, ut impassibilem Dei naturam perpeti ullam molestiam suspicemur. Sicut autem zelat sine aliquo liuore, irascitur sine aliqua perturbatione, miseretur sine aliquo dolore, pœnitet eum sine alicuius suæ prauitatis correptione, ita est & patiens sine ulla passione. Hæc ille. Nostrum tamen est considerare, secundum quid tribuatur Deo patientia. Si respexerimus ad partes patientiæ, quas articulo pręcedenti recensuimus, facilè est uidere secundum quid uocet Scriptura Deum patiẽtem. Prima est esse ארך אפים. Hæc expresse tribuitur Deo. Nam reuera procul est ab ira. Secunda est חסירה, id est expectatio. Neque ista illi inconueniẽs est. Expectaui, inquit Esaias 5. ut faceret uuas, & ecce fecit labruscas. Tertia Græcis est ὑπομονὴ, id est permansio. Et hæc locum in Deo habet magis quàm in homine. Quarta est Latinis patientia, à passione. Hæc Deo nõ conuenit, quatenus pars est uirtutis huius, quàm communiter patientiam uocamus. Vocatur itaq; Deus patiens à Latinis, non à passione, sed à tribus præcedentibus partibus patientiæ. Et quod uetus interpres Roman. 2. & 1. Petr. 3. patientiam uertit: illic est ἀνοχὴ, hic μακροθυμία, quæ uoces nullam habent passionis significationem. Significat enim ἀνέχω, unde est ἀνοχὴ, cõtinere & cohibere: μακροθυμία uerò idem est, quod Hebræis ארך אפים, procul ab ira. *Alia est patientia Dei, & alia hominum.* *Augustinus.* *Secũdum quid tribuatur Deo patientia.*

Et huc respexit Tertullianus, cum Deum ipsum patientię exemplũ esse diceret, in eo quòd florem lucis huius super iustos & iniustos ęqualiter spargit, temporum officia, elementorum seruitia, totiusq; genituræ tributa dignis simul & indignis patitur occurrere: sustinens ingratissimas nationes, ludibria artium, & opera manuum suarum adorãtes, nomenq; & familiam ipsius persequentes, luxuriam, auariciam, iniquitatem, malignitatem quotidie insolescẽtem, ut sua sibi patientia detrahat. Quid enim hoc dicens, patiẽtiam uocet, ex eo patet, quod rationis uice subijcit, dicens: Plures enim Dominum idcirco non credunt, quia seculo iratum tandiu nesciunt. Ergo tandiu non irasci seculo tot modis malo, patientiam uocat: id quod nihil est aliud, quàm procul esse ab ira. Quòd autem articulo præcedẽti in calce diximus, patientiã sic quatuor partibus, quas recensuimus, absolui, ut nulla ex illis sine læsione totius desiderari possit: referendum est non ad patientiam Dei, sed ad patientiam hominum. Nam quarta pars illius sic nõ est fortitudinis, sed infirmitatis, ut locum in Deo habere non possit: habeat uerò in homine, tanquam omnis generis passionibus obnoxio. Neq; tamen hinc sequitur, patientiam hominis perfectiorem esse, quàm sit patientia Dei. Etenim infirmitatis capacem non esse, non facit ad diminutionem, sed magis ad augmentum uirtutis. *Quomodo Tertullianus Deũ patientem uocet.* *Patientiam hominis non esse perfectiorẽ patientia Dei, licet ille nõ sit capax passionũ, sit uerò homo.*

Hominis uerò patientia, quamuis una parte patientiam Dei excellit, quòd numerum attinet, longè tamen est illa inferior: primùm hoc ipso, quòd capax est tribulationum ac passionum: deinde, quòd nec in reliquis tribus partibus perfectionem patientię Dei adæquare potest. Haud tamen pręter singulare cõsilium Dei factum est, quòd infirmitas nostra sic ad exercitium pulcherrimarum uirtutum facit, qualis est patientia: ut etiam id quod naturæ defectum in nobis habet, ideoque Deo non competit, utilitati nostræ seruiat.

QVOTVPLEX SIT PATIENTIA humana.

POstquam patientiam Dei ab humana ſeparauimus, uidendum iam eſt, quotuplex ſit ea quæ eſt hominum. Humanam autem uocamus, non eam tantùm quæ ex uiribus ſit humanis, ſed quæ ab homine, ſiue ex gratia & uirtute Dei, ſiue ex homine præſtatur. Hanc conſtat eſſe duplicẽ: falſam unam, ueram alteram. Falſa eſt, quæ nec iuſtam cauſam habet, nec ad iuſtum finem dirigitur: qualis eſt patientia malorũ & carnalium hominum, qui pro rebus terrenis, & plerunq; uanis, quas diligunt & appetunt, duriſsimos labores ac dolores ſuſtinẽt: utpote alius pro colligendis opibus, alius pro inani gloria, alius pro exaturãdâ libidine, alius pro ultione de eo quem odit, ſumenda. Pro rebus huiuſmodi ſæpenumerò noxijs, quos non perferunt imbres, ſoles, periculoſiſsimos maris fluctus, tempeſtates, bellorum labores ac diſcrimina, uerbera & uulnera: quorum omnium tolerantia ui conſtat deſideriorum.

Patientia hominis alia eſt uera, alia falſa.

Catilina, falſæ patientiæ exẽplum.

Catilinæ mentionem, exempli gratia, facit Auguſtinus: qui quum patriæ patricidium moliretur, quo uoti compos euadere poſſet, famem, ſitim, frigus, inediam, uigilias, incredibili patientia tolerabat. Addit de latronibus, quos illi labores perferant, quo latrocinia ſua exercere queant: & quomodo nonnulli ex illis mutuò ſeſe grauiſsimis torturis explorent, deq; pœnarum tolerantia periculũ faciant, quo ſecurius latrocinentur, ne ſi quiſpiam inter ipſos torture ſit impatientior, ſocios ſuos, ſi quæſtioni ſubijciatur, prodat. Huc pertinet etiam *διαμαστίγωσις* Laconum, qua pueri illorum totũ diem in ara Dianæ flagellis cędebantur, in qua ſæpenumerò ad mortem uſque hilares durabant, concertãtes de uictoria, quam referebat qui diutius ac fortius pertuliſſet uerbera. Sic patientiam corporum ſuorum explorabant. Huiuſmodi *διαμαστίγωσις* oſtentant & in Papatu nonnulli, cuius & ſuprà mentionem feci. Talis erat etiam patientia prophetarum Baal, quibus hoc in more erat, ut in ipſo cultu Baal, cultris ſeſe & lanceolis proſcinderent, donec ſanguine perfunderentur. Huiuſmodi patientiã falſam eſſe dicimus, propterea quòd nec iuſta cauſa, nec utili & neceſſario fine commendari poteſt.

Flagellatio Laconum.

Patientia prophetarũ Baal.

Vera patientia quæ & quotuplex ſit.

Vera patientia eſt, cuius & cauſa iuſta eſt, & finis honeſtus, utilis ac neceſſarius. Nam hinc de uera patientia conſtat, quæ non paſsione eſt, ſed cauſis paſsionũ metienda. Ea gemina eſt, animi una, corporis altera: iuxta quod & geminæ ſunt afflictiones, quarum aliæ animum duntaxat, aliæ corpus unà cum animo affligunt: de quibus ſuprà in loco de Afflictionibus mentionem fecimus. Quæ animo triſtia accidunt, patientiam illius probant, quàm ferat ea uoluntariè, diuturnè, ſubmiſsè & humiliter: hoc eſt, quàm ſit alienus ab omni faſtu, à philautia, à philonicia, à philodoxia, ab iraſcẽdi & ulciſcendi procliuitate, & reliquis inrodinatis affectibus carnis. Nam ſi illis ſit obnoxius, rerum triſtium & aduerſarum patiens eſſe non poterit. Et animi & corporis patientiam probant, quæ corpori inferuntur afflictiones, plagæ, torturæ, labores, cruciatus, morbi, ieiunia, uigiliæ, uincula, carceres, mors, &c. quibus tolerandis corpus delicatum & molle parum eſt accommodum. Non requirimus ad ueram patientiam robur corporis, quale eſt athletarum, quaſi in corpore infirmo & muliebri locum habere nõ poſsit: ſed delicata & uoluptatibus emollita corpora parum illi eſſe accommoda dicimus. Aliàs ſi conſtans ſit in patientia animus, nihil impedit, quo minus dolores ac cruciatus in corpore admodum infirmo patienter perferat, etiamſi corporalis infirmitas paſsionibus, quæ inferũtur, nõ ſufficiat. Nota ſunt exempla Chriſtianarum uirginum ac mulierum, quæ grauiſsima tormenta in corporibus ſuis propter fidem Chriſti infracto animo pertulerunt. Potamiæna uirgo picem ignitam per uaria corporis membra à pedibus ad ipſum uſq; uerticem ſenſim ac parumper offuſam, atq; ita lentam ac doloroſiſsimam mortem patientiſsimè ſuſtinuit. Virgines ab Arianis igni admotæ, ut Arianam fidem amplecti ſe profiterentur, tam acerbo cruciatui haud quaquam ceſſerunt. Aliæ uirgines ad publicum probrum nudatæ, tonſæ, diſſectæ ac porcis proiectæ leguntur. In eiuſmodi exemplis ſatis patet, quomodo animus patientia confirmatus, non ea modò, quæ ſunt ſpiritualia, ſed & quæ corpori quantumuis infirmo acerba accidunt, conſtanter perferat. Tertullianus in calce libelli ſui de Patientia ſic dicit: Offeramus patientiam ſpiritus, patientiam carnis, qui in reſurrectionem carnis & ſpiritus credimus. Quòd reſurrectionem ſpiritus ponit, non eſt ut hic examinemus: ſed quòd geminæ huius patientiæ meminit, ſpiritus uidelicet & carnis, ad propoſitum noſtrum facit. Sanè utraque nobis præſtanda uenit, quo non carne tantùm, ſed & ſpiritu exerceamur, probemur, ac in ſpe futurorum confirmemur.

Ad patientiam non requiritur robur corporis.

Patientia Potamiænæ uirginis.

LOCI SACRAE SCRIPTVRAE, QVIBVS nobis patientia commendatur.

IN eorum gratiã, qui minus ſunt in ſacris Scripturis exercitati, haud grauabor aſsignare locos, quibus nobis uera patientia ſiue cõmendando, ſiue adhortando proponitur. 1 Commendando, ut Romanorum 5. Scientes quòd afflictio patientiam, patientia probationem, probatio ſpem operatur. Romanorum 15. Quæcunque præſcripta ſunt, inquit, in noſtram doctrinam

Rom. 5. 15.

doctrinam prescripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarũ spem habeamus. Galat. 5. Fructus spiritus est, charitas, gaudium, pax, patiẽtia, &c. 2. Thessal. 1. Adeò ut nos ipsi gloriemur de uobis in ecclesijs Dei, de patiẽtia uestra & fide, super omnibus persecutionibus uestris, & afflictionibus, quas sustinetis, &c. Et Christus ipse patientiam nobis commẽdans, Lucæ 8. dicit: Quod autem in bonam terram cecidit, hi sunt qui in corde honesto ac bono audientes sermonem retinent, & fructum afferunt per patientiam. Et cap. 21. In patientia uestra, inquit, possidebitis animas uestras. 2 Adhortando uerò, ut 2. Cor. 6. In omnibus, inquit, exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patiẽtia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, &c. Ephesiorum 4. Obsecro itaque uos, inquit, ego uinctus in Domino, ut dignè ambuletis uocatione qua uocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in charitate, &c. Colossensium 3. Induite uos ergo, inquit, sicut electi Dei sancti & dilecti uiscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patiẽtiam, supportantes inuicem, & condonantes uobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut & Dominus condonauit uobis, ita & uos. 1. Timoth. sexto: Sectare uerò iusticiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem, &c. Secundę Timothei quarto: Increpa, inquit, cum omni patientia. Et Titum secundo: Senes hortare ut sobrij sint, pudici, prudẽtes, sani in fide, in dilectione, in patientia. Et Ebræorum sexto: Patientia uobis necessaria est, inquit, ut uoluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Et secundæ Petri primo: Sed & in hoc ipsum omni adhibito studio, subministrate in fide uestra uirtutem, in uirtute uerò scientiam, in scientia uerò temperantiam, in temperantia uerò patientiam: rursus in patientia pietatem, in pietate autem fraternam charitatem, in fraterna uerò charitate dilectionem, & cætera.

Gal. 5. *2. Thess. 1.* *Lucæ 8. 21.* *2. Cor. 6.* *Ephes. 4.* *Coloss. 3.* *1. Tim. 6.* *2. Tim. 4.* *Titum 2.* *Ebr. 6.* *2. Pet. 1.*

Hæc in noui Testamenti literis nominatim de patientia leguntur. Sunt & in Veteri pleraque, quibus insignis patientiæ uirtus commendatur, præsertim in Psalmis Dauidis & Prouerbijs Salomonis: quę omnia ad hoc proponuntur, ut uel uerbi Dei authoritate ad studium patientiæ permoueamur, quo exercitati ac probati, in cursu pietatis per omnis generis aduersa constanter perseueremus, perseuerantesq; seruemur.

EXEMPLA PATIENTIAE.

Ornata est ecclesia insignibus patientiæ exemplis.

VT firmamentum hoc cœleste mirabiliter est splendore solis ac lunæ, ac multitudine micantium stellarum ornatum: ita ecclesia Dei inde ab initio cõspicuis est fidei ac patientiæ exemplis decorata, quibus electi omnibus omnium seculorum mortalibus prælucent, sic ut etiamsi nullis Scripturarum doctrinis, præceptis & adhortationibus instrueremur, abundè tamen satis lucis esset ex præcedentibus illorum exemplis, quæ diuina nobis prouidentia ob oculos imitanda proposuit. Adferemus tamen in medium aliqua ex illis, in quibus patientiam sanctorum considerare poterit homo pius, sibiq; ad imitandum proponere.

Deus.

Cum primis autem cunctis cæteris prælucet patientiæ in Deo exemplum, quod & Tertullianus haud præter rationem admonuit. Quemadmodum enim Christus dixit, Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est: rectè & hoc dicitur, Estote patientes, sicut & pater uester cœlestis patiens est. Quomodo autem patiens sit Deus, suprà paucis attigimus. Tertullianus patientiæ Dei tribuit, quòd solem suum producit super bonos & malos, officia temporum, seruitia elementorum, & tributa totius genituræ dignis simul & indignis occurrere patitur, sustinens interim malos & indignos, quos iusto posset iudicio perdere.

Christus.

Proximum patientiæ diuinæ exemplum in Christo seruatore nostro propositum est, cuius omnis uita stupendam ubiq; patiẽtiam spirat, ad quã meritò conformari debemus, quotquot de nomine illius gloriamur, ac de fide ac religione illius Christiani censemur. Huc respicit Petrus, cum capite 2. prioris Epistolę dicit: Si benefaciẽtes patiẽter sustinetis, hæc est gratia apud Deũ. In hoc enim uocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, uobis relinquẽs exemplum, ut sequamini uestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui quum malediceretur, nõ maledicebat: quum pateretur, non comminabatur, sed tradebat uindictam ei qui iudicat iustè, &c. Hoc patientiæ Christi exemplum eos peculiariter concernit, qui haud propter malefacta, sed propter iusticiam affliguntur. Ideo præmisit: Hæc est enim gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristicias, patiens iniustè. Quæ est enim gratia, si peccantes colaphizati suffertis? Et hãc ob causam de Christo cõmemorat, quòd peccatum non fecerit, & neq; dolus in ore ipsius sit inuentus: quo non modò patiendo, sed & rectè uiuendo, & propter iusticiam illatas afflictiones patienter ferendo exemplum illius imitemur. Sic utroq;, & patris cœlestis & Christi unigeniti illius exemplo ad ueram patientiam prouocamur, cuius nos imitatione filios Dei esse declaremus.

Deinde inspicienda est etiam patientia sanctorum hominum, ut in hac discamus quomodo homines uirtutem in Deo relucentẽ pro mensura gratiæ cœlestis imitari possint. Occurrit hic Noe, qui quũ in media corruptissimi mũdi malicia uiueret, uirtute patiẽtię munitus, in

Noe.

studio

ſtudio pietatis & innocentiæ ad finem uſque perſeuerauit, & in opere ſtruendæ arcæ annos plus minus centum conſtanter perrexit, quantumuis interea ab impijs rideretur & afflictare tur. Vide Geneſis ſexto. Ad huius patientiam pertinet illud quoque, quòd cum annum integrum cum ſuis in medio omnis generis beſtiarum egiſſet in arca, & aquæ diluuij iam ceſſaſſent, terraq; priſtinæ commoditati reſtituta eſſet: haud tamen per impatientiam ſuopte eſt arbitrio egreſſus, ſed patienter expectauit, donec iuſſu Dei euocaretur, quemadmodũ & eiuſdem iuſſu arcam fuerat ingreſſus.

Abraham. Si conſideres hiſtoriam Abrahæ, an' non pulcherrimis illam patientiæ exemplis decoratã uidere licet? Quæcunque per fidem & obedientiam Dei egiſſe legitur, hac ſunt patientiæ uirtute perfecta, & ut Tertullianus dicit, illuminata. Niſi terram natiuitatis ſuæ, cognationem ſuam, ac domum patris ſui patienter relinquere, & peregrinationem terræ incognitæ ſubire potuiſſet, haudquaquam uoluntati Dei obediuiſſet. Per patientiam factum eſt, quòd in terra promiſſa, perinde atq; aliena caſulis immorando perdurauit, & futuram promiſſorum adimpletionem patiẽter expectauit: ſicq; ex hac uita migrauit, ut promiſsiones nondum acceptas ũ longè proſpiceret ac ſalutaret, & peregrinum ſe ſuper terram eſſe agnoſceret. Carnem præputij ſui ac filiorum ſuorum, cum nonaginta ac nouem eſſet annorũ, patienter ut iuſſus erat, circumcidit. Quum audiſſet mandatum Domini, ut filium ſuum Iſmaelem domo eijceret, ſecundum uoluntatẽ Saræ, patienter obediuit, quamuis id ipſi initiò admodum uideretur durum. Quum iuberetur filium ſuum Iſaacum immolare, quis ſatis expreſſerit, quanta cum patientia ad id operis ſeſe accinxerit?

Iſaac. Et Iſaac, an non ſingularem in eo patientiam oſtendit, quòd tam pertinacem puteorum ſuorum obſtructionem patienter cedendo pertulit? ſicuti uidere eſt Geneſis uigeſimoſexto: & in eo quoque, quòd nihil per impatiẽtiam deſignauit in Iacobum filium ſuum, quum eſſet ipſi ſic ab illo impoſitum, ut cum ſe primogenito ſuo Eſau, quem diligebat, benedicere putaret, benedixerit ipſi Iacobo?

Iacob. Et Iacob quoque patientem in eo ſe declarauit, quòd parentibus hactenus obediuit, ut relictis illis, in Meſopotamiã peregrinaturus proficiſceretur: deinde adhuc amplius in eo, quòd toties auunculi ſui Laban iniquitatem patienter tulit, iram erga ſe fratris ſui tam ſuppliciter placare ſuſtinuit, crudelitatemq; filiorum ſuorum, quam in Sichimitas primùm, deinde & in chariſsimum ſibi Ioſephum exercuerant, non ſine dolore concoxit.

Ioſeph. In Ioſepho quoq; eundem patientiæ ſpiritum Scriptura commendat, quo non modò non eſt fratrum ſuorum maliciam, cum poſſet, ultus, ſed & magnis illos beneficijs cumulauit: nec heræ ſuę nequiciam, quamuis propter illam in carcere conſtitutus, patefecit, ſed conſtãter celauit, & opem Domini patienter expectauit.

Moſes. De Moſe quid dicam? Quis explicuerit quantos ille labores in liberando, educendo & moderando Iſraele, populo omnium duriſsimo, patientiæ uirtute ſuffultus pertulerit, quantam contra ſe murmurantium ac rebellium, fratris etiam ac ſororis contradictionem ſuſtinuerit, ut non fruſtra dictum ſit Num. 12. quòd fuerit uir afflictiſsimus (uel ut alij uertũt uocem עני, manſuetiſsimus) omnium hominum qui ſunt ſuper terram.

Dauid. Poſt Moſen occurrit Dauid rex, ſingulare nobis offerẽs patiẽtiæ exemplũ, in eo præſertim, quòd furias regis Saulis, grauiſsimã uidelicet & irremiſsã pſequutionẽ uirtute patiẽtię ſuperauit: deinde in eo quoq;, q, de Semei maledicẽte ſibi, nullã uindictã ſumi uolebat, 2. Sam. 16.

Iob. Quis ſatis admirabitur eximiam patientiam Iobi, propter quam uir ille uulgò patiens uocatur? A' ſummo terrenæ felicitatis gradu ad ipſum uſq; calamitatum fundum deiectus, nihil fecit, nihil dixit, quod hominem pium ac patientem dedeceret. Scidit ueſtimenta ſua, totondit caput, corruit in terram, adorauit & dixit: Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, nudus illuc reuertar. Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factũ eſt. Sit nomen Domini benedictum. Et cum à planta pedis ad uerticem uſq; ulcere peſsimo percuſſus eſſet, inq; ſterquilinio ſedens, ſaniem teſta raderet, & uxor diceret: Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? Benedic Deo, & morere, ne ſic quidem aliquod impatientiæ uerbum loquutus eſt: ſed inquit, Quaſi una de ſtultis mulieribus loquuta es. Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus?

Prophetæ, Apoſtoli & martyres. Prophetarum patientiam Chriſtus ipſe cõmendat in eo, quòd perſequutionem illos, probra & maledicta pertuliſſe dicit, Matth. 5. Et Apoſtolus 1. Theſſal. 2. Dominum Ieſum occiderunt, inquit, & Prophetas.

Poſt Prophetas & Chriſtum ſequitur patientia Apoſtolorum & martyrum. In ſumma, in hoc ſtadio patientiæ decertarunt ſancti omnes, quorum alij ludibria & uerbera, & uincula & carceres experti ſunt: alij lapidati, ſecti, per occiſionem gladij mortui: alij circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egẽtes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ, &c. Ebr. 11.

Quid igitur nobis in hiſce poſtremis temporibus faciendum eſt aliud, quàm ut tantam nubem patientiũ ſanctorũ præ oculis habentes, abiecto circunſtantis nos peccati onere per patientiam

tientiam ad propositũ nobis certamen curramus, & inuitis inferorũ portis, uoluntatem Dei facientes, ad promissam felicitatem connitamur? Fecerunt hoc etiam nostra hac ætate, & faciunt quàm plurimi, quos Antichristus multo felicius persequendo, condemnando & occidendo in sortem sanctorum transfert, quàm eos quos è puluere terræ leuando & canonizando, ut loquuntur, ecclesijs Dei colendos proponit.

QVOVSQVE SERVANDA SIT PATIENTIA.

QVærunt, an semper & in omnibus quæ mala & aduersa accidunt, seruanda sit patientia. Nec est præter rationem, quòd hoc quęritur. Vt enim peruersa est caro nostra, ita plerũque fieri uidemus, ut patiẽtes simus, ubi resistendum est malo: & contrà, resistamus, ubi resistendum non est, sed patienter, quod infertur, ferendum.

Ad hanc quæstionem per distinctionem respondendum esse iudico. Faciunt hoc & Scholastici nonnulli: uerùm distictionem quam ponunt, approbare non possum. Sic enim distinguunt, ut patientiam dicant intus in corde semper, ab extrà uerò non semper esse seruandã. Meo iudicio nõ est semper, nõ extra modò, sed nec intus in corde seruãda patientia: id quod in distinctione, quam subijciemus, patebit. Quamuis suprà satis declaratum est, nõ esse quanuis patientiam ueram ac probandam, sed sępenumerò accidere, ut sit reproba patiẽtia, ideoq; nec intus, nec extra seruanda. *Patientiam nõ esse semper seruandam.*

Primùm, distinguimus inter malum & malum. Malum aliud peccatum est, aliud non est. Illud uocant malum culpæ, hoc malum pœnę uel tribulationis. Deinde malum infertur aut nobis ipsis, aut Deo, aut proximo, aut fidei nostræ ac curæ subiectis. Tertiò, aut priuati sumus, aut in officio aliquo, uel publico, uel domestico constituti. In hisce multũ est discriminis. Plurimum enim refert, quale malum patiamur, & cui malum inferatur, & quales nos simus. *Distinguendũ est inter malũ & malum.*

1 Principiò, si malum quod nobis infertur, peccatum est, sic ut constituat nos si feramus, nõ miseros modò, sed & culpabiles, non est ut patiamur: ut exẽpli gratia, Tyrannus cogit, ut prodam fidem meam, negem ueritatem Dei, approbem mendacium & falsos cultus. Hic uim quidem, quam infert corpori, sine culpa ferre, & patientiam seruare possum: ut uerò adigar ad faciendum quod extorquere molitur, id demum sine culpa pati non possum. Persequitur, spoliat bonis, abijcit in exilium, comprehensum conijcit in custodiã & uincula, torquet, cõdemnat, mactat, &c. Hæc omnia sine culpa pati possum. Aufert à me sacrarum Scripturarum codices, & igni comburendos tradit: patior & hoc, quia prohibere non possum, patior tamẽ haud sine magno dolore, non tam propter damnum mihi illatum, quàm propter ignominiam diuinæ ueritatis. Condemnat me hæreseos, schismatis, impietatis, apostasiæ & pertinaciæ non ferendæ. Hic quoq; patientiã rectè seruo, & iudicium causæ meæ iusto iudici commendo. Ad hæc, publicam ueritatis doctrinam unà cum ueris pastoribus aufert ex ecclesia, & substituit falsam, seductricem & impiam, uultq; ut hanc audiã, approbem & sequar. Prius ferre possum, posterius facere sine culpa proditę ueritatis nõ possum. Hic nec intus in corde, nec foris in opere patiẽtiam seruare debeo. Peccat quidem ipse, quòd ueritatem Dei impugnans tanta cũ uiolentia grassatur in homines insontes. Verùm sic grassando peccatorem me patiendo reddere non potest, nisi faciam quod extorquere conatur. *Vim iniustam ferre debemus, malum autem facere nequaquam.*

Adhuc, si me quis cogat, ut uadam cum ipso milliare unum, sine culpa cum illo uel tria milliaria ibo. Si uerò poscat, ut eam cum ipso ad falsos cultus, ad furandum, ad latrocinãdum, ad scortandum, &c. hic patiens esse & facere quod poscit, sine culpa non possum. Si quis auferat mihi tunicam, permittam illi & pallium. Si uerò fidem meam, spem & obseruantiam Dei auferre moliatur, malum hoc non fero: quia nõ modò peccat qui id molitur, sed & me peccatorem faceret si ferrem: deinde, quantumuis sit potens, si constans per gratiam Dei esse uoluero, ut amittam quod auferre conatur, efficere non potest.

2 Deinde, refert ad seruandã patientiam, cui nam malum inferatur. Si nomini Dei quisquã contumeliam intulerit, nullius Christiani hominis est, ut hanc patienter audiat & ferat. Chrysostomus alicubi sic docet: Si quempiam in biuio aut foro Deum blasphemantem audieris, accede, increpa, & si uerbera infligere oporteat, ne recuses, ipsius faciẽ alapa percute: contere os ipsius, percussione manũ tuam sanctifica. Et si ulli accusauerint, & si in carcerẽ traxerint, sequere: & si pœnas iudex pro tribunali repoposcerit, dic cum libertate, quòd angelorum regem blasphemauerit. Hæc ille. Præterea, si quis uerbum Dei, illiusq; ueritatem probris proscindat, quomodo cõueniet Christiano homini, ut eiusmodi blasphemiam patienter audiat, & nõ contradicat? Quòd si proximi nostri uel uitæ, uel fortunæ, uel honori aliquid nocumenti & ab improbis infertur, an non poscit charitas, ut nõ patientiam hac in re, sed impatientiã potius ostendamus, qua si non poterimus opere, uerbis saltẽ quàm nobis displiceat declaremus? In alieno damno patientem esse, non est uirtus, sed uitium. Si quis uitium inferat uxori aut filiæ, aut quo pacto lædat domesticos, fidei & curæ nostræ commissos, eiusmodi mali patientia laudanda non est, sed uituperanda, præsertim si resistere possis. *Refert cui nã malum inferatur.*

Homilia prima Antiochiæ habita.

Alia est eius iniuriæ ratio, quæ nec Deo, nec proximo, nec subditis nostris, sed nobis ipsis infertur.

infertur. Christus quum dixisset: At ego dico uobis, ne resistatis malo: exponendi gratia subiecit, Sed quisquis impegerit alapam in dexteram tuam maxillam, obuerte illi & alteram: & ei qui te uelit in ius trahere, ac tunicam tuam tollere, permitte & pallium: & qui te adegerit ad milliarium unum, abito cum illo duo. Non dicit: Quisquis impegerit alapam in dexteram proximi, sed in tuam maxillam: neq; dicit, Qui proximum tuum: sed, Qui te uelit in ius trahere, ac tunicam non proximi, sed tuam tollere. Sic non dicit, Et qui proximum: sed, Qui te adegerit ad milliarium unum. Satis expressa est hæc patientię species, quę seruanda est non in aliena, sed nostra ipsorum, hoc est ea quę nobis infertur, iniuria. Hic locum habet illud Apostoli 1. Cor. 6. Cur non potius iniuriam patimini? Cur nō potius damnum accipitis? Si præcepta nobis esset φιλαυτία, sine culpa nemo illatam sibi patienter ferret iniuriam. Verùm quum præcepta sit non φιλαυτία, sed φιλαδελφία, sine culpa fieri non potest, ut iniuriam proximo ac fratri illatam, patienter feramus.

Refert quales nos simus.

3 Tertiò, admodū refert, an priuati simus, uel in officio aliquo constituti. Quæ nobis priuatis inferuntur aduersa, patienter sunt ferēda. Secus uerò faciendum est illis, qui officio magistratus funguntur. Illis ferendū non est, ut alius alium lædat, & iniurijs afficiat. Quare quod Christus dicit, Ne resistatis malo, non est trahendum ad magistratus, sed ad unumquenq; priuatum. officium enim magistratus, quo mala sunt reprimenda, doctrina Christi non damnat, id quod in literis Apostolicis patet, Rom. 13. Quare prorsus peruersa esset patientia, si quibus fungendum est gladio, ad coercendos reprobos, mala subditorum patienter ferrent.

Parentibus item non conuenit, ut mala liberorum suorum patienter ferant, tolerentq;, si alius alium iniurijs afficiat.

Ad prudentiam tamen magistratus pertinet, ut malos quos in præsenti utiliter corrigere nequit, tantisper ferat, dum in illos sine maioris mali periculo animaduertere queat. Eiusmodi patientia non infirmat potestatem magistratus, sed magis cauet, ne illa per intempestiuam malorum correctionem infirmetur, & in maius discrimen cōijciatur: uel quod corrigendum erat, non corrigatur, sed peius adhuc reddatur, uel alijs malis multo nocentioribus ostiū aperiatur. Patientia hac usus Dauid, tolerauit ea quæ per Ioab admodum grauia & iniqua designabantur, quemadmodum & insolentiam Abner Isboseth filius Saulis ferre cogebatur. Vbi initia regni sunt adhuc tenera & imbecillia, multa ferenda ueniunt, quæ aliàs toleranda non essent. Consimili modo comparata est & rerumpublicarum conditio, in quibus haud rarò accidit, ut uel potentiorum, uel multitudinis delicta à magistratibus necessariò ferantur, quā doquidem sine grauissimis ac periculosissimis motibus emendari non possunt. Et hoc genus patientiæ in ecclesijs quoque locum habet, ubi uel sectæ sunt cauendę, uel pij pauciores sunt numero, quàm qui plurium ac potentiorum delicta ad ædificationem, quam Apostolus præscribit, corrigere possint.

QVIS SIT VSVS PATIENTIAE.

Triplex usus est patientiæ.

EXplicare pro dignitate nō potest, quàm amplus, quàm insignis, quamq; necessarius sit ueræ patientiæ usus. Constituimus tamen hunc triplicē, iuxtà quod & omnia quæ nobis accidunt, triplicis generis esse deprehendūtur. Nam aut à Deo, aut à creaturis, aut à nobis ipsis accidunt. Vbi autem nihil nobis accidit, quod sit, aut uideatur esse molestum, ibi non est patientiæ locus & usus. Est igitur usus patientiæ primus in his quæ Deum: secundus in ijs quæ proximos nostros: tertius in reliquis quæ nos ipsos concernunt. Deum autem cōcernunt, quæ ad fidem, pietatem ac salutem nostram: proximos, quæ ad conuictum humanū: nos ipsos, quæ ad mortificationem ueteris Adę, abnegationemq; nostri ipsorum, & sanctimoniam uitæ pertinent. Hæc paucis explicanda ueniunt.

Sine patientia audiēdi doctrinam fidei, ad fidem nō peruenitur.

1 Principiò, Fides, inquit Apostolus Rom. 10. ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei. Nam quomodo credent ei, de quo non audierunt? Iam nisi sit patientia audiendi in corde & auribus, fieri non potest, ut audiatur doctrina, iudicio rationis stulta, & à sapientibus huius mundi exposa. Hac patientia destituebantur, qui dicebant Ioannis sexto: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Sic hodie quoque maxima Christianorum pars ab auditu sanæ doctrinæ abhorret, sic ut ne auditum quidem illius patienter ferre possit. Cum primis igitur necessaria est ad hoc patiētia, ut uerbum crucis audiatur. Nisi enim audiatur, credi nō potest. Audiri autem nequit, nisi beneficio patientiæ tantisper reprimatur rationis iudiciū, dum quę dicuntur, perspicuè ac sedatis animis audiantur.

2 Deinde, nisi contradictio mentis uincatur, non erit locus fidei, etiamsi sana doctrina audiatur. Non uincitur autē illa, donec durat in corde impatientia assentiendi. Opus igitur est hac cordis patientia, qua ijs quæ audita sunt, assentiatur. Qui hac destituitur, non sustinet credere auditis, atque ita nondum est fidei capax.

Spes patientiā requirit.

3 Tertiò, quoniā promissa bona non dantur in præsenti, sed asseruantur in futurum, necessarium est, ut spe illa expectemus. Spes autem hæc subsistere non potest, nisi per patientiam fulciatur.

fulciatur. Sic Apostolus Rom. 8. dicit: Non solùm autem illa, sed & ipsi, qui primitias spiritus habemus, & nos ipsi in nobis ipsis gemimus, adoptionem expectãtes, redemptionem corporis nostri. Siquidẽ spe seruati sumus. Porrò spes si uideatur, non est spes. Quod enim quis cernit, cur idem speret? Si uerò quod non uidemus, speramus, id per patientiam expectamus. Significat hisce uerbis, promissam redemptionem, quam credentes speramus, nisi per patientiam expectari non posse.

Propter tribulationes ferendas, & fidei cõfessionẽ, opus est patientia.

4 Quartò, quoniam sic est sors piorum in hoc seculo, ut per multas eos tribulationes in regnum cœlorum ingredi oporteat, quis non uidet quàm sit hic necessarius patientiæ usus, qua quæuis aduersa constanter pro ueritate Dei ferantur? Quis fidem suam coram aduersarijs cũ discrimine uitæ incunctanter confiteri sustinebit, nisi animo sit per patientiã obfirmato? Corde creditur ad iusticiam, inquit Apostolus: ore autem cõfessio fit ad salutem. Tolle patientiã, non poterit esse locus eiusmodi confessioni, propter quam quæuis sint subeunda pericula.

Probatio requirit patientiam.

5 Quintò, requiritur à fidelibus, ut reddãtur in fide Christi probati. Probatus autem per tribulationes euadit nemo, nisi per patiẽtiam. Vnde & Apostolus Rom. 5. dicit: Nam tribulatio patientiam, patientia probationem operatur.

Per patiẽtiam seruamus animas nostras.

6 Sextò, quoniam qui animam suam seruare uult, perdit: qui uerò perdiderit propter Christum, seruat: fieri non potest, ut sub cruce constituti, animas nostras seruemus, nisi per patientiam. Vnde & Seruator dicit: In patientia uestra possidebitis animas uestras. Lucæ 21. Certandum nobis est in hac uita contra peccatum, mundum, ac principem mundi. Si non certemus, non uincemus: nõ uincentes, haud coronabimur. Nemo autem certabit citra patientiã. Hinc hortatur nos Apostolus Ebræorũ 12. dicens: Per patientiam curramus in propositio nobis certamine. Et de seipso: Bonum certamen, inquit, decertaui, cursum cõsummaui, fidem seruaui. Quod supereſt, reposita est mihi iusticiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, qui est iustus iudex, 2. Tim. ultimo.

Sine patientiã non faciemus uoluntatẽ Dei.

7 Septimò, illud quoq; cogitandum est, quòd uoluntatem Dei facere, & fructus Euangelij proferre nemo poterit sine patientia. Notum est illud Seruatoris Lucę 8. Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui corde honesto & bono audientes sermonem retinent, & fructum adferunt, per patientiam. Quemadmodum enim semen in terram proiectum fructificare nõ potest, nisi sit patiens solis, pluuiæ & algoris: ita nemo fidelis fructus Euangelij proferre poterit, nisi omnis generis molestias propter uerbum Dei illatas patienter perferat. Et quid est Euangelij fructus ferre aliud, quàm facere uoluntatem Dei, secundum quod illa per doctrinam Euangelij proponitur? At hanc sine patientia faciet nemo. Vnde & Apostolus Ebræorum 10. dicit: Patientia uobis necessaria est, ut uoluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Hæc obiter de primo patientiæ usu.

Secundus pãtiẽtiæ usus conuictum humanum cõcernit.

2 Quod secundum illius usum attinet, quantumuis in conuictu humano ad pacem & concordiam alendam, primas obtinet charitas: nisi tamen adsit patientia, pax ne inter amicos & coniunctissimos quidem persistere poterit. Nisi enim patientiæ uirtute caueantur offensæ, ipsa nequibit durare charitas. Quid arctius uinculo coniugum, quo duo in carnem unam coadunantur? Et tamen nisi utriusq; pectus communitum sit uirtute patientiæ, alter alterius mores & onera haudquaquam perferet, atq; ita soluetur inter ipsos pax & concordia. Quid aliud de reliquo quocunq; humanæ societatis conuictu censebimus? Vnde est, quòd nõ est hospes ab hospite tutus, ut ille canit, neq; socer à genero, & fratrum quoque gratia rara est, nisi ex eo quòd in cordibus hominum patientia rara est? Vt homines sumus, fieri nõ potest, quin etiam ab illis quos improbitatis damnare non possumus, multa dicantur ac gerantur, quæ parum placeant, ac si incidant in hominem impatientioris animi graues simultates, lites & contentiones excitent, atq; ita pacis tranquillitatem perturbent. Sic rectè patientiam pacis cõseruatricem, imò & reparatricem uocaueris. Vt enim Salomon Prouerb. 25. dicit, Patientia lenitur princeps. quod non est de ea tantùm intelligẽdum, qua princeps nonnihil offensus, impetum iræ suæ cohibet ipse: sed qua is cui irascitur, patienter fert illius omnia, & onera ab illo imposita, haud grauatim portat. Si hoc facit patientia in animo principis, quomodo non faciet in illis qui multo sunt humilioris fortunæ?

Tertius usus patientiæ seruit mortificationi carnis, ab negationi nostrijpsorum, et sanctimoniæ uitæ.

3 Tertium patientiæ usum esse diximus, quo molesta carni mortificatio, nostri ipsorum abnegatio, & sanctimonia uitæ, animo patienti & infracto perficiuntur. Mortificate, inquit Apostolus Coloss. 3. mẽbra uestra, quæ sunt super terram. Et 1. Corinth. 9. Castigo corpus meum, inquit, & in seruitutem redigo. Et 2. Corinth. 7. Has ergo habentes promissiones, inquit, chariſsimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficiẽtes sanctificationẽ in timore Dei. Et Christus Lucæ 9. Si quis, inquit, uult uenire post me, abneget semetipsum. Hæc quæso, quomodo sine patientia spiritus & carnis præstabimus? Siue igitur ea quæ Deum, siue quæ proximos nostros, siue quæ nosipsos concernunt, respexerimus, omnino necessarius est ad omnia ueræ patientiæ usus: idq; non modò in religionis nostræ, sed & reliquis humanæ uitæ negocijs.

DE IMPATIENTIA.

Quid sit impatientia. SEcundum naturam oppositorum quæ patientię bona tribuuntur, horum oppositæ recte dantur impatientiæ. Patientia uirtus est, per quam pietatis & honestatis gratia quæuis aduersa feruntur. Est ergo impatientia uitium, quo nihil aduersi propter pietatem & honestatem fertur.

Partes impatiētiæ. Patiētiæ partes sunt, procul esse ab ira, expectare opem Domini, perseuerare in bono actu sto, & quæuis aduersa posse pati. Ergo impatientiæ partes sunt, propensum esse ad iram, manum Domini nō expectare, ab eo quod iustum est mox discedere, & nihil aduersi posse pati.

Author impatientiæ diabolus. Patientia authorem habet Deum ipsum, & unigenitum eius Christum Dominum. Impatientia authorem habet diabolum, à quo uirus illius in primam nostram parētem originaliter est infusum. Quàm autem diuersi sunt à se inuicē Deus & diabolus, tàm diuersum est impatientiæ uitium à uirtute patientiæ. Prima impatientia diaboli in eo fuit, quòd gloriam hominis ad imaginem Dei conditi, & operibus illius præfecti, impatientius tulit, quàm ut eam ferre posset. Sic natales impatientiæ, ut Tertullianus inquit, sunt in ipso diabolo, & malicia pariter cum illa in sinu eius adoleuit.

Quid operetur impatiētia. Patientia locum facit auditui doctrinæ sanæ, quemadmodum articulo præcedenti ostēdimus. Contrariū igitur facit impatientia, per quam aures, ne quod uerum est audiatur, obstruuntur & auertuntur. Patientia facit, ut uerbo Dei credatur: ergo impatientia assentiendi auditis ministra est incredulitatis, dum impedit, ne ueritati assensum præbeamus. Patientia futura bona expectat, quæ credētes speramus: impatientia igitur dum illa sperare & expectare non sustinet, præsentibus tantùm inhiat. Patientia facit, ut quod credimus corde, confiteamur & orę: quia per hanc parati sumus ad crucem pro ueritate Dei ferendam. Ergo impatientia crucis facit, ut uel dissimulemus, uel negemus etiam, quæ nos credere putamus, magis quàm credimus. Per patientiam tribulationum reddimur in fide Christi probati: per impatientiam igitur arguimur reprobi. Per patientiam possidemus animas nostras: ergo per impatientiam illas perdimus. Per patientiam certamus, uincimus, & coronabimur uictores. Per impatientiam ergo cedimus, uincimur, & perpetuam ignominiam meremur turpiter uicti. Per patientiam uoluntatem Dei faciētes, fructus Euangelij Dei proferimus. Fit igitur per impatientiam, ut à uoluntate Dei declinantes, opera carnis, tenebrarum & perditionis faciamus.

Tertull. omnia peccata deputat impatiētiæ. Et hinc est, quòd Tertullianus omnis generis peccata deputat impatientiæ, per quam peccauit non Eua tantùm, sed & Adam: ut primum hominis crimen sit impatientia. Impatientia gignit iram & odium: impatiētia humilitatis parturit superbiam & philodoxiam: impatientia castitatis transit in castra libidinum, illisq; seruit: impatientia egestatis parit furta & latrocinia: impatientia laborum mater est ocij, unde nascuntur uitia. Impatientia iniuriarum gignit lites, rixas, contentiones, & studium ulciscendi, &c.

Exempla impatientiæ. Exempla autem impatientię passim occurrunt, nō in Scripturis tantùm, sed & in omnino stra uita. Quòd Cain fratrem suum Habelem occidit, erat ex impatientia. Quòd Esau fratrem suum Iacob occidere cogitabat, cogitabat ex impatientia. Quòd Laban generum suum Iacobum persequebatur, impulsus erat impatientiæ. Quid aliud erat, quàm impatientia, quòd fratres Dinæ illatum illi uitium tam sunt atrociter ulti? Odium fratrum Ioſephi ex impatientia erat, qua ferre nō poterant, quòd plus ille quàm ipsi à patre amabatur, & quòd somnia sua futurarum rerum prænuncia narrabat. Quòd uxor Putiphari Ioſephum in discrimen uitæ conijcere uoluit, ex impatientia erat negati concubitus. Quòd Pharao toties rebellabat uoluntati Dei, & quòd Israel contra Dominum tam pertinaciter murmurabat, nō erat aliunde, quàm ex impatientia. Quòd Saul Dauidem persequebatur, sacerdotesq; Domini mactabat, & sacrificare præsumebat, faciebat ex impatiētia. In summa, uix aliquod peccatum enormius admissum proferri potest, in quo non sit impatientiæ exemplum. Sed hactenus de patientia & impatientia dictum esto.

DE HAERESI.

QVONIAM calumnia hæreseos inter ea probra, quę pijs hominibus obijciuntur, haud est minima: operę fore precium iudico, ut de illa quoq; in hisce locis nostris, quæ notanda uidebuntur, in medium adferamus. Nō est autē animus operosam materiæ huius tractationem instituere, sed ea tantùm commemorare, quæ fidelibus usui esse queant.

I. QVID SIT HAERESIS.

Hæresis electionem sonat. QVid sit hæresis, & qui hæretici uocandi, non tam est multis compertum, quàm sunt hæuoces in ore multorum. Hæresis, quod nominis significationem attinet, Latinis sonat electionem, à uerbo αἱρέω & αἱρέομαι, id est eligo: unde & Chrysostomus alicubi electionō

Episcopi,

Episcopi, quæ tum fiebat à plebe fidelium, hæresim uocat, unde ut pateat hæreticum esse eũ, qui sibi aliquid eligit. Et Hieronymus in Epistolam Apostoli ad Titum pariformiter annotauit, dicens: Hæresis Græcè ab electione dicitur, quòd scilicet unusquisq; id sibi eligat, quod ei melius esse uideatur. Hæc uocis istius significatio nihil includit, quod sit uitiosum. Quis enim sic insanit, ut facultatem eligendi aliquid, mortalibus liberè concessam, pro uitio habendam esse sentiat? Hactenus hæresis damnat neminem, quia nihil habet culpę, nisi accedat aliunde. Est igitur abusiuum, quòd uox ista probrosa facta est. Tertullianus libro de Virginibus uelandis paulo post initium sic definit hæresim: Quodcunq; aduersus ueritatem sapit, hæresis est, etiam uetus cõsuetudo. Hæc definitio nec propria est, nec necessaria, sed abusiua. Si Græcam uocem Latinè expressisset, dixisset: Quodcunq; aduersus ueritatem sapit, electio est. At sic loquendo non expressisset quod uolebat. Neq; enim electio id sonat in ecclesia, quòd per abusum sonare cœpit hæresis. Hanc tamen uocis istius catachresim non damno. Nam usus illa est & Apostolus prima Corinth. 11. dicens: Oportet enim & hæreses esse, quo qui probati sunt, manifesti fiant inter uos. Et Gal. quinto, ubi hęreses numerat inter opera carnis: & Tit. tertio, cum dicit: Hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem fuge. Vsurpauit illam propterea quòd esset inter gentes trita, propter philosophos, & inter Iudæos quoque Græcè scientes, propter Pharisæorum ac Saduceorum sectas. Quin & Latini illa utebantur, sicuti uidere est in uerbis Ciceronis, ubi dicit: Cato in ea est hęresi, quę nullũ sequitur florẽ orationis.

Hæresis, quatenus electionem sonat, dãnat neminem.

Quid sit hæresis secundũ Tertullianum.

Abusus in uoce hæresis.

Augustinus uidetur uocem hanc, hæresim, accepisse pro opinione, atq; ideo in libro de Vtilitate crẽdendi, capite primo scripsisse ad hunc modum: Hæreticus est, ut mea fert opinio, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatusq; sui gratia, falsas ac nouas opiniones uel gignit, uel sequitur. Græci accipiunt uerbum αἱρέσεως aliquãdo pro uelle. Hoc sensu rectè uocatur hæreticus, qui pro suapte uoluntate magis quàm pro ueritate, eligit sibi opinionem aliquam, cui mordicùs adhæreat, quantumuis illam nullis possit sacris Scripturis, pertinenter ac ritè adductis cõfirmare. Ergo, hæresis pro morbo animi accipitur, quo homines uani, & sibijpsis impensius indulgentes à communi aliorũ sententia, non iudicio, sed studio dissentiendi abhorrent, & opiniones eligunt, quas & ipsi sequãtur, & alijs sequendas obtrudãt, nec ullis se rationibus ac Scripturis ab illis abduci sinant. Græci paucis sic definiũt hæreticũ, ἄνθρωπος τις παρὰ τὸν ἀληθινὸν αἱρέσεων ἔχει. Scholastici hæreticum uocant, qui sectam aliquam uel instituit, uel sequitur aduersus fundamenta religionis. Et in hæresi tria concurrere dicũt, unde cognoscatur, falsam uidelicet credulitatem, peruersam uoluntatem, & pugnandi pertinaciam: significantes non mox esse hæreticum eum, qui falsa pro ueris habens, errat, si uoluntas nõ sit peruersa, & ad pugnandum pertinax. unde & ille dicebat, Errare possum, hæreticus esse nolo. Sic illi sentiunt. Verùm tripliciter, meo iudicio, pótest hæreticus dici. 1 Primò, quisquis aliquid sibi eligit quod sequatur, quodq; uerum ac sequẽdum sibi esse iudicat. Hic si eligit quod uerum est & utile, ut uerum & utile, bonus & inculpabilis est hæreticus. Hoc proprio uocis istius sensu hęretica est ipsa quoq; catholica Ecclesia, & quilibet Christianus, propterea quòd elegerunt sibi fidem in Christum, quam relictis alijs omnibus sequantur, & propter quam à toto mundo separantur. Quid enim aliud est fides Christiana, cũ toto mundo, qui extra Christum est, collata, quàm hæresis quædam, à sapientibus huius mundi damnata: quemadmodũ & Actorum ultimo ab incredulis Iudæis appellabatur, cum ad Paulum dicerent, De hæresi ista notum est nobis, quòd illi ubiq; contradicatur. Et Tertullianus Christianam religionem sectam uocat initio libri ad Scapulam.

Quid sit hæreticus secundum Augustinum.

Quid secũdum Græcos & Scholasticos sit esse hæreticũ.

Hæreticus tripliciter dici potest.

Ecclesia Christi, ac fides, hæretica est.

2 Deinde hæreticus est, quisquis per errorem aliquid pro uero seruandum eligit, quod alienum est à uero. Huc pertinet paulo suprà citata Græcorum definitio, qua dicunt, hæreticum esse eum ὁ ἄλλό τι παρὰ τὸν ἀληθινὸν αἱρέσεων ἔχει. Hæreticus est, qui hoc facit, nõ ob id quòd falsum sibi per errorem eligit pro uero, sed propterea quòd sibijpse eligit quod sequatur. Cum Augustinus dicit, Errare possum, hæreticus esse nolo: non repugnat ei quod hic dicimus, sed utitur uoce hac sensu communi. Quanquam quid impedit, quo minus dicam, Errare possum, errãs tamen esse nolo: hoc est, scienter errare nolo? Vnde tamen non sequitur, nõ esse eum errantẽ, qui errat. Sic non sequitur, non esse eum hæreticum, qui quamuis errando eligat sibi quod est falsum, hæreticus tamen esse non uult. Aliud est esse, & aliud nolle esse hæreticum.

Hæreticus est, qui per errorẽ pro uero eligit quod est falsum.

3 Tertiò, hæreticus est, qui non ex errore & ignorantia falsum eligit pro uero, sed ex agnato morbo, quo rebus nouis, raris, insolitis, & à cõmuni sensu alienis impense studet, illasq; mordicùs, ut tales apprehendit, & pertinaciter, quantumuis sint falsæ, defendit. Hic morbus reddit hæreticos & culpabiles, & noxios uehementer. Et dẽ talibus intelligenda sunt, quæ de hęreticis in Scriptis patrum, historijs Ecclesiasticis, ac legibus Imperatorum leguntur.

Hæreticus est, qui non ex errore, sed studio singularitatis dogmate nouo & falso delectatur.

Hæc obiter de eo diximus, quid sit hæresis, & quid sit esse hæreticum: quod attinet uocum istarum usum non modò proprium, sed & improprium. Restat ut de ea quoq; uoce nonnihil annotemus, qua Germani hæreticum ein ketzer uocamus, quam & ipsam pauciss imi intelligũt, usqueadeò ut nesciant etiam ad quam linguam pertineat, & quomodo in usum nostrum uenerit: unde fit ut ignorẽt, an uerè sint ketzer, quos Ecclesiastici pro talibus habere uolunt.

De uoce, ketzer, quòd sit Græca & corrupta.

Quemadmodum uoces illæ in Ecclesia usitatissimæ, kirch, priester, bischof, allmus, à Græcis sunt mutuatæ, ac usu illiteratę plebis corruptæ: ita & uox ketzer à Græcis est sumpta, qui hæreticos quosdam καθαροὺς, id est mundos ob id uocarunt, quòd se pro puris uenditabant, cõiugium uiduorum damnabant, & pœnitẽtiam ijs qui post acceptum baptismum peccassent, denegabant, etiamsi hanc suscipere uellent. Horum secta usqueadeò passim inualuerat, ut post illos etiam alij hæretici cœperint uocari καθαροὶ, & à Germanis ketzer. Sic omnis generis hęreticos ketzer uocamus. Quemadmodum autem in uoce Almus, litera epsilon in alpha mutata est, & sex syllabæ in duas cõtractæ: ita hic alpha mutari cœpit in epsilon, & litera s pro nunciari cum sibilo per tz. quod etiam nonnulli Græcè docti in alijs Græcis uocibus factitare solent. Non est autem ut dicat quisquam, haud esse ueri simile, quòd dictio puritatis significationem habens usurpetur pro hæretico: sic ut omnis generis hęretici uocentur cathari, id est puri. Haud enim ob id fuerunt hęretici cathari uocati, quòd puri essent: sed quòd se puros esse iactarent, ac reliquos præ se contemnerent ac fastidirent. Et quoniam pro hęreticis habebantur, factum est ut hæretici postea cathari uocarentur. An martyr nõ sonat Grȩcis testem? Et tamen quoniam testes Christi grauissimis cruciatibus afficiebantur, factum est ut cruciatum uocemus ein marter: & cruciare, marteren. Quid aliud accidit nomini Lutheri piæ memoriæ? Quid Luther sonet, scimus nos Germani, nempe purum. Quoniam uerò doctrina illius pro hæresi proclamata est à Papistis, an non fieri uidemus, ut Lutheranum esse idem sit aduersarijs, quod esse hæreticum: tametsi ipsa uox non significet hæreticum, sed purum? Imò Euangelicum esse quid minus est, quàm hæreticum esse? At hodie Papistis nihil sonat aliud Euangelicum esse, quàm esse hæreticũ: propterea quòd pro hæreticis habentur, qui Euangelio Christi credere & obedire malunt, quàm quibuscunque Antichristi doctrinis ac statutis. Quid igitur mirum est, quòd consimili modo post hæresim Catharorum, omnis generis hæretici Cathari, & à Germanis ketzer uocari cœperũt? Quod uocis significationẽ attinet, utinam cathari, id est puri sinus omnes. Nam Christus eos uocat beatos, qui sunt cathari corde, Matthæi quinto: & ad discipulos suos dicit, Ioánis decimoquinto: Iam uos cathari estis propter sermonem meum, quem loquutus sum uobis. Pseudocatharos, pseudeuangelicos, & falso Lutheranos nemo piorum probat: ueros autem nemo, nisi uel ueritatis ignarus, uel impense malus damnat. Adhuc dicet quisquam: Vnde est igitur, quòd eos quoque ketzer uocamus, qui uel bestijs miscentur, uel alias contra naturam libidinantur? Respondeo: Vsitatum hoc est, ut hæretici flagitij alicuius infamia abominabiles reddantur: id quod & primis accidit Christianis, quos Ethnici turpissimorum scelerum insimulabant. Et hisce quidem accidebat hoc præter meritum: illis uerò non ita semper absque causa. Nam plerunque turpissima scelera hæresibus cohærent. Et Hieronymus alicubi dicit, hæreticos raro esse castos. Vsuuenit hoc & Catharis, idque iusto iudicio Dei: unde factum est, ut enormia eiusmodi flagitia patrantes, uocarentur Cathari, & apud nos ketzer. Sic mihi uidetur, citra tamen aliorum præiudicium.

Euangelicũ & Lutheranũ esse, idem iam est Papistis, quod hæreticũ esse.

Vnde sit quòd ketzer uocantur, qui contra naturam libidinantur.

II. QVAM SINT HAERESES VARIAE.

VTuarium, multiplex & fœcundum est mendacium, ita sunt & uariæ & multiplices hęreses, perinde atq; multiplex & uaria est à regia uia deuiatio, à qua non eadem, sed alijs atque alijs uijs aberratur. Principiò, aliæ sunt Iudæorum, aliæ gentilium philosophorum, aliæ pseudochristianorum hæreses. Iudæorum, ut in Iosepho & in Actis Apostolorum quoq; uidere licet, hæretici fuerunt Pharisæi, Saducęi & Essęi, diuersis à se inuicem hęresibus disiuncti. Gentilium philosophorum hæretici, alij fuerunt Stoici, alij Peripatetici, alij Epicurei, alij Platonici, &c. de quibus non est ut loquamur. Pseudochristianorum hæreses innumerabiles sunt, & incomprehẽsibili uarietate diuersæ: quarum multitudinem ac uarietatem nemo unquam, ne Patrum quidem temporibus explicare potuit, quamuis nonnulli id sint conati. Principalis tamen illarũ hæc uidetur esse uarietas, quòd aliæ ipsa fidei nostræ fundamenta conuellunt, aliæ circa res secundarias morbidæ languent. Ad priorum classem pertinent Marcionitæ & Manichæi, duo statuentes principia, duos uidelicet deos: bonũ unum, malum alterum. Noetiani, eundem dicentes esse patrem, filium & spiritum sanctũ: & Sabelliani, quos Patripassianos ob id uocant, quòd patrem passum pro nobis esse dixerunt, & Carpocratiani, & Cerinthiani, & Hebionei, & Theodotiani, & Photiniani, & Ariani: qui omnes, negata Christi diuinitate, hominem tantùm illum esse nugati sunt impiè: & Valentiniani, qui Christum nihil ex Maria: & Apellitæ, qui carnem illum ex elementis mundi sumpsisse, illisq; hanc reddidisse dixerunt, cùm sine ea resurgens, in cœlum ascendit: & Basilidiani, qui Christum crucifixum esse negarunt: & omnes illi, qui diuinitatem Spiritus sancti impugnarunt, & illi potissimùm, qui uel unitatem diuinæ essentiæ sic statuerunt, ut cum Iudæis sacram Triadem sustulerint: uel sacram Triadem sic confessi sunt, ut tres numero distinctos ac subordinatos deos statuentes, unitatem essentiæ diuinæ negarint: item Pelagiani gratiam Dei & peccatorum

Aliæ sunt Iudæorum, aliæ philosophorũ, aliæ pseudochristianorum hæreses.

Qui hæretici fundamenta Christianæ fidei conuellant.

torum remiſsionem eneruantes: deniq; & Seueriani & Hierachitæ carnis reſurrectionem reijcientes. Hi omnes circa fidei noſtræ fundamenta errarunt, tanto nocentiores cęteris, quanto pernicioſior eſt, qui fundamenta domus euertere molitur, illis qui circa parerga illius conuellenda uerſantur.

Qui hæretici in rebus ſecundarijs errarint.

In poſteriorem claſſem referendi ſunt, qui & ipſi quidem hæretici fuerunt, uerùm ſeruatis fidei noſtræ fundamentis circa res alias errarunt: quales fuerunt Chiliaſtæ, qui Chriſtum in hoc ſeculo annos mille cum electis feliciter regnaturum ſenſerunt: & Elceſaitæ fidem in perſequutione negari, ac tantùm in corde ſeruari poſſe docentes: & Taciani, quos Encratitas appellarunt, nuptias damnantes: & Cataphryges ſecundas nuptias pro ſcortatione ducẽtes: & Peputiani mulieribus id honoris tribuentes, ut eas ad ſacerdotij quoq; dignitatem extollerent: & Artotyritæ panem & caſeum offerentes: & Quartadecimani Paſcha luna quartadecima tantùm, quocunque illa die occurrerit, celebrantes: & Adamiani nuditatem Adę, quam ille ante peccatum in paradiſo habuit, imitantes, ac nuptias quoq; auerſantes: & Valeſij ſeipſos & hoſpites ſuos, quaſi Deo ſic ſeruirent, caſtrantes: & Apoſtolici in ſuam communionem nõ recipientes, niſi cœlibes, & nihil proprij poſsidentes: & Aquarij aqua in ſacramento utentes: & Anabaptiſtæ pædobaptiſmum & iuramenti uſum impugnantes, & complures alij circa talia ineptientes.

Hæreſum aliæ priuatæ, aliæ publicæ.

Deinde, hæreſum aliæ ſunt priuatæ, aliæ publicæ. Priuatæ ſunt, quibus uel unus aliquis homo in Eccleſia, uel familia quapiam, aut priuati aliquot detinentur. Tales eſſe ſolent hæreſes initiò, dum ab uno aliquo exortæ paulatim domos aliquot inficiunt, & ſectatores hinc inde ſparſim acquirunt. Sic comparatæ ſunt hæreſes monachorum, quæ licet ex latebris ſuis in publicum emerſerint: publicæ tamen factæ non ſunt, ſed priuatæ manent. Publicæ ſunt, quibus omnis populus unà cum ordinibus ſuis detinetur, ut eas rectè catholicas & Eccleſiaſticas uoces. Talis eſt iam ſeculis aliquot hæreſis Papiſtarum, & Maometanorum, taliſq; diu fuit hæreſis Arianorum. Quare non mox uera religio eſt, quæ publica eſt & catholica, cum & hæreſes eouſq; inualeſcere queant, ut publicæ & catholicæ fiant.

Hæreſum aliæ ſunt adhuc recentes, aliæ inueteratæ, aliæ renouatæ.

Tertiò, aliæ ſunt adhuc recentes, aliæ inueteratæ, aliæ renouatæ. Quæ recentes ſunt, nouitate ſua, & ſingulari quodam zelo ſic ſe cordibus incautorum & inſtabilium hominum inſinuant, ut quales quales in ſe ſint, ſectatores tamen inueniant. Inueteratę uel languere ſolent, ac plurimum ab origine ſua diſtare, & à primis authoribus diſcrepare, uel eſſe quo antiquiores, hoc obduratiores. Quæ obſoletæ fuerant, improbitate ſatanæ renouantur, quemadmodum hac noſtra ætate multas olim extinctas reſuſcitari uidemus, quas imperiti nouas eſſe putant.

Aliæ ſchiſma quidem, uerùm Eccleſias nõ faciunt.

Quartò, alię ſchiſma quidem faciunt, uerùm Eccleſias nullas conſtituunt, qualis eſt eorum quos Schuenckfeldianos uocãt. Abſtrahit quidem illa à corpore Eccleſiæ quoſcunq; poteſt, uerùm in nullam eos colligit Eccleſiam. Aliæ conſtituunt non ſolùm ſchiſmata, ſed & ſeparatas Eccleſias, quo ſpeciẽ hæreſeũ effugiant. De illis loquitur Chryſoſtomus alicubi, quum dicit: Omnia hæc quæ ſunt propriè Chriſti in ueritate, habent & hæreſes illæ in ſchiſmate: ſimiliter Eccleſias, ſimiliter Epiſcopos, cęteroſq; ordines clericorum: ſimiliter Baptiſmũ, ſimiliter Euchariſtiam, & cætera omnia, &c. Aliæ nec ſchiſma, nec ſeparatas Eccleſias faciunt, ſed in Eccleſia, in qua exortæ ſunt, manent: quia nondum ſatis emerſerunt.

Aliæ & ſchiſma, & Eccleſias cõſtituunt.

Aliæ nec ſchiſma, nec Eccleſias faciunt.

Quintò, alię Scripturas ſacras nõ recipiunt omnes, ſed aliquas reijciunt, quas uidelicet opinionibus ſuis uident eſſe contrarias. Aliæ omnes quidem recipiunt, uerùm germanum illarũ ſenſum non recipiunt in omnibus, ſed falſis expoſitionibus eneruant, ne authoritate ſacrarũ Scripturarum mendacij arguantur. Prolixiſsimi operis fuerit ac ſeparati omnem hanc uarietatem hæreſum exemplis ob oculos exponere, & ſingularum opiniones refellere: quare obiter hæc qualiacunq; annotare uiſum eſt.

Aliæ Scripturas nõ omnes, aliæ omnes recipiunt quidẽ, uerùm corrumpunt.

III. VNDE SIT HAERESIS.

Bonam hæreſim eſſe ex Deo.

BOnam hæreſim, qua Deo ſyncera fide adhærere eligimus, è ſupernis eſſe nemo dubitare, mirumq; putare debet, quòd Deum hæreſeos alicuius authorem conſtituimus. Eſt enim ille primus ac ſupremus omnium hæreticus, ſi uim uocis conſideremus. Nam niſi hæreticus eſſet, quomodo nos ante mundi fundamenta uoluntariè elegiſſet, & quos elegit tanta conſtantia ad fidem uſq; ſingulari prouidentia & cura proſequeretur? Per huius ſpiritũ mouentur corda electorum, ut fiant boni hætetici: id eſt, ut eligant ſibi cum Maria optimam partem, quæ ab ipſis auferatur nunquam, etiamſi propter illam omnis generis malis affligantur. Sic eſt hæreſis ex hæreſi, noſtra ex ea quæ Dei eſt, cuius etiam argumentum eſt, unde manifeſtum fiat, quòd per illam ſimus electi.

Malæ hæreſis duplicẽ eſſe originem, authore diabolo.

Malæ hæreſeos origo duplex eſt: generalis una, ſpecialis altera. Generalem uoco, quę locũ habet in quauis mala hæreſi: ſpecialem, quæ in quibuſdam tantùm. Generalis primùm eſt ex ſatana, deinde & ex carne corrupta. Hinc ſunt omnes malæ hæreſes, quãtumuis à ſe inuicem

uarient. Ex ſatana ſunt, tanquam mendaciorum, errorum, pertinaciæ, diſcordiarum ac perditionum authore. Hic primos noſtros parentes hæreticos & ſchiſmaticos, nõ ipſorum tantùm, ſed & noſtro malo mendaciorum ſuorum lenocinio conſtituit, & à Deo ſeparauit. Peſtifero huius afflatu ſic eſt caro noſtra infecta, ut prona ſit ad quaſuis malas hæreſes, & occulta quadam innataq; procliuitate ad mendacia propendeat. Hinc eſt, quòd Apoſtolus Galatis quinto, inter cætera carnis opera numerat & hæreſes, dicens: Porrò manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt hæc: adulterium, ſcortatio, immundicia, laſciuia, ſimulacrorum cultus, ueneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, concertationes, ſeditiones, hæreſes, &c. Sunt igitur hæretici homines carnales non minus, imò magis quàm adulteri, ſcortatores & immundi, quamuis omnium uelint ſpiritualiſsimi uideri. Nec mirũ eſt, quòd plerunq; in grauiſsima & enormia flagitia incidunt propter cognationem, quæ eſt inter opera carnis, ad quæ ſunt ſingulariter propenſi.

Vnde ſit, quòd Apoſtolus hæreſes numerat inter opera carnis.

Hæretici plerunq; in enormia crimina incidunt.

Specialis hæreſum origo ex hominibus eſt, quorum ingenia ſunt uel ad ſophiſticandum acuta, uel ſuperbiæ ſpiritu inflata, uel ex inuidiæ morbo liuida, uel ad ferendũ ea quæ diſplicent impatientia. Nam ſuperbia, ſophiſtica ſcientia, inuidia & impatientia, ueluti matrices quædam ſunt, unde naſcuntur hæreſes. Niſi per ſuperbiam Epiſcopum ſuum contempſiſſet Arius, illoq; doctior uideri uoluiſſet, tam grauem hæreſim haudquaquam in Eccleſias inuexiſſet. Et hanc illius ſuperbiam armauit ſophiſtica, qua ad diſputandum, & quæſtiones mouendas erat inſtructus. Multos inuidia reddidit hæreticos, qua erât erga ſuperiores ſuos affecti. De Tertulliano ſcribitur, quòd propter inſolentiam Romani cleri ad partes Montani hæretici defecerit. Niſi huius fuiſſet impatiens, hæreſim illam non fuiſſet amplexus. Sanè hodie quoq; multos impatientia malorum reddit hæreticos & ſchiſmaticos. Eſt igitur omnis malus hęreticus, aut ſuperbus & inflatus, aut ſophiſta, aut inuidus, aut impatiens. De illis loquor potiſsimùm, qui authores ſunt hæreſum.

Hæreſes quomodo ſint ex hominibus.

Arius.

Tertullianus quare ad Montanos defecerit.

At hodie Papiſticæ hęreſeos defenſores ſacrę Scripturæ tribuunt, quòd faciat hæreticos: quam calumniam non ſinet Dominus abire inultam. Ex carne eſt hęreſis mala, non ex ſacris Scripturis. Caro, nõ ſacra Scriptura, mater eſt hęreticorum. Verùm illi omnes eos pro hęreticis habent, qui Sacram ſcripturam ſequi malunt, quàm friuola Pontificiorum commenta. Sanè hoc genus hæreticorũ ex ſacris Scripturis naſcitur. Agnoſcimus hoc, & incunctanter fatemur. At illi nomine hæreſeos & Sacram ſcripturam & electos Dei infames reddere moliuntur, & imperitis fucum faciunt,

Hæreticos gignit caro, non ſacra ſcriptura.

IIII. QVOD POTISIMVM GENVS HOminum per hæreticos ſeducatur.

SOlet ſubinde mirum uideri, quomodo fiat quòd nulla unquam hæreſis in Eccleſijs oboritur, quæ non quàm plurimos ſectatores inueniat, etiamſi ſit uehementer inanis, impia & abſurda, id quod innumeris quoq; priſcarum hęreſum exemplis patet. Si accideret hoc inter eos qui alieni non à luce tantùm, ſed & à nomine Chriſti in tenebris plus quàm Cimerijs uiuunt, nulla eſſet admirationis huius ratio. Iam cum accidat inter Chriſtianos de uera religione gloriantes, haud fuerit prętер rationem, ſi quæramus, quales nam ſint Chriſtiani illi, in quibus hæreſes malæ tam facilè locum inueniunt, ſic ut per eas à diuina ac ſaluberrima hæreſi abduci ſe ſinant.

Cum Apoſtolus 1. Corinth. 11. dicit: Oportet enim & hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant inter uos, ſatis indicat in genere, quod nã Chriſtianorũ genus procliue ſit ad recipiendas hęreſes: eorum uidelicet, qui non ſunt ex probatis. Probati nanq;, ubi naſcuntur hęreſes, in ueritate Dei permanent: atq; ita manifeſtũ de ſe prębent argumentum, quòd ſint probati. Conſequitur ergo reliquam turbam eorum eſſe, qui quoniam probati nõ ſunt, facili momento ad quaſuis hæreſes deficiunt. Sed uideamus quę nam ſint in illis peculiaria uitia, uel defectus, unde fiat, ut facilè labantur in hæreſes.

Qui non ſunt ex probatis, facilè incidũt in hæreſes.

Principiò, ineſt pleriſq; illorum ignorantia, qualis eſt paruulorum, quam rectè ſeductionum dixeris eſſe matrem. Eſt enim nõ ſolùm recto iudicio deſtituta, ſed & nequiciæ hominũ aſtutorum obnoxia. Quare prætер rationem nõ eſt, quod Apoſtolus primę Corinth. 14. curandũ eſſe monet, ne ſenſibus, ſed malicia potius paruuli ſimus. Hinc eſt, quòd homines aſtuti, & quęſtum & dominium exercentes in Eccleſia, omnibus quibus poſſunt modis cauent, ne caligo ignorantiæ auferatur à mentibus ſeductæ multitudinis.

Ignorantia mater ſeductionum.

Deinde, ignorantiã hanc comitatur fluctuatio mentis, per quam fit, ut qui paruuli ſunt ſenſibus, quouis doctrinæ uento circumferantur. Fluctuationem hanc perſtringens Apoſtolus Epheſ. 4. dicit: Et ipſe dedit quoſdã Apoſtolos, quoſdam Prophetas, quoſdã Euangeliſtas, quoſdam paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ędificationẽ corporis Chriſti, donec occurramus oẽs in unitatẽ fidei & agnitionis filij Dei, in uirũ

Fluctuatio mentis.

Epheſ. 4.

(quiſq;)

(quisq;) perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut iam nõ simus paruuli fluctuantes, ac circumferamur omni uento doctrinæ, in nequicia hominum, in astutia, ad circũuentionem erroris. Ignorantia igitur hæc, & fluctuatio mentis ostium aperit omnis generis erroribus & hęresibus, dum multitudinem imperitam nequitię hæreticorum & astutorum hominum reddit obnoxiam.

Curiositas.

Tertiò, ubi curiositatis uitium obtinet, ibi quæuis hæretica seductio locum inuenit. Mox atq; noui aliquid & insoliti profertur, qui curiosi sunt, quid'nã & quale sit scire cupientes, cupidè audiunt & legunt, atq; ita perinde atq; similis accidere fertur, capiuntur. Quartò, accidit hoc illis quoq;, qui ueluti quædam sunt desideriorum suorum mancipia. Illi ubi doctrinam audiunt, desiderijs suis indulgentiorem quàm sit ea, quam antea ueram ac sanam audierunt, statim aduertunt ad illam & animum & aures, illiq́ue sese totos addicunt. Futurum hoc prædixit Apostolus secundæ Timoth. quarto, dicens: Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros pro aurium suarũ pruritu, & à ueritate quidem auditum auertent, ad fabulas uerò cõuertentur. Doctrina ueritatis, quã hic sanam doctrinam uocat, id est carni nostrę corruptæ, & ex desiderijs languenti, quod medicina est ægroto. Quemadmodum ægroto molestus est fidelis medicus, ea prohibens quæ ille impense appetit, & præcipiẽs, quæ desiderijs illius aduersantur: acceptus uerò impostor, quires suas agens, desiderijs illius indulget: consimili planè modo futurum prænuidit Apostolus, ut hominibus carnalibus, ac desideriorum suorum seruis molesta fiat doctrina ueritatis, ideoq; illi aures ab ea ad falsos doctores auertant, & fabulas illorum carni minus molestas, imò plerunque iucundas etiam, cupidè amplectantur. Vbi ergo huiusmodi carnalium Christianorum multitudo obtinet, quid mirum est, si inter illos quæuis hæresis locum inueniat? Hoc consilio satan singulis hæresibus aliquid illectamenti adijcere solet, unde carnales homines ad accipiendum eas pelliciantur. An non hoc in diabolica & execrabili Dauidis Georgij hæresi patet, qui sectatoribus suis nuditatem Adæ & Euæ, & promiscuam uenerem omni mulierum discrimine sublato proponit, & obtemperantibus sibi ueram felicitatem promittit?

Seruitus desideriorum.

Dauid Georgius execrabilis hæreticus.

Instabilitas.

Quintò, & illorum animi capaces sunt hęresum, qui natura sua quauis in re sunt instabiles. Mentionem horum facit apostolus Petrus in posteriore Epistola cap. 2. cum mendaces magistos animas instabiles pellicere dicit. Hoc genus hominum non ueritatẽ modò, sed & quãuis opinionem facili momento abijcit, & aliam atq; aliam amplectitur, ut nulla sit arundo leuior, & ad quemuis uentum mobilior.

Neglectus in religione.

Sextò, tales & illi sunt, qui in uera religione constituti negligenter se gerũt. Horum meminit Augustinus in libro de Agone Christiano, capite uigesimo octauo, sic dicẽs: Sed isti homines decipiunt eos qui negligentes sunt in catholica fide, & ipsam suam fidem, quę in Scripturis manifesta est, nolunt discere: & quod est grauius & multum dolendum, cum in catholica fide negligenter uersentur, hęreticis diligenter aures accommodãt. Hęc ille. Sic habet planè. Qui negligenter in cœtum ecclesiasticum ueniunt, negligenter doctrinam salutis audiũt, negligenter orant, negligenter ad mensam Domini accedunt, Scripturas sacras uel prorsus nõ legunt, uel negligenter legunt, ac nec scientiæ Dei cura tanguntur, omnino sunt imposituris hęreticorum expositi. Quàm autem hęc negligentia in ecclesijs, quas Euangelicas uocãt, inualescere cœperit, quis est qui non uideat?

Nascitur autem huiusmodi negligentia, uel ex præpostera persuasione de gratia Dei ac salute, sufficienteq; diuinarum rerum cognitione, uel ex fastidio rerum sacrarum, quam copia & abundantia illarum gignere solet: cuius rei exemplum in illis ecclesijs uidere licet, in quibus sacra quotidie peraguntur. Hic mirum est quàm fiant omnia perfunctoriè, non à plebe tantum, sed & ab ipsis sacrorum ministris.

Nimia admiratio personarũ.

Septimò, & illorum animi ad recipiendas hæreses patent, qui nimij sunt admiratores personarum, quas cæteris aliquanto uel eruditionis, uel sanctimoniæ gratia præstantiores esse cernunt. Hinc enim fieri solet, ut eos, qui etsi quæ uera sunt, docent, culpabiliter tamen uiuunt, præ istis fastidiant & contemnant, ac tandem deserant, falsaq; hæreticorum sanctimonia, ac uana pietatis imaginatione decepti, hæresim pro ueritate amplectãtur. Sic hodie propter leuitatem ac uanitatem ministrorum uerbi, passim occurrentem, quamplures ad Anabaptistarum hæresim deficiunt. Octauò, accidit sæpenumerò, ut quorum conscientiæ peccatis sunt oneratæ, ubi in subdolas hæreticorum suadelas incidunt, confestim irretiantur. Meminit huius Apostolus secundæ Timothei tertio, dicens: Ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur uarijs desiderijs, semper discentes, & nunquam ad scientiam ueritatis peruenientes. Quemadmodum qui morbidis sunt corporibus, nullo sunt certo medico contenti, sed cuiuis aliquid remedij pollicenti sese concredunt: ita accidit & illis, qui conscientias habent peccatorum ponderepressas. Illi cuiuis hæretico libertatem promittenti sese addicunt. Deinde, sicut illi semper sunt in alicuius medici cura, & tamen ad sanitatem nunquam perducuntur: ita isti

Conscientiæ peccatis oneratæ.

Simile.

ſemper quærunt, ſemper diſcunt, & tamen nunquam ad certam ueritatis ſcientiam perueniunt. Illis ratio eſt, quia nulli medicinę conſtanter ſeſe tradunt, ideoq; etiamſi incidãt in uerã, ne in illa quidem conſtanter conquieſcunt. Iſtis uerò, quia nulli doctrinæ perſeueranter inhę rent, ſed propter cordis inſtabilitatem, & impersuaſibilis animi incredulitatem, uix guſtata una, inhiant alteri, idq; potiſsimùm diuerſæ.

Si quæras igitur, quod nam potiſsimũ genus hominum per hæreticos ſeducatur: ſi quę an notamus, diligenter conſideraueris, in promptu uidebis peſtem hanc inſidioſam eſſe nondũ probatis, ignorãtibus, fluctuantibus, curioſis, deſideriorum ſuorum ſeruis, inſtabilibus, negligentibus, faſtidioſis, perſonarum admiratoribus, & peccatorum pondere oneratis: ut mirum non ſit, quòd nulla hæreſis emerſit unquam, quæ non quamplurimos in eccleſijs ſectatores inuenerit. Quis enim dubitare poterit, talium hominum multitudine ſemper eſſe refertas eccleſias?

V. QVOMODO CVLPABILES *ſint hæreſes.*

GEneraliter culpabiles ſunt omnes hæreſes, ob id, quòd ex mendacijs cõſutæ ſunt ac falſæ, ea duntaxat excepta, quæ uerorum eſt Chriſtianorũ, in qua nihil prorſus eſt culpabile. Tota nanq; bona eſt, quantumuis à filijs huius ſeculi damnetur, à quibus probari non poteſt, propterea quòd illi ſpiritum ueritatis, unde ipſa conſtat, accipere nequeũt. Extra hanc unam culpabiles ſunt omnes reliquæ hæreſes. Eſt autem culpæ illarum triplex conſideratio. Prima in materia illarum, ſecunda in authore, tertia in ipſis hæreticis.

Culpa hæreſeon triplex.

Prima, in materia eſt.

In materia culpa eſt mendacij & erroris. Sunt enim dogmata illarum uel falſa in ſe, uel ijs quæ falſa ſunt, ſeruientia. Falſa potiſsimũ in ijs ſunt capitibus, in quibus cuiuſq; hæreſeos, ueluti ſubſtantia cõprehenditur, propter quam à uera ac ſana doctrina diſcrepat. In ſecundarijs nonnunquam aliquid ueri immiſcetur, unde quod falſum eſt, uero ſimile reddatur.

Eſt autem generalis hęc hæreſum culpa in alijs magna, in alijs maior, in alijs maxima. Magna eſt, etiã ubi in rebus ſecundarijs pertinaciter erratur, & ueritati contradicitur. Maior eſt, ubi contra aliquem fidei noſtrę articulum contenditur. Maxima, quando ipſa fundamenta ſalutis noſtræ, uel in ſacra Triade, uel in unitate, diuinę maieſtatis concutiuntur, uel in Chriſto alterutra, uel utraq; natura negatur, uel Chriſtus ipſe loco mouetur: id quod impijſsimus hæreſiarcha Maomet, & poſt hunc Dauid Georgius fecit. Quo autẽ maior eſt culpa, hoc grauiorem conuenit eſſe hæreſis abominationem.

Secunda culpa in authore.

Si authorem hæreſum conſideres, propter hũc quoq; culpabiles ſunt, imò abominabiles. Eſſe autem ſatanam illarum authorem, dictum eſt ſuprà. Huius nanq; inſtinctu excitãtur, ut ueritas Dei quaſi nubilo quodam obducatur & obſcuretur. Hinc eſt, quòd combuſtores hæreticorum mitram papyraceam comburendis imponunt, in qua depictæ ſint imagines diaboli, ut admoneant quoſuis hęreſim illorum eſſe ex inſtinctu diaboli: qua in re tamen errant, ubi pro malis hæreticis condemnant ac comburunt ueros Chriſtianos: id quod olim eſt in cõcilio Conſtantienſi in Ioanne Huſs factum. In ipſis hæreticis multa ad hęreſim facientia concurrunt, quę haud parum ſunt culpabilia. Hęreſis nanq; nec excogitatur, neq; ab alijs excogitata recipitur ſine grauibus uitijs. Excogitatur enim ex impulſu uel ſuperbię, uel inuidię, aut ex morbido nouandarum rerum ſtudio, aut ex libidine diſſentiendi & contendendi, quæ uitia quis non uidet quàm ſint damnabilia? Recipitur uerò animo non modò ignorante ac fluctuante, ſed & negligente, inſtabili, deſiderijs obnoxio, faſtidioſo & curioſo: cuius uitia etſi prioribus collata aliquando ſunt leuiora, in hac tamen cauſa leuia ducenda nõ ſunt. Poſſunt in perſonis hæreticorũ dictis iam uitijs alia multa concurrere, quæ ſingulari magis experientia, quàm noſtris annotationibus cognoſcenda ueniunt.

Tertia in hæreticis.

VI. QVA'M SINT HAERE- *ſes noxiæ.*

HOmini Chriſtiano ſufficere poterit ad auerſandũ hæreſes, ſi intellexerit, quàm ſint culpabiles. Verùm ex abundanti aliqua ſaltem ex parte memorabimus etiã quàm ſint noxiæ & perniciosæ, idq; primùm ipſis hæreticis, deinde & alijs. Hæreticis inferunt hæc admodum grauia damna. Principiò, abducunt eos à uia ueritatis, ad deuia pernicioſorũ mendaciorum, quibus totos ſe ac ſic pertinaciter addicunt, ut ad regiam ſanę doctrinę uiam reduci ſe uel nunquam, uel omniũ ægerrimè patiantur. Deinde reddunt illos etiam hoſtes aduerſarios ac blaſphematores ueritatis, quaſi non ſit ſatis pernicioſum deficere à uia ueritatis, niſi hanc etiam blaſphemijs ſuis proſcindant. Sic hęreſes Chriſtianos non modò abalienant à ueritate Dei, ſed & reddunt eos infenſiſsimos illius hoſtes. Quemadmodum inquit Apoſtolus ſecundæ Timothei 3. Iamnes ac Mambres reſtiterunt Moſi, ita & hi reſiſtunt ueritati.

Hæreſes abducunt à uia ueritatis.

Reddunt hoſtes ueritatis.

Tertiò,

Tertiò, excludunt eos è regno Dei, sicuti testatur Apostolus Galatis quinto, ubi postquam inter opera carnis adnumerauit & hæreses, concludit ad hunc modũ: De quibus prædico uobis, sicuti prędixi, quòd qui talia agunt, regnũ Dei non sint cõsequuturi. Quartò, reddunt eos mente corruptos: unde & Apostolus uocat eos homines mẽte corruptos ac reprobos circa fidẽ, 2. Timoth. 3. Quæ aũt sanitas potest esse in corpore, in quo sanguis est corruptus? Sic quid poterit esse synceri ac recti iudicij in homine, in quo mens est corrupta? *Excludunt è regno Dei.* *Reddunt mente corruptos.*

Quintò, coniungunt eos cum diabolo, & reddunt cõsortes reproborum & impiorum omnium, ac tandem sempiternæ cõfusioni constituent obnoxios, ubi insipientia illorum manifesta fiet omnibus: id quod Apostolus 2. Timothei tertio, futurum esse prædixit. Hæc obiter non de omnibus, sed quibusdã tantùm malis, quæ per hæreses accidunt ipsis hæreticis. Et utinam nocerent sibijpsis tantum. Verùm, quantum in ipsis est, plurimum nocumenti inferũt & alijs. Turbant ecclesias uehementer, dum excitant in illis rixas, altercationes, contentiones, & nocentissimas animorum exacerbationes, quibus pax & tranquillitas ecclesiastica turbatur. Deinde, seducunt incautos. Mali homines, inquit, & seductores proficiunt in peius, errãtes, & in errorem seducentes. Quid aũt nocentius contingere potest homini, quàm si incidat in seductorem, à quo de uia salutis in barathrum perditionis abducatur? Tertiò, labefactant sacrarum Scripturarum authoritatem & utilitatem, dum illarum aliquando sensum, aliquando literam quoq; peruertunt, imò nonnunquam pleraq; ex illis prorsus reijciunt. Quid hoc aliud est, quàm fontem uitæ uel corrumpere, uel obturare? Quartò, religionem Christianam apud exteros infamãt, dum illam nouationibus ac disidijs suis de incertitudine ac uanitate suspectam reddunt. Apud illos nanq; etiam hęretici pro Christianis habentur, quemadmodũ illis accidit, qui inter Turcicas nationes uiuũt: ideo quicquid dissidentium dogmatum & opinionum excogitatur, non ipsorum uanitati, sed Christianæ religioni adscribitur. Ecce tibi Christianorum fidem, inquiũt, in qua tot sunt sensus, quot capita, ut nihil aliud esse uideatur quàm omnis generis errorum sentina. Hæc nocumenta Christi ecclesijs per hæreses inferuntur, quare maximopere sunt cauendę. Plura adhuc diligens Lector ex scriptis Patrum colligere poterit. Verùm nobis hæc in præsenti occurrerunt. *Coniungũt cũ diabolo.* *Turbant ecclesias.* *Seducunt incautos.* *Labefactant Scripturas.* *Religionẽ nostrã infamant*

VII. QVID AGENDVM SIT *cum hæreticis.*

SI hæretici prorsus essent ab ecclesia & religione Christi alieni & extranei, nihil fidelibus propter hæreses cum illis esset negocij. Posteaquam uerò Christianæ fidei accensentur & ipsi, aguntq; in gremio ecclesiæ, fieri non potest ut nihil cum illis sit agendum. Videndum igitur quid cum ipsis, & à quibus fieri conueniat. Principiò, connitendum est ut corrigantur, & ad sanam mentem reducantur. Locum hic habet illud Iacobi cap. ultimo: Fratres mei, si quis ex uobis errauerit à ueritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quòd qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ suę, saluabit animam eius à morte. Iam uerò inuenias, qui in eo potius sint, ut subuertant hæreticos, quàm ut conuertant. Dominus, inquit Augustinus, per seruos suos regna subuertit erroris: ipsos uerò homines, in quantũ homines sunt, emendandos esse potius, quàm perdendos iubet. Nec est ut de conuersione fratris in hæresim prolapsi desperemus. Nisi enim qui eiusmodi est, per gratiã Domini posset conuerti, prorsus inanis esset Iacobi admonitio. Sciebat hoc Augustinus, ideoq; totum se ad conuertendos hæreticos dabat, idq; iuxta monita Apostoli cum magna lenitate ac mansuetudine spiritus. Neque fecit hoc absque fructu pij laboris. Sic enim in Epistola 48. ad Vincentium scribit: Nã de multorum iam correctione gaudemus, qui tam ueraciter unitatem catholicam tenent atque defendunt, & à pristino errore se liberatos esse lætantur, ut eos cum magna gratulatione miremur. Refert autem plurimùm, quali correctione, & à quibus, & quomodo corrigantur hæretici. Papistæ existimant corrigi hæreticum, si hæresi sua relicta, fiat & ipse Papista. Eiusmodi correctionem non quærimus. Sunt duæ ~~correctionis~~ partes. ~~Vna, qua qui erat, ab errore suo abducatur: altera, qua ad ueritatis rectitudinem~~ amplectendam perducatur. Prior sine posteriore non sufficit ad salutem: posterior sine priore locum habere non potest. Si quis Iudæum à Iudaica pertinacia abduxerit, ut iam non sit amplius Iudæus, qualis fuerat antea, priorem quidem correctionis partem consequutus est: uerùm frustrà, nisi ad ueram illum fidem in Christum perduxerit. Quòd si ex Iudæo fecerit eidololatram, & mancipium Antichristi, non correxit miserum, sed prauitatem illius alia prauitate mutauit. Viderint igitur Papistæ, qualem Christianum ex Iudæo faciant. Omnino sic est comparata uera correctio, ut ambas hasce partes requirat. ~~Non corrigitur prauum prauo, sed recto. Non corrigitur error errore, sed ueritate: non illustratur caligo caligine, sed luce.~~ Est itaque corrigere hæreticum, non simpliciter à pristino errore abducere, & aliter quàm fuerat antea, animatum reddere: quod fieri potest, etiam si ab errore suo ad aliud genus erroris *Corrigẽdi sunt hæretici.* *Contra Epistolam fundamenti, cap. 1.* *Quomodo & à quibus corrigendi sint hæretici.* *Duæ sunt correctionis partes.*

erroris abducatur: sed ab eo quod est falsum, ad ueritatis cognitionem perducere.

Ab hæretico non potest corrigi hæreticus.

Ex hac uerę correctionis declaratione abundè patet, à quibus illa perfici posit. Ab hæretico non potest ritè corrigi hæreticus. Manichæus non corriget Arianum. Anabaptistam Papista cõburere potest, corrigere non potest, nisi cõburere sit corrigere. Quare correctionis opus non est, nisi uerorum Christianorum, à quibus hæreticus non solùm de errore suo, sed & de ueritate Dei doceri, atq; ita salubriter corrigi potest.

Ad Christianos pertinet, corrigere hæreticos.

Ad Christianos pertinet, nõ ad hæreticos, quod Apostolus dicit: Vos estis lux in Domino. Lucis est errata tenebrarum detegere, & quod uerum est, manifestare. Nihil hic præstiterit quamuis speciosa caligo. Quare omnino à ueris Christianis alienum est, errantes subuertere ac perdere: proprium uerò & conueniens, illuminare ac seruare.

Forsan nemo in dubium uocabit, quòd ũeris Christianis opus corrigendi hæreticos competere dicimus. Neq; enim quisquam hæreticorum est, qui se non glorietur è numero esse uerorum Christianorum. Videamus igitur, quomodo non modò corrigendi sint, sed corrigantur etiam à ueris Christianis hæretici: quem modum imitari non possunt, qui nominetenus magis quàm reipsa sunt Christiani.

Hæreticũ corrigit Christianus ad ueritatis regulam.

Primò, corrigit Christianus hæreticũ ad certam & infallibilem ueritatis regulam, iuxta illud Senecę, Nisi ad regulam praua non corriges. Regulam autem hanc sumit, neq; ex inolita consuetudine, neq; ex placitis Pontificum, sed ex uerbi Dei scripturis, quas Apostolus utiles esse dicit ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem & ad institutionem, 2. Timoth. 3. Ad has igitur omnium consultissimè prouocarunt Patres, quoties agendum erat cum hæreticis. Ad has prouocamus & nos. In Scripturis est purę ac certæ ueritatis regula, ad quã omne genus prauitatis corrigi potest. Scripta Patrũ non possunt esse loco regulæ, quia in multis sic sunt obliqua ac torta, ut correctionem & ipsa desiderẽt. Aliàs perinde habenda essent pro canonicis, atq; ea quę ob id Canonica uocantur, quòd esse debeant instar regulę, ad quam in ecclesia Dei cuncta corrigantur.

Ex spiritu Christi corrigit hæreticum Christianus.

Deinde, correctionẽ hæretici molitur Christianus nullo alio, quàm Christi spiritu, qui spiritus dilectionis est, mansuetudinis, humilitatis ac beneficentiæ. Multum refert quo animo hæreticum hominem corrigere coneris. Qui non illius salutem, sed propriam gloriam, uel ultionem quærunt, alieni sunt à Christi spiritu, nec opus correctionis salubriter perficere poterunt. Disputabunt & contendent acerbè ac uerbosè: uerùm animum errantis, ut ueritatẽ amplectatur, haudquaquam inducent. Notum est illud: Generosus est hominis animus, magis ducitur quàm trahitur. Mouendum cum primis illius cor est, id quod beneuolentiæ officijs ac spiritu mansuetudinis citius & utilius, quàm uiolẽtia, uel uerbosa disputatione perficitur. Corde placato ac mollito facili labore permouebuntur aures, ut audiant, & facultas iudicandi, ut in ea quæ dicuntur, intendat & intelligat, intellectisque non aduersetur, sed consentiat. Quare sæpenumerò laterem lauant, qui diuersa uia ingredientes, neglecto corde, mentis expugnationẽ disputando moliuntur. Corda errantium efficacius humilitatis, mansuetudinis ac beneuolentiæ spiritu, quàm dialecticis syllogismis flectuntur. Intellexit hoc Augustinus, ideoq; scripsit ad hunc modum: Nostrũ fuit eligere & optare meliora, ut ad uestrã correctionem aditum haberemus, non in contentione & æmulatione, & persequutionibus, sed mãsuetè consolando, beneuolè hortando, leniter disputando. sicut scriptum est: Seruum aũt Domini non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes, docibilem, patiẽtem, in modestia corripientem diuersa sentientes. Hæc ille.

Animus hominis generosus est, facilius ducitur quàm trahitur.

Augustinus loco ubi suprà.

2. Timoth. 2.

Quæ bona sunt in hæretico, laudat Christianus.

Tertiò, hac utitur æquitate Christianus, ut quæ in hæretici cùm doctrina, tũ uita deprehẽderit esse bona & inculpabilia, non modò non reprehendat, sed & approbet ac laudet. Quare, teste Augustino, sancti Patres saluberrimam hãc consuetudinem tenuerunt, ut quicquid diuinum atq; legitimũ in aliqua hæresi uel schismate integrũ reperirent, approbarẽt potius quàm negarent: quicquid autem alienum & erroris illius, uel dissensionis propriũ, ueraciter arguerent & sanarẽt. Sic inquã, cũ hæretico agit uerus Christianus, Christi spiritu imbutus. Alij uerò, qui magis odio perciti, quàm charitatis affectu moti, confusionem ac perditionem hæreticorum quærunt, non solùm errores illorũ, sed & ea quæ bona sunt, impugnant, uel saltem altissimè dissimulant: quæ improbitas tam abest ut ad correctionem errãtis faciat, ut hanc magis impediat. Mox enim ille atq; intellexerit non salutem, sed confusionem suam quæri, & odiosè omnia, etiam quæ indubitatò bona sunt, damnari, usqueadeò errata sua corrigi nõ sustinet, ut magis ea pro ueris, idq; ardentius quàm antea, complecti incipiat.

An cogẽdi sint hæretici.

Argumẽta eorum, qui negãt cogendum esse hæreticum.

Sed hactenus de correctione hæreticorum, qualis illa esse, & à quibus, & quomodo perfici debeat, obiter dictũ esto. Videamus iam secundo loco, quid tum sit agendum cum hæreticis, & à quibus, & quomodo, quando per doctrinam uerbi Dei, & Christianam mansuetudinem corrigi non sustinent. Hic quæstio est, liceat ne illos cogere, ut relicta hæresi, Christianã ueritatem amplectantur. Alij negant, alij asserunt. Qui negant, rationes adducunt & Scripturas, quibus sententiam suam confirmari posse putant.

1 Principiò adferunt pro se liberũ hominis arbitrium, quòd ab ipso sit Deo datũ, indeq; colligunt,

ligunt, non conuenire, ut inuitus cogatur quisquam ad bonum. Poterat Deus, inquiunt, primos nostros parentes cogere, ut uel inuiti in obedientia & custodia traditi præcepti permanerent: uerùm permisit eos libertati propriæ uoluntatis, ut utrum uellent, seruare uel trâsgredi, sponte sua facerent.

2 Deinde: Sic, inquiunt, animatus est Deus, ut nõ probet eos, qui coacti & inuiti quod bonũ est, faciunt: sed requirat, ut uoluntariè quę recta sunt, faciamus. Sic Apostolus dicit, Hilarẽ datorem diligit Deus. Ergo, inquiunt, non est uoluntas Dei, ut ad bonum quisquam cogatur.

3 Præterea adducunt Scripturas. Ioannis 6. inquiunt, cum multi discipulorum discessissent à Domino, dixit ad duodecim: Annón & uos abire uultis? quibus uerbis neminem se cogere significauit, ut se inuitus sequatur. Et Apostolus Tit. tertio, quid faciendum sit cũ hęretico, si monitis acquiescere nolit, ad hunc modum præscribit: Hęreticum hominem post unam & alteram admonitionem παραιτοῦ, id est recusa, fuge. Non dicit, Si nolit acquiescere, coge. Et secunda Timothei tertio, nõ dicit, Et hos coge ad unitatem: sed, Et hos ἀποτρέπου, id est auersare.

4 Adferunt & illud Tertulliani ad Scapulam: Húmani iuris & naturalis potestatis est, unicuiq; quod putauerit colere. Nec alij obest aut prodest alterius religio. Sed nec religionis est, cogere religionem, quæ sponte susci pi debet, non ui. Hæc illi obijciunt pro asserenda sua sententia, de quibus quid ex altera parte sentiendũ respondẽdumq; sit, poterit apud Augustinũ uideri Epistola ultima ad Donatum presbyterum Donatistam.

Meo iudicio discernendum est primò inter status ecclesię, deinde inter duo coactionis genera. Primordia ecclesiæ Christi tandiu destituta fuêre potestate cogendi ad ea quæ sunt bona, quandiu magistratus alieni fuerunt à religione Christi, quibus officium exercendæ in immorigeros potestatis à Deo concreditum est. Illis temporibus cum non essent magistratus Christiani, non erat in ecclesijs potestas, qua cogerentur hæretici ad resipiscentiã. Quare nõ potuit Apostolus dicere: Hęreticum hominem post unam & alteram admonitionẽ, si non acquieuerit, coge: quia neminem poterant, nec debebant etiam ministri uerbi ad obedientiam uerbi cogere: sed satis erat, si immorigeros recusarent ac fugerent. Nec Christianæ plebis est, nec ministrorum, cogere quenquã, ut obediat inuitus: quia potestatem hanc non habent traditam à Deo, imò magistratibus inuitis non habent quomodo quenquã cogãt. Vbi Christiani sub imperio Turcorũ uiuunt, quomodo Christianum in hæresim prolapsum, aut aliàs immorigerum ad hoc cogere poterunt, aut debent etiam, ut contra animi sui sententiam, quod ipsi uolunt, faciat, cum nec in corpus, nec in fortunas illius quicquam potestatis habeant?

Discernendũ esse inter duo coactionis genera, & inter status ecclesiæ.

Itaq; Christi exemplũ pertinet ad ministros uerbi, ut admoneantur, quàm non debeant retinere inuitos. Non uenerat Christus in hunc mundum, ut ad se cogeret inuitos. Potuisset sanè cogere quosuis, uerũ accõmodabat se susceptæ dispensationi & cõditioni doctoris. Hunc imitabitur Christi minister. Agnouit hoc Chrysostomus, sicuti uidere est Homil. 11. super Epistolam Apostoli ad Ephesios, ubi scribit ad hũc modum: Quòd si hi, qui nobis quosdã ad turpissimorum hominum consortium & factionem intercipiunt, præcipuum quendam interceptori uidentur, multus hic tremor, multus undiq; timor, ne resiliat, inquiunt, ne cum illis stet (resiliet enim millies, qui talis fuerit) & cũ illis sit. Non de illis loquor, qui peccatores sunt, sed si quisquã fuerit, qui sine peccati labe sit, & trâsferri abalienariq; uoluerit, trâsferatur. Doleo quidẽ, ac plango, lamentorq;, & in intimis uisceribus meis concutior, nõ secus quã si proprio quodam membro meo priuari contingat. Veruntamen nõ ita doleo, ut cogar metus huius gratia quicquã quod indecorum sit, admittere. Non dominamur fidei uestræ charissimi, neq; imperij, aut dominij iure ista præcipimus. Sermonis doctrina nobis cõmendata est, nõ principatus, nec potestatis authoritas. Ordinem tenemus cõsulentium & adhortantiũ. Qui consulit, sententiam suam dicens, auditorem non cogit, sed illius potestati faciendorũ optionem liberã relinquit: in hoc tantùm culpabilis, si nõ quæ decent & oportet, dixerit. Hæc ille. Confer huc temporum nostrorũ Ecclesiasticos prælatos, & uide, quomodo se ordini huic episcoporum & ministrorum Christi attemperent, dum à se dissentientes ferro & igne persequuntur. Secundum hanc Chrysostomi sentẽtiam, quæ omnino uera est, Ecclesiastici doctores & ministri uerbi nõ est, uel ad se cogere quenquã, uel discedere uolentẽ prohibere. Diuersi sunt in ecclesia ordines episcoporum & magistratuũ. Episcopi nõ est cogere inuitos: magistratuũ uerò est, nemini permittere, ut in ecclesia quiduis proprio arbitratu uel in doctrina, uel ritibus turbet, sed potius inuitos quoq; ad normã sanæ doctrinæ, & unitatẽ ecclesię cogere. Accipe similitudinẽ, unde intelligas, quid cõpetat episcopo. Medici non est cogere quenquam, ut curari se sinat: & tamen frequenter accidit, ut ægrotus ad parendũ medico, haud à medico, sed à parentibus, uel ab amicis cogatur. Sic non est episcopi, ut cogat inuitos: est uerò magistratuum, ut hoc faciant, propter diuinitùs acceptam potestatem. Minister itaq; Christi officij sui rationem seruans, paratus sit ad consulendum omnibus: neminem uerò cogat, discedentes discedere, uenientes uenire, manentes manere sinat, & coactionis interea potestatem magistratibus permittat, quibus competit quod ipsi non competit.

Conditio ministrorũ uerbi.

Chrisost.

Diuersus est ordo magistratuum ab ordine ministrorũ uerbi.

Ad id quod de libero arbitrio adducunt, facilis est responsio. Data fuit primis parentibus nostris

Argumentũ dẽ libero arbitrio friuolum est.

nostris uoluntatis libertas, cũ nondum essent facti præuaricatores, serui peccati, & corrupti: sed quod bonum erat, si uellẽt facere, possent. Hinc admodum inscitè colligitur, homini corrupto ac deprauato, cuius mala uoluntas est, cor prauum & inscrutabile, permittendam esse arbitrij libertatem, ut quod uult, liberè absq; lege & impedimento faciat. Deinde sic est illis data uoluntatis libertas, ut legi præscriptæ adiecta fuerit comminatio mortis, si hanc transgrederentur. Qualis est, quæso, illa libertas, quæ lege fuit, & comminatione mortis circumscripta? Si sic ante peccatum & naturæ nostræ corruptionẽ actum est cum primis nostris parentibus, quanto magis post peccatum & corruptionem cordium humanorum ad hunc modum agendum nobiscum est, ut legibus & pœnis à malo ad bonum cogamur? Quare friuolũ est, quod isti de libero arbitrio argutantur: Si malæ uoluntati frenum imponi nõ debet, quo ad bonum cogatur, tollatur è medio omnis legum ac magistratuum usus, sinantur subditi liberè quod malè uolunt, facere: sinantur liberi absq; omni uirga disciplinæ, & castigatione parentum in quæuis scelera impunè ferri, nemoq; dominos seruos suos ad obedientiam, & nemo maritus uxorem ad coniugalis fidei & honestatis obseruantiam cogat. qua licentia quid magis illicitum ac nocentius excogitari poterit? Aut putabimus ne permittendam esse libertatem hæreticis, quæ præterea nemini est mortalium permittenda? Ad illud, quod Deum nõ probare dicunt, si quid boni animo fiat coacto & inuoluntario, respondemus duplicem esse coactionis usum. Vnum, quo nihil quæritur aliud, quàm ut opus propositum simpliciter perficiatur, siue id animo fiat uoluntario, siue inuoluntario. Coactionis huius usus suum locum habet in rebus humanis. Alterum, quo quis tandiu ad ea facienda quæ bona sunt, cogitur, donec ea tandem suapte sponte faciat. Si ex inuoluntario uoluntarius nulla potest coactione fieri, frustrà coactus fuit Ionas, ut prædicaret Niniuitis, & Paulus ut à persequutione ecclesiæ cessaret, & Apostolus Christi fieret. Verum est, non probat Deus coactam & inuitâ iusticiam: iuxtà tamen nõ improbat, si qui potestatibus subiecti sunt, à malo arceantur, & ad bonum cogantur. Quis autem dubitat acceptiorem illi esse coactam iusticiam, quæ cũ tempore uoluntaria fiat, quàm liberam iniusticiam, quæ quotidie magis atque magis inualescat, donec tandem inemendabilis reddatur? Vbi magistratus hæreticum hominem ad abnegationem hæreseos suæ cogit, ne posthac & alios seducat, & seipsum perdat, facit quod potestatis officium postulat. Si quod initiò coactus ille facit, postea facit haud grauatim, bene habet, & facit hoc suo bono: si uerò perpetuò manet inuoluntarius, de eo non est magistratus redditurus rationem, etiamsi pertinax hæretici animus, & coacta hæresis abnegatio per se Deo displiceat. Excusatur nanque magistratus debito officij, nec propterea in ius uocatur, quòd hæreticus ad iustam resipiscentiam sese ex animo non accommodat. Animi nanque mutatio, Dei opus est, non magistratus. Verùm de magistratu, si Domino uidebitur, separato loco dicemus.

Vsum coactionis esse duplicem.

An maritus uxorem, pater liberos suos, herus seruos ad confessionem fidei cogere possit.

Poterit hic quęri, sit'ne in potestate mariti, uxorem: in potestate patris, filium uel filiam: in potestate heri, seruum uel ancillam ad abnegationem hæreseos & sanæ fidei confessionem cogere. Meo iudicio, si per doctrinam uerbi & mansuetam correptionem ad sanam mentem eiusmodi conditionis homines mutari non possunt, non erit illicitum marito potestate sua uti in uxorem hæreticam, patri in filium uel filiam, hero in seruum uel ancillam, quousq; singulorum hoc conditioni ac statui competere poterit. Quòd si ne sic quidem aliquid efficitur, superest ut potestati magistratus, tanquam superiori coercendi permittantur. Etiam tamen atque etiam satagent, ne per impatientiam citius ęquo de conuersione illorum desperent, & omissis potestatis suæ officijs durioribus remedijs citrà necessitatem locum præbeant. Notum est illud Catonis: Cumq; mones aliquem, nec se uelit ipse moneri, Si tibi sit charus, noli desistere cœptis. Quòd Apostolus dicit, Hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem fuge, non est trahendum ad seductos quoslibet, præsertim domesticos: sed ad seductores, de quibus ægrè sperari potest, quòd semel atq; iterum frustrà admoniti, corrigi sustineant, etiamsi sæpius corripiantur.

Illud, Hæreticum hominem post unã & alteram admonitionẽ fuge, quomodo sit intelligendum.

QVANDO ET QVOMODO, ET AD *quem finem, per magistratum ad resipiscentiam cogendi sint hæretici.*

Ad correctionem hæreticorum opus est, ut ministri uerbi adigãtur ad puritatem tam doctrinæ, quã uitæ seruandã.

PRiusquã magistratus potestate sua ad cogendũ coercendumq; hæreticos utatur, curandum illi est, ut ministri uerbi, pastores & doctores officio suo ritè ac fideliter fungantur: hoc est, ut purè doceant, inculpatè uiuant, & spiritu mansuetudinis errantiũ saluté, quà poterunt patientia quęrant. Consilij autem huius duę sunt causę. Vna, quod plerunq; fieri solet, ut ministrorum culpa exoriantur, uel aliunde exortæ inualescãt hæreses in Ecclesia. Altera, quòd per culpam ministrorum impeditur Magistratus, ne quod usu potestatis suæ in hac causa molitur, ad iustum posit perducere finem. Vbi doctrina in Ecclesia uel impura est, uel

uel negligẽs, uel incauta, uel ſophiſtica, ac contentioſis argutisq; diſputationibus ad ingenij oſtentationem magis quàm ad ædificationem cõpoſita, quid aliud gignere poteſt quàm omnis generis errores & hæreſes? An non Alexander epiſcopus Alexandriæ Arianæ hæreſi cauſam ex eo dedit, quòd ſecurius agẽs in Eccleſia, temerè & incõſultè de S. Triade diſputauit, ſicuti uidere eſt in Socrate Eccleſiaſticarũ hiſtoriarum libro primo, cap. quinto? Vnde & Cõſtantinus Imp. in Epiſtola ad Alexandrum & Arium ſcripta, inter alia ſic dicit: Cognoui hinc facta eſſe præſentis quæſtionis primordia, quando tu Alexander à presbyteris quęſiſti, quidnam quiſq; illorum de loco quodam in lege ſcripto, imò magis uana quæſtionis cuiuſdã particula ſentiret, & tu Arie incircumſpectè hoc in medium attuliſti, quod uel initiò nõ cogitandum, uel cogitatione conceptum ſilentio conuenienter tradendum erat. Vnde factum eſt, ut diſſidio inter uos excitato, & irritata ſit Synodus, & ſanctiſsimus populus in utriuſque ueſtrùm partes ſciſſus ab harmonia communis corporis ſeceſſerit. Hæc ille.

Quomodo culpa miniſtrorũ uerbi naſcantur hæreſes.

~~Deinde, non debet ſtatim moueri~~ Magiſtratus clamorib. eorum miniſtrorũ, qui ad quoſuis errantes opprimendos magis quàm corrigendos improbè ſollicitant poteſtatem Magiſtratus: quorum nonnulli, mihi admodum noti, pro ſuggeſtu uociferabãtur, Anabaptiſtas cędendos eſſe gladio, man ſolt ſie uber die klingen thun ſpringen, cum interea in uinculis detinerẽtur, quos toto quadriennio in ſqualore carceris conſtitutos faſtidioſiſsimè negligebãt: cum quib. poſtea moderatiores miniſtri mãſuetudine ſpiritus & Chriſtianis colloquijs per gratiam Domini ſic egerunt, ut ad reuocationem erroris perducerentur. è quibus unus, cum eſſet artium Magiſter, & in S. ſcripturis Ebræa quoq; lingua haud infeliciter tritus, in Eccleſiæ diaconum electus eſt: cui etiã muneri annos haud paucos præfuit, & ad conuertendos Anabaptiſtas diligentem operam nauauit. Huiuſmodi exempla admonent Magiſtratum, ut talium miniſtrorum uociferationibus haud facilè locum præbeat, ſed curet potius, ut miniſtri quod ipſorum eſt officij, cum timore Domini fideliter obeant. Vbi diligentia ſua nihil effi cit miniſter, uel ſi periculum ſit ne oues morbidæ reliquũ gregẽ inficiant, aut ſi hæreſim ſuã docendo propagare incipiant, ibi tempeſtiuum eſt, ut poteſtate ſua utatur Magiſtratus, qua pertinaces & inquietos in ordinem cogat.

Non debent audiri qui magis in eo ſunt ut opprimantur, quã ut corrigãtur hæretici.

Sed naſcitur hic quæſtio, quid faciendum ſit, ſi quiſquã hæreſim ſuã ſeruet in corde, ſic ut ad nullius illa cõſcientiam perueniat, niſi forſan ſolius miniſtri, an talis ſit deferendus ad Magiſtratum, ubi monitis miniſtri nõ acquieuerit. Meo iudicio, non conuenit miniſtro Chriſti, ut latentẽ protrahat in publicum. ~~Nam facilius corrigitur error occultus quàm publicatus.~~ Nemo enim facilè palàm erraſſe uideri ſuſtinet. Publicum pudorem ac probrum fugiũt communiter omnes: protrahitur autem in publicum, quiſquis Magiſtratui puniendus offertur. Quare magna hic opus patientia ac prudentia eſt miniſtro, ne eiuſmodi errantem, erroris illius publicatione cõtra ſe exacerbet, & pertinaciorem reddat. Hoc enim faciens, omnem ſibi laborum ſuorum efficaciam amputat in poſterum. Verùm quando res ipſa poſcere uidetur, ut Magiſtratui pertinacior hæreticus ad hoc offeratur, ut ad reſipiſcendum aliter quàm adhortationib. cogatur, cõſultius hoc per alios quàm per ipſum uerbi miniſtrũ fieri poterit.

Quid faciẽdũ ſit cum eo, qui hæreſim ſuam ſeruat in corde

Facilius corrigitur error occultus quã publicatus.

Quibus autẽ modis cogendi ſint à Magiſtratu hæretici, haud certo præſcripto determinari poteſt. Nam ut ſunt alij aliter animati, ita & alijs alij modis cogendi ueniunt. Reperias, qui nullo mortis genere ad abnegationem hæreſis ſuæ permoueantur. Contrà ſunt, qui non cedunt niſi durius tractentur. Quare prudentis Magiſtratus eſt, ſic attemperare ſuã in hac cauſa poteſtatem, quo quos cogere ad bonum conſtituit, efficacius ac ſalubrius cogat.

Nõ poteſt certus aliquis coactionis modus ſtatui.

Cum primis autem Chriſtianum magiſtratum hæc moderatio decet, ut à ſæuitia & crudelitate abſtineat. Omnino citra diſsimulationem inter eos eſſe me fateor, quibus admodum diſplicet, quòd ubi interficiendi ſunt errores, interficiũtur homines. Nullis bonis, inquit Auguſtinus, in catholica hoc placet, ſi uſq; ad mortem in quenquam, licet hęreticum, ſæuiatur. Et lib. 1. contra literas Petiliani, cap. 29. ~~Diligite, inquit, homines, interficite errores, fine ſæuitia~~ pro ueritate certate. Et contra epiſtolam Fundamẽti: Illi, inquit, in uos ſęuiant, qui neſciunt cum quo labore uerum inueniatur, & quàm difficile caueantur errores. Illi in uos ſæuiant, qui neſciunt quàm rarum & arduum ſit carnalia phantaſmata piæ mentis ſerenitate ſuperare. Illi in uos ſæuiant, qui neſciunt cum quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis, ut poſsit intueri ſolem ſuum, nõ iſtum quem colitis cœleſti corpore oculis carneis, & hominum & pecorum fulgentem atq; radiantem: ſed illum de quo ſcriptum eſt per Prophetam, Ortus eſt mihi iuſticiæ ſol: & de quo dictum eſt in Euangelio, Erat lumen uerum, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Illi in uos ſæuiant, qui neſciunt quibus ſuſpirijs & gemitibus fiat, ut ex qualicunque parte poſsit intelligi Deus. Poſtremò, in uos illi ſæuiant, qui nullo tali errore decepti ſunt, quali uos deceptos uident, & cætera. Ergo ſæuire in hæreticos, etiam admodum deteſtabiles, quales erant Manichæi, quibus Auguſtinus iſta ſcribit, non eſt cordatorum hominum, qui ſciũt quanto cum labore uerum inueniatur, & quàm errores difficulter caueantur, quibusque ſuſpirijs & gemitibus fiat, ut ex qualicunque parte poſsit intelligi Deus.

Errores interficiendi ſunt, homines uerò diligendi.

Cõtra Creſconium Gram. li. 3. cap. 50.

Primi Imperatores Christiani in sanguinẽ hæreticorum non sæuierũt.

Primi Imperatores, ex ijs qui Christi sunt fidem amplexi, magna quidẽ cura ac diligentia in eo fuerunt, ut hęreticos in ordinẽ cogerent: eò tamẽ usq; progressi nõ sunt, ut in sanguinẽ illorum sæuirent. De illis loquor, qui ueræ fidei patrocinabãtur. Nam qui hæresim Arianam defendebant, in catholicos satis crudeliter sæuierunt: ut reipsa uideamus, spiritum crudelitatis esse non uerorum Christianorum, sed hæreticorũ. Christianus magistratus animaduertit quidem in hæreticos, uerùm sic moderatè, ut sint qui resipiscere possint. Non patitur, ut de fide doceant: nec permittit ut Ecclesias colligant, episcopos & alios ministros ordinent.

Quomodo Christianus magistratus animaduertat in hæreticos obstinatos.

Alios priuat honoribus, alijs adimit ciuitatis communicationem, alios proscribit, alios multa pecuniaria punit: quod Augustini temporibus factum esse legimus. Ipsos impostores ac seductores, ne illi postquam incorrigibiles apparent, ultrà quenquam seducant, carceribus inclusos tãdiu coercet ac detinet, donec in se reuersi resipiscant. Sic coercendi sunt, qui cogi se ad bonum non sustinent.

Hac pœnarum moderatione ad scopum pertingi potest, ad quẽ collimare debet Christianus magistratus. Is est, ut cõuertantur hęretici ab erroribus suis, & conuersi saluentur. Qui errantem in errore suo occidit, aut nõ credit, quòd perniciose & damnabiliter corã Deo erret: aut si hoc credit, parũ est de salute illius sollicitus. De illis hæreticis loquor, qui etsi grauiter errent, haud tamen blasphemi sunt aduersus Deum. Blasphemum lex Dei uiuere non patitur. Canonistæ ac Iurisperiti post multas pœnas ultimam statuunt, quæ sit ignis, & dicunt eam esse de consuetudine. Quando cœperit ea consuetudo, quæri poterit, cum temporibus patrum non fuerit, quamuis illis multum negocij fuerit in reuincendis deterrimis hæresibus. De Antichristo iam olim dici cœpit, quòd non obtemperantes sibi combusturus sit igne. Huic ergo deputari potest consuetudo hæc comburendi hæreticos, quos ipse cum suis hæreseos damnat. Est enim filius perditionis, satanæ in hoc seruiens, ut quos poterit perdat. Cui id quoque debetur, quòd ne reuocantibus quidem parcitur: sed licet eos non comburant, alio tamen mortis genere occidunt. Si consuetudo hæc patrum temporibus fuisset in Ecclesia, quid factum fuisset cum Augustino, tam insigni organo Dei? An non & ipse annos aliquot Manichæorum hæresi infectus, adeóque & hæreticus fuit? Si Magistratus hæreticum hunc igni comburendum tradidisset, quanto quæso detrimento Ecclesiam Christi affecisset? Mea igitur sententia sic habet. Cogantur hæretici ad bonum: postquam admonitionibus acquiescere nolunt, cogantur, coerceantur ac puniantur à Magistratibus: sed citra sæuitiam & crudelitatem, & ad eum finem, ut sint qui resipiscere ualeant, & cum fidelibus seruari, & aliquando prodesse Ecclesijs Christi, quibus in errore nocere cœperant.

Blasphemum lex Dei occidit.

Pœna ignis quando cœperit.

Quid faciendum sit, si multitudo uel ipsi Magistratus sint in hæresi.

Sed dicet quisquam: Quid si nulla coactione poterunt hæretici in ordinem cogi & coerceri, eo quòd multitudo infecta sit hæresi, uel Magistratus ipsi ac potentiores sint hæretici? Respondeo, quod utiliter ad bonum fieri non potest, non debet sic præsumi, ut in peius euadat. Omnia nanque ad ædificationem fieri debent, nihil ad destructionem. Non potest autem salubris esse coactio, nisi cum ille cogitur, qui non habet sociam multitudinem. Cum uerò idem morbus plurimos, aut potentiores, ipsumque Magistratum occupauerit, nihil aliud, inquit Augustinus, bonis restat quàm dolor & gemitus. Hic sanè res ipsa monet, opus esse paucioribus & infirmioribus fidelibus, quàm qui multitudinem & Magistratum errantem corrigere ualeant, ut tolerent hæreticos: & interim sibi ab hæresi illorum caueant, licet externam eorum cõuersationem declinare nequeant. Sanè quod Christus Seruator Matth. decimo tertio, ad seruos zizania euellere uolentes, à patrefamiliàs responderi dicit, Nolite euellere zizania, ne simul eradicetis & triticum: hic potissimum locum habet, ubi tanta est errantium malorum potentia pariter & multitudo, ut sine detrimento tritici, id est fidelium, euelli nequeant: secus uerò, ubi non multi, sed unus & alter corrigendi ueniunt, eũ quib. nemo prętera in errore communicat, ut sine discrimine sic uitari queant, ut ne cibus quidẽ cum ipsis capiatur. Sed, in summa, priusquam ad ulteriora progrediar, placet inserere quæ Augustinus in libro quęstionũ super Matth. capite undecimo scribit: Quia ad seruos loquebatur, inquit, non ait, In tempore messis dicam uobis, Colligite primùm zizania: sed, Dicã, inquit, messoribus. Vnde intelligitur, colligendorum zizaniorum ad comburendum alia esse ministeria, nec quenquam Ecclesiæ filium debere arbitrari ad se hoc officium pertinere. Cum igitur esse quis spiritalis cœperit, cognoscit errores hæreticorum, & omnino dijudicat atq; discernit, quicquid audierit aut legerit abhorrere à regula ueritatis: sed donec in eisdem spiritalibus perficiatur, & quodammodo matureſcat in fructum, quem herba dedit, potest eũ monere, quare sub nomine Christiano tam multæ hæreticorũ extiterint falsitates. Inde etiã est quòd serui dicunt: Non'ne bonum semẽ seminasti in agro tuo, unde ergo habet zizania? Deinde cum cognouerit hanc excogitasse fraudem diabolum, cum contra tanti nominis authoritatem nihil se ualere sentiret, ut fallacias suas eodẽ nomine obtegeret, potest ei subori-ri uoluntas, ut tales homines de rebus humanis auferat, si aliquam habeat facultatem: sed utrum facere debeat, iusticiam Dei consulit, utrum hoc ei pręcipiat uel permittat, & hoc officium

Augustini sententia de comburendis zizanijs.

clum esse hominum uelit. Hinc est quòd serui dicunt, Vis imus & colligimus ea? Quibus ueritas ipsa respondet, non ita hominem constitutum esse in hac uita, ut certus esse possit, qualis quisque futurus sit postea, cuius in præsentia cernit errorem, uel quid etiam error eius conferat ad profectum bonorum: non esse tales auferendos de hac uita, ne cum malos conatur interficere, bonos interficiat, quod fortè futuri sunt: aut bonis obsit, quib. & inuitis fortè utiles sunt: sed tunc opportunè fieri, cum iam in fine non restat uel tempus commutandæ uitæ, uel proficiendi ad ueritatem, ex occasione atque comparatione alieni erroris. Tunc autem hoc non ab hominibus, sed ab angelis fieri. Inde est quòd respondet paterfamiliâs: Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum: sed in tempore messis dicam messoribus, &c. Atque hoc modo eos patientissimos ac tranquillissimos reddidit. Hæc Augustinus. quibus contra occisores hæreticorum parabolam zizaniorum conuenientissimè, meo iudicio, exponit.

QVID DISCRIMINIS SIT INTER HAEreticos seductores & seductos.

Duo sunt improbanda in hæretico seductore.

INhæretico seductore duo sunt improbanda, falsitas uidelicet, & falsitatis propagatio, qua quoslibet seducere studet. Nec potest erroris & ignorantiæ prætextu excusari. Quamuis enim in eo qui per errorẽ seductus est, nonnihil uenię meretur ignorantia, in seductore tamen tantum aggrauatur, quantum exitij infert imperitorum hominum saluti. Iam si seductorem non tam excusat ignorantia quàm accusat seductionis pernicies, quis non uidet, quàm sit damnabilis & execranda eius seductoris impostura, qui non errat ipse: sed sciens ac prudens persuadet imperitis, quod haud ignorat esse falsum, hoc tantùm cõnitens, ut uel nomini, uel quæstui, uel uentri suo seruiat. Eiusmodi seductorum primarium est exemplar in diabolo, antiquo serpente. Ille sic Heuam primam nostram parentem seduxit. nam quod illi suggerebat, sciebat esse falsum. Sic item se transfigurat in angelum lucis, & Apostolos suos in Apostolos Christi, cum utique se non lucis, sed tenebrarum angelum: & Apostolos suos nõ Christi, sed suos Apostolos esse sciat. Verùm singularem hanc maliciam, qua scienter ac prudenter imperitos seducunt, dum illis quæ sciunt esse falsa, pro ueris obtrudunt, altissimè dissimulant impostores. Quare Magistratui non est in illam respiciendum, sed abundè satis causarum est animaduertendi in seductores seuerius quàm in seductos, propterea quòd non modò pereunt, sed & alios secum in barathrum perditionis trahunt, siue hoc scienter siue ignoranter faciant. Hoc genus hominum uel est carceribus coercendum, uel longius proscribendum, quo & multitudini à seductionibus illorum caueatur, & simul fieri queat, ut aliquando resipiscant.

De seductoribus, qui nõ ex errore, sed sciẽter seducunt imperitos.

In seductis damnanda uenit præpostera credulitas, qua impostorum uerbis fidem præbent, quam soli debebant ueritatis doctrinæ seruare illibatam. Nisi enim hoc facerent, haud ita facilè deciperentur. Hæc autem illorum credulitas uel exaggeratur, uel extenuatur qualitate circumstantiarum.

De ijs qui seducuntur uel sciẽter, uel ignoranter.

1 Principiò, multũ refert, scienter ne quisquã uel ignoranter seducatur. Nam id utroq; modo fieri potest: perinde atq; mulieri maritatæ euenire potest, ut uel scienter uel ignorãter seducatur. Scienter, dum sciens ac prudens obtemperat adultero, uerbis illius persuasa: ignorãter, dum maritum esse putat cui obsequitur, id quod noctu aliquando contingere solet. Ad quem modum & à uia regia seduci potest quisquam non solùm ignoranter, dum nescit se à recta uia in falsam & erroneam abduci: sed & scienter, dum scit quidem uiam esse rectam, à qua seducitur, uerùm persuaderi sibi de alia quapiam sinit, quòd sit & compendiosior & planior, atq; hac persuasione deceptus in deuia abducitur. Cõsimili modo accidit & in hac causa. Scienter seducitur, qui religionis uiam, in qua communiter cum alijs fidelibus uixit, uerã quidã esse, & ad regna cœlorum tendere non ignorat: iuxtà tamen persuadetur à sectarijs, esse aliam & compendiosiorem & tutiorem, per quam possit fieri saluus, pluriumq; meritorum particeps, atq; ita deceptus in sectam & hæresim abducitur.

Simile.

Maior est eorum culpa, qui in Ecclesia rectè instituta agentes seduci se sinunt.

2 Deinde maior est eorũ culpa, qui in Ecclesia constituti, in qua uerbũ Dei purè docetur, & lux ueritatis candelabro imposita omnib. qui in domo sunt lucet, seductoribus hæreticis aurem præbent & seducuntur, quàm eorũ qui in Ecclesijs luce uerbi Dei destitutis existentes per impostores seducuntur. Quis nõ uidet, quàm minus mereatur uenię mulier, quæ eũ præsentia mariti sui & maritali officio nullo sit rempore destituta, suadelis tamẽ adulteri auscultat & corrumpitur, quàm ea quæ perfidia uel fastidio mariti deserta seducitur.

Grauius peccant, qui mox initiò recẽtem hæresim amplectuntur.

3 Tertiò, grauius peccant qui initiò hæreseos, dum adhuc rarus quisq; illius sectator est, seducuntur, quàm qui tum demum & ipsi à uera religione discedunt, quando & multitudinẽ & ipsos principes declinandi autores habere possunt. Quemadmodum enim plus laudis debetur Apostolis, primis Christi sectatoribas, quàm reliquis, qui tum demum illi adhærere cœperunt, cum & Magistratus & integros populos in illum credere cernerent: ita econ-

trariò plus culpæ illis eſt, qui mox initiò recens exortam hæreſim amplectuntur, quàm qui ad illam ſerò accedunt.

4 Quartò, minus culpæ habẽt qui hæreticis ob id facilius credunt, quòd illi ueritati Dei & receptæ doctrinæ haud palàm detrahunt, quàm ſi audiant eos illi derogare.

Minus excuſationis habet, qui nudis uerbis decipitur.

5 Quintò, qui ſolis & nudis hæreticorum uerbis, ſine aliquo probabilitatis & miraculorum teſtimonio, mox temerè credunt, plus peccant, quàm illi qui miraculis decepti ſeducũtur. Sic accidit illis qui Dauidici hodie uocantur. Crediderunt illi impijſsimo & impudentiſsimo impoſtori, Chriſto palàm, idq; ſolis uerborum nugamentis detrahenti, ſeq; ipſum ſupra illius ſublimitatem euehenti.

Cauſis quoque aggrauatur ſeductio.

6 Sextò, aggrauatur etiam ſeductio iſta per cauſas, de quib. ſuprà articulo quarto mentionem fecimus. Nam qui per curioſitatem, aut ſanæ doctrinæ faſtidium, uel aliam quampiam conſimilem cauſam ad credendum ſeductoribus hęreticis mouentur, minus habent excuſationis, quàm qui bono quodam zelo moti mendacio credunt, dum ſe ueritati obedire putant. Sic non modò inter ſeductores & ſeductos, ſed & inter ipſos ſeductores, deinde inter ipſos quoq; ſeductos multum diſcriminis inuenire licet: quod ob id admonere uolui, ut occaſionem illis offeram competenti diſcretione cum hæreticis agendi, quibus ex officio incumbit, ut corrigendis illis curam impendant.

QVOMODO RECIPIENDI *ſint hæretici,*

Tria hæreticorum genera.

HAereticorum tria ſunt genera. Primum eorum qui nullam Eccleſiam inſtituunt, nec baptiſmum alium uel acceperunt ipſi, uel alijs dederunt, præter eum qui confertur in uera Chriſti Eccleſia. Secundum eorũ eſt, qui in uera Eccleſia baptizati, ab hæreticis denuò baptizantur. Tertium ad eos pertinet, qui baptiſmo primùm nõ in Eccleſia uera, ſed hæretica ſunt obſignati. Horum duo poſteriora genera nõnulli ex patribus recipere noluerunt, niſi denuò tingerentur. Contra illos ſenſerunt Auguſtinus & alij priorũ ſucceſſores. Et hæc quæſtio Cõcilijs aliquot agitata legitur. Poſteriores ſtatuerunt, ad recipiendum hęreticum ſufficere, ſi manus illi epiſcopales imponantur. Sic ne in patribus quidẽ eadẽ ubiq; fuit ſententia, quantumuis papiſtæ errorũ ſuorum apud illos patrocinia quęrant. Nos cum Auguſtino ſentimus, aliter in Eccleſiam recipiendum eſſe hęreticum, & aliter hominem alienum à Chriſto. Illum nõ ſine baptiſmate, quo tanquã initiationis ſacramento Chriſto obſignetur: illum abſq; baptiſmi iteratione, modò ſit antea in nomen S. Triadis baptizatus: neutrum ſine reſipiſcentia ac pœnitentia cùm errorum, tum uitæ præteritæ.

De retinctiõe hæreticorum.

Auguſt.

Quomodo recipere conueniat hæreticos reſipiſcentes.

In recipiendis tamẽ hæreticis arbitror rationem eſſe habendam Eccleſiæ, & eius cuius ſalus quæritur, ſic ut aliter recipiatur ſeductor & coryphæus, ſi reſipiſcat, aliter deceptus & ſeductus: rurſus aliter occultus adhuc, & aliter manifeſtus hęreticus: adhuc, aliter ſolus, aliter multi. Eſt ubi res ipſa publicam & ſolennem, ut uocant, reuocationem errorum, & ſanæ doctrinæ Chriſti confeſsionẽ expoſcat: eſt ubi nulla ſit illius neceſsitas. id quod miniſter uerbi prudens ac fidelis ſecundum rationem & qualitatem ipſius cauſæ competenter & utiliter moderabitur, curabitq; cum primis, ut qui recipitur, ſentiat ſe recipi amanter tanquam à fratribus, non faſtidioſe uelut ab hoſtibus.

QVID FACIENDVM SIT CVM *libris hæreticorum.*

De combuſtione librorũ hæreticorum.

QVi Vulcani ſunt myſtæ ac miniſtri, ut hæreticos, ita & hęreticorũ libros igni tradendos eſſe pronunciant. Expeditũ ſanè compendiũ ad comburendum conſumendũq; ſimul omnia, nõ modò praua, ſed & quæ bona ſunt & utilia: uerùm non ita ad repurgandum ac diſcernendũ (nihil enim huius curat ignis) quę res laborioſior eſt, quàm ut à tã magnis dominis ac prælatis perfici poſsit. Ad combuſtionem uerò librorum quamuis multorum, unus poterit ſufficere non lector, ſed lictor. Citant illud ex Actis Apoſtolorũ, ubi capite decimonono memoratur, quomodo qui curioſa ſectati fuerant, contulerint libros ſuos, & combuſſerint eos coram omnibus, & computatis precijs illorum inuenerint pecuniam denariorum quinquaginta millium. Dum hoc in mediũ adferunt, exiſtimant ſe quàm fortiſsimè colligere ad hunc modum: Si tempore Apoſtolorũ combuſti ſunt curioſorum libri, quãto magis hęreticorum ſunt comburendi? Libri curioſi illi pleni erant artibus magicis, incantationib. ac diuinationibus, ac ſeruiebãt cultibus dæmonũ, ut non ſit præter cauſam quòd combuſtioni ſunt traditi. Nemo negat hodie quoq; tales eſſe comburẽdos. Verùm alia ratio eſt librorum hæreticorum. In illis multa bona ſunt prauis immixta, quorum nõ eſt negligenda ratio. Imò etiamſi inſita ſint paucis plurima praua bonis, tamen ne paucorum quidem bonorũ cõtemnenda eſt utilitas. Et plerunq; fit, ut ex ueris quæ libris hęreticorũ immixta inue-

Act. 19.

niuntur,

niuntur, ea quę falsa sunt refutari queant, id quod Augustinus studiosè pręstitit. Nequit enim fieri, ut ubiq; memor sit dictorũ qui mendacia pro ueris tradere conatur. unde prouerbio dicitur, Oportet mendacem esse memorem. Haud igitur præter rationẽ est, quòd Augustinus libro tertio de doctrina Christiana, cap. 30. hæreticorum libros legendos esse monet, sed cautè. In nonnullis libris tradunt utilia, nec uersantur in hæresum suarum assertione: ubi sanè utiliter etiam à quolibet legi possunt. In illis etiam, quibus dogmata sua tractant, non sunt omnia falsa, sed multa uera immixta, quæ à doctis hominibus ad confutationem falsorum rectè leguntur.

Deinde libros illos curiosos, de quibus in Actis fit mẽtio, cõbusserunt non Apostoli, aut alij Apostolorum iussu: sed ipsi, in quorũ illi erant potestate. Hi sponte sua contulerunt suos libros, & coram omnibus combusserunt. At hodie longè secus fieri uidemus. Vi eripiunt inuitis libros nõ hæreticos, sed utiles ac pios, ab ipsis immeritò damnatos, & lictori cõburendos tradunt: qua in re sic insaniunt, ut ipsa quoq; sacra Biblia, præcipuè Noui testamenti codices, in ignem abijciant: id quod Augustæ anno 1548. à monachis nonnullis factũ esse scimus, quantumuis illi, quorum erant, reclamarent. Nihil ergo combustoribus illis librorum patrocinatur exemplum, quod impertinenter adducunt.

Interim nolim sic hæreticorum libris patrocinari, ut liberè debeant sine discretione cuiuis esse ad legendum expositi. Hominibus imperitis, quorũ sensus nondum sic sunt ad rectè iudicandum exercitati, ut omnia secundum Apostolicã sententiã probare, & quod bonum est tenere queant, proponenda sunt ex S. scripturis intellectui illorum cõuenientia: cæteris uerò iudicio ualentibus permittendum est, ut liberè probent omnia, & quæ bona sunt utiliter teneant: quæ mala, irrefragabiliter refutent. *Quibus conueniat librorum hæreticorum lectio.*

Haud grauabor huc adferre, quæ Hieronymus hac de re ad Tranquillinum scripsit, ad hunc modũ: Quia meæ paruitatis quæris sententiã, utrum secundũ fratrem Faustinũ penitùs respuendus sit Origenes, an secundum quosdam legendus ex parte: ego Origenem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianũ, Nouatũ, Arnobiũ, Apollinariũ, & nonnullos Ecclesiasticos scriptores Græcos pariter & Latinos, ut bona eorum eligamus, uitemusq; contraria, iuxta Apostolum dicentem: Omnia probate, quæ bona sunt tenete. Cæterùm qui uel in amorem eius nimium, uel in odiũ, stomachi sui prauitate ducuntur, uidentur mihi illi maledicto Prophetico subiacere: Væ his qui dicunt bonum malum, & malum bonum: qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Nec enim propter doctrinã eius praua suscipienda sunt dogmata: nec propter dogmatum prauitatem, si quos cõmentarios in Scripturas sanctas utiles edidit, penitùs respuendi sunt. Quòd si contentiosum amatores eius & obtrectatores funem duxerint, ut nihil medium appetant, nec seruent modum, sed tantùm aut probent aut improbent, libentius piam rusticitatem quàm doctam blasphemiam eligam. Hæc ille. quæ sic sunt ad quæstionem de libris Origenis scripta, ut rectè ad reliquorũ quoque hæreticorum libros referri possint. *Hieron. de lectione librorũ Origenis.*

SIT NE PATIENTER FERENDA *hæreseos insimulatio.*

HIeronymus ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, nolle se dicit in suspicione hęreseos quenquã esse patientem. Et subijcit rationem: Ne apud eos, inquit, qui ignorant innocentiam eius, dissimulatio conscientia iudicetur, si taceat. De hac illius sententia cum pace aliorum, quid mihi uideatur, paucis exponam. *Hieronymi sententia de nõ ferenda hæreseos suspicione.*

1 Principiò: Non est ullum calumniæ genus, quo nostra innocentia petitur, tam enorme, quod non sit à pio & innocentissimo quoq; homine patienter ferendum. Quare quòd dicit, Nolo in suspicione hæreseos quenquã esse patientem, meo iudicio non est satis consultò dictum, si uerba urgeas. Quid enim aliud consequitur, si Christianus ne in suspicione quidem, nedum manifesta calumnia hæreseos patiens esse debet, quàm requiri à nobis ut simus hac in re impatientes, id quod nulla nos sacra Scriptura docet? Verùm, ut apparet, patiente esse posuit pro dissimulare ac tacere: quandoquidem dixit, Ne apud eos qui ignorant innocentiam eius dissimulatio conscientia iudicetur, si taceat. At in se patientem esse illatæ iniuriæ, non est dissimulare ac tacere. Neq; enim impatientia est, si quis ad intentatam hæreseos calumniam non taceat, sed innocentiã suam modestis uerbis asserat. Christus seruator omniũ patientissimus, cum cæderetur dicebat: Si malè loquutus sum, testimoniũ perhibe de malo: si bene, quid me cædis? Hæc uerba non repugnabant illius patientiæ, & tamen innocentiam suam, quantum satis erat, uindicabat. Quare existimo mentem Hieronymi hanc fuisse in istis uerbis: Nolo sic quenquam in suspicione hęreseos esse patientem, ut innocentiã suam dissimulet ac taceat, ne id ex conscientia hæreseos facere iudicetur. *Non esse tacendũ, dũ à Papistis uocamur hæretici.*

2 Deinde cogitandũ & hoc est: Vocor à papistis hæreticus. Quo argumento igitur innocẽtiam meã testabor? An per impatientiã calumniæ? At nolle iniuriam patienter ferre, non est

argumentũ innocentiæ. Etenim qui ipſiſsimi ſunt hæretici, nihil minus patienter ferre poſſunt, quàm ut hæreſeos inſimulentur, ad quam accuſationem cœlum terra miſcét: & interim tamen innocentiam quam non habent, nullis poſſunt quãtumuis clamoſis uociferationibus comprobare. Si adulteram uoces adulterã, haudquaquã tacet, ſed impatientiſsimam ſe notæ huius oſtendit. Ergo ad comprobationem innocentię non requiritur impatientia, ſed moderata ueritatis aſſertio, quæ à patientiſsimo quouis fieri poteſt.

Refert à quibus hæretici uocemur.

3 Tertiò, multum etiam refert, quales ſint à quibus hæretici uocamur, & quorũ nos collatione pro hęreticis habeamur. Hieronymus in Epiſtola ad Marcum presbyterũ Celedenſem ſic ſcribit: Si ab Arianis hæreticus uocor, meritò. Quare meritò ſe ab Arianis hæreticũ uocari dicit, cũ nõ ipſe, ſed illi eſſent hæretici? Quia illorum reſpectu erat hæreticus. Sic enim ab hæreſi illorũ diſcrepabat, ut non poſſet ab illis aliter quàm hæreticus cenſeri. Si fides Arianorum recta fuiſſet, utiq; hæreſis fuiſſet fides Hieronymi. Sic aũt illi cenſebant, ideoq; meritò ſe ab illis hæreticum uocari dicit. Sanè hæreticũ eſſe Arianis, non eſt hæreticum eſſe Chriſtianis. Nemo uerus Chriſtianus non eſt hæreticiſsimis quibuſuis hæreticus. Sed aliud eſt hæreticum eſſe Chriſtianis, & aliud hæreticum haberi ab hæreticis.

Non grauor, ubi à Papiſtis uocor hæreticus.

Dicamus igitur & nos: Si à papiſtis uocamur hæretici, meritò. Nihil enim minus ſumus, nec quicquã minus eſſe uolumus, quàm papiſtæ, quotquot Chriſto ſeruatori datam fidem illibatam ſeruare ſtudemus. At illis hæreticus eſt, quiſquis Chriſtianus papiſta non eſt. Nam nulla nos alia ratione pro hæreticis habent, quàm quòd non per omnia cum ipſis ſentimus. Ego ſanè malo illis hæreticus eſſe, quàm catholicus: quibus ipſi Apoſtoli, ſi in uiuis agerent, omnium eſſent hęreticiſsimi, niſi placitis illorum ſubſcriberent in omnibus. Fidem Apoſtolicam, una cum Symbolo Athanaſij, firmiter tenemus, & ſacras utriuſq; teſtamenti ſcripturas omnes pro canonicis & authenticis amplectimur: & tamen papiſtis non ſumus catholici, quia ab illis in quocunq; ipſorum dogmate diſſidemus, cuius ueritas authoritate S. ſcripturarum doceri ac confirmari nõ poteſt. Itaq; non modò patienter fero, ſed & gaudeo, hoc mihi per gratiam Domini contigiſſe, ut in eorum ſim numero, qui papiſtis hodie ob id ſunt hæretici, quòd nolunt amplius eſſe papiſtæ. Et quod de papiſtis dico, de ombus quarumcunq; ſectarum hæreticis pariformiter ſentio. Libenter ero quibuslibet hæreticis hæreticus, modò Chriſtianis nihil ſim aliud quàm Chriſtianus.

Quid faciẽdũ ſit, ubi à fratribus noſtris hæretici uocamur.

Quòd ſi me hæreticum uocauerint illi, quos ipſe pro Chriſtianis & fratribus in Domino chariſsimis amplector: dabo hoc illorum non maliciæ, ſed errori, & zelo non ſatis de ueritate inſtructo. Abſit autem, ut neglecta Chriſtiana modeſtia, uiciſsim eos alicuius hæreſeos inſimulem, aut conuicium pro conuicio rependam. Quin magis oro Dominum, ut animos illorum à tentatione qua laborant, luce ueritatis liberet, & ſimul fidei meæ rationem qua poſſum placiditate expono. Sed hactenus forſan plus ſatis de hæreſi, quid nam illa ſit, quàm ſint hæreſes uariæ, unde ſit hæreſis, quod potiſsimum genus hominum per hæreticos ſeducatur, quomodo culpabiles ſint hæreſes, quàm ſint noxiæ: quid agendum ſit cum hæreticis, quomodo recipiendi ſint hæretici, quid faciendum ſit cum libris hæreticorum, & tandem quomodo ſit ferenda hæreſeos inſimulatio.

DE SCHISMATE.

INTER ea mala quibus potiſsimùm obnoxia eſt Eccleſia Dei, haud poſtrema ſunt hæreſis & ſchiſma: quorum prius ſynceritatem fidei corrumpit, poſterius unitatem Eccleſiæ & uinculum pacis, Chriſtianam uidelicet charitatem, diſcindit ac rumpit. Quare poſtquam de hæreſi, quæ dicenda uidebantur diximus: de ſchiſmate conſequenter dicẽdum eſſe iudicamus, idq; nõ tam propter eos qui culpabiliter ſunt ſchiſmatici, quàm propter ueros Chriſtianos, quibus per iniuriam ſcelus ſchiſmatis impingi ſolet.

QVID SIT SCHISMA.

Quid Auguſtino ſit ſchiſma.

SChiſma Græca uox eſt, quemadmodum & hæreſis, ſignificans ſciſſuram, diuiſionẽ ac rũpturã, à uerbo σχίζω, quod ſonat ſcindo, diuido, rumpo. Auguſtinus libro ſecundo contra Creſconium grãmaticũ, cap. 7. eorum definitionem approbat, qui ſchiſma definiunt recentem eſſe congregationis ex aliqua ſententiarum diuerſitate diſſenſionẽ: hæreſim uerò, ſchiſma inueteratum. Verùm cum perſpicua ſit uocis huius ſignificatio, exiſtimo ſimplicius

Schiſma eſt Eccleſiaſticæ unitatis diſſecatio.

eſſe, ut definiamus, Eccleſiaſticę unitatis ac pacis diſſecationem, qua fideliũ ſocietas in partes ac ſtudia ſcinditur: nec referre, utrũ illa ſit recẽs uel inueterata, & unde proueniat. Schiſma utiq; erat, quo Corinthij in partes diuiſi dicebant: alius, Ego ſum Pauli: alius, Ego ſum Cephæ: alius, Ego ſum Appollo. Quẽadmodũ ſchiſma regni Iſraelitici, quo decẽ tribus ſub

Roboam

Roboam à Iudah & Beniamin ſeparatæ fuerunt, non minus ſchiſma erat, cum eſſet inueteratum ſub ultimis eius populi regibus, quàm cum eſſet recens ſub Roboam exortum: ita & Eccleſiaſtica ſchiſmata non ſunt magis in primordijs ſuis ſchiſmata, quàm in uetuſtate, quantũuis tum catholicæ Eccleſiæ ſpeciem induant, cum ſunt ſeculis aliquot inueterata.

QVID DISCRIMINIS SIT INTER HAEreſim & ſchiſma.

INter ſchiſma & hæreſim ſic diſcernunt, ut hæreſis ſit, quãdo falſum aliquod dogma in cauſa fidei contra communẽ Eccleſiæ ſenſum pertinaciter aſſeritur, etiamſi fiat hoc ſine ſchiſmate: ſchiſma uerò, quãdo uel dogmatis alicuius gratia, uel aliam ob cauſam ſcinditur Eccleſia. Sic fieri poteſt, ut ſit ſchiſma in Eccleſia ſine hæreſi, & rurſus hæreſis ſine ſchiſmate. Cũ Phariſæi Iohan. 9. dicebãt: Non eſt hic homo à Deo, quia Sabbathum nõ cuſtodit: alij contrà, Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? utiq; erat inter eos ſchiſma, ſicut & Euangeliſta meminit: uerùm in eo ſchiſmate non erat hæreſis, quemadmodum nec in eo, de quo cap. 10. legitur. Deinde ubi ſic inualuit hæreſis in aliqua Eccleſia, ut iam ſit catholica, nemine amplius exiſtente qui illi contradicat, an non eſt illic hæreſis ſine ſchiſmate, quę tamen initiò cum naſceretur, ſine ſchiſmate eſſe non potuit? De Papatu conſtat, eſſe illum refertum omnis generis erroribus, ſeductionibus, & prima hæreſi, Simonia uidelicet: & tamen tanta ineſt illi Papiſtarum unitas, ut alienus à ſchiſmate eſſe uideatur, unde & catholicum ſe admodum iactat & gloriatur.

Fieri poteſt, ut ſit hæreſis in eccleſia ſine ſchiſmate, & ſchiſma ſine hæreſi.

QVOTVPLEX SIT SCHISMA.

SChiſma aliud malum eſt, aliud bonum. Malum, quo bona: bonũ, quo mala ſcinditur unitas. Mala erat Iudæorum unitas, antequam doctrinam Chriſti audiſſent. Illa poſt auditũ Chriſtum ſchiſmate oborto ſcindebatur. Iohan. 10. ſic legimus: Schiſma iterum factũ eſt inter Iudæos, propter ſermones hos. Dicebant enim multi ex ipſis: Dæmonium habet, & inſanit. quid eum auditis? Alij dicebant: Hæc uerba non ſunt dæmonium habentis. Nunquid dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire? Schiſma hoc excitauit inter Iudæos doctrina Chriſti. Quis autem piorum dicet, meliorẽ illo fuiſſe præcedentem unitatẽ? Eiuſmodi ſchiſmate totus poſtea diuiſus eſt orbis per Euangelij prędicationem, quam diuiſionem ſibi Chriſtus ipſe deſertè uindicat, dicens: Nõ ueni pacem mittere, ſed gladiũ. ueni enim ſeparare, &c. Ex bono erat hoc ſchiſma, Euãgelio uidelicet ſalutis: & ad bonum tendebat, ſalutem ſcilicet generis humani: & malam unitatem, quæ erat in catholica cæcitate mentium, diſſoluebat, & ad ueram quoſuis uocabat.

Schiſma aliud malũ eſt, aliud bonum.

Malum erat ſchiſma Corinthiorum, quod à Paulo 1. Cor. 1. & 11. reprehẽditur & corrigitur. Nam erat primò è malo pſeudapoſtolorum ſtudio. Deinde bonã Eccleſiæ in fide Chriſti unitatem diſcindebat. Bene erant fideles in Chriſto coniuncti. Malè igitur diuidebantur. Qui ſe parat rectè cohærentes, malum ſchiſma inducit. Rectè cohærent, quos Deus cõiunxit: malè, quos coadunauit diabolus. Malo igitur illi, iſti uerò bono ſchiſmate ſeparantur. Vęrùm hac de re locis aliquot in Commentarijs noſtris ſuper Ioannem, & ſuprà in loco de Eccleſia nõnulla huc facientia attigimus.

Deinde, ſchiſma aliud Chriſtianam integritatem rumpit, quæ in fidei ac charitatis ſynceritate conſiſtit: aliud non rumpit, ſi qua ſit, ſed magis conſeruat: ſi non ſit, inſtituit. Bonũ ſchiſma non rumpit, ſi quam reperit, ſed cuſtodit: non exiſtentem, gignit. Malum uerò, exiſtẽtem diſcindit ac perdit. Nec diuiſiones illæ nocent unitati Chriſtianæ, in quas corpus Eccleſiaſticũ uelut in ſua membra diuiſum eſt. Alij miniſtrorũ ſunt, alij auditorum ordines, & chariſmatum ſunt diuiſiones, & unica Chriſti Eccleſia toto terrarum orbe diſperſa in multas eſt particulares diſtincta: & celebriores Eccleſiæ ſuas habent diſtinctiones. Nec ijdem ſunt ritus omnibus. Huius generis ſchiſmata nõ turbant, ſed adiuuant Eccleſiaſticam unitatem. Tertiò, ſchiſmatum aliud eſt ſententiarum, aliud Eccleſiaſticæ cõmunionis, & aliud nuncupationũ ac diſciplinarum. Sententiarum ſchiſma erat, quo alij de Chriſto dicebant, Bonus eſt: alij cõtrà, Nõ eſt bonus, ſed ſeducit turbas, Iohã. 7. Et cap. 9. alij, Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatũ non cuſtodit: alij, Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? Schiſma ſententiarum erat, quo propter feſtum Paſchatis, & propter panẽ cœnę Dominicæ, diuiſę olim fuerũt Eccleſiæ. Schiſma communionis eſt, quo non ſolùm in ſententijs diuiduntur Eccleſię, ſed & in ipſa Eccleſiaſtica ſacrorum communione, ita ut alię aliarum communionem quaſi damnabilem fugiant. Schiſma nuncupationum & diſciplinarum eſt, quo diuiſæ ſunt monachorum ſectæ, quarum aliæ alijs ſunt magiſtris nuncupatæ, quorum ſibi diſciplinas ſequendas elegerunt. Schiſmata hæretica, quæ fiunt propter dogmata fidei, referenda ſunt ad ſchiſmata ſententiarum: quemadmodum & ea quæ propter Eccleſiarum præſides exoriuntur,

Schiſma aliud Chriſtianã integritatem rumpit, aliud non rumpit.

Schiſma aliud eſt ſentẽtiarũ, aliud Eccleſiaſticæ cõmunionis, aliud diſciplinarum.

quos alij agnoſcunt, alij reijciunt. Poſſunt & aliæ ſchiſmatum ſpecies adnumerari, ſed hæ in præſenti ſufficiant.

AN A PAPISTIS RECTE VOCEMUR ſchiſmatici.

Aliud eſt ſchiſma, et aliud culpa ſchiſmatis.

SVprà in loco de Eccleſia materiam hanc perſtrinximus, ubi de unitate Eccleſię, deq; eo, num Chriſtianus ſine culpa ab Eccleſia diſcedere poſsit, pleraq; diximus. Quare hic paucis illam attingemus. Si me quis roget, rectè ne à papiſtis ſchiſmatis condemner, nequaquam eam notã agnoſcam, quatenus cum culpa coniuncta eſt: agnoſcam uerò haud eſſe præter rationem, quòd me ſchiſmaticum uocant. Nam aliud eſt uocari ſimpliciter ſchiſmaticum, & aliud de ſchiſmate culpari. Schiſmaticus erat Iudæis, imò toti orbi, Chriſtus unicus ſeruator ac princeps pacis. Schiſmatici fuerũt Apoſtoli, ſchiſmatici quotquot cùm Iudæis tum ex gentibus in Chriſtum credentes unitatem religionis, in qua nati & educati fuerãt, ſoluerunt. At eiuſmodi ſchiſmatici non condemnationem, ſed laudem merentur. Sic habet conditio noſtri ſchiſmatis, quo Eccleſiam malè agẽtium ſcidimus, & unitatem errorum ac ſeductionum rupimus. Hactenus ſchiſmaticos nos eſſe & rectè uocari agnoſcimus. Seruent ſibi unitatẽ errorum & catholicæ apoſtaſiæ, & ſinant nos eſſe ſchiſmaticos, defectores ac deſertores ipſorũ Eccleſiæ. Dies Domini iudicabit, ac diſcernet hanc diſsidiorum noſtrorum cauſam.

Quomodo cõparatum ſit noſtrorũ temporum ſchiſma.

Quòd uerò ſchiſma hoc noſtrum quaſi culpabile ſit, damnatur: hoc eſt, quòd non agnoſcimus, nec ipſi agnoſcendum nobis eſſe comprobabunt, niſi prius commonſtrent ſoluiſſe nos unitatem ueræ Eccleſiæ, ſitam in uera doctrina, fide ac religione Chriſti. Primùm ipſa coegit diuinæ ueritatis manifeſtatio, ut diſſentiremus à ſuperſtitioſis, iuſticiarijs, phariſæis, hypocritis, idololatris, in multis adulterinis dogmatis, atque ita ſchiſma ſententiarum excitaremus. Deinde, diſſenſionem hanc ſequutuum eſt ſchiſma communionis Eccleſiaſticæ, quandoquidem prælati Eccleſiarum nihil eorum quæ uel corrigenda, uel prorſus erant è medio tollenda, ne reprehendi quidem uolebant, nedum emendari & abrogari. Tertiò, abſtinentes ab ipſorum communione non tolerabant, ſed hæreſeos damnabant, & atrociſsimè perſequebantur: quod etiamnum faciunt. Seruaſſet unitatem Chriſtianam manifeſtata ueritas, cauiſſetq; ne ullum fieret in Eccleſia Dei ſchiſma, ſi lucem huius magis quàm errorum tenebras amare potuiſſent. Itaq; nõ modò nulla ineſt nobis ſchiſmatis culpa, à qua retinendę ueritatis neceſsitate liberamur: ſed & indubitatò omnis diſsidiorum iſtorum ac ſchiſmatũ cauſa in ipſis præſidibus Eccleſiarum reſidere cõuincitur. Quòd ſi hoc à nobis ſine ueritate dici cauſantur, liberum ipſis eſt ſacrarum Scripturarum teſtimonijs aſſerere cauſæ ſuæ ueritatem, noſtræ uerò mendacium: id quod ſi poſſent, multo facerent honeſtius ac iuſtius, quàm quòd gladio, laqueo & igne ſuperiores euadere conantur.

VNDE SINT SCHISMATA.

Schiſma nõ poteſt fieri, niſi inter cõiunctos.

SChiſma fieri nõ poteſt, ubi nulla eſt coniunctio. Ob id indiuiſibilis eſt Deus, quia nullis ex partibus cõſtat, ſed omniũ eſt natura ſimpliciſsimus. Sic inter nos qui Chriſti ſumus, & Iudæos, aut Turcos, non poteſt oriri ſchiſma, propterea quòd nulla ſumus religionis ſocietate coniuncti. Vbi uerò coniunctio eſt plurium in unum ueluti corpus cõiunctorum, ibi locum inuenit ſchiſma. Sic capax ſchiſmatum eſt Eccleſia, ex multitudine fideliũ in unum corpus compacta. Iam ſi quæras, unde fiant in illa ſchiſmata: prima & generalis cauſa eſt, diuerſitas coniunctorum. Quemadmodum enim corpora noſtra ob id ſunt diſſolutionis ac diuiſionis capacia, quòd conſtant ex partibus admodum natura diuerſis, cõpoſita uidelicet ex carne & ſpiritu, & qualitatibus ſiccis, calidis, frigidis & humidis: ita accidit & Eccleſię. Si qui in eccleſiam ſunt congregati, prorſus eſſent in omnibus unanimes, in fide, ſpe ac dilectione concordes, & omnes electi, non inueniret in illis locũ ullum religionis ſchiſma. Verùm quoniam bonis ſunt in Eccleſiaſtica congregatione immixti mali, externa tantum, quæ nominis eſt & ceremoniarum, ſocietate, nõ interna ueræ pietatis & eiuſdem ſpiritus communicatione aliquatenus cohærentes, fieri non poteſt, quin aliquando per occaſionẽ oriatur inter eos ſchiſma, quo à ſe inuicem diſsiliant. Si omnes mali eſſent, poſſent in malo pertinaciter cohærere, & quod bonum eſt ac uerum, pariformiter auerſari: rurſus, ſi electi ac boni eſſent pariformiter omnes, concorditer poſſent in uera fide ac religione Chriſti perdurare omnes. Iã cum in hac uita nec mali omnes, nec omnes boni, ſed cõiunctim boni & mali ſint in Eccleſia, perinde atq; triticum & zizania in agro: obtineri non poteſt, ut nulla incidat ſchiſmatis occaſio, per quã externa illa ſocietas diſsiliat. Mali ſchiſmatis cauſa eſt ex malis, & propter mala, quibus electi ac boni ſubſcribere nõ poſſunt. Boni uerò initium & cauſa ex bonis eſt, & propter bona, quibus mali conſentire non poſſunt. Mali itaq; ſchiſmatis culpa non eſt tribuenda bonis, ſed malis: boni uerò cauſam libenter agnoſcũt boni. Sic puto manifeſtum eſſe, unde ſint

Prima cauſa ſchiſmatis eſt ex diuerſitate coniunctorum.

in

in Ecclesia schismata. In malo schismate non modò causa, sed & culpa assignanda est malis ac reprobis, non bonis, qui nec authores illius sunt, nec quicquam in eo peccant quòd malis in malo acquiescere non possunt.

Qui mali potissimùm authores sint schismatum.

Qui verò ex malis potissimùm sint authores schismatum in Ecclesijs, res ipsa sic declarat, ut Hieronymus in Oseã cap. 9. disertè dicat: Veteres scrutans historias inuenire non possum scidisse Ecclesiam, & de domo Domini populo seduxisse, prẽter eos qui sacerdotes à Deo positi fuerãt, & prophetę. Et hinc est factum, quòd è medio presbyterorum unus eligi solet, qui reliquis prẽponatur, quo schismatis amputetur occasio: ne uidelicet dum unusquisq; ad se conatur trahere Ecclesiam, illa rumpatur. qua de re meminit idẽ Hiero. in Epistola ad Euagriũ, & in Comment. super Epistolam ad Titum cap. 1. Obijciunt nobis illud Psal. 22. Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem: & imputant tunicæ Christi diuisionem, quam tamen ne milites quidem scindere uoluerint, eo quòd esset inconsutilis, sed tota desuper contexta. Interpretantur enim illam, Ecclesiæ unitatem, quę discindi non debeat. Sed obsecro, iudicent cordati omnes, quinam sint milites isti qui dicunt, Ne scindamus tunicam istam: & quãnam de causa hoc dicant, an propter Christum & Ecclesiã eius, uel propter quæstum, & studium Ecclesiastici magisterij? Consulantur historię Conciliorũ, & uideatur, an non episcopi Hierosolymitanus, Alexãdrinus, Constantinopolitanus & Romanus quasi quatuor milites, dixerint quidem non esse scindendam Ecclesiam: uerùm adiecerint, Sed sortiamur cuius sit, dum quisq; illorũ pro uniuersali totius Ecclesiæ episcopo ac domino haberi uoluit? Quid erat hoc aliud, quàm tunicam Christi, id est unitatẽ Ecclesię, haud quidem scindi uelle: & tamen interea in eo esse unumquenq; illorum, ut eam in suam potestatem redigeret? Hinc inter præcipuas illas Ecclesias tanta fuerunt excitata schismata, dum singuli unitatẽ tunicæ huius scindere, quàm nullam illius partem habere maluerunt. Et hi schismatici exprobrant nobis schismata nostrorum temporum, quasi Ecclesiarum Christi unitas ad nostra usq; tempora fuerit integra, & ipsi ab omni sint schismatum culpa alieni.

De scissura tunicæ Christi.

QVAM GRAVE SIT PECCATVM *schismatis.*

SVnt qui peccatũ schismatis adæquent peccato hęresis: sunt qui illud adhuc præisto exagerent. Sanè non esse leue ducendum, facilè intelligit, qui considerat, quàm sit noxiũ, & cum charitate fraterna, Christianorum tessera, pugnans. Primò schismaticus seipse in discrimen salutis conijcit, dum à communione gregis Dominici discedit. Eo nanq; discessu nõ solum à societate fidelium, Ecclesiastica illa & externa, sed & à communicatione spiritus ac sanguinis Christi, in qua uita ac salus nostra consistit, separatur & abalienatur: perinde atq; si palmes à reliquorum palmitum societate discedens, nõ solum deserit ipsos palmites, quibus antea fuerat coniunctus, sed & ipsam uitem, unde & uita, & alimentum, & fructificandi uirtus est palmitibus: uel si membrum seipsum à reliquis corporis membris segreget, atque ita non modò pristinam illorum societatem, sed & ipsam uitam & subsistentiam, quæ est ex incorporatione, deserat, ac perditioni sese obnoxiũ reddat. Quare seipse seducit schismaticus, dum à communione Ecclesiæ præter rationem discedens, existimat se non Christum desere re, nec à gratia illius discedere, sed ab hominum duntaxat cõsortio separari, cuius modica sit apud Deum ratio. Discessus eiusmodi à corpore fideliũ Christi nõ potest sic fieri, ut Christus retineatur: haud magis quàm capitis communicatio sine societate reliquorum membrorum retineri potest. Teste Apostolo, corporis sui, Ecclesiæ uidelicet, caput est Christus: deinde diuidi non potest. Nequit ergo communicare Christo, qui nõ communicat illius Ecclesię: quia sic non potest diuidi, ut simul sit & corporis sui, & separatorum membrorum caput: nec sperandum est ullo modo, ut deserto corpore, caput uelit esse schismaticorum. Seipsum autẽ eximere à gratia & incorporatione Christi, in quam sumus gratuitò assumpti, prẽterquam quòd exitiosum est hoc facienti, simul etiam grandem habet ipsius Christi contemptum.

Schismaticus seipsum perdit.

Christus diuidi non potest.

Deinde schismaticus integrum Christi corpus, quantum in ipso est scindit, dum unitatẽ & integritatem illius soluit. Quid est autem scindere corpus uiuũ aliud, quàm uel perdere prorsus, uel grauissimis doloribus afficere?

Schismaticus integrum Christi corpus scindit, & Ecclesiã contemnit.

Tertiò, facit hoc superbissimo contemptu non unius aut alterius Christiani, sed totius Ecclesiæ, cuius communionem respuit, illamq; se respuere discedendo profitetur. Quantum autem delicti habeat, contemnere Ecclesiam Dei, Apostolus admonet, cum 1. Corinth. 11. schismaticos Corinthios urget, dicens: An Ecclesiam Dei contemnitis?

Schismaticus condemnat Ecclesiam Dei.

Quartò, non contemnit modò, sed & cõdemnat Ecclesiam Dei, quasi sit non germana, sed adultera: & quam condemnat, impugnat etiam, & iniquis modis proscindit.

Schismaticus uinculum pacis dirumpit.

Quintò, uinculũ pacis dirumpit, charitatem scilicet, qua Ecclesiam suam Christus ipse cõnectit, dum non modò discedit ipse, sed & quos potest, inter se odiosè committit, diuellitq; à cæteris, & omnia diſsidijs & odijs & contentionibus disturbat.

Hæc

Hæc & alia consimilia sunt mala schismatis. Loquor autem nõ de quouis schismate, sed eo quo diuiduntur quos Deus coniunxit. Aliàs, quæ suprà de bono sunt schismate dicta, locum hic habere nõ possunt. Augustinus alicubi in supplicio Chore, Dathã & Abirõ, quo de Num. 10. legitur, grauitatẽ peccati quod à schismaticis admittitur, declarari dicit. Et huius historiã aduersarij obijciunt imperitioribus, quo illos à discessione absterreant. Qua in re perinde faciunt, atq; si lupi speciem pastorũ induti, ouibus persuadere moliantur, discessuras ipsas à ueris pastoribus, & perditioni fore obnoxias, si ab ipsis deficiant. Insurgebant schismatici aduersus ueros ac fideles seruos Dei, & inuadebant sacerdotium, quod ad ipsos non pertinebat. Si consimile quid à nobis fieri contendunt, dum Romanam tyrannidem & seductionem deseri mus, testimoniũ reddant de se, quòd non sint falsi, sed ueri pastores: non Domini Ecclesiarũ, sed serui Christi: non seducentes, sed rectè docentes. Hoc ubi fecerint, redibimus ad ipsorum communionem. Sin minus, abstineant ab exemplo, quod nec ipsis nec nobis competere potest: quia nec ipsi eo sunt in Ecclesia Dei loco, quo tum erãt Moses & Aaron: nec nos tales sumus schismatici, quales erant seditiosi illi, quos Dominus terræ hiatu absorptos exemplum reproborũ ac rebelliũ posuit: sed qualis fuit Tobias, qui cum totus Israel iret ad uitulos aureos, solus omnium fugiebat consortia, pergeus Hierosolymã ad templum Domini. Tobię 1.

De schismaticis, Chore, Dathan et Abirõ.

DE MAGISTRATIBVS.

De generibus magistratuum.

QVAE sint Magistratuũ genera, nõ est ut hic operosius cõmemoremus. Sunt Monarchæ, à quibus libera in omnibus & super omnes siue iure regni, quod 1. Sam. 8. describitur, siue iniusta præsumptione, usurpatur potestas, eo quòd nemini sunt superiori subiecti, à quo possint in ordinem cogi. Horum uox est: Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas. Quid autem discriminis sit inter Reges & Monarchas, iam olim annotatum est ab alijs. Polybius sic distinguit. Neque enim mox quælibet monarchia regnum dici debet, sed ea duntaxat, quæ uoluntario subditorum consensu conceditur, & magis pro animi sententia, quàm timore & uiolentia gubernatur. Ambo Monarchæ sunt & rex & tyrannus, sed non ambo iure regni dominantur. Itaq; Monarchia, si iusta sit, regnum: si iniusta, Tyrannis est. Deinde ex tyrannidis destructione nascitur Aristocratia, qua rerum habenæ secundum electionem optimatibus quibusdam iustissimis ac prudentissimis uiris æqualiter committũtur. Et tandem in Oligarchiam desinit, qua pauci aliquot, etiam iniusti & imprudentes, principatum obtinent. Vbi uerò iniquitas & iniusticia eorum qui præsunt, per multitudinem ira percitam è medio tollitur, mutatur Oligarchia in Democratiam, in qua secundum patrium morem & certas leges à multitudine cuncta decernuntur. Huius mutatio est in Ochlocratiam, qua multitudo sibi quidlibet agendi potestatem propria libidine præsumit. Sic sunt tria Magistratuum paria, in quorũ singulis qui prior est, legitimus: qui posterior, illegitimns rectè censetur. Legitimus est, regius, aristocraticus quoq; & democraticus. Illegitimi sunt, tyrannicus, oligarchicus & ochlocraticus.

Polybius.
Monarcha & rex.
Aristocratia.
Oligarchia.
Democratia.
Ochlocratia.

Magistratus inferiores & subordinati.

Sunt præterea & inferiores ac subordinati magistratus. Verùm de hisce omnibus abundè multa in Scriptis Historicorum, oratorum & philosophorum leguntur. Nostri hic existimamus esse officij, ea de Magistratibus adferre in medium, quæ conscientijs fidelium seruire, & ad ueræ iusticiæ studia commodare queant.

QVID SIT MAGISTRATVS.

Magistratus à magistro dictus.

MAgistratus à magistris deducta uox est, & sonat potestatem, & officium eorũ, qui subditis uel populis aut ciuibus, uel iure hæreditario dominantur, uel per liberam electionem præficiuntur. Vocantur illi magistri non modò in liberis & Imperialibus ciuitatibus, in quibus habẽtur Burgermeister, Ammeister, Stettmeister, Zunftmeister: sed & olim in urbe Roma is qui Dictator erat, suprema mq; potestatem gerebat, magister populi appellabatur: unde & Cæsarem Cicero magistrum uocauit, & Titus Liuius Dictatorem sic cõsulibus additum fuisse dicit, ut esset illorum moderator & magister.

Magister unde dicatur.

Deducunt autem uocem hanc Magister, ab aduerbio magis, quòd magistri magis cæteris possint, tanquam dignitate ac potestate præcellentes. Quid si à Græca uoce μάγιστος, quę sonat maximum & amplissimum, Latini deduxerint magistrum? Nec rarum est & insolens huiusmodi uoces à Græcis mutuatas, literis aliquot uel demptis, uel additis, uel mutatis aliter proferre, quàm habet illarum origo: id quod Germani in hac ipsa dictione facimus, dum Meister uocamus, quem Latini uocant magistrum: & Meisterschafft, quod ipsi appellant magistratũ. Sanè manifestũ est Græcis esse μαγισᾶνις, qui Latinis sunt magistratus: quæ uox etiam in noui Testamẽti literis, Mar. 6. Apoc. 6. & 18. usurpatur. Quicquid tamẽ sit, siue ab aduerbio magis, siue à Græca uoce μάγιστος deducatur magister, omnino magistratus potestatem & officiũ magistrorum,

gistrorum sonat: admonemurq́;, illis qui cæteris præsunt competere, ut sint sapientiæ ac potestatis prærogatiua præstantiores illis quibus sunt præfecti.

Minister unde uocetur.

Ad hunc modum & de ministris iudicari potest, ut sicut Magister à magis, ita minister à minus dicatur, eo quòd qui seruit, minoris est cõditionis, quàm sint ij quibus seruit. Ministrare siquidem nec superiorum est, nec æqualium, sed minorum, quorum est præstò esse uoluntati ac iussis maiorum. Sic enim disposuit diuina prouidentia, ut quoniam nemo Magister quantumuis sapientia, dignitate ac potestate excellat, sibijpsi, nedum alijs regẽdis solus ad omnia sufficere potest, habeat paratos ad manum inferioris ordinis homines, quibus tãquam ministris ad officij sui exequutionem utatur. Neq; enim propterea nõ est homo, quòd cæteris est dignitate ac potestate maior: sed humana infirmitate circundatus & ipse nõ uidet omnia, nõ intelligit omnia, non potest omnia, quæ tamen pro ratione officij uidere, intelligere & posse debet. Quare quod per se ipse præstare nequit, ministrorum sic est opera iuuandus ut possit. Et hi magistrorum & ministrorum ordines haud cassantur uerbis Domini, quibus dixit: Qui maior est in uobis, sit omnium minister. Quomodo nanq; hoc dicat, suoipsius declarat exemplo. Est quidem ipse omnium Magister, quod testatur, dicens: Vos uocatis me Magistrum, & rectè dicitis, sum etenim. &, Vnus est magister uester Christus: & tamen ut humilitatis formã Ecclesiæ suæ proponeret, ea inter discipulos obiuit, quæ non magistri sunt, sed ministri. Et hoc faciens, nec sustulit nec confudit ordines superiorum & inferiorum, sed quàm sit maioribus in Ecclesia uitãda superbia, & amplectẽda animi humilitas, docere uoluit. Ordines isti Magistratuum & ministrorũ in rebus humanis inde ab initio in hunc usq; diem permanent. Paulus uocat Magistratum ministrum, Rom. 13. uerùm non simpliciter ministrũ, sed ministrũ Dei. Quis autem ignorat non esse in terris Magistratum quempiam, ne eum quidem quẽ uocant Autocratora, qui non sit Deo infinitis modis inferior? Quare non est alienum ab ordine superiorum & inferiorum, sed magis per omnia cõsentaneum, ut qui Magistratum gerit: estq; inter homines Magister Dei, tanquam superioris sit minister.

Magistratus quare utatur ministris.

Quamuis autem Magistratus sit à Magistro, sintq; plura Magistrorum genera: ita tamẽ ceptus est uocis huius usus, ut ea tantùm potestas quæ gladium gestat, Magistratus uocetur. Nec nos hac uoce alio sensu, quàm recepto & consueto utemur, sic ut per eam comprehendamus omnes eos superiorum & præcellentium ordines, quibus gladij est commissa potestas: quales sunt Imperatores, Reges, Principes, Duces, Comites & Magistri ciuium, &c.

VNDE SIT MAGISTRATVS.

Magistratus à Deo est.

MVndum à Deo gubernari, unde est & conditus, nemo piorum dubitat. Quare necessarium est, ut quæcunq; sunt in mundo potestates ac gubernationes, quibus genus humanum regitur, non sint aliunde quàm ab eo cui in gubernatione mũdi seruiũt, Deo uidelicet omnium eorum quæ sunt conditore, conseruatore ac gubernatore. Vocatur quidẽ satan princeps mundi, uerùm non iure, sed perfidia & malicia, idq; nõ nisi permissione diuina. Dicit omnia mundi huius regna suæ esse potestati subiecta, seq; illa dare quibus uoluerit: sed mentitur, tanquam mendax spiritus, & omnis mendacij author. Non sunt igitur potestates ac Magistratus ex satana, sed ex eo qui omnium est Dominus, cuius iuri ac potestati subiecta sunt omnia. Qui in illo nihil considerant aliud, quàm uel ambitionem eorum qui ad imperia & dominatum aspirant, & quouis modo colluctantur, uel uim iniustam ac tyrannidem, superbiam quoq; & fastum, & iudiciorum peruersitatem, & quæ alia eiusmodi in plerisq; Magistratibus palàm uiguntur: illi, quæ uitia sunt superiorum, ad ipsum ordinem Magistratus referũt, quasi ille nihil sit aliud quàm iniqua uiolentia, & iniustus dominatus. ideoq; agnoscere nõ possunt, quòd sit ex Deo. Sanè sic comparati sumus ex naturæ nostræ corruptione, ut propliues simus ad imperandum magis quàm ad obediendum. Aspiramus ad diuinitatem, qui affectus ex ueneno nobis est antiqui serpentis inditus, quod prima parẽs nostra mox in paradiso hausit, cũ audiret & crederet illud: Eritis sicut dij, &c. Cum hic igitur dominandi affectus sit ex satana, & natura nos omnes proferat æquales, existimant imperitiores, Magistratus ac dominationes nec ordinatione Dei, nec lege naturæ constare: sed ortum habere ex instinctu satanæ, & iniquorum hominum præsumptione. Contra hanc cogitationem muniendæ sunt mentes nostræ authoritate uerbi Dei, quod tam disertè ab Apostolo Romanorum decimotertio proponitur, ubi dicit: Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit: non enim est potestas nisi à Deo. Quæ uerò sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Sunt hæc uerba diligenter inspicienda. Primò, non dicit, Non est principatus uel dominatus: sed, Non est potestas nisi à Deo. Neque enim quemuis dominatum & abusum potestatis, quo nõnunquam principes tyrannidem exercent in subditos: sed legitimam potestatem prorsus omnem à Deo esse dicit, ad hoc, ut pœnas dent mali, & honorentur boni. Omnis potestas à Deo est, abusus uerò potestatis à Deo non est: perinde atq; coniugium uiri & fœminæ à Deo est, abusus uerò coniugij non est à Deo, sed à satana. Principatus eorum à Deo non erat, de quibus

Quid considerent qui Magistratũ ex Deo non esse existimant.

Rom. 13.

Abusus potestatis à Deo nõ est, sed à satana.

quibus ille per Prophetam queritur dicens: Ipsi regnauerunt,& non ex me:principes extiterunt,& nō cognoui. Hoseę 8. Interea tamen nemo putet eiusmodi tyrannos sine iudicio Dei dominari in subditos. Nam ille nō solum bonos,sed & malos principes regnare facit,propter peccata populi. Sic enim Hoseę 13. dicit: Dabo tibi regem in furore meo,& auferam in indignatione mea. Est igitur & tyrannus à Deo:sed ipsa tyrannis nō est ordinata à Deo, sicuti ordinata ab illo est legitima potestas.

Deinde non est præter rationem, quòd non simpliciter dicit, Potestas à Deo est:sed nō est potestas nisi à Deo:quæ uerò sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Dubio procul,seditiosus ille Iudaicæ rebellionis spiritus fermēti aliquid inter Christianos habebat. Erant qui sentirēt admodum esse illicitum,ethnicorum principum imperium,quòd ex Deo illud esse non posset,sicuti fuerat imperium regum Israelis:ideoq; nō conuenire,ut Christiani ethnicis Magistratibus obediant. Ad horū represionem disertè dicit: Non est potestas,nisi à Deo. q.d. Non solum potestas regum Israel à Deo fuit:sed & in uniuersum omnis ab illo potestas est. Neq; enim Israelis Deus tantum est Dominus,sed & Gentium:& haud Israelem tantum,sed & totius orbis populos iudicat. Tertiò,nec illud emphasi caret,quòd non dicit, Omnis potestas à Deo est:sed, Non est potestas nisi à Deo. quibus uerbis non hoc tantum dicit, quòd omnis sit à Deo potestas,sed quòd nulla uspiam possit inter homines esse potestas, quæ sit aliunde quàm à Deo. Est enim potestas gladio ad ultionem malorum,ac laudem bonorum armata,uitęq; ac necis iudicium habens,omnino diuinum quiddam,cui nec authoritas,nec firmitudo ex hominibus esse queat,sed opus sit ut diuina authoritate ac uirtute subsistat: id quod primùm in eo relucet, quòd uni homini tot mortalium millia etiam ad ipsius usq; uitæ dispendia,idq; non ex animo,sed coactè ac cum timore obediunt,cum ad tollendum eum è medio sufficiat unus & alter. Vnde admirabilis ista subiectio nata est,& unde tamdiu immota subsistit,nisi ex eo de quo Dauid canit, Qui subdis populos sub me? Quis nō in ijs qui suæ sunt curæ subiecti,quotidie experitur, quàm sit difficilè, unius saltem hominis studia potestati suæ habere subiecta,& in ordinem redigere posse? Vnde facilè cogitari potest,impossibile esse,ut integri populi,nedum complurium gentium multitudo,unius hominis imperium ferāt,nisi Deus ipse mortalium uitam & fortunas potestati à se ordinatæ subijciat.

Magistratus à Deo sunt non ex permissione illius,sed ex ordinatione.

Quartò,ne quis potestates quę sunt in mundo,nō esse à Deo aliter putet,quàm ex permissione quadam,qua sinat potētiores in multitudinem inferorum exercere dominiū,eo quòd filijs hominum terram hāc subiecerit:mox eiusmodi cogitationē reprimens dicit, Quæ uerò sunt potestates,à Deo ordinatæ sunt. Non simpliciter, A Deo sunt,inquit:sed, Ordinatæ sunt à Deo. Alia est eorum conditio quæ permittuntur,& alia eorū quæ ordinantur ac disponuntur. De eo qui ordinat ac disponit aliquid,prędicari non potest,uel certè non satis pertinēter prædicatur,quòd illud permiserit. Quæ ordinantur à iusta prouidentia,ex ipsa ordinatione sua argumentum habent,quòd sint iusta & utilia:quæ conditio eorū esse non potest,quæ permittuntur. Sic nō fuit Apostolo satis, omnem potestatem referre ad Deum,nisi simul admoneret,esse omnes potestates ex ipsa sapientia & prouidentia Dei, qua cuncta ad utilitatē nostram ordinantur ac disponuntur.

Triplex esse ordinationum Dei genus,unde Magistratū habemus.

Quæsierit quisquam,quando & quomodo ordinauerit Deus potestates,quas inter homines esse uidemus. Sciendum igitur,triplex esse diuinarum ordinationum genus. Primum earum quæ naturali constitutione,secundum earum quæ uerbo, tertium earū quæ occulto spiritus instinctu disponuntur. Ex naturali constitutione ij qui cæteris sunt sapiētiores ac robustiores regendæ multitudini præficiuntur, imperiumq; in illam obtinent: id quod & in animantibus est cernere, quorum quæ sunt robustiora infirmioribus præire uidemus,sicuti patet in armentis boum & caprarum,in apibus & gruibus. Ex hac naturali constitutione ortæ sunt,præsertim initio rerum humanarum,& temporibus difficilioribus,inter homines potestates,quibus multitudo regeretur,& instar gregum duceretur. Quemadmodū igitur in animantibus,& patria quoq; potestate,ac maritali,natura sic comparatum esse uidemus,ut quæ præstantiora sunt,præsint imbecillioribus, nec dubitat quisquam esse hoc genus potestatis ex singulari ordinatione diuinę prouidentię:ita in hac quoq; causa facilè est agnoscere natos eos esse ad potestatem regiminis,idq; ex ordinatione Dei,quos cęteris præstantiores esse cernimus. Sapientiæ est, ac potentiæ,præesse ac gubernare:stulticiæ uerò & impotentię,subesse & gubernari. Sic in corpore nostro regimen datur capiti,subiectio membris reliquis. Quod si cubi diuersum in rebus humanis accidit,sic ut stulti & imbecilles sapientibus & ualidis præficiātur,peruersitas est,diuinitùs propter peccata populi immissa,qua fit ut uel mulieres, uel effœminati uiri dominium obtineant.

Ex constitutione uerbi Dei ordinata est gubernationis potestas: quando lata lex est,& præscripta diuinitùs iudicia,quibus animaduertatur in sontes. Ad hāc pertinet illud Gen. 9. Qui cunq; fuderit sanguinem hominis,fundetur sanguis illius. Et quod populum Israelis concernit,quæ de iudicijs,iudicibus & regibus in lege sunt præcepta,utiq; potestatis huius ordinationem continent.

Ordinat

Ordinat etiam Deus ac disponit potestates, quibus populum suũ gubernet, quando quos in id muneris elegit, spiritu suo sic reddit instructos, & prẽter expectationem excitat, ut populo periclitanti succurrant. Hoc genus ordinationis diuinæ exemplis aliquot in libro Iudicum declaratur. Sic cap. 3. legimus: Iratus contra Israelem Dominus, tradidit eos in manus Chusanrasathaim regis Mesopotamiæ, seruieruntq; ei octo annis. Et clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis seruatorem, & liberauit eos, Othonielem uidelicet, filiũ Chenen, fratrem Caleb minorem: fuitq; in eo spiritus Domini, & iudicauit Israelem. Consimili modo ordinauit & sequentium aliquot iudicum potestatem, utpote Aiot, Sangar, Delboræ, Barach, Gideonis, Simsonis, & Samuelis. Hos excitauit spiritu suo, ut liberarent Israelem, ac potestate regiminis fungerentur. Et uerbo simul & spiritu ordinauit Mosen, Iehosuah, Gideonem, Simsonem, Saulem, Dauidem, &c. Quòd si quis magistratu fungitur, nec naturæ dotibus, nec uerbo, nec spiritu Dei in id officij ordinatus, ut merè humano consilio euectus est, ita & infeliciter Magistratum gerat necesse est. Is tamen potestatis abusus non derogat Apostolicæ sententiæ, qua negat esse potestatem quæ non sit à Deo.

QVALES ESSE DEBEANT, QVI MAgistratu funguntur.

AEgrè sperare possumus, lucubrationes nostras eos fore lecturos, qui ad fastigia sunt magistratuũ erecti: ut uideatur nihil esse rationis, quur annotemus de illis quales esse debeant. neq; enim eadem est in hac causa subditorum conditio, quæ est Ecclesiarum Christi, quibus necessarium & utile est, certò tenere quales debeant esse ministri & superintẽdentes: unde & ea de re diligenter instruũtur in Apostolicis literis, propterea quòd, teste Cypriano, in ipsarũ est potestate, si Christiano sint magistratu destitutæ, amouere inutiles ac reprobos pastores, & in illorum loca substituere utiles ac probatos. quæ cõditio non est ubiq; permissa subditis, quibus sub regib. ac principibus, uel sub Aristocratia, uel sub Oligarchia constitutis necesse est ferre Magistratus, illisq; obedire, quales sunt uel ex gratia uel ira Dei, siue bonos siue malos sortiti. Quare frustraneũ uidetur admonere illos, quales debeant esse magistratus, cum non liceat ipsis recusare malos, & eligere bonos. Verùm quoniam quę scribimus, illis forsan seruire poterunt, qui munus docendi administrant in Ecclesia Dei, tenenturq; ex officio quod obeunt non subditos modò, sed & magistratus docere, quomodo se gerere debeant, & peccantes corripere: uisum est hac quoq; de re annotare, quæ imperitiorib. cõmodare poterunt. Neq; enim ea est Ecclesiarũ conditio quæ fuit olim, cum magistratibus essent à Christo alienis subiectæ: quo tẽpore nõ erat ratio instruere fideles, quales se gerere debeant magistratus, cum illi Christiani nõ essent, neq; licebat uerbi ministris admonere eos officij. Postquã uerò Reges, Principes, & reliqui magistratus Christi sese iugo submiserunt, non modò licet, sed & ex officio necessariũ est uerbi ministris, ut inculcẽt illis, qua fide, quaq; cura ac diligentia Christo Domino ac Regi regũ seruire debeant, iuxta illud Dauidicum: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, seruite Domino in timore, &c. Cum Apostolus in ea quæ ad Romanos est de magistratu cap. 13. scriberet, hãc partem non attigit, quia non erant uspiam Christiani magistratus, quos officij sui admoneret: ideo doctrinã suã accommodauit usibus subditorum fidelium, admonens eos obedientiæ, magistratibus tanquam potestatibus à Deo ordinatis debitæ. Quòd si Christianum fuisset alicubi magistratũ sortitus, utiq; & illum de officio magistratus admonuisset. Quare non est ut dicat uerbi minister, docturũ se subditos, quomodo magistratibus parêre debeant: magistratus uerò iudicio Domini corrigendos permissurũ, atq; ita facturum quod fecit Apostolus, qui nec ipse potestatibus quicquam præscripsit. Qui sic cogitat, abutitur exemplo Apostoli, & de magistratib. Christianis perinde sentit, atq; de ethnicis ad Ecclesiam Christi haud pertinentibus.

Ministrorũ est Christianos magistratus admonere officij.

Quare Apostolus non præscripserit magistratibus, quales esse debeant.

Præterea si consideres eas Respublicas, quibus tantum est libertatis diuino munere concessum, ut communibus ciuium suffragijs eligant sibi magistratus, quibus publicam rerum suarum potestatem cõmittant: an non res ipsa postulat, ut electuri sciant, quales eligere debeant, ne dono libertatis abutantur, si eligant inidoneos. id quod frequenter accidere necesse est, ubi non tam curatur, quales ad gubernacula rerum eligantur, quàm qui ut emergãt euehantur. Quare haud sine iusto iudicio Dei factum est, quòd nonnullæ Respub. libertate hac eligendi magistratũ sunt priuatæ. Quòd si satis esset haberi pro magistratu, nihil referret, quales quales eligerentur: uerùm quoniã requiritur, ut & Deo ritè seruiant potestates, quæ ab illo sunt ordinatæ, & magistratum in bonum subditorum administrent, quis non uidet quàm referat multum, quales ei muneri præficiantur.

De rebuspublicis, quibus ius est eligendi magistratus.

Loquimur autem de magistratu non ethnico, sed Christiano: hoc est, qui religione non sit ethnicus, sed Christianus, imperiumq; habeat in populum Christi. Est quidem etiam ethnicus minister Dei, ad hoc, ut animaduertat in reprobos, defendat innoxios, & paci publicæ seruiat, ad quod munus nõ uulgares, sed egregij uiri requiruntur, qui egregijs sint uirtutibus

Quantũ discriminis sit inter magistratũ ethnicum & Christianum.

præditi, utpote sapientia, prudentia, iusticia, philanthropia, fortitudine, &c. Verùm quemadmodum inter œconomum, qui seruis præfectus sit, & pædagogũ, cuius curæ heriles filij cõmendentur: ita inter prophanum & ethnicum magistratũ, prophanis & ethnicis populis imperantem, & Christianum, populo sanctorum, electorum & filiorum Dei præpositum admodum multum est discriminis. Etenim quemadmodum simpliciter à quouis magistratu requiritur, ut subditos non dignitate tantùm, sed & uirtutum præstantia superet: ita ab eo qui religionem Christi profitetur, haud immeritò exposcitur, ut quos sub se habet fideles, in uera pietate & zelo religionis excellat.

Qualis esse debeat Christianus magistratus.

Et tales magistratus dono Dei dantur fidelibus, quorum præcesserunt exempla in Mose, Iehosua, Samuele, Dauide, Iosaphat, Ezechia, Iosia, &c. Ad quos respiciendum est Christianis potestatibus, quo fidem, pietatem, zelum pro gloria Dei, & iusticiam illorum imitentur. In armentis egregium oportet esse taurum, qui cæteris præcedat: in homines egregium hominem esse conuenit, qui multitudini præsit: inter Christianos potestate functurus non modò egregius homo, sed & egregius Christianus esse debet. Egregium autem Christianũ uoco, non qui potentia, robore & opibus, sed qui fide in Christum, dilectione erga fratres, zelo Dei, studio iusticiæ, & sanctimonia uitæ cæteris sit Christianis præstantior. Quibus libertas est eligendi magistratus, tales ex omni populo quærant & eligant. Apud quos nõ eliguntur, sed nascuntur principes, primam hanc conuenit esse curam, ut qui futurus est princeps in populo Dei, à uiris selectissimis ac pientissimis in fide, religione, ac pietate Christi, deinde sapientia quoq; & iusticia, ac cæteris heroicis uirtutibus à puero instituatur: ac cum primis caueatur, ne aulicis delicijs ac corruptelis assuescat, fiatq;, ut quod noua testa cepit, inueterata sapiat.

Quæ in Mosaicis literis de Magistratibus, quales esse debeant, præscribuntur, duplicis sunt generis. Nam alia politiam, alia religionem ac pietatem concernunt. Ad politiam pertinet, ut sint sapientes, ueraces, osores auariciæ, & studiosi iusticiæ: ad religionem uerò requiritur, ut sint timentes Dei, habeantq; cum primis rationem religionis secundum uerbum Dei institutæ. Sed hac de re in sequentibus dicendum erit.

QVOD SIT OFFICIVM MAgistratus.

NIhil est in operibus Dei ociosum. Omnia sic sunt ab illo ordinata, ut ne ea quidem, quę prorsus uidentur ociosè facta, sine certis sint officijs cõdita. Magistratus omnis à Deo ordinatus est, teste Apostolo. Non est igitur consiliũ Dei, ut ullus sit magistratus ociosus, sed ut unicuiq; suum sit deputatum officiũ. Quare uehementer alienus esse debet à legitimo magistratu ociosus & ignauus fastus, quo pleriq; omnẽ potestatis eminentiã metiuntur, quasi uita luxui & uoluptatibus dedita maiestatem eam referat, quæ magistratui competit. uideamus igitur, quod nam sit potestatis à Deo ordinatæ officiũ. Considerandum illud est primùm in genere, deinde per species. Officiũ hoc in genere, est ministrare Deo. Sic Apostolus Rom. 13. ministrum Dei uocat magistratum. facit autem hoc non per tapinosim, quasi maiestatem regum ac principum ad ministerij humilitatem deprimere, contemptibilemque reddere uelit. Quin magis contrarium agit: totus enim in eo est, ut existimationẽ illius reddat fidelibus uenerandam ac suspiciendam: fidelibus inquam, quibus reuerentia Dei usque adeò est cordi, ut illius omnia, nedum maiestati ipsius singulariter ministrantia plurimi faciant. Hoc consilio tertiò inculcat, esse potestates ministros Dei, ne quis in illis humanam duntaxat potentiam considerans, nec Deo se obedire, dum illis obedit: nec resistere, dum illis resistit, existimet, atq; ita prophanè de magistratu sentiat.

Officiũ magistratus in genere quod sit.

Est autem ministrare alicui, omnino non proprium aliquod & arbitrarium opus facere, sed quòd uoluntati ipsius inseruiat, ipsiusque sit uerius quàm ministrantis. Et hoc dupliciter fieri solet. Primò, rebus: deinde, officio ipsius inseruiendo. Ministrare rebus alicuius, est ministrare ipsius commodis: ministrare officio alicuius, est in ijs ministrare, quæ ad officium ipsius pertinent. Priore modo nemo Deo ministrare potest. neq; enim ministerio mortalium, imò ne angelorum quidem uel tantillum illi commodatur. Posteriore uerò ministramus ipsi, dum ea facimus quæ ipse per nos tanquam Deus ad generis humani salutem & conseruationẽ facere dignatur. utroq; modo ministrari potest regibus & principibus. Quis autem dubitat præstantius esse ministerium, quo ministratur regi ut regi, in ijs quæ regis concernunt officium: quàm seruire illi ut homini, in reb. ipsi ut homini necessarijs? Sic maioris dignitatis est ministrare Deo ut Deo, conseruatori ac gubernatori omnium: quàm ministrare illi ut infirmo & egeno, quo opera nostra iuuetur, quod genus ministerij locum in ipso habere nõ potest. Dum ergo Apostolus magistratum in eo nobis commendat, quòd dicit eum esse ministrum Dei: quid aliud facit, quàm quòd quosuis admonet, quàm sit officium ipsius non humanæ constitutionis, sed diuinum: & quòd potestas qua fungitur, non sit hominum, sed Dei?

Ministrare quid sit.

Deinde

Deinde, quoniam uaria sunt ministrorum Dei genera, uidendum est, quæ sint species eius ministerij, quo magistratus minister Dei constitutus est. Minister Dei est etiam Apostolus, Euangelista, pastor ouium Christi, &c. Verùm per specierũ diuersitatem discernuntur utrorumq; ministeria. Alter est minister gratiæ, ac dispensator mysteriorum Dei: alter uerò minister est iusticiæ, gubernationis, iræ, ultionis, ac defensionis. Apostolus Rom. 13. quoniam malis timorem magistratus incutere uolebat, postquam dixit, Quòd si feceris quod malum est, time (non enim frustra gladium gestat: nam Dei minister est) subiecit, Vltor ad iram ei, qui quod malum est fecerit. His uerbis non expressit omnes ministerij huius species, sed eam tantùm, qua ultio sumitur de reprobis, propter quam & gladium gestat magistratus. Præter hanc sunt quidem & aliæ, utpote moderatio populi, quæ fit per leges, & iurisdictio, qua iudicia exercentur, & conseruatio publicæ pacis. Verùm quam Apostolus exprimit, cæteris magis propriè magistratũ concernit. Reperias sapientes, qui leges condere & iudicare queant: uerùm nisi sint magistratus, ultionem de malis sumere nequeunt, propterea quòd non est ipsis gladij concessa potestas. Nisi autem sit illa, inanis est & legum & iudiciorum usus, quia nisi per hanc malicia reproborum reprimi non potest. Hæ species ministerij pastoribus & doctoribus Ecclesiarum non competunt. Illorum nanq; non est legibus & iudicijs gubernare populos, & gladio ultionem sumere de reprobis: sed uerbo gratiæ docere ignorantes, corripere peccantes, consolari conscientias afflictas, & uitam æternam prædicare sub nomine Christi, atq; ita dispensare mysteria Dei.

Quæ sint species ministerij, quo magistratus Deo ministrat.

Est aũt gladius ultionis duplex. Vnus, quo pœna sumitur de subditis, qui malicia sua uel cæteros lædunt, uel cõtra Deum impiè agunt: alter, quo hostes repelluntur. uterq; sanè ad conseruandum pacem ac tranquillitatẽ necessarius. Prior uocari potest gladius iudicij, alter gladius belli. Officium igitur magistratus est, ministrare Deo subditos ad custodiã & cõseruationẽ humanæ uitę legibus & iudicijs gubernando, simulq; gladio ultionis reprobos coercendo, quo pax publica & æquitas iusticiæ retineri: hoc est, quo homines non modò uiuere, sed & commodè ac bene uiuere queant. Propriè quidem opus Dei est, conseruare ac regere genus humanum, quod singulari consilio condidit: uerùm quemadmodum per ministerium hominis docet, liberat à peccatis, gratiæ suæ participes reddit ac seruat homines, quamuis reipsa sint hæc non hominis, sed Dei opera: ita & gubernat & conseruat uitam humanam, defendens innoxios, & ultionem sumens de malis, per ministerium hominum: quos ad hoc elegit, ut sint potestatis, iudicij, conseruationis & ultionis suæ ministri.

Gladius ultionis duplex est.

Vt autem & ordine & latius de officio, usu ac fine magistratus disseramus, explicãdum esse uidetur, quod ministerium illius esse diximus: ut sint custodes, gubernatores, ac conseruatores humanæ uitæ, quos ad exequutionem potestatis suæ diuina prouidentia elegit. Apostolus uno uerbo Rom. 13. causam hanc attingit, cum dicit: Dei enim minister est, tibi in bonũ. Bonum hoc latè patet. Explicatius de illo loquitur 1. Tim. 2. cũ dicit: Adhortor igitur ut ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnib. hominibus, pro regibus, & omnibus in eminentia constitutis, ut quietã ac tranquillam uitam degamus, cum omni pietate & honestate. Vsus itaq; magistratus est, ut sub illius moderamine uiuamus in hoc seculo commodè, honestè ac piè. Qui nos cum non essemus, creauit ut simus, uitamq; dedit ut uiuamus: qua est erga nos philanthropia præditus, non uult ut uiuamus tantùm, sed ut uiuamus, quoad eius in carne hac peccati fieri potest, in pace, placidè, tranquillè & cõmodè: idq; honestè, omni reiecta turpitudine, quæ bestiarum est, non hominum ad imaginem Dei conditorum: deniq; & piè, in religione uidelicet, cultu & obseruantia Dei, à quo sumus & habemus omnia. Vt hoc triplici bono frui possimus in hac uita, hortatur Apostolus ad orandum pro magistratibus: significans hoc esse illorum officium, & officij illorum usum, ut potestate sua sic tueantur ac gubernent mortalium uitam, quo commodè, honestè ac piè uiuere possint. Sed uideamus singula ex ordine.

Magistratus minister Dei est nobis in bonum.

COMMODE.

Cõmodam uitam intelligimus, quæ sit sine graui molestia, quieta & tranquilla. Loquimur autem de tranquillitate publica. Nam aliàs multis est mortalium uita laboribus, miserijs & calamitatibus obnoxia, quibus magistratus haudquaquam obsistere potest. Primùm, neq; nascimur neq; educamur citra molestias, quas magistratus restringere non potest. Deinde, laborandum est pro uictu & amictu, iuxta sententiam diuinam, qua dictum est primo nostro parenti, In sudore uultus tui uescêris pane tuo. Neq; hoc sine multis & magnis molestijs fieri potest. Et magistratus officium ad hoc non est ordinatum à Deo, ut ociosè alamur, irritumq; fiat quod semel est diuino consilio decretum. Tertiò, corpora nostra innumeris sunt morbis, læsionibus, ac tandẽ morti quoq; exposita. Magistratus facere non potest, ut incommodis istis liberemur, & neq; morbo neq; alio quopiam casu lædamur, ac mortis doloribus enecemur. Quartò, multæ nascuntur molestiæ ex conuictu domestico,

dum ferendi sunt mores uxorum, liberorum & seruorum: quorum emendatio non ad magistratum, sed ad patresfamiliâs pertinet, qui tamẽ illos uel nunquam uel certè rarò ut uellent, corrigere possunt. Quintò, nec illud prohibere potest magistratus, ne qua in re ciuis ciui, uicinus uicino molestus sit & onerosus. Conciuem ac uicinũ qui nõ diligat ut amicus, sed odiat ut inimicus, necesse est cum dolore animi ferre: quandoquidem in potestate magistratus nõ est, prohibere inimicitias & odia: quemadmodum efficere non potest, ut ciuis ciuem diligat, ac beneficijs afficiat. Sunt & aliæ multæ molestiæ ferendę, quæ cuilibet peculiariter accidũt, quas magistratus auferre non potest. Videamus igitur quæ nam sit illa uitę nostræ commoditas ac tranquillitas, ad quam conseruandá ordinatus sit à Deo magistratus. Ea non est alia quã publica uitæ ac fortunarum nostrarum securitas & pax. Custodit illam magistratus, dum iudicijs suis dirimit subditorum lites, reprimit uim iniustam, ulciscitur iniurias eorum qui insontes lædunt, supplicia sumit de flagitiosis, animaduertit in fures, raptores, homicidas, &c. & irruptiones hostium uel præcauet, uel ui defensoria reprimit. In hunc usum cõstituit iudices, qui secundum leges sapienter ac iustè iudicent, paratos habent ministros, carceres, gladium, lictores, satellites, duces ac milites. Hisce medijs efficit, ut qui boni sunt & insontes, in medio possint malorum securè ac cõmodè degere, quod aliàs fieri non posset. Externas scilicet malorum hominum iniurias, & iniustæ uiolentię molestias, quibus pax publica turbatur, reprimere potest: licet efficere nequeat, ut nulli sint mali: uel qui sunt, iusti ac boni reddantur. Magna sanè est hæc bonis omnibus commoditas, quorum sors est in hac uita, ut in medio malorũ uiuentes, crebris iniurijs ac calumnijs exponantur: ut non frustra dicat Apostolus, Dei enim minister est, tibi in bonum. Quemadmodum pastor baculum habet & uirgam & canes, quibus ouiculas defendat ab hœdis, & à bestijs, quo securè illas ad pascua ducat ac reducat: ita comparatus est & usus magistratuum, unde & à ueteribus reges uocati sunt pastores. Cauendum est autem magistratui, ne uel ex impetu iræ, uel odio sæuiat in quenquam, ne incidat in tyrannidem. Iustus ac legitimus magistratus faciet iudicium & iustitiam, animaduertet in reprobos cum iudicio secundum leges & qualitatem facinorum. Defendet bonos, non quia diuites sunt, sed quia iustam causam habent, siue diuites sint siue pauperes. Pœnas sumet de malis, non quia pauperes sunt, ac facilè possunt opprimi: sed quia sunt mali ac facinorosi, siue sint pauperes siue diuites, ne ex iudice & principe legitimo fiat acceptor personarum, quem Deus ubique detestatur, & communis omnium sensus iniquitatis damnat.

Quæ sit nobis cõmoditas uitæ per magistratum.

Simile.

HONESTE.

Magistratus publicam honestatem tueri debet.

SEcundò loco pertinet ad officium magistratus, ut publicam honestatem tueatur. Quodcunq; malum honestatẽ lædit, nõ feret, sed amouebit procul à facie populi, ne ille exemplis impudicitiæ corrumpatur. A Christianis præsertim requiritur, ut honestè uiuant. Rom. 13. dicit Apostolus: Nox progressa est, dies appropinquauit. Abijciamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis: tanquam in die honestè ambulemus, non commessationibus & ebrietatibus, non cubilibus ac lasciuijs, &c. Abscindendæ sunt corruptelæ morum: quales sunt, lasciuæ saltationes & choreæ, impudicæ cantilenæ, uestes indecoræ, crapula & ebrietas, scortatio, adulteria, turpissimus clericorum cœlibatus, & uaga libido, qua impunè in omnis generis immundiciam ruunt, ac totam fidelium multitudinem conspurcant. Si modicum fermenti totam massam corrumpit, quid non faciat tam multum, quo cuncta uidemus Ecclesias occupari?

Laudandum igitur est eorum magistratuum institutum, qui ad restituendam in subditis suis honestatem morum Christiano populo dignam, sacrosanctis legibus omnis generis immundiciam ac turpitudinem restrinxerũt: nec Ecclesiasticos, quos uocant, exemerunt, imò illos cum primis à scortandi impunitate ad id compulerunt, ut fierent uel coniuges: uel sic in cœlibatu uiuerent, ut essent irreprehensibiles. Nec immeritò. illi nanq; manifestis impudicitiæ exemplis totum Christianum orbem corruperunt.

Ecclesiasticorum immũdiciam reprimere debet magistratus.

Vinculum itaq; illud coactæ ἀγαμίας, per quam ordo Ecclesiasticus in uagam libidinẽ prolapsus est, potestate sua dirumpet magistratus: & efficiet, ut liberum sit Ecclesiasticis omnibus contrahere matrimonium, quo locum habeat illud Apostoli: Qui se non continet, nubat. Melius est enim nubere, quàm uri. Alioqui rationem redditurus est Deo de omnibus illis peccatis, quæ tam enormiter in Papistico cœlibatu, in medio subditorum ipsius admittuntur. Etenim potestatem officij sui non sic accepit à Deo, ut administret eam si uelit: si nolit, omittat: sed ut administrationi illius sub conscientia debiti officij sit obstrictus. unde nõ excusabitur ullis clericorum priuilegijs.

Curabit magistratus, ut unusquisq; status suũ seruet decorum.

Propterea ad honestatẽ publicã pertinet & illud, ut unusquisq; status suum seruet decorũ: hoc est, ut uiri uiriliter, mulieres muliebriter, pueri ac serui obediẽter se gerãt, nemo turpi ocio torpescat, nemo ex usuris aut aliàs ex aliorũ sudore uiuat. Inhonestũ uitæ genus est, ex

alieno

aliena uiuere quadra, si non cogat ad id summa necessitas. Quare Christianos ad hunc modũ hortatur Apostolus 1. Thess. 4. Obsecramus autem uos fratres, ut abundetis magis, & in hoc incumbatis, ut quieti sitis, & agatis res proprias, & operemini proprijs manibus uestris, sicuti uobis præcepimus, ut uos geratis honestè erga extrarios, & nulla re uobis sit opus. Cogitent hic monachi, quos rectè uocant nõ operantes, sed mendicantes, quàm procul absint ab hac honestate uitæ, quam à Christianis requirit Apostolus. Magistratus illi sunt authoritate in ordinem cogendi, quo uel coacti faciant quod publicæ sit honestati & Apostolicæ doctrinæ consentaneum. Nec illud ferendum est Christiano magistratui, quòd in populo Christi non permittitur Iudæis, ut opere manuum suarum uictum quærant honestè: permittitur uerò ut uiuant & ditescant ex usuris admodum inhonestè. Sanè quicquid inhonestatis huius ab illis admittitur, non tam ipsis quàm magistratui tribuendum est, à quo ab opere honesto ad inferendum usurarum aucupium adiguntur.

Vsura Iudæorũ.

PIE.

GRæcè est ἐυσεβῶς, id est in omni pietate. Notum est aũt Græcè scientibus, εὐσεβεῖν sonare cultũ Dei, quo sensu & uox pietas à Latinis accipitur. Ad magistratum igitur pertinet, sic moderari uitam subditorum, ut non solùm commodè & honestè, sed & religiose ac piè in uero cultu Dei uiuere possint. Potest autem hoc fieri dupliciter. 1. Primò, si nemini negocium faciat magistratus propter religionem: sed liberum permittat subditis suis omnibus, ut quem quisque eligit sibi Deum & cultum, hũc nemine prohibente sequatur ac teneat, modò sit in reliquis subditus & obediens. id quòd alijs atq; alijs de causis fieri potest, si sit magistratus ἄθεος, ut in corde suo dicat, Non est Deus, uel, Vanum est seruire Deo: huic sanè perinde est, colântne subditi sui Deum uel aliquẽ uel nullum, nec curabit quem quisq; & quomodo colat. Si non sit omnino impius, sed sentiat quidem esse Deum, illumq; colendũ ab omnibus: iudicet tamen non conuenire sibi, ut prohibeat quo minus liberum sit cuilibet colere Deum, qua illum religione colendum esse putat, sub eiusmodi quoque magistratu piè Deum ac rectè colere licebit. Tertullianus in libro ad Scapulam, paulo post principium, tale quid scribit, quod huc facere poterit, cum dicit: Humani iuris & naturalis potestatis est unicuiq; quod putauerit colere, nec alij obest aut prodest alterius religio. Sed nec religionis est, religionem cogere, quæ sponte suscipi debet, nõ ui. Hæc ille obijcit ethnicis, à quibus Christiani ad cultus falsorum deorum cogebantur. Quàm autem firma sint, & ubi cum ratione dici queant, alibi admonebimus. Iure hoc humano uti permittitur illis, qui nunquã sunt in cõmunem regni, sub quo uiuunt, religionem initiati. Sic degũt Christiani sub Turcis, & Iudæi sub Christianis ac Turcis. Neutri coguntur, ut à patria religione discedant.

1. Timoth. 2. *Magistratus curare debet, ut subditi piè & religiose uiuãt, & quomodo hoc fiat. Si neminem cõgat ad religionem.*

2 Altero modo ad hoc facit officiũ magistratus, ut sub ipsius regimine piè & religiose uiuatur, si nemini liberum permittat, ut à uera & legitima pietate discrepet, falsamq; doctrinam uel sequatur ipse, uel alijs sequendam proponat. Et hoc receptum est inter Christianos magistratus, tam Papistas quàm Euangelicos. Faciunt tamẽ hoc alij alias ob causas. Reperias qui ex turpi aucupio sic animaduertant in eos qui à consueta religione uariant, ut occidant eos, quo causa sit bona illorum confiscandi, ideoq; studiose inquirunt in opulentiores: qua in re sic insaniunt, ut ad solam accusationem subuertant eorum uitam & fortunas, in quorum bona inuolare cupiunt, sic ut multis obsit luculentior fortuna magis quàm diuersa religio. Alij ad prohibendam diuersam religionem ex φιλοδοξίᾳ permouẽtur. Iudicant enim fore sibi dedecori & inglorium, si quenquam inter subditos suos aliam tenere pietatis & religionis rationẽ patiantur, quàm teneatur & à se, & à regni sui populo. A tali nanq; religionem suam contemni damnariq; censent, quod haud quaquam ferre queunt. Alij faciunt hoc respectu maiorum suorum: existimantes illos nullo modo in religione ac cultu Dei errasse, & iudicãtes quamuis mutationem in illorum cedere contumeliam.

Si nemini permittat, ut à recepta religione discrepet, id quod alijs atq; alijs de causis fieri uidemus.

Alij ex consideratione officij sui, quo sciunt se ad hoc esse obstrictos, ut quæ saluti subditorum obsunt, magna seueritate auertant, quamuis à recepta religione uariationem prohibẽt, existimantes fieri nõ posse, ut non sit falsum & noxium, quicquid insuetum ac nouum introducitur. sub his omnibus periclitari potest uera pietas, & fieri ut pij affligantur, superstitiosi & idololatræ regnent. Restant illi, qui uerbi Dei normam sequẽtes, omnes eos cultus prohibent, qui sacris Scripturis repugnant, siue sint noui siue inueterati. Sub horũ regimine non modò libera est, sed & necessaria ueræ pietatis obseruantia: nec periculũ esse potest, ut ad falsos cultus quisquam adigatur: Magni quidem momenti est ueræ pietatis libertas: maioris uerò censeri debet, si nõ modò liberum est, uerum Deum ueris ac gratis illi cultibus colere, sed iuxtà nomini permittitur ut à uera pietate præuaricet, quæ omnibus in uerbo Dei præscribitur. Quis nam adeò stupidus est, ut non intelligat quanto sit præstantius, si caueatur, ne quisquam uiator à recto possit itinere aberrare, quàm si liberum duntaxat sit, quàm quisque uelit uiam ingredi?

Simile.

AN MAGISTRATVS CVRANDAE RELIGIONIS POTESTATEM HABEAT.

Cõtrouersia de poteſtate magiſtratus in religione.

QVoniam autem in hanc materiam incidimus, quęrendum uidetur, pertineat ne ad officium magiſtratus, ut religionis curam gerat. Eſt nanq; hac de re haud modica controuerſia. Pernegant hoc primùm, qui ſub prætextu uncti clericatus ac ſacerdotalis priuilegij ferre nolũt, ut abuſus ipſorũ corrigantur: deinde, qui uel infecti ſunt hæreſibus, uel cum hæreticis colludunt. Pernegant autem hoc diuerſimode. Nam priores hoc à magiſtratu requirunt, ut defendat ea quæ ipſi ſtatuunt, nec liberum permittat cuipiam, ut à recepta religionis forma diſcedat. Poſteriores uerò contendunt, ne hoc quidem ad officiũ magiſtratus pertinere: ſed id tantùm curandum illi eſſe, ut pax publica ſeruetur, quicquid alij credant, alij non credant. Ex eo quòd Eccleſiaſtici curam religionis magiſtratui ademerunt, & Pontificibus ſuis deputarunt, quantum malorum pelagus in Eccleſias Chriſti exundarit, uidemus & conquerimur. Si uerò quod poſteriores quærunt, obtineret in Eccleſijs, obſecro quid ex omni religione Chriſtiana certum ac firmum conſiſtere poſſet? In eo planè eſt ſatan, ut reformatio collapſæ religionis uel impediatur, ubi nulla dum eſt inſtituta: uel ſi inſtituta ſit alicubi, deſtruatur. Nos uerò cum illis ſentimus, qui curam religionis publicæ ad magiſtratũ nõ ſimpliciter & utcunq;, ſed cum primis pertinere docent. Agnouerunt hoc ethnicorum quoque ſapientes, qui primum locum in Reipublicæ inſtitutione religioni dederunt. Fuerũt quidem illi homines ethnici, uiã Dei ignorantes, & ab Eccleſia illius alieni: in eo tamen haudquaquam errarunt, quòd ſine pietatis ac religionis obſeruantia nullam cuiuſcunq; Reipub. politiam feliciter inſtitui regiq; poſſe ſenſerunt. Et iuriſperiti quidam retulerunt illam ad ea quæ ſunt de iure gentium, propterea quòd naturæ quoq; ductu Deum quendam eſſe cognoſcimus, illumq; timore ac cultu obſeruandum & reuerendum eſſe ſentimus. Quis autem ignorat magiſtratui competere, non modò legum poſitarum, ſed & eorum quæ ad ius gentium pertinent moderationem, cui ſubiecta eſt omnis anima, & poteſtas uitæ ac necis diuinitùs tradita? Cum ergo ſententiæ huius ueritas tam ſit manifeſta, ut ne ethnicos quidem latére potuerit: an non magis agnoſcenda nobis eſt & amplectenda, qui cognitione Dei, non gentes modò, ſed & populum legis longè antecellimus? Nec eſt ut dicat quiſquam, non eſſe nobis Chriſtianis attendendum in religione quid dictitet lumen naturę noſtræ, ſed quid nobis S. ſcripturæ præſcribant: quæ ad hoc ſunt datæ, ut ad omne bonũ opus inſtructi reddamur. Licet enim in ijs quæ fidei noſtræ myſteria concernunt, non ſit conſulenda lux naturæ, ſed magis ſacræ Scripturæ: ſimul tamen contemni non debent, quæ diuino cõſilio cordibus noſtris naturaliter ſunt inſcripta. qualis eſt lex illa, quam naturæ uocamus, cuius nobis directionem & prophetæ & Chriſtus & Apoſtoli commendant. qua de ſuprà in loco de Legibus diximus.

Ad magiſtratũ cũ primis pertinet cura religionis.

Religionẽ pertinere ad ius gentium.

Ad curã & poteſtatem patris pertinet inſtituere liberos ſuos in uera religione.

An non poteſtas illa quam habet pater in liberos ſuos naturæ lege conſtat, quam etiam ſacra Scriptura confirmat? Quis autem negat cumprimis hoc illi cõpetere, ut ſumma cum diligentia & cura inſtituat eos in uera pietate ac religione Dei, in qua omnis illorum ſita eſt ſalus ac felicitas? In Abrahamo laudabat hoc angelus, quòd præcepturus eſſet filijs ſuis, ut cuſtodirent uiam Domini, Gen 18. An non pertinet ad religionẽ, præcipere de cuſtodienda uia Domini? Et unicuiq; in Iſraele mandauit Dominus, ut uerba illa Deut. 6. Audi Iſrael, Dominus Deus ueſter Deus unus eſt: Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, non ſolùm ſeruaret ipſe in corde ſuo, ſed & filijs ſuis narraret, id eſt exponeret & inculcaret. in quibus perſpicuè cõprehenſa eſt ſumma doctrina de fide, deq; dilectione & obedientia Dei: ut uideamus quid paterna cura & poteſtas in religione præſtare debeat. Iam ſi magiſtratum cõſideres, quid hic aliud eſſe cenſendus eſt, quàm ſupremus omnium ſubditorũ pater, cuius poteſtas longè maior eſt quàm ſit patris in filios: ideoq; magis illi quàm patri conuenit, ut religionis curam cũ primis ſuſtineat, illamq; inter ſubditos ſuos & inſtituat & moderetur? In perſona patris ſunt paterna cura & prouidentia, authoritas & poteſtas ab omnibus domeſticis agnoſcenda & reuerenda. In magiſtratu excellunt hæc omnia. Hic cura eſt proſpiciens ſubditis omnibus, authoritas ſupereminentiæ, qua cunctos excellit, poteſtas præcipiendi, & uindictam de immorigeris omnibus ſumendi, qua maior in terris eſſe nequit, utpote ius habens de ſingulorum uita & morte decernendi, unde & gladium tanquam diuinæ ultionis miniſter geſtat. Ergo ne tantæ authoritati ac poteſtati non licebit, quod cuique patrifamiliàs in domo ſua licet? imò ab illo diuino mandato requiritur, ut maiori non competat, quod competit minori: non publico omni patri, quod competit domeſtico?

Poteſtas magiſtratus in ſubditos maior eſt quàm patris in liberos ſuos, ideoq; magis ad illum pertinet cura religionis.

Ad magiſtratũ magis quàm ad ſacerdotes pertinere religionis curam.

Sed uideamus, an non & S. ſcripturę ſentẽtiæ huic aſtipulentur. Moſes primus catholicus Iſraelis magiſtratus, perſonam gerens non ſacerdotis, quæ Aaroni impoſita fuit, ſed ſuperioris poteſtatis, ſimilem regiæ, omnem in populo Dei religionẽ conſtituit, ipſiq; Aaroni & Leuitarum ordini facienda & uitanda præſcripſit. in quo manifeſtè uidemus diſponendæ religionis

gionis curam magis ad ſuperiorem Magiſtratum quàm ad ſacerdotum ordinem pertinere.

Exemplũ Moſis.

Dicet quiſquam, Iuſſu Dei conſtituit Moſes omnia quæ ad religionis conſtitutionẽ pertinebant. Reſpondeo, Verum eſt: ſed reddatur ratio, quare de religione inſtituenda non præceperit Aaroni Deus, quem in ſacerdotem conſecrauerat: præceperit uerò Moſi non ſacerdoti, ſed ſupremo Iſraelis magiſtratui. Quare quòd non ex ſeipſo Moſes, ſed ex præcepto Dei religionis curam geſſit, tam non contra nos facit, ut magis ſententiam hanc noſtram confirmet. Manifeſtatur enim in eo, ſic placere Deo, ut cura inſtituendæ ac moderandæ religionis pertineat ad magiſtratum, adminiſtrandæ uerò ad ſacerdotem, ut miniſter illius ſit, qui ſacerdotio fungitur, non inſtitutor ac moderator.

Moſi, non Aaroni Deus curam & inſtitutionem religionis impoſuit.

Poſt mortem Moſis cura religionis unà cum Magiſtratu deuoluta eſt non ad Eleazarũ ſacerdotẽ, ſed ad Iehoſuah filium Nun, de tribu non Leui, ſed Ephraim. Huic mandabat Dominus, ut filios Iſrael ſecundò circũcideret, cap. 5. Erat aũt circunciſio ſignum fœderis Dei omnino ad religionem pertinens. Ad huius imperium arca Dei portabatur à ſacerdotibus, & reliqua ad religionem pertinentia fiebant, ædificabantur altaria, ſanctificabatur populus, & implebantur quæ à Moſe fuerant præcepta. Nihil ille ex his quę Moſes iuſſerat, reliquit intactũ, ſed uniuerſa replicauit coram omni multitudine Iſraelis, cap. 8. Cui etiam præcepit, ut Dominum timeret, illiq; corde integro ac fideli ſeruiret, ac deos alienos è medio ſui auferret: denique fœdus inter Deũ ac populum eius renouauit, uerbaq; fœderis in uolumen legis Dei retulit, ac titulum percuſsi fœderis teſtem erexit. cap. ultimo. In hiſce omnibus nulla fit mẽtio ſummi ſacerdotis Eleazari, cuius tamen interea ſacerdotium nõ erat ocioſum. unde ſatis patet, ſupremam religionis diſponendæ ac moderandæ curam fuiſſe in poteſtate Iehoſuæ tanquam Magiſtratus: miniſteria uerò ſacerdotalia in officio ſacerdotum, quorum erat iuſsis Iehoſuæ obtemperare.

Nõ ad Eleazarũ ſacerdotẽ, ſed ad Ioſuah magiſtratũ cura religionis deuoluta fuit.

In perſona Samuelis cohæſere quidem & Magiſtratus & ſacerdotium, uerùm moderãdæ religionis curam ſuſtinuit ille quoq; non ut ſacerdos, ſed ut magiſtratus, quo tũm nõ erat in Iſraele ſuperior. Vt magiſtratus iudicabat Iſraelem, ac diſponebat publica omnia tá ſacra quã prophana: ut ſacerdos ſacrificabat, pro populo orabat, illumq; docebat. cap. 12. Dauid rex, ad quem pietatis nomine reſpicere debent omnes Chriſtiani magiſtratus, ſedulò uſus eſt & religioſe poteſtate hac diſponendæ ac cuſtodiendæ religionis. Arcam Dei à neglectu uindicãs, quo ſub iudicibus & Saule neglecta fuerat honeſtiore loco cũſtituit, 2. Sam. 6. Sacerdotes, leuitas, cantores, & ianitores, qui miniſtrarent in tabernaculo Domini conſtituit, 1. Par. 16. tẽplum Domino ædificari curauit, omniaq; miniſteria tẽpli & officia diſpoſuit, 1. Par. 22. 23. 24. 25. 26. Quoniam ſciebat hanc primam curã pertinere ad Reges & magiſtratus, ut religio Dei ritè diſponatur, hortatus eos eſt ad id officij, Pſal. 2. dicẽs: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore, &c. Aliter Deo ſeruit Rex, inquit Auguſtinus, quia homo eſt: aliter, quia etiã Rex eſt. Quia homo eſt, ſeruit ei uiuendo fideliter: quia uerò etiam Rex eſt, ſeruit, leges iuſta prȩcipientes, & contraria prohibentes cõuenienti uigore ſanciendo. Salomon quoque ſuperiorem religionis curam ſuſtinuit, non in ædificando tantùm templum Domini, ſed & conſecrando & inaugurando. 2. Paral. 6. Et Aſa rex Iudah religionis curam gerens, abſtulit idola de omni terra Iehudah & Beniamin, & ex urbibus quas cæperat montis Ephraim, & dedicauit altare Domino, quod erat ante porticũ Domini, ſecũdo Paral. 15. Conſimiliter fecit & Ioſaphat rex Iudah, de quo 2. Paral. 17. ſic legimus: Cũ ſumpſiſſet cor eius fiduciam propter uias Domini, etiã excelſa & lucos abſtulit de Iudah. Tertio autem anno regni ſui miſit de principibus ſuis Benail, & Abdiam, & Zachariam, & Nathanaelem, & Micheam, ut docerent in ciuitatibus Iehudah, & cum eis Leuitas Semeiam, & Nathaniam, & Sabadiam, Aſael quoq;, &c. Et cum eis Heliſamam & Ioram ſacerdotes, docebantq; populum in Iudah, habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas urbes Iudah, atq; erudiebant populum. Item cap. 19, In Hieruſalem quoq; cõſtituit Ioſaphat Leuitas & ſacerdotes & principes familiarum ex Iſrael, ut iudiciũ & cauſam Domini iudicarent habitatoribus eius, prȩcipitq; eis, dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter, & corde integro. Omnẽ cauſam quæ uenerit ad uos fratrum ueſtrorum, qui habitant in urbibus ſuis, inter cognationem & cognationẽ, ubicunq; quȩſtio eſt de lege, de mandato, de ceremonijs, de iuſtificationibus: oſtendite eis, ut non peccent in Dominum, & ne uen iat ira Dei ſuper uos & ſuper fratres ueſtros. Amarias aũt ſacerdos & Pontifex ueſter, in his quæ ad Deum pertinent prȩſidebit, &c. Dat quidem ſacerdoti ſuperiorem locum, in eo iudicum cõſeſſu qui de cauſa Dei iudicaturi erant: uerùm iuxtà non dat illi poteſtatẽ conſtituendi ex ſacerdotibus & Leuitis iudices, ſed hos ipſe regia poteſtate conſtituit, & mandat, ut cum timore Dei & corde integro iudicent, ac populo ex lege Dei quæ facienda uitandaue ſint oſtendant.

Ad quem modũ in Samuele magiſtratus et ſacerdotiũ cohæſerint.

Quomodo Dauid rex religionẽ diſpoſuerit.

Et Salomõ rex religionis curam geſſit, & Aſa & Ioſaphat.

Ezechias quoque ſingulari cura religionẽ diſpoſuit, ſicut & Ioſias.

Ezechias quoq; pientiſsimus rex, ueſtigia Dauidis patris ſui ſequutus, primam ac ſingulare curam reformãdę religioni impẽdit, ſicuti uidere eſt 2. Par. 29. 30. 31. Mox initio regni ſui, anno primo, ac mẽſe primo, ualuas domus Dei aperuit & reſtaurauit, ſacerdotibusq; ac Leuitis prȩcepit, ut ſe audirent, ſanctificarentur, & ſanctificati domum Dei mundarẽt, omnemq;

immundiciam de sanctuario illius auferrent. quo facto mandauit illis ut super altare Domini offerrent & pro omni Israele holocaustum pro peccato facerent. Constituit item Leuitas in domo Domini, cũ cymbalis, psalterijs & citharis secũdum dispositionẽ Dauid regis. multitudini quoq; author fuit, ut uictimas & laudes & holocausta offerrẽt in domo Domini. Paschatis etiam celebrationem suspendit usque in mensem secundum, propterea quòd numerus sacerdotum non sufficiebat illius ministerio, & populus nondum congregatus erat in Hierusalem. Epistolas quoq; misit in omnem Iudam & Israelem, quibus omnes ad legitimum ueri Dei cultum conuocabat. Consimilem potestatem in religione exercuit ~~& Iosias rex~~ Iudah, sicut uidere est 2. Paral. 34.

Exempla impiorũ Regum legitimæ potestati, qua usi sunt pij, nihil derogant.

Quòd autem Reges Israel potestate regia ad ethnicam legitimi cultus prophanationem & omnis generis eidololatriã contra legem Dei sunt abusi, non derogat iustæ ac sacrosanctę potestati, qua usi sunt pij Reges. Inuenias qui potestate paterna culpabiliter abutantur: unde tamen nemo potestati eorum detrahere uolet, qui liberis suis ritè pręesse studeant. Quare nõ est ut in medium quis exempla impiorum regum adducat, qui tam in Israele quàm inter gẽtes potestatem sibi moderandæ religionis impiè & damnabiliter usurparunt, non quòd illa simpliciter non debuerint uti tanquã reges, sed quòd nõ debebãt illa tanquam impij reges abuti. Rectè quidem senserunt in eo, quòd religionis ad se curã cum primis pertinere iudicarũt: uerùm in eo culpantur, quòd à præscripto uerbi Dei ad cultus ethnicos deflectentes, pro uera unius Dei religione alienorum deorum idolomaniam constituerunt, populoq; sequendã obtruserunt. Religionem habebat Israel à Deo ipso per Mosem traditam, ut illa seruaretur immota: curandum erat magistratibus qui erant in eo populo, ut hoc significaretur. cum rex Ioas in regnum inauguraretur, dabatur illi codex legis Dei in manus, 2. Paral. 23. secundum legem quæ habetur Deut. 17.

Penes quem sit cura religiõis, ubi magistratus est impius, & à religione Dei alienus.

Dicet quisquam: Quid si populus fidelium fideli magistratu priuatus subijciatur impio, & à uera religione alieno, penes quem tum erit curandæ religionis potestas? Cum esset Israel in Assyria & Babylone captiuus, & impiorum regum potestati subiectus, ad cuius tum potestatem ueræ religionis cura pertinebat? Respondeo: Pertinebat ad ipsos Assyriorum & Babyloniorum reges, quorum erãt potestati subiecti. Horum erat ut intelligere ac seruire Domino, per quem regnabant, ita & ueram illius curare ac disponere religionẽ. Quòd uerò diuersum faciebant, potestatis in se bonæ impius erat abusus, cui populus Dei haudquaquã obedire tenebatur. Sic cum Nabuchodonosor erectã statuam auream adorare præciperet, nõ erat audiendus: audiendus uerò erat, cum publico edicto uetaret, nequis Deũ uerum, Deũ Israelis blasphemaret, Dan. 3. Sub impijs & à pietate alienis regibus, deuoluitur religionis cura ad sacerdotes ac seniores populi, quales tum erãt Esdras, Neemias, Zorobabel, &c. & qui in eo populo post captiuitatem ad Christi seruatoris usq; tempora iudices, sacerdotes ac seniores extiterunt. Cum illi quoq; corrupti essent, potestas curandæ ac disponendæ religionis translata fuit per ipsum Christum ad Apostolos & cæteros uerbi ministros, tãtisper dum reges ac principes intelligere ueritatem Dei, in Dominum credere, illiq; seruire cœpissent. Hi quomodo potestate hac usi sint, in legibus ipsorum cernere licet. Quòd si nec reges, nec principes, nec sacerdotes, nec seniores, nec populus ipse religionis rectè disponendæ curam gesserint, imò diuersum à uerbo Dei iter ingressi fuerint, ut impleatur illud Hier. 5. Stupor & mirabilia facta sunt in terra, prophetæ prophetãt mendaciter, & sacerdotes applaudunt manibus suis, & populus diligit talia: nihil restat aliud, quã ut quisq; paterfamiliãs potestate fungatur religionis in domo sua, illamq; secundum uerbi Dei præscriptum disponat ac moderetur. Sic fiebat tẽporibus patrum, Abrahæ, Isaac, Iacob, &c. Et quid aliud faciendum est illis, qui sub imperio Turcorum Christianam adhuc fidem retinent?

Quomodo cura religionis, uenerit ad Esdrã, Neemiã & Zorobabelem, & postea ad Apostolos.

Quando potestas religionis ad unumquẽque patremfamiliãs deuoluatur.

QVOVSQVE POTESTAS MAGISTRATVS *in religione ualeat.*

Quousque sese potestas religionis in magistratu extẽdat.

An magistratui uindex tantum sit religionis, non etiam moderator.

HActenus ostendimus, ueram religionem cum primis pertinere ad curam & potestatẽ magistratus: iam consequenter de eo quoq; uideamus, quousq; se potestas hæc illius extendat. Quos hodie uocãt Ecclesiasticos, nos uerò multo rectius Põtificios appellamus, in ea constat esse sententia, ut magistratui in religione nõ permittant amplius quicquã, quàm ut sit illius pariter & legum Ecclesiasticarũ custos & uindex, quo Ecclesiastica politia immota seruetur. Quare negant pertinere ad illum quatenus magistratus est, Ecclesiasticarum legum constitutionem aut promulgationem: quòd illa pertineat ad eos qui referunt Ecclesiam, quorum decreta & instituta magistratus authoritate sarta tecta conseruari debeant. Et ut hoc comprobent, adferunt in medium exempla Hieroboam & Achab regum Israelitarum, in quos ultio diuina animaduerterit, quòd nouos ritus in Ecclesiã Dei proprio arbitrio accersserint. Horum sententiam probare non possum. Vtiq; non est hæc magistratus prouincia, ut tẽtet, quod moliti sunt Hieroboã & Achab: & planè fateor, si quisquã ex magistratibus

idem

Idem quod illi moliatur, peccare hunc grauiter, & dignum esse qui percutiatur à Domino. Quid autem sunt illi moliti? An leges constituerunt in usus Ecclesiarũ, quibus subditi ad pietatem instituerentur, & ab impietate arcerentur? An ritus aliquos nouos induxerunt, quorũ usus conduceret fidelibus? Nihil horum egerunt: & si egissent, haudquaquã à prouincia potestatis suæ deuiassent. Audiatur ipsa Scriptura, & ex illa discatur, quid nã egerint, unde diuinæ sunt ultioni facti obnoxij. De Hieroboam 1 Reg. 12. sic legimus: Dixit Hieroboam in corde suo, Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, si ascenderit populus iste, ut faciat sacrificia in domo Domini in Hierusalem, & conuertetur cor populi huius ad dominum suum Roboam regẽ Iudah, interficientq; me, & reuertentur ad eum. Audimus hic quid timuerit, caue req; uoluerit: audiamus consequenter quid fecerit, quas leges & quos ritus constituerit, an simpliciter nouos, & non magis impios, ac uerbo Domini aduersarios. Et excogitato cõsilio, inquit, fecit duos uitulos aureos, & dixit eis: Nolite ultrà ascendere in Hierusalem. Ecce dij tui Israel, qui te eduxerũt de terra Aegypti. Posuitq; unum in Bethel, & alterũ in Dan, & factũ est uerbũ hoc in peccatum. Ibat enim populus ad adorãdum uitulũ usq; in Dan. Et fecit phana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui nõ erant de filijs leui. Constituitq; diẽ solennẽ in mense octauo, quintadecima die mẽsis, in similitudinẽ solẽnitatis, quę celebrabatur in Iudah. Et ascendens altare, similiter fecit in Bethel, ut immolaret uitulis quos fabricatus fuerat. Constituitq; in Bethel sacerdotes excelsorũ quę fecerat, & ascendit super altare, quod struxerat in Bethel, quintadecima die mensis octaui, quẽ finxerat de corde suo. Et fecit solennitatem filijs Israel, & ascendit super altare, ut adoleret incensum. Hæc de Hieroboam memi nit Scriptura, in quibus uidere est, factũ illũ esse iræ Dei obnoxium, non ob id quòd leges Ecclesiasticas & nouos ritus cõstituerit: sed propterea quòd à uero cultu Dei malicioso studio discedens, reprobam, impiam & idololatricam religionem excogitauit, & Israeli obtrusit. *Quid moliti sint Hieroboã & Achab in religione. Hieroboam.*

De Achab sic legimus 1. Reg. 16. Et fecit Achab malũ in cõspectu Domini, super omnes qui fuerunt ante eum. Nec suffecit ei, ut ambularet in peccatis Hieroboam filij Nabath: insuper duxit uxorem Iesabel filiam Methaal regis Sidoniorum. Et abijt & seruiuit Baal, & adorauit eum, & posuit aram Baal in templo Baal, quod ædificauerat in Samaria, & plantauit lucũ. Et addidit Achab in opere suo, irritauitq; Dominũ Deũ Israel super omnes reges Israel, qui fuerunt ante eum. Hæc de Achab. Quis autem non uidet, quàm non ob id culpetur, quòd de religione Dei constituerit aliquid, legesq; ad illam pertinentes promulgarit: sed quòd cõtra legem Dei idololatriam sequutus est, non modò eam quam Hieroboam excogitauerat, sed & qua Baal colebatur? De religione statuerunt & Dauid & Salomon, & Ezechias, non modò absq; culpa, sed & cum laude, quia nihil statuerũt, quod legi Dei aduersaretur: sed magis talia quę illi essent consona, & ad gloriam cultus Dei facerent. Quare admodum impertinenter dicunt Pontificij, non esse hanc prouinciam Magistratus, ut Ecclesiasticas leges ponat, ne incidat in peccatum & exitium Hieroboam & Achab. quod tum rectè dicerent, si quæstio esset de legibus & ritibus impijs, quales fuerunt à Hieroboam & Achab constituti, qui potestate regia impijssimè sunt abusi. *Achab.*

Nos uerò absq; ulla dissimulatione sic sentimus. Quemadmodum penes pium Magistratũ superior est religionis potestas & cura, ita penes illum etiam est legum Ecclesiasticarum constitutio, & eorum quæ prolapsa sunt in religione reformatio. Ipsa condendarum legum natura non patitur, ut præcipiant ac leges figant illi, quibus non est tuendarum legum ultionisq; de reprobis sumendæ potestas: tueaturq; leges & ultionem exerceat Magistratus ille, in cuius non sit potestate, ut leges ponat quas ipse tueatur. Omnino cuius potestatis inter homines est præcipere, eius etiã est de transgressorib. præceptorũ pœnas sumere. Scio pertinere ad Magistratũ, ut non solum suorũ, sed & Dei mandatorum transgressores puniat. Verùm aliud est, si quæstio sit de legib. Ecclesiasticis, neq; immediatè à Deo, neq; per Apostolos illius, sed per homines in ministerio Ecclesiæ constitutos promulgandis. Hic sanè nõ conuenit, ut qui inferioris sunt authoritatis in Ecclesia leges ponant, quas superior potestas tueatur & defendat. Defendere leges possunt etiam inferioris ordinis homines: constituere uerò nõ possunt, nisi superiores, quorum authoritate inferiores ad obediendũ constringuntur, & quibus potestas à Deo concessa est, pœnas de immorigeris sumendi. Dum igitur illis quos Ecclesiã referre dicunt, Ecclesiasticarum legum cõstitutionem ac promulgationem tribuunt, Magistratui uerò custodiam tantum & uindictam illarum relinquunt: quid aliud faciunt, quàm quòd præcipuum superioris potestatis officiũ inferioribus ac subditis assignãt, & superiorib. quibus omnis anima obedire tenetur, auferunt: atq; ita ordinationem Dei inuertentes, ex subditis legislatores, & ex legislatoribus subditos constituunt? *Penes Magistratum est & cura religionis & Ecclesiasticarum legum constitutio.*

Præterea si roges, unde sit Ecclesiasticis condendarũ legũ potestas, quid adferre poterũt, quo comprobent, quod temerè affirmant? Vbi maioritas est, inquiunt, ibi est mandandi authoritas, cæteros manet obediendi necessitas. Rectè. Sed maioritas tradita est à Deo magistratui, non Ecclesiasticis. Prætexunt Ecclesiam, cuius se potestate fungi dicunt. At Ecclesiæ non est tradita potestas condendarum legum, sed imposita audiendi & obediendi humilitas. *Vbi maioritas est, ibi est & mandandi authoritas.*

Obijciunt

Dic Ecclesiæ. Obijciunt illud Christi, Dic Ecclesiæ: &, Si Ecclesiã nõ audierit, sit tibi uelut ethnicus & publicanus. Respondeo: Ecclesiæ Dei tũ magistratu pio ac fideli destituebantur. Quare iudicia inter fratres ac fratres in cœtu Ecclesiastico sub ethnicis ministris exercebãtur, quemadmodum in Christianis quoq; Ecclesijs ab Apostolis plantatis usuuenit. Verùm longè alia est earum conditio, quæ principes ac Magistratus Christianos sunt beneficio Domini sortitæ, penes quos est maioritas, potestas, legislatio & gubernatio, non in prophanis modò, sed & sacris. Omniũ reuera nocentissimus error est, quo plerique de Magistratu Christiano haud aliter sentiũt, quàm de dominatu prophano, cuius potestas in prophanis tantum sit agnoscenda.

An ex authoritate Ecclesiæ rectè constituatur senatus Ecclesiasticus. Nec fas inquiunt, nec ius, nec ratio postulant, nec Deus instituit & sanciuit, ut tota genera tim Ecclesia nulla prorsus authoritate polleat, minusq; toti corpori tribuatur, quàm separatis quibusdã membris, uel etiam singulis. Et tamen fieri non potest, ut tota simul Ecclesia uni uerso huic muneri præsit. Quamobrem necesse est, ut in Ecclesia non aliter quàm in iuris dictione ciuili, præter uniuersum istud Ecclesiæ corpus certi deligãtur ab Ecclesia, ipsiusq; authoritate confirmentur, eiq; præsint muneri, cui semel ipsos tota præfecerit Ecclesia.

Respõdeo: Fas, ius & ratio Ecclesię est, ut obediat illis, qui ipsi sunt à Deo prępositi, sinat se instrui, duci ac gubernari instar corporis, quod capiti subest & obtemperat. Multitudo sic est comparata, ut opus habeat gubernatore, non ut præpolleat gubernandi potestate. Nec Deus sic instituit Ecclesiam suam, ut seipsa propria regat authoritate: sed ut regatur, & instar gregis à pastoribus gubernetur. Absurdum putant, si toti corpori minus tribuatur, quàm separatim quibusdam membris. Atqui capiti omnino plus est datum à Deo, quod ad gubernandi facultatem attinet, quàm toti reliquo corpori. Vnus Moses plus potestatis & authoritatis habuit, quàm uniuersa Israelis Ecclesia. Quare firmum non est, quòd potestatem condendarũ Ecclesiasticarum legum ex authoritate Ecclesię ad eos peruenire dicunt, quos illa eligit & cõfirmat. A Deo est ordinata omnis potestas, inquit Apostolus. Ecclesia tradere potest nemini, quod ipsa non habet, quia non accepit.

De eo quòd Paulus scripsit de iudicibus ab Ecclesia constituendis, 1. Corinth. 6. Dicet quisquã: Atqui Apostolus 1. Cor. 6. dat Ecclesiæ potestatem cõstituendi iudices, qui inter fratrem & fratrem iudicent. Respondeo: Distinguendum est inter statum Ecclesiarum qui tum erat, & inter eum qui nunc est, quemadmdum iam antea admonui. Deinde loquitur diserte de iudicijs quæ ad præsentis uitæ usum ac uictum pertinent, quæ iudicia iam uocant prophana, & ab Ecclesiasticis separant. Si hinc simpliciter asseritur Ecclesiæ iudicandi potestas, ergo danda illi erat nõ Ecclesiastica tantũ, sed & prophana, quã soli Magistratui deputãt. Si Christianos magistratus habuisset tũ Ecclesia Corinthiorũ, nulla fuisset Apostoli ratio ut diceret, Qui contempti sunt in Ecclesia, eos constituite: quia nõ fuissent ethnici & prophani iudices, sed Christiani, à quibus fideles conuenienter iudicari potuissent. Verùm quoniã uiuebant tum Christiani sub ethnico & infideli Magistratu, ne in probrum Christiani nominis sub illo frater cum fratre iudicio contenderet: admonuit eos, ut inter se ipsi eiusmodi controuersias ordinatis in eum usum iudicibus componerent: unde nõ potest de iure ac pietate Ecclesiæ, quæ Christianis est principibus & iudicibus subiecta, norma, quæ sit authentica, desumi. Diuersum igitur sentimus ab illis, qui Christiano magistratui potestatem esse negãt, qua leges Ecclesiasticas cõstituat. Confidenter asserimus omnem eam potestatem, qua leges authenticæ conscientias subditorum constringentes constituuntur, siue ciuiles illę siue Ecclesiasticæ uocentur, nec ad Ecclesiam, id est fidelium & subiectorum multitudinem, nec ad illius in uerbo Dei ministros, sed propriè ad solum pertinere Magistratum, cui datum est merũ imperiũ in subditos. unde & in Scripturis אלהים, id est Dij uocantur, qui Magistratu fungũtur, quam honoris appellationem sacerdotibus datam nõ legimus. Ipsa gubernationis ratio & natura ferre nequit, ut duæ sint in eodem populo potestates authenticæ, duæ diuersæ legislationes ac dominationes, nisi per subordinationem: perinde atque duobus in uno corpore non potest locus esse capitibus. Habeant ethnici & infideles, non in ueritatis unitate, sed mendaciorum confusione uiuentes, diuersos legislatores & Magistratus, alios prophanos, alios sacros, quorum omnis uita prophana est, & religio nihil aliud quàm templaria & Ecclesiastica superstitio. Christianus populus per omnia sanctus est, & non in templis tantum & ritibus Ecclesiasticis, sed in omni uita, omni loco, omni tempore, omnibus in rebus, factis & studijs nomini & gloriæ Christi consecratus: ut iuxta Apostoli admonitionem primę Corinthiorum decimo, siue edat siue bibat, uel quid operetur, omnia in gloriam Dei faciat: & Coloss. 3. omnia quæcunque facit uel in uerbo uel in opere, faciat in nomine Domini nostri Iesu Christi, & gratias agat Deo patri per ipsum. Quare distinctio illa legum Ecclesiasticarũ & prophanarum, locum in illo habere non debet: quia nihil in eo est quod sit prophanum, cum sit populus Domino Deo suo sanctus. Et ipse Magistratus sanctus est, nõ prophanus, sanctaque illius potestas, sanctæ leges, & sanctus gladius, reproborum & impiorum ultor, quo Domino supremo legislatori, iudici & ultori seruitur. Ipsa nostra corpora membra sunt Christi, & membra nostra templũ Spiritus sancti: iubemurq; glorificare Deũ non spiritu tantũ, sed & corpore nostro, 1. Cor. 6. Absit igitur hoc ab Ecclesia Christi, ut sit partim sancta, partim prophana:

Longè alia est conditio Christianorũ quàm sit ethnicorũ.

Distinctio Ecclesiasticarum & prophanarum legum in Christianis locũ habere non debet.

phana: sancta in facie, prophana retrò instar eidoli, quod speciosum apparet in facie, retrò uerò est sordibus & aranearum telis abominandum.

An propter prophanos locus sit prophanis legibus inter Christianos.

Si quis obijciat, non esse quorumuis Christianorum uitam sanctam, sed esse quãplurimos qui prophanissimè uiuant, propter quos prophanis quoq; legibus locus sit in populo Christianorum. respondeo: Verum est, in multitudine Christiani populi sunt ut plures mali quàm boni, ita & plures prophani quàm sancti, immundi quàm mundi, qui legum seueritate castigandi coercendiq; ueniunt. Hinc tamen nõ sequitur, leges Magistratuum, quibus in illos animaduertitur, propterea prophanas esse, & nõ sanctas & Ecclesiasticas, quòd per eas Ecclesiæ corpus à prophanis immundorum hominum moribus ac studijs repurgatur. Perinde nanq; atq; flatus noster, quo sordes corporis cùm è naribus tũ ex ore exufflamus & eijcimus, nõ ideo impurus est, quòd impuritatem è corpore nostro eijcit: ita non sunt prophanæ leges, quibus sordes Ecclesiæ per Magistratus authoritatem & potestatem expurgantur. Quomodo prophanum est, quod prophanos esse Christianos non sinit, sed ad uitæ sanctimoniam etiam inuitos adigit? An non prophanum facinus erat, quo Corinthius ille nouerca sua per incestũ abutebatur? Vtiq; erat. Dicemus ne igitur & Apostoli sententiam, qua illum excommunicari iubebat, fecisse prophanam, & non Ecclesiasticã? Qui leges ab Ecclesia poni uolũt, quibus facinorosi ac prophani à communicatione sacrorũ abarceantur, dicturi ne sunt esse illas prophanas, & non magis sanctas & Ecclesiasticas? Et quomodo prophanæ sunt, si à Magistratu constituantur?

Simile.

Quid sit esse Ecclesiasticũ.

Sanctæ quidem sunt, inquiunt, etiam à Magistratu constitutæ, sed nõ Ecclesiasticę. Quare nõ Ecclesiasticæ? Quia non constituuntur, inquiunt, ab ipsa Ecclesia, uel ab Ecclesiæ senatu, qui potestate Ecclesiæ fungitur. Ergo Ecclesiasticum est id tantum, quod ab Ecclesia, uel ex potestate Ecclesię à delectis nõnullis geritur? Quid prohibet, obsecro, quo minus Ecclesiasticum sit & illud, quod nec ab Ecclesia ipsa, nec nomine ac potestate Ecclesiæ, sed à Magistratu nomine ac potestate Dei, in ipsius Ecclesia, & ad bonum Ecclesię procurandum, malumq; reprimendum geritur, præcipitur ac statuitur? An non erunt leges scholasticæ, quæ nec ab ipsa schola, nec à scholæ magistro, sed à Magistratu ad scholæ protectũ constituuntur? An ciuiles leges non erunt, nisi quæ à ciuibus uel ex potestate ciuium statuantur? Absit. Quemadmodũ ciuiles leges rectè dicuntur, quæ ab Imperatoribus ac reliquis magistratibus in usus ciuium statuuntur: ita rectè Ecclesiasticæ uocantur, quæ in usus Ecclesiæ ab Imperatoribus & magistratibus sanciuntur. Scio illud iurisperitorum, quo quicquid quisq; populus ipse sibi iuris loco constituit, id ipsius proprium ciuitatis esse, ac ius ciuile uocari dicunt. At interim illi in distinctione sua generaliter quemuis Magistratum, gladio ad ultionem malorum instructum, ciuilem, ac leges illius ciuiles uocant: cum notissimum sit, nõ esse quosuis reges, principes ac magistratus à populo ac ciuibus electos. Sed hactenus fusius æquo respondimus illis, qui legum Ecclesiasticarum constitutionem ad Magistratum pertinere negant. Inspiciant saltem Christianorum Cæsarum sanctiones, & uideant an non Ecclesiasticæ sint illarũ multę in quibus de summa trinitate & fide catholica præcipiunt, uetantq; ne quis publicè de illa contendat: & de baptismate non reiterando statuunt, deq; statuis & imaginibus, de ferijs, de numero clericorum cùm maioris tum cæterarum Ecclesiarum, de ordinatione Episcoporum & cęterorum clericorũ, de rebus & bonis Ecclesiasticis, de sacris ministerijs, de oratorijs, alijsque consimilibus rebus omnino ad religionem & Ecclesiam pertinentibus.

Christianorũ Cæsarũ sanctiones Ecclesiasticæ.

De quibus religionis nostræ rebus statuere debeat Magistratus.

Iam consequenter uideamus, de quibus nam religionis nostrę rebus statuere debeat Magistratus. Quoniam cum primis ad illud Christianæ religionis instituendæ, gubernandę ac uindicandæ cura pertinet, in ea de quibus iam dicturi sumus, illius sese potestas extendit.

Magistratus est, constituere Ecclesiarũ ministros.

1 Principiò ut cõstituat Ecclesiarum ministros, ubi illi desiderantur, siue eligat eos ipse, siue ab alijs iussu ipsius electos confirmet. Neq; enim conuenit, ut prętер authoritatem potestatis publicæ publica quisquã munera in Ecclesia obeat. Dices: At secus factum est in primis Ecclesijs, in quibus à ministris ac plebe eligebantur Ecclesiarum antistites. Respondeo: Talis tũ Ecclesiarum erat status, ut aliter non essent eligendi ministri, propterea quòd Christiano magistratu destituebantur. Si reuocas temporum illorum mores, primùm conditiones ac statũ quoque illorum reuoca.

Magistratus ordines ministrorum disponere, reprobos arcere, & contentiosos compescere debet.

Prudenter autem & magna circumspectione ministrorum electionem dispensabit, nihil quęrens aliud quàm ut gregi Dominico sit consultum. Viros eliget non solùm pios, sed & ad docendum instructos. Simoniam cane peius & angue fugiet. Eligẽdi modum usurpabit, qui quàm maximè sit Ecclesijs accõmodus. Et quoniam per seipsum non poterit omnibus quæ huc pertinent sufficere, utetur opera & ministerio fidelium ac Dei timentiũ uirorum, siue illi sint in ministerio uerbi, siue alterius ordinis, quorum humeris hanc curã imponat: sic tamẽ ut electos ipse cognoscat, & si idonei uidentur, authoritate ac potestate sua confirmet.

Prętерea disponet ministrorum ordines, pro necessitatib. Ecclesiarũ, ut quisq; iuxta quod à Domino accepit, gregi Dominico utiliter seruiat. Inutiles fucos procul à præsepib. arcebit. Peccantes ministros corripiet & emendabit. Ecclesiam improbitate uitæ offendẽtes, aut insana

sana doctrina seducẽtes, ab officio deponet, dissidentes cõponet, contentiosos cõpescet: magnoq; studio curabit, ut pax & concordia ministrorũ ad Ecclesiarũ ædificationẽ retineatur.

Curabit magistratus, ut sana doctrina in Ecclesijs retineatur.

2 Deinde perpetua quadã uigilantia curabit, ut uerbum uitæ ac salutis secundum Euangelicam Christi constitutionẽ Ecclesijs ritè, competenter ac fideliter proponatur, in quo omnis uitæ ac salutis nostræ cardo uertitur, & sine quo uniuersæ gubernationis ratio langueſcit. Quare Israelicito regno præcipiebatur, ut codicẽ legis iugiter in manu uersaret, legeret atq; relegeret: ita Christiano Magistratui uersandus est codex Noui testamenti, ac legendus assiduò, quo certius sanæ doctrinæ Ecclesijs proponendæ curam gerere possit. Si hoc fecissent Christiani Magistratus, tantum errorum ac seductiouum pelagus per doctrinæ corruptionẽ in Ecclesias Christi haudquaquã exundasset. Et utinam hodie saltem huius rei necessitatem considerent Principes, præsertim illi qui de reformatione religionis gloriantur.

Magistratus rationem habebit sacramẽtorũ, ut illa ritè administrẽtur.

3 Tertiò: Post doctrinam, proximam curam impendet sacramentis à Christo seruatore nostro institutis, ut illa ritè, decenter ac religiosè administrentur, quemadmodum à Christianis Imperatoribus olim factum esse legimus. Eos qui uel ex gentibus uel ex Iudæis ad fidẽ Christi conuertuntur, exacto demum biennio, quo instituantur de fide Christiana, & probentur baptizandos esse constituit Iustinianus Imp. in Nouellis, const. 144.

Curã geret rituũ Ecclesiasticorum.

4 Quartò: Rationem habebit etiam Ecclesiasticorum rituum: inutiles, nedum noxios, tollet: corruptos emendabit, superfluos resecabit, impuros purgabit, prolapsos restituet: ethnicismo quam Christianismo propiores, præsertim cũ uerbo Dei pugnantes, procul eliminabit.

Et ministros & populũ retinebit in ordine.

5 Quintò: Legum seueritate retinebit & ministros & populum in ordine, quo illi ministeria sua fideliter obeant, iste cœtum Ecclesiasticũ, ad auditum uerbi, orationis communicationẽ, sacrificium laudis, & sacramentorum celebrationem incunctanter ac religiosè frequentet, ac liberos suos ad institutionem catechismi sedulò mittat.

Curabit ut scholæ ritè instituantur.

6 Sextò: Curam etiam scholarum haud postremo loco habebit. Hinc enim magna ad Ecclesiam emolumenta redire possunt, præsertim nostro hoc seculo, in quo omnia ad pietatem & intelligentiæ lucem facientia passim sunt exposita: modò caueatur, ne quo pacto iuuentus negligentius instituatur.

Animaduertet in uitia subditorum.

7 Septimò: Vigore legum, & uirga disciplina animaduertet in mores subditorum omnium, præsertim ministrorum, præfectorum, seniorum, & quorumcunq; officiariorum: coercebitq; non modò adulteria, scortationes, ebrietatẽ, furta, latrocinia, & quamlibet uim iniustã, quod & ethnici Magistratus faciunt: sed & impietatem, blasphemiam, hæreses, sacrilegia, Ecclesiæ contemptum ac desertionem.

Rationẽ habebit bonorũ ecclesiasticorũ.

8 Octauò: Singularis studio Ecclesiasticorũ quoq; bonorũ curã geret. Nihil de illis deteripatietur. Deinde curabit, ut ad suũ usum ritè ac fideliter dispẽsentur, quo cõmodè alãtur Ecclesiarũ ministri, pauperes, orphani ac uiduę, & alijs Ecclesiarũ usibus ac necessitatib. seruiatur.

Quomodo Magistratus tam Ecclesiasticarũ, quam politicarum rerum curam gerere poterit.

Dicet quisquã: Quomodo fieri potest, ut omnium horum curam unà cum politicarum rerũ gubernatione sustineat Magistratus? Respondeo: Sequatur cõsilium Ietro soceri Mosis, quo de legimus Exodi 18. Constituat uiros sapientes ac timentes Dei, in quibus sit ueritas, & qui oderint auariciam, ament uerò pietatem & iusticiam. In horũ humeros partiatur onus suũ, sic ut quicquid maius fuerit, sibi reseruet, minora uerò disponant illi. In hunc usum seorsim à nõ nullis Magistratibus constituta sunt iudicia, in quibus de leuioribus causis inter fratrẽ & fratrem iudicetur. Deinde habentur Consistoria, ut uocãt, quæ sunt instar Ecclesiastici senatus. In his iudicatur de causis religionis, coniugij, & quæ ad bonos mores pertinẽt. Præterea sunt & scholarchæ in nonnullis rebuspublicis à Magistratu constituti, qui scholasticam curã sustineant. Per huiusmodi partitionem fit, ut Magistratus horum omnium superiorem curam sustinere queat, dũ ministeria perficiuntur à subordinatis ministris, iudicibus, præfectis & scholarchis, potestas uerò & authoritas ipsi seruatur Magistratui. Quid igitur ministris Ecclesiarum, episcopis ac presbyteris relinquitur, inquies, si Magistratui competit, ut curã gerat Ecclesiarum, ministrorum, doctrinæ, sacramentorum, rituum ac ceremoniarum, cõsistorij, scholarum, ac bonorum Ecclesiasticorum? respondeo: Relinquuntur illis ministeria, ad quæ obeunda eliguntur ac constituuntur. Neque docet Magistratus, neq; administrat sacramenta, sed faciunt hęc ministri. In schola non docet Magistratus, sed docet ludi magister. In consistorio non iudicat Magistratus, sed qui ad id officij sunt ab illo constituti. Et tamen superior horum omnium authoritas & potestas non est ministrorũ, sed Magistratus: perinde atq; in domo bene instituta, omnium eorum quæ agenda sunt authoritas & potestas ad patremfamiliãs, labores uerò & ministeria ad œconomum & familiam pertinẽt. Hac distinctione satis multum relinquitur Ecclesiarum ministris. Vtinã officia sua fideliter, prudenter & utiliter obeãt. Hoc si fecerint, duplici honore digni sunt: & in opere suo à superiore potestate non impediẽdi, sed magis iuuandi. Commendata est illis doctrina sermonis, nõ principatus & authoritas potestatis, inquit Chrysost. Ordinem tenent docentium, consulentium & adhortantium, nõ legibus ac statutis imperantium.

Quid relinquatur ministris Ecclesiarum et Episcopis, si cura religionis pertinet ad Magistratus.

Chrysostomus.

Ergo, inquies, omnia hæc ad religionem nostram pertinentia geruntur in Ecclesijs nõ diuina,

uina, sed humana authoritate: suntq; ministri sacrorum non Dei, sed Magistratuũ serui, quan doquidem omnem religionis curam ac gubernationem potestati Magistratuum subijcis. At Scriptura ministeria Ecclesiastica non ab hominibus, sed à Deo esse testatur, qui in Ecclesia sua posuit alios Apostolos, alios prophetas, alios euangelistas, alios pastores & doctores, in opus ministerij, & cætera.

Ministeria ecclesiæ à Deo sunt, etiamsi Magistratus de illis constituit.

Respondeo, quòd à Deo sunt & uerbum Euangelij, & sacramenta, & ministeria Ecclesiastica, nõ repugnat nostrę sententiæ. Neq; enim sequitur, Religio Christiana non est ex hominibus, sed ex Deo: non debet igitur curam illius gerere Magistratus. Ipsa potestas Magistratus ex Deo est, & tamen quæ ad illam pertinent, administrantur per homines. Et ueteris Testamenti sacerdotes ac ministri ex Deo erant, quemadmodum & omnia illius sacra. Id tamen haud quaquam impediuit pios reges, quo minus curam illorũ gererent, ac ministros constituerent. Imò hinc magis confirmari potest Magistratus, ad disponendam religionẽ, quòd nouit sic esse diuinitùs constitutum, ut eligantur uiri pij ac docti, qui doctrinâ ueræ pietatis ac uitæ ecclesijs Christi prædicent, & mysteria Dei dispensent. Nec illud sequitur, Constitutũ est hoc à Magistratu, ergo non est ex Deo. Cũ Magistratus sit minister Dei, & potestas illius potestas Dei: quomodo ex Deo non est, quod uigore potestatis illius rectè ac legitimè constituitur? Ex Deo est doctrina Christi, ex Deo sunt illius sacramẽta: ex Deo sunt ministeria, per quæ illa dispensantur: ex Deo est potestas Magistratus, qua hæc in Ecclesijs Christi legitimè disponuntur, & quæ illis aduersantur, reprimuntur: & dubitabit quisquam, an ex Deo sint ecclesiastica ministeria, si à Magistratu disponantur: nõ dubitabit uerò, si disponantur ab unctis Pontificibus non gratis, sed accepta pecunia: non syncera, ad uerbi Dei præscriptum, sed adulterina, & à uerbo Dei discrepantia: & perficiantur non ad ædificationem, sed ad ueræ pietatis destructionem, & quæstum omnium turpissimum?

DE MAGISTRATIBVS ROMANI IMperij Cæsari iuratis.

DE potestatibus illis quę in Romano imperio superiori sunt Magistratui, Cæsaris uidelicet, subiectæ, mouetur à nonnullis quæstio, num & illis libera sit disponendæ religionis potestas: qua de re præcedentibus pauca quædam adijcienda uidentur. Argutantur quidam ad hunc modum: Quoniam Rom. imperij status, principes, comites, barones & respublicæ, supra se maiestatem Imperatoris agnoscũt, illiq; subijciũtur, & hinc quicquid potestatis habent accipiunt, an non par est, ut contra illius uoluntatem & præscriptũ nihil uspiam, nedum in religione, præsumant? At extant edicta imperialia, quibus cauetur, ne quis in religione quicquam mutare tentet. Quare nihil iuris relinquitur Magistratibus imperij, quod in disponenda religione prætexere possint.

Nostra sententia sic habet: Curandæ religionis potestatem ad eos pertinere Magistratus sentimus, quibus est merum imperium in subditos, & potestas gladij, humanæq; uitæ gubernatio, ac condendarum legum authoritas, nullo ad hæc superioris potestatis requisito consensu. Horum potestatem Cæsarea maiestas non iufirmare, sed confirmare: non imminuere, sed augere tenetur. Rationes cur sic sentiamus, paucis subijciam.

Cæsareæ maiestatis potestas, nõ derogat potestati subordinatorum magistratuum. Roman. 13.

Teste Apostolo, nõ est potestas nisi à Deo. Quę uerò sunt potestates, à Deo ordinatę sunt. Si ergo omnis potestas à Deo est ordinata, à Deo utiq; nõ Cæsaris tantùm, sed & inferiorum magistratuũ potestas. Deinde potestas omnis, gladiũ gestans, Dei ministra est, eodem Apostolo teste. Ergo non Cæsaris tantùm, sed & reliquorum magistratuum potestas ministra est Dei, à quo est ordinata. Tertiò: Si minister Dei est omnis magistratus, iure diuino tenentur quilibet in magistratu constituti, siue superiores siue inferiores, potestate quam acceperunt seruire Deo, cuius sunt ministri. Quartò: Si ad hoc iure diuino non superior tantùm, sed & inferiores tenentur, ergo & potestatem habent ut id faciant. Nam nemo ad hoc iure diuino tenetur, cuius potestatem non accepit. Quintò: Ministerium autẽ magistratuũ, quo Deo seruire tenentur, ad hoc dirigi debet, ut subditi cõmodè, honestè ac piè uiuere possint, quemadmodum suprà exposuimus. Sextò: Colligimus ergo, omnẽ potestatẽ magistratus à Deo ordinati esse in causa religionis authenticam non minus inferioribus, quam superioribus magistratibus: intellige, merum imperiũ in subditos habentibus. Nam & Cæsarea potestas à Deo est, & ministra Dei, ministeriumq; illius circa eadem uersatur, circa quę uersatur magistratuũ inferiorum: nempe, ad procurandum subditorum commoditatem, honestatem ac pietatem. Quare nullo iure, quod bonum est prohibere, aut quẽquam ex inferiorib. magistratibus potestate, qua Deo seruiat, priuare potest. Neq; enim potestatem habet Cæsar, quam nõ acceperit à Deo. Potestates autẽ à Deo acceptæ, licet aliæ alijs sint subordinatæ, inuicem tamen sese non extinguunt, sed magis confirmant. Haud est ideo superior Cæsar, ut inferiores magistratus impediat, quo minus potestate sua legitimè ad bonum subditorum, & gloriam Dei utantur: sed ad hoc magis, ut adiuuet eos, & confirmet: deniq; si officiũ suum negligentius

exequantur, aut quæ contraria illi sunt, faciat, sua eos maiestate in ordinem cogat, & periclitanti pietati ac iusticiæ succurrat. Hæc uera ratio est, propter quã Imperator cæteros magistratus authoritate ac maiestate antecellit. Quapropter nemini minus quàm ipsi cõuenit, ut ordinatis à Deo potestatibus authoritatem curandæ pietatis diminuat, nedum adimat.

AN CHRISTIANIS OPVS SIT *Magistratus.*

Quibus rationibus Christianos non habere opus Magistratu uideatur.

SI quæ sit Christiani hominis conditio consideres, deinde ad illam usum magistratus conferas, cogitare poteris, nulla in re Christianos homines opus habere magistratu: ideoq; uel nõ esse Christianas ecclesias & respublicas, in quib. locus esse potest magistratibus: uel si sint, esse in illis magistratus præter omnem rationẽ & usum. Est enim usus magistratus in populo, sicuti suprà admonuimus, ut sit minister iusticiæ, gubernationis, defensionis, iræ & ultionis Dei, quo possint subditi cõmodè, honestè, iustè ac piè uiuere. At Christiani, tanquã spiritu Christi præditi, ultrò studeant iusticiæ, reguntur & gubernantur spiritu Dei: ut quemadmodũ nõ est lex posita iustis, teste Apostolo, ita non sit opus illis legibus & gubernatione, quæ est per leges. Deinde uiuunt sub cura & defensione Dei, scientes ne passerculũ quidem super terram cadere sine prouidentia patris cœlestis. Tertiò, quoniam iustè uiuunt, non redduntur iræ & ultioni obnoxij. Quartò, non licet illis resistere malo, dicente Christo Matthæi quinto: Nolite resistere malo. facit autem hoc Magistratus: Ergo, &c. Quintò, sors illorum in hoc mundo est, ut haud commodè uiuant, sed per multas tribulationes exerceantur, regnumq; Dei ingrediantur. Sextò, quod attinet pietatem & religionem, adorãt Deum ac patrem in spiritu & ueritate, ac colunt eum ultrò, pendentq; ab eo syncera cordis fiducia, ut nullis opus habeant constitutionibus, quibus uel ad pietatem urgeantur, uel ab impietate auellantur. Quorsum ergo, dices, inter Christianos habetur Magistratus?

Vnde constet Magistratum Christianis quoq; esse necessarium.

Respondeo: Christianis utiq; scribit Apostolus, ubi de Magistratu loquens, dicit: Dei nãque minister est, tibi in bonum. Si Christianis quoq; in bonum minister Dei est Magistratus, quomodo non est illius usus aliquis in populo Christianorum? Adhæc, Magistratus illorum temporũ quibus Apostolus scribebat, alienus erat à fide Christi. Si ille potuit prodesse Christianis, quomodo non potest is qui fidem in Christum profitetur perinde atq; subditis?

Quòd Christiani præditi sint spiritu Christi, perque illum sic regantur, ut ultrò studeant iusticiæ, nec est referendum ad omnes, qui nomen Christi profitentur: nec intelligendum de perfectione, quasi nullis amplius sint defectibus & peccatis obnoxij. Nisi fieri posset, ut malè agat Christianus, frustrà diceret Apostolus: Si malè egeris, time: non enim frustra gladium gestat. ubi autem bonis immixti sunt mali, & ipsi quoque boni sic sunt imperfectè boni, ut peccare adhuc possint, ibi omnino locum habet magistratus, tanquam minister uirgæ & ultionis diuinæ.

Quòd sub cura ac protectione Dei uiuunt Christiani, non repugnat usui magistratus, qui ad hoc est minister Dei, ut pios ac bonos aduersus reproborum maliciam defendat: dumque hoc facit, curæ ac protectioni diuinæ seruiat.

Illud, Nolite resistere malo, non tollit usum magistratus: sed uetat, ne Christianus illatam sibi iniuriam ipse ulciscatur, sed potius patienter ferat, ferendoque uincat. Interea salua manet potestas gladij, qua magistratus in eos animaduertat, qui uim iniustam inferunt alijs: & innoxios hoc magis defendat, quo minus ipsi sese cõtra malorum iniquitatem tuentur. Sed hac de re Matth. 5. annotauimus.

Præterea, nec illud legitimi Magistratus usum impedit, quòd Christianis multæ subinde tribulationes ferendæ sunt, quas inferunt illis impij huius seculi filij. Sortem hãc illorum dispensat Deus non sine singulari consilio, nec constituit hinc certam & generalẽ legem, quæ omnes ex æquo comprehendat. Multis concedit, ut uiuant in pace, & commodè, sub iusto & legitimo Magistratu, sicuti res ipsa declarat: unde & Apostolus Christianos hortatur, ut sedulò pro Magistratibus orent, quo tranquillè, honestè ac piè in hoc seculo uiuere possint. Adhæc, quo pluribus sunt modis impiorum maliciæ obnoxij Christiani, hoc magis locum habet inter eos Magistratus, quo ab impiorum malicia defendantur: perinde atq; oues hoc magis opus habent pastore, qua magis malarum sunt bestiarum in fidijs expositæ.

Postremò, uerum quidem est, fidem ac pietatem Christianam pendêre à ductu spiritus in cordibus electorum: inde tamen nõ sequitur, nullo posse pacto Christianum Magistratũ moderandæ seruire religioni. quemadmodum non sequitur, frustrà haberi ministros uerbi, usumq; Ecclesiasticorum rituum ac sacramentorum, propterea quòd fides est ex Spiritus sancti dono, & necesse est ut è supernis regeneremur. Sed sunt hæc manifestiora, quàm ut operosam declarationem requirant.

AN

AN CHRISTIANVS POSSIT GERERE MAGISTRATVM.

QVi Magiſtratus officiũ haud religioſa,ſed prophana mẽte inſpiciunt,ubi de neceſsitate illius conuincuntur, eò deueniunt,ut negẽt illud à Chriſtiano adminiſtrari poſſe. Et huc rurſus citant uerba Chriſti: Nolite reſiſtere malo, quod ea omnibus ſint Chriſtianis dicta:magiſtratus uerò ſit officiũ, reſiſtere malis. Falluntur ex eo, quòd uerba Chriſti nõ ſuo ſenſu, quo dicta ſunt, accipiũt. Magiſtratus, ut Chriſtianus homo, nõ reſiſtit iniurijs priuatis: ſed cõdonat & ignoſcit. ut Magiſtratus uerò,& miniſter Dei, facit officiũ ſuũ, dum non patitur ut inter ſubditos ſuos alius alium iniurijs impunè afficiat. Et in hũc uſum gladiũ geſtat. Malo reſiſtit paterfamiliâs,dum cauet, ne quis inter domeſticos malè quippiam agat: & hoc faciens haud quaquá impeditur,quo minus ſit Chriſtianus. Malum eſt, ſi quis peccet. Ergo non debet Chriſtianus prohibere, ne quis peccet, ne malo reſiſtens nequeat eſſe Chriſtianus. Auferatur ergo ex Eccleſia doctrina pietatis & iuſticię,qua peccatis reſiſtitur,nemo corripiat peccantẽ:ſed permittantur regno ſatanæ libera omnia,ne Chriſtiani malo cuipiam reſiſtant. Abſit. Si quis alius eſt,cui malo reſiſtere competat: Chriſtiano cum primis cõpetit, ut hoc faciat. Non loquitur ergo Chriſtus de hoc mali genere, cum dicit,Nolite reſiſtere malo:ſed uetat,ne ipſi iniurias nobis illatas reſiſtendo & uindicando repellamus. At hoc non facit Magiſtratus,dum nõ ſuam,ſed ſubditorum ſuorum innocentiam contra reproborum iniquitatem tuetur. Quare, ut nõ facit contra doctrinam Chriſti,dum officiũ ſuum fideliter implet, ita haudquaquam impeditur, quo minus ſit & Chriſtianus & Magiſtratus.

Nolite reſiſtere malo.

Ad ea quoq; facilis eſt reſponſio,quæ ex alijs ſcripturæ S.locis obijciũt. Qualia ſunt: Eſtote miſericordes. item,Remittite,& remittetur uobis. &, Mihi uindictam. &, Nolite iudicare, ne iudicemini. Dicta ſunt hæc, inquiunt, Chriſtianis omnibus: & interim ſic ſunt cõparata, ut à Magiſtratibus ſeruari nequeant. Qui nanq; magiſtratum gerit,ne pauperis quidem in iudicio miſereri poteſt: ſed ex officio cogitur abſq; miſericordia animaduertere inſontes: atq; ita non remittit noxam,ſed uindictam exercet, contra illud Rom. 12. Mihi uindictam, & ego retribuam. & ſi iuſtè agere uoluerit, iudicat fratrem. Hęc omnia facit Magiſtratus ex officio: quæ ſi Chriſtianus eſſet, non faceret.

Chriſtianũ hominem,ut Chriſtianum miſericordem, & ex officio contra reprobos iudicẽ eſſe, nihil impedit.

Reſpondeo. Miſericors eſt Chriſtianus in Magiſtratu conſtitutus, ut Chriſtianus,pro ſua perſona,& in proprijs cauſis, miſericorditer ignoſcens ac remittens, ſi fuerit læſus à quopiã: iudicat uerò & uindicat, ut Magiſtratus,in cauſis ſubditorum:& hoc faciens,miniſtrum agit iudicij & ultionis Dei,tam abeſt ut peccet. Imò,ſi conferantur inter ſe Chriſtianus in propria cauſa,nec iudicans,nec uindictam ſumens,ſed miſericorditer ignoſcẽs:& Magiſtratus in cauſis ſubditorum nõ parcens ſonti,ſed iudicans cauſam per iniuriam afflicti,haud minoris uirtutis cẽſendus uenit,qui ſic animaduertit in reprobos,ut inſontes tueatur ac defendat,quàm ille qui in ſua ipſius cauſa condonat in ſe peccanti, quod,niſi Chriſtianus eſſet, iure ſuo perſequi poterat. Quemadmodum autem poſſunt utraq; hæc ab uno & eodem homine fieri, ita nihil impedit, quo minus unus & idem homo fide ſit Chriſtianus, & officio Magiſtratus. Vtranque perſonam abſque ulla contradictione in ſe recipere, & utrique ueraciter ſatisfacere poteſt. Si idem homo nõ poteſt eſſe miſericors in cauſa propria ut Chriſtianus, & ultor peccati in cauſa aliena ut magiſtratus,propterea quòd miſereri & ulciſci contradictionem inter ſe habere uideantur:reſpondeant qui ſic ſentiunt,quomodo idẽ homo ignoſcat in ſe peccanti proximo ut Chriſtianus,& non ignoſcat delinquenti filio ut pater,ſed uirga diſciplinæ peccantem caſtiget. Imò, quomodo idem Deus miſericors ſit, peccatis noſtris ignoſcens:& contrà,non ſit miſericors, ſed iuſtus iudex, in quorundam maliciam & iniquitatem animaduertens. Idem Deus pater eſt & iudex. Vt pater parcit, ut iudex punit. Nihil hic eſt cõtradictionis. ſic nihil impedit, quo minus idem homo ut Chriſtianus,impleat uerba Chriſti: & ut Magiſtratus, miniſtret iudicio, iræ & ultioni Dei, quibus Chriſti doctrina haudquaquam aduerſatur. Dum hæc conſideramus, manifeſtum omnino redditur, inconſultam eſſe illorum ſententiam, qui ſic de magiſtratu & Chriſtianiſmo ſentiunt, ut exiſtiment non poſſe utrunque in eodem homine conſiſtere. Si Scripturas diligentius inſpicerent,aliter ſentirent. Cum Paulus proconſulem Paulum Sergium ad fidem Chriſti conuertiſſet, haud uetuit, quo minus magiſtratum,quem gerebat, deinceps adminiſtraret, Actorum decimotertio: quòd tamen facere debuiſſet,ſi retento magiſtratus officio Chriſtianus eſſe nequiuiſſet. Cõſimiliter nec Petrus prohibuiſſe legitur,quo minus Centurio & Chriſtianus fieret,&in officio ſuo maneret,Actorum decimo: quemadmodum nec Eunuchum Candacis reginæ uirum potentẽ, Philippus ſic ad Chriſtianiſmum conuertit,ut officium quod in magiſtratu gerebat,reſignaret,Acto. 8. nec à militibus requiſiuit baptiſta Ioannes,ut ſi baptizari uellent,militiam deſererent:ſed hoc tantum illis iniunxit, ut nemini uim & calumniam inferrent, ſed ſtipendijs ſuis contenti eſſent, Lucæ tertio.

De Paulo Sergio, Centurione, eunucho Candacis reginæ, & militib. à Ioanne baptizatis.

Si cauſam hanc rectè perpenderent,optarent potius nullum eſſe regnũ, nullum principatum, nullam rempublicam in orbe, cuius magiſtratus nõ ſint ueri Chriſtiani. Requiritur Pſalmo ſecundo à regibus & iudicibus terræ, ut Domino ſeruiant in timore,& filium Dei oſcu-

Optãdum eſt, nullum eſſe regnũ, in quo magiſtratus nõ ſint perfectè Chriſtiani.

lentur. Quem dabunt ex omnibus mortalibus, qui hoc rectius præstare queat, quàm uerum Christianũ, cognitione, fide ac timore Dei præ omnibus alijs præditum? Apostolus magistratũ ad hoc ministrũ esse Dei dicit, ut officio suo in in bonum subditorũ, ac laudem bonorũ fungatur. Quis hoc melius præstare poterit homine Christiano? A iudicibus postulat Moses, ut sint sapientes, timentes Dei, ueritatis amantes, & odio auariciã habentes. Et Iosaphat rex pius sic ad illos dixisse legitur: Videte quid faciatis. nõ enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: & quodcunq; iudicaueritis, in uos redundabit. Sit timor Domini uobiscum, & cum diligentia cuncta facite. 2. Paral. 19. Si hæc præstari poterunt ab homine ethnico melius quàm à Christiano, non uideo quomodo probrum hoc Christiani nominis ueraciter dilui possit. Si uerò ipsum magistratus officium præstantissimum hominem requirit, præstantior aũt Christiano esse non potest: quis non uidet quàm sit absurdum, prohibere eum ab officio magistratus, qui præ cæteris ad functionem illius est appositus?

Officiũ magistratus nemo melius quàm Christianus obire poterit.

QVID MAGISTRATVI DEBEATVR à subditis.

POtest tota hæc materia in duas partes diuidi, quarũ prior magistratum, posterior subditos illius concernat. De priori diximus hactenus, quid uidelicet sit magistratus, unde sit, qualis esse debeat, quod sit illius officium, an cura religionis ad illum pertineat, quousque potestas illius in religione ualeat, & quæ sit hac in re conditio magistratuum imperij Cæsari iuratorum, an Christianis opus sit magistratu, & possit ne Christianus gerere magistratum. De posteriori dicendum est in sequentibus, quid uidelicet debeatur magistratui à subditis: deinde, sint ne Ecclesiastici quoq; inter subditos censendi: tertiò, quousq; sit obediendum magistratui.

Roman. 13

In ea quæ ad Romanos scripta est cap. 13. commemorantur quædam ad hanc considerationem pertinentia: unde colligi potest, quid à subditis debeatur magistratui. Numerantur aũt ibi duo paria, in quibus comprehenditur debitũ, quo sunt subditi magistratibus suis obstricti. Vnum pertinet ad cordis affectus, alterũ ad externam uitæ conuersationem. Cordis sunt, honor ac timor. Exteriora concernunt tributum & subiectio, uel obedientia.

Honor debetur magistratui à subditis.

Principiò igitur debemus magistratui quisq; suo honorem, quo de illo sentiamus honorificè ac reuerenter, tanquã de ministro Dei, ad hoc diuinitùs ordinato, ut potestate gubernatrici fungens uices Dei obeat in terris, geratq; imaginẽ Dei gubernantis, seruantis ac protegentis nos: & si mali simus, pœnas de nobis sumentis. unde & in Scripturis aliquot locis dij uocantur, quemadmodum & suprà meminimus. Facit autem carnis nostræ corruptio, quòd paucos inuenire datur, qui hoc respectu honorificè de magistratu sentiant. Deinde debemus Magistratui timorem ac reuerentiam. Est autẽ duplex timor, quo magistratus timetur à subditis. Vnus est pœnæ, quo timetur ab ijs qui malè quid uel egerunt, uel agere cogitant. Huius mentionem facit Apostolus Rom. 13. dicens: Si malè egeris, time. nõ enim frustra gladium gestat. Alter nascitur ex eodem respectu, unde honorẽ magistratus nasci diximus. Is nihil est aliud quàm reuerentia, quam primùm in corde nostro sentimus, quoties de magistratu cogitamus aut loquimur, deinde & uerbis & factis exprimimus. Vtrunq; hunc timorẽ & honorem infirmat, labefactat, & nonnunquam prorsus amittit, imò in contemptum mutat magistratus negligens, nimium indulgens, leuis ac uanus: quod & patribus familiâs accidere uidemus, dum personæ suæ decorum non seruant: potissimùm autem, si impius contra Deũ fuerit, ut impleatur illud Psal. 107. Effundit contemptum super principes.

Magistratui debetur timor.

Soluenda sunt magistratui tributa ac uectigalia, &c. Roman. 13.

Tertiò, soluenda sunt magistratui tributa, uectigalia, census & exactiones, quibus opus habet ad gubernationis ac potestatis suæ exequutionem. Colligendũ enim est ex priuatis bonis in usus publicos, sine quibus neque uita nostra, neq; priuatæ facultates in pace ac tranquillitate seruari poterunt. Nemo militat suis stipendijs, nemo magistratum gerit proprijs sumptibus. Neq; par est, ut hoc petatur à subditis. Apostolus cum rationem reddere uellet, propter quam magistratibus soluenda sint tributa, scripsit ad hunc modũ: Propter hoc enim & uectigalia soluitis. Nã ministri Dei sunt, in hoc ipsum incumbẽtes. Ratio hæc gemina est. Prima in eo est, quòd dicit: Nam ministri Dei sunt. Hic non debemus cogitare de Deo, quasi ad nos nihil pertinente, cuius opera & studia nihil nobis conferant: sed tanquam de eo, qui mundum hunc regit, gubernat & conseruat, & in hunc usum potestates excellentiores ordinauit. Quare dũ tributa magistratui soluimus, debemus id primò hoc respectu facere, quòd soluenda illi sunt tanquam ministro Dei, cuius opera & potestate regimur & gubernamur. Altera in eo est, quòd subiungens dicit: In hoc ipsum incũbentes. Significat magistratus sic occupari ministerio Dei, ut nec priuatis necessitatibus, nec publicis sumptibus sufficiant: ideoque contribuendum illis esse à subditis, ut ad manum sit unde uiuant ipsi cum suis, & unde negocia publica exequantur. Vtitur pulcherima uoce, cum dicit, ἐπὶ τοῦτο αὐτὸ προσκαρτεροῦντες: hoc est, in hoc ipsum cõstanter ac perseueratèr immorantes ac perdurantes, ἐπὶ τ εἰκάμψ ἀμετάπτωτις, inquit,

Chrysostomus.

ἢ, inquit Chrysostomus, τῶν κοινῶν πάθοιτε πραγμάτων, καὶ εἰς ταῦτα τὴν σχολὴν ἀναλίσκειν ἄπασαν, ἀλλ' ἵνα καὶ τὰ ἰδίοις σώζοιτε.

Quartò, debemus præterea magistratui subiectionem & obedientiam. Hac de re Apostolus sic scribit: Quapropter oportet esse subditos, non solùm propter iram, sed & propter cõscientiam. Cum dicit, Oportet esse subditos: necessitatem obedientiæ ac subiectionis huius exprimit. cum subijcit, Non solùm propter iram, sed & propter conscientiã: exprimit causas: quarum prima est metus iræ, id est uindictæ, quam sumit magistratus de immorigeris ac contumacibus. pertinet hæc ad carnales ac reprobos. Altera est, conscientia, qua conscij sumus ordinationis diuinæ, per quam datus est magistratus: scimusq; obediendum illi esse ex uoluntate & constitutione Dei. Mouet hæc causa pios homines, ut obediant legibus & cõstitutionibus magistratuum, etiamsi conscientiam illorum fallere, & impunè quod malum est, facere queant. Sic habet carnalis homo causam cur obediat magistratui: habet ille uindictã, iste conscientiam. Habet præterea & sapiens, unde ad obediendum moueatur, dum obedientiã hanc non tam magistratibus, quàm subditis & obedientibus prodesse, inobedientiam uerò plurimùm nocere cogitat. Etenim qui immorigerus est magistratui, perinde insipiẽter agit, sibiq; ipsi incommodat, ac si qui in mari nauigant, immorigeri sint nauclero, sibique ipsi in causa sint, ut in discrimen uitæ incidant. Sed hactenus de ijs quæ magistratui debentur à subditis, obiter dictum esto. *Debemus magistratui obedientiam.*

QVI, ET AN ECCLESIASTICI QVOQVE *habendi sint pro subditis.*

REperias multos, qui indignã rem esse censeant, si omnino sint subditis, multitudini uidelicet plebis, in causa hac subiectionis & obedientiæ connumerandi: quales sunt diui tes, & uel natalibus uel sapientiæ existimatione cæteris præstantiores: præsertim si in magistratu esse uideant, qui nec opibus, nec natalibus, nec iudicio pares ipsis sint, nedũ præualentiores. Solet hoc euenire in ijs rebusp̃licis, in quibus è media plebe leguntur in senatum homines: probi quidem, attamen plebeij & banausæ, quos potentiores ciues ægerrimè pro magistratu suo agnoscere sustinent: ideoq; huc connituntur, ut si in magistratu esse uel nolunt, uel nequeunt, priuilegijs Cæsarijs à conditione subditorum eximantur, atq; ita medij sint inter magistratum ac subditam plebem. *De illis qui magistratui subesse dedignantur.*

Nos uerò simpliciter omnes eos qui non sunt in functione magistratus, pro subditis habẽdos esse censemus: improbamusq; hominum istorum fastum, quo non tam magistratũ suum quàm Deum ipsum cõtemnunt, ne super ipsos ordine quem constituit, regnet. ut locum in ipsis habeat, quod ad Samuelẽ de Israele dictum est à Deo: Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos, 1. Sam. 8. Etenim si ordinationi Dei resistit, quisquis potestati resistit: eadẽ prorsus ratione ordinationem Dei contemnit, quisquis potestatem contemnit.

Quòd autem nemo mortalium ab hac sit subiectione eximendus, Apostolico testimonio confirmatur, ubi dicit: Omnis anima potestatibus supereminentib. subdita sit. Ebraico more omnem animam pro omni homine dixit. Poterat simpliciter dicere, Obediendũ est potestatibus: nisi significare uoluisset, neminem mortalium ab hac esse subiectione exemptum. Ideo dixit, Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Donec igitur inest carni nostræ anima, constringimur ordinatione hac diuina ad subiectionem & obedientiam magistratui præstandam. Eximantur hinc mortui tantùm, cum quibus quid agàt amplius magistratus, non habet, teste Christo, qui Lucæ 12. sic dicit: Ne terreamini ab illis qui occidunt corpus, & post hoc non habent amplius quid faciant. *Nemo mortalium exemptus est ab obedientia magistratui debita.* *Mortui tantũ liberi sunt ab obedientia magistratus.*

Ab hac subiectione uidemus ordinem Ecclesiasticorũ, quos Spirituales uocant, exemptũ esse in Papatu: Roma noq; tantum Pontifici, quasi unico capiti, subiectũ. Sentiunt animales tantùm & carnales, laicos & plebeios homines, quos seculares uocãt, subiectos esse debere magistratibus, spirituales uerò nequaquam. Et hanc suam sententiam expositione Origenis defendere conantur, qui animam in uerbis Apostoli pro animali homine positam esse dicit, atq; ita distinguit inter animalem, carnalem & spirtualem hominem, ut spiritualem ab hac subiectione eximat, animalem uerò & carnalem obnoxium illi faciat. Verùm quis non uidet expositionẽ hanc alienã esse à mente Apostoli, & à sacræ Scripturæ phrasi? Apostolo & Scripturæ omnis anima idem simpliciter est quod omnis homo, quisquis ille sit, siue iustus, siue iniustus: siue animalis, siue spiritualis. Cum Abrahã Gen. 14. diceret, Da mihi animas, cætera tolle tibi: quæso, an animales tantùm homines dari sibi popposcit? Et cum Scriptura Gene 46. dicit: Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt Ægyptum, fuere septuaginta, putabimus ne de animalibus tantùm hominibus esse intelligendum, ut illud, Omnes animæ, idem sit quod omnes animales homines? Et solos ne animales homines ad Deũ pertinere sentiemus, propterea quòd per Ezechielem Deus cap. 18. dicit, Omnes animæ meæ sunt? Actorũ 2. cũdo legimus, Et appositæ sunt in die illa animę circiter ter mille. Scribit hoc Lucas de credenti. *De ecclesiasticis, an illi exẽpti sint ab obedientia magistratus.* *Origenes.* *Omnis anima, idem est quod omnis homo.*

dentibus in Christum,& baptizatis. Et quomodo conueniet huc expositio Origenis, ut per animas intelligamus animales homines? Et cap.27. Eramus, inquit, oēs animæ in naui 276. An intelligit de animalibus tantùm hominibus,cum & ipse & Paulus quoq; utiq; spirituales homines, essent in naui? Et 1. Petr.3.octo animas per aquam saluatas esse legimus. Quàm autem ridiculum fuerit, si exponas de octo animalibus hominibus? Ex his & alijs Scripturę locis manifestum est, omnem animam nihil aliud dici, quàm omnem hominem. Quare friuola prorsus est expositio Origenis.

Chrysostomus.

Quartò rectius exposuit Chrysostomus,cuius hæc sunt uerba: καὶ διατοῦτο, ὅτι πᾶσι τούτοις διατάττεται τὰ ἱερεῦσι, καὶ μοναχοῖς, ἀλλὰ τοῖς βιωτικοῖς μόνοις, ἐπὶ προοιμίων αὐτὸ ἔδειξεν ὑποίκων, ὅτι πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω, κἂν ἀπόστολος ᾖς, κἂν εὐαγγελιστὴς, κἂν προφήτης, κἂν ὁτιοῦν. δεῖ γὰρ αὐταρκίαν τὴν ἀνθρώπινον αὕτη ἡ ὑποταγή: id est, Et ut ostenderet, quòd omnibus ista præcipiantur,& sacerdotibus & monachis,nō secularibus tantùm, statim initiò manifestū hoc fecit, sic dicēs: Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit,etiamsi sis Apostolus, etiāsi Euangelista,etiamsi Propheta, siue quisquis tandem fueris. Neq; enim pietatem subuertit ista subiectio. Hæc ille.

Si anima pro animali homine accipiatur, quid inde sequatur.

Sed esto, exponant animam pro animali homine. An non simul excludentur omnia, quæ ad animalem hominem sustentandum sunt necessaria, quibus donec hic uiuimus, opus habemus omnes,ideoq; magistratui ordinatione diuina subijcimur. Cōuenit ergo,ut Ecclesiastici, Pontifices,episcopi, carnales, sacerdotes, clerici, monachi & moniales comprobent se siue esse meros spiritus, ut nihil habeant amplius cōmercij cum uita hac animali,& ijs quæ ad sustentationem illius necessariò requiruntur, quo simul comprobent, haud ad se pertinere sententiam hāc Apostoli.Petrus & Ioannes,inquit Origenes, nihil habebant,quod Cæsari rederent. Dixit enim Petrus: Aurum & argentū non habeo. Qui hoc non habet,nec Cæsari habet quod reddat,nec unde sublimioribus subiaceat potestatibus. Qui uerò habet pecuniam, aut possessiones, aut aliquid in hoc seculo, audiat: Omnis anima potestatib. sublimioribus subiaceat. Hæc ille. Respondete fratres:An pontifex Romanus,& episcopi,& prælati, & abbates, non habent pecuniam? nō habent possessiones? nihil habent in hoc seculo? cum propè omnibus huius seculi thesauris manū iniecerint, sicq; terrenis sint rebus immersi,ut si iudicandi ueniant ex uero, nemo inter Christianos iustius posit ad obedientiam magistratui præstandam adigi, quàm hi ipsi qui omnium minimē ad se pertinere sententiam Apostoli putant. Iam cum nec spirituales uiri sint,sed omnium carnalissimi:nec si essent etiam,hoc nomine impediantur, aut eximantur ab hac subiectione, quis nō uidet,quàm nulla ratione obedientiæ huic sese subduxerint? Quæ nam est illorum spiritualitas, quæ nō fuerit Apostolorū, Euangelistarum & Prophetarum? & si fuerit,liberos eos ab obedientia magistratibus debita non reddiderit, reddat uerò istos? An amplior aliqua est Romanorum pontificū, carnaliū,

Mysterium iniquitatis in libertate Ecclesiasticorum.

episcoporum, sacerdotum & monachorum dignitas ac prærogatiua statuenda, quàm fuerit Apostolorum & Prophetarum, qui magistratibus obedierunt, & simul ab iniuncto officio haud discesserunt? Cogitet autem cordatus homo, quantum sit hoc iniquitatis mysterium, quo se Ecclesiastici non subduxerunt tantùm,sed & prætulerunt magistratibus merum imperium habentibus: idq; non solùm dignitate ac præstantia officij, sed & potestate imperandi, quasi non sufficiat Antichristianismo denegare magistratibus obedientiam, & dominationes, iuxta dictum apostoli Petri,contemnere, nisi etiam supra illorum sese excellentiam extollant: & cum subiecti esse debeant, dominatores esse præsumant. Pontificis cuiusdā uerba sunt hæc: Sic tribuunt Romano pontifici imperiū in ipsum cœlum. A pastoribus lex creuit in regalem maiestatem: à piscatoribus Euangelium creuit in imperialem maiestatem, in terram & inferos,ut potestatem habeat super angelos, homines & dæmones, super uiuos & mortuos,imò super reges quoque & Imperatoriam maiestatem, super omnia tam secularia quàm spiritualia,super omnium facultates,corpora & animas.Collocant illum in omnē potestatis plenitudinem, quæ Christo debetur, qui sibi omnem potestatem in cœlo & in terra datam esse dixit.Notum est illud Distinct.22.cap.Omnes:Iura terreni simul & cœlestis imperij Petro dedit.Idem uidere est in Clement.Rom.de iureiur.in Extrauagā. Bonifacij octaui, unam sanctā,ubi legimus ad hunc modum: Vterque gladius est in potestate Ecclesiæ,spiritualis uidelicet & materialis.Sed is quidem pro Ecclesia,ille uerò ab Ecclesia exercēdus.Ille sacerdotis,is manu regum & militum,sed ad nutum sacerdotis.Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem spirituali subijci potestati.Nam cum dicat Apostolus, Non est potestas nisi à Deo: quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt:nō autem ordinata essent,nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per aliud in suprema,&c. Et paulo pòst: Spiritualem autem & dignitate & nobilitate terrenam quamlibet præcellere potestatem,oportet nos tanto clarius fateri,quanto spiritualia temporalia excellunt. Quod etiam ex decimarū datione,& benedictione,& sanctificatione,ex ipsius potestatis acceptione,ex ipsarum rerum gubernatione claris oculis intuemur.Nam ueritate testante, spiritualis potestas terrenā potestatem instituere habet & iudicare,&c.Item: At terrena potestas iudicatur à potestate spirituali:sed si deuiat spiritualis minor, à suo superiori si uerò suprema, à solo

A pastoribus lex in regalē: à piscatoribus Euangelium in imperialem maiestatem creuit.

Quid tribuant Rom. Pōtifici.

Deo

Deo,nõ ab homine poterit iudicari,teſtante Apoſtolo: Spiritualis homo iudicat omnia,ipſe aũt à nemine iudicatur,&c. Hæc ibi.quæ prorſus indigna ſunt,ut operoſius inſpiciãtur. Quis enim non uidet,quàm friuolum ſit illud de duobus gladijs commentum? Dant Petro utrunque,& temporalem & ſpiritualem. At ille non duos habuit gladios, ſed unum tantum: alterũ quis diſcipulorum habuerit,nuſquam legitur. Quare admodum putidum commentum eſt, quo ad Papam tanquam Petri ſucceſſorem duos gladios,ſpiritualem & materialem,pertinere ex eo loco colligunt. Et quod ex Paulo citãt,eſſe poteſtates à Deo ordinatas,ſic ut gladius ſit ſub gladio,ſecularis ſub ſpirituali,præter mentem eſt Apoſtoli. Neq; enim in hunc ſenſum uſus eſt uerbo ordinandi,ſed ſimpliciter ſenſu conſtituendi, Conſtitutæ ſunt à Deo,quę ſunt poteſtates. Sic erat & Romani imperatoris poteſtas,ſub qua uiuebat Paulus, τεταγμένη, id eſt ordinatà & cõſtituta à Deo,quãuis eſſet aliena ab eccleſia Chriſti,adeoq; nulli ſpirituali ſubiecta,nec ab ullo Chriſtianorũ apoſtolo uel epiſcopo accepta. Obſecro,quare non uidit hanc expoſitionẽ Chryſoſtomus,ſed ſimpliciter omnes homines, etiam Apoſtolos & Prophetas poteſtati magiſtratus ſubiectos eſſe agnouit? Scilicet,nõ erat imbutus Romani pontificatus ſpiritu. De decimis,benedictionibus & ſanctificationibus quid dicam? Accipiunt quidẽ non modò decimas,ſed propè omnia,& benedicunt in ſpeciem,& ſanctificant,cum reuera magis maledicãt ac prophanẽt omnia. Sed eſto: An ideo rectè colligitur,magiſtratus eſſe ſubiectos Pontificibus,id ex eo liquere,quòd dãt illis decimas,& uiciſsim ab illis benedicuntur & ſanctificantur? An non reges Iſraelis ſacerdotibus dabãt primitias & multa alia,& ab illis ſanctificabantur? Quis tum cordatus colliget ex eo, reges fuiſſe ſacerdotibus ſubiectos: cũ pateat diuerſum ex hiſtorijs ſacris,quemadmodum ſuprà oſtendimus?

Et illud: Spiritualis homo iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur: non idem eſt atque Rom. Pontifex iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur. Neq; enim agit Apoſtolus de ordine & poteſtate Pontificũ,ſed diſcernit inter animales & ſpirituales, illisq; tribuit, quòd quæ Dei ſunt,agnoſcere nequeant: iſtis uerò ſpiritu Dei illuminatis,qui ex Spiritus ſancti ductu non affectibus carnalibus uiuunt,quòd iudicio ſpiritus intelligãt omnia: uidelicet,quæ ſunt ſpiritus Dei, & ex Euangelio Dei proponuntur: ipſi uerò dijudicentur, id eſt cognoſcãtur,à nemine,animali ſcilicet,quantumuis docto ac ſapiente. Nam mundus non nouit uos, inquit Ioannes,quia Deum non nouit. Obſecro,quomodo faciunt hæc ad propoſitum? Quomodo quod ad ſolos Chriſtianos & fideles pertinet,ad Romanum pontificem trahitur? Si dijudicare hoc loco idem eſt,quod poteſtate iuridica præditum eſſe: & dijudicari à nemine,idẽ quod nullius eſſe ſuperioris poteſtatis iudicio ſubiectum, ergo Chriſtianus homo poteſtatem habet ſuper omnia,& nullius eſt magiſtratus iuriſdictioni ſubiectus: & uanũ eſt prorſus quod Apoſtolus Rom.13. Chriſtianis præſcribit. O immẽſam præteritorum ſeculorum ſtupiditatem,qua impediti fuerunt maiores noſtri, ne Rom. pontificum nugas & impoſturas intelligerent. Multa eſt & uaria illorum malicia,nequitia & uerſutia: ea uerò omnium maximè piorum eſt execratione deteſtanda, qua ſacras Scripturas ad impoſturãrum ſuarum palliationem uſurparunt ac peruerterunt.

1.Cor.2. Spiritualis iudicat omnia, et ipſe à nemine iudicatur, quo ſenſu ſit dictũ.

Immenſa fuit præteritorũ ſeculorum ſtupiditas.

Citant etiam ad confirmandum ſuum commentum ex Eccleſiaſticis hiſtorijs illud Conſtantini Magni,quod ad epiſcopos dixit,qui iurgia ſua ad ipſum deferebãt: Deus,inquit,uos conſtituit ſacerdotes,& poteſtatem uobis dedit,de nobis quoq; iudicandi,& ideo nos à uobis rectè iudicamur. Vos autem nõ poteſtis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei ſolius inter uos expectate iudicium,& ueſtra iurgia quæcunque ſunt,ad illud diuinum reſeruentur examen. Vos etenim nobis à Deo dati eſtis dij, & conueniens nõ eſt,ut homo iudicet deos, ſed ille ſolus,de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in ſynagoga deorum,in medio autem deos diſcernit. Et ideo his omiſsis,illa quæ ad fidem Dei pertinent, abſque ulla animorum contentione diſtinguite. Hæc Ruffinus libro primo Eccleſiaſt. hiſtor. cap. 2. Vnde firmum ſe teſtimonium Chriſtiani Imperatoris habere exiſtimant, quo comprobetur, Romanum pontificem poteſtatem habere iudicandi de omnibus etiam Imperatoribus: & interim iudicari illũ deberi à nemine, niſi à ſolo Deo.

De uerbis Conſtantini Magni ex Ruffino.

Sed uideamus quid patrocinij habeant ex hac hiſtoria. Principiò,ne uerbo quidẽ mentio fit de Rom. pontifice,ſed in genere de epiſcopis cõtentioſis, & mutuò ſeſe corã Imperatoria maieſtate deferentibus & accuſantibus. Quæ illis Imperator Chriſtianus & prudens reſpondit,conciliationis gratia reſpondit,de Romani pontificis præminentia ne cogitans quidem. Deinde non rẽmiſit epiſcopos illos,ad ſedem & iuriſdictionem Romani pontificis. Non dixit,Habetis Romanum pontificem,Chriſti uicarium,& Petri ſucceſſorem,ad illum cauſas iurgiorum ueſtrorum iudicandas deferte: ſed,Iurgia ueſtra, inquit, ad diuinum reſeruentur examen. Solius Dei expectate iudicium. Solus ille de uobis iudicet,de quo ſcriptũ eſt: Deus ſtetit in ſynagoga deorum,&c. Ergo ſentiebat nec Romanum epiſcopum iuriſdictionem habere in epiſcopos,ſed Deum tantum.

Tertiò,nec ipſi epiſcopi cauſarum ſuarum iudicium ad cognitionem Romani pontificis pertinere ſentiebant, ſed poteſtatem & iuriſdictionem Imperatoris etiam ſuper epiſcopos

authenticam esse iudicabunt, ideoq; causas suas ad illam deferebant. Quocunq; sensu responderit illis Imperator, illud omnino patet, idem tum sensisse episcopos ecclesiarum Christi de potestate magistratus, quod nos asserimus.

Constantinus potestatẽ suam etiam in episcopos exercuit.

Quartò: Constat ex historia, imperatorem illum exercuisse potestatem suam in episcopos, quemadmodum & alij qui illum sunt sequuti. Non modò de singulis iudicauit, si quid deliquissent, sed & in uniuersos imperio suo subiectos usus est potestate sua, cogens eos edicto suo ad conciliũ: idq; loco & tempore præscripto, quod hodie Romanus Simoni Imperatoriæ maiestati haudquaquam concedendum esse iudicat.

Imperatores uocauerũt episcopos ad concilium.

Consimiliter & successores illius potestate sua episcopus ad cõcilia euocarunt. Leo papa Theodosium imperatorem, cũ tota sua Romæ collecta synodo suppliciter precabatur, ut generalem synodum in Italia celebrari iuberet: id quod & alia epistola apud Pulcheriam Augustam agebat. Et tamen prouidus Imperator concilium quidem indixit, uerùm nõ in Italia, ut Papa petebat, ubi contentio non erat exorta: sed in Græcia, urbe Chalcedone. In epistola ad Martianum Augustum uidere est, nec locum nec tempus concilij, Romani esse pontificis petitioni concessum. Et initio quintę synodi de Chalcedonensi concilio sic legimus: Sancta magna & œcomenica synodus, quæ per Dei gratiam & sanctum iussum pijssimorũ & Deo amatorum Imperatorum nostrorum, Valentiniani & Martiani Augustorũ, cõgregata est in Chalcedonẽsi metropoli prouincię Bithynię. Et mox: Dominus noster Christus humani generis prouidus, pijssimum ac Christianissimum ad zelum excitauit Imperatorem, & undiq; sacerdotij principes ad se conuocauit. Et in epistola Leonis successoris Agathonis sic legitur: Sancta uniuersalis & magna sexta synodus, quam nutu Dei uestra clementia conuocauit, & illi pro Dei ministerio præfuit, &c. Item de quinta quoq; Constantinopolitana synodo in ipsius actis sic legitur: His proximis diebus præcedente pio iussu Christo amãtissimi ac Deo custoditi Imperatoris nostri, conuenit præsens nũc sancta synodus. Et Hieronymus ad Eustochiũ in Epitaphio Paulæ matris sic scribit: Cumque Orientis & Occidentis episcopos ob quasdam Ecclesiarum dissensiones Romam imperiales literę contraxissent. Et in actis sextę Synodi præmittitur diuina & sacra Flauij Constantini imperatoris ad Agathonem Romanum episcopum, qua ipsum vel suos ipsius nomine ad concilium Constantinopolim mittendos hortatur: Per omnia, inquit, iubemus uestram paternam beatitudinem minimè effici impedimentum uoluntati Dei, sed eos dirigere. Sic enim speramus in eius benignitate: quoniam qui uoluit huiusmodi capitulum moueri in præsenti, per spiritum sanctum concedere habet, ut ueritas clareat, & instruantur omnes, &c. Item in primæ actionis initio sic legitur: Conueniente quoque sancta & uniuersali synodo, quæ secundum imperialem sanctionem congregata est in hac à Deo conseruanda regia urbe, &c. Et in actione quarta, in Epistola papæ Agathonis Romani, ad Imperatores, quorum iussu conuocatum erat sextum concilium, sic legitur: Ideoque Christianissimi domini, filij, secundum pijssimam iussionem mansuetudinis uestræ, pro obedientia quam debuimus, præsentes famulos nostros misimus, &c. Obseruet diligens Lector illud, Pro obedientia quam debuimus. An' non Papa iste agnouit, debere se obedientiam Imperatoriæ potestati? Sic manifestè patet, usitatam fuisse Christianis imperatoribus iurisdictionem & potestatem in episcopos: ut diuersum, quod iam fieri uidemus, prorsus sit ex sequentium Pontificũ perfidia & improbitate introductum, donec imperium saluum fuit, & integrum, mysterium hoc iniquitatis & Antichristiani regni emergere non potuit, sicuti postea emersit: qua de re legatur libellus Germanicus, vom Nebenhaupt.

Iustinianus.

Obijciunt etiam immunitates & priuilegia, quibus sic sint per Imperatoriam sanctionem à subiectione seculariũ magistratuũ exempti, ut nec iudicari ab illis debeant, si qua in re deliquerint, nec publicis exactionib. esse obnoxij. Sanè Iustinianus si quid à clericis contra canones delictum esset, per episcoporum cẽsuram & animaduersionem corrigi uoluit. Deinde in ciuilibus quoq; causis conueniendos esse clericos primum corã episcopis statuit. In criminalibus uerò, quæ episcoporum arbitrio corrigi non possunt, nõ eximit eos publicis imperij iudicijs, sicuti uidere est in illius constitutionibus. uideantur in Nouellis cõstitutiones: quinta, decimasexta, trigesimaseptima, sexagesimaseptima, septuagesimanona, octuagesimatertia, octuagesimasexta, & centesima uicesimatertia. Verùm cur sic statueret, erant certæ causæ, ne uidelicet ab officijs suis abstraherentur, si litigiosis actionibus implicarentur, atq; ita ab Ecclesijs suis abesse cogerentur, & ne forsan non castigarentur pro qualitate causarum. De eo nunquam cogitauit Imperator, quòd concessa clero priuilegia, ad scelerum essent ac flagitiorum omnisque impietatis factura impunitatem, quam sibi Ecclesiastici competere uolunt, eamque ob causam iudicijs sese magistratuum exemptos esse contendunt. Si consideres, quibus, & ad quid data sint priuilegia & immunitates, manifestè deprehendes ordinem hunc Ecclesiasticum, qualis est in Papatu, sic esse deprauatum, corruptum, prophanatum, & longè alium ab eo qui tum erat, cum priuilegia clericalia darentur, ut nulla possit amplius ratione capax illorum censeri. Propter abusum, perditur priuilegium: 11. quæstio. 3. cap. priuilegium. Abusi sunt priuilegijs, & hodie abutuntur prorsus enormiter. Ergo priuilegia

Propter abusum, perditur priuilegium.

de qui-

de quibus gloriantur, perdiderunt. Perditur priuilegium propter delictum. Delicta Eccleſiaſticorum, imò flagitia & crimina ſunt omnium manifeſtiſsima. Perditur priuilegium propter contrarium factum. Debebát hoc magis prodeſſe eccleſijs, quo commodiora ſunt priuilegia conſecuti. Verùm hinc illis magis incommodant, ut contrarium accidat ei, ad quod pijſsimi Imperatores ſpectarunt. Perditur priuilegiũ propter enorme damnum. Quantum damni Imperio & eccleſijs eximmunitate Eccleſiaſticorũ proueniat, notum eſt cordatioribus. Olim cum paucus eſſet Eccleſiaſticorum numerus, minori incommodo à publicis erant oneribus exempti: iam quis recenſuerit, quanto incommodo magiſtratuum ac plebis tanta ſit ocioſorum hominum fruges conſumere natorũ multitudo ſic immunis conſtituta, ut quicquid publici oneris ferendum ueniat, ipſi liberi & indemnes maneant? Perditur ac ceſſat priuilegiũ, dum cauſa illius ceſſat. 16. q. 1. Generaliter, religionis cura & cuſtodia cauſa fuit priuilegiorũ. Neq; enim conueniebat, ut ſine luculenta cauſa priuilegia hæc darẽtur, quę niſi cauſaliter dari non debent. Cum igitur iam olim cauſa hęc priuilegiorum nihil loci habuerit in Eccleſiaſticis, quis non uidet, quàm ſit æquum, ut ceſſante religione ceſſet & priuilegium?

Priuilegia Eccleſiaſticorum conuincunt iure illos ſubeſſe debere magiſtratui.

Hinc tamen, quicquid ſit de priuilegijs & immunitatibus clericorum, rectè colligi non poteſt, non eſſe Eccleſiaſticos accẽſendos illis, qui magiſtratibus ſunt ſubiecti. Imò hinc potius colligitur, pertinere eos ad iuriſdictionem eorum, à quibus priuilegia acceperunt. Niſi enim poteſtas hęc gladij & meri imperij etiam Eccleſiaſticos iure diuino ſubiectos, ac iudicijs ſuis & exactionibus obſtrictos haberet, unde authentica & firma eſſent cõceſſa ab illa priuilegia? Quare & Chriſtiani Imperatores haudquaquam poteſtatem ſuam, quam ſuper eccleſiaſticos & epiſcopos habent, in uniuerſum abiecerunt, ſicuti in legibus Imperatoris cernere licet: ſed quoties opus erat exercuerunt. Et hanc uetuſtiores quoque epiſcopi agnouerunt, ſeq; illi in cunctanter ſubiecerunt: quemadmodum & in ſcriptis illorum, & in Eccleſiaſticis alijsque hiſtorijs cernere licet. Quis nam ex omnibus Romanis pontificibus maiore cura Apoſtolicæ, quam uocãt, eccleſię præfuit, quàm Gregorius ille Magnus? Et tamẽ ille de Imperatore Mauricio ad Theodorum medicum ſic ſcripſit: Valde autem mihi durum uidetur, ut ab eius ſeruitio milites ſuos prohibeat, qui ei & omnia tribuit, & dominari eum non ſolùm militibus, ſed & ſacerdotibus conceſsit. Et ad ipſum Imperatorem Mauricium in calce epiſtolæ, utrobiq; inquit: Quæ debui, exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod ſenſi, minimè tacui. Hæc ille. Quomodo autem non ſunt inferioris ordinis clerici magiſtratibus iure diuino ſubiecti, cum pontifex iſte non ſolùm obedierit Imperatori, ſed & debere ſe illi obedientiam agnouerit: palamque teſtatus ſit, conceſsiſſe illi Deum, ut non militibus tantùm, ſed & ſacerdotibus dominaretur?

Georgius Magnus Epiſtola 103. & 100.

Concluſio.

Concludimus igitur, ſecundum Apoſtoli ſentẽtiam, & ſecundum Scripturas, hiſtorias Eccleſiaſticas, & uetuſtiores patres, etiã Romanos epiſcopos, & leges, Imp. poteſtati ſupremæ, quæ gladium accepit à Domino, ſubiectam eſſe debere omnem animam: hoc eſt omnes homines, cuiuſcunque illi ſint ſtatus, ſiue ſpiritualis ſiue ſecularis, idq; ſecundum cõſcientiam, propter ordinationem Dei, ſic ut legibus illius, edictis & ſtatutis obtemperent: & ſi qui hoc facere detrectauerint, obnoxios ſe reddere iræ & ultioni Dei, tanquam ordinationi illius reſiſtentes. Et ab hac obedientia prorſus eximere quenquam, tum demum licebit imperatoribus, regibus, principibus, & reliquis magiſtratibus, quando ipſi ſic eximũtur, ac liberi reddũtur, ut non ſint amplius miniſtri Dei, ad obediendum ac ſeruiẽdum illi obſtricti: id quod futurum eſt nunquam. Quemadmodum enim ordinationi Dei reſiſtere nemini mortalium licet: ita illam uel infirmare, uel negligere, uel reſignare, nedũ abiurare, nulli omnino magiſtratui, ne Imperatori quidem licet, donec gladium geſtans, officium magiſtratus retinet. Sed hactenus de ſubditis, & an Eccleſiaſtici quoq; habendi ſint pro ſubditis, dictum eſto.

QVOVSQVE SIT OBEDIENDVM *Magiſtratui.*

Qua ratione quærẽdum ſit, quouſq; magiſtratui obedire debeamus.

QVoniá homines ſunt, qui magiſtratu in hoc ſeculo funguntur, ideoq; errare ac peccare, ut homines poſſunt, perinde atq; alij, infirmitati, ignorãtiæ & affectib. carnis obnoxij: atq; ita ſępenumerò accidit, ut poteſtate à Deo accepta, bona, iuſta, utili & ſancta, male, iniuſtè, pernicioſe, ac prophanis modis utãtur: haud immeritò quęritur, quouſq; ſit illis obediendũ? Vbi de obedientia Deo immediatè præſtanda agitur, ibi locũ nõ habet hęc quæſtio. Nemo piorum quærendũ eſſe cenſet, quouſq; præcipienti ac mandanti Deo obedire debeat: ſciens obediendum illi ſimpliciter eſſe per omnia, & in omnibus, quicquid & qualecunque ſit quod uult à nobis uel credi corde, uel fieri opere. Et Deo quidẽ obedit, qui magiſtratui obediens, ordinationi diuinæ obedit: uerùm quoniam hoc genus obedientiæ per mediationem fit humani miniſterij, per quod præcipi poſſunt, quæ cum Deo præſtari nõ poſſunt: omnino neceſſarium eſt ut quæramus, quouſq; ſit mandatis magiſtratuum obediendum.

Aliud eſt Deo immediatè, aliud mediatè obedire.

Apoſtolus Petrus cap. 2. Epiſtola prima, præcipere uidetur, ut omnibus conſtitutionibus magiſtra-

Quomodo Petrus dicat: Subditi estote omni humanæ creaturæ.

magistratus obediamus, cum dicit: Subditi estote omni humanæ creaturæ: quasi dicat, subditi estote omni humanæ constitutioni. Verùm hæc uerba non sunt intelligenda de mandatis & constitutionibus humanis, sed de generibus magistratuum, quorum alij sunt primarij ac præcellentes, alij secundarij & subordinati: id quod ex eo patet quod subijcit, Siue regi tanquam præcellenti, siue præsidibus, ut qui per eum mittantur. aliàs dicendum erat, Siue regũ, siue præsidum illorum. Quare locus hic non tam docet, quò usq;, quàm quibus sit magistratibus, & quapropter, obediendum. unde addidit, Propter Dominum.

Ex eo tamen quod dicit, Propter Dominum, & ad uindictam nocentium, laudem uerò rectè agentium: & Paulus Roman. 13. Principes terrori esse dicit non bene agentibus, sed malè: item, Dei minister est tibi in bonum: &, Minister Dei est, ultor ad iram, ei qui quod malũ est fecerit: facilè colligi potest, hactenus esse obediẽdum magistratui, quatenus ea præcepit, quæ præcipi possunt à ministro Dei, & ei conueniunt qui gladium gestat malorum uindicem, & bonorum defensorem Si uerò præceperit impia, uoluntati ac uerbo Dei contraria, iniqua & iniusta, adeoq; officio magistratus repugnantia, haudquaquam conuenire, ut in eiusmodi præceptis obediamus: sed dicendum magis esse, Oportet Deo obedire magis quàm hominibus. Sed hac de re dictum est alibi sæpius, nec puto quenquam esse, qui palàm ac simpliciter contradicat. Quis enim non uidet, nec præcipiendum esse quicquid contra Deum est, & malum: nec si præcipiatur, faciendum? Neque fieri potest, ut obedientia magistratui contra Deũ præstita, culpam admissi mali excuset: perinde atq; familiam non excusat obedientia, si œconomo domus contra uoluntatem patrisfamiliâs obediat. Quid autem si magistratus uim inferat illis, qui non obediunt sibi in omnibus? Hic Christiani hominis est, patienter potius ferre quicquid iniuriarum ac molestiarum infertur, quàm ut adigi se sinat ad peccandum contra Deum. Interea tamen non erit illicitum, si quis uim iniustam uel auertere, uel fugere, uel aliquousq; mitigare poterit, modò id fiat rationibus haud illicitis. factum hoc esse à uiris sanctis cõstat, utpote Dauide, Christo ipso, Prophetis quoq; & Apostolis. Quòd si id fieri nõ potest, cauebit Christianus, ne illatam uim contraria uiolentia retundere conetur, sed tolerabit potius omnia: nec de uindicando se cogitabit, sed uindictam iusto iudici permittet, dicenti, Mihi uindictam, ego retribuam: Roman. 12. Imò orabit pro ijs quibus affligitur, iuxta doctrinam Seruatoris nostri, Matthæi 5.

De ui iniustè per magistratum illata.

Distinguẽdum inter ea, quæ per iniuriam inferuntur.

Distinguenda tamẽ sunt, quæ à magistratu iniquo Christianis per uim inferuntur. Sunt enim ea duplicis generis. Nam alia concernũt temporaria, utpote corpora, fortunas, honores, &c. Alia uerò sempiternis bonis inferuntur: qualia sunt, ueritas uerbi Dei, fides in Christum Dominum unicum nostrum seruatorẽ, benedictũ in secula: cognitio Dei, uerus cultus Dei, inuocatio & adoratio, sacrificium laudis, communicatio uerorum fidelium, & quę eiusmodi sunt alia. Quod attinet temporaria bona, cum conscientia ferre potest Christianus, quęcunq; illis nocumenta inferũtur, ipsam etiam mortem, nedum direptionem bonorum, proscriptionem, exilia & carceres. In his omnibus saluã potest retinere fidem, ac spẽ uitæ æternæ. Quòd uerò sempiterna concernit, nõ feret ut illa sibi per uim auferantur. Nec adeò potens est quisquam, qui inuito quicquam illorum auferre queat. Nam amissio illorum non est in potentia magistratus, sed in uoluntate & cõsensu credentis sita. Quantumuis urgeat princeps, ut adulterinos cultus frequẽtemus, ueramq; Christi religioni in superstitiones & eidololatriá mutemus, nõ tenemur mãdatis illius obedire, nec poterit nobis inuitis euincere quod conatur.

Est omnino multum discriminis inter eos qui uim iniustam patienter tolerant, & eos qui quod iniustum est faciunt. Quæ per iniusticiã inferuntur, bona conscientia ferre potest Christianus: quæ uerò iniusta præcipiuntur, salua cõscientia facere non potest. In ijs quę facienda sunt, rationem habebit diuinę uolũtatis, uoletq; facere quod facere debet, omittere quod nõ debet. Quòd si facere nõ poterit, quę secundum uoluntatem Dei facere tenetur, & ex animo facere cupit, modò possit, in huiusmodi casu uoluntas corã Deo pro facto reputatur. Si uerò præcipitur, ut quæ uitãda sunt faciat, excusare coram Deo non poterit si fecerit: quãtumuis dicat, cogi se ut uim iniustã ferat, nec prohibere posse quo minus illa sibi inferatur, inferri autem præter animi sui sententiã. Nemo hic excusatur, si dicat, Facio hoc nõ uolens. Neq; enim id tantum poscitur, ut quæ iniusta sunt facere nolimus: sed simul & illud requiritur, ut haud faciamus quod iniustum esse scimus. Quis, inquiũt, superemineti potestati poterit resistere? Quis? Christianus, qui nõ unius aut alterius tantum regni monarcham, sed totum hunc mũdũ fidei suæ uiribus uincit. Hæc est uictoria, inquit, Ioannes, quæ uincit mundũ, fides uestra. Quomodo resistemus satanæ, mundi huius principi, si sic fuerimus infirmi fide, ut ne mundo quidem resistere queamus? Mundum quomodo uincemus, si unius duntaxat principis potestati in asserenda ueritate Dei cesserimus? Qui Deum timet magis quàm hominis quantumuis magni potentiam, huic admodum facile est, ut mundum, nedum unum & alterum principem uincat. Qui mundo, & ipsi mundus uicissim, crucifixus est, huic difficile nõ est, uniuersæ mundi huius potentiæ in causa Dei resistere. Quisquis spiritu Dei regeneratus ueraciter dicere potest, Viuo iam non ego, sed uiuit in me Christus: &, Cupio dissolui, & esse cũ Christo: &,

Christianũ hominem ne inferorum quidem portæ ad malũ cogere possunt, nedũ magistratus.

sto: &, Quis me separabit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu? an tribulatio? an angustia? an fames? an persecutio? an gladius? an uita? an mors? &c. nunquam ille dicturus est, Quis poterit resistere potestati? Tres Hebræorum pueri sic erant obfirmati fide, ut citius in ardentem caminum inijci se paterentur, quàm ut impio potentissimi regis edicto ad adorandum statuam auream adigi se sinerent. Vim illius iniustam & carni horribilem ferre potuerunt, uinci ab illo non potuerunt, sed uictores ipsi cum gloria euaserunt. Quod Hebræi isti, ueteris Testamenti alumni, per gratiam Dei potuerunt, quomodo per eandem non poterit Christianus secundum noui Testamenti ὑπηρέτην fidelis? *Tres pueri in camino ignis.*

Cum metaxyca illa doctrina, quam uocant Interim, ad Euangelicę ueritatis corruptionem statibus Imperij anno millesimo quingẽtesimo quadragesimo octauo, in ipsis Imperij comitijs Augustæ Vindelicorum proponeretur, & acceptaretur etiam, reluctantibus multorum conscientijs, audiebantur huiusmodi uoces, quibus factum inexcusabile in speciẽ excusabatur: Principes ac status Imperij subditi sunt Cæsareæ maiestatis, cui obedire tenentur, & resistere aliàs non possunt. &, Maius adhuc malum accerseretur, si illi resisterẽt: id quod nihil esset aliud quàm tentare Deum. Et has excusationes in peccato, quod deplorãdum magis erat quàm excusandum, iactabant homines non indocti quidẽ, uerùm tempori sese magis, quàm cognitæ ueritati accommodantes. De magistratibus Imperij, quatenus & quomodo Cæsareæ sint maiestati subiecti, suprà est dictum. Quis autem non uidet, non posse excusari quenquam qui superioribus suis in hoc seculo magis obedit quàm Deo, ubi non solùm ab illis, qui uerbo Dei repugnantia subditis imperant, sed & à subditis peccatur, dum illicito imperio magis quàm Deo obtemperant. An illud, Oportet Deo magis obedire quàm hominibus, locum in Cæsare non habet, ut si ille quæ contra Deum sint imperent, magis ipsi quàm Deo sit obediẽdum? Absit: neq; Cæsarem ipsum hoc petiturum fuisse iudico, si ulla potuisset ratione de ueritate Dei instrui. Debent quidem superioribus suis obedire subditi: uerùm ad id obedientiæ tum demum tenentur, si illi quæ iusta sint imperent. deinde, etiamsi grauia & parum æqua in terrenis rebus onera imponant: secus autem, si quæ contra Deũ sint, & pias conscientias lædant, præcipiant. Nec ualet exemplum præfecti, quod adducebant. Etenim nemo præfectus Christianus hactenus principi suo obedire tenetur, ut illi contra Christianę religionis obseruantiam obtemperare ac seruire debeat: & si id fecerit, excusari coram Deo possit. *Friuolæ excusationes receptæ Interim.*

Quàm autem friuolum fuerit, quòd cauendum esse dicebant, ne status Imperij maius aliquod malum contra se ac subditos suos accerserent, si Imperatori non obtemperarẽt, nemo cordatus non facilè intelligit. Non mox certum est, conciliari sibijpsi malum, qui illicitis superiorum suorum mandatis obedire detrectat. Potest namque fieri, ut corda illorum mutet Deus, uel aliàs cohibeat, efficiatq; ut impunis sit eiusmodi obedientiæ recusatio, imò etiam laudem ab illis melius instructus referat. Deinde etiamsi malum sibijpsi asciscat, hoc est superiorum suorum indignationem incurrat, bonis spolietur, imò occidatur etiam: quid hoc mali esse poterit homini Christiano, qui ut iram Dei ac sempiternum exitium effugiat, quæuis acerba in hoc seculo ferre nõ dubitat? Fiat iusticia, inquiunt, & pereat mundus. Quin potius Christianus dicit: Fiat quod Deo probatur, & ruat cœlum unà cũ terra? Maneat ueritas uerbi Dei, & transeant cœlum & terra? Nõ eximuntur hic principes Christiani, ad quos pertinet illud Psal. 2. Erudimini qui iudicatis terram, seruite Domino in timore, osculamini filium, &c. Christi supremi Imperatoris ac regis serui sunt, & huius nomine cõuenit eos perinde, atq; reliquos Christianos quæuis subire pericula, ac principatus suos non amare magis quàm Christum Dominum, nisi illud audire uelint: Qui amat patrem, matrem, substantiam suam, principatum suum, adhuc & animam suam, plus quàm me, non est me dignus. *De eo quod dicitur, Fiat iusticia, & pereat mundus.*

Quare uehementer cauendum est, ne huiusmodi commentis peccatum principum ac statuum Imperij excusetur, qui falsa dogmata, propter instantiam Imperatoris, contra doctrinã Euangelij, cui nomen dederant, acceperunt, ac subditis suis proposuerunt. Agnosco id factũ esse non ex malicia, sed ex infirmitate fidei. Verùm non conuenit, ut excusetur, ne contra cõscientias nostras excusationes in peccatis quærendo patientiam Domini aduersum nos & principes nostros iritemus, & nobisipsis uias resipiscentiæ occludamus. Quando enim instituetur eius facti resipiscentia, cuius tam non agnoscitur delictum, ut defendatur etiam, & fictis rationibus excusetur? Infirmi est, haudquaquam infirmitatem suam diffiteri, sed illam agnoscere potius, & deplorare cum apostolo Petro, orareq́ue ut admissi remissionem accipiat à Deo, & in fide posthac confirmatior reddatur. Nemini infirmo deneganda est spes gratię Dei. Interea tamen excusari non potest, si quis peccatum suum ex infirmitate fidei admissum friuolis rationibus defenderit, seq; ipse cœlesti gratia uerè pœnitentibus proposita priuet. Etenim omnino sic comparati sumus, ut donec delicta nostra excusare molimur, haudquaquam ea deploremus, ac remissionem illorum petamus: & quod consequens est, in posterum quoq; de emendatione ac cautione omnium minimè cogitemus. Vbi autem nulla est peccatorum pœnitentia, nec remissionis illorũ petitio, nec emendatio, ibi nulla speranda est remissio, sine qua nemini mortaliũ uera salus contingere poterit. Hæc non tã ad perstringen- *Nõ sunt excusandi principes ac status Imperij, qui Interim si bi passi sunt obtrudi.*

dum

dum prę teritorum annorum lapſum, quàm ad futurorum cautionem, propter eos quibus ad huc ſunt aures audiendi, paucis attingere uoluimus.

Quoniam autem magiſtratibus competere oſtendimus, ut cum primis religionis curam gerant, ne hoc ſic capiatur ab imperitis, ut ſequendum eſſe putent quicquid illi in cauſa religionis ſtatuunt: priuſquam præſentem locum terminemus, nonnihil hac de re explicatius dicendum uidetur. Quemadmodum nemo mortalium à ſeipſo, ſed à Deo, perindæ atq; cæteræ creaturæ, conditi ſumus omnes: nec quicquam mentis, animi ac uirium cuipiam à ſeipſo eſſe poteſt, ſed quicquid horum habemus, à Deo conditore accepimus: neq; quiſquam eſt, qui ſe ipſe uel regere in omnibus uel conſeruare queat, ſed opus eſt omnibus ut à Deo regantur & conſeruentur: ita unicuiq; mortalium competit, ut uniuerſam ſuam uitam, intelligentiã, uoluntatem, & quas habet uires, non ad ſuæ, ſed ad diuinæ uoluntatis præſcriptum dirigat, eiq; ſeſe accõmodet in omnibus, à quo & uitam & omnia accepit: ſciatq; nihil eſſe ſibi poteſtatis, ultra quàm deſtinatum ſibi ac diſpoſitum fuerit à Deo.

Nemini plus eſt poteſtatis, quàm accipit à Deo.

Sunt autem omnia quæ geri poſſunt ab homine, tripartita diuiſione diſtinguenda. Cõcernunt enim uel ipſum hominem à quo geruntur, uel alios quoſdam, uel ipſum Deum. Si primum genus conſideremus, nemo (puto) inuenietur, qui facta noſtra, nos ipſos concernẽtia, ab hac regula certa ratione eximi poſſe iudicet. Si quis locum ex Eccleſiaſtico obiecerit, qui cap. 15. ſic legitur, Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu cõſilij ſui, adiecit mandata & præcepta ſua: Si uolueris mandata cõſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuũ fidem placitam ſeruare: appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod uolueris mitte manum, &c. Reſpondeo, dictum hoc eſſe non de quolibet homine, ſed de Adamo, quomodo ille liberum à Deo acceperit arbitrium, cum primùm eſſet ad imaginem illius conditus: ad quem modũ & Auguſtinus in libro de Nouo cantico, cap. 8. exponit. Deinde mentio fit mandatorum ac præceptorum Dei, quæ omnino libertatem hominis tollunt. Quare locus hic nihil derogat ueritati huius ſententiæ, de qua loquimur. Hinc facilè colligi poteſt, multo minus libertatis eſſe homini in ijs, quę alios cõcernunt, ſiue ſint uxores, ſiue liberi, ſiue ſerui, ſiue aliàs ſubditi: & tertiò, omnium minimè in ijs, quæ ad gloriam & cultum Dei pertinent, qualia ſunt religionem concernentia. Reddituri ſumus Deo rationem de omni uerbo ocioſo, teſte Chriſto Matthæi 12. Et quæ poterit hominis eſſe libertas in cauſa religionis, ut conſtituat ſine uerbo Dei, quicquid ſibi uiſum fuerit?

Eccleſiaſtici 15 Deus ab initio conſtituit hominem, &c.

Nec eſt ut dicas, priuato quidem homini hanc libertatem dari non poſſe: aliam tamen eorum eſſe conditionem, qui magiſtratu funguntur, & in eminentia ſunt poteſtatis conſtituti, & ſimul Chriſtiani. Etenim hoc minus illis competit eiuſmodi libertas, quo magis ſunt miniſterij ſimul & Chriſtianæ fidei retinaculis obſtricti. Quod nanq; Chriſtianiſimũ attinet, Chriſtum habent Dominum, unigenitum Dei, cui pater omnem in cœlo & in terra poteſtatẽ dedit, cuius uerbo tanquam Chriſtiani credere, & credendo adhærere, & tanquam magiſtratus accepta poteſtate ſeruire debent. Quare nemini minus quàm ipſis conuenit, ut quicquam in religione Chriſti proprio arbitratu ſine illius uerbo ſtatuãt: tam abeſt ut ab hac regula eximantur, quam mortales omnes conſtringere diximus. Huc accedit, quòd arbitrarij cultus, mandato hominum conſtituti, Deo uehementer diſplicent. Vnde & populo ſuo præcepit, dicens: Quod tibi præcipio, hoc tantùm facias Domino Deo tuo, nec addas quicquam, nec minuas. Deuteronomij 12. Et Chriſtus ipſe diſertè illud prophetę Eſaiæ uſurpat, dicens: Fruſtra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Imò eiuſmodi arbitrarios cultus prophetæ abominationis & eidololatriæ damnare ſolent. Saul nulli alieno, ſed ipſi uero Iſraelis Deo ſacrificauit, 1. Sam. 13. & nihilominus à Samuele corripitur, quòd rem ſibi illicitã fecerit, eamq; ob cauſam regno ſeſe indignum reddiderit.

Horum conſideratione manifeſtum redditur, etiamſi ad magiſtratus Chriſtianos cura religionis pertineat, haud tamen illis competere, ut citra uerbum Dei quicquam in religione cõſtituant. Nequit enim fieri, ut arbitrarij cultus Deo placeant, quia nõ ſunt uoluntati ipſius cõformes: nec poſſunt cõſcientias hominum de eo certas reddere, quòd Deo uerè ſeruiãt, hoc eſt, rem gratam faciant. Quapropter nec Moſi Deus id poteſtatis dedit, ut pro ſuoipſius arbitratu religionem inſtitueret, ſed omnia illi expreſſo uerbo præſcripſit, quæ populo proponi uoluit. Neque clanculum illi hac de re præcepta dedit, ſed ad ſe in montem ſecundò dies 40. ſumptum inſtruxit, & coram omni populo magnis portentis miniſterium illius authenticum reddidit, ne qua cauſa dubitandi relinqueretur, traditam illi eſſe à Deo religionem quã proponebat, & nihil minus quàm humano arbitrio præſumptam. Neque Apoſtolis ſuis Seruator liberum fecit, ut quam uellent doctrinam & religionem orbi proponerent: ſed doctrinam uitæ ipſe prior docuit, deinde & religionis Sacramenta inſtituit, ſignisque & portentis confirmauit, ac tum demum illis in mandato dedit, ut docerent ac prædicarent, quæ à ſe tradita acceperant, quemadmodum & Apoſtolis de ſeipſo teſtatur, dicens: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi uobis. Sic igitur utriuſq; Teſtamenti religionem non humana, ſed diuina traditione ac poteſtate, idque adhibito miraculorum teſtimonio, traditam & confirmatam

Non competere magiſtratui ut ſine uerbo Dei proprio arbitratu quid libet in religione ſtatuat.

matam esse constat. Ministros suos Deus non uult esse de uoluntate sua incertos, quo bona sibi fide & conscientia seruire queant: quod fieri non poterit, si proprio arbitratu magistratus ad religionem pertinentia instituere præsumpserit. Agnouerunt hæc illi quoque, qui olim apud Romanos religionis formas instituebant. Sic Numa Pompilius, cum deorum cultus instituere, populo Romano persuadebat, apparere sibi noctu deam Aegeriam, ac præcipere de singulis, quæ essent instituenda. Sentiebat enim, sine timore deorum inanem fore quamlibet instituere religionem. Ideo hoc agebat, ut crederet populus, quòd de suo nihil, sed omnia secundum uoluntatem deorum constitueret. Quare admodum desiperemus, si quæcunque magistratus in religione constituit, solo officij illius prætextu authentica seruandaq; esse sentiremus: id quod nihil esset aliud quàm uersuram facere in re tam graui, arbitrariam religionis constituendæ potestatem Pontificum magisterio ereptam, magistratibus assignando. Dum igitur curam religionis ad Magistratus pertinere docemus, non intelligimus de tali, qualē Ecclesiastici usurparunt: sed de ea quæ sit uerbo ac doctrinæ Christi conformis, quo ad exemplum piorum regum, qui legales cultus ac ritus non arbitraria præsumptione, sed ad diuinæ legis præscriptum moderabantur, & ministrorum constituendorum, doctrinæque sanæ, & rituum Ecclesiasticorum curam gerant, quemadmodum suprà de hoc illorum officio meminimus. Hæc præcedentibus adijcere uoluimus, ne damnabilem eorum Magistratuum temeritatem approbare uideamur, qui absq; uerbo Dei quamcunq; uolunt religionis formam subditis suis proponunt, & pro potestate sua à Deo accepta authenticam esse seruariq; uolūt: & si quis illam sequi recusauerit, mox contumaciæ ac rebellionis damnant, quasi Christiana religio à potestate Magistratuum, & non magis ab infallibili diuinorum eloquiorum certitudine & authoritate pendeat. *Numa Pompilius.*

Dominum nostrum Iesum Christum unicum omnium mediatorem, redemptorem ac doctorem oro, ut Ecclesias suas à magisterio Pontificio eripiat: Christianisq; magistratibus tantū tribuat intelligentiæ, ut potestatis suæ intelligant officium: tantumq; pietatis, ut curam religionis nostræ fideliter ac religiose iuxta uerbi Dei præscriptum gerant, atq; ita ipsi cum timore ac tremore ad utilitatem subditorum seruiant.

Disputant nonnulli de legibus Magistratuū, an conscientias fidelium obligent. Nos ad eam quæstionē facilè respondemus ex Apostolo, qui Christianis præscribit ut subditi sint Magistratibus, non solùm propter iram, sed & propter conscientiam: unde manifestum est, astringi conscientias nostras ad obediendum legibus Magistratuum, etiamsi illis, quod nos attinet, carere possemus. Debito obedientiæ, cui ordinatione diuina subiecti sumus, sic legibus potestatum constringimur, ut per conscientiam ad illarum obseruantiam obligemur. unde enim conscientia nostra magis obstringitur, quàm uoluntate & ordinatione Dei? Loquimur autem de legibus, quibus bona potest cum conscientia obtemperari: ubi id fieri non potest, nemo Christianus ad obediendum illis astringitur. *An leges Magistratus obligēt conscientias fidelium.*

Præterea disputatur, quid faciendum sit subditis, si Magistratus in tyrannidem degenerauerit: & liceātne tyrannum occidere: item si Magistratus non defenderit subditos, an illi suis se ipsorum uiribus defendere possint. Verùm hoc genus quæstionis cum ædificatione tractari nequit, nec potest certi aliquid responderi. Pendent enim ista à singulari quadam dispositione Dei, sine qua feliciter præsumi non possunt. Ad hæc quæstio est de supplicijs sceleratorum, quæ in lege Dei statuta leguntur, an ad illorum præscriptum puniendi sint ac plectendi flagitiosi. Mea sententia est, neminem Magistratum ad illa obstringi: nisi quatenus præscribunt quæ scelera morte sint punienda, & quæ salua uita castiganda. Quòd fures suspenduntur, adulteri uerò citra discrimen uitæ leui aliqua pœna castigātur, miror si quisquam cordatus probandum esse censeat. *De supplicijs sceleratorum.*

De bellis, liceātne Christiano belligerari, & Magistratibus suis militarem obedientiam præstare, & quod genus belli licitum sit, quod non sit, quidque de extranea sit militia sentiendum, singulari tractatu explicandum censeo. Nos in præsenti nihil horum attingimus: propterea quòd ab alijs materia hæc iam olim tractata est, & tandem Locis hisce nostris finem aliquem imponere placet: quibus hoc optarim à Domino, ut ad ædificationem piarum mentium, magis quàm ad inanem & scrupulosam disceptationem faciant.

FINIS.

INDEX IVXTA ORDINEM AL=
PHABETICVM DIGESTVS, IN QVO DIGNISSIMA quæq; cognitu, quæ in hisce Locis communibus complectuntur, annotantur.

AARONICVM ſacerdotiũ per aduentũ Seruatoris abrogatũ 291
Aaronis unguentum 308
Abiron ſchiſma 622
abortus 219
Abraham credentium exemplar 143. uxorem ſuã cur ſororem uocet 544
Abrahæ & Habelis ſacrificia quomodo Deo placuerint 400
Abrahæ exemplum 83. nomen cur mutatum 142. oratio 566. patientia 598. promiſſa unde pependerint 441. ſemen 152. Chriſtus 142
abrogatio legis futura erat per Chriſtum 139
abrogatio legis Moſaicæ 130
in Abrogatione legis quid conſiderandum 138
de Abſolutionibus & diſpenſationibus 217
inter Acceſſoria & ſubſtantialia diſcrimen 144
Achab malum fecit in conſpectu Domini, ſuper omnes qui fuerunt ante eum 633. eius peccatũ quale fuerit 93
in Achab quare ultio diuina animaduerit 632
Adam & Euah transgreſsionis culpam aliò transferunt 37
Adam quomodo non ſit ſeductus 20. terrenus cur uocatus 162
poſt Adæ peccatum cur nõ ſtatim Chriſtus uenerit 155
Adæ peccatum quid damni tulerit 17. ſtatus ante peccatum 17
Adamus dignitatẽ peccato amittit 18
Adami animus ante peccatum qualis 18. corpus poſt peccatum corruptioni obnoxium 18. pudor ex peccato 17
in Adamo quo cõſilio Dei prolapſum genus humanũ 20
Adamianorum hæreſis 605
adoratio pars cultus Dei 411. qũo competat Chriſto 56
adorationẽ & cultũ non competere niſi ſoli Domino 57
admiſſa dánat pœnitẽtia 206. 261
aduenę conforment ſe legibus indigenarum 76. mali non ferendi ibid.
aduenas non eſſe cogendos ad religionem, à qua ſunt alieni 76
aduerſarij ad patres confugiũt 178
aduerſariorum aſtus 179
adulter 100. in Redẽptoris ſanguinem peccat 104
adulteri peccãt in corpus proprium 103
adulterorum pœnæ 104
adulterium 125. quid Theologis 97. quomodo Magiſter ſentẽtiarũ definiat 79
adulterij cauſa 101 grauitas generalis 102. item ſpecialis. ibid.
adulterij grauitas ex circumſtãtijs 102. opus non ſolũ ſed & uoluntas & conatus prohibetur 100. pœnę 104
adulterio uiolatur honeſtas publica 103
adulteria 97
adulteria etiam ſignis & uerbis admitti 99
adulteratio 97
adultus aliter & aliter infans baptizandus 339
ædificij eccleſiaſtici lapides 301
Aegeria dea 649
Aegyptiarum obſtetricum mẽdacium 115
æmulationis ingenium 58
æquitas cõmunis & uulgaris in cordibus mortalium 37
de Aetate nulla uitæq; genere deſperandum 240
æternitas trina in Dei fœdere 143
affectus concupiſcentiæ corrupti 121. corrupti 36. gratię in Deo unde 148. humani quomodo Deo cõueniãt 464. integri 36. ueteris hominis 79
affectuum naturalium & iudiciorũ diſcrimẽ 36. in nobis ratio 122. ſedes cor 493
afflictio cohibet prauas concupiſcentias 584. dat intellectum. ibid. gignit feruorẽ orandi. ibid. humiliat. ibi. patientiam parit 583. reſipiſcentiam parit 584
afflictionis ſymbolum baptiſmus 328
afflictionem an non liceat fugere 585
per Afflictionem certificamur de cura Dei 584
ex Afflictione gloria 584. inſtruimur ad conſolãdum alios 584
afflictiones 579. animorũ 581 etiam auertere licet 585
afflictiones humanę 580. tripliciter accidũt 580. immitti à Deo 581. propter religionẽ illatę 580. in qualẽ hominẽ incidant refert 584. quàm diuerſimodè inferantur 583. quo Dei conſilio immittantur 582. quomodo ferendę 585. itẽ ſubeũdę & ſuperãdę 585. 584. 586. unde ſint 581
afflictionũ cauſæ 581. genera quot 580. utilitas 583
afflicti non ſunt contemnendi 587. ſunt iuuandi 578. cõſolandi 588
afflictis cõpatiendũ 588. Deus adeſt 588. nõ adeſt Deus ocioſus 588. ubi eſt ſuccurrendũ, nõ debemus in uitam ipſorum inquirere 588
cũ Afflictis quomodo ſe gerat Deus 588. quomodo ſit agendum 587
afflictos quare Deus non ſtatim eripiat 589
ἀγάπη 345. 530
ἀγαθὸν 459
Ageſilai regis dictum 475
ἀιχρολογία 215
ἀκοσμία 214
ἀκοσμῶ 214
Alexander epiſcopus quomodo Arianę hæreſi cauſam dederit 613
Alphõſus Viues Hiſpanus 525
alienus Deus eſt, quicquid amatur & colitur ſupra Deũ 49
alienum Dei opus 431
Aman Iudaicã gentem malicio ſè defert 119
amans amatũ quomodo perſequatur 589
Ambroſius uſus eſt uocula Sola 269

ambulare

ambulare coram Deo 144
amici nō tantùm, ſed & inimici proximi noſtri ſunt 533
Ammon ſororem ſuam ui opprimit 99
amor uarius 539 zeli cauſa 58
amoris cauſa in Deo quæ 58
amore uel odio an dignus ſit homo, neſciri aſſerunt Scholaſtici 467
amplitudo futuræ gloriæ non admittit meritum humanū 280
anabaptiſmus qui reijciatur 331
anabaptiſta Papiſtam comburere poteſt, non uerò corrigere 610
anabaptiſtæ iuramentum è medio tollere conantur 65
anabaptiſtarum argumenta refelluntur 336 delirium 197 hæreſis 605 quorundam error, qui ſine peccato eſſe cō tendunt 29
Anablatha uilla 298
Ananiæ mendacium 115
anathemata uotiua in templis 569
Ancyranum concilium 211
ἀνάγκαστος 206
ἀνάγκη 595
angeli 556 quando creati 13 reprobi nunquam ſaluandi ibid.
angelorum creatio 12 cultus 411 lapſus 13
ex Angelorum ordine quoſdā eſſe plapſos ib. peccatū ib. peccatum cur nō ſit expreſſum in Scripturis ibid.
angelis non facienda templa 412 nō ſacrificandum. ibid.
angelos eſſe natura ſpiritus, officio angelos 12 eſſe non ex Deo genitos, ſed à Deo creatos ib. nō eſſe colēdos 411 peccato eſſe prolapſos 13
anima 16 hominis 493 ſi pro animali accipiatur, quid indeſequitur 642
animæ defunctorū temporib. Apoſtolorum quomodo ſaluari potuerint, cum miſſa ignoraretur 392 uel in cœlo ſunt, uel in inferno 562
animarum non eadem conditio quæ angelorum 556
animas noſtras ſeruamus per patientiam 601
animus hominis generoſus eſt, facilius ducitur quàm trahitur ibid.
animi anxietatem tollit fides 246 & intellectus depraua tio admodum noxia 343 integritas corrupta 18
animum adfligit pœnitentia 260
de Animo nutante non ferendum iudicium 28
animorum afflictiones 581
animal cęcum offerre 68. item claudum & languidum. ibidem
animalis hominis cōcupiſcentia non prohibetur 122 ſenſus 123
Annatæ 225
Annæ oratio 566
ἀνέχου 595
antichriſtus 200
antichriſti reuelatio, ſignum eorum temporum quæ aduentum Domini præcurrūt 516 ſedes, Romana curia 316
Antiochenæ eccleſię Ignatius ſecundus poſt Petrum præfuit 209
antiquitatis prætextus plauſibilis 415
antiſtrategos 200
anxietatem animi tollit fides 246
Apellitarum hæreſis 604
apocrypha noui Teſtamenti 175
apocrypha quare non ſint canonica 175 ueteris Teſtamenti 174 unde dicta ibid.
appetitus 539
Apollinaris 163
Apollinaris de carne Chriſti hæreſis ibid.
apoſtatæ qui hodie à Romaniſtris uocentur 315
apoſtolus 193
apoſtoli an mulieres opulentas circumduxerint 208 cultum oblatum reijciunt 49 tradiderunt non ut homines, ſed ut Apoſtoli 419
apoſtolorum canones 421 indeterminata poteſtas 202 oratio 567 patientia 598
de Apoſtolorum coniugio, Ignatij & Clementis teſtimonia 209 geſtis magis eorum diſcipulis credendum, quàm poſterioribus 209
apoſtolis euangelizandi conſtantia unde fuerit 456 qualis poteſtas conceſſa 482
apoſtolos adultos baptiſaſſe 337 fuiſſe uxoratos 208. 210. 231 non poſſe eccleſiæ capita uocari 305
apoſtolicæ traditiones 421
apoſtolicarum eccleſiarum cō ſuetudinem hodie eccleſijs prodeſſe non poſſe 198
apoſtolicorum hæreſis 605
Apuleius de homine quæ ſcribat 19
aqua cur uino in calice à Papiſtis admiſceatur 348
aquæ baptiſmatis conſecratio 339
aquariorum hæreſis 605
arbitrium & ſeruum & liberū in illis qui nondum ſunt regenerati 24
arbitrium liberum 22 amiſſum 18 an homini animali & carnali ſit ad bonum 24 hominis 493 ſolius Dei 22
arbitrij libertas trifariam conſideranda ibid.
Arca Noe 300
Arca Noe eccleſiæ typus ibid.
Arianæ hæreſi quomodo cauſam Alexander epiſcopus dederit 613
Arianorum hæreſis 604
Arius 160 eius hæreſis unde 606
ariſtocratia 622
ἀϋρωΐα 434
articuli fidei noſtræ omnipotentiam Dei requirunt 441
artium & ſcientiarum in rebus humanis qualitas 235
Artotyritarum hæreſis 605
Aſa religionis curam geſsit 631
aſſentationis malum geminū 117
aſſentationem comitem habet detractio 118
Aſſyrijs cur Deus tamdiu pepercerit 505
aſtris tribuunt genethliaci furandi procliuitatem ac neceſsitatem 107
Athalia omne ſemē regium interficit 109
Athanaſij ſymbolum 309
auaro ſufficiunt opes, & non ſufficiunt 434
auditus quomodo cauſa adulterij 101
Auguſtanæ eccleſiæ agenda 375
Auguſtani iuuenis exemplum 112
Auguſtinus à ſeipſo diſſidet 43 Hebrææ linguæ ignarus 126.

226. 283 Manichæorum hæresi infectus 614 quandiu Manichæus fuerit 181 quibus rationibus adductus, ut Euangelio crederet 236 refert Eucharistiam inter signa non miraculosa 317
Augustini argumentum 181 sententia 290 spes 525 uerba quomodo Magister sententiarum corruperit 299
auricularis confessionis origo 259
auricularem confessionem nō esse iuris diuini 256 non fuisse in usu patrum 258 nō facere ad remissionem peccatorum 259
αὐτάρκεια nulli mortalium tribui potest, sed solius est Dei 434
αὐτάρκης 435
αὐτοφανέιαι species 91
αὐτοφανῦται ibid.
authoritas falsa cauenda 175 gemina 176 magistratus non ualet, quando illegitimè quid præsumit 92 Sacræ scripturæ non est ex ecclesia 180
authoritatis dispensatio 176
autoritatem ecclesiæ non prę-iudicare Scripturis sacris 179
ex Authoritate Dei aliquid facere, quorum sit 426
azymo pane cur Christus in cœna sit usus 348

B

Babylonijs legatis thesauros Ezechias ostentat 128
baptisma Ioannis 332
baptismatis aquæ consecratio 339
baptismatis usus 328. 340
baptismati an tribui possit peccatorum remissio 283
à Baptismate Christi nemo repelli debet 334
baptismus ablutio peccatorū 328 cur ad mortis usq; articulum dilatus 287 cur iterare non debeat 329 & circumcisio signa initialia 317 flaminis 329 Ioannis & Apostolorū quo modo differat 330 lauacrum regenerationis 329
baptismus pœnitentiæ symbolum. ibid. potest esse sine spiritu. ibid. quibus dari possit 334. item quibus non 335 quibus sit destinatus 332 quibusdam sacramentum fidei 328 quomodo administrandus. ibid. quomodo sacramentū pœnitentiæ uocari possit. ibid. sacramentū Christianæ societatis. ibid. sacramentum nouæ uitæ. ibidem. sanguinis 330 signaculum fidei 328 signum Christianæ professionis. ibid. symbolum afflictionis. ibid. symbolum habet regenerationis 241
baptismi ac cœnæ Domini sanctificatio 72 adimpletio bimembris 341 administratio 334 definitio 329 impedimentum 335 manifestum impedimentū. ibid. sacramentum in duobus consistit 339
baptismū Cusanus dicit fidei confessionem 328 quis instituerit 332 uocat Christus crucē suam 328
ad Baptismum accessoria quæ à Papistis usurpantur 338 cum infantibus suis quidá nimis scrupulosè festinant. ibid.
sine Baptismo infantes decedētes 335
baptizandum cōpetenter 339 item reuerenter & intelligēter 340
baptizandi modus 333
de Baptizandis infantibus nō extare præceptum Domini 337
à Baptizatis quid requiratur. 341 quæ fides requiratur ibid.
Basilidianorum hæresis 604
beatitudo sperantium ex Deo est 526
beatus nemo esse potest sine fide 234
beatos quos Christus uocet 604
benedicere 397
Benedicti papæ dictum 225
Benedictinorum uotum 573
de Beneficijs iuris pro pauperibus 222
beneuolētia humana unde instabilis 461
in Bernatum ecclesia quomodo ministri eligantur 199
Bernatum gymnasia literaria 199
Bernhardus de Antichristo. 516
bestialis coitus pœnæ 104
bestijs naturaliter gignēdi lex insita 38
de Bestijs & iumentis præcepta 130
Bethamin mensis apud Hebræos 305
Biblia sacra ante hæc tempora multis ignorata 417
Bibliorum sacrorum combustio 617
bigamia uera 207 interpretatiua. ibid. similitudinaria. ibid.
de Bigamis 217
bigamiam quomodo Scholastici diuiserint 207
blasphemia 32 in Spiritū sanctum 33 cur non remittatur. ibid. non abit inulta in sempiternum 289
blasphemiæ & peccati discrimen 32
ad Blasphemiam patientia facit ad cōtemptum nominis Dei 67
blasphemum lex Dei occidit 614
blasphemis pro quibus sit orandum 33 pro quibus nō ibid.
blasphemātiū duo genera ib.
bonus artifex & uir bonus, differunt 460
bonū ac iustū à Deo diligi 175
bonū esse prius est, quàm uelle bonum 450
bonū esse et facere, differūt 134
bonum facere 28
bonū illud cuius respectu hominē prolabi permisit, fuerit'ne studio alicuius quæsitum, uel fortuitum 21
bonū quod'nam illud fuerit, cuius prospectu Deus humani generis lapsum sic disposuit ibid.
in Bono quæ concurrant 459
bona Dei gemina 436
bona opera an, & quare Deo placeant 275 ad gratificandum Deo fieri. ibid. ex spiritu Dei fieri. ibid. propter ueritatem Deo probantur. ibid. quo animo fiant, referre 274
ad Bona cogitandum non sumus sufficientes 279
bona sua nobis adscribit Deus 126

bonorum ecclesiasticorum fu res episcopi 106 item prin cipes. ibid.
bonorũ operũ retributio 275
bonorum operum usus 274
bonitas Dei 458
bonitas Dei generalis 461 specialis. ib. nõ est ἄλογος 463
bonitas sine dilectione esse nõ potest. ibid.
bonitatis Dei argumẽta ex o peribus creationis 459 abusus 462
bonitatis Dei duplicẽ esse con sideratione 461 natura est, benefacere omnib. 409
bonitatis diuinæ excellẽtia in quibus considerãda 10
bonitatis & maiestatis in Deo coniunctio 464 ingeniũ. ibid.
bonitatem Dei esse inuictam, unde pateat 461 immuta bilẽ esse ac sempiternã. ib.
in Bonitatẽ dei peccare, pecca tum maximũ 462 quot modis peccetur. ibid.
bullæ Rom. pontificum 66
bullæ 225

C

CAecũ animal offerre 68
cædes bellicæ 94
Cæsarea maiestas mini stra Dei 637
Cæsareæ maiestatis potestas non derogat potestati sub ordinatorum magistratuũ. ibid.
Cainus à Lamecho iaculo occi sus 93
Caini assentatio 118
calamitatis impatientia 91
caminus Babylonis 481
Candacis reginę eunuchus ad fidem Christi cõuersus ma net in officio magistratus 639
Canon in quibus reprehensibi lis 399
Canonis missarij author 395
Canones Apostolorum 421
caput secundarium Rom. pon tifex 305
capitis cõditiones in Christo. ibid.
capiti quæ conueniant. ibid.
captiuitas 88
captiuorũ liberatio quot mo dis fiat 153
Cardinalis cuiusdam Germa ni factum 214
caro & corpus hominis 494
caro, non sacra Scriptura, ma ter hæreticorum 606
carnis Christi ἀποθέωσις 171
carnis corruptæ concupiscen tia prohibetur 122 dictio ne quid significetur 158 & mundi gratia instabilis 148 iugis Christi fruitionis quo modo participes reddamur 379 lapsus 219 mortifi cationi seruit patientia 601 nostræ corruptio, causa a dulterij 101 origo à uerbo assumptæ contra Valenti nianos unde sit 160 praui tas 122
carnem mortificat fides 246
de Carne Christi Apollinaris hæresis 163
carnales 593
Carpocratianorũ hæresis 604
Carthaginense concilium 368
castigationis usus 288
Cataphryges secũdas nuptias pro scortatione habuerunt 605
catechisandi ministerium 203
Catilina falsæ patientiæ exem plum 596
catholicus consensus 304
catholicum iam esse non tam refert, quàm semper fuisse catholicum 421
catholicorum seductio 31
catholicæ ecclesiæ tria dantur 302
casuale homicidium 93
causa prima quę sit, unde fiant omnia 448
in Causis criminalib. qui iudi carunt uel scripserunt 217
de Causis matrimonialib. 215
causas malorũ inuestigare pru dentum est 101
cautionis furtum 109
Cẽturio Christian⁹ factus ma net in officio magistrat⁹ 639
ceremoniæ legales uariæ 132 personales. ibid. tabernacu lares, sacrificatoriæ & obla toriæ. ibid. purificatoriæ, expiatoriæ, sanctificatoriæ, temporariæ, uestiariæ, ciba riæ, sacramentariæ. ibid.
de Ceremonijs ecclesiarũ Au gustinus conqueritur 414
ceremonias cur Deus Israeli tot præscripserit 133
ceremonialia præcepta 132 le gis unde cessasse cõstet 140
ceremonialium præceptorum usus 134
cærei ardentes 338
Chananæi quomodo terram Domini acceperint 88
charitas Dei à seipsa oritur 42
charitas durare nequit, nisi pa tientiæ uirtute caueãtur of fensæ 601 exercenda sab bato 71 nostra unde origi ginẽ trahat 42 ordinata. ib.
charitatis fraternę affectum o peratur fides 245
charitatẽ lædit detractio 118
charitate illæsa quomodo te stimoniũ contra proximũ dici queat 114
in Charitate quomodo nõ sit timor 541 ueritas quærẽ da 455
Chiliastarum hæresis 695
Chore schisma 622
Chusanrasathaim regi quãdiu Israel seruierit 625
Christus ad quid nos redeme rit 156 ad uesperã mundi uenit 155 an genus huma num redimere debuerit 153 an iustificet ut aduocatus & intercessor 268 an prior ederit & biberit 349 cui nos, & ad quid redemerit 156 cur non statim post A dæ peccatum uenerit 155
Christus Deus 8 diligit nos nõ suo, sed nostro bono 536 item diligit nos perseueran ter & ardenter. ibid. differt à sacerdotib. ueteris Testa menti 294 diuidi non potest 621 ecclesiã suã nõ deseruit 312 est natus do minus 480 filius Dei uni genitus 8 fundamentũ ec clesiæ 301 in cœna nõ ob tulit, nec offerre iusit 387 i pse dispẽsator gratię dei 174 iustificat 263 legis finis 130. 137 mediũ in quo iustifice mur 268 mediũ in quo re missio peccatorũ accipitur 283 mysteriũ Dei 193 na turalis filius ex Deo 433 nos ardẽter diligit 537 nõ potest denuò offerri 388 non potest offerri, nisi à se ipso. ibid. operãte Spiritu sancto in utero uirginis cõ cipitur 20 precio nos rede mit 153 quare nõ dederit panẽ discipulis frangẽdum 349 quare panẽ fregerit. ib. quare sacramẽta externa in stituerit 321 quando uerè ex ministri ore audiatur 201 quomodo cõsecrauerit, ex sacris Scripturis nõ cõstare dicunt 397 quomodo nos potẽti manu liberauerit 154 quòd nos precio redemerit,

quomodo fit intelligendũ 154 quomodo sit perpetuus sacerdos 294 sibi ipsi diuinitatis opera adscribit 8 semen Abrahæ 142 seruator mundi 151 solus legẽ perfectè implet 137 summus sacerdos 292 uerbum Dei 8 uerbũ incarnatũ 158 uerus homo 163 ut denuò offeratur, non est necessarium 288
Christi carnis ἀντίδοσις 171 corpus ecclesia 301 corpus & sanguinẽ qui nõ edant 377 non esse in naturã Dei mutatum 433 quibus modis edatur 378 discipulatus 455 dispensatio, legis primarium opus 137 doctrinæ duæ partes 342 diuinitatis testimonia 8 factũ 347
in Christi fide quousq; crescere debeamus 242 ecclesia prima 140 ecclesia quomodo una 299 imago 56 imaginem in ecclesijs Christianorũ collocare, illicitum 56 meriti uera applicatio 393 ministri plantatorib. & rigatoribus ab Apostolo cõparantur 237 ministris an aliqua in ecclesia potestas 200 mortis uirtus tam prę cedentia quàm sequẽtia secula complectitur 155 parabola 285 persona qualis 160
ad Christi personam tanquam summi sacerdotis quę pertineant 293 plenitudo 242 præsentiã spiritualẽ & corporalẽ nonnulli confundũt 366 sacramẽta augusta 323 sacerdotij perpetuitas 294 sacrificium. ibid.
ad Christi sacrificiũ duo accedunt. ibid. sanguinẽ liberare nos ab omnibus peccatis 288
in Christi sermone manendũ 455 sponsa ecclesia 301 uerba & facta cõsideranda 347 ueritatem quomodo pauci sint qui cognoscant 454
Christo ante omnia sumus subiecti 547 duæ naturę dantur 429 soli cõpetere mediatoris officium 293 quo modo cõpetat adoratio 56
cum Christo manendi perseuerantiam operatur fides 245
de Christo quid credatur 232. 233
Christum induere 329
præter Christum non est alius summus sacerdos 292
Christianus 468 an ab ecclesia discedere possit sine culpa 315 an possit gerere magistratũ 639 egregius 626 populus per omnia sanctus 634
Christiani hominis discretio 487
Christiano prudenti non facilè imponitur in causa religionis 413
Christianũ hominẽ ne inferorum quidẽ portæ ad mãlum cogere possunt, nedũ magistratus 646 unà cum ecclesia Corinthiorũ Paulus excommunicat 315
Christiani quomodo legẽ impleant 127 uiui lapides 295
Christianorũ Cæsarũ sanctiones ecclesiasticæ 635 idololatria tenacissimũ malũ 54 longè alia conditio quàm ethnicorũ 634 spirituales oblationes 296
Christianis quantum peculiariter malorũ scortando inferatur 103 quoque accidere posse quòd Iudæis accidit 518
Christianos quibus rationib. non habere opus magistratu uideatur 638
Chrysostomi consolatio 190
cibariæ ceremoniæ 133
cibus & potus in sacramento noui Testamenti 351
Circumcelliones 91
circumcisio & baptismus signa initialia 317 molesta fuit 323 præputij corruptionẽ generis humani arguit 20
circumcisionis impletio 340
ciuitatis iusticia 484
κυβερνὴ 298
de Clarificato Christi corpore & unitate personali 357
claudum animal offerre 68
clausura monasteriorum 576
Clementis locus 52
κλίσεις 298
Clinici 341
coactio salubris 614
coactionis certus modus statui non potest 613
inter Coactionis & ecclesię status genera discernendũ 611
coactionis usus duplex 612
Coclæus patrociniũ causæ suæ quærit 295
cognitio Christi unde sit 521 Dei 51 ex reuelatione spiritus 520 imperfecta in hac uita 522 in hac uita quibus rationib. fiat, ut imperfecta sit. ib. perfecta nemini conceditur donec uiuimus in hoc seculo 521 quid faciat. ibid. quid operetur in homine 520 quomodo dispensetur mortalib. 519
cognitio diuinæ uolũtatis gemina 133 quomodo sit cõparata 520 rerum quomodo comparata sit 428
cognitionis modus seruandus 14
cognitionẽ Dei imperfectam esse in hoc mundo 521
ad Cognitionẽ Dei quòd sit, quomodo perueniatur 1 ueram quæ requirantur 518 ueritatis Dei paucorum esse peruenire 454 quomodo perueniatur 454
ad Cognitionem rerum duo sunt necessaria 518
per Cognitionem rectè iudicamus, uolumus & operamur 520
in Cognitione Dei duo respectus 521
coitus bestialis pœnæ 104
Collatinus Lucretiam oculis procacium regulorũ uisendam objicit 128
collectæ 203
colendi uerbum 50
colere Deum 547
colendum esse Deum 407 ad ipsius uoluntatem 408
cõminationẽ istam an nemo possit euadere, qui nomine Dei in uanũ est abusus 70
cõminationes iræ Dei, non minus quàm ꝓmissiones gratiæ, certæ 70
cõmotionẽ iræ, qualis in Deo sit, nemo nouit nisi spiritus Dei 503
cõmunicatio corporis & sanguinis Domini 345 ecclesiastica quãdiu durarit 402
citra Communicationẽ missari 402
cõmunicare quare singuli priuatim q̃ simul uelint 402
communia quomõ omnia fuerint Christianis primis 576
commune in Deo 6
compassionem habere, est esse uerè misericordem 61
concu-

concupiſcẽtia cor adfligit 124 illicita redarguenda 129 inſatiabilis 124 legibus iuſticiæ magis irritatur quã cohibetur 124 mulieris incognitæ 127 ne ſenio quidem extinguitur 124 nuda quomodo culpabilis coram Deo 124 peccati miniſtra 123 praua intimè in ipſis affectibus cordium noſtrorum ſita. ibid. quib. modis moueatur. ib. quid 121 quotuplex. ib. ſi pro facto eſt coram Deo, quorſum attinet abſtinere à factis 125 ſolo cogitatu excitatur 123 totũ hominẽ ad peccãdum ſolicitat 124 uerbũ Dei in corde ſuffocat. ibid.
concupiſcentiæ affectus duplices 121 corruptio unde. ib. inordinatæ prauitas & malicia 123 malicia. ibid. miniſtri oculi 128 natura 121 prauæ motus 123 prauitas tenaciſsima 124 quodnam genus prohibeatur 122 uis 121 uim etiam ſancti experiuntur 124
concupiſcere nihil, mortuorũ eſt 122
concilium Ancyranum 211 Gãgrenſe. ibid. Nicenum 210 Tridentinum 472
concilij conuocatio 66
concordia duplex 245
cõcordiæ uia eſt, ſi omnes Deo obediamus 551
concordiam operatur fides erga fideles 245
confirmatio 221. 320
confeſsio ad Deum trifariam fit 256 papiſtica 256 peccatorum gemina 256
confeſsionis auricularis origo 259
confeſsionem auricularem nõ eſſe iuris diuini 256 non facere ad remiſsionem peccatorum 259
confeſsionem ueritatis operatur fides 245
cõiugium cur Chriſti miniſtris ademptum 212 fons humanæ uitæ 97 presbyteris ac miniſtris Romana tyrannis prorſus ademit 211
coniugij lex 39 legitimi honeſtas repudium irreconciliabile in eccleſia Romanorũ paſſa 212 hoſtes & oppreſſores 212 uſum phibere 210
de Coniugio ſacerdotũ Paphnutij ſententia à Synodo approbatur 210
coniugia infelicia 543
coniugiorũ diſsipatio unde 211
de Coniugatis cũ unica & uirgine 217
coniunctio naturalis, localis, corporalis, obligatoria 326
conſcientia peccatorum deſperationis tẽporarię cauſa 528
conſcientiæ peccatis oneratæ 607 ſynceræ bonum amiſſum, & timor à facie Dei inflictus 18
conſcientiarum pax 273
conſecrationis commentum quomodo perficiatur 396 Papiſticæ traditionem cur Roffenſis epiſcopus diuinam dicat 421 uerba 396
conſenſio 28
conſenſus triplex 110
conſenſus 27
conſeruatio eorum quæ ſunt à Deo condita 491
conſilium Dei 248
conſilio occidere 94
Conſtãtinus poteſtatẽ ſuã etiã in epiſcopos exercuit 644
Conſtantienſe concilium 94
Conſtantiam urbem Alfonſus Hiſpanus ex inſidijs adoritur 525
Cõſtantinopolitana ſynodus ſtatuit B. Mariam uocandã eſſe θεότοκον 163
Conſtantini magni uerba 643
conſtitutiones 418
conſuetudo inueterata 414 ſine ueritate, uetuſtas erroris eſt 414 ſua cuiq; tyrannis 384
conſummatio 569
contactus cauſa adulterij 101
contemptus Dei 462
controuerſiæ populi duplicis generis 131
conuentus eccleſiaſtici 203
conuerſio 255 ad Deum 256
conuerſionis primum gradum eſſe in timore Dei 542
de Cõuerſione nullius adhuc in uita conſtituti deſperandum 527
cooperatio furti 110
cooperarij Dei ſumus 149
cœli & terræ creatorẽ eſſe uerum & unicũ Deum 78 nomine quid intelligatur 50
cœlibatus ſacerdotum 403 ſacerdotalis in eccleſiam inducti cauſa 212
cœna Dominica cõpoſita res eſt 343 quales conuiuas requirat 344 Domini quando adminiſtranda 372 Dominica quomodo celebranda 372 quid 343
cœna Domini à ueteribus euchariſtia uocata 387 alterũ gratię Chriſti ſacramentum 343 communis & publica toti eccleſiæ 368 corpus & ſanguis Domini 344 cur Euchariſtia dicta 167 fractio panis 344. non mortuis, ſed uiuis adminiſtranda 369 panis & poculum Domini 304
cœna Dominica quibus adminiſtranda 368 res ſacroſancta & myſtica & ritualis 344
in Cœnę cauſa quid nos Dominus facere iuſſerit 363
de Cœnę Dominicę celebrandæ tempore diſcors ueterũ ſententia 372
cœnæ Dominicæ conueniẽtis adminiſtrationis triplex reſpectus 375 definitio 346
cœnę Domini & baptiſmi ſanctificatio 72 inſtitutio 346 recta adminiſtratio 367 ſacramentum integrè adminiſtrandum 372 uerus & legitimus uſus 376 uocabula inſpicienda 344 uocabula triplicis ordinis 344
cœnam an habeamus ſine præſentia Chriſti 356 non conferre remiſsionem peccatorum 284 Dominicam quis inſtituerit 346
in Cœna Domini quomodo ſe ueri fideles gerant 383
ad Cœnã Domini requiri intellectum animi fidelis 350
in Cœna an habeamus abſentis Chriſti memoriam 366
de Cœna Domini rudes inſtruendi 350
in Cœna nõ obtulit Chriſtus, nec offerre iuſsit 387 unde ſint abuſus 347
cœtuum eccleſiaſticorum ſtudium 245
cor hominis 493 uitam hominis perdere poteſt, regere uerò non 494
cor contritum capax remiſsionis peccatorum 284
cordis concupiſcentia 100 eſuries 377 homicidium 96 humani corruptio 53 ſingularis peruerſitas 69 malicia, fons omniũ peccatorũ 107
ſecundum cordis qualitatem Deus iudicat 125

corde quali communicandum 377
corda mortalium quibus causis ad misericordiam permoueantur 475
cordium apertio 156
corpus ac sanguinem Christi qui nec edant nec bibãt 377 Christi edi asserentes 378 manducari negantes. ibid. nõ esse in naturam Dei mutatum 433 quibus modis edatur 378 quòd impij edant, nõ colligitur ex uerbo Domini 380 Domini non est uirtute uerborum in pane 353 & sanguis Christi an Deo patri offeratur in missa 386 suum Christus discipulis suis dedit 358
corporis Christi manducatio 278 spiritualem manducationem non auferimus è cœna 379 ubiquitas 357 & sanguinis Domini communicatio 345 sacramentum. ibid.
cũ Corporis & sanguinis Domini sacramento quomodo transsubstantiatio conueniat 397 corporis sacramentum non pertinere ad mortuos 368 nostri honos 103
corpori Christi quomodo frangendi uerbum conueniat 159
in Corpus proprium peccare 103
de Corpore uitiatis 216
corporum nostrorum sacrificium 297
in Corpora propria peccant adulteri 103
corporalis necessitas 558
corporalis præsentiæ dogma 362
corporalium redemptionum conditio 155
correctio 189
correctionis duæ partes 609
corruptio & mors inflicta 18
creator maior est opere quod fecit 6
creatio angelorum 12
creationis fides populo Israeli cur sit proposita 77 quid in nobis operetur 14
ex Creationis fide quæ consequantur 78 opus 490 primum inter Dei opera 11
de Creatione. ibid.
creaturæ an participes diuinæ naturæ 432
creaturarum ministerio quorsum Deus utatur 435 omnium potentia Dei 438
ex Creatoris nostri fide & obseruantia nobis uiuendũ 78
creatorem cœli & terræ esse uerum & unicum Deum. ibid.
credere de Deo quid sit 232 in Deũ 233 Deo .ib. item Christo. ib. est assentiri auditis 232
credentium exemplar Abrahã 143 obedientia 166
credentibus pœnæ unà cũ peccati culpa remittuntur 288
credendum prius, deinde intelligendum 455
credimus Mosi, prophetis & apostolis: sed non in Mosen, in prophetas & in apostolos 233
credulitas præpostera in seductis damnanda 615
crimen 206
crucis signum frontibus Christianorum impressum Augustinus inter sacramenta connumerat 318
crucem suã uocat Christus baptismum 328
culpa an non tantum, sed & pœna remittatur 287 cultus arbitrarius 62 Dei humilitas 413 ueri Dei ignorantia unde. ibid. partes 409
cultus Dei prima pars obedientia. ibid. quorum sit 410 quotuplex. ibid. uerus 406. 407 uotis non est alligatus 570
cultus diuini titulus 412
cultus uerus esse debet omnis uita nostra 426
cultui falsorum deorum simulacra subseruiunt 49
cultum Dei esse paucorũ 410 quidam referunt ad institutа patrum 408 & adorationem non competere nisi soli Domino Deo 57 & inuocationem operatur fides 245
ad Cultum Dei quę pertinent, non competere angelis 412
cõtra cultum mortuorum sanctorum 48
cultu puri spiritus Deum delectari 411
in Cultu Dei quid spectãdum 414 trifariam peccari 47
de Cultu Dei aliter pij, aliter impij sentiunt. 407
à Cultu falso discedere cur sit difficile 412
cultus papistici qũo imperitis cõmendentur. ibid. 413. 414
cultuum genus quod ná Deo placeat 411
cultibus falsis papismus refertus 412
pro Cultoribus in papatu qui habeantur 410
cultores Dei pauci qui ná. ib.
ueri Dei. 401
cupido magis excæcans est, quàm cæcus 124
cura 489 Dei generalis 436 specialis. ibid.
curiæ Romanæ ἀσυμφωνία 215
curiositatis uitiũ ubi obtinet, ibi quę uis hęretica seductio locum inuenit 607
Cusanus quid baptismum esse dicat 328
custodia mãdatorum Dei perfectionem illorum parit 63 dilectionis filia. ibid.
custodire præcepta Dei. ibid.

D

DAgon simulacrum 53
Daniel in captiuitate constitutus tribus uicib. per diẽ ad Deũ orat 557
data signa 317
Dathan schisma 622
Dauid Georgius impijssimus hæresiarcha 607. 608
Dauid fidei uirtute confirmatus, Goliath sternit 246 orat cõtra inimicos suos 564 rex quomodo religionẽ disposuerit 631
Dauidis oratio 566 patientia 598
Dauidi obijcitur, quòd inimicis causam dedisset blasphemandi nomen Domini 67
dæmonia dij gentium 49
dæmonilatræ 408
dæmoniacos apostoli liberarunt 339
debitorũ remissio 282 cur pars Christiani catechismi 141
Decalogus an abrogatus 140
Decalogi conditio 81 diuisio 42. 125 in decem uerba diuisio 43 lex de quo testimoniorum genere loquatur 115 lex qũo sit ab initio proposita 41 totius generalis causa 116 uox 41
Decalogum ad solos Israelitas pertinere 80 quomodo diuidat Hieronymus 4
decimarum ac primitiarũ usus 134
de Declaratorijs 222
decorum Dei 558

decorum petentium 558
defensorium homicidium 94
defunctorum animæ temporibus Apostolorum quomodo saluari potuerint, cũ missa ignoraretur 392 uel in cœlo sunt, uel in inferno 562
delectatio 27
Diuort 553
deliberatio 569
delectatio de cæde concepta 96 prohiberi non potest 28
denarius numerus 41
depositionis ministri duplex usus 230.231
desperatio aliter se habet in electis 529 & aliter in reprobis. ibid. carni nostrę admodum insidiosa 528 de Deo alia finalis est, alia tẽporaria 527 de nobis ipsis 527 de rebus agendis 520 Dei 527 excludit à uera felicitate 530 finalis reproborum 528 Francisci Spieræ 530
desperatio omnis non est mala 529 proximi 527 quàm noxia & pernicioſa 529 quando sit mala. ibid. quid 527 quotuplex ibid. quo modo se habeat in reprobis 529
desperationis causæ 528 manifestę & temperię causę. ib.
ad Desperationem adducit impios pœnitentia 261
desperatur de Deo quãdo 527
detractio comitem habet assentationem 118 lædit charitatem. ibid. nocet proximi bonis, nomini & uitę. ib. tres personas perdit. ibid.
detractionis malum. ibid.
Deucalion non hominem, sed imaginem hominis finxit 14
Deus à nobis requirit fiduciã bonam erga se 468 ab operib. suis septimo die quieuit 78 ad quem finem creauit 12 ad quid nos iustificet 273 ad quid nos elegerit 252
Deus alienus 49 aliter agit cum angelis, aliter cum hominibus, aliter cum reliquis creatis 322 ambidexter 463
Deus an faciat omia quæ facere potest 444 possit aliquid melius facere, & alio modo, &c. ibidem. an possit ambulare & loqui 443 an possit omnia quæ homo 442 an sit 1 an sit, quæstio, cum priore loco posita 1
Deus cardiognostes 53 cum sit infinitus, impossibile est, ulla ratione definiatur 4 cur iudicet in hoc seculo 512 cur nos infirmitatibus obnoxios crearit 439 cur non in perpetuum irascatur 508 cur populum suum non in ipsa terra Cenaã multiplicauerit 46 cur creaturarum ministerio utatur 435 cur solus coli uoluerit 47
Deus de suo facit, quicquid ipsi uidetur 462 duabus de causis colendus 406
Deus & potest & uult prospicere omnibus 487 elegit nos in Christo & propter Christum 250 est à seipso Dominus nõ aliunde 480 est *ὁδηγὸς χορῶν* 438
Deus homines aliter instruit, quàm reliquas creaturas 192 cum spiritu adorandus 56 iustificat 263 iustus 485 iustus est per fectè, bonus uerò infinitè 61 iustus & misericors 147 iustus iudex 485
Deus lapsurum hominẽ præsciuit 20
Deus misericors 262
Deus nec malum uult, nec facit 449 num abscondat se erga homines 519 non est natus Dominus 480 nõ potest operari, nisi secundum naturæ qualitatem 10 non potest proprio nomine appellari 3 non solum cognoscendus, sed & diligendus & colendus 518 non separatur peccatorum grauitate uel multitudine 285 noster non similis falsis dijs 58
Deus ociosus esse nequit 3 operãs, nos uerò cooperantes 149
Deus philanthropus 163 possit ne fatigari 442 prouidet toti huic uniuerso 487
Deus qualis consideratione essentiæ 5 qualis consideratione naturæ 4 qualis sit 5 qualis sit, ut simus, plurimùm refert 57 qualis sit hypostasi 6 quando à seipso diuersus appareat 9 quando crearit 12 quando nos elegerit 248 quantus 9 quisnam sit 3 quis sit, nec Mosi declaratur 4 quis non sit, magis posse statui, nàm quis sit 3 quid crearit 11 quid sit 4 quid sit, cogitari non posse. ib. quid sit, quæstio hæc dupliciter considerari potest ibid. quid sit, qui sufficienter sciant 5
Deus qua necessitate disponat omnia 487
Deus quorum misereatur 477
Deus quibus nos subiecerit 547 quibus potissimùm peccatis irritetur 506
Deus quos elegerit ibid. quales elegerit 205
Deus quòd peccare nequit, non est dandum omnipotentiæ 443
Deus quomodo crearit 12 qũo iustificet nos 264.265. 266 quomodo *φιλοχρήματος* 467 quomodo se declaret quis sit 4 quomodo sit solus omnium Dominus, cum & satan sit dominus & quisq; tyrannus 480 quomodo uerbo innotescat 2 quo respectu suos elegerit 248
Deus secundum cordis qualitatem iudicat 125
Deus sic solus bonus dicitur, sicuti solus existens uocatur 460
Deus solus legislator perfectus 35 solus opifex quòd inter creata non numeretur, quomodo intelligendum 11
Deus spiritus 4
Deus sua bona nobis adscribit 126
Deus supremus hæreticus 605
Deus tardus ad iram 503
Deus uerus esse non potest, qui non est Iehoua 44 uerus quis 518 unde creauit 12 uox unde ad Latinos peruenerit 157 zelotes 57 zelotypus 58
Dei cognitio in hoc mũdo imperfecta 522
ad Dei cognitionem quòd sit, quomodo

quomodo peruenitur 1
post Dei cognitionem rectè sequitur cognitio hominis 13
Dei cõsilium 248 cultus uerus 407 cum creaturis collatio 460 cum homine collatio ibid.
Dei definitionem nõ esse quærendam 4 domus ecclesia 301 dona alia omnibus alia non omnibus dantur 238 dona quæ ab illo petimus, apprehendit fides 244
Dei etymõ 4 essentia inuisibilis quomodo declaretur 2
de Dei essentia quid prædicetur 5
Dei essentia quomodo comparata 4 inuisa. ib. est remittere peccata 282
Dei & satanę in nobis opus obseruandum 121
Dei filius unigenitus Christus 8 figura 54 fœdus unicum 144 fœderis capita æterna 143
Dei gratia alia conditionalis, alia non 286 gratia non temporaria, sed æterna 148 gratia orbi exposita 164 gratiã frustrà recipere 164
Dei ingenium 234 iusticia 147
Dei maiestas nec accessionem nec diminutionem recipit 6 mãdata quomodo obeũda sint 427
Dei natura 428 qualis 430 naturam nulli esse creaturæ communicari 434 nomẽ inenarrabile 3 nomen uariè sumere 64
de Dei nomine 423
in Dei nomine aliquid facere, non est cuiusuis 424
Dei odium unde censeatur 60 officium 4 opus 121 omnipotentia 437 omnipotentia in multiplicatione & propagatione 439 opera mirabilia 441
de Dei operibus 10
Dei operationum genera 11
Dei patris simulacrum 56
Dei præscientia ut fuit sine certo consilio 20 propositũ 234 prouidentia quid 490 prouidentiã qui negat Deũ negat 4
Dei qualitas in quibus 5 quomodo comparata 9
de Dei quantitate quomodo quæratur 9
Dei regnum geminæ considerationis 167
Dei sufficientia 434
Dei testamentum 141 thronus duplex 266
Dei uirtus euangelium 164 ultio quomodo protendatur in tertiã & quartam generationem 60 unitatem philosophi & poetæ agnouerunt 5 uoluntas an impediri possit 450
Deo an competat dilectio 463 an placeat quicquid studio seruiẽdi illius fecerimus 62 an proprium nomen conueniat 423
Deo ius eligendi quos uult 247
Deo prodesse non possumus 279
Deo quomodo conueniat iustificationis genus 266 quomodo tribuatur prouidentia 469
Deo reconciliat pœnitentia 260
Deo seruire 62
Deo uel adhęreamus uel ab eo seiungamur 58 uoluntas pro facto est 125 utrum magis placeat homo præcepta illius custodiens, etiãsi non impleat, quàm implẽs, & non custodiens 63
in Deo duo respectus, ad quos referẽdi sunt colendi ipsum causæ 407 naturalia sempiterna 9 non esse uoluntatem ut in homine 444
in Deo nullę corporum qualitates 5 sunt omnia 437
in Deo quomodo sit uerbum 157
pro Deo uero cur falsos ethnici coluerint 3
Deum alicuius esse 45.143 aliquem esse, cognoscẽdum 518 aliquos elegisse 247
Deum bonũ esse quid sit 459
Deum dissimilem esse tyrannis 61
Deũ Ebrçi quomodo omnipotentem uocent 437
Deum esse bonum 459 misericordem 474 patrẽ Domini nostri Iesu Christi 518 triplici ratione probare 2 unum & trinum 7 nostrum patrem 518 iustum esse quid sit 484
Deum non curare res humanas, alij dicunt 488 nonnulli qui cognoscant, quomodo fiat ut eum non colant 521 nullam habere definitionem Thomistæ asserunt 4
in Deum peccatur ab omnib. 282
Deum qualem habeamus 58 quàm diligamus, qua in re declaremus 62 qui timẽt, felices prædicãtur 540 qui non solùm colant 408 quo respectu ueneremur, referre 65 quibus epithetis philosophi ornent 5 quibus rebus colamus, quidá putant nihil referre 402
Deum quomodo philosophi ex operibus illius cognouerint 2
Deum uerum esse quid 518 unum esse essentia, & trinũ hypostasi 158 ut timeamus cur nobis præcipiatur 539
à Deo cur diligamur, an in nobis sit causa 467 missum esse unde constet 428 nos diligi, argumenta noui Testamenti 468 quòd audiamur in oratione nostra, quibus argumentis constet 566 qũo omnia creata dicãtur 11 non rectè quæri, quis sit 3 quo respectu iustificemur 267
de Deo, quod sit nomen eius, non quærendum 3 quomodo loquatur sacra Scriptura 57 quæ prædicentur 9
ex Deo & per Deum sunt omnia 437 esse quid sit 433 si sunt omnia, quomodo aliena sunt ab illius natura 432
deorum religio unde 36
deos plures qui statuunt, stulticia 5 tres nõ constitui 7
diabolus ante hominem peccauit 19 propter superbiam cœlitùs deiectus 13 seductorum primarium exemplar 615
in Diaboli iudicium incidere 227
diaboli laquei 24
diaconi 193. 292
diaconi cur instituti 196 hodie in ecclesia multum à prima institutione diuersi 196 quales esse debeãt 205. 228 quomodo probandi 229
diaconorum primæua institutio 196

uxores

uxores quales sint 229
dictum memorabile 169
dies festi nō nominibus & memorijs sanctorum nuncupādi 74 iudicij quando sit futurus, nō est quærendum 514 sex operibus, & unus tātum quieti datur 73
diei septimi sacrificatio 78
dierum existimatio unde ducēda sit 73 sex ad quid fiat mentio 73
diffidentia 462
diffidere Deo, grauissimū peccatum 462
diffidendo peccatur in bonitatem Dei 462
dij gentium dæmonia 49
dijs gētium sancti Christianorum successerunt 48
δικαιοσύνη 485
dilectio 530
dilectio an Deo competat 463 carnalium hominum odiū 60 Christi 532 Christi erga nos exemplum 537 communicationem quandam habet cum diuina natura 535 cur Christianis sit commoda 536 definiri non potest 531 Dei 530 Dei erga nos bifariā considerāda 467 non mutatur in fastidium 465 Deo tribuitur in Scripturis 463 dupliciter præstanda 554 est ex fide, non fides ex dilectione 67
dilectio & custodia mandatorum Dei coniunguntur 62
dilectio facit ad cōciliationem 534 fidelium imperfecta 137
dilectio generalis an sublata sit 534
dilectio magis sentitur à diligentibus, quàm intelligitur à non diligentibus 530 mutua conuenit unitis 535
dilectio nunquam finitur 536
dilectio proximi 532 pendet à dilectione Dei 42
dilectio quæ præcipiatur 531 quorum nobis prȩcipiatur. ibid. quomodo nobis præcipiatur. ibid.
dilectio specialis iustorumnō excluditur 538 specialior generalem non tollit 534
dilectio triplex nobis præcipitur 531
dilectio uera 62 ut alatur, orandum 552
dilectionis Dei & nostri discrimen 62 species 464 duplicem affectum Scholastici ponunt 533
dilectionis & gratię Dei in cordibus nostris unde dubitatio nascatur 470 & odij affectus ut est in homine, ita & uoluntas 22 efficacia 535 in quo declaretur 535
dilectionis ingenium quomodo cùm in Deo, tum in pijs se habeat 62 inter patrē & filium discrimen 62
dilectionis natura 62 nostrę non conformatur dilectio Christi 537
dilectionem Dei prȩceptorum illius obseruantem, non aduersari fidei iustificanti 63 erga Deum & Christum fides operatur 244 mutuā Christus discipulis suis præcepit 534
cum Dilectione an fides iustificet 272
de Dilectione fraterna, Christi præceptum 534
de Dilectione proximi præcepta 130
ex Dilectione nostra nihil emolumēti accedit ad Deū 62
fine Dilectione bonitas esse nō potest 463
diligere præstantius est quàm diligi 463
diligendi ordo 537
diligit Christus infimos, impios & peccatores 536
diligit Deus ut pater, ut creator, ut seruator generis humani 464
dilexit nos Christus prior 563
ut Diligamur ab alijs, non prȩcipitur nobis 531
Dinæ raptus 99
disciplina ecclesiastica 203
discipulatus Christi 455
discipuli duodecim bis tincti 331
discipulis corpus suum dedit Christus 358 cur non dederit Christus panem frangendum 349
discordiarum occasiones in ecclesijs ex traditionibus humanis 423
discrimina maxima incurruntur scortando 103
dispēsatio gratiæ Dei 174 quo modo perficiatur 165
dispensationis diuinæ temporadispensanda 59
dispensandę gratiæ efficacia solius Dei 164
dispositio 489 à cura & prouidentia differt 489
diuina maiestas luce inaccessibili amicta 1
diuina natura immutabilis 159
diuinę bonitatis excellentia in quibus considerāda 10 dispensationis tempora distinguenda 59
ad Diuinæ maiestatis considerationem non illotis manibus perrumpendum 1
diuinarum rerum qualitas 235
diuinitatis Christi testimonia 8 & humanitatis Christi testimonia falsa esse non possunt 159
diuinitatis spiritus sancti testimonia 8
diuinitatis unitas multiplicando non augetur, sed minuitur 47
diuitis anima cur plurib. missis opus habeat, quàm anima pauperis 392
diuorum cultores 408
doctores 194. mali 68
doctrina omnis est uel rerum uel signorū 316 nostra an uerè sit noua, simusque nos uel aduersarij rerum sacrarū nouatores 410 nostra quòd uideatur esse noua, cum nō sit, quorū sit factū culpa 417 noua quibus proponatur, refert 416 Papistica noua 416 pura 304 ecclesiæ ueræ nota 304
doctrina sana 214. eius partes ibid. satisfactionis, desperationis tēporariæ causa 529 scripturæ quadrimēbris 188
doctrinæ, fidei, religionis ac cultus Dei nouitas, quā nobis aduersarij obijciunt 415 Christi duæ partes 342
Doeg delatione sua octuaginta quinque sacerdotes Domini neci dat 119
dominus à domo dictus 479 iustus 485
dominus prior est dominio, & dominium prius testate 479
Dominus quid instituerit 347
Dominus unus, non duo 481
Domini authoritatē cur Apostolus proponat 347
Domino Deo nostro quam fidem debeamus 56
à Domino aliud factū semel, & aliud

& aliud faciendum à nobis iugiter 365
domini alij aliter efficiuntur 479
Dominica cœna quibus administranda 368
Dominicæ cœnę quæ sit institutio 346 recta admistratio 367 uerus & legitimus usus 367
Dominicam cœnam non conferre remissionem peccatorum 284 quis instituerit 346
dominatiõis duo genera 480
dominiũ Dei 479 unde 480
dominium suprem um unum est, cætera sunt subordinata 480
dominio annexa est potestas 481
dominicastrorum uotum 573
domus iusta 484
dominus regia cur seruitutis domus uocetur 46
donum fidei unde pẽdeat 238
dona Dei alia omnibus, alia non omnibus dantur 238 quomodo conferantur 236
Δηλίνεμ 406
Δηλία ibid.

E

EBræa lingua cur sancta uocetur 183 de Ebræis 216
Eccij commentum 258
ἐκκλησία 298
Ecclesia 297. 298 an possit errare 311 ante legem 299 caput habet sui sufficiens 305 catholica 302
si Ecclesia Christi errare non potest, ergo Romana, quia errat, ecclesia Christi non est 314
ecclesia Christi & fides, hæretica est 603 quomodo una 299 uera 300. 302. uerorum fidelium tantùm 300 colũna ueritatis 313 corpus Christi 299. 301 non est nisi membrorum Christi 302
ecclesia domus Dei & corpus Christi 299. 301
ecclesia electorum & reprobo rum 299 electorum quo er rorum genere erret 314 ele ctorum subuerti non potest 248
ecclesia frequenter à fidelibus deseritur 315
ecclesia grex ouiũ Christi 301
ecclesia Hierosolymitana 140
ecclesia Israelis & gentiũ 300
ecclesia locus congregationis 298
ecclesia militans 299
ecclesia post legem 299 prima Christi 140 primitiuorum conscripta in cœlis 303
ecclesia quomodo errare possit, & non 314 quotuplex 299
ecclesia regitur Spiritu sancto 313 regnũ cœlorum 313 Romana 307 Romana non catholica 302
ecclesia sæpè fideles suos deserit 315. deseritur frequenter à fidelib. ibid. spõsa Christi 301. 469 sub lege 299
ecclesia triumphans 299
ecclesia uera est, quæ persecutionem patitur 590 una electorum 145
ecclesiæ Augustanæ agenda 375 authoritate non præiudicare scriptis Sacris 179 caput 305 ita apostolos non posse uocari 305 catholicæ membra 302 catholicæ unitas omnibus particularibus ecclesijs præferenda 308 comunio an sine culpa deseri possit 316
ecclesiæ nomen non competit reprobis 299
ad Ecclesiæ decorum magis quàm ad personam peccantem respiciendum 590
ecclesiæ fides una 308 fundamentum Christus 301
ecclesiæ germana communio 301 gladius uerbum Dei 591
ecclesiæ ministrorũ ordo corruptus 211
ecclesiæ nota legitimus sacramentorum usus 304
ecclesiæ occidentales non seruarunt tradita ab Apostolis 419
ecclesiæ partes dispersæ per orbem 299 potestas 310 nõ est ad uniuersalem, sed ad singulas particulares referenda 310 prælatos nõ esse ecclesiã 303 prætextus 405
ecclesiæ Rom. opum usus 225. Romanæ prælatos non esse ecclesiam 303
ecclesię status ante Scripturas 173 stipendia 204 structura unde constet 301
ecclesiæ triplex potestas 310
ecclesiæ uel pastori an liceat Christianũ aliquem à se abijcere, & è consortio fidelium excludere 315 ueræ definitio 301 nota, pura doctrina 304
ecclesiæ unitas 304. 306. 307
ad Ecclesiæ unitatẽ fides una requiritur 308
extra Ecclesiæ unitatem an sit salus 300
ecclesiæ unitatem qui dissoluant 306 uniuersalis pastor et caput an Petrus fuerit 305 uocabulum reproborum factioni non conuenit 299
ecclesiæ Dei quale fundamentum conueniat 301
ecclesiã errare non posse, quo modo rectè dicatur 312
ecclesiam hęreticorum tria patria admodũ diuexarunt 160
ad Ecclesiã nec locus nec multitudo fideliũ requritur 299
ecclesiam Romanã quare Papistæ errare nõ posse dicant 314
ecclesiam suam Christus non deseruit 312
ab Ecclesia an Christianus sine culpa discedere possit 315 Romana cur discesserimus 315 uera discedere, culpabilem habet apostasiam 316
cum Ecclesia qualibet liceat ne communiter orare 563
de Ecclesia secundum sacram Scripturam iudicandũ 301 uera unde iudicium petendum sit 300
in Ecclesia Bernatum quomodo ministri eligantur 199
Dei duo sacramẽta 320 esse, & esse de ecclesia, differunt 302 quatenus una fides 309 quòd Decalogus seruatus est, non esse præter rationẽ 41 rectè instituta agentes, qui se seduci sinunt, culpa maior 615
ecclesiæ Græcorum 213
ecclesiæ particulares errare possunt 312
ecclesiarum primarum oblationes 386
ecclesiarum mos in Lotharingia 370
ecclesijs nonnullis cur Paulus gratis prædicarit 204
ecclesijs qui prædicationem uerbi Christi adimunt, grauiter peccare 237
de Ecclesiastici ędificij lapidibus 301
ecclesiasticũ esse quid sit 615
ecclesiastici an quoq; pro subditis sint habendi 641
ecclesiastici conuentus 203

ecclesiasticorum cœtuum studium 245 immundiciâ reprimere debet magistratus 628
in Ecclesiasticorum libertate mysterium iniquitatis 642
ecclesiasticorum rituum curã geret magistratus 636
ecclesiastica cõmunicatio quãdiu durauerit 402 electio 197 emendatio 122
ecclesiasticæ disciplinæ 203 leges 635
effundendi uerbum quò referendum 362
eiconoclastas sacra Scriptura non damnat, damnat uerò passim eiconoplastas 51
ἀδιαφορία 57
elcesitarum hæresis 605
electum esse quid sit 247
electi an aliter concipiantur & nascantur, & aliter reprobi 251 an de natura Dei participent 433 an simus, quomodo nos ipsos cognoscamus 251
electi & fideles liberi sunt ad bonum 24
electi in quo simus 249
electi peccatum facere nõ possunt 29
electi quomodo peccent 32
electorum ac fidelium personæ 31
in Electorũ cordibus spiritus fidei ignis instar 239
electorum ecclesia quo errorum genere erret 314 ecclesia subuerti non potest 24 & reproborum ecclesia 299
de Electorum numero inanis disputatio 248
electorum peccata unde uenialia 31
electorum tantum fides 246
electorum una ecclesia 145
electis Deus spirando manifestatur 3
electos ab electis, nisi certa extent filiorum Dei indicia, non cognosci 250 ac fideles ex Deo nasci 433 cognoscere non est impossibile electis Dei 250
pro Electis qui sint habendi. ibidem
electos nasci in peccatis 252
operum Dei consideratio-nem non abijcere 3
electio 246.446
Dei quotuplex 247
diuina 196 quomodo perficiatur. ibid.
ecclesiastica 197
legitima quomodo sit reputata 198
ministrorum duplex 196
nostri non constitit sine aliquo medio 249
primum salutis nostræ fundamentum 337
sit'ne Dei 247
electionis ac reprobationis iudicia inscrutabilia 239
degeneratio à primæ ecclesiæ consuetudine 197
diuinæ argumentum habet fides 239
nostræ firmitudo 249
respectus in Deo quærẽdus 249
ἐλεγχος 188. 231
ἐλεγχω 230
eligit Deus aliquos, & aliquos reprobat 511
elegit nos Deus in Christo & propter Christum 250
nondum existentes 248
quia sic ipsi placuit 249
eligẽdi ius esse Deo quos uult 247
Eliæ dictum 514
oratio 566.567
Elizei oratio 567
emendatio ecclesiastica 112
furti 111
emere an liceat, quæ concupiscere non licet 128
ἐνναλὰξ 206
ἔντευξις 553
ἐπανάπλωσις 189
ἐπιείκης 225
ἐπίνοιαι 553
Encratitarum hæresis 605
Epiphanij locus 52
episcopus qualis esse debeat 205. 213. 214. 215. 225. 226. 227. 228 Romanus indignus, qui uel unius ecclesiæ sit episcopus 215
sit alienus à pugnis 226
episcopo an liceat ducere uxorem 213 non conuenit potestatem ministerij sui ad alias ecclesias transferre 202
episcopũ sobrietas ornat 214
Romanũ nõ esse summum sacerdotem 323
in Episcopo qualis iustitia requiratur 228
ab Episcopo quid requirat Apostolus 195
episcopi 192.194
an unquã duxerint uxores 213 & presbyteri an fuerint sacerdotes 385 & senioris officium ibid.
fures bonorum ecclesiasticorum 106 laruati 195
quomodo & quales ordinentur, hodie non referre. 198
episcoporum διαχρονισμὸς 215
ad Episcoporũ electionẽ principum & magistratuum consensum requiri 197
episcoporũ synodi, contentionum palæstræ 226
episcopis post Apostolorum tempora quid præscriptum 195
episcopatus opus honestum 205
error geminus ex Augustino, quod ordinem diligendi attinet 537
occultus facilius quàm publicatus corrigitur 613
erroris principium 413
errores interficiendi sunt, homines uerò diligendi 613
errorum & errantiũ Christianorum duo genera 314
Essæi Iudæorum hæretici 604
essentia Dei quomodo comparata 4
essentiæ Dei unitas 5
de Essentia Dei quid prædicetur. ibid.
Est sanguis meus, quale sit prędicatum 360
esuries cordis 377
ethnici cur pro uero Deo falsos coluerint 3
ethnicorum uanitas 53
uota 569
Euãgelium à lege quid differat 168 Apostolorũ 170 cur sit in literas relatum 172 Dei 167 dupliciter uerbum ueritatis dicitur 169 æternum 161
Euangelium gladius spiritus 170 gratiæ Dei, & uerbum gratiæ 168
Euangelium Iesu Christi 167
Euangelium prædicare 170
Euangelium non constare litera, sed spiritu 135
Euangelium quomodo infirmum 135
Euangelium reddit spirituales homines 170
regni 167
Euangelium salutis, & uerbũ salutis 168
Euangelium semen, cibus, ui-

num nouum, præconium 170 uerbum crucis 171 uerbum uitæ 168 uerbum mortis, reconciliationis, pacis, ueritatis 168 uirtus Dei ad ſaluandũ 135. 164.168
Euangelij auditus 165 elogia 167.169 fructus fere 601 miniſtris quid obſeruandum 196 prædicator qualis eſſe debeat 170 principalis finis 171 publica prædicatio non eſt reijcienda 238
Euangelij uox 167 quomodo ad Chriſtianos pertineat. ibid.
Euangelio obedire 238
per Euangelium diſpenſatur ſalus 165
Euangelicum & Lutheranum eſſe, idem iam eſt Papiſtis, quod hæreticum eſſe 604
Euangelicum eſſe quid ſit aduerſarijs. ibid.
de Euangelicis eccleſijs obiectio 198
Euangeliſta 194
Euangelizandi conſtantia unde fuerit Apoſtolis 456
Euchariſtia 345
Euchariſtia in Papatu captiuis & plectendis non datur. 370
Euchariſtia olim infantib. data 315.370
Euchariſtiam à puero accipit Serapion 370 cur uetet res infantibus dederint. ib. refert Auguſtinus inter ſigna non miraculoſa 317
de Euchariſtia infantium qua diſcretione iudicandum 371
ἐνδεεῖν idem quod ἐνχαριστεῖν 349
ἐνοίβαια 629
Eutyches 160
ἐυχὴ 553
examinatio 538
exaudit nos Deus ſemper, & non ſemper 568
exceſſus uarij 219
excommunicatio miniſtri 231
excommunicandi poteſtas. 310
exẽplo Dei quomodo nos cõformare debeamus 77
exempla impiorum regum legitimæ poteſtati, qua uſi ſunt pij, nihil derogant 632
iuſtorum & ſanctorũ quid nobis proſint, cum ſimus illis diſsimiles 567
exorciſmus 339
expectatio patiẽtiæ pars 594
experientia & fide cognoſcitur natura Dei 431
expiationis ſacrificium 296
expiatoriæ ceremoniæ 133
Ezechias ſingulari cura religionem diſpoſuit 631 theſauros Babylonijs legatis oſtentat 128
Ezechiæ oratio 567

E

FAcere legem 28 peccatum 29
faciendi uerbum 28. 448
factum reddere infectum 443
facti poteſtas 204
facta 447
falſum teſtimoniũ dicere 115 in iudicio ibid. ne contra proximũ dicamus, quid neceſſe fuerit præcipere 116 quando ignoranter dicatur 115 quando ſciẽter dicatur ibid. quot modis dicatur ibid.
falſi teſtimonij malum 117. 119 ultio. ibid.
falſæ obedientiæ fons 550
familiaritas parit cõtemptum 68
faſtidium rerum honeſtarum 123
feriarum abuſus 75 multitudo noxia 73
de Ferijs noſtris quid ſit dicendum 74
feſti dies nõ nominibus & memorijs ſanctorũ nuncupandi ibid.
fiat iuſticia, & pereat mundus 647
fides an cum dilectione iuſtificet 272 an ſine menſura detur 237 ad ſalutem neceſſaria 234
fides apprehẽdit adoptionem 243 dona Dei, quæ ab illo petimus 244 reconciliationem & iuſtificationem 243 ſcientiam Dei, item uitam æternam 244 ſpiritum Dei 243 carnem mortificat 246
fides catholica 308 certa de falſis haberi non poteſt 232 charitatis fraternę affectum operatur 245 creationis in nobis quid operetur 14 populo Iſraeli cur ſit propoſita 77
fides de quibus Dei donis ſit 237 dilectionẽ erga Deum & Chriſtum operatur 244 donum ſpiritus 236
fides eadem, ſed menſura illius diſpar 237 eccleſiæ una 308
fides & opera non ſunt contraria, ſed ſubordinata 276 efficax per dilectionem 63 electorum tantum 246 erga fideles concordiam operatur 245 ex auditu 237. 600 ex quorum neceſſariorum genere ſit 234
fides gignit reſipiſcentiam. 243
fides hæmorrhoiſſæ mulieris 245
fides in die ſabbati exercenda 71 in eccleſia quatenus ſit una 309 inefficax 243 infantium 240 in pleriſque nihil eſt aliud quàm opinio 231 inter fructus ſpiritus ab Apoſtolo recenſetur 236
fides medium accipiendi remiſsionem peccatorũ 384 mẽdacijs decepta, incipit fieri cauta 117
fides non datur omnibus 238 non datur reſpectu qualitatis, meriti uel dignitatis noſtræ 238
fides obedientiam operatur 245 omnipotẽtiæ Dei quomodo neceſſaria 441. 442 operatur conſcientiam erga Deum pacatam in iuſtificatis 244 inuocationem & cultum 245 quadrifariam 244
fides philagathiæ Dei quid faciat in nobis 467
fides, quæ eſt opinio, unde ſit inanis 235 quæ requiratur à baptizatis 341 quàm neceſſaria ſit 234 quid 231. 468 quibus à Deo detur 238 quibus medijs alatur 240 quomodo detur Deo 239 quo modo diuinitùs detur 236 quomodo humano miniſterio detur 237 quomodo ſit comparata 240 quo modo ſola iuſtificet 269 requiritur ad eccleſiæ unitatem 308
fides ſacramentorum eadem 324
fides titubat, ſi diuinæ ſcripturæ uacillat authoritas 177 tollit anxietatem animi 246
fides unde acquiratur 235

unde fit neceſſaria 234 ut exerceatur, orandum eſt 552
de Fidei alimentis 240
fidei catholicæ ſymbolum 309
Chriſtianæ ſacramẽta 468 conditio 243
ad Fidei cõfeſsionem opus eſt patientia 601
pro Fidei dono orandum 236
ad Fidei confeſsionem an maritus uxorẽ, pater liberos, herus ſeruos cogere poſsit 612
fidei definitio 232 donum latroni in cruce cõtigit 239 donum pendet ab electione Dei 238
fidei efficacia 243 partes. ibid. & religionis Chriſtianæ ueritas 454
fidei fundamentum pietatis ac ſalutis noſtræ eſſe Dei uoluntatem 445
fidei incremẽtum duplicis eſt generis 241 quod nam ſit, quod ſingulis competat, & commune ſit omnibus 242 unde cognoſcatur 241 incrementa quomodo ſint comparata 242 infantium 240
fidei locus quomodo erit 600
fidei menſura ſufficiens ad ſalutem 237
fidei noſtræ articuli omnipotentiam Dei requirunt 441 noſtræ fundamentum antiquiſsimum 249
fidei opera in iuſtificationis cauſa quidam adijciunt 269
de Fidei partium diſcrimine 233
fidei quare nonnullis plus detur quàm cæteris 237 quomodo tribuatur efficacia 243
fidei ſacramentum quibuſdam baptiſmus 328
fidei ueræ origo eſt ex dono Dei 236
fidem catholicam qui habeant 309 Chriſtianam quomodo Apoſtolus uocet 232
fidem eſſe rerum ſperandarum & eorum quæ non uidentur 232
fidem quam Domino Deo noſtro debeamus 56
fidem tollit è medio mendacium 117
per Fidem nos uſtificari 268
fide accipitur ſalus 165
de Fide alia Iacobũ, & de alia Paulum loqui 271
fide alitur ſpes Chriſtiana 525
de Fide eccleſię catholicę 308
de Fide & factis eorũ qui pro mortuis baptizabãtur 561
de Fide quę prædicentur 232
in Fide Chriſti quouſq; creſcere debeamus 242
in Fide creſcendi terminus & menſura 242
ſine Fide nemo beatus eſſe poteſt 234
ex Fide creationis quæ conſequantur 78
ex Fide eſt dilectio, non fides ex dilectione 63
fideles an poſsint citra ſalutis detrimentũ uiuere ſecundũ carnem 31 & electi liberi ſunt ad bonum 24
fidelium ac electorum perſonæ 31 dilectio imperfecta 137 uocatio quotuplex 298
à Fidelibus frequenter eccleſia deſeritur 315
fiducia accedendi ad Deum 245
fiducia nominis Dei an ad credentes tantum pertineat 426 à ſolo Deo pendet. ibid.
fiduciam bonam erga ſe requirit à nobis Deus 468
in Fiducia nominis dei aliquid facere, quorum ſit 424. 426
filius Dei uerbum 157
filij exprobrarũt matri, quòd humiliore loco nata, facta eſſet ipſorum mater 84
filij germani proprium 77
filiorum malorum tria uera 86
fluctuatio mentis 606
fœdus Dei duplex 142 unicum 144 generale 142 Moſis & noui Teſtamenti 145 nouum, nouum initiationis ſacramentum poſcit 145 quod cum hominibus Deus inijt, ſtupendum 142 ſempiternum 143 ſpeciale 142
fœderis annexa 144 Dei gratia morte non terminatur 143 diuini ratio 142 duo capita 143
fœderis & coniugij eadem ratio 48
in Fœderis tabulas peccare 102
in fœdere Dei trina æternitas 143
Franciſci Spieræ deſperatio 530
frangendi uerbum quomodo corpori Chriſti conueniat 159
fratres quouſq; diligere debeamus 536
fructus ſpiritus 593
furandi induſtria 109
furandi procliuitatem ac neceſsitatẽ genethliaci aſtris tribuunt 107
furandi ſtudium unde ſit ib.
fures quomodo famuli & ſerui. ibid.
fures bonorum eccleſiaſticorum epiſcopi 106 item principes. ibid.
fures nominis ac uerbi Dei 107 quomodo manuarij artifices 107 præfecti 107
de Furum ſuſpenſione 111
furtiua res domino ſuo reſtituenda 112
furtum aliud alio grauius 108 cautionis 109 diligentiæ. ibidem. induſtriæ. ibid. iuſticiæ. ibid. obedientiæ. ibid. quodcunque culpabile. ibidem. quotuplex 106
furti cõſilium 110 duo genera 106 emendatio 111. fons 107 iuſsio 110 laus 111 occultatio. ibid. participationis ſpecies. ibidem. quot modis quis particeps fiat 110 ſilentium 111 uenæ 107
furta etiam à principibus rapi 111

G

GAbaonitarum mendacium 115
Gabriel Biel 385. 390. 397. 405
Galliarum eccleſiarũ taxatio 225
Gangrenſe concilium 210. 211
Genethliaci furandi procliuitem ac neceſsitatẽ aſtris tribuunt 107
genus humanum an Chriſtus redimere debuerit 153 conſeruare ac regere, opus Dei eſt 627 unde ſit redemptum 151
generis humani prolapſi, hiſtoriæ duæ partes 17 redemptio 151 quando facta 154
generis humani ſalus ab æterno in Chriſto deſtinata 136

noſtri fons adulterio contaminatur 102 natura quomodo comparata 35
gentium dij ſancti Chriſtianorum ſucceſſerunt 48
gentium dij dæmonia 49 cultus 54 leges 37
Gideonis fides 246
gladius belli 627 iudicij. ibid. ultionis duplex. ibid.
gladium uerbi Dei habet Scriptura 591
gloria cœleſtis regis conſideranda 139 iuſtificatorum 273
gloriæ futuræ amplitudo non admittit meritum humanũ 280 inanis ſtudium 91
ad Gloriam Dei facere 424 quę faciunt, non eſſe omnia in Scripturis comprehenſa 425
Goliath à Dauide ſternitur 246
gratia an ſacramentis alligata 325 Dei 147 alia conditionalis, alia non 286 expoſita eſt toti orbi 164 operans ante legem 150 ſub lege & poſt legem. ibid. præueniens & ſubſequens quomodo differant 149 non temporaria, ſed æterna 148 quàm magna eſt, tam grauis eſt illius ira 505 quomodo ritè accipiatur 165 quotuplex 148
gratia mundi & carnis inſtabilis 148
gratia eſt, non meritum, quod cuſtodientib. præcepta Dei impenditur 63 operans 148 pura. ibidem. item impura. ibid. remiſſionis quibus parata 70 ſacramentis non alligata 326 ſalutis noſtræ quibus diſpẽſetur 166
gratiæ affectus in Deo unde 148 quomodo Deo tribuatur 147 communicatio duab. rebus nititur 334 ſacramenti communicationem includit. ibid. Chriſti alterum ſacramẽtum cœna Domini 343
gratiæ Dei Chriſtus ipſe diſpẽſator 164 diſpenſatio 164 opus eſt, non tranſgredi cum queas 23 origo 148 perſuaſio unde falſa 473 ſolo reſpectu nos iuſtificari 267
gratiæ diſpenſatio quomodo perficiatur 165
gratiæ diſpenſandę efficacia ſolius Chriſti 164
gratiæ diuinæ fœdere quomodo patres ante Abrahamum participes facti 144
gratię & dilectionis dubitatio unde ſit 470.471 gloria 273 natura 148 realis collatio 283
gratiæ ſacramentalis collatio 283
gratiæ uerbum medium conferendi remiſſionem peccatorum. ibid.
gratiam Dei fruſtra recipere 164
gratiam inuenit Noe in oculis Dei 147
gratiam quantam eſſe oporteat, ut omnia peccata remittantur 285
in Gratiam quibus rationibus impœnitentes non ſint recipiendi 262
de Gratia dei dubitatio, quàm pernicioſum dogma 472
de Gratia Dei quomodo Scholaſtici loquantur 149
Gratiani decretum 309
Græca lingua celebrior quàm Latina 183
Græcorum actio 348 eccleſiæ 213
Græcorum & Latinorũ controuerſia de pane cœnæ Dominicæ 348
Gregorius Magnus 645
Gregorius ſeptimus ſacerdotes uxoratos à diuino officio remouet 211
Gregorij Theologi de ſynodis ſententia 226
gubernationis poteſtas ex conſtitutione uerbi Dei ordinata eſt 624
gubernatricis prouidẽtiæ Dei trina diuiſio 492
gubernandi ſcientia 227
in Guſtu ſcientiæ uetitæ exitium 168

H

HAbelis & Abrahæ ſacrificia quomodo Deo placuerint 400
habere quod poſsis, & quod debeas tradere, differunt 419
Hadriani ſtatua 390
hæmorrhoiſſæ mulieris fides 245
ἁμαρτία. ἁμάρτημα 26
Heuah communis omniũ mater 84
Hebioneorum hæreſis 604
hæreſis 602.619
hæreſis bona ex Deo eſt 605
hæreſis electionem ſonat 602
hæreſis quatenus electionem ſonat, damnat neminem 603
hæreſis quid ſecũdum Tertullianum. ibid.
hæreſis quomodo excogitetur 608
hæreſis quomodo recipiatur. ibid.
hæreſis malæ duplicem eſſe originem, authore diabolo 605
in Hæreſis uoce abuſus 603
hæreſis unde ſit 605
hæreſeos inſimulatio ſit ne patienter ferenda 617
de Hæreſeos ſuſpicione nõ ferenda, hæreticorum ſententia 617
hæreſim ſuam qui in corde ſeruat, quid cum illo faciendũ 613
hæreſim recentẽ qui mox initiò amplectuntur, grauius peccant 615
inter Hæreſim & ſchiſma quid ſit diſcriminis 619
in Hæreſi cum multitudo uel ipſi magiſtratus ſint, quid faciendum 614
hæreſes abducunt à uia ueritatis 608
hæreſes labefactãt Scripturas 609
hæreſes nos coniungunt cum diabolo. ibid.
hæreſes priuatæ 605
hæreſes publicæ. ibid.
hæreſes quàm ſint noxiæ 608
hæreſes quomodo culpa miniſtrorum uerbi naſcantur 613
hęreſes quomodo ſint culpabiles 608
hæreſes recentes 605
hæreſes reddunt hoſtes ueritatis 608
hæreſes religionẽ noſtram infamant 609
hęreſes ſeducũt incautos ibid.
hæreſes turbant eccleſias. ibidem.
hæreſes uariæ 604
hæreſum aliæ & ſchiſma & eccleſias conſtituunt 605
hæreſum aliæ nec ſchiſma nec eccleſias faciunt ibid.
hæreſeõn culpa triplex 608
hæreſes excludũt è regno Dei 609

in Hæreſes facilè incidunt, qui non ſunt ex probatis 606 quare Apoſtolus inter opera carnis numeret. ibidem.
hæreſum aliæ ſchiſma quidem, ſed non eccleſias faciunt 605 aliæ ſcripturas, non omnes: aliæ omnes recipiũt quidem, uerùm corrumpũt. ibid. culpa magna 608 item maior & maxima. ibidem. ſpecialis origo ex hominibus eſt 606
hæreticus 603 ab hæretico non poteſt corrigi 610 quid ſecundum Auguſtinũ 603 quid item ſecundum Græcos & Scholaſticos. ibidem. tripliciter dici poteſt. ibid.
hæreticum à Papiſtis uocari, non curandum 618 corrigit Chriſtianus ex ſpiritu Chriſti 610 hominem poſt unam & alteram admonitionem fuge, quomodo intelligendum 612
hæretici 219 à quibus uocemur, refert 618 ad bonum cogendi 614 an cogendi 610 corrigendi 609 cum à fratribus noſtris uocamur, quid faciendum 618 cur Cathari uocati 604 dum à Papiſtis uocamur, non eſſe tacendum 617 plerunque in enormia crimina incidũt 606 quando, & quomodo, & ad quem finem, per magiſtratum ad reſipiſcentiam cogendi 612 qui fundamenta fidei cõuellant 604 qui in rebus ſecundis errarint 605 quomodo & à quibus corrigendi 609 quomodo recipiendi ſint 616
ad Hæreticorum correctionẽ opus eſt, ut miniſtri uerbi adigantur ad puritatem tam doctrinæ quàm uitæ ſeruandam 612 librorum lectio quibus conueniat 617 cum Hæreticorũ libris quid ſit faciendum 616
in Hæretico quæ bona ſunt, laudat Chriſtianus 610
hæreticorum refugium 295 retinctio 616
in Hæreticorũ ſanguinẽ non ſæuierunt primi Imperatores Chriſtiani 614
in Hæretico ſeductore duo ſunt improbanda 615
hæreticorum tria genera 616 tria paria eccleſiam admodum diuexarunt 160
hæreticos corrigere ad Chriſtianos pertinet 610 gignit caro, non ſacra Scriptura 606 qui magis oppreſſos quàm correctos uolunt, non audiendi 613 quomodo Scripturã gignere dicant Papiſtæ 187 reſipiſcentes quomodo recipere conueniat 616
erga Hæreticos obſtinatos quid faciendũ eccleſiæ 591
in Hæreticos obſtinatos quomodo Chriſtianus magiſtratus animaduertat 614
per Hæreticos, quod'nam genus hominum ſeducatur 616
cum Hæreticis quid agendum 609
Herodias conſilio nequiſsimo necat Ioannem 94
Herodis ſupplicium 118
Heuah quomodo formata ſit 15
Hiero tyrannus Simonidem de Dei natura interrogat 4
Hieroboam & Achab quid in religione ſint moliti 633
Hieroboã quas leges & ritus conſtituerit ibid.
in Hieroboam cur ultio diuina animaduerterit 632
Hierarchitarum hæreſis 605
Hieroſolymitana eccleſia 140 ſub Apoſtolis errauit aliquã diu 314
Hieruſalem uniuerſalis eccleſia 302
Hieronymi argutatio refellitur 210
Hieronymi locus examinatur 491
ἱστορία 553
hiſtoria de quodã lapſo 369 cuiuſdam ſutoris 393
Hoc eſt corpus meũ, quale prędicatum 353
Hoc facite in mei rememorationem 363
homo 493
homo ab homine ſi lædatur, non eſt mirum 461 an naturæ Dei particeps 432 an quoque gubernatrice prouidentia Dei regatur 493 cum ſit genus Dei, quomodo non eſt etiam eiuſdem cum illo naturæ 432 dementatur ſcortando 103
homo & ſeruus & liber 25
homo factura 14 Dei factura. ibidem.
homo in tẽpore factus 14 leuis & inutilis redditur ſcortando 103 mixtæ naturæ 432 primus de terra terrenus 162 puluis de humo 14 qualis ſit factus 15 quid ab angelis differebat. ibid. quod peccauit, & genus humanũ perdidit, ſine culpa Dei factum eſt 21 quomodo factus ſit 14 quomodo genus Dei uocetur 432 quouſq; opera Dei conſiderare queat 11 uerus, Chriſtus 163 unde ſit factus 14 uiuus imago Dei 56
hominis anima 493 Chriſtiani diſcretio 487
ad Hominis cognitionẽ cum primis requiritur originis ipſius cognitio 13
hominis cognitionem rectè poſt Dei ſequi. ibid. creatio. ibidem. creatio dili gentiſsimè in Sacris literis expreſſa. ibidem.
de Hominis creatione unde ſit ſtatuendum 14
hominis excellentia 13 iuſticia nulla 486 lapſus quare conſiderandus 16 lapſum cur non Deus impedierit 20 lapſum Deus impedire potuit 20 cur nõ impedierit. ibidem. liberum arbitrium 15. 493 natura & dignitas qualis inĩtiò primi hominis fuerit, ſcire non poſſumus 15
hominis nondum regenerati qualis uoluntas 24
hominis primi dignitas 15
hominis primi lapſus qualis fuerit 16
hominis ſalus non in primam conditionem, ſed in illius reparationẽ deſtinata eſt 21
hominis ueteris intellectus 79 actus 78
hominis ueteris opera 79
hominis uoluntas ſit'ne libera uel ſerua 22
homini quæ fiant 493
inter Hominem bonum & malum diſtinguendum 24
hominem lapſurũ Deus præſciuit 20
hominem non finxit Deucalion

lion, sed hominis imaginẽ 14
hominem quo consilio Deus peccare permiserit 21
ab Homine quæ fiunt 493
de Homine semper meliora speranda 528
homines nihil maiori cum periculo ignorãt quàm Deum 1
homines omnes peccãt, sed uariè 28
hominum primus quis peccauerit 20
homines Deus aliter instruit quàm reliquas creaturas 192
homicidium casuale 93.218
homicidium cordis periculosius quàm facti 96
homicidium defensorium 93. 94
homicidium legitimum & inculpabile, quod fit per magistratum 92
homicidium quod præter animi sententiã admittitur 93
homicidiũ quoties uerbo fieri soleat 94
homicidiũ trifariã admittitur 90
homicidium uerbo admissum 94
homicidij testimonio falso qui reddantur rei 95
homicidij uolũtarij pœna 217
de Homicidio necessario 218
honor debetur magistratui à subditis 640
honos par nõ omnibus impendendus 82
honoris conditio 554
honore sibi debito minister uti potest 204
honorare parentes 83
honorandi uerbum. ibid.
honestas publica 628
honestas publica adulterio uiolatur 103
honestarũ & licitarum rerum fastidium 123
Hosiandri sententia 272
Hormisdæ Papæ admonitio 312
hortus uoluptatis non conferendus delicijs sacrarũ Scripturarum 190
hostiarum & uictimarum usus 134
humanum genus an Christus redimere debuerit 153
humanũ genus in Adamo quo consilio Dei prolapsum 20
humanũ genus prolapsum esse corruptio naturæ nostræ testatur 16
humanum genus quidam philosophorũ ab æterno fuisse putarunt 14
humanum genus unde sit redemptum 151
humani cordis singularis peruersitas 69
humani generis duo status 82
humani generis lapsus cui imputetur 19
humani generis redemptio 151
humanorum testimoniorum duo genera 113
humana infirmitas à uerbo assumpta 158
humana natura an non sit in Christo in diuinam mutata 433
humana scrupulositas quomodo comparata 1
humanæ traditiones quàm periculosæ & nonnunquam perniciosæ 422
humanarum traditionum mala 423
humile nihil Deo tribuẽdum 463
humiles reddit pœnitẽtia 261
humilitas cultus Dei 413
humilitas personæ, conditionis ac uitæ Christi 414
humilitas prioris ecclesiæ Christi 414
humanitatis & diuinitatis Christi testimonia falsa esse non possunt 159
ὑφαιρία in Deo 464
Hyperetæ 193
ὑπόμονὴ 594
ὑπόστασις 232
hypostasis & usiæ differẽtia 6
hypostasi qualis sit Deus. ib.
hypostasium tria nomina 7

I

IAcob dilexit Deus, Esau uerò odio habuit 511
Iacobi oratio 566
Iacobi patientia 598
idiomatum cõmunicatio 159
idololatria 506
idololatria Christianorum tenacissimum malum 54
idololatræ 408
idololatrarum cæcitas 61.519
idololatrandi libido 54
idolum abominatio 390
idolum quid significet 54
Iehoua 571
Iephthe uotum cur non licitũ 517
Ignatius secundus post Petrũ Antiochenæ ecclesiæ præfuit 269
ignauia abhorrẽs à studio pietatis, desperationis temporariæ causa 528
ignis natura 511
ignis purgatorius peperit indulgentias Rom. 287
ignorantia an concupiscentiã rei alienæ excusat 127
ignorantia Christi unde sit 521
ignorantia Dei, cęcitas mentis est 517
ignorantia Dei, desperationis temporariæ causa 528
ignorãtia Dei quid faciat 521
ignorantia & cognitio Christi quid faciant. ibid.
ignorantia mater seductionũ 606
ignorantiam fluctuatio mentis sequitur. ibid.
per Ignorantiam & iudicio & uoluntate & opere erramus 520
de Illegitimis 217
imago Christi 56
imago Dei homo uiuus. ibid.
imago Dei in homine 15
imaginem Christi in ecclesijs Christianorum collocare, illicitum 56
ad Imaginem Dei creatum esse 15
imagines alliciunt ad cultum 51
imagines auocãt animos à contemplandis uiuis operibus. ibid.
imagines ducunt in errorem. ibid.
imagines Papistarum. ibid.
imagines patris & filij qui uenerentur 55 sanctorũ quas colunt, excusatio. ibid.
imaginum nullus usus apud Turcas 50
ex Imaginum usu quæ damna imperitis obueniant 51
de Imaginibus tres opiniones 50
imitatio exẽpli diuini in quo consistat 77
impatientia 602 quid operetur. ibid.
impatientiæ author diabolus. ibid. exempla. ibid.
impatientiæ deputat Tertullianus omnia peccata. ibid.
impatientiæ partes. ibid.
Imperator quare cæteros magistratus authoritate antecellat 638
Imperatores uocauerunt episcopos ad Concilium 644

imperfectio nostra 280
impios cur Deꝰ affligat in hac uita 538
impletio Scripturarũ unde pẽ deat 192
implere legem 137
per Impœnitentiã Dei ira exacerbatur 506
impœnitentes quibus rationibus non sint in gratiam recipiendi 261.262
impositio manuum 320 quandiu in ecclesia durarit 197
impunitas causa adulterij 101
impura lectio causa adulterij. ibid.
Interim recepti friuolę excusationes 647
Iacobi assentatio 118
Ioannes consilio nequissimo necatur ab Herodia 94
Ioannes Huss. ibid. ad supplicium ducitur 580
Ioannes primus baptizauit 332
Ioannis & Apostolorum baptismi collatio 330
Ioannis prædicatio. ibid.
Iobi oratio 567 patientia 598
iocosum mendacium 115
Ionathæ mendacium. ibid.
Iosaphat religionis curam gessit 631
Iosephi patientia 598
Iosias quod rectum erat in oculis Domini, fecit 28 singulari cura religionẽ disposuit 631
Iosiæ cur Deus pepercerit 60 filijs cur diuina ultio nõ pepercerit. ibidem. exemplũ. ibidem
Iosue cur duodecim lapides erigat 542
Iosuæ oratio 566
ira 96
ira Dei an & quomodo placetur 508 generalis 503 igni comparatur in Scriptura 505 quæ generalis est, quo modo placetur 508 quomodo iustorum hominũ interuentu placetur 509 tam grauis est, quàm gratia Dei magna 505 temporaria quomodo placetur 509
ira triplex 503
ira temporaria. ibid. sempiterna & uentura. ibid.
iræ commotio, qualis in Deo sit, nemo nouit, nisi spiritus Dei. ibid.
Dei comminationes non minus quàm promissiones gratiæ, certæ 70 grauitas 503
iræ Dei indicia duplicis generis 507 indicia quæ. ibid. manifestiora indicia. ibid. occultiora indicia. ibid. sensum esse horribilem 505
iram in odium mutare, diabolicum 508
ad Iram facilè, ad beneuolentiam difficile prouocari 62 propensio, uitiosa est 503 quòd tardus sit Deꝰ, Scripturæ loca 505. 506
iratus Deus quædam cõcedit, quæ propitius negat 568
iritabilem non esse, patientiæ pars 594
iritatio plena 506
irregularitas 220
irreprehensibilis 206
Isaaci oratio 566 patientia 198
Israelis Deum cur non Romani coluerint 47
Israelis oratio 566 trepidatio 248
Israeli cur Deus tot ceremonias præscripserit 133 quod præceptum est, nos quoque concernit 531
ad Israelitas solos Decalogum pertinere 80
Iudaicam gentem maliciose defert Aman 119
Iudas Christum prodidit nõ coacta, sed libera uoluntate 23
Iudas electus, & non saluatus 247 sacerdotes & Pilatus quomodo uoluntatem Dei fecerint 448
Iudæ desperatio 284
Iudæ Machabæi factum 561
Iudam non adfuisse, cum sacramentum cœnæ Dominicæ institueretur, contendit Hilarius 382
Iudæi quidem omnes nec Deũ cognouerunt 517 magis ad Abram quàm ad Abrahamũ respiciunt 142
Iudæorum conditio tolerabilior quàm Christianorum 414 & nostram conditionẽ esse diuersam 47 hæreses 604 hæretici. ibid. sacra molesta 323 usura 619
Iudæis quod accidit, Christianis quoq; accidere potest 518
de Iudæis conuertendis 516
iudex 509
iudex iustus Deus 485
iudicis iusti omnes partes in Deo 485 iusticia. ibid.
iudicem esse Deũ, testatur Scriptura 509
iudicium 109
in Iudicium diaboli incidere 227
iudicium extremum futurum esse 513 signa præcurrentia 515 finale 510 quomodo Deo tribuatur. ib. quomodo futurum sit 514 seculi huius & Dei discernendum 100
iudicij dies quãdo sit futurus, non est quærendum 514
in Iudicium non uenire 513
iudicia de æquitate humani cõuictus 36
iudicia Dei 509 alia occulta, alia manifesta 510
iudicia Dei duplicia. ibid. inscrutabilia. ibid.
iudicia particularia. ibid. Dei particularia duplicis generis. ibid. uniuersalia triplicia sunt. ibid.
iudicia rationis 36 uniuersalia 510
iudiciorũ Dei hoc seculo quotuplex sit usus 513 mirabilium exempla 511 rationes non esse scrutandas. ibid. usus in hoc seculo 512
iudiciorum quorundã Dei rationes ipsa sacra Scriptura indicat 511
iudicialia legis unde constent cessasse 140 præcepta 131
iudicialium præceptorum diuisio. ibid. rationes 132
iudicat Deus de omnibus multis, paucis ac solis 511
iudicare 509
Iulianus apostata 185.315
iumentis cur sabbati ocium sit præceptum 76
de Iumẽtis ac bestijs præcepta 136
institutio 189
iuramentum anabaptistæ è medio tollere conantur 65
inter Iuramẽtum & uotũ quid sit discriminis 571
iuramentorum abusus 66
iurandi cõsuetudo cunctis est nationibus 64
iuris nostri non sumus 279
iuris potestas 200 duplicis generis. ibid.
iusticia ciuitatis 484
iusticia corporis. ibidem.
iusticia Dei 147.483 ab humana discreta est 486

in Christo 485 non est ad humanæ iusticiæ conditiones restringenda 486 quæ sit 484 quotuplex. ibidem.
iusticiæ diuinę ne pro uno peccato satisfieri 288
iusticia falsa 61 dedignationem habet. ibid.
iusticia hominis nulla est 486
iusticiæ in Deo tres species. ibid.
iusticia iudicis 485 mentis 484 qualis à nobis requiratur 486 qualis in episcopo requiratur 228 uera 61 à falsa quomodo distinguatur. ibid. compassioné habet. ibid.
iusticiæ definitio 484 rectitudo censenda est secundum authoritatem diuinæ uoluntatis 92 uerè nec amantes nec intelligentes sumus 35
inter Iusticiam Dei & humanam quid sit discriminis 486
de Iusticia Dei scripturæ 483
sine Iusticia Dei non duraret mundus ibid.
iustificatio 262
iustificatio in quo fiat 267
iustificationis duplex medium 268 fructus 273 genus quomodo Deo conueniat 266
iustificationem apprehendit fides 243
à Iustificatione separatur remissio peccatorum 266
iustificare qd Latinis & Scholasticis 262 quid item Paulo. ibid.
iustifiact quis 265
iustificans fides, est fiducia in sanguinem Christi 269
iustificari 281
iustificari nos solo gratiæ Dei respectu 267
iustificamur non partim per Christum, partim per nos 268
in Iustificatis fides conscientiæ erga Deum pacatam operatur 244
iustus Dominus 184.485
iustus est Deus & misericors, idq; libera potestate, quam habet in omnia 266
iustus est Deꝰ perfectè, bonus uerò infinitè 61
iustus maritus 484 rex. ibidem.
iusti & æqui potestas 203
iusti iudicis in Deo omnes partes 485
iusti uarijs afflictionibus exercentur 582.583
iustum ac bonum à Deo diligi 275 esse Deum quatenus omnium sit conscientijs insitum 483 quid sit 484
iusta terra ibid.
iuuenis Augustani exemplum 112

K

Καλὸν 459
Καθαροὶ hæretici 604 ketzer uox Græca & corrupta 603 à Græcis sumpta 604
ketzer cur uocentur, qui contra naturam libidinentur. ibid.
κλέπτειν 106
κόσμος 214
κρίνω 509
κρίσις ibid.
κύριος 479

L

Laconum flagellatio 596
laicidium 218
Lameth Cainũ iaculo occidit 93
languidum animal offerre 68
lapides uiui, Christiani 295
lapideæ tabulæ 42
lapsus hominis 16 quare considerandus. ibid.
lapsus humani generis cui imputetur 19. primi hominis qualis fuerit 16 transgressio mandati diuini 17
lapsi cuiusdam historia 369
lapsum Adami Deus bonam ob causam impedire noluit 20 hominis Deus impedire potuit 20 primi hominis Deus sine causa impedire noluit. ibid.
laquei diaboli 24
à Laqueis diaboli liberat pœnitentia 260
λατρεύειν 406
λατρεία. ibid.
latinorum & Græcorum controuersia de pane cœnæ Dominicæ 348
latroni fidei donum in cruce contigit 339
laus furti 111
laudis ac precum sacrificium 296 sacrificium quàm gratum sit Deo 296
lectio impura causa adulterij 101 priuata sacræ Scripturæ 185 sacræ Scripturæ gemina 184 non facit hæreticos 106 literarum, & opera Dei ducunt ad naturæ Dei cognitionem 430
lectionis publicæ utilitas. 184
lectorum in ecclesia ordinatio ibid.
legale sabbathum 71
legalis sabbathi abrogatio. 80
legali populo certus locus ad cultum Dei deputatus 557
legales uoces non eneruãt promissiones gratiæ 63
legalium prohibitionum rationes considerandæ 64
legislator perfectus solus Deus 35
legislator qualitati populi sui se accommodauit 126
lex adfert cognitionem peccati 135 ad quos pertineat 53 alicuius esse, dupliciter dicitur 36 arguit peccatum, & damnat 135 bona, iusta & sancta 134 carni nostræ est, quod aqua frigida calci 136
lex coniugij 39 contra coniugium ministrorum lata, ab apostolo doctrina dæmoniorum uocatur 212 cur doctrina Hebræis dicatur 133 cur lata 135 cur præceptum dicatur 133 cur testimonium dicatur ibid.
lex Decalogi de quo genere testimoniorum loquatur 115 quomodo sit initiò proposita 41
lex Dei 90
lex diuersis respectibus efficax & inefficax 134 docendo & uiuendo impletur 137 Germanis satzung 34 generalis. ibidem. implenda in omnibus præceptis 137 iram operatur, & mortem 136
lex Iulia 104
lex iusto cur non posita 35
lex litera occidens 130 literæ 138
lex ministratio mortis 136 monstrat quales esse debeamus, & quales simus 133 mortis 138 Mosis. ibidem. Mosis reipsa abrogata. 139 Mosis antota abrogata 140
lex naturæ 35. 36 nomos

mos cur dicatur 34
lex paradisi 39 peccatum excitat 136 peccati 138 pædagogus ad Christum 135 perfectæ libertatis 138 prima homini lata de multiplicatione ac dominio 37 diuinitùs lata, antequam in peccatum esset prolapsus 38 prima naturæ, ut diligamus parentes 84 prima, trimembris 38 primogenituræ 40
lex quatenus abrogata 140 quid 34 quibus, & à quo danda. ibid. quibus uocibus significetur. ibid. quomodo impleatur 136
lex quotuplex 35
lex restaurationis lata post diluuium 40
lex sine doctrina 34 specialis. ibid. spiritualis 134 spiritus 138 spiritus uitæ quid in nobis agat. ibid.
lex transgressionem inducit 135
lex uiri ac mulieris post peccatum lata 40 uirtus peccati 34
legis abrogatio futura erat per Christum 139
in Legis abrogatione quid considerandum 138
legis cæremonialia unde cessasse constet 140
legis cognitio necessaria 34 definitio. ibid.
legis Dei auditus qualem animum requirat 41
legis doctrina quibus capitib. comprehensa 133
ad Legis æquitatem quæ pertineant 34
legis efficacia gemina 135 etymon 34 finis, Christus est 130.137 infirmitas 134
legis ipsa positio, cui subiecti sumus, humilitatem nostrá arguit 35 liber sub Iosia inuentus 417 mandata 140
legis Mosaicæ usus 133
ad Legis positionem qualis maiestas requiratur 35
legis primæ repetitio 40
legis primarium opus, Christi dispensatio 137
legis scriptæ diuisio 41
de Legis transgressione quomodo iudicandum 99
legis uis & efficacia 134 uis propria 135 impropria 135.136
legẽ Christiani quomodo impleant 137 facere 28 impleri quid 136. 137
legem naturæ à nobis esse, quo modo pateat 37
legem quis implere possit 137 solus Christus perfectè implet. ibid.
à Lege quid differat Euangelium 168
de Lege naturæ quæstio 138
in Lege quæ sint 140
in Lege æquitas spectanda 34.
leges ciuiles 135
leges gentium 37
leges Scholasticæ 635
legũ ecclesiasticarum & profanarum distinctio in Christianis locum habere nõ debet 634
legibus prophanis an propter prophanos locus sit inter Christianos 635
leges defendere possunt etiam inferioris ordinis homines, non uerò constituere 633
de Legibus à Deo non litera, sed uerbo tantum latis 37
legendi ministerium 203
liber Enoch 173
liber legis sub Iosia inuentus 417
libri canonici noui Testamenti 174
libri canonici ueteris Testamẽti. ibid.
librorum hæreticorum combustio 616
liberi subesse & obedire debẽt parentibus 548
liberorum suorum animos non debent exacerbare parentes 85
liberis quid faciendum, si parentes sunt culpabiles. ibidem.
liberos suos quomodo parentes assuefaciant 65
libera faciendi facultas 23
liberum arbitrium 22 amissum 18 an homini animali & carnali sit ad bonum 24
liberum arbitriũ hominis 15. 493 solius Dei 22
de Libero arbitrio nunquam sine distinctione loquendũ 25
liberatio captiuorum quot modis fiat 153
liberatio è regno satanæ & Antichristi plurimi nobis est facienda 45
libertas ad malum 23 arbitrij trifariam considerandà 22 post lapsum amissa 23 uoluntatis qualis 612
libidinis uetitæ pœnæ. 104
licentia suscipiendi ordines 216
liciti potestas 204
lingua Ebræa cur sancta uocetur 183 Græca celebrior quàm Latina 183
lingua peregrina Missam celebrant Papistæ 401
lingua qui occidunt, quomodo inter se differant. 95
linguæ sacrę adolescentibus discendæ 184
linguę detractrici quid Scriptura tribuat 119
linguæ Ebręæ scientia defuit Augustino 183
linguam conspurcat mendaciũ 117
litera occîdens, lex 136
literæ lex 138
sine Literis sacris nihil affirmãdum 12
liturgia 345
localis in lege determinatio 137
locus congregationis, ecclesia 298
λόγος 157
Lotharingia Musculi patria 370
in Lotharingia ecclesiarũ mos. ibid.
lotionem pedum Apostolicorum Bernhardus inter sacramenta recitat. 219
Lucifer ad inferos detractus 13
lucra terrena sectantes. 68
Lucretiam Collatinus oculis procacium regulorum uisendam exponit 128
lux errata tenebrarum arguit 456
lux liberat à regno caliginis 456
in Lucis efficacia uidere est quodammodo, quæ sit efficacia ueritatis 456
Lutherus quæ sacramenta uocarit 320

Lutheranum esse, quid sit aduersarijs 604
Lysandri dictum ad gentilem sacerdotem 259
λύτρον 151

M

MAchabęorum libri apocryphi 560
μάχη uox bifariam sumitur 226
magicis incantationibus nomen Dei pollui 67
Magister sentẽtiarum quomodo Augustini uerba corruperit 290
Magister unde dicatur 622
magistratus. ibid. à magistro dictus. ibid. à ueteribus pastores uocati 628 an potestatem curãdæ religionis habeat 630 an uindex tantum sit religionis, non etiã moderator 632
magistratus Christianus qualis esse debeat 626 curabit ut sana doctrina in ecclesia retineatur. ibid. curabit ut unusquisq; status suum decorem seruet 628
magistratus curare debet, ut subditi piè & religiosè uiuãt, & quomodo hoc fiat 629
magistratus de quibus religionis nostræ rebus statuere debeat 635 dij in Scripturis uocantur 15
magistratus & sacerdotium ad quem modũ in Samuele cohæserint 631
magistratus est constituere ecclesiarum ministros 635
magistratus in quem finem gladium gestet 639 in subditis suis quid spectet 65
magistratus minister Dei 623. 627.637.646
magistratus nemini permittit, ut à recepta religione discrepet 629 neminem cogat ad religionem. ibid.
magistratus ordines ministrorum disponere, reprobos arcere, & cõtentiosos compescere debet 635
magistratus potestas à Deo est 637 potestas quousq; in religione ualeat 632 potestas sancta 634 publicam honestatẽ tueri debet 628 quare utatur ministris 623 quomodo tam ecclesiasticarum quàm politicarum rerum curam gerere; poterit 636
magistratus unde sit 623
magistratus autoritas non ualet, quando illegitimè quid præsumit 92 eligendi uis rebuspublicis concessum 625 in populo usus 627.938.639 leges an obligent conscientias fidelium 649
magistratus officium 626.627 nemo melius quàm Christianus obire poterit 640
magistratus patientia 600
ad Magistratus politiam quid pertineat 626
magistratui debetur honor. 640 item timor. ibid. non cõpetere, ut sine uerbo Dei proprio arbitratu quidlibet in religiõe statuat 648 quid debeatur à subditis 640 quousq; sit obediendũ 645. 646
magistratui uectigalia & tributa soluenda 640
magistratum Christianis quoque esse necessarium, unde constet 638
ad Magistratum cum primis pertinet cura religionis 630
inter Magistratum ethnicum & Christianum quid sit discriminis 626
ad Magistratum magis quàm ad sacerdotes pertinet religionis cura 630
magistratum qui ex Deo esse non existimant, quid considerent 623
magistratu an opus sit Christianis 638 qui funguntur, quales esse debeant 625
magistratus inferiores & subordinati 622 ex Deo sunt, non ex permissione, sed ex ordinatione 624
magistratuum facta quando legitima 92
magistratuum genera 622 ordo ab ordine ministrorum uerbi diuersus 611
magistratibus curandũ ut gladio ultore legitimè utantur 92 quare Apostolus nõ præscripserit quales esse debeãt 625
de Magistratibus in Mosaicis literis quæ præscribuntur, duplicis sunt generis 626
de Magistratibus Romani imperij Cæsari iuratis 637
Manichæorum hæresis 604
Manuæ oratio 566
manum uiolentam qui in clericum uel presbyterum iecit 217
manuum impositio 320 quam diu in ecclesia durarit 197
Maometh impijssimus hæresiarcha 608
Marcionitarum hæresis 604
mare rubrum 481
Mariam uocãdam esse θεότοκον, Constantinopolitana synodus statuit 163
maritus ab uxore quid requirat 65
marito quam fidẽ uxor debeat 56
marrania 225
maiestas Dei & affectus dilectionis si consideretur, uidetur Deo non competere ut diligat 463 nec accessionẽ nec diminutionẽ recipit 6 nõ ijsdem cũ homine legibus subijcienda 487
maiestas diuina luce inaccessibili amicta 1
ad Maiestatis diuinæ considerationem non illotis manibus accedendum. ibid.
maioritas tradita est à Deo magistratibus, non ecclesiasticis 633
maiorum nostrorum culpa 417
propter Maiorum suorum peccata posteri puniuntur 512
Malachiæ uaticinium 387
μακροθυμία 595
maledictio telluris in opere hominis 18
malicia cordis, fons omnium peccatorum 107 inordinatæ concupiscentiæ 123
malus nemo inuitus quod malum est facit 23
malum aliud peccatum est, aliud non. ibid. cui inferatur, refert. ibid.
malum culpę. ibid.
malum esse 459
malum nec uult nec facit Deus 449
malum non est ex Deo 436
malum pœnæ 599
mala an ex uoluntate Dei fiant 449
de Malè promotis 216
Manasses Iosiæ auus 60
mandatum nõ quodlibet uim legis habere 37
mandatum secundum quomodo priori simile 42
mandati diuini facilitas & indulgentia 17
mandato occidere 95
mandata Dei ueri quomodo obeunda

obeunda sint 427
mandata legis 140
mandatorum Dei custodia, dilectionis filia 63 uera custodia 62
mandâdi plena est Deo potestas 482
manducatio corporis Christi 378
manducatio impiorum 380
Manichæus 160
Manichęi duas naturas in Deo posuerunt 430
Marcion duos Deos cõstituit: unum bonum, alterum malum 459
martyrum patientia 598
matrimonium 97. 321
Matthiæ & septem diaconorũ electio 202
Matthæi uocatio 239
mediator inter Deum & nos 249
mediatoris officium soli Christo competit 293
mediatè Deo obedire 645. itẽ immediatè. ibid.
μεσιτάρεια 622
Melchisedek non obtulit Deo panem, sed protulit Abrahę 386
meliora pluribus placere 413
mẽbra ecclesiæ catholicæ 302
memoria Domini 345
inter Memoriã & orationem pro mortuis multũ interest 562
mendacium coniungit nos diabolo 117 excludit à monte Dei. ibid. fidem tollit è medio. ibid. iocosum 115 linguam nostram conspurcat 117 ueritati coniungere, indigna res 47
mens hominis 493 pura 455
mentis iusticia 484 oculos aperit pœnitentia 260 sanitas 214 renouatio 447
mentẽ mutat pœnitentia 260
mensa Domini 345
ad Mensam Domini quales accedere debeamus 379
mercedem dat Deus pro sua gratia 279 quærere sordidum 275
meritum Christi dispẽsare, cuius sit meritum 393
meritum condigni 276 congrui. ibidem digni. ibid.
meritum nec in adultis est 278
meritum nec in conuersis & fidelibus. ibid.
meritum non esse tribuendum nostris operibus 276
meritum nullum in nondum conceptis 277 nec in nondum renatis. ibid.
meritum quid 276
meritum triplex apud Scholasticos. ibid.
meriti Christi uera applicatio 393
meriti nec infantia nostra prę-rogatiuam habet 278
de Meritis erga Deum 276
de Meritis sanctorum 280
mersio infantis 339
μετάγνωσις 254
μετάνοια ibid.
metaxyca doctrina quãdo Augustæ proposita 647
metaxyca doctrina quando fabricata 303
metus species 538
metus tyranicæ potentiæ 539
Micol Dauidem liberat mentiendo 115
millenariorum opinio 517
militans ecclesia 299
minister Christi 193
minister & populus olim simul communicabant 402
minister gratiæ 627 iusticiæ ib. peccans quomodo corã omnibus redarguẽdus 230 potest honore sibi debito uti 204
minister sit unius uxoris maritus 206 unde uocetur 623
ministri Christi prudentia 463
ministri delinquentis correptio 230 depositio ab officio. ibid. duplex usus. ibid. 231
ministri excommunicatio 231 fidelis officium 347 uita qualis esse debeat 205
ministri Christi plantatoribus & rigatoribus ab Apostolo comparantur 239
ministri dispensatores mysteriorum Dei 193 noui Testamenti 291 per χειροτονίαν eligebantur 197
ministri reprobi 368
ministri uerbi ante legem, in lege, & post legem 192 uerbi Dei. ibid.
ex Ministri ore quando uerè Christus audiatur 201
ministri translatio quando fieri debeat 230
ministro uerbi debetur uictus necessarius. 203
à Ministro an requiratur ut sit uxoratus 206
in Ministro qualis uitæ integritas requiratur. ibid. cur requirat Apostolus monogamiam 207
ministrorum Christi discrimẽ 193 duo genera 195 officium. ibidem. electio qualis olim fuerit 198
ministrorum Dei uaria genera 627
ministrorum diuisio 192 electio duplex 196
ministrorum est Christianos magistratus admonere officij 625
ministrorum ministerium quale 193 Noui testamenti diuisio 192 nomina 193
ministrorum ordo in ecclesia quousque creuerit. ibidem potestas 199
ministrorum uerbi cõditio 611 consolatio 166
ministrorum uerbi Dei emendatio 229
ministrorum uerbi nulla in ecclesijs Romã. hodie electio 198 electio & ordinatio 196 officia 193
ministris Christi an aliqua in ecclesia potestas 200 cur coniugium ademptum 212 esse obediendum 548 quæ potestas competat. 201
ministris ecclesiæ tabernas uinarias ingredi uetitum 214
ministris ecclesiarum quid relinquatur, si cura religionis ad magistratus pertineat 636
ministris euangelij quid obseruandum 196
ministris uerbi quod potestatis genus competat 200
ministros Christi etiam indeterminatam potestatem habere 201
ministri corrigendi quadrimẽbris disciplina 230
ministros & populum in ordine retinebit magistratus 636
ministros eligendi in Bernatum ecclesia, consuetudo. 199
pro Ministris uerbi orandum 559
ministerium magistratuum quò dirigi debeat 637 prædicandi, legendi, psallendi, catechisandi. 203

ministeriũ uerbi multis de causis periculosum 230
ministerij, quo magistratus Deo ministrat, quæ sint species 627
ministerio uerbi cur Deus uti uoluerit 192
in Ministerium se ingerere, temerarium 196
à Ministerio papistæ monogamos reijciunt 207
in Ministerio gemina requiritur integritas 206
ministeria ecclesię à Deo sunt, etiamsi magistratus de illis constituit 637
ministrare alicui quid sit 626
ministrare officio alicuius. ib.
ministrare rebus alicuius. ib.
de Ministrantibus nõ promoti 217
mirabilia Dei opera 441
miracula signa 317
missare sine intellectu 403
missare sine religione ac deuotione. ibid.
missarij canonis author 395
inter Missatores multos esse bonos 405
missatorum scortatio 404
missaticum sacerdotium 291
missa Papistica 384 quæstum nundinarium resipit 403 quomodo possit esse mala 384 unica quare non redimat animas, ut non sit opus multis 392
missæ actioni necessaria 395
missæ canon quanti fiat 399
missæ Papisticæ abusus exteriores 401
missæ Papisticæ canon 399
missæ sacrificium applicatoriũ 165
missæ substantia 384
missæ suæ quæ tribuant sacrificuli. ibid.
missæ uirtutem ualere dicunt specialissimè & generaliter 391
per Missam an à Deo omnis generis bona impetrẽtur, & remissio peccatorum cum uniuerso mortis Christi merito dispensetur 390
in Missa an Deo patri offerantur corpus & sanguis Christi 386
missam celebrant Papistæ lingua peregrina 401 dum sacrificulus celebrat, an mediatorem agat inter Deum & ecclesiam 385 Papisticam non conferre remissionem peccatorum 284
in Missa sacrificorum intentio 399
in Missarum celebratione cautelæ seruandæ 395
missarum reductio 221 tanta multitudo cur apud ueteres non fuerit 392
missis pluribus quare anima diuitis opus habeat quàm anima pauperis 392
missis quomodo adhuc opus sit post indulgentias Romani pontificis 392
in Missas quo plures sumptus fiunt, hoc pluribus missis opus est 392
misericors est Deus natura, & amans humani generis 477
misericordem esse Deum 474
misericordia 446 Dei 473 generalis 478 specialis. ibid. temporaria 478. sempiterna. ibid.
misericordia eorum est, quę naturaliter sunt in Deo 473
misericordia & bonitas Dei iusticiam excellit 61 in Deo unde 475 præcedens sequentem iusticiam illustrabit 479 quomodo Deo conueniat 474
misericordiæ definitio 473. 475 Dei discretio 477. 478 nec numerus, nec mẽsura, nec finis 285 quę sit operatio 476 item qualis 477
ex Misericordiæ humanæ ingenio facilè est de diuina sumere iudicium 476
misericordiæ opus, quòd prior locus misericordię, posterior iudicio datus est 478
misericordię prẽsens uita, futura iudicio deputata est. ibid.
misericordiæ tempus aliud esse, & aliud iudicij. ibid.
misericordiam facere in millia 58.
ad misericordiam quibus causis mortalium corda permoueantur 475
misericordiam Stoici non uirtutem, sed uitium esse censent 474
de Misericordia Dei nõ solum priora, sed & hoc præsens seculum testatur 474
miseriæ miserorum non est addendum 587
de Miseria aliorum nõ est gaudendum. ibid.
miserationum causæ Deo unde sint, & non 476
mœchia 97
monachi ab honestate alieni 620 quæ uouent, pertinẽt ad omnes Christianos 573 solenniter uouent. ibid.
monachorum cuculli 576 hæreses priuatę manent 605 quædam communes & superstitiosæ obseruationes 573
μοναρχὸς ὁ θεὸς. 437
monarcha 622
monasticus & superstitiosus uotorum sensus 573
monastica clausura aduersatur Christianæ charitati 577 obedientia 549 paupertas 575
monasticæ uitæ causæ & opiniones 574 studia Chrysostomi tempore singulari quodam feruore inualescebant 573
monasteriorum clausura 576
monogamos à ministerio papistas reijcere 207
monogamiam quare requirat in ministro apostolus. ibid.
moralia præcepta 41
moralium præceptorũ appendix 130 summa 41
morum conuersio 573
morum corruptelæ abscindendæ 628
mori citò, an semper sit irę Dei indicium 87
mors immatura 88 non aufertur, nisi resurrectione corporum nostrorum 288
à Mortis Christi efficacia mortui non excludendi 369
mortis Christi uirtus tam præcedentia quàm sequentia secula complectitur 155
mortis ministratio lex 136
mortem Domini Papistæ non annunciant 402
propter Mortem immaturã nemo damnandus 88
mortalium nemo propriè & à seipso Dominus est 479
mortificationi carnis seruit patientia 601
mortui non excludendi ab efficacia mortis Christi 369 quomodo simus peccato 341
mortui tantum liberi sunt ab obedientia magistratus 641
mortuorum commemorationem Pelagius papa in secreta canonis missatici retulit 369 duplex genus in ecclesia, quibus sacramẽtalis corporis

poris ac sangu'nis Domini cõmunicatio dispen sari non debet 369
mortuorum est, nihil concupiscere 122
de Mortuorũ statibus patres diuersimodè locuti sunt 561
pro Mortuis an sit orandum 560 quid faciendum 562 quomodo ueteres sacrificauerint. ibid.
mortalis & uenialis peccati discrimen 31
Mosaica doctrina nulla antiquior 173
Mosaicæ legis abrogatio 139 usus 133
Mosis & noui Testamenti fœdus 145
Mosis fides 246 homicidiũ quò referendum 94 lex 138 oratio 566 patientia 598
Mosi lex an tota abrogata 140
Mosi, non Aaroni Deus curam & institutionẽ religionis imposuit 631
Mosi, prophetis & apostolis credimus: sed non in Mosen, prophetas & apostolos 233
mulier adultera 97 gloria uiri 15 uiro subiecta est 548
mulieris hæmorrhoissæ fides 245
mulieres opulentas an Apostoli circumduxerint 208
mundus 283 Euangelij bonitatem quasi rem noxiam auersatur 167
mundus hic potentia Dei terminabitur, fietq; cœlum nouum & terra noua 440
nõ duraret sine Dei iusticia 483 quandiu sibijpsi similis est, tamdiu ueritas in illo non accipitur 457 quo modo uincatur 246
mundi & carnis gratia instabilis 148
mundi huius status qualis futurus post iudicium 516 princeps satan 152 timorem non esse in dilectione Christi ac fratrum 541 seruator Christus 151
ad Mundi uesperam Christus uenit 155
mundum hunc Lactantius sexto millenario terminat 514 uincere 246
contra Mundum & satanam efficax est fides 246
in Mũdo nihil min9 accipitur quàm ueritas Christi 457
in Munere rectè obeundo constanter manere, arduum 230
murmur 506
Musculus quando Augustam ad prędicandum Euangeliũ uenerit 110
mutare uerbum Domini 354
mutatio mentis 356
mutilationis pœna 217
mysterium 193
mysterium & sacramẽtum differre 318
mysterium fidei 228
mysteria Dei 193
mystica quæ sint 343

N

NAsci ex Deo electos 433 natura 429 an locũ habeat in Deo. ib.
natura Dei 428 fide & experientia cognoscitur 431 qualis 430. 431 unde cognosci possit 430
natura duplex 429
natura diuina immutabilis 159
natura humana an non sit in Christo in diuinam mutata 433
natura ipsa infecta et perdita 18
natura quatenus Deo tribui nequeat 429
naturæ consideratione qualis Deus 9 Dei an homo particeps 432
ad Naturę Dei cognitionem lectio sacrarum Scripturarum & opera Dei ducunt 430
naturę Dei esse qd sit 433 qualitas 431 trina diuisio 430
naturæ dictionis in Deo quomodo utamur 9
naturæ diuinę nulla uerba prorsus inenarrabile 3 bullis põtifica lib. præfixũ 66 est, qd de illo prædicatur 424 inenarrabile 3 multis modis polluitur 65 polluitur incantationibus magicis 67 profanatur in annnulis & insignibus. ibid.
nomen Dei quid 423 qui rectè reuereatur 65 quomodo cõtemnatur 66. 67 quomodo etiam non usurpatum contemnatur 28
nomen Dei uanè sumere 64
nomẽ Domini authoritati falsorũ Episcoporũ seruit 66
nomen proprium an Deo conueniat 423
nomen sanctissimũ diuinæ maiestatis multis modis humana temeritate polluitur 65
nominis Dei abusus 66
nominis ac uerbi Dei fures 107
in Nominis Dei fiducia aliquid facere, quorũ sit 426 an ad credẽtes tantũ ptineat. ibid.
nominis Dei profanandi uulgaris modus 67
nominis Dei reuerentia 64
de Nomine Dei 423
in Nomine Dei aliquid facere quid sit 424 quorum sit, & quorum non sit. ibid. 425
in Nomine Dei quale sit quod fiat 425 quomodo aliquid fiat. ibid.
nominum usus & ratio 423
naturas duas Manichęi in Deo posuerunt 430
naturalia in Deo sempiterna 9 signa 317
naturalium affectuum & iudiciorum discrimen 36 in nobis ratio 122
inter Naturalia & sacramẽtalia prędicata distinguendũ 352
naturaliter quę fiunt, frequenter fiunt 430 item spõte 431
necessitas duplex 558
necessaria de congruo 394. 395 tã personę sacrificãtis quàm actioni missæ. ibid.
necessaria sacerdoti 394 simpliciter. ibid.
necessariorum tria genera 234
neglectus in religione 607
νέφυτ& non eligẽdus in episcopum 227
Nestorius 160
Nicenum concilium 21
Noah inuenit gratiá in oculis Dei 147
Noetianorum hæresis 604
nomen Dei admirabile & prorsus inenarrabile 3 bullis põtifica lib. præfixũ 66 est, qd de illo prædicatur 424 inenarrabile 3 multis modis polluitur 65 polluitur incantationibus magicis 67 profanatur in annnulis & insignibus. ibid.
nomen Dei quid 423 qui rectè reuereatur 65 quomodo cõtemnatur 66. 67 quomodo etiam non usurpatum contemnatur 28
nomen Dei uanè sumere 64
nomẽ Domini authoritati falsorũ Episcoporũ seruit 66
nomen proprium an Deo conueniat 423
nomen sanctissimũ diuinæ maiestatis multis modis humana temeritate polluitur 65
nominis Dei abusus 66
nominis ac uerbi Dei fures 107
in Nominis Dei fiducia aliquid facere, quorũ sit 426 an ad credẽtes tantũ ptineat. ibid.
nominis Dei profanandi uulgaris modus 67
nominis Dei reuerentia 64
de Nomine Dei 423
in Nomine Dei aliquid facere quid sit 424 quorum sit, & quorum non sit. ibid. 425
in Nomine Dei quale sit quod fiat 425 quomodo aliquid fiat. ibid.
nominum usus & ratio 423

ad ἀμεθυσίαν ius & poteſtatem quid requiratur 44
notæ eccleſiæ ab Interimiſtis poſitæ 303 ueræ eccleſiæ. ibid.
nouare & renouare differunt 416 quib. proponatur, refert. ibid.
nouitas uitæ à baptizatis requiritur 341
nouitatis bona 415 mala. ib.
nouum eſſe 416
nouum & uetus Teſtamẽtum differunt 166
nouum fœdus nouum initiationis ſacramentum poſcit 145 Teſtamentũ cur à Chriſto poſt Moſen inſtitutum 145 cur Græcè ſcriptũ 183 legis & prophetarum adimpletio 137
noui Teſtamenti ſignorũ ſacramentalium numerus 319
noui & ueteris Teſtamẽti duo ſacramenta 350 ſacramentorum diſcrimen 323
noui Teſtamenti apocrypha 175
noui Teſtamenti & Moſis fœdus 145
noui ac ueteris Teſtamenti diſcrimen 146
noi Teſtamenti miniſtri 291 miniſtrorum diuiſio 192 nomina 193
noui Teſtamenti populus ſpiritu dilectionis & libertatis agitur 542 ſacerdotiũ 291 ſacramẽtalia duo ſigna 321 ſacrificia tria 296 Scripturæ diuiſio 175 quomodo introductæ 174
in Nouo Teſtamento ſacerdotium nec uetus Iudaicũ, nec ethnicum aliquod locũ habere 291
Numa Pompilius 649
numinis religio omnium mentibus inſita 413
nundinatio Romani põtificis 216
nuptiæ 215 ſecundæ 206
νῦν 157

O

OBedientia 545.546 obediẽtia credentium 166 falſa 549 monaſtica. ibid. peruerſa 546 prima pars cultus Dei 409 quàm ſit neceſſaria 550 quatenus ad ſalutẽ noſtram faciat. ib. quotuplex 546
obedientia uera 546. 550 cultus Dei eſt 547 prima pars cultus Dei 410
in Obedientiæ cauſa opus eſt diſcretione 545
obedientiæ duplex bonum in Chriſto commendatur 551
obedientiæ efficacia 550 nota 549.550
obedientiæ maius bonum eſt quàm continentiæ 677 perfectum exemplar Chriſtus 547 ueræ nota 549 uirtute totũ uniuerſum ſeruatur 550
obedientiam ad quid à nobis Deus requirat 551 debemus magſtratui 641 omnem deberi Deo 546
per Obedientiam Chriſti ſeruamur 551
ad Obedientiam ueram quid requiratur 546.550
ab Obedientia magiſtratui debita nemo mortaliũ eſt exẽptus 641
inter Obedientes qui non numerandi 546
obediendum an non ſit maioribus 547
obediendum cui ſit 546
obedire Euangelio 23
oblatio munda 389
oblatum non eſt potius offerẽte 388
oblationes primarum eccleſiarum 386 ſpirituales Chriſtianorum 296
obſeruantia præceptorum Dei animã memorẽ requirit 72
obſtetrices Ebræorum præcepto Pharaonis obedire detrectant 544
occaſio cauſa adulterij 101 facit furem 107
occidere conſilio 94 mandato 95 proditione. ibid. ſeipſum 91 ſententia 95
occultatio furti 111
ochlocratia 622
Ochozias à facie Athaliæ abſconditur 109
ocium 73 aliud laudabile, aliud culpabile 78 quod nam mereatur laudẽ. ibid. ſabbati cur iumẽtis præceptũ 76
ocioſum uerbum 426
oculi cauſa adulterij 101
odium Dei & inimicorum differunt 534 unde cenſeatur 60
in Odiũ mutare iram, diabolicum 508
in Odio & inuidia generatur homicidij propoſitũ 96
odiorum cauſæ unde naſcantur, refert 534
officium fidelis miniſtri 347 magiſtratus in genere quod ſit 626
officij poteſtas 201
oligarchia 622
olei uſus apud Orientales 338
omnipotentia 446
omnipotentia Dei in gubernatione & conſeruatione 439 in multiplicatione ac propagatione. ibid. in quib. operibus conſideranda 440
omnipotentia miniſtra eſt uoluntatis Dei 445
omnipotẽtiæ Dei fides quàm neceſſaria 441 quomodo neceſſaria 442
omnipotentiæ Dei opera generalia 439
omnipotẽtiæ non opus eſt auxilio 48
de Omnipotẽtia Dei argumẽtatur in cœna Dominica 446 quæſtiones 446 quæſtiones 442
omnipotentiam Dei requirũt fidei noſtræ articuli 451
operatio miſericordiæ Dei qualis 477
operationis genus quintuplex 10 ueritas 455
operationũ Dei genera 11
opes auaro ſufficiunt, & non ſufficiunt 434
opus alienũ Deus facit, ut ad ſuum perueniat 582
opus creationis 490 Dei 111
Dei in nobis 440
operis operati opinio 322 prætextus 404
opera bona 274 bona ad gratificandũ Deo fieri 275 an, & quare Deo placeãt. ibid. ex ſpiritu Dei fieri. ib. propter ueritatem Deo probantur. ibid. quo animo fiant, referre 274
opera carnis 593.606
opera dei et lectio ſacrarũ Scripturarum ducũt ad naturæ Dei cognitionẽ 430 extra nos & naturalia 440 mirabilia 144 quæ potiſsimũ cõſiderare debeamus 440 quouſq; homo conſiderare queat 11
opera diuinitatis Chriſtus ſibi adſcribit 8
opera & fides non ſunt contraria, ſed ſubordinata 276
opera licita 75 illicita. ibid.
opera noſtra, nõ aliena quomodo faciamus 73

operum Dei consideratione electos non abijcere 3 duo genera 431 uarietas 440
operum humanorum duo genera 75
operibus dies sex, & unus tantum quieti datur 73 nostris non tribuendum esse meritum 276
suis an Deus communicet naturam suam 432
per Opera nõ iustificamur 268
ab Operibus suis Deus septimo die quieuit 78
operandũ esse bene omnibus 274
opinio à fide quid differat 232
opinio cultus ac præpostera fiducia uehementer pernicio sas reddunt traditiones 423
Ophitæ 54
oracula Dei ad nos usque per Scripturas uenerunt 187
oratio 552
oratio propter quas causas efficax 567 quid sit Latinis 553 quando sit tempestiua 556 uera nulli certo tẽpori alligatur. ibid.
orationis conditiones 564 duplex genus Scholastici tradunt 554 modi 565. 566 uocabulum quomodo Scholastici accipiant 553
orationem quomodo Hebræi uocent. ibid. quibus uocibus exprimãt Græci. ibid.
in Oratione quæ spectanda 558
orationes cuius momenti sint coram Deo 566
orationes & sacrificia pro mortuis nõ fuerunt in usu tẽpore Apostolorum 562 uerbosæ Deo displicent 565
orationum commutatio 221
orare an liceat contra alios 563
orare contra studia iniquè agentium. ibid. 564 etiam potest inter laborandum homo fidelis 557
oratur duobus modis contra aliquem 573
orandus quis sit 553
orandi & psallendi usus 241
studium, fidei est exercitiũ 552
orantis conditiones 565
orantes ad se an Deus semper exaudiat 567 cur Deus exaudiat. ibid.
orandum est, quia Christus iussit 552. propter necessitates nostras. ibid. propter mandatum & cultum Dei 552 propter quas rationes. ibid. pro quibus 558. 563 quando sit 556 quomodo 564
oremus quo loco, non refert 557
ordo ministrorum ecclesiæ corruptus 211
ordo quomodo & quale sacramentum esse possit 321
ordinis septem gradus. ibid.
ordines cur sacramenta dicantur. ibid.
ordinationum triplex genus, unde magistratum habemus 624
orientalium mos 348
orientalis peccati historia 16
oris pollutio ex mendacio est 117

P

PActum, fœdus, testamentum, vocabula trita in Scripturis 141
pallia 225. 436
panis an sit naturaliter, uel personaliter, uel realiter corpus Christi 354 quomodo possit esse corpus Domini 354. 355 sacramentaliter est corpus Domini 355
panis transsubstantiatio 352 trina fractio apud papistas 349
panem cur fregerit Christus. ibid.
panem polluere 68
panem uoluit Dominus corporis sui esse sacramentum 353
pane azymo cur Christus in cœna sit usus 348
de Pane quid prædicet Dominus 352
papæ Hormisdæ admonitio 312
papismus falsis cultibus refertus 412
papistæ asserunt, Scripturam gignere hæreticos 187 mortem Domini non annunciant 402
papistarum excusationes 48 imagines 51 sacramenta quot 319 seductio 352 uota 569
papistica confessio 256
papistici cultus imperitis quomodo commendentur 412
papistica doctrina noua 416
missa 384
papisticæ missæ canon 399 traditiones fugiendæ 422
Paphnutij sententia de coniugio sacerdotum à Synodo approbatur 210. 228
Paradisi lex 39
parentes non debent animos liberorũ suorum exacerbare 85 proximè post Deum honorandi 82 quomodo assuefaciant liberos suos 65 si sint culpabiles, quid faciendum liberis 85 ut diligamus, prima naturæ lex 84
parentum honos 83. 109
parentibus assignatur honor non primarius, sed secundarius 83
parricidium 218
paruuli olim ad mensam Domini admissi 421
Paschatis celebratio cur Iudæis præcepta 549 ceremonia cur instituta 45 usus 340
Paschati ueteri quomodo nouum subiectum 350
à Pascendis quæ requirantur 377
pastores 194 falsorum non speranda emendatio 229
pastoribus uerbi diabolus potissimùm insidiatur 239
patiens Deus quomodo à Latinis uocetur 595
patientia 593. 594. 602
patientia afflictionũ spes confirmatur Christiana 525 alia est Dei, alia hominum 595 animi 596 Christi 597 conuictũ humanum concernit 601 corporis 596
patientia Dei 597
patientia hominis uera 596 falsa. ibid. non perfectior est patientia Dei 595
patientia humana 596 quotuplex sit. ibid.
patientia Noæ 597
patientia opus est ad tribulationes ferendas 601
patientia non semper seruanda 599
patientia prophetarum Baal 596
patientia quibus locis Scripturæ sacrę probetur. ibid. quomodo Deo tribuatur 595 quousque seruanda 599
patientia secundum quid tribuatur Deo 595 seruit

mortificationi carnis 601 ſub cruce non ſolùm ſeruanda eſt, ſed & alijs afflictis cõpatiendum 587
patitẽia uera quæ, & quotuplex 504.595.596.602
patientiæ exempla 597
patientiæ inſignibus exemplis ornata eſt eccleſia. ibid. opera 602 uſus triplex 600
patientiam in aduerſis operatur fides 245 ſpeciem eſſe perſeuerantiæ 594 ſpes requirit 600
ad Patientiam non requiritur robur corporis 596 requiritur uoluntaria ac diuturna malorum perpeſsio 594
citra Patientiam nemo in hoc mundo certabit 601
ſine Patientia audiendi doctrinam fidei, ad fidem non peruenitur 600 non faciemus uoluntatem Dei 601
de Patre non ſolùm, ſed & matre honoranda præcipitur 83
patres ante Abrahamum quomodo diuinæ gratiæ fœdere participes facti 144 cur diuerſa ſcripſerint 561
patrum diligentia 159 exemplum 178 ſcripta quomodo citentur. ibid.
patres Scripturam concorditer expoſuerunt 370
patriarcharum pietas 152
Patripaſsianorum hæreſis 604
pauor 538
Paulus Chriſtianum hominem unà cum eccleſia Corinthiorum excommunicat 315 coràm omnibus Petrum reprehendit 230 cur nonnullis eccleſijs gratis prædicarit 204 cur Timotheũ circunciderit. ibid. duodecim diſcipulos retingit 330 orat contra Alexandrum ærarium 564 quomodo de ſui uocatione loquatur 239
Paulus Sergius ad fidem Chriſti conuerſus manet in magiſtratu 639
Pauli & Silæ orationes 567
Pauli uocatio 239
paupertas corporalis 575 diuinitùs immiſſa. ibid. monaſtica damnabibis 576 ſpiritualis 575
paupertas ſponte prſumpta, ibid. uoluntaria 573
pax conſcientiarum 273
pecunia quando alienus Deus 49
pecuniæ amor alienus eſſe debet à miniſtro uerbi 226
peccatum Adæ quid damni tulerit 17 angelorum 13 cur non ſit expreſſum in Scripturis. ibid.
peccatum facere 28
peccatum gradibus ſuis creſcit 30
peccatum grauiſsimum, Deo diffidere 462
peccatum idem licèt plures admiſerint, aliqui tamen ex illis, & non omnes puniuntur 512
peccatũ in Spiritum ſanctũ 32. 33
peccatum multiplex & inexplicabile malum 25
peccatum peccato an grauius ſit 29
peccatũ qui ex Deo natus eſt, non facit. ibid. quid 27
peccatum quid ſit, non eſt omnibus manifeſtum 25 quod à nobis omittitur 27 quoduis non coram omnibus redarguendum 230 quomodo in nobis naſcatur 27
peccatũ remitti 281 retineri. ib. ubi minus prohibetur. ib. quod maius eſt, magis prohiberi declaratur 110
peccatũ ueniale an poſsit fieri mortale 32 quódnam Scholaſtici conſtituerint 31
peccatũ uulgare in papatu 47
peccati alieni fuga & deteſtatio 91
peccati definitiones 26 enormitas deſperationis temporariæ cauſa 529 (32
peccati & blaſpemię diſcrimen
peccati exortus et ,pgreſſus 29
peccati finis generalis 26. item ſpecialis. ibid.
peccati imitatio in angelis, propagatio uerò in hominibus locum inuenit 21 in nobis exurgentis gradus 28 in Spiritum ſanctum ſpecies iuxta ſententiam Scholaſticorum 32
peccati lex 138 miniſtra, concupiſcentia 123 originalis hiſtoria 16 pœna tranſgreſſori Adæ inflicta 18 pœnitudo 91 primas ſugeſtiones nemo poteſt excludere 28 primorum noſtrorum parentũ uis, operatio & pœna quæ ſit 17 principium à diabolo 19 propagatio ex Adamo 20
peccati quanta malicia 19
peccati reliquię in nobis ſuperſunt, quę morte tollũtur 288
peccati uenialis & mortalis diſcrimen 31 uis 152
à Peccati ſeruitute redemptio quanti facienda. ibid.
ex Peccati ignorantia duo magna mala proueniunt 26
in Peccati definitione quis ſcopus conſiderandus. ibid.
inter Peccati efficaciam & pœnam originalis peccati diſtuiguendum 17
peccato eſſe mortuũ nõ eſt ſatis, niſi & iuſticiæ uiuamus 342 quomodo mortuiſimus 341
per Peccatum morti reddimur obnoxij 281
ſeparamur à Deo. ibid.
propter Peccatum unius hominis multi pœnas luunt 512
ſub Peccatum Deus omnes concluſit 511
à Peccato nemo purus ne infans unius diei 281
de Peccato in Spiritum ſanctũ, Scolaſticorum opinio 32. itẽ commentum 289
de Peccato mortali Scolaſticorum doctrina 287
peccata electorum unde uenialia 31
peccata infirmitatis & relapſus differunt 286
peccata minora prohibentur, quo magis abſtineamus à maioribus 65 (285
peccata omnia an remittantur, imputat impatientiæ Tertullianus 602 ut nobis remittantur diſpenſationis Chriſti, & ſalutis noſtræ ratio requirunt 285
ut remittantur, quantam gratiam eſſe oportet 295
peccata in quo medio remittantur 283
per quod medium remittantur. ibid.
quibus conditionibus remittantur 284 remittendi triplex poteſtas 282 reproborum mortalia 31
peccatorum abſolutio, baptiſmus 328 circumſtantiæ 30 confeſsio gemina 256

peccatorum duplices pœnæ 104
peccatorum inæqualitas bifariam consideranda 30
peccatorum nostrorum grauitate uel multitudine Deus non superatur 285
peccatorum omnium fons, cordis malicia 107
peccatorum remissio 281 à solius Dei gratia pendet 283 an possit tribui baptismati. ib. eius est conditionis, qua est remissio debitorũ 282. 287 gratuita 283 qua gradatione acquirenda 367 quàm necessaria 281 quibus medijs acquiratur 283 quib. sit annuncianda. ib. quomodo irrita fieri nequeat, & quomodo possit 286 semel impetrata, an possit fieri irrita. ibidem. firma esse oportet, aliàs non seruabimur. ibid.
peccatorum remissionem non conferre cœnam Dominicam 284 non conferre missam papisticam. ibid.
peccatorum remissione iustificamur 266
ex Peccatorum grauitate pœnarũ seueritas iudicatur 105
sine Peccatorum remissione neminem saluari 281
peccatis quibus nam Deus potissimùm iritetur 506
de Peccatis Stoicorum opinio 29
in Peccatis nasci electos 252
à Peccatore ut iram Dei placet, quæ requirantur 509
peccatores disparibus afflictionibus flagellantur 583
per Peccatores qui intelligendi 562
pro peccatoribus an sit orandum 559
peccare in corpus proprium 103 in tabulas fœderis 102 in Deum mediatè 282. itẽ immediatè. ibidem. quòd Deus nequit, non est dandũ impœnitentiæ 443 simpliciter 28
qui Peccat, peccat in Deum uel mediatè, uel immediatè 282
peccant omnes homines, sed uariè 28
peccandi perpetuum studium inditur scortando 103
peccans minister quomodo coram omnibus redarguendus 230
peccantium personas magis quàm peccati qualitatem esse considerandas 31
pedum Apostolicorũ lotionẽ Bernhardus inter sacramenta recitat 319
Pelagiana pestis 277
Pelagianorum hæresis 604
Peputianorum hęresis 605
perditioni nihil uicinius, quàm à Deo deseri 508
Peripatetici gentilium philosophorum hæretici 604
permansio tertia pars patientiæ 595
perpetiendi uirtus, patientiæ pars. ib.
perpetuitatis duæ partes 143
inter Personam & naturam distinguendum 160
in Persona ac loco Dei facere 424
personæ cum quibus incestus perpetretur 99
personarum ac statuum diuersitas consideranda 26 appellationes 7
personalis unitas 159
personales ceremoniæ 132
persequi quid sit 589
persecutor. ibid.
persecutores spiritualium 593
persecutio domestica 590.592 ecclesiastica. ibid. intestina 590 extranea. ibid. priuata 589.590 publica 589.592 quotuplex 589
persecutionis potestas an ecclesiæ conueniat 590
persecutionis species quæ grauior 591
persecutiones 589
persecutionum intestinarum alia iusta est, alia iniusta 590
persecutionibus ecclesiasticis quod potissimum genus hominum sit obnoxium 592
perseuerantia 594
Pesah ad quid instituatur 134
Petrus an fuerit uniuersalis ecclesiæ pastor & caput 305 coram omnibus à Paulo reprehenditur 230
Petrus errauit 314
Petri ad uxorem suam acclamatio 209 mendacium 115 oratio 567 trepidatio 246
Pharao angelico ministerio flagellatus 104
Pharisęi oratio 655
Pharisęi Iudæorum hæretici 604
philanthropiæ Dei primum argumentũ 465 secundum: ibidem. tertium, quartum; quintum 466
Philantropiæ fides inseparabiles à dilectione Dei reddit 467 reddit nos amantes Dei. ibid.
philosophi quibus epithetis Deum ornent 5
philosophorum ac rhetorum scripta 191 hęreses 604
φιλοξενίαν cur ab Israelitis requirat Deus 214
φιλόκτισις in Deo 465
philoxenũ à xenodocho differre 214
Photinus 160
Photinianorum hæresis 604
pietas 446. 629 requiritur in ministro uerbi 228 uera 144
pij qui ante Abrahæ tempora uixerunt. ibid.
piorum exemplis spes Christiana confirmatur 525
pios cur nonnunquam Deus ex hac uita tollat 513
pigricia 538
placatio Dei 508
plagiatus 106
Plato naturæ gratias egit, qd homo natus esset 13
Platonici gentilium philosophorum hæretici 604
plenitudo Christi 242 temporis 154
poculum hoc nouum Testamentum est 360
in Poculo Domini quid fuerit 348
pædobaptisma 336
pœna ignis quãdo cœpeit 614 peccati transgressori Adæ inflicta 18
pœnę æternæ commutatio in temporariam 287 satisfactoriæ aliud sunt, & aliud castigationes paternæ 288 unà cum peccati culpa remittũtur credentibus. ibidem.
pœnæ timor 640
pœnarum commutatio seu relaxatio 220 seueritas ex peccatorum grauitate iudicatur 105
pœnitentia 254. 320 ad desperationem adducit impios 261 affligit animum 260 aperit oculos mentis. ibi corrigit admissa 261 dãnat admissa 260 Deo reconciliat. ibid. gustum præbet impijs æterni supplicj 261

inefficax in reprobis 261 liberat à laqueo diaboli 260 mutat mentem. ib. qua necessitate fit necessaria 261 quid operetur in reprobis & electis 260 reddit humiles 261 mansuetos erga peccatores. ibid.
pœnitētia uera unde 255 uia & reditus ad baptismū 320
pœnitentiæ ueræ efficacia 260 necessitas 261 partes 256 sacramentum quomodo baptismus 328 signum quibusdā baptismus 327 tres partes Scholastici ponunt 256
ad Pœnitentiam uocandi communis ratio 255
pœnitentiarij. ibid.
Pontificis Rom. eligēdi ius penes Imperatorē fuit, quod postea cassatum est 198
Pontificis Romani & episcoporum uitia 66
populi controuersiæ duplicis generis 131
populorū capita principes 305
portenta 507
Potamienæ patientia 596
potentia accepta 438
potentia accepta à nemine. ib. particularis & limitata. ibid.
potentia aliūde accepta. ibid.
potentia Dei ad cōseruandum 439 ad resuscitandum mortuos 440 ad uindicādū. ib. in ijs quoq; consideranda, quę non fiunt 441 regenerarur 439 terminabitur hic mundus, fietque cœlum nouum & terra noua 440
potentia duplex 438 quomodo differat à potestate. ibid.
satanæ 152
potentiæ Dei usus 439
de Potentia Dei desperare 527
potentum adulatores 68
potestas qualis Apostolis concessa 482 Dei 479 in omnia 481
potestas deponendi reprobos pastores, & meliores eligendi 310 determinata 201 indeterminata. ib. dominio annexa 481 ecclesiæ 310 non est ad uniuersalem, sed ad singulas particulares referenda 310 excōmunicandi. ibid.
potestas facti 204
potestas iudicandi de ijs quæ in ecclesia audiuntur 310
iuris 200 duplicis generis. ibid. & officij 203 iusti & æqui. ibid.
potestas legitima gemina 481 magistratus in subditos maior est, quàm patris in liberos suos 630 non nisi in subiectos 481
potestas officij 201
potestas quę Christi ministris competat 101
potestas religionis quousque se in magistratu extēdat 632
potestas superiorum non prę-iudicat religioni 76
potestatis abusus à Deo non est, sed à satana 623 plenitudinem nulli creaturæ cō petere 482 nemini plus est, quàm accipit à Deo 648
potestate sua potest Deus uti, uel non uti 482
à Potestate quomodo differat potentia 438
potestates quomodo Deus ordinet 625
prauitas carnis 122
præceptū & cōminatio quàm commodè iungantur 68
præcepto adiecta ꝓmissio 86
præcepta cerimonialia 132 de religione 130 Dei custodire 63 qui uerè faciat 448 seruare, nō quia Deus, sed homines præcipiūt 545
præcepta iudicialia 130
præceptorum cerimonialium usus 134 decuria quomodo composita 129
præceptorum Dei obseruātia, memorē animū requirit 72
præceptorum iudicialiū diuisio 131 rationes 132 iudicialium usus 134
præceptorum moralium summa 41
prædicare de Christo, quid sit 114 euangelium 170
prædestinatio separanda à prę-scientia 248
prædicandi ministerium 203
prædicator Euāgelij qualis esse debeat 170
prædicatio Euangelij publica non est reijcienda 238 uerbi Christi necessaria 237
prædicationem uerbi Christi qui ecclesijs adimūt, grauiter peccare. ibid.
prælatos ecclesiæ nō esse ecclesiam 303
præscietia 489 Dei 487 nō fuit sine certo consilio 20
à Præscietia separanda est prędestinatio 248
præsentiam Christi spiritualē & corporalem nōnulli confundunt 366
præpositi cuiusdam monasterij responsum 529
præpositi quo capita 305
precationum dies 202
preces publicę pro ægrotis publicā etiam gratiarū actionem requirunt 572
precum sacrificium 296
ad Preces communes sint ne quilibet recipiendi 563
presbyter 194. 292
presbytericidium 218
principes ac status Imperij nō sunt excusandi, qui Interim sibi passi sunt obtrudi 647
principes capita populorū 305
pro Principibus orandū 559
primitiarum ac decimarū usus 134
primogenituræ lex 40
primus homo de terra terrenus 162
priuilegium quare perdatur 644. 645
priuilegia ecclesiasticorū conuincūt, iure illos subesse debere magistratui 645
priuilegia paucorum communem legem non tollunt 38
priuilegiorum causa 645
probatio requirit patientiam 601
processus 569
proditione occidere 95
proditores odio communi ob noxij. ibid.
professores secrarum linguarum in ecclesia alendi 183
professionis Christianæ nota 322
Promotheus plastices author 14
promissio adiecta præcepto 86
promissa Abrahæ facta pendebant ab omipotentia Dei 144
de Promotis & promouendis super defectu ætatis 216
ꝓnomē τῶν quò referatur 360
propensio ad iram uitiosa est 503
propheta 194
prophetæ falsi 507
prophetarum falsorum multitudo. ibid.
prophetarum patientia 598
propinqui & uicini duplici nomine diligendi 126
propinquitas gemina 152
propitius Deus quædam negā

gat, quæ cõcedit iratus 568
proprium Dei opus 6.431
proprij nihil habere, quale sit 575
proprietatis abdicatio Christianis illicita. ibid.
proprietatis usus quò referendus 78
Prouerbia Salomonis 130
prouidentia 489
prouidentia Dei 487.490
prouidentia conseruatrix Dei bifariam considerãda 491
prouidentia Dei generalis unde sit 463
prouidẽtia gubernatio Dei an homo quoq; regatur 493
prouidentia quomodo Deo tribuatur. ibid.
prouidentię Dei discrimẽ 436 doctrina duo genera hominum abutuntur 494 gemina cura 463 opera 490 tres species. ibid.
prouidentiæ gubernatricis trina diuisio 492 (498
prouidentiam aliquos negare
prouidentiam Dei agnoscere 489 qui negat, Deum negare 4
de Prouidentia Dei aliter atq; aliter sentiri 488
proximus noster 532.533 quomodo diligendus 114
proximi bonis, nomini & uitę nocet detractio 118 dilectio unde pendeat 42
de Proximi dilectione præcepta 130
prudẽtia & discretio fidelis ministri Christi 463
psallendi ministerium 203 usus 241
pseudochristianorum hæreses innumerabiles 604
publicani oratio 565
pudor Adami ex peccato 17 desperationis temporariæ causa 528
puerorũ triũ in camino ignis constantia 647
pugnæ nostrorũ temporũ 226
purgatorium 289
purgatorius ignis peperit Roman. indulgentias 287
contra Purgatorium papæ 289
purificatoriæ ceremoniæ 133
purificationum usus 134
puritas uitæ à nobis requiritur 96
purpurisse Deus cor aperit 237

Q

Qvestionum immanitas 119
qualitas Dei in quibus 5
qualitates corporũ in Deo nullę. ibid.
de Quantitate Dei quomodo quæratur 9
Quartadecimanorum hæresis 605

R

RAhab mulier quomodo mentita 115
rapina 110
rapina manifestior est quàm furtum. ibid.
rapinæ resistitur magis quàm furto. ibid.
raptus 99
raptus pœnæ 104.105
rationis iudicia 36
rebellio contumax 506
reconciliatio fraterna 284
redargutio 188
redargutionis species. ibid.
redemptor quis 152
redemptoris duæ partes 164
redempti per quem simus 152
redemptio à seruitute peccati quanti facienda. ibid.
redemptio æterna 155
redemptio generis humani 151
redẽptio quando sit facta 154
redemptio uniuersalis 151
redemptionis circunstantiæ. ibid.
dispensatio triplicem considerationẽ habet 164 effectus tempori nullo pacto alligatus 155 ius bimembre 152
redemptionũ corporaliũ conditio 155
redimere 151
redimitur nemo, qui nec seruus est, nec captiuus. ibid.
regeneratio 468
regenerationis lauacrum, baptismus 329 sacramentũ in infantibus præcedit: & si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiã in corde conuersio 329 symbolũ, baptismus 241
regis cœlestis gloria cõsideranda 139
regnum cœlorum ecclesia 313
regnum cœlorũ, ueritatis & iusticiæ regnum. ibid.
regnum Dei geminæ considerationis 167
regnum hyopcritarum 507
de Regularib. illegitimis 217
rhetorũ ac philosophorum scripta 191
religio deorum unde 36
religio numinis omnium mentibus insita 413
religio nulla est, ubi simulachrum est 53
religio sine simulacris castius obseruatur. ibid.
religionis summa 70
religionis tres partes 75
religionis & fidei Christianæ ueritas 454
religionis cura, & ecclesiastica rum legum constitutio penes magistratum est 633
religionis potestas quando ad unumquemq; patremfamiliâs deuoluatur 632
religionẽ pertinere ad ius gentium 630
ad Religionem magistratus quid pertineat 626
de Religione præcepta 130
de Religione iudicia 36
remissio peccatorum 281
remissio peccatorum gratuita 283
remissio peccatorũ nulla speranda, ubi non est pœnitentia 647
remissio fraternorum debitorum 284
remissio peccatorum quàm necessaria 281
remissio peccatorũ à iustificatione separatur 266
remissio peccatorũ an tribui possit baptismati 283
remissio peccatorum à solius Dei gratia pendet 283
remissio peccatorũ quibus sit annuncianda 283
remissio peccatorum quibus medijs acquiratur. ibid.
remissio peccatorũ quomodò irrita fieri nequeat, & quomodo possit 286
remissio peccatorũ semel impetrata, an possit fieri irrita 286
remissio pecatorum sine resipiscentia nõ obtinetur 284
remissio uera & plena 287
remissionis gratia quibus parata 70
remissionis peccatorũ cor contritum capax 284
remissionis peccatorum duplex medium 283
remissionem peccatorum firmam esse oportet, aliàs non seruabimur 286
remissionem peccatorum non conferre cœnam Dominicã 284
remissione peccatorum iustificamur 266

sine Remissione peccatorũ ne minem saluari 281
remitti peccatum. ibid.
remittendi peccata triplex potestas 282
reprobus nemo temerè censendus 239
reprobi ac infideles 31
reprobi 253
reprobi peccatum faciunt 29
reprobi in sensum reprobum dantur 508
reprobi prosperè agunt in hoc seculo. ibid.
reprobi quando, quomodo & quare reprobati sint à Deo 254
reprobos cõuerti nõ posse 254
reprobos esse quosdam 253
de Reprobis contentio fugienda 253 (tia 261
in Reprobis inefficax pœnitẽ
reprobationis & electionis iudicia inscrutabilia 239
reprobationis nota. ibid.
res furtiua suo domino restituenda 112
rerum cõpositarũ unitas 344
rerũ proprietas cõfirmatur 126
rerum uel signorum omnis doctrina 316
rerũpublicarũ conditio 600
resipiscentia ad salutem necessaria 234
resipiscentiã gignit fides 243
resipiscẽtia uera & cõstans 284
sine Resipiscentia non obtinetur remissio peccatorũ 284
restitutio rei furtiuæ 112
post Resurrectionem duas ciuitates fore, dicit Augustinus 517
reuelatio sacræ Triadis per Christum 7
reuerentia nominis Dei 64
Roffensis episcopus 364
Romanistis quis sit catholicus consensus 304
Romanus põtifex cuius ecclesiæ sit caput 306
Romani cur non Deum Israelis coluerint 47
Romani põtificis eligendi ius penes Imperatorẽ fuit, quod postea cassatum est 198
Romani pontificis nundinatio 216 (tur 642
Romano pontifici quid tribua
Romanũ episcopum non esse summum sacerdotem 292
Romana ecclesia 307 non catholica 299.303
Romana tyrannis coniugium presbyteris ac ministris prorsus ademit 211
Romanæ curiæ sedes, Antichristi sedes 316
Romanæ ecclesię prælatos nõ esse ecclesiam 303
Romanæ sedis peruersa iactantia 508
Romanæ sedis uultures 225
à Romana ecclesia cur discessimus 315
Rubertus abbas Tuitiẽsis 381

S

SAbbatum cœleste 79 molestias huius seculi tollere 79 legale 71 perfectum 79
sabbatum quatenus non abijciendum 81 quid Hebræis significet 70
sabbatum sempiternum 57.79 spiritale 78 non est carnalium 79 nõ est perfectũ. ib. nulli tempori alligatũ. ibid.
in Sabbati die fides exercenda 71 (gradus 80
sabbati & sacramentorum tres
sabbati legalis abrogatio 80
obseruantiam non constringere gentes 80
sabbati ocium cur Deus præceperit 549 cur iumẽtis præceptum 76
sabbati sanctificatio animũ requirit non dimidiatum, sed integrum 74 duplex 72
sabbati trina consideratio 71
sabbatorum profanatio 74
sabbatariorum error refutatur 80 obiectio 81 (cãtur 604
Sabelliani cur Patropassiani di
sacerdos summus Christus 292 perpetuus 294
sacerdos summus præter Christum nullus 292
sacerdotes ueteris Testamenti ex Deo 637
sacerdotum cœlibatus 403
de Sacerdotũ coniugio Paphnutij sentẽtia à synodo approbata 210
sacerdotum scortatio 211
sacerdotes uxoratos Gregorius septimus à diuino officio remouet. ibid.
sacerdotium Aaronicũ per aduentum Seruatoris abrogatum 291 missaticum. ibid. noui Testamenti. ibid. nec uetus Iudaicum, nec ethnicum aliquod in nouo Testamento. ib. (tio 295
sacerdotij Christi communica
sacerdotij Christi perpetuitas 294
sacerdotij cõmunicatio ad sõlos uerè Christianos pertinet 295 (tineant 293
ad Sacerdotale officiũ quę per
sacra mensa 345
sacræ triadis sacretiora nõ reuelanda 7
sacrarum linguarum professores in ecclesia alendi 183
sacræ linguæ adolescẽtibus discendæ 184
sacrarum Scripturarum conditio 14
sacrarum Scripturarũ delicijs non cõferendus hortus uoluptatis 190
sacramentum priscis quid 317
sacramentum accipitur etiam, ubi res sacramenti non accipitur 319
sacramentum 327 baptismi in duobus consistit 339 bimẽbre 351 cœnæ Dominicę integrè administrandum 372
corporis & sanguinis Domini 345 non pertinere ad mortuos 368 ecclesiasticũ mysterium 321 & mysteriũ non idem 318 integrũ 327 militare 318 nõ prodest sine gratia 326 nota Christianæ professionis 322 nouæ uitę, baptismus 328 pœnitẽtię, baptismus. ibid. quomodo Augustinus definiat 318 nõ simplex, sed cõpositum 327 tribus partib. cõstat 318
sacramẽta alia sunt dantia salutem, alia permittentia saluatorem 325 alicubi ministri uerbi nõ administrare 368 an cõmunia sint tã malis quàm bonis 382 Christi quomodo augusta 323 duo tam in ueteri quàm in nouo Testamento 350 in ecclesia Dei 320 factu facilima 325 intellectu augustissima. ibid. fidei Christianæ 468 Papistarum quot 319 si earũ rerũ similitudinẽ nõ habẽt, quarũ sunt sacramẽta, nõ sunt sacramenta 398 dedit Dñs numero pauca 323 duo cõstituũt Scholastici 297 externa quare Christus instituerit 321 frequẽter accipi non integra, sed dimidiata 327 qualia Dñs instituerit 322
sacramenta quæ Lutherus uocarit 320
inter Sacramenta & signa sacramentalia diligenter discriminandum 319

sacramẽtorum curam habebit magistratus, ut illa ritè administrentur 636 eadem ratio quæ sabbati 80 efficacia 324 & sabbati tres gradus. ibid. fides eadem 324
sacramentorum res utrobique eædem 324
sacramentorum legitimus usus, ecclesiæ nota 304
sacramentorum impletio 340
sacramentorum integritas 327
sacramẽtorum materiam scrupulositas doctorum hominum intricatam reddidit 316
sacramentorum ornatus 323
sacramentorum intellectus rerum maximarum. ibid.
sacramentorum septem numerus Patribus incognitus 319
sacramentorum ueteris ac noui Testamenti discrimen 323
sacramentis an alligata gratia 325.326
sacramẽtis nullis externis corruptio nostræ naturæ sanatur 99
sacramentalis coniunctio 326
sacramentalis edendi corporis Christi modus iteratur 379
sacramentale signum unde cõstet 318
sacramentalia noui Testamẽti duo signa 321
sacramentalia signa 316.317
sacramentalia signa ad quid data 322
sacramentalia signa quomodo patres definierint. ibid.
sacramentalium signorũ usus. ibid.
sacramentariæ ceremoniæ 133
sacramentaliter esse 356
sacrificulus dum missam celebrat, an mediatorem agat inter Deum & ecclesiam 385
sacrificuli quæ tribuãt suę missæ 384
sacrificium Christi 294 corporis & sanguinis Domini 345 corporum nostrorum 296 iuge 390
sacrificium laudis cõmune est fidelibus omnibus 387
sacrificium laudis non potest offerri à quibuslibet 387
sacrificium laudis, tertia pars cultus Dei 410
sacrificium laudis non ministrorum, sed & fidelium 296
sacrificium laudis sacramento corporis ac sanguinis Domini adiunctum 296
sacrificium laudis quàm gratũ sit Deo 290
sacrificium mundum, quod ab ortu solis usque ad occasum offertur 296
sacrificium missæ applicatoriũ 165
sacrificium precum 296
sacrificium posse uirtutem missę specialiter applicare & determinare 390
in Sacrificij uoce abusus 346
sacrificia noui Testamenti tria 296
sacrificia & orationes pro mortuis non fuerunt in usu temporibus Apostolorum 562
inter Sacrificia & orationes pro mortuis interest plurimum. ibid.
sacrificiorũ in missa intẽtio 399
sacrificiorum usus 134
sacrificatoriæ & oblatoriæ ceremoniæ 132
Sadducæi Iudęorum, hæretici 604
saginatio causa adulterij 101
Salem ciuitas cur excidio data 104
Salomonis oratio 567
Salomonis prouerbia 130
salus fide accipitur 165 cur paucis contingat 166 per Euangelium dispensatur 165 nostra à bonitate Dei pendet 462 hominis non in primã conditionem, sed in illius reparationem destinata est 21 ab æterno in Christo destinata 136 an sit extra ecclesiæ unitatem 300
salutis nostræ fundamentum, electio 337
salutis nostræ gratia quibus dispensetur 166
salutis nostræ ratio unde constet 63
salutem non esse quærendam in signis 322
Samsonis mors 91
Samuelis oratio 566
Sancta trinitas 158
Sancta trias iustificat 266.265
sancti an pro nobis orent 553
sancti certas horas suis precationibus deputant 557
sancti cur cõtra inimicos suos orent 564
sancti cur non colendi 49
sancti etiã concupiscentiæ uim experiuntur 124
sancti etiam aliquando nesciũt quid petere debeant 558
sanct mortui etiamsi orent pro nobis, haud tamen esse inuocandos 555
sanctorum delictum 552
sanctorũ imagines qui colunt, excusatio 55
de Sanctorum meritis 280
sanctorum singularis zelus nõ est quibuslibet imitabilis 564
sanctos alios Papistę nesciunt, quàm quorum nomina in Calẽdarium sunt relata 562
sanctos mortuos qui colunt, creaturas colunt 55
sanctificatio Dei 72
sanctificatio sabbati duplex. ib. in quibus rebus consistat 71
sanctificatio septimi diei 78
sanctificationis impedimenta prohibentur 74.75
de Sanctificatione uitæ præcepta 130
sanctificatoriæ ceremoniæ 133
sanctimonia oris in ueritate cõsistit 117
sanctificare esse Dei 72
sanguis Christi etiam pro Apostolis effusus 363 effusi ratio & utilitas. ibid. innoxij effusio 506
sanguinẽ Christi liberare nos ab omnibus peccatis 288
in Sanguinẽ Redemptoris peccat adulter 104
in Sanguine Christi quomodo sit testamentum 361
in Sanguine meo. ibid.
sanitas mentis 214
Sapphiræ mendacium 115
sapientiæ Dei contemptæ effectus 60
Sarah quomodo mentita 115
satan non dominus est, sed seruus 481 non dominatur nisi uolentibus 480
satanas princeps mundi 152
satanę & Dei opus in nobis obseruandum 121 mos 427 peccatum cur non perspicuè exprimatur in Scriptura 13 potentia 152 seruitus nõ extinguit libertatem uoluntatis in malo 23
satisfactionis doctrina quàm sit noxia 260
satisfactionis ratio pẽdet à debito 288
satisfactoriæ pœnæ aliud sunt, & aliud castigationes paternæ 288
Saulis assentatio 118 peccatum 93

trepidatio 246
ſchiſma 617.619
ſchiſma aliud eſt, & aliud culpa ſchiſmatis 620
ſchiſma bonum 619 Chriſtianam integritatē rumpit. ib. diſciplinarum. ibid. eccleſiaſticæ communionis. ibid.
ſchiſma eſt eccleſiaſticæ unitatis diſſecatio 618
ſchiſma malum 619 nō poteſt fieri niſi inter cōiunctos 620
noſtrorum temporum quomodo ſit comparatum. ibid. quid Auguſtino 618 quotuplex 619
ſchiſmatis peccatum quàm graue 621 prima cauſa eſt ex diuerſitate cōiunctorū 620
ſchiſmata unde ſint 293. 620 qui mali potiſsimùm authores ſint 621
ſchiſmaticus condemnat eccleſiam Dei .ib. integrū Chriſti corpus ſcindit, & eccleſiā contemnit. ibid. ſeipſum perdit. ib. uinculū pacis rūpit. ib.
ſchiſmatici an rectè à papiſtis uocemur 620
ſcholaſtici doctores 226
ſcholaſtici dicunt neſcire hominem, utrum amore uel odio dignus ſit 467
ſcholaſtici quomodo pœnitentiam definiant 254
ſcholaſtici tres pœnitentię partes ponunt 256
ſchoſaſticorū cōmentū de peccato in Spiritū ſanctū 32.289
ſcholaſticorum quęſtiones 338
ſceleratè agere grauius eſt, quā ſimpliciter errare 313
ſcelerati duobus modis de terra auferuntur 88
ſcientia 489
ſcientiæ maior apud nos uſus quàm fidei 113
in Scientiæ uetitæ guſtu exitium 168
ſcientiam Dei apprehendit fides 244
ſcientiarum & artium in rebus humanis qualitas 235
ſcortatio 99
ſcortatio deteſtabilis 104
ſcortatio ſacerdotum 211
ſcortatio tripelx 99
ſcortationis & adulterij malum 102
ſcortādo homo demētatur 103
Scoticæ argutiæ 156
ſcriptura adflictos conſolatur 190 armaturam præbet aduerſus tentationes fatanæ 190 cur de Deo humano more loquatur 476 duabus linguis comprehenditur 182 laicis legenda 185 qūo de Deo loquatur 57
ſcripturæ canonicæ authoritas 175 bonitatem Dei commē dat 459 ignoratio, malorū omnium cauſa 186 noui Teſtamēti quomodo introductæ 174 profanæ 173 quę peculiariter fidem ueritatis requirant 191 ſacræ 173 authoritas non eſt ex eccleſia 180 canon 177 linguæ 182 maiorē eſſe quàm eccleſiæ authoritatem 182 quid differant à ſcriptis patrum, epiſcoporum & conciliorum 178 teſtimonia neceſſaria 7 unde dicantur 173
ſcripturę ſacræ utilitas 187.188. 189 utilitatis ſpecies 188
ſcripturę Sāctæ locutiones 60
ſcripturæ ueteris Teſtamenti diuiſio 175
ſcripturarum adimpletio unde pendeat 192
ſcripturarum Sacrarum lectio 184 lectio & opera Dei ducunt in naturæ Dei cognitionem 430 legendarum diſcretio 187 origo 173 paradiſus 190 ueritas unde pendeat 191
ſcripturarū teſtimonia de uerbo Dei 157
per Scripturas fit, quòd adhuc habemus prophetas, Chriſtum & apoſtolos nobiſcum loquentes 188
ſcripturas quàm concorditer Patres expoſuerint 370
ſcripturas Sacras non eſſe obſcuras 177
ſcriptæ legis diuiſio 41
ſecuritas periculoſa 96
ſeculo noſtro quid expectandum 70
de Seculis ante Moſen 273
ſedis Romanæ uultures 225
in Seductores grauius quàm in ſeductos animaduertendum 615
de Seductoribus qui non ex errore, ſed ſcienter ſeducunt imperitos. ibid.
ſeduci ignoranter. ibid.
ſcienter. ibid.
ſemen Abrahæ Chriſtus 142
ſempiternum 145
ſenatus eccleſiaſticus an ex authoritate eccleſiæ rectè conſtituatur 634
ſenioris & epiſcopi officiū 385
ſeniorum uſus in eccleſia 194
ſenſus animalis 123
ſenſus exterior. ib. interior. ibid. iræ Dei horribilis 505
ſententia occidere 95
ſententiæ diuinæ reſcriptū 92
ſepulturæ 220
Serapiō à puero accipit euchariſtiam 370
in Sermone Chriſti manendū 455
ſerpens æneus 54
ſerpentis antiqui illuſio 53 aſſentatio 118
ſerui ſubiecti ſint ſuis dominis 549
ſeruilis timor 542
ſeruitus duplex 46
ſeruitus, unde redempti ſumus 151
ſeruitutis priſtinę Iſrael erat admonendus 45
ſeruitutis regiæ imago 46
è Seruitutis domo & nos ſumus liberati 45
à Seruitute peccati redemptio quanti facienda 152
ſeruire Deo an non ſit inferioribus liberum, niſi ſuperiores permittant 570
ſeruire Deo 62
Seuerianorum hæreſis 605
ſignum 316 crucis frontibus Chriſtianorum impreſſum, Auguſtinus inter ſacramenta connumerat 318 nō idē quod ſignatū 324.325
ſignum ſacramentale unde cōſtet 318
ſignum ubi eſt, ibi & ſignificatio 316
ſigna 100.447
ſigna aduentum Domini è uicino præcurrentia 516
ſigna data 317
ſigna è longinquo præcurrentia 515
ſigna & miracula ad inuocationem ſanctorum edita 49
ſigna extremū iudiciū præcurrentia duplicis generis 515
ſignamiraculoſa 317 naturalia. ib. ſacramentalia 316.317 ad quid data 322 dū tradit Deus, accomodat ſe captui noſtro 321
inter Signa ſacramentalia & ſacramenta diligenter diſcriminandum 319
ſigna ſacramentalia quomodo patres definierint 322
ſignorum externorum ac rituū multitudo inconueniēs eſt no-

est nouo Testamento 323
signorum genera 317
signorum in ueteri Testamento numerosa multitudo 323
signorũ significatorũ usus 317
sacramentalium noui Testamẽti numerus 319 sacramentalium usus 322
signis & uerbis etiam admitti adulteria 99
in Signis non esse salutem quęrendam 322
Simon magus sacramentũ qui dẽ ablutionis accipiebat, gratiæ tamẽ manebat exors 326
simonia 219
simoniaci 68
Simonidis de Dei natura respõsum 4
Simonis oratio 566
simulacrum Dei patris 56
simulacrum ubi est, ibi religio nulla 53
simulacra Dei in templis Papistarum 56
ante Simulacra procubitus 55
simulacrorum cultores, Dei osores 61
simulacrorum cultus 50
simulacrorũ cultus deputatur odio Dei 60
simulacrorum cultus, iniquitas 59
simulacrorum cultus profanatur odio Dei 60
simulacrorum exquisitio, initium scortationis 51
simulacrorũ tutores grauiter peccant 57
Sodomæ conflagratio 104
Sodomiæ pœnæ. ibid.
sol oriens omnium in se rapit oculos 456
ad Solis exortum, quæ abscondita fuerant in tenebris, manifestantur 456
Sophistarum acumina 352
σωφροσύνη 214
spes 522
spes Christiana alitur & confirmatur à Deo oratione 524 ex fide est & cognitione Dei 523 quibus modis tentetur 524 unde sit 523 dilectionẽ reddit efficacem, & patientiã confirmat & animum pacatum ac tutum à confusione, gaudentemq; reddit 46
spes ex fide promissorum ac scientia potentiæ Dei nascitur 523 ex meritis. ibid. ex singulari Dei dono efficax 526
spes generaliter quid 523 impiorum, hypocritarum & hominum inanis est 525 inducit ad operandum. ibid.
spes redditur uegeta patientia afflictionum. ibid. retinet operantem in opere 526 uera apud Deum quid possit in hac uita. ibid. non est omnium, sed electorum 528 unde alatur & confirmetur 524 uoluntatem gignit 525
spei efficacia in quibus reperiatur 526 firmitudo consummationem operis gignit. ib. ueræ causa electio 524 uirtus 525
spem futurę glorię filiorũ Dei, fides operatur 244 quomodo Apostolus ex probatione esse dicat 524
sperantes in Deum, prædicantur beati 526
sperantiũ beatitudo unde 527
sperãda semper meliora de homine 528
spiritus commendatio 245 dictio 4 cœlestes & sancti an orent pro nobis 555 concupiscentia nõ prohibetur 122 cultu Deum delectari 411
spiritus doctrina 169
spiritus fidei in electorum cordibus instar 239
spiritus sanctus altissimi uirtus 162 uitæ spiritus 138
spiritus sancti diuinitatis testimonia 8 in electorum cordibus operationes 235 seruitutis 540 timoris Israeli datus 542
spiritũ Dei apprehendit fides 243
in Spiritum sanctum blasphemia 33
spiritu sancto regitur ecclesia 313
de Spiritu S. quid credatur 233
spirituales 593
spirituales in ecclesia obnoxij fiunt persequutionibus 593
spirituales res quomodo comparatæ 321
spirituale corporis Christi mãducationem non auferimus è cœna 379
splendor externus in falsis cultibus 413
sponsa Christi ecclesia 301
sterilitas in populo Dei ignominiæ exposita 38
stipendia ecclesiæ 204
Stoici de peccato mortali & ueniali quomodo senserint 31
Stroici, gentiliũ philosophorũ hæretici 640
Stoicorum opinio noxia 30 dẽ peccatis 29 etiam ipsorum tempore damnata. ibid.
strutio oua sua deserit 524
stultitia eorũ qui plures deos statuunt 5
stuprum 99
stupri pœnæ 104
in Subditorum uitia animaduertet magistratus 636
inter Substantialia & accessoria discernendum 144
sufficientia Dei 434
sufficientia quomodo in nobis locum habeat. ibid.
suggestio 27
summi boni cõmunicatio 26
superbiæ ingenium 227
supplicij æterni gustum prębet impijs pœnitentia 261
supplicia sceleratorum 649
Susanna nõ acquiescit nequissimorum senũ libidini 544
sutoris cuiusdam historia 393
symbolũ Athanasij 309 catholicæ fidei. ibid.
synaxis 345
syncleſia ab ecclesia quid differat 298
synodi episcoporum, palęstræ contentionum 226
de Synodis Gregorij Theologi sententia. ibid.

T

TAbernaculares ceremoniæ 132
Tabernaculorũ festũ 134
in Tabulam secundam qui peccant, quomodo puniẽdi 93
tabulæ lapideæ 42
telluris maledictio in opere hominis 18
temperãtia ualde necessaria episcopo 218
templi desolatio per Antiochũ quandiu durarit 390
tẽpla non facienda angelis 412
templa unde dicta 298
temporariæ ceremoniæ 133
temporis plenitudo 154.
temporis præscriptio non uincit ueritatem 458
tempora principalia 145
temporum habenda ratio 137 nostrorum necessitas 198
tentatio 506 eius species 27
τὸν 157
τύπον 163
Theodotianorum hęresis 604
terror 538
terra quomodo filijs hominũ detur 88
terræ huius incolatus obser-

uantiá præceptorum Dei re quirit 88
de Terra ſcelerati duobus modis auferuntur. ibid.
Tertullianus quare ad Montanos defecerit 606
Tertullianus quomodo Deũ patientem uocet 505
theſauros Babylonis legatis Ezechias oſtentat 128
Teſtamentum 361
Teſtamentum Chriſti, pactum nouum 146
Teſtamentum Dei 141
Teſtamẽtum eſt, quomodo ſit dictum à Paulo 361
Teſtamẽtum, fœdus, pactũ, uocabula trita in Scriptis 141
Teſtamentum nouum eſt legis & prophetarũ adimpletio 137 à Chriſto poſt Moſen inſtitutum 145 cur Græcè ſcriptum 183
Teſtamẽtum quibus conditionibus confirmetur 361 quomodo ſit in ſanguine Chriſti. ibid.
Teſtamẽtum uetus quomodo nouo conueniat 146 cur Ebraicè ſcriptum 182 quomodo dicatur 146
Teſtamenti noui apocrypha 175 & Moſis fœdus 145 & ueteris duo ſacramenta 350
Teſtamenti noui miniſtri 291 miniſtrorum diuiſio 192 miniſtrorum nomina 193 populus pauciſsimus ſignis in fide Chriſti exercetur 323 ſacerdotium 291 ſacramentalia duo ſigna 321 ſacrificia trita 296 ſignorum ſacramẽtalium numerus 319 ſcripturæ quõ introductæ 174 ibid.
Teſtamẽti ueteris apocrypha.
Teſtamenti ueteris diſpenſatio 146. item noui. ibid. & noui ſacramentorum diſcrimen 323 libri canonici 174 numeroſa ſignorũ multitudo 324 ſacrificia inefficacia 294 ſacrificia tria 296
Teſtamenti ueteris ſcripturę diuiſio 185
Teſtamẽti uocula unde tã frequens inter Chriſtianos 141
teſtimonium quid, & quis illius uſus 113
teſtimonium contra proximũ quomodo dici poſsit, ne lædatur charitas 114
teſtimonium falſum dicere 115
teſtimonium falſum ne contra proximum dicamus, quid neceſſe fuerit præcipere 116
teſtimonium falſum quando ignorãter dicatur 115 quãdo item ſcienter. ibid.
teſtimonium forenſe cæteris periculoſius 116
teſtimonij falſi malum 117. 119
teſtimonij falſi ultio. ibid.
teſtimonia extra forum 114
teſtimonia forenſia 113
teſtimonia ſacrę Scripturæ neceſſaria 7
teſtimoniorum falſorum uaria genera 115
teſtimoniorum genera 113
Thomæ. Aquinatis tempore adhuc ſub utraq; ſpecie cõmunicatum 374
thronus Dei duplex 266
timere conſcientiam hominũ magis quàm conſcientiam Dei 544
timere magis mortuos ſanctos quàm Deum 545
timere potentiam hominum magis quàm Dei. ib.
timent Athei ne fortè ſit Deus aliquis 540
timor animos præparat ad diligendum Deum 544 debetur magiſtratui 640
timor Dei 538 ad affectus cordis pertinet 541 ex dono & ſpiritu Dei 541 quomodo diuinitùs ordinetur 542 quotuplex 540 unde ſit 541
timor Domini fons uitæ 544 non eſt quorumuis 541
timor duplex quo magiſtratus timetur à ſubditis 640 eorum qui dicunt, Non eſt Deus 540 & ſeruitus Dei iunguntur 544 excludit contemptum Dei 543 facit ſtudioſum iuſticiæ 544 gignit ſtudium fugiendi ea quæ ſunt mala 543 gratum reddit euangelium Dei 544 in quibus coniungendus ſit dilectioni 538
timor magnam prærogatiuam corã Deo conſequitur 544 non eſt in charitate 541 offenſæ 7
timor eſt filiorum 540 omnibus naturaliter inditus & utilis & neceſſarius 539 pœnæ ſeruilis eſt 540
timor quare in Scripturis pręcipiatur 539 quomodo nõ ſit in charitate 541 reddit docilem, ut quæ ſit uoluntas Dei diſcatur 543 ſeruilis unde ſit 542
timor ut dilectionẽ præcedat, conſilium Dei eſt 543
timoris abuſus 544 affectus à Deo nobis inditus 539
timoris Dei efficatia 543 prę cepta 539 definitio 538 initium noui Teſtamenti 543 quatuor genera 439 ſimile quo diſcipulus præceptorem ſuum timet 543 ſpiritus Iſraeli datus 542
timorem Dei ſimilem eſſe ſetæ ſutoriæ 542 mundi non eſſe in dilectione Chriſti ac fratrum 541
ex Timore Dei facere quę ſunt contra uolũtatem Dei 545
Timotheum cur Paulus circũciderit 204
tradere quid 418 quorũ 419
traditiones 418 antiquæ 420 apoſtolicæ 421 bonæ quæ 420 diabolicæ. ibid. diuinę 419. 420 humanæ. ibid. quæ periculoſæ & nõnunquam perniciosæ 422 non omnes reijciendæ, nec omnes retinendæ 420 papiſticæ fugiendæ 422
traditiones quæ reſpuẽdæ 421 quæ ſeruandę 420. 421 quo modo ſeruandę 422
traditionum bonarũ abuſus, ibid. cauſas eſſe reſpiciẽdas. ibid. diuerſa ratio. ibid. duo genera 418 humanarum mala 423
tranſgreſsionis modus 17
tranſubſtantiatio quomodo cum ſacramento corporis & ſanguinis Domini conueniat 397
triadis ſacrę reuelatio per Chriſtum 7 ſecretioria nõ reuelanda. ibid.
triadem in unitate, & unitatem in triade cognoſcere non eſt difficile 334
ad Tribunal Chriſti qui ſiſtendi ſint 515
tributa cur magiſtratui ſoluenda 640
Tridentium concilium 472
trinitatis ſanctę perſonis communia 6. itẽ proprium. ibid.
triumphans eccleſia 299
τοῦτο pronomen quò referatur 360

V

Valẽtiniani quas ſcripturas citent 161 (604
Valẽtinianorũ hæreſis
Valeſiorum hæreſis 605 (357
de Vbiquitate corporis Chriſti uerba

uectigalia & tributa magistratui soluenda 640
uenia cur peccátibus in Spiritum sanctum negetur 33
ueniale peccatum an possit fieri mortale 32
uenialia peccata quidam post mortem remitti asserũt 290
ueneficia & incantationes 219
uerbum 446
uerbum cur caro factum 158
uerbum Dei Christus 8
uerbum & uoluntas Dei non sunt separanda 448
uerbum Dei in corde suffocat concupiscentia 124 quando contemptim auditur, nomẽ eius contemnitur 67
uerbum Domini mutare 354
uerbum filius Dei 157
uerbum gratiæ, medium conferendi remissionem peccatorum 283. 284
uerbũ incarnatũ Christus 158
uerbum ociosum 426
uerbum quomodo idem sit tã malis quàm bonis 382 quomodo sit incarnatum 169 quomodo sit in Deo 157
uerbum ueritatis euangelium 169
uerbi Christi prędicatio necessaria 237 prędicationem qui ecclesijs adimunt, graui ter peccare. ibid.
uerbi Dei abusus 427
ex Verbi Dei ignorantia nasci dubitationem de dilectione & gratia Dei 471
uerbi Dei ministri 192
uerbi incarnatio 156
à Verbi ministro amor pecuniæ alienus esse debet 226
uerbi ministro debetur uictus necessarius 203
uerbi ministrorum consolatio 166 electio & ordinatio 196 emendatio 229 nulla in ecclesijs Rom. hodie electio 198 officia 193
uerbi ministerium multis de causis periculosum 230
uerbi ministerio cur Deus uti uoluerit 192
uerbi ueritas 453
uerbo quomodo Deus innotescat 2 quoties fiat homicidium 94
à Verbis Domini non discedendum 353
uerba Domini retinenda 354
ueritas an uinci possit 458
ueritas Christianæ fidei & religionis 454
ueritas Dei 452 infirmatur in nobis 189 quomodo à ueritate creaturarũ differat 452
ueritas fundamentum omnium existentium. ibid.
ueritas in charitate quærenda 455 in Deo quadruplex 453
ueritas lux 454
ueritas mendacij maxima contumelia accusatur 457
ueritas operationis 453
ueritas scripturarum sacrarum unde pendeat 121
ueritas uerbi incarnati 453 uinci uidetur 458
ueritatis abnegatio desperationis temperariæ causa 529 cognoscendæ auiditas 454 studium 455
ueritatis columna ecclesia 313 confessionem operatur fides 245
ad Veritatis dei cognitionem quo modo peruenìatur 454
ueritatis Dei & eius quæ est creaturarum, quod sit discrimẽ 452 habẽda ratio. ib. in hoc mũdo quæ sit sors 457
ueritatis efficacia 455
ueritatis fidem quæ scripturæ peculiariter requirant 191
ueritatis inueniendæ duo esse impedimenta 455
ueritatis opus inter errantes 169
ueritatis sors in mundo quæ, & unde sit 457
ueritatis uerbũ dupliciter euãgelium dicitur 169
ueritatis zelus in pacis studia mutatus. ibid.
ad Veritatis Dei peruenire cognitionẽ paucorũ esse 454
ueritati mendacium coniungere, indigna res 47
ueritatem Christi quomodo pauci sint qui cognoscant 454
ueritatem non uincit temporis præscriptio 458
à Veritate aberrare 559
à Veritatate qui aberrant, pro illis orandum. ibid.
pro Veritate nihil non esse ferendum 457
uersionum uarietas 183
uerũ quod est, antiquũ est 417
uerum uero consonat 452
uestitus religiosorum 576
uestium usus. ibid.
uestiũ abusus quadruplex. ibi. de Vestibus Benedicti & Augustini regula. ibid.
uestiariæ ceremoniæ 133
uetus Testamentũ cur Ebraicè scriptum 182
uetus Testamentum quomodo dicatur 146
uetus Testamentum quomodo nouo conueniat. ibid.
ueteris & noui Testamenti discrimen 146 sacramẽta 350 sacramentorũ discrimen 323
ueteris hominis actus 78 affectus 79 intellectus. ibidem. opera 79
ueteris Testamenti apocrypha 174 Canonici libri. ibid. di spẽsatio 146. itẽ noui. ibid. numerosa multitudo signorum 323 populus timoris spiritu actus 542 sacrificia inefficacia 294 Scripturæ diuisio 175
uicini & propinqui duplici nomine diligendi 126
uictimarũ & hostiarũ usus 134
uiduarum & pupillorum oppressio exarcebat Deũ 506
uiduarũ domus furantes 106
uim, rapinam ac deprædationem cur non potius Domĩnus prohibuerit, quàm furtum 110
uim iniustam ferre debemus, malum autem facere nequaquam 599
de Vi iniustè per magistratum illata 646
uinci quid sit 458
per Vini saporem redolere sanguinem Christi 360
uino cur in calice à Papistis admisceatur 348
uinea Naboth 128
uirginitas 577
uirginitas uera. ibid.
uirginitatis uotum extenditur in tõtam uotarij uitã, & naturam præcepti adfert 578
uirginitatis uotum periculosum 577
uirginũ stupratorũ pœna 105
uir imago & gloria Dei 15
uiros insignes è medio tolli, signum iræ Dei 507
uires nostræ naturę sine gratia Dei in bono nihil possunt 24 (162
uirtus altissimi spiritus sanctus
uisitare iniquitatẽ in tertiam & quartam generationẽ 50
uisitationis diuinæ duo genera 559
uita nostra omnis cultus uerus esse debet 426
uita præsens misericordiæ, futura iudicio deputata est 478

uitæ

uitę qualis nobis commoditas à magistratu 628
uitæ humanę duo status 89
uitæ nouitas à baptizatis requiritur 341 (96
uitæ puritas à nobis requiritur
uitæ sanctimoria 273
uitæ integritatis qualis in ministro requiratur 206
de Vitæ sanctificatione pręcepta 130
uitę spiritus. Spiritus sanctus 138
uitam æternam apprehendit fides 244
uitam hominis cor perdere potest, sed non regere 494
uiuere hic nō ideo malum est, quòd melius est in cœlo uiuere 87
uiuere prolixè in hac terra, quale sit bonum ibid.
uiuere si per se bonum est, utique bonum est diu uiuere. ibid.
de Viuis & mortuis, Augustinus 515
ultio Dei quomodo protenda tur in tertiam & quartam generationem 60
ultio diuina 118. legalis 120
unctio ab Apostolis cur adhibita 320
unctio extrema. ibid.
unctio extrema quando introducta. ibid.
unctionis sacramentum 319
unitas Ecclesię 304. 307
unitas personalis 159
unitas uerę Ecclesię nunquam in externis ceremonijs sita fuit 308
unitas uera quibus medijs constet 307
unitatis uerę trina diuisio 306
unitati studendum 342
unitatem Dei philosophi & poetę agnouerunt 5
uniuersale iudicium 510
uocatio fideliū quotuplex 298
uocatio legitima duplex 428
uocatio Pauli 239. item Matthæi. ibid.
uocationis tempus in manu Dei esse 239
de Vocatione qui legitimè uocati non sunt, quæstionem mouent 199
de Vocatione sui quomodo Paulus loquatur 239
uoluntas Dei 444 an causa sit omnium 448 an impediri possit 450
uoluntas Dei cognoscenda in uerbo, signis & factis 446 etiam causa est eorum quæ à creaturis ipsius fiunt 449
uoluntas Dei & uerbum non sunt separanda 448 erga nos 455 erga humanum genus quō innteoscat 520 impediri nn potest 450 non est ἄλογος ibid. non est mutabilis 448 suprema est omnium causa 449 unde possit agnosci 446 ut intel ligatur curandum. ibidem
uoluntas Deo pro facto est 125
uoluntas hominis sit ne libera uel serua 22
uoluntas Dei causa an sit quærenda 449
in Volūtatis Dei causas inquirere 450
uoluntatis Dei ministra omnipotentia 446
uoluntatis diuinæ cognitio gemina 133 discretio retinenda 27 testimonia. ibid.
uoluntatis ultimæ commutatio 221
uoluntatem Dei erga nos bifariam esse considerandam 445 facere 447. 448 fundamentū esse fidei, pietatis ac salutis nostræ 445 non faciemus sine patientia 601
in Voluntatem Dei nō esse curiosius inquirendum 444
uoluntatem non esse in Deo ut in homine. ibid.
uoluntatem Dei quomodo Iudas, sacerdotes, & Pilatus fecerint 448
de Volūtate Dei desperare 527
de Voluntate Dei quomodo Magister sententiarum loquatur 445
ex Volūtate Dei an mala fiant 449
in Voluntate Dei discrimē obseruandum 445
uoluntaria paupertas duplex 575
uouendum cui sit 570
uotum singulare 569 solenne. ibid. temporarium 570 uirginitatis periculosum 577
uoti accessio 574 duplici nomine reprobanda. ibid. commutatio 221 conditio 570 duplex significatio 568 perpetuitas 574
inter Votum & iuramentum quid sit discriminis 571
uota ethnicorum 569 monastica 573 papistarum 569 qualia esse debeant 571 quædam reddenda manifesto 572 reddenda 571 item quomodo. ibid. ut reddantur irrita, nonnūquam requiri 578
uotorum circunstantiæ 570 tria genera 569 solutio 578
uouendum quo consilio 571
uotum an quodcunq; liget 578 commune 569 impossibile 571 integrè uouendum. ibid. inutile, ibid. monasticum repugnat libertati Christianorum 574 periculosum 571 perpetuum 570 priuatum 569 quid 568 reddendum ex animo 572 incunctanter. ibid.
usiæ & hypostasis differentia 6
usura Iudęorum 629
sub Vtraq; specie adhuc Thomę Aquinatis tempore communicatum 374
uxoricidium 218
uxor quam fidem marito debeat 56
uxoris unius minister sit maritus 206
uxorem an liceat episcopo ducere 213
ab Vxore quid maritus requirat 65
uxores diaconorum quales esse debeant 229
uxoratus ut sit, an requiratur in ministro 206
uxoratos fuisse Apostolos 208. 210. 213

Z

ZElotes Deus 57 zelotypus Deus 58. 546
zelus sanctorum singularis nō est quibuslibet imitabilis 564
zelus ueritatis mutatus in studia pacis 169
zeli causa, amor 58 ingeniū 58
de Zizanijs comburendis, Augustini sententia 614

FINIS.

BASILEAE, PER IOANNEM HERVAGIVM, ANNO SALVTIS HVMANAE, M. D. LXIIII. Mense Septembri.